O. XXIII

18/3.

p.S.
fol 321
19 12

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30518581

6594

WILH. ERN. EWALDI
V.D.M. ALTONAV.

EMBLEMATA SACRA MISCELLANEA,

IN II. LIBROS DIGESTA,
IN QVIBVS
PRÆTER XXIV EMBLEMATA
SELECTA,
PLVRIMA VETERIS AC NOVI
TESTAMENTI LOCA,
EX ANTIQVITATIBVS SACRIS ET PROFANIS,
VARIO DOCTRINÆ,
LINGVARVM ET NVMISMATVM
APPARATV,
ILLVSTRANTVR ATQVE
EXPLICANTVR.

LIPSIÆ ET ALTONAVIÆ
APVD JONAM KORTE, MDCCXXXII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

HEROI. GENEROSISSIMO
ILLVSTRISSIMO. DOMINO

DOMINO
ANTONIO

S. ROMANI. IMPERII
COMITI. AB ALTENBVRG

DYNASTÆ. IN. VAREL. KNIPHV-
SEN. ET. DORAWERTH ETC.
ETC.

EQVITI. ORDINIS. ELEPHANTINI
S. REGIÆ. MAJESTATIS. DANIÆ
ET. NORVEGIÆ. ETC. ETC.

CVBICVLARIO. PRIMO
ETC. ETC.

NEC. NON

PERILLVSTRI

AC. EXCELLENTISSIMO. DOMINO

DOMINO

FRIEDERICO. EMMANVELI

DE. KŒTZSCHAV

EQVITI. AVRATO

ORDINIS. DANNEBROGICI

S. REGIÆ. MAJESTATIS. DANIÆ

ET. NORVEGIÆ. ETC.

ETC.

A. CONSILIIS. INTIMIS

SVPREMO. PROVINCIÆ. DELMENHORSTIÆ

DROSSATO. ETC. ETC.

)(

DOMINIS. SVIS. CLEMENTISSIMIS
MECÆNATIBVS. FAVTORIBVS
AC. PATRONIS

ÆTERNVM. COLENDIS
DEVENERANDIS

HÆC. EMBLEMATA. SACRA

DEVOTISSIMO. ANIMI. CVLTV
CONSECRAT. DICAT
OFFERT

WILHELMVS ERNESTVS EWALD.
Birſteina-Iſenburgenſis.

ILLVSTRISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI DOMINI.

SOlenne priſcorum mortalium fuit inſtitutum, VIRIS PRINCIPIBVS prima laborum in re literaria conamina manu ſubmiſſa offerre, atque illorum præcipue inſignire nominibus, quorum apud ipſos maxima valebat auctoritas. PINDARVS eam ob cauſam non ineleganter jubet

Ἀρχομένȣ δ' ἔργȣ πρόσωπον θέμεν τηλαυγέν.

Principio Operis ſplendidam ponere faciem.

Hujus Ego moris haud immemor, opuſculum hoc qualecunque, tanquam vigiliarum primitias, SPLENDIDISSIMIS VESTRIS NOMINIBVS condecorare, easque VOBIS conſecrare eo fine haud erubeſco, ut inde ſuum mutuo accipiat nitorem; atque ita operis tenuitas compenſetur auctoritate VESTRA & ſuffulciatur. Audacio-

audaciorem equidem, ILLVSTRISSIMI DOMINI atque MECÆNATES GRAVISSIMI, me pronunciare poſſet rigidus cenſor ac immodeſtum, quod inter ardua VESTRA, ſalutem publicam promoventia, negotia VOS interpellem, & libellum huncce exiguum Tutelæ ac Patrocinio VESTRO commendem. Verum benevolus ille, quo omnes piæ eruditionis ac eruditæ pietatis ſectatores nunquam non proſequimini, animus ſpem veniæ mihi impetrandæ ultro concedit. Vos inſuper, EXCELLENTISSIMI ac AMPLISSIMI DOMINI, eſtis, quibus cura ſpecialis Cœtuum Dei in ampliſſimo DANIÆ Regno Reformatorum cordi eſt, & qui Antiſtites ac Paſtores ipſorum favore ac Patrocinio VESTRO exhilarare nunquam non ſategiſtis, cujus æterna jam proſtant monumenta. Quum igitur Divinæ quoque Providentiæ placuerit, oves Chriſti in agris Daniæ, & quidem ALTONAVIÆ, mihi paſcendas demandare, totque immeriti Favoris ac Benevolentiæ VESTRI mihi ſint exhibita ſpecimina, grato ſane illa agnoſcere & deprædicare animo ipſa religio jubebat. Et quidni illum prodere liceat, quam modeſta primitiarum laboris mei exigui oblatione, Venerationis meæ erga Vos, ILLVSTRISSIMI LITERARVM PIARVM STATORES, profundiſſimæ ac Pietatis æternæ monumento qualicunque publico. Atque adeo devota, quod ſupereſt, mente ILLVSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI PROCERES, rogo atque contendo, ut ſerena fronte has, quas

Vo-

VOBIS *offero, & ad Pedes* VESTROS *advolvere ſuſtineo primitias, quin & me ipſum cum Grege mihi demandato porro Patrocinio ac Favore* VESTRO *tueri haud dedignemini.*

DEum T. O. M. interim ſupplicibus votis veneror, ut Vos, ſeptentrionis noſtræ SIDERA LVCIDISSIMA, *diu præſtet ſalvo ſplendore incolumes, Conſilia* VESTRA *ſalutaria in commoda Regni ampliſſimi, & in primis in ſolatium ac ſalutem Eccleſiæ in* DANIA *Reformatæ, ſecundet; Vota piorum pro ſalute* VESTRA *innumera adimpleat, exſuperet,* VOS ILLVSTRISSIMAS*que* FAMILIAS VESTRAS *omni benedictionum terreſtrium ac cœleſtium theſauro adcumulet. Seri in cœlum redeatis, diuque læti interſitis populo* DANORVM. *Scribebam* ALTONAVIÆ *prope Hamburgum calend. Maj.* cIↄ Iↄ CC XXXII.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Lectori Benevolo & Scripturæ Sacræ Studioſo

S. P. D.

WILH. ERN. EWALD.

Conſtitueram equidem in animo, ut promiſi in MUS. BREM. Vol. II. part. II. Commentarium Emblematico-Propheticum *in VII. Epiſtolas Apocalypticas* publici Juris facere; Sed quum viderem hoc opus eſſe majoris momenti ac inveſtigationis, variaque adhuc monumenta antiqua deeſſent, ex quibus ritus quosdam ſpeciales Aſiæ demonſtrare liceret, opus hoc ad majorem ingenii maturitatem differre volui, præcipue quum ſit materia delicatiſſima, in qua ſolide elaboranda pauci adhuc operam ſuam collocarunt. Interea ergo temporis *Emblemata ſacra* & quidem *miſcellanea* atque *ſelecta* horis ſubceſivis meditari licuit, quæ Lectori, ſacrarum literarum amico, exhibere hocce libello volui.

Non equidem ignoro, fore pleroſque, qui hoc genus ſcribendi lividis oculis aſpicient & dente critico rodent, præprimis quum ſecundum hanc methodum pauca adhuc Emblemata Sacra elaborata invenias. Sed quum quisque ſuo indulgeat genio ac ingenio, mihi quoque meo parere licebit. Sunt quidem VIRI eruditi & fuere omni tempore, qui in enu-

)( )(clean-

cleandis ſymbolis ac Scripturæ Sacræ allegoriis ſtudium ſuum poſuere, & quorum labor haud inutilis proſtat; Verum cum non niſi in generalioribus analogiæ rationibus ſubſiſtant, ſelegi emblemata quædam curioſa atque ingenioſa, & rationes, quas potui omnes, & ſpecialiſſimas adduxi, easque ex Antiquitatibus profanis æque ac ſacris illuſtravi. Omnes equidem non ad locum præfixum quadrant, ſed tamen labor ille aliorum locorum Scripturæ illuſtrationi inſervit, in quibus idem occurrit emblema, vel ad illud alluditur.

Nullus ſane infitias ire poterit, maxima in enucleatione Emblematum, Scripturæ S. explicandæ ſubſidia eſſe poſita. Id quod laboribus ſuis emblematicis ac allegoricis reapſe demonſtrarunt Viri Docti hujus & præcedentium ſeculorum, velut FL. ILLYRICUS, FESSELIUS, BINCHIUS, BAUMANNUS, BOTSACCUS, DEUSINGIUS, KöNIGIUS, D'OUTREINIUS, GURTLERUS, GROENEWEGEN, DRIESSENIUS & nuper Ven. RUIMIGIUS, aliique, quorum opera ſacra ſunt notiſſima. Recte ergo MAIMONIDES ſcribit: *Clavis intelligentiæ univerſorum, quæ Prophetæ dixerunt, eſt intelligere parabolas, metaphoras atque ænigmata.* Et in *Mor. Nebocb. part. II. c.* 47. ſcribens: „Diligenter ſunt conſiderandæ metaphoræ, quæ occurrunt in Prophetis. Illarum quædam ſunt „tales manifeſtæ & palam, quæ neminem dubitare patiuntur. „Ut, cum dicitur: Montes & colles cantabunt coram vobis laudem & omnes arbores agri plaudent manu. Eſ. LV, 12. Eſt enim „hic manifeſta metaphora. Ita quod dicitur, etiam abietes „lætati ſunt de TE Eſ. XIV, 8. Jonathan filius Uziel tranſtulit: „Etiam Principes ejus lædantur de te. Atque iſtiusmodi metaphoræ infinitæ propemodum occurrunt in Libris Prophetarum, &c.

Et graviſſimæ dubio procul Deo Sapientiſſimo fuere rationes, cur varia fidei myſteria variasque ſuas perfectiones

ſub

ſub emblematum cortice depicta latere voluit. *Primo* enim genius ac conſuetudo populi Hebræi aliarumque in Oriente habitantium gentium invaluerat, ut maxima myſteria & quidem ſacra emblematibus involverent, veluti id docuit eruditisſimus HACSPAN. *in not. Phil. in Hoſ. XII. p.* 964. Quare libros Moſis & Prophetarum allegoriis atque emblematibus refertos deprehendes. Ægyptii totum cultum ſuum Sacrum emblematibus exornabant, imitatores hac in re populi Judaici, & præcipue in hac arte excellebant, veluti PIERIUS *in Hierogl.* CAUSSINUS, SPENCERUS, PIGNORIUS, MARSHAMUS, WITSIUS, KIRCHERUS, CASALIUS, PLUTARCH. *in Iſide*, aliique docent. Hanc quoq; fuiſſe ſapientiam illam Ægypti, in qua Moſes fuit educatus Act. VII, 22. cum PHILONE *Lib. I. de vita Moſis* & CLEM. ALEXANDR. *Strom. Lib. I.* multi ſtatuunt. De Chaldæis, huic ſtudio indulgentibus, lege oracula Zoroaſtris apud SALMASIUM *de ling. Helleniſt.* & STANLEJ. *in hiſt. philoſ.* Syros quoque & Phœnices hanc ſapientiam calluiſſe, docuit, qui in regione eorum vixit, HIERONYMUS in Matth. XXVIII. & JOSEPH. *Antiq. Jud. Lib. I. cap.* 7. EUPOLEMUS apud EUSEB. *præpar. Evang. Lib. IX. c.* 17. Arabibus & Æthiopibus eandem artem fuiſſe excultam probat, ABULPHARAJUS *in hiſt. Dyn.* KIRCHER. *in Oedip. Ægypt.* HELIODOR. *in Æthiop.* JOB. LUDOLPH. *in Hiſt. Æthiop.* DIOD. SICUL. *in Biblioth. Lib. III. cap.* 2. De Græcis idem teſtatur JAMBLICH. *de myſter.* MERETREJUS *in Symb. ſtatua Dianæ Epheſiæ*, & alii viri eruditi. De Perſis vide eruditiſſ. HYDE *de relig. Vet. Perſarum.* Et quis in ſcriptis Judæorum adeo eſt hoſpes, qui neſciat plurimas, quibus frequentisſime uti ſolent, phraſes emblematice eſſe accipiendas, nec ſemper ſecundum literam intelligendas, ut docuit Doctiſſ. VORST. *in not. ad PirkeElieſ.* SCHICKARD. *Bechin. Happeruſch. diſp.* 6. SURENHUS. *in præfat. ad part. VI. Leg. Miſchn.* Hinc ultro patet, cum

ſtudium emblematicum ubique gentium magni fieret, cur Patres quoque THEOPHILUS, ANTIOCHENUS, TERTULLIANUS, ORIGENES, AMBROSIUS, ISIDORUS HISPALENSIS aliique multi ſcripta ſua allegoriis referta dederint.

Secundo placuit quoque Deo ſub V. T. adventum Mediatoris opusque, quod ille erat exſecuturus, expiatorium, totumque cultum N. T. ſpiritualem, variis figuris ac umbris delineare, atque ita σοφίαν ponere ἐν μυστηρίῳ 1 Cor. II, 7. Quare totus cultus Leviticus vocatur παραβολὴ, imo σκιὰ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, *Umbra bonorum futurorum.* Heb. XI. Quare prudentiores inter Judæos Scripturæ Interpretes, veluti ABENESRA, ABARBANEL, MAIMONIDES &c. futurarum & ſpiritualium rerum imagines in ſacrificiis & ritibus V. T. quæſivere. Chriſtus ipſe & Apoſtoli in ſcriptis N. T. phraſibus utuntur emblematicis, & præcipue iis, quæ ad umbras V. T. reſpiciunt, præcipue quando ad Judæos, qui ejusmodi locutionibus ab ineunte ætate adſueti erant, loquerentur. Quare varias parabolas, quas Salvator ad populum eſt locutus, in Talmude quoque reperies, vide Cl. BUXTORF. *in theſ. Gramm. p.* 662. & Doctiſſ. SAUBERT. *in Palæſtr. Theol. Phil. diſſ. XII. p.* 277. Paulus quoque Gentium Doctor, in ſcriptis ſuis varias adhibet phraſes, quæ vel a ludis & exercitiis gymnicis vel aliis ritibus Græcorum atque Romanorum deſumtæ ſunt, veluti Cel. & doctiſſimi Viri BEHMIUS, LYDIUS, RAPHELIUS, ELSNERUS aliique Viri eruditi demonſtrarunt. Id quod in commentario noſtro in VII. Epiſtolas Apocal. quoque demonſtratum ibimus.

Tertio mira Dei Sapientia ac φιλανθρωπία ex ejusmodi locutionibus ſymbolicis elucet. Acuunt enim hominis intellectum & ulterioris ac ſeriæ meditationis pabulum exhibent; Imo ſuavitate ſua animum hominis, natura ſua concupiſcentiis adſtrictum, ad ſpirituales meditationes alliciunt. Docet enim quotidiana experientia, quod imagines, a rebus ſenſui patentibus

bus deſumtæ, magis afficiant mortalium mentes, quam voces propriæ & ſimplices; & quoniam mens noſtra adſueta eſt corpori, res ſub figuris corporeis propoſitæ maxime illam acuunt atque afficiunt. Facilia intellectu præterea, hac emblematum cognitione, ſcripta Prophetarum, alias obſcura, nobis redduntur, ipſorumque ὕψος ac Majeſtas intenditur.

Mens denique noſtra per Emblematum S. cognitionem a variis liberatur præjudiciis atque conceptibus Deo ac rebus divinis plane indignis atque abſurdiſſimis. Sic quando Deo aures, manus, oculos & faciem adſcribit Scriptura, non cum Anthropomorphitis corporea ipſi membra tribuemus, ſed Θεοπρεπῶς ac convenienter naturæ Spiritus perfectiſſimi explicare haſce phraſes obſcuras diſcemus. Ita quando de nuptiis cœleſtibus, de convivio in cœlis cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo celebrando, promiſſiones Sacras legimus, non carnales nobis cum Gentibus & Muhamedanis fingemus delitias, ſed ſub figuris hiſce corporalibus ſpiritualia ac cœleſtia beneficia menti noſtræ proponemus. Os inſuper hac ratione obthurabimus omnibus Scripta Sacra ac Θεόπνευστα adunco naſo ridentibus Atheis: Ex iisdem enim locutionibus, quibus illi abſurditatem ſtyli ſacri probare ſatagunt, nos optime, hac nimirum ſcientia ac emblematum cognitione, ſummam ſtyli hujus majeſtatem, gravitatem ac ubertatem ſuaviſſimam adſtruere apti erimus. Id tamen inprimis eſt obſervandum, ne typos & ſenſum myſticum fabricemus ubicunque libebit, & myſteria ſæpe ſacra ludibrio exponamus, quare ſtudium Emblematicum ſobrie ac ſolide eſt inſtituendum, veluti ex noſtris egregie docuit Celeb. eruditæ pietatis vindex H. VOGET. *in Orat. Inaug. de hoc ſtudio.* & ex Confeſſ. Auguſt. ſociis Præclariſſimus RAMBACH. in tract. *de ſenſus myſtici criteriis.*

Quæ cum ita ſint, ultro neceſſitas ſumma ac ſuavitas hujus cognitionis dulciſſima patet. Verum enim vero quum hæc

 ſcien-

ſcientia non arctis adeo cancellis ſit incluſa, ſed quam latiſſime ſe diffundat; nec opus ſit unius Viri vel ætatis, hunc ſapientiæ campum demetiri, optandum eſſet, ut Viri Docti ſocias vires jungerent, & hic Microcoſmum, ille Geologiam, iſte Hydrologiam, alter Aſtrologiam &c. elaborandum ſibi ſeligeret. Vel ſi alia placeret methodus, hic Moſis, ille Jobi, iſte Pſalmorum, alter Cantici, alius Jeſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis &c. emblemata ſpecialia enuclearet. Hi dein juncti labores Theſaurum Scripturæ myſticum efficerent. Ut ergo & ego pro ingenii mei tenuitate aliquid ad hoc opus ingens conferrem, ſpeciminis loco emblemata quædam ex variis Scripturæ locis ſelegi, quæ tamen ita elaborata deprehendes, ut ſimul nervum, quem in aliis ſcriptorum ſacrorum locis intendunt, ſimul enucleaverimus. Hoc ſi Tibi B. L. ſpecimen exiguum haud diſplicuerit, & ab Orbe erudito fuerit approbatum, plura ſecundum hanc methodum elaborata emblemata Tibi exhibebimus, ſi vires & vitam clementiſſimus Pater conceſſerit. Adjeci præterea obſervationes in fine cujusque Exercitationis practicas, ut ſcopum totius laboris, quem mihi præfixi, Tibi ſignificarem, qui eſt gloria Patris & ſalus Lectoris.

Veniam denique invitus a Benigno Lectore petam oportet, quod aliqua præter ſpem ſæpe irrepſerint ſphalmata typographica. Quum enim libellus hic loco remotiſſimo fuerit excuſus, diſtantia itaq; prohibuit, quin oculo critico illum perluſtrare potuerim, quare vitium hoc non auctori ſed corrigentibus B. L. tribuat. Graviora in fine notavi, leviora pro benevolo animo Lector ipſe corriget. Benedicat, quod ſupereſt, Deus T. O. M. huic labori, ut ſalus Eccleſiæ ac gloria Domini noſtri per eundem promoveatur. Hoc gratiſſimum laboris præmium ac merces mihi erit dulcisſima. Vale B.L. fruere hiſce laboribus iisque fave.

CON-

CONSPECTUS EXERCITATIONUM,

LIBRI PRIMI.

I. De CLYPEO Symbolo Dei ad illuſtrandum locum GENES. XV. 1. pag. 1-13
II. De ANIMA in PULVERE myſtico ad locum PSALM. CXIX. 25. p. 14-24
III. De VEXILLO ſeu ſigno militari, ſymbolo Meſſiæ ad CANTIC. V. 10. p. 25-39
IV. De LUNA Symbolo Eccleſiæ ad locum CANTIC. VI. 9. p. 40-59
V. De SEPULCHRIS DEALBATIS Symb. Hypocritarum ad MATTH. XXIII. 27. p. 60-70
VI. De AQUILIS ad CADAVER congregatis Symb. Romanorum Judæos, ac barbararum Gentium Antichriſtum, devaſtaturorum, ad MATTH. XXIV. 28. p. 71-84
VII. De STRIDORE DENTIUM Symb. pœnarum infernalium, ad MATTH. XXIV. 51. p. 85-93
VIII. De TENEBRIS EXTERIORIBUS Symb. pœnarum infernalium ad MATTH. XXV. 30. p. 94-103
IX. De SPUTO in FACIEM Chriſti conjecto Symb. illuſionis ad MATTH. XXVI. 67. p. 104-111
X. De CORNU SALUTIS Symbolo Meſſiæ ad locum LUC. I. 69. pag. 112-122
XI. De SECURI ad ARBORUM radicem poſita, Symb. judicii divini in Judæos per Romanos exercendi ad LUC. III. 9. p. 123-136
XII. De POTU SANGUINIS Chriſti myſtico & Symbolico ad JOH. VI. 55. p. 137-148

LIBRI SECUNDI.

I. De SOMNO Symbolo mortis, ad illuſtrandum locum JOH. XI. 11. pag. 149-159
II. De PRIMOGENITO ex mortuis Symbolo Chriſti ad locum COLOSS. I. 18. p. 160-168

III. De

III. De Α & Ω, *Nomine Chriſti myſtico, ad locum* APOC. I. 8. pag. 169 - 177

IV. De LACRYMARUM *abſterſione myſtica & ſymbolica ad* APOC. XII. 17. p. 178 - 188

V. De IRIDE *circa* CAPUT *Angeli, Symbolo majeſtatis, ad* APOC. X. 2. p. 189 - 193

VI. De SERPENTE *Antiquo Symbolo Diaboli ad* APOC. XII. 9. pag. 194 - 211

VII. De QUIETE *mortuorum a* LABORIBUS *myſticis ad* APOC. XIV. 13. p. 212 - 222

VIII. De MONTIBUS *in Babylone myſticis, ad locum* APOC. XVI. 20. p. 223 - 238

IX. De NAVIBUS *Babylonis myſticis & ſymbolicis ad* APOC. XVIII. 17. p. 239 - 259

X. De FLUVIO CRYSTALLINO *Symb. donorum Spiritus S. ad* APOC. XXII. 1. p. 260 - 273

XI. De VISIONE FACIEI *divinæ Symbolica ad* APOC. XXII. 4. a. p. 273 - 286

XII. De NOMINE *Dei in* FRONTIBUS *Servorum ejus myſtico ad* APOC. XXII. 4. b. p. 286 - 293

EM-


1 VIC GER GERM.CAP
2 VOTIS MVLTIS X VI CTO RIA AVG PTR
3 VIRTVS EXERCIT ANTR
4 FIDES EXERC SC
5 P M TR P I. P. P.
6 FIDES EXERCITVS
7 CONCORDIA EXERCITVVM
8 FELICITAS PVBLICA
9 PONT·MAX DIC·PERP.
10 BRVTVS
11 SALVS DD NN AVG ET CAES A ω TRP
12 SOLI INVICTO COMITI S F PLC
13 AVGVSTVS GERMANICVS
14 SPES PVBLIC A CONS
15
16 NILVS
17 FELICITAS TEMP
18 LAETITIA AVG

EMBLEMATUM SACRORUM
MISCELLANEORUM
LIB. I.
EXERCITATIO I.
DE
CLYPEO DEI SYMBOLO.
GEN. XV. 1.

ARGUMENTUM.

§. I. Locus Gen. XV. 1. proponitur. §. II. Onomatologia clypeorum. §. III. Significatio emblematica exponitur, Deo hoc emblema tribuitur, & applicatur § ſeqq. ſc. quoad materiam, quæ aurea, ænea, argentea &c. §. IV. Quoad formam multiplicem. §. V. Quoad ſcripturas & figuras eorum. §. VI. Quoad unctionem illorum. §. VII. Quia rubent ſæpe ſanguine. §. VIII. Denique quoad varias uſus eorum. §. IX. ſq. tegunt corpus. §. X. Ornant atque decori ſunt. §. XI. In eo fiduciam omnem ponebant milites. §. XII. Illis recens natos & mortuos imponebant Lacedæmones & alii. §. XIII. Illorum ope fœdera & pacta ſanciebant. §. XIV. In templis Deorum vel ædibus privatis ſuſpendi ſolebant; ubi ſimul illuſtratur locus Cant. IV. 4. §. XV. Epilogus.

I.

NOcturna in viſione olim apparens Jehovah Abrahamo, ſervo fideli, emphaſin ſpirantia hæc verba proferebat אנכי מגן לך Gen. XV. 1. *Ego* CLYPEUS *Tibi*, ſc. per Hebraiſmum *ſum* vel *ero*. Apparens ipſi Jehovah ſine dubio Filius Dei eſt, qui fidelibus T. V. ſæpius in viſionibus ſe manifeſtavit, & epitheton Clypei atque Mercedis nos ultro ad Sponſorem quaſi manu ducit. Hic quoque eſt, qui ſe ſæpius Deum Abrahami, Iſaaci ac poſterorum profeſſus eſt, & hoc loco in ſignum favoris ſe *Clypeum* ipſius nuncupat.

II. Vox מגן recte dicitur a גנן, quod *tegere*, *protegere* notat; rationem addit R. DAV. KIMCHI *in Lib. Rad. Col. 93.* על־כן נקרא מגן לפי שהוא מגן על נושאו. *Eapropter dicitur* מגן *quia protegit portantem*. Vocatur alias צנה a צנן vel ambiit vel acuit. Dicuntur etiam שלטים a שלט dominari, quia hujus auxilio heroës dominantur hoſtibus. Quam autem hoc loco jam clypeorum mentio injiciatur, originem ipſorum antiquiſſimam eſſe oportet, & ad Tubalcaini ætatem commode referes. Cæterum de origine clypeorum conf. H. SPELMANN *in Aſpilog. p. 33.* DELRIUM in *Comm. in Senec. Theb. act. IV.* PLIN. *Hiſt. Nat. Lib. VII. c. 56.* SARTOR. *Schediaſm. de Clypeis p. 5. &* ORTLOB. *de ſcutis Hebr. p. 6. aliosque, qui de re militari* ſcripſerunt, auctores, LIPSIUM, LYDIUM &c.

III. Vario ſenſu emblema clypei in ſcriptis ſacris adhibetur. Denotat ſenſu hieroglyphico 1) *Principes* & Primates hujus orbis, qui מגני ארץ *clypei terræ* vocantur Pſ. XLVII. 10. 2) *Arma* ſpiritualia fidelium ſub vexillo Ducis ſui pugnantium, *tum* verbum Dei atque Evangelium, quo refer Pſ. XCI. 4. Prov. XXX. 5. *tum* fidem in Chriſtum, ſalutis Ducem Eph. VI. 16. *tum* ſpem & fiduciam Pſ. VII. 11. 3) denique ipſius *Dei* emblema eſt, qui ſæpiſſime *Clypeus* vocatur, conf. Deut. XXXIII. 29. 2. Sam. XXII. 3. 31. 36. Pſ. III. 4. XVIII. 3. 31. XXVIII. 7. XXXIII. 20. LIX. 12. LXXXIV. 10. 12. LXXXIX. 19. XCI. 4. CXV. 9. 11. CXIX. 114. CXLIV. 2.

IV.

IV. Ut ergo cauſas hujus denominationis graviſſimas dare queamus, neceſſe eſt, ut qualitates & varios uſus *Clypeorum* ex monumentis antiquis eruamus, erutosque Deo Clypeo noſtro applicemus, ex ſcriptis ſacris confirmatos.

a. *Materia* Clypeorum apud antiquos varia fuit. In ſcriptis ſacris duplicem eorum materiam memoratam video, ſc. aurum atque æs. AUREA quidem ſcuta vide 2. Sam. VIII. 7. 1. Par. XIX. 7. 1. Reg. X. 16. XIV. 26. 2. Par. XII. 9. 1. Macc. IV. 57. VI. 39. XIV. 24. XV. 28. *Ænea* vero 1. Sam. XVII. 6. 1. Reg. XIV. 27. Antiquis autem temporibus ex *ligno*, quod *corio* fuit inductum, conſtitiſſe docet ex PITISCI *Lexic.* SCACHI *myroth.* LYDIO *in Synt. militari*, ORTLOB. *diſſ. cit. de Clypeis.* conf. & POLLUC. *Onomaſt. L. I. c. 10. §. 138.* CASTELLUS in *Lex.* תרס & DIO *Lib. 48.* aliique, quo reſpicit VIRGIL. *Æn. Lib. X. v. 783.*

Tum pius Æneas haſtam jacit, illa per orbem
Ære cavum triplici, per linea terga, tribusque
Tranſiit intextum Tauris opus.

Ex ſalicibus Veteres quoque ſcuta confeciſſe ex *Lycoſthene, Tacito, Cluveri Antiq. Germ.* probare annititur BUCHER. *Antiq. Bibl. p. 896.* & inde Germanicam vocem Hort originem traxiſſe exiſtimat. Sequentibus tamen temporibus, creſcente luxu, aurea, argentea atque ænea fuiſſe legimus. AUREA memorat TACITUS *Annal. L. II. p. m. 72.* & DIOD. SIC. *Lib. XX.* & PLUTARCH. *in Lyſandro*, conf. BOTII *animadverſ. S. Lib. II. c. 6. p. 177.* Ita & Samnitium exercitum cælatis auro argentoque clypeis fulgentem deſcribit LIV. *Lib. VIII. c. 4.* & FLOR. *Lib. I. c. 16.* Alexander M. militum ſuorum ſcuta argento obduci juſſit, & hinc milites *Argyraſpides* dicti vid. CURT. *Lib. IV. c. 13.* & JUSTIN. *Lib. XII. c. 7.* qui ait: *Cui gloriæ ut etiam exercitus ornamenta convenirent, phaleras equorum & arma militum argento inducit, exercitumque ſuum ab* ARGENTEIS CLYPEIS, *Argyraſpidas appellavit.* Conf. & MACROB. *Saturn. L. II. c. 2.*

Hoc ſi Immanueli noſtro applices, ille veluti aureus ac argenteus, ſimulque ut ligneus ac coriaceus conſiderari poteſt clypeus. Qua mediator, uti clypeus nos protegit; qua talis rutilat *auro divinæ* majeſtatis, ſimulque *humanam* atque *ſervilem* induit naturam atque formam.

mam. Phil. II. 7. apparuit in ſimilitudine *carnis peccaminoſæ* Rom. VIII. 3. ſurculus eſt abjectus atque aridus Jeſ. LIII. 2. eradicatus ex terra viventium inſtar *ligni inutilis* Jeſ. LIII, 8. Sed ſimul quoque naturam poſſidet *divinam*, qua eſt Filius Dei. Rom. I. 3. *fulgor* ſeu *ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ* ſc. Dei. Heb. I. 3. *gloria* ipſius eſt gloria unigeniti Dei filii Joh. I. 14. Qua talis quoque in typo arcæ cum propitiatorio latuit, utpote quæ ex *ligno* Sittim conſtructa & *auro* pretioſiſſimo obducta erat Exod. XXV. 10. 11. coll. Rom. III. 25.

V. b. *Forma* clypeorum apud Veteres ſimul diverſa plane fuit; Legimus de triangularibus, hæmiſphæricis, oblongis, præcipue erant ROTUNDI. Figuras varias nobis exhibet ORTLOB. de *clyp. l. c.* quod ex nominibus quoque hebraicis quibus clypei inſigniuntur ſc. צנה, סחרה & מגן demonſtrari poteſt. Rotundos memoret HOMER. Iliade ε

Ἀσπίδας εὐκύκλους, λαισήϊά τε πτερόεντα.

Clypeos patere orbiculatos & rotundos.

Ita & VIRGIL. *Æn. II.* 227.

- - - clypeique ſub orbe teguntur.

conf. TAUBMANN. in *Virgil. Culic. p. m.* 106. & inſuper DASSOV. *diſſ. ad tit. Talm.* כלים §. 4. 5. LYDIUM *de re militari Lib. III. c. 5.* & *R. Dav.* KIMCHI *Lib. rad. ad* סחר *Col. 324.* Nummos cum clypeis rotundis cerne ap. CHOUL. *Relig. de Anc. Rom.* p. m. 223. Oiſel. de num. Imp. Rom. Tab. XCIV. n. 7. 10.

Quum vero figura *rotunda* antiquis Symb. fuerit *perfectionis, univerſalitatis* atque *æternitatis*, teſte Cel. LAMP. in Pſ. XLV. p. 260. Clypeus ergo rotundus eſt filius DEI, ob ſummam atque adæquatam, qua pollet, *perfectionem*; Non qua DEUS ſolum eſt Omnipotens atque El-ſchaddai, ſed & qua mediator, perfectiſſimam pro nobis obedientiam præſtitit, quæ nobis imputata, omnia iræ Divinæ tela avertere apte poteſt, quare vocatur Rupes, cujus opera *perfecta* ſunt Deut. XXXII. 4. qui per paſſiones & mortem eſt *conſummatus*, & Sacerdos conſtitutus eſt perfectus Heb. VII. 28. Rex quoque & Petra eſt *æterna*, cui regnum competit æternum 1. Tim. VI. 16. 1. Tim. I, 9. Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedeci æternus Pſ. CX. 4, qui juſtitiam adduxit *æternam* Dan. IX. 24. & *univerſalem*, quæ ſufficit toti electorum mundo. 1 Joh. II. 2.

II. 2. 2 Cor. V. 18. Rom. III. 25. inque eo robur deprehendunt fines terræ, totumque Iſraelis ſemen. Jeſ. XLV. 22-25.

VI. c. Varias in Scutis Veterum SCULPTURAS obſervamus. Inſcribebant enim iis vel nomina Ducum atque Imperatorum & ex qua cohorte eſſent, ut docet PITISC. *Lex. Antiq. T. I. p.* 474. PIER. *Hierogl. Lib. XLII. c.* 49. SCHACH. *myroth. Elæochr. III. c.* 23. vel etiam nomina *Deorum* in iis legebantur. Ita teſtatur ATHENÆUS *Lib. II.* de Alcibiade, quod clypeum ex ebore & auro habuerit, cui inſculptus fuerit Cupido. Demoſthenes, teſte PLUTARCHO in *ejus vita*, nomen *Bonæ Fortunæ* aureis literis ſcuto ſuo inſcripſit: ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ. Plura exempla dabunt SARTOR. *Sched. de Clyp. p.* 19. BARONIUS *Tom. III. annal. ann.* 312. tradit Conſtantini M. tempore clypeos militum figura *crucis* & literis XPC inſignitos fuiſſe. Huc refer *clypeum Davidis*, in cujus duplicis Trianguli angulis toties litera י, quæ יהוה innuit, & in medio literæ אגלא leguntur, quæ ſignificant אתה גבור לעולם אמן *Tu es fortis in ſecula amen.* Conf. SCHICKARD. *in proœm. Tarich. p.* 54. WAGENSEIL. *de Hydraſp. p.* 15. SAUBERT. *Palæſtr. p.* 64. inprimis D. Th. LEHMANN. *in diſſ. binis de* מגן דויד *ſ. Clypeo Davidis, Witt.* 1708.

In Clypeo Salutis noſtræ varias quoque *ſculpturas* deprehendimus. Ille enim eſt *lapis, poſitus coram Joſua, in quo ſeptem oculi, & cujus* SCULPTURÆ *a Jehova ſculptæ ſunt.* Zach. III. 9. Ille eſt ſummus noſter Pontifex, auream gerens laminam, cui *inſculptum* eſt קדש ליהוה Exod. XXVIII. 36. Eſt Angelus fœderis, *in cujus medio eſt nomen Dei.* Exod. XXIII. 21. In ipſo virtutes & perfectiones divinæ radiant Heb. I. 3. per ipſum nomen DEI manifeſtatur mundo Joh. XVII. 6. Ille quoque gerit nomina *cohortis* ſuæ, quemadmodum olim nomina XII. tribuum S. Pontifex in pectore gerebat Exod. XXVIII. 21. Electi enim veluti milites exercitus Jehovæ ſe ipſos manibus ſuis Domino ſubſcripſerunt. Jeſ. XLIV. 5.

VII. d. UNGERE ſolebant ſcuta ſua Veteres, partim ut fulgore oculos hoſtium ſtringerent, partim ut corium eo magis roboraretur. Veſtigia hujus ritus in ſacris invenies Jeſ. XXI. 5. *ſurgite Principes*, INUNGITE *ſcuta.* Quo referunt quoque locum 2 Sam. I. 21. כי שם

נגעל

נגעל מגן גבורים מגן שאול בלי משיח בשמן. *Ibi enim eſt abjectus clypeus Heroum, clypeus Saulis, quaſi non inunctus eſſet oleo.* Alii משים ad Saulem oleo Regio unctum, alii ad Clypeum vel bene unctum, vel non unctum ſemperque cruore madentem referunt, vide late ORTLOB. *diſſ. cit.* Cauſam clypeorum ungendorum aliam nobis exponit GUSSET. *in Comm. Ling. S. v.* משח, quam in eo collocat, quod unctione conſecrarentur clypei ad felicem in prælio victoriam deportandam. DASSOV. vero *Diſſ. II. de Emphaſ. S. voc. p. 19.* oleo inunctos aſſerit, ne tela penetrarent, ſed repercuſſa reſilirent.

Scutum noſtrum quoque eſt משיח *Unctus* ille DEI, *oleo lætitiæ* inunctus præ conſortibus. Pſ. XLV. 8. Spiritus enim DEI ſuper ipſo eſt, quo unctus fuit Jeſ. LXI. 1. idque in Regem Zionis Pſ. II. 6. donis largiſſimis a Patre *conſecratus* eſt tanquam Mediator ſalutis noſtræ, & tanquam Petra ac ſcutum *confirmatus*, ita ut omnia Judicis irati fulmina, Legis minantis tonitrua, βέλη Satanæ πεπυρωμένα, omnesque mundi tentationes animo plus quam æneo ac impavido, loco noſtri ſuſtinere poſſet. Hebr. II. 10. Omnia noſtra peccata, eorumque pœnæ in ipſum irruebant, Jeſ. LIII. 6. Oleo hoc ſacro inunctus quoque fulminat *radiis* Majeſtatis divinæ in oculis hoſtium, quibus perterriti fugiunt & procidunt. Pſ. LXVIII. 2. 3. L. 2-4.

VIII. e. *Rubebant* in prælio vehementi ſcuta ſæpe SANGUINE, quo alludit ſacer Vates Nah. II. 4. מגן גבוריהו מאדם *Clypeus Heroum ejus eſt rubicundus;* ad quem locum obſervat DRUSIUS *in Comm. p. m. 733.* quod *Rubicundi* clypei dicantur Veteribus, quia ſanguine madefactos gerebant, quod ſignum fortiſſimi militis, qui ex hoſtium ſanguine clypeum tinxerat. Quare & ABARBANEL *in Comm. h. l.* שמגן גבוריהו של נבוכדנצר היה כולו מאודם מדם חלל. *Quia clypeus Heroum Nebucadnezaris plane rubens futurus erat cruore confoſſorum.* Licet alii huc quoque referant illud VIRGIL. Lib. VII. Æn.

- - - *& picti ſcuta Labici.*

Illud tamen Scholiaſtes explicat de pictis ſcutis Virorum fortium in bellis & variis figuris inſignitis. Qui non rubebant ſanguine, inglorii erant, ita VIRGIL. Lib. IX. Æn.

- - - *parmaque inglorius alba.*

STA-

STATIUS *Lib. V. Silv.*

Nubigeros clypeos, intactaque cædibus arma.

Hoc ſi ſcuto noſtræ ſalutis applices, illud quoque *ſanguine* olim rubebat. Heros ille eſt, cujus veſtimenta rubore madent & *ſanguine hoſtium* inſtar uvarum ſucco *conſperſa* deprædicantur Jeſ. LXIII. 1-3. Eſt ille de quo teſtatur Johannes Apoc. XIX. 13. *Et amictus erat veſte*, TINCTA SANGUINE, & *vocatur nomen ejus*, *Verbum DEI*, & Vates ſacer Pſ. LXVIII. 24. ſcribit de eo, quod pedem ſuum *ſanguini* hoſtium immergat. Draconis enim caput una cum tota inferorum cohorte contrivit Gen. III. 15. & tanquam victor ſanguine ipſorum eſt conſperſus. Toties quoque ſcutum hoc ſalutis quaſi ſanguine hoſtium rubet, quoties novam victoriam pro electis acquirit, ut *pergant ab acie ad aciem* victores Pſ. LXXXIV. 8. quoties vel de hoſtibus veritatis, vel de adverſariis ſalutis triumphum canunt ſub vexillo crucis Servatoris ſui fideles.

IX. ſ. USUS Clypeorum apud Antiquos varii erant, quos & in Clypeo ſalutis deprehendes ſenſu myſtico.

α. Primus & primarius illorum uſus erat ad *tegendum* corpus præcipue vero pectus, atque ita tela venenata, haſtasque acutiſſimas & gladiorum aciem avertendam. Dicti eapropter a גנן tegere, ut ſupra vidimus. Huc refer CLAUDIAN. *de bello Gildon.*

- - - *clypeis TECTOS galeisque micantes.*

OVID. *Lib. 13. metam:*

Oppoſui molem clypei, TEXIque jacentem,

STATIUS, *Lib. II. Theb. v. 585.* exprimit illud eleganter

- - - *tergoque & vertice tegmine noto*

Septus & hoſtili PROPUGNANS PECTORA parma.

Recte quoque ABARBANEL *in Proph. prior. p. 235. Col. 1.*

צנה הוא גדול מהמגן שהוא הכלי שמוליכי אותו בידיהם לשגב בם מהאויב צנה בעת שילחמו

Eſt צנה *ſcutum majus quam* מגן, *quod eſt inſtrumentum, quod portant manibus, ut ſe eo protegant ab hoſte tempore pugnæ.* Conf. ZORN. diſſ. de נא אמון p. 23. MICHAELIS de ſcuto fidei, BIBL. BREM. *T. VIII. p. 763.* Clypeis quoque haſtas excutiebant, unde VIRGIL. *Lib. X. Æn.*

- - - *di-*

- - - *dixit, ſtridentemque eminus haſtam*
Jecit, at illa volans clypeo eſt excuſſa.

Immanuel noſter totum quoque Eccleſiæ ſuæ corpus tegit, & quodlibet pectus atque animam electorum. Tegit ille ſuos in tugurio ſuo tempore adverſitatis Pſ. XXVII. 5. Qui ſub umbone ejus conſidet, & in umbra ipſius pernoctat, quem ala ſua protegit, ille tutus eſt, *clypeus & parma eſt fides ipſius* Pſ. XCI. 1. 4. ſub umbra manuum ipſius teguntur Jeſ. XLIX. 2. Quare Pſ. CXV. 9-11. ter repetitur in ſolatium Eccleſiæ ſub hoſtium oppreſſione gementis: *Jehova auxilium eorum & ſcutum eſt.* Ille excipit & repellit omnia tela ignita Principis tenebrarum, & hoſtium ſpicula omnia frangit Pſ. LXXVI. 4. Omnia iræ divinæ fulmina in ſe recepit & extinxit. Jeſ. XLIII. 24. LIII. 6. Pſ. LXIX. 5. LXXXVIII. 8. Eſt tutiſſimum electorum munimentum contra ſatanæ, mundi carniſque doloſæ machinationes Eph. VI. 16. Rom. VIII. 37. 1 Joh. V. 4.

X. β. ORNATUI quoque atque *decori* erant ſcuta veterum, in iis gloriabantur, illis ſuperbiebant ornati milites, illisque *coronari* quaſi ſolebant, ut ex PLUTARCHO docet ARROWSMITH *Tact. S. p. 155.* quo alluditur Pſ. V. 13. *coronas eos gratia ceu ſcuto.* Quare clypeos ſemper politos & ſæpe pictos gerebant Heroes. Unde HOMERUS toties φάεινες vocat, & ÆLIAN. Lib. III. c. 24. ait, Xenophonti curæ fuiſſe, ut haberet arma ſplendida, καὶ ἀποθνήσκοντα ἐν τῇ μάχῃ κεῖσθαι καλῶς ἐν καλῇ τῇ πανοπλίᾳ i. e. & *ſi vitam amitterent, cum quodam ornatu appareret in armatura ſplendida.* & Lib. XI. c. 9. ἀσπίδα κεκοσμημένην ſcutum *eleganter ornatum* memorat. Huc refer VALER. FLACC. *Argon. Lib. 1.*

Horrentem jaculis & parmæ luce coruſcum.

Et PINDAR. *Iſthm. Od. 1.* Str. 11. ap. LYD. *Agon. S. p. m. 38.* Talia erant ſcuta Hadad-Eſer Regis Zoba 2 Sam. VIII. 7. 2 Par. XXXII. 27. & Salomonis 1 Reg. X. 16.

Et ſane in ſcuto ſalutis ceu *decore* ſuo unico gloriantur electi milites exercitus Jehovæ. In hoc *juſtitiam ac robur ſuum habent, in eo gloriantur* Jeſ. XLV. 23. 24. Hæc armatura ſpiritualis ſimul eſt ornatus ſacerdotalis atque nuptialis Jeſ. LXI. 10. Jehovah eſt *Robur, canticum & ſalus* ipſorum. Pſ. CXVIII. 14. Jeſ. XII. 2. Elegantiſſime id ex-

preſſum

preſſum cernimus cum alluſione ad ſcutum Pſ. LXXXIX. 17-19. *In nomine tuo exſultant toto die & in juſtitia tua attollunt ſe.* Nam DECUS ROBORIS *ipſorum es. Jehova enim eſt* SCUTUM *noſtrum.* In eo gloria & Salus ipſis eſt Pſ. LXII. 8. CIX. 1. Ipſo ceu coronæ vitæ Apoc. II. 10. coronabuntur, quando in certamine fideles aliquando in interiorem ejus communionem tranſibunt 2 Tim. IV. 7. 8.

XI. γ. In clypeo omnem ponebant FIDUCIAM, eo in pugna ac certamine *ſervato*, omnia ſalva erant, illo *amiſſo*, infelices habebantur, quare vitam potius quam parmam amittebat Heros inſignis; ſcutum *abjicere*, infandum erat ſcelus atque dedecus, & qui ſine clypeo domum e prælio redibant, puniebantur. Lycurgus eapropter Legem dederat, quæ præcipiebat pugnaturis contra hoſtes, aut redire domum ſervato clypeo, aut contra hoſtem ſtando ſuper clypeum occumbere. Vide CAMERAR. *Hor. ſubc. I. p. 125.* Quare mulieres Lacedæmoniorum filiis in prælium euntibus clypeum tradebant, additis verbis: *ἢν τὰν ἢ ἐπὶ τὰν τέκνον. Fili, aut hunc, aut ſuper hunc.* i. e. vel hunc ſerva vel in eo occumbas. Exprimit id AUSON. *epigr. 24.*

Mater Lacæna, clypeo obarmans filium,
Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

Plura vide ap. MEURS. *Miſcell. Lac. L. II. p.m. 97.* Turpe quoque fuit *abjicere* clypeum. PLUTARCH. *in Laconic. Apud Lacedæmonios qui clypeum abjiciunt, ignominia afficiuntur.* Optime ÆLIAN. *Var. hiſt. Lib. X. c. 13* ὔτε ὅτι μοῖχος ἦν, ᾔδειμεν ἄν, εἰ μὴ παρ' αὐτῦ μαθόντες ὔτε ὅτι λαγνὸς καὶ ὑβρίστης. Καὶ τὸ ἔτι τύτων αἴσχιστον, ὅτι τὴν ἀσπίδα ἀπεβάλεν. *Neque eum adulterum, neque luxurioſum & cavillatorem, neque (quod omnium eſt turpiſſimum) ſcutum abjeciſſe ſciviſſemus, niſi ipſe de ſe prædicaſſet.* Eum in finem ſcuta firmiter manibus erant *tenenda*, ne caderent aut eriperentur, unde phraſis in ſcriptura ſcutum אחז prehendere 2 Par. XXV. 5. חזק firmiter tenere Neh. IV. 10. תפש apprehenſum ſervare Jer. XLVI. 9. Conf. ORTLOB. *diſſ. laud.* & LYD. *de re milit. Lib. III. c. 5.*

Et in Immanuele ſuo omnem ponunt ſpem atque fiduciam electi, exclamantes Pſ. XXVII. 1. *Jehova lux & ſalus mea eſt, a quo timerem? Jehova robur vitæ meæ, a quo expaveſcerem?* Hoc ſcutum rejicere, ſum-

 mum

mum Chriſtiani dedecus & ſcelus eſt, hoc amiſſo anima omnibus Satanæ tentationibus ſuccumbit ſuperata, hoc ſervato nec portæ inferorum quicquam efficient. Quare clypeus hic ſalutis manibus *fidei* eſt apprehendendus firmiterque tenendus Joh. I. 12. in nullo enim alio eſt ſalus Act. IV. 12. Eſt ille quaſi arbor vitæ omnibus ipſum apprehendentibus, & beati ſunt, qui ſervant. Prov. III. 18. Huc, niſi fallor, alludit Paulus 2 Tim. IV. 7. quando ait, *bonum certavi certamen*, πίϛιν τετήρηκα, *fidem ſervavi*, quia ſcutum ſymb. eſt fidei Eph. VI. 16. Super hoc quoque clypeo *mori* ſummum eſt decus & maxime glorioſum Chriſtiano, propter nomen Dei, Matth. X. 10. Apoc. II. 10. Act. XX. 24. XXI. 13. Act. XV. 26.

XII. §. Clypeis IMPONEBANT Lacedæmones *recens natos*, inque iis *pariebant*, unde NONN. *Dionyſ. Lib. XLI.*

- - - Λακωνίδες οἷα γυναῖκες
Υἱέας ὠδίνουσιν ἐπ' εὐκύκλοιο βοείης.

Laconicæ mulieres filios pariunt in rotundo e bovis tergore clypeo, iisque recens natos impoſuiſſe, ut militiæ fatis aſperis a teneris annis aſſueſcerent, ex Scholiaſte Thucydidis probat MEURS. *Miſcell. Lacon. Lib. II. c. 2. p. m. 97. Aloyſ. NOVARIN. Lib. II. Elect. S. c. 30. n. 741.* Clypeis etiam *ſaucios* in prælio ac *vulneratos* imo *mortuos* imponebant, vid. TURNEB. *Adverſ. S. Lib. II. c. 27.* unde VIRGIL. *Lib. V. Æn. v. 505.*

- - - & ſocii multo gemitu, lacrymisque
Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes.

DIOSC. *Lib. III. Anthol. c. 3. ep. 10.*

Τᾷ Πιτανᾷ Θρασύβουλ@ ἐπ' ἀσπίδ@ ἤλυθεν ἄπνους
Ἕπτα πρὸς Ἀργείων τραύματα δεξάμεν@.

Pithanæ Thraſybulus, ſuper clypeum veniebat mortuus, ſeptem ab Argivis vulnera accipiens. Conf. ROSIN. *Antiq. Lib. X. c. 12. p. m. 1026.*

Et ſane elegantem heic invenio alluſionem apud Vatem Sacrum Pſ. XXII. 11. *In te dejectus ſum ex vulva, ab utero matris meæ eſt Deus fortis mihi*, quæ phraſis optime intelligi poterit, ſi ad parientes in clypeis alludi cenſes, & recens natos iis imponendi ritum heic reſpici cogitas. DEUS enim ſalutis noſtræ eſt, in quo omnem a teneris juventutis annis ſpem ponimus, in quo confidimus ab utero matris Pſ. LXXI.

5. 6.

5. 6. *Saucii* quoque ac vulnerati telis ſatanæ venenatis aut fulminibus iræ divinæ, variisque in hoc mundo caſtigationibus obruti, in eo tanquam ſalutis ſuæ ſcuto tuto recubant & ſanantur ſub alis ejus Mal. IV. 2. requiem inveniunt pro animabus Matt. XI. 28. 29. In medio fluctuum maris hujus mundi, huic clypeo innixi tuto enatant ad portum ſalutis Pſ. XLII. 6. & ult. In *morte* ipſa caro ipſorum tuto requieſcit in hoc ſcuto ſalutis, ut cum Meſſia loquar Pſ. XVI. 10. In pace jacent ac dormiunt, quia Jehova ſecure eos quieſcere facit. Pſ. IV. ult. conf. Job. XIX. 25. 26.

XIII. ε. Clypeis FOEDERA & *pacta* ſanciebant Veteres. Ita enim legimus 1 Macc. XIV. 24. *Poſt hæc miſit Simon Numenium Romam, ſecum ferentem clypeum aureum ingentem, pondere mille minarum, ad fœdus quod erigebant confirmandum.* Et JOSEPH. *Antiq. Jud. Lib. XIV. c. 8. p. m. 698.* Senatus Conſultum integrum refert: ΛΕΥΚΙΟΣ ΟΥΑΛΕΡΙΟΣ ΛΕΥΚΙΟΥ ΥΙΟΣ ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ συνεβȣλεύσατο τῇ συγκλήτῳ &c. ἀνανεȣμενοι τὰς προϋπηργμένας πρὸς Ρωμαίȣς χάριτας κ̀ τὴν φιλίαν, κ̀ ἀσπίδα χρυσεῖ σήμβολον τῆς συμμαχίας γενομένην ἀνήνεγκαν. & paulo poſt. Ἔδοξεν ȣ̃ν συνθέσθαι φιλίαν κ̀ χάριτας πρὸς ἀυτȣ̀ς, κ̀ ὅσων ἐδεήθησαν τυχεῖν ταῦτ' ἀυτοῖς παρασχεῖν, κ̀ τὴν κομισθεῖσαν ἀσπίδα προσδέξεσθαι. *LUCIUS VALERIUS LUCII FILIUS PRÆTOR retulit ad Senatum &c. veterem erga Romanos benevolentiam & amicitiam renovantes & clypeum aureum, in ſignum ſocietatis attulerunt. Placuit ergo Senatui, cum iis amicitiam & gratiam inire, & quæ a nobis poſtularunt, illa ipſis concedere & clypeum allatum accipere.* Idem Germanis antiquis in uſu fuiſſe docet HACHENBERG. *de Germ. Med. §. 7.* & de Sarmatis ex Amm. MARCELL. *Lib. XVII. c. 12.* SARTOR. *de Clypeis p. 30.*

Nec alio modo fœdus cum DEO erigi poteſt, niſi ſuper hoc ſalutis clypeo, ejusque acquiſita juſtitia. Super hoc ſacrificio fœdus pangitur Pſ. L. 5. Unicum æterni pacis pacti fundamentum & reconciliationis ac amicitiæ cum DEO reſtauratæ fons eſt Mediator hic noſter, in cujus vulneribus *pacem* deprehendimus, ille vulneratur, ut nos haberemus pacem Jeſ. LIII. 7. quare merita ipſius vocantur ſanguis *fœderis* Zach. IX. 11. Imo Chriſtus ipſe vocatur *pax noſtra* Eph. II. 14. & dicitur con-

ſtitutus in *fœdus Gentium*, tanquam ſcutum, ſuper quo fœdus inter gentes erectum Jeſ. XLIX. 8. *fœdus populorum* & *lux gentium* Jeſ. XLII. 6. Ille eſt, qui omnia reconciliavit in cœlo & terra, ut conciliaret pacem per ſanguinem in cruce ſua Col. I, 20. & per ipſum pactum pacis æternum eſt ſtabilitum Zach. VI. 13.

XIV. 5. Ultimo loco Clypei tanquam *tropæa* SUSPENDI ſolebant, vel in *templis* ad Deorum honorem, vel in *ædibus* privatis ad perpetuam victoriæ cujusdam inſignis memoriam. Docet id PAUSAN. *in Eliac. p. 134.* ubi teſtatur, in Jovis Templo Eleos de victis Piſæis aureum Victoriæ ſignum erexiſſe, infra quod cernebatur *clypeus aureus*. Huc quoque refer VIRGIL. *Lib. VII. Æn. v. 183.*

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma &c.
Spiculaque, clypeique, erectaque roſtra carinis.

Sartor. de clyp. l. c. citat epigramma ex *Pauſania*, quod clypeo, in Palladis templo ſuſpenſo, additum erat;

HOS TIBI GALLORUM CLYPEOS REX DONAT ITONI
PYRRHUS AB AUDACI RAPTA TROPÆA ACIE &c.

Unde & tot nummi reperiuntur, ubi inter tropæa quoque apparent clypei apud *Begerum*, *Oizelium*, *Spanhemium* aliosque, idque cum inſcriptione VICTORIA AUGUSTI. VICTORIA BRIT. &c. Vide etiam nummum ap. CHOUL. *Relig. des Anc. Rom. p. m. 189.* Veſtigia hujus ritus invenio in ſacris, quando David clypeos aureos Hadat-Eſeris deportabat Hieroſolymas, DEO eas conſecrans 1 Par. XIX. 7. coll. v. 10. 11. & clypeum Goliathi 1 Sam. XVII. 6. Sanctuario illatum eſſe, ex eo quidam colligunt, quia gladius ipſius in eodem adſervabatur 1 Sam. XXVII. 9. Et ex 1 Macc. IV. 57. VI. 1. 2. apud Perſas & alios eundem obtinuiſſe morem liquet. Tales erant clypei, quos paſſim in nummis cernimus, uti Scipionis Africani apud SPON. *in Miſcell. erud. antiq. p. 152.* BEGERUS *in Numiſm. Reg. & Imp. Tab. XV. n. 13.* exhibet clypeum votivum cum Victoriæ effigie & inſcriptione: SALUS GENERIS HUMANI. ita & n. 14. 15. Tab. XVII. n. 14. Tab. LXV. n. 2. 6. 7. 10. &c. tales votivos clypeos cernes. Expreſſimus effigies binas horum clypeorum in *Tab. noſtra præfixa n. 1. 2.* *Clypei* quoque in honorem Heroum poſt mortem ſuſpendebantur, ut ex Inſcriptione patet, quam ex Monu-

Monumento antiquo exhibet LIPS. *in Excurſ. in Tacit. L. II. p. m. 508.*

HVIC. DECURIONES. FVNVS. PVBLICVM
STATVAM. EQVESTREM. CLYPEVM
ARGENTEUM. LOCVM. SEPVLTVRÆ
DECREVERUNT.

Et ſane hæc optime ad ſalutis noſtræ clypeum transferre poſſumus. Ille enim in *ſanctuario* cordis noſtri perpetuo eſt quaſi ſuſpendendus, in honorem Dei, cujus gratia illum poſſidemus tanquam donarium, & cujus virtute tot deportavimus victorias, quare & gloriæ Dei omnia tribuenda. Pſ. CXV. 1. Pater nobis dedit Filium ſuum Mediatorem, per quem ſoli victores evadimus Rom. VIII. 32. 37. omnia, quæ effecimus, dedit nobis. Jeſ. XXVI. 12. conf. Deut. XXXII. 3. Hoc ſcutum quaſi ob oculos noſtros eſt ſuſpendendus ad perpetuam tot victoriarum ipſius virtute deportatarum memoriam, ut illas grata ſemper mente agnoſcamus. Id niſi fallor intendit Spiritus S. quando *Cant. IV. 4. collum* ſponſæ comparat cum *Turre Davidis*, ex qua *mille pendent clypei*, in ſignum ſc. & memoriam tot fidei (cujus collum eſt Symbolum) victoriarum, auxilio Dei deportatarum. Eccleſia enim perpetuam priſcarum Dei miraculorum & victoriarum memoriam ſervat Pſ. LXXVII. 12. CXLIII. 5. Aliorum quoque fidei Heroum quaſi clypei ſuſpenſi ſunt in Eccleſia Dei vivi, veluti integrum horum catalogum contexuit Paulus Heb. XI.

XV. Quisquis ergo es o homo, ſub vexillo radicis Iſai militans, hujus Clypei pretium auro contra carius agnoſce, totum tibi pectus hocce ſcutum propugnabit perfectiſſimum, in hoc criteria Mediatoris certiſſima tanquam ſculpturas Dei infallibiles deprehendes, utpote quod tibi unctum & præparatum eſt a cœleſti Numine, ut animam tuam immortalem contra ignea Satanæ tela, doloſas carnis machinationes & publicas mundi tentationes, calamitates, convitia, munias, propugnes, defendas. Indue ergo & applica hoc tibi vera fide, hoc tibi unicum ſit decus atque ornamentum, in hoc gloriaberis, in hoc ſolo omnem in ardentiſſimo certamine ſpem atque fiduciam pone, ſuper hoc fœdus

tuum erige cum Deo tuo, rubeat hoc ſcutum ſanguine hoſtium tuorum, ſicque tandem in morte tibi tropæum erit æternum.

EXERCITATIO II.
DE
ANIMA IN PULVERE HÆRENTE.
PSALM. CXIX. 25.

ARGUMENTUM.

§. I. Loci Pſ. CXIX. 25. ſenſus literalis indagatur. §. II. Pulvis in pulvere hærens emblema eſſe docetur fragilitatis vitæ humanæ. §. III. Corruptionis ac infirmitatis. §. IV. Judiciorum divinorum. §. V. Contemtus ac ignominiæ. §. VI. Luctus & doloris. §. VII. Reatus at pœnitentiæ. §. VIII. Votorum atque precum ſubmiſſarum. §. IX. Pugnæ amiſſæ. §. X. Luctæ vehementiſſimæ. §. XI. Mortis & ſepulturæ. §. XII. Epilogus.

I.

QUando Eccleſia Dei variis preſſa calamitatibus ac perſecutionibus ſtatum ſuum vivis depingit coloribus, exclamat PSALM. CXIX. 25. דבקה לעפר נפשי AGGLUTINATA EST PULVERI ANIMA MEA. Vox נפש, ut paſſim obſervant Lexicographi, non vitam ſolum animalem, ſed ſpiritum quoque immortalem denotat, & interdum totum hominem. De *vita* phyſica ſumitur Gen. I. 20. IX. 3. Lev. XVII. 11. 2. Reg. VII. 7. Job. XII. 10. Jer. XL. 14. De *Spiritu* immortali Deut. IV. 29. VI. 5. Pſ. CXLIII. 8. Hoſ. IV. 8. Pſ. XLIX. 16. De toto *homine* occurrit Gen. II. 7. Job. XII. 19. Num. XXIII. 10. Gen. XIV. 21. XVII. 14. De varia hujus vocis ſignificatione præter Lexica conſule DRUS. *Obſ. Lib. II. c. 2.* AMAMA *Antib. Bibl. p. 445.* HOTTING. *Sme-*

Smegma Orient. p. 73. CRENII *Analect. p. 337. 347.* GATAK. *de Stylo N. T. p. 106.* CLERICI *quæſt. S. p. 224.* Vox autem דבק *agglutinavit*, arctiſſimam notat conjunctionem, qualis eſt mariti & uxoris Gen. II. 24. 1 Reg. XI. 2. Sponſi & ſponſæ Gen. XXXIV. 13. & ita de cohæſione ſquamarum uſurpatur Job. XLI. 7. עפר denique ſeu *pulvis* variarum in ſcriptis ſacris & profanis rerum emblema eſt. Phraſis integra denotabit talem, qui vel in *pulvere jacet*, vel eo *commaculatus* eſt. Uterque enim pulveri agglutinatus ſeu adhærens dici apte poteſt.

II. *PULVERIS* emblema paſſim in ſcriptura obvium eſt, varioque ſenſu occurrit.

a. *Pulvis* Symbolum in genere eſt *fragilitatis vitæ* humanæ, homo quippe ex pulvere formatus, pulvere quaſi ſuſtentatur & in pulverem denique revertetur. Gen. III. 19. Pſ. CIV. 29. Recte ergo Vates Pſ. CIII. 14. *Novit ipſe quale ſimus ſigmentum, meminit nos eſſe pulverem.* conf. Eccl. III. 20. XII. 7. Hiob. X. 9. Sirac. XVII. 31. Hinc & profani Scriptores ita loquuntur. HORAT. *Lib. IV. Od.* 7.

- - - Pulvis & umbra ſumus
Quis ſcit an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora Di Superi.

Colludit PHOCYLIDES egregie canens

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν καὶ πάντες ἐπ' αὐτὴν
Λυόμενοι. Κόνις ἐσμέν.
Corpus nos gerimus ex luto formatum, omneſque in
idem reſolvemur, Pulvis enim ſumus.

Quando ergo Eccleſia ait: *Anima ſeu *vita mea pulveri adhæret*, ſummam ſibi vitæ humanæ fragilitatem hoc ſenſu ob oculos poneret, quatenus ex pulvere conflata brevi quoad corpus in pulverem redigenda erat, quare vitæ ſuæ brevitatem & fugam quaſi ſupputat, uti Pſ. XXXIX. 5. 6. petit: *Fac, ut experiar finem meum, & quæ ſit menſura dierum meorum. Novi, quam ſim fugitivus. Ecce palmares poſuiſti dies meos, & vitale ævum meum eſt quaſi nihil coram Te. Certe omnimoda vanitas eſt omnis homo firmiter conſtitutus.* Nullum nobis heic tutum ac durabile eſt habitandum Heb. XIII. 14. ſed in terreſtri domo habitamus, quæ

quæ facile ſolvi ac dirui poteſt 1 Cor. V. 1. Eccleſia, quamdiu in hac terra militat, fragilis, vaga & miſera eſt.

III. b. Pulvis quoque *corruptionem* atque inhærens *peccatum* depingit in ſacris, & eodem cum voce *caro* gaudet ſignificatu. Hæc corruptio ſimul indigitabatur, quando Deus de homine poſt lapſum dicebat: *pulvis* es Gen. III. 19. i. e. carnalis & corruptus, ut egregie probat *Corn. de* HASE *in Protevang. p. m. 46.* idem intendit Abrahamus, quando ſe *pulverem* vocat atque cinerem Gen. XVIII. 27. & David Pſ. CIII. 16. *Recordatur, quod pulvis ſimus*, i. e. peccaminoſi & corrupti. Quare & WITSIUS *Oecon. p. m. 557.* cum Patribus quibusdam & aliis viris doctis per *pulverem*, qui ſerpenti myſtico in cibum aſſignatur, peccatores intelligit, utpote qui curvæ in terram animæ ſunt & cœleſtium inanes, κατὰ σάρκα ὄντες Rom. VIII. 5. Conferuntur ideo glumæ Pſ. I. 4. quod APOLLINARIUS interpretatur

ἀλλὰ κόνει ἴκελοι, τὴν ῥα χθονὸς ὤλεσ' ἀήτης.

Sed pulveri ſimiles, quem terræ perdidit ventus.

Pulvis quoque *impuritatis* ſymbolum eſt apud Judæos, ut docetur in *Toſaphot ad Kelim c. 1. Talmud. Babyl. Sanhedr f. 12.* conf. LIGHTFOOT *Hor. hebr. in Matt. X. 11.* PLAUTUS *Perſ. ſc. 3. pulverem* ſeu lutum pro homine *ſceleſto* & nefario ponit; quare & *pulveris excuſſionem* a pedibus Apoſtolorum, rejectionem Judæorum carnalium & deperditorum depingere aſſerit Cel. LOERS. *in Diſſ. de pulveris excuſſione §. 9.*

Anima ergo *pulveri agglutinata* hoc ſenſu denotabit talem, quæ corruptionis ac infirmitatis vinculo adhuc quaſi eſt conſtricta, quamdiu in hac miſeriarum valle habitat, quæ cum Paulo ſuſpiria fundit: *O me miſerum, quis me liberabit a corpore mortis hujus. Rom. VII. 24.* ſpiritus enim, quamdiu carni corruptæ inhabitat, perpetua in luctu verſatur Gal. V. 17. reſiſtit quidem ille carni, ſed plena tamen liberatio non niſi in morte exſpectari poteſt, quando quies dabitur ab omni moleſtia ac labore Ap. XIV. 13. Jeſ. LVII. 1. Eccleſia nunquam non hoc in mundo degens exclamare tenetur Pſ. CXLIII. 2. *Ne venias in judicium cum ſervo tuo, non enim eſſet coram te juſtus ullus, qui vivit.*

IV. c. Inſuper pulvis graviſſimorum Dei *judiciorum*, ſummæque *anguſtiæ* emblema eſt. Ita pulvis olim Ægyptiacus in pediculos commuta-

mutatus graviſſima *Ægypti* pœna erat atque calamitas Exod. VIII. 17. idem nobis ob oculos ponebat *pulvis* ille, qui *Sotæ*, mulieri adulterii ſuſpectæ propinabatur Num. V. 17. Ita & *pulverem* combuſti *vituli* idololatrici bibere Iſraelitæ ex gravi Dei judicio tenebantur Deut. IX. 21. graviſſima quoque pœna erat, quando *pulverem* ac cinerem loco pluviæ miſſurus erat Jehova Deut. XXVIII. 25. Explicat hoc eleganter Pſaltes Pſ. XLIV. 25. 26. *Quare faciem tuam abſcondis? obliviſceris afflictionis noſtræ & oppreſſionis? Nam dejecta eſt in pulverem vita noſtra, adhæret terræ venter noſter.* conf. etiam VITRINGA *in Eſa T. II. p. m.* 142. ita Perſarum dira eſt execratio: خاک بر سرش *Pulvis in caput ejus*, vid. L. WARNER *ad Prov. Perſ. VI. p. 5.* Anima pulveri agglutinata ergo erit illa, quæ maximis premitur anguſtiis, calamitatibus ac judiciis. In hoc miſeriæ oceano navis Eccleſiæ perpetuis agitatur fluctibus Pſ. XLII. 8. eſt miſera illa, in quam omnes tempeſtates irruunt Jeſ. LIV. 11. variis Dei caſtigationibus preſſa, non oppreſſa, pane anguſtiæ veſcitur & potu miſeriarum Pſ. CII. 10. onere iræ divinæ conteritur atque exulceratur Pſ. XXXII. 7.

V. Pulvis d. CONTEMTUS ac *ignominiæ* eſt ſymbolum. Quare Hanna canit 1 Sam. II. 8. *Elevat egenum ex pulvere, ex luto extollit pauperem, collocat eum cum ingenuis, ut hæredem eum conſtituat throni gloriæ.* Simili ratione 1 Reg. XVI. 2. Propheta de Baëſa nomine Dei loquitur. *Quoniam erexi te ex pulvere & conſtitui te Principem populi mei Iſraelis.* *Jobus* C. XVI. 15. de ſe teſtatur, quod ſacco indutus cutem cornu depoſuerit *in pulverem.* Conf. Cap. VIII. 19. Pſ. CXIII. 7. Ita & Jeſ. XLVIII. 1. Deſcende *in pulverem* o virgo, filia Babel. Unde & faciem *pulvere polluere* maximæ ignominiæ loco habebatur, uti docet SUIDAS voc. προπηλακίζων, αδικῶν, ὑβρίζων, διασύρων, ἐξȣθενῶν. Εἴρηται δὲ ἀπὸ τȣ̃ πηλὸν ἐπιχρίεσθαι τὰ πρόσωπα τὴν ατιμίαν καὶ ὕβριν καταψηφιζομένων, ἐς ἀρτίως ἀσβόλῳ χρύȣσι. *Luto ſeu pulvere conſpergens, i. e. injuria afficiens, contumelia obruens, cavillans & nihili æſtimans. Dicitur hoc inde, quod facies illorum, qui ignominia & contumelia notandi erant, luto perungerentur, quos nunc fuligine inungunt.* Eſt Perſis in uſu eſt proverbium خاک پای شما *Pulvis*

 pedum

pedum ſum i. e. humillimus & exilis ſervus. vide L. WARNER *ad Prov. Perſic. VI. p. 4.* conf. BUCHER *antiq. Bibl. p. 710.* & GLASS. *Philol. S. L. V. tr. I. c. 10. p. 1729.*

Anima ergo pulveri agglutinata hoc ſenſu hominem coram mundo contemtum atque objectum denotat, qui in luto variarum contumeliarum, convitiorum atque cavillationum ſæpe hæret, qui infamatur, & tanquam περίψημα κόσμȣ cum Paulo factus eſt 1 Cor. IV. 13. Qui mundo eſt crucifixus & mundus ipſi Gal. VI. 14. i. e. quem mundus æſtimat inſtar cadaveris crucifixi. Et talis ſæpe eſt *Eccleſia* in hoc orbe, utpote quæ non eſt ex hoc mundo, quare *mundus eam odio habet* Joh. XVII. 14. & quia a mundo ſe ſeparat, mundus eam contemtui & ludibrio exponit, quod fideles Jeſu diſcipuli omni tempore ſunt experti, ut late docet Paul. Hebr. XI. & 2 Cor. VI. cap. Quare Hebr. XIII. 17. monet: *Exeamus ergo ad eum extra caſtra, opprobria ejus portantes.*

IV. Pulvis e. LUCTUS & *doloris* eſt emblema, quare lugentes vel *pulvere caput* polluebant vel *in pulvere conſidebant* atque jacebant. Ita nuntius de morte Saulis *caput pulvere* conſperſerat 2 Sam. I. 1. Amici Jobi dolore fatorum ipſius correpti, *pulverem* capiti inſpergebant & 7. dies in pulvere ſedebant lugentes Job. II. 12. 13. Seniores Iſraelis caput *pulvere* obruebant Joſ. VII. 6. Idem legimus Thren. II. 10. *Sedentes in terra obmuteſcunt ſeniores filiæ Zionis imponunt capiti ſuo pulverem, accingunt ciliciis, demittunt in terram caput ſuum.* conf. Thren. III. 29. Ezech. XXVII. 30. Mich. I. 10. Jeſ. XLVII. 1. Eſth. I. 3. Jeſ. LVIII. 5. Ez. XXVI. 16. Judith. IV. 12. Apoc. XVIII. 19. Idem obtinuit apud Gentes. Ita HOMER. *Odyſſ. 24. v. 315.*

> ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
> χεύατο κακκεφαλῆς.
> *Ambabus autem manibus capiens pulverem atrum*
> *Effudit ſuper caput.*

Unde & CATULLUS apud DOUGT. *Annal. I. p. 119.*

> - - *primum multas expromam mente querelas,*
> *Canitiem terra atque infuſo pulvere turpans.*

STATIUS *Theb. L. 3.*

> *Canitiem impexam dira tellure volutans.*

Conf

Conf. GRELLOT. *prodrom. Apoc. p. 195.* GOEZII *Diſſ. de cinerum uſu p. 40.* URSIN. *Annal. P. II. p. 308.* & autores, quos citat ZORN. *bibl. Antiq. Exeg. p. 595.* Lugentes hocce ritu ſignificabant tum profundiſſimam triſtitiam ac animum humillimum atque depreſſum, qui omnes faſtidiret delitias, tum plenariam de felicitate deſperationem; pulveri enim immerſi ſe ſimiles mortuis credunt Pſ. XXX. 10. Vide Cel. LOERS. *Diſſ. de excuſſione pulveris p. 10.*

Anima ergo pulveri agglutinata hoc ſenſu eſt, quæ perpetuo in luctu ſedet, & lacrymis quaſi per totam noctem ora, genaſque & lectum irrigat cum Davide, quæ triſtis eſt ſecundum Deum 2 Cor. VII. 10. omneſque mundi atque carnis delitias averſatur atque faſtidit. Quæ in terra arida ſitit aquas recreationum Pſ. XLII. 1. LXIII. 1. Et fideles V. T. ſub onere peccati preſſi in fovea jacebant, ubi nulla aqua Zach. IX. 11. Illorum ſtatus erat maxime lugubris, quia ſalus promiſſa cum angore exſpectabatur, conf. Coccej. ad Pſ. CXIX. 25. Talis quoque ſtatus eſt Eccleſiæ, quando magnis premitur calamitatibus & judiciis Dei, ita Thren. III. 15. 16. *Satiat me ſumma amaritudine, inebriat me abſinthio. Comminuit in ſcrupis dentes meos, deprimit me in pulvere.* Thren. II. 10. *Sedentes humi jacent filiæ Zionis, imponunt pulverem capiti ſuo, demittunt in terram caput ſuum virgines Hieroſolymæ.*

VII. f. Pulvere quoque ſe obruebant POENITENTIA ſeu reſipiſcentia ducti & *reatum* agnoſcentes. Ita Rex Ninive reſipiſcens, purpuram deponit, & indutus ſacco, *in pulvere ſedet*, ſimulque jubet, ut quilibet a viis pravis convertatur Jon. III. 6. 8. Ita & Jobus C. XLII. 6. ait: *Ideo reſipiſcentiam ago in pulvere & cinere.* Quare & Judæi in jejuniis ſuis, quando reſipiſcentiæ ſigna dare volebant pulvere ſe obruebant. Conf. *Taanith. cap. 2.* ap. LIGHTFOOT. *Hor. hebr. ad Matth. VI. 16.* ubi dicuntur ἀφανίζειν τὰ πρόσωπα, quod de hoc ritu explicant eruditi. Hoc ſenſu apud PHILONEM *in Legat. ad Cæſ. legitur. Vix tandem ſurrexerunt, atque undique largo pulvere obruti & lacrymis diffluentes acceſſerunt, ambabus more damnatorum reſtrictis manibus. Pulverem* quoque, qui a Sota muliere bibebatur, Symbolum reatus ac damnabilitatis fuiſſe teſtantur Judæi apud ACOLUTH. *de aquis amaris p. 269.*

Anima pulveri agglutinata ergo dici poterit, quæ reatum, quem peccatis ſuis attraxit, agnoſcens in ſacco & cinere reſipiſcentiam agit. Matth. XI. 21. Luc. X. 13. Et Eccleſia licet ſemel converſa, tamen ob continuas infirmitates & delicta, ſemper tamen reſipiſcentiam renovare tenetur Jer. XXXI. 19. id quod Angelus Epheſinus conſiderare tenebatur Apoc. II. 5. *Memento, unde excideris & reſipiſce.* Et Apoc. III. 19. *Eſto fervidus & reſipiſce.* Ita anima ſenſu peccati & reatus excitata, toto die incurvata in pulvere incedit Pſ. XXXII. 4. ita ut ſuccus præſtantiſſimus convertatur in ſiccitates maxime æſtivas. Talis eſt Eccleſia reatum agnoſcens in pulvere, quæ Eſr. C. IX. 6. 7. proponitur: *Deus mi, pudet me & erubeſco attollere faciem meam ad te, nam delicta noſtra accreverunt ſupra caput noſtrum, & reatus noſter magnus eſt in cœlum usque. A diebus majorum noſtrorum uſque ad hunc diem in maximo conſtituti fuimus reatu.*

VIII. g. In pulvere jacebant *ſupplicia vota* atque *preces* ferentes. Nam qui ardentiſſimas preces effundebant, in pulvere provoluti adorabant, uti ipſe Servator noſter in horto Matth. XXVI. 39. Paulus 1 Cor. XIV. 25. ait: καὶ οὕτω πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον προσκυνήσει. Joſua in terram procidens adorabat Joſ. V. 14. Abigail quoque 2 Sam. XXV. 23. 24. David ſimiliter 2 Sam. XII. 16. Eſras cum populo facie in pulverem proſtrata ſupplex adorabat Neh. VIII. 6. Jobus quoque Job. I. 20. conf. præterea Gen. XVII. 3. Jer. XXXVI. 7. 2 Chron. XX. 18. Ita & THEODORETUS *Lib. V. c. 18.* de Theodoſio Imper. οὐκ ἑστὼς τὸν δεσπότην ἱκέτευεν, οὔδε τὰ γόνατα κλίνας, ἀλλὰ πρηνὴς ἐπὶ τοῦ δαπέδου κείμενος, τὴν Δαυιδικὴν ἀφῆκε φωνήν· ἐκολλήθη τῷ ἐδάφει ἡ ψυχή μου. *Non ſtans, nec genibus flexis ſupplicavit Deo, ſed pronus humi jacens Davidicam hanc vocem emiſit: Adhæſit pavimento anima mea.* Inter preces Arabum etiam ساجدان *Proſtrationes* memorantur apud MILL. *Diſſ. Sel. p. 433.* Apud Perſas quoque Regibus ſupplices proſtrati ſe incurvare ſolent; Unde HEROD. *Lib. I. c. 34.* ἢν δὲ πολλῷ ἡ οὕτερος ἀγεννέστερος, προσπίπτων προσκυνέει τὸν ἕτερον. *Sin autem alter fuerit multo inferior, proſtratus adorat alterum.* Quare toties in nummis cernimus urbes ſub figura fœminea depictas, quæ humi proſtrata ſeu genibus in pulvere

vere flexis, ſupplicia vota exſolvant. Vide nummos apud BEGER. *Theſ. Num. Imp. Rom.* Tab. 68. num. 6. cum epigr. REPARATIO REIP. & Tab. 39. num. 17. 18. 21. 22. cum epigr. RESTITVTORI MACEDONIÆ, BITHYNIÆ &c.

Anima in pulvere ergo denotabit eam, quæ votis ſupplicibus ac precibus continuis ac ſeriis defatigatur, humillime Deo ſe ſubmittens; quæ in anxietate Deum ſuum invocat Pſ. XVIII. 7. Vota Deo exſolvit Pſ. LXV. 1. Regi ſuo ſe ſubjicit, ipſi oſculum homagii præſtans Pſ. II. 12. & humili animo coram facie ejus ambulat, anxieque illam quærit. Pſ. XXVII. 8. 9. auxiliumque ejus ſerio exſpectat mente ſubmiſſa Pſ. XXVII. 14. Talis Eccleſia nobis proponitur ſupplex Pſ. XCV. 6. *Venite, incurvemus nos & procidamus in terram; flectamus genua coram Jehova, qui fecit nos.* Et quæ in perſecutionibus graviſſimis ſupplicia Deo vota facit. Reſtitutori ſalutis ſuæ quoque ea exſolvit. Pſ. L. 14. 25. CXVI. 12. 13.

IX. h. In pulvere quoque hærent VICTI in pugna ſive prælio; hoſtes enim devicti in pulvere proſtrati conſiderantur. Sic Pſ. VII. 6. *perſequatur inimicus animam meam, vitam meam proculcet, & gloriam meam in pulverem proſternat.* Et Pſ. LXXII. 9. coram ipſo incurvabunt deſerta incolentes & adverſarii ipſius *pulverem lingent.* Unde & Jeſ. LII. 2. dicitur: *Excute te ex pulvere*, ſurge captiva Hieroſolyma. conf. loca 2 Sam. I. 19 Jeſ. XXIV. 20. XXXI. 8. Jer. XX. 4. Thren. II. 21. Mich. VII. 17. Jeſ. XLIX. 23. Huc refer tot nummos, in quibus victos vel humi proſtratos, vel in pulvere ſupplices cernimus. Ut apud TRISTANUM *T. III. p. 316.* cum epigr. GLORIA ROMANOR. apud BEGER. Theſ. cit. Tab. X. n. 3. ARMENIA CAPTA. Tab. XXXII. n. 11. SARMATIA DEVICTA. & Tab. XLVI. n. 21. 22. 23. GERMANIA SVBACTA. IMP. VI. COS. III. conf. & Tab. XIV. LXVI. LXVIII. &c. Vide & CHOUL. *Religion des Anc. Rom. p. 187.* &c. idem docent nummi paſſim obvii, qui inſcriptione notati: JVDÆA DEVICTA. Seu CAPTA. En nummum talem depictum in *Tab. noſtra præfixa n. 3.* Quo tendit etiam locus VIRGIL. *Lib. XII. Æneid. v. 943.*

- - - victum quem vulnere Turnus
Straverat.

Anima ergo pulveri agglutinata denotabit talem, quæ hoſtibus ſuis ſuccumbens auxilium Dei exſpectat. Sub manu ipſius Dei tanquam adverſarii ſæpe proſtrati in pulvere anhelant electi faciem ipſius. Pſ. XXXII. 4. exclamantes Pſ. XXXVIII. 7. *diſtorqueor, incurvor valde ad terram, tota die atratus incedo* v. 4. *nam ſagittæ tuæ infixæ ſunt, & manus tua deprimit me.* conf. Job. VI. 4. Thren. II. 4. Plerumque tamen gemunt in pulvere gravioribus obruti tentationibus hoſtium ſalutis, qui ſuperiores ſæpe evadunt, quando Angelus ſatanæ colaphis cædit 2 Cor. XII. 7. aut cum Jobo ulceribus percuſſi in cinere ſedent Job. I. 20. Sæpe & mundi carniſque illecebris devicti ſuſpiria ſurſum emittunt Rom. VI. 12. VII. 23. VIII. 23. 1 Pet. II. 11. Rom. VII. 24. Eccleſia quoque ab hoſtibus veritatis perſecutionibus graviſſimis preſſa in pulvere quaſi jacet, ſed brevi iterum erigenda Mich. VII. 8. 9.

X. i. Non victi ſolum ſed & LUCTATORES pulvere ſordidi & in pulvere hærere dicuntur, unde hebr. התאבק *luctari* notat, proprie *pulvere ſe conſpergere.* vid. LAKEMACH. *de ſtudiis per Colloq. diſſ. ad Aboth C. II. p. 12.* Unde κονίςρα & κονιςήριον teſte VOSSIO *in Lex. Etym.* notat locum, ubi adſervabatur pulvis, quo poſt unctionem luctatores conſpergebantur. conf. & PITISC. *Lex. Antiq. T. I. p. 432.* quem in finem locus luctæ arena ſeu pulvere ſparſus erat. ÆLIAN. *Lib. IX. cap. 3.* ADAMI *Obſ. S. p. 396.* quare in hoc ſtadio currentes pulvere polluebantur. Unde HORAT. *Lib. I. od. 1.*

Sunt quos curriculo PULVEREM *Olympicum*
Collegiſſe juvat.

Et. Lib. II. od. 1.

\- - - *jam video Duces*
Non indecoro PULVERE *ſordidos.*

Huc quoque reſpicit LUCIAN. *de Gymnaſ. T. IV. opp. p. m. 761.* ἐκοῦν ὦ Σόλων, ἤν ποτε ἡμῖν ἐπίωσιν οἱ πολέμιοι, χρισάμενοι τῷ ἐλαίῳ, καὶ ΚΟΝΙΣΆΜΕΝΟΙ, προΐτε καὶ αὐτοὶ πὺξ τὰς χεῖρας ἐπ᾽ αὐτοὺς προβεβλημένοι. *Proinde o Solon, hoſtibus vobis ingruentibus oleo peruncti & oppleti* PULVERE *in bellum progredimini, nempe pugillatu inſtructi adverſus armatos.* conf. eundem p. 754. 780. &c. LYD. *Agoniſt. S. p. 14.* SENECA *in Epiſt. 80.* FABRI *Agoniſticon p. 51.*

Anima ergo pulveri agglutinata deſignat eam, quæ in curriculo & ſtadio fidei ac ſalutis perpetuo exercetur atque delaſſatur. Phil. III. 12. *non quod jam aſſecutus metam, aut jam conſummatus ſim, ſed perſequor, ut apprehendam.* Talis erat Paulus, qui currebat non in incertum, qui pugilem agebat, ſed non ut aërem cædens; Sed contundebat corpus & in ſervitutem redigebat 1 Cor. IX. 26. 27. Qui abjecto omni onere & peccato, quod eos circumcingit, per tolerantiam decurrunt propoſitum ipſis ſtadium Heb. XII. 1. qui currunt nec defatigantur, ambulant nec delaſſantur Jeſ. XL. ult. Manus equidem ſæpe delaſſantur & genua vacillant, ſed ea erigunt denuo Jeſ. XXXV. 3.

XI. k. In pulvere denique hærere dicuntur MORTUI ac in *Sepulcris* cubantes Gen. III. 19. *pulvis es & in pulverem reverteris.* Eccl. XII. 7. *pulvis in terram redigetur.* Job. XVII. 16. *deſcendet in infernum & in pulvere jacebit.* Pſ. XXII. 16. *deponis me in pulverem mortis.* Pſ. XXX. 10. Job. VII. 21. Jeſ. XXVI. 19. Job. XIX. 25. *poſtremus in pulvere ſtabit.* Dan. XII. 2. *multi e dormientibus in pulvere terræ, expergiſcentur.* Quam ob cauſam MUNSTERUS, VATABLUS, CASTALIO aliique interpretes locum noſtrum Pſ. CXIX. 25. explicanti: *Parum abeſt, quin deferar ad ſepulcrum, proximus morti fui.* KIMCHI quoque Pſ. XXII. 16. explicat: אני מוכן להשימני בקבר שהוא עפר מות. *Ego paratus ſum, ut ponas in ſepulcro, quod eſt pulvis mortis.* Ita & Arabibus ſumitur عفر עפר *pulvis* pro *ſepulcro*; ſic in *hiſt. Tamerlan. p.* 322. ترب *terra* itidem ſepulcrum notat, vide SCHULTENS *Animadv. in Job. p. 60.* Mortui enim & ſepulti non ſolum pulvere oppleti ſed & pulvis evadunt. Sic canit PHOCYLIDES *in poëm.*

Λυόμενοι κόνις ἐσμὲν, ἀὴρ δ᾽ ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται.

Mortui pulvis ſumus, cœlum vero ſpiritum recipit.

Conf. etiam alia loca apud DOUGT. *Annal. S. I. p. 240.* citata, & WITS. *Oecon. p. m. 533.*

Anima denique pulveri agglutinata eſt, quæ variis preſſa miſeriis & calamitatibus hujus vitæ & tentationibus ad portas inferni & mortis appropinquat Jeſ. XXXVIII. 10. *ego dicebam: exciſis meis diebus portas ſepulcri aditurus ſum.* Talis Eccleſia occurrit Pſ. LXXXVIII. 4-6. *Accumu-*

cumulata eſt anima mea malis & vita mea ad ſepulcrum pertingit. Reputor inter eos, qui deſcendunt in ſepulcrum, ſum ſimilis illo, qui viribus deſtituitur. Sum ego inter mortuos, ſemotus, ut confoſſi, jacentes in fovea, quorum non recordaris amplius, & qui dextra tua exciſi ſunt. Quando propinqua eſt anima foveæ, & vita lethalibus malis Iob. XXXIII. 22. Similes ſunt moribundis Apoc. III. 2. Et quia etiam quoad corpus aliquando pulveri reddentur; illud in pulvere quoque jacebit ad diem reſurrectionis Jeſ. XXVI. 19.

XII. En Eccleſiam vario ſenſu pulveri agglutinatam. Talis omni tempore, quamdiu in hoc orbe militat, fuit; præcipue vero ſub V. T. quando jacebant electi in fovea, ubi nulla eſt aqua Zach. IX. 11. ac ſenſu peccati nondum vere expiati, ſimulque jugo graviſſimo legum cærimonialium preſſi, adventum ſalutis ex Zione anhelabant Pſ. XIV. 7. per quam ex pulvere hoc ſuſcitandi & vivificandi erant. Talis quoque Eccleſia fuit ſub N. T. præcipue perſecutionibus diriſſimis Gentium & Antichriſti obruta, ubi ſæpe omnis vitæ ſpes decollata videbatur, ſemper tamen ex favillis denuo reſurrexit.

Quando ergo & tu o anima mea pulveri es agglutinata, ad Deum tuum ex pulvere gemas, *vivifica me Jehova, anima mea in pulvere hæret.* Pulvis es o homo, vita tua inſtar umbræ tranſit, ergo futuræ vitæ ut particeps fias, ſerio ſatage; in corruptionis pulvere natus es, in eadem etiam cubare pergis, Deus per ſpiritum ſuum ex hoc te luto erigere ſolus poteſt, illius opem anhela. Quando pulvere judiciorum divinorum obrueris, in ſacco & pulvere pœnitentiam age & reſipiſce; agnoſcens reatum, luge ob peccata tua, ſubjice te caſtigationibus divinis, & ſupplicia vota proſtratus Deo offer & exſolve. Si victus in certamine ſalutis cadis, ſurge arrepto fidei clypeo, cujus ope ſuperior evades. Undique cinctus es hoſtibus ſalutis, quare acrius inſta, non curabis pulverem excitatum, ſed incitatis paſſibus perge in ſtadio fidei; licet arena, quæ tibi conculcanda, varias ſæpe moleſtias creet, caro ſuperanda, qui bene currit, ille quoque ſolus metam attinget & coronam adipiſcetur 1 Cor. IX. 24. Quanto in pulvere tentationum hæres, & ad inferorum portas delaberis, eleva ſuſpiria tua ſurſum, in ſcuto fidei ac ſpei tuto omnem pone fiduciam, tandem emerges. Beati ergo, qui in pul-

pulvere hærentes fidem ac ſpem ſervant incolumem, illi quoque aliquando ex pulvere ſurgent victores, de morte & inferno triumphum agent. Et licet quoad corpus quoque ad pulverem ſepulcri revertantur, tamen aliquando ſuper pulvere ſtabunt. Sic experientur, quod legimus Jeſ. XXVI. 19. *Reviviſcent mortui tui, cadavera quoque mea reſurgent. Expergimini vos, & cantibus exultate, qui* INHABITATIS PULVEREM; *Nam ros olerum ros tuus eſt, poſtquam mortuos in terram dejeceris.*

EXERCITATIO III.
DE
VEXILLO MESSIÆ SYMBOLO.
CANTIC. V. 10.

ARGUMENTUM.

§. I. Loci Cant. V. 10. tmema prius, albus eſt & rubicundus, *explicatur. §. II. Vocis* דגול *ſenſus geminus indagatur & de* vexillo, *Meſſiæ ſymbolo, intelligendum eſſe demonſtratur. §. III Comparatio inſtituitur inter vexilla veterum & Meſſiam, ſcil. quoad colorem ſignorum militarium. §. IV. Quoad figuras & inſcriptiones illorum. §. V. Quomodo terræ infigi & dein iterum evelli, ac a ſigniferis geſtari in alto ſolebant, inquiritur & Meſſiæ applicatur. §. VI. Ad uſus vexillorum tranſimus, qui erant, ut milites ſub iis jurarent. §. VII. Sub illorum auſpiciis pugnarent. §. IIX. Diſſipati ſub iisdem colligerentur. IX. Per elevationem ipſorum hoſtibus terror incuteretur. §. X. Oſtenditur, quomodo honore maximo, imo divino ſæpe venerati ſint Veteres vexilla ſua. §. XI. Illa deſerere maximum fuiſſe nefas atque dedecus. §. XII. In ſignum victoriæ in triumphis quoque vecta fuiſſe. §. XIII. Et præmii inſtar Ducibus ac militibus poſt partam victoriam fuiſſe data. §. XIV. Inquiritur, quomodo dicatur Meſſias* conſtitutus *in vexillum* a myriadibus. *§. XV. Denique epilogus practicus additur.*

I.

DUlciſſima vox ſponſæ eſt, quam ebuccinat *Cantic. V. 10.* דודי צח ואדום דגול מרבבה *Candidus eſt & rubicundus dilectus meus, conſtitutus in VEXILLUM a myriadibus.*

De priori hujus pericopæ tmemate variæ ſunt Virorum doctorum ſententiæ, quo ſenſu Meſſias dicatur *Candidus & Rubicundus.* Sunt qui colorem *candidum* ad divinam ejus naturam, & *rubicundum* ad humanam referunt, uti LUCAS in *Summar.* ad *Aponii Comm. in Cant. p.* 4. Plerique Meſſiam *rubicundum* in paſſione & *ſplendidum* in reſurrectione conſiderant, vel obedientiam activam & paſſivam Chriſti intelligunt, uti CASSIODOR. *in Cant. p.* 71. OSIANDER ad h. l. & HIERONYMUS vel uti GREGOR. MAGN. *rubicundum* ob reatum ſuſceptum & *candidum* ob innocentiam, dici exiſtimant; Quo ſenſu & Judæis in מדרש ſumitur, qui exinanitionem & exultationem Meſſiæ indigitari cenſent. Sed quia non color veſtium, ſed faciei heic innuitur, aberrare a vero ſenſu videntur. Alii ad Sacerdotale munus *rubrum*, ad Regiam vero *album* colorem referunt. Alii denique, veluti HELLENBROEK *in Comm.* conjungunt colores & albo mixtum rubrum intelligunt, Meſſiæque robur indigitari autumant.

Aſt niſi admodum fallor, alluſionem heic deprehendere, mihi videor ad *Columnam Nubis & Ignis*, quo integra pericopa reſpicit. *Columna* illa ſymbolum erat Meſſiæ qui, & uti probabile nobis videtur, ſub ſpecie viſibili in ea apparuit ſæpiſſime, jam vero *candida* illa erat columna, quia ex nube ſplendida erat compoſita, & ſimul *rubicunda*, ob ignem rutilantem, quæ in nube illa apparebat. Illa quoque inſtar *Vexilli*, ejusque loco erat Iſraelitis, utpote a parte Iſraelis ſtabat in prælio; ſæpius quoque ad hanc columnam alluditur veluti ſignum militare. Conf. Jeſ. XI. 10. Jeſ. X. 17. Pſ. LXVIII. 2. LXXVIII. 14. Exod. XIV. 19. Quid ergo color rubicundus, quid candidus denotabit? nihil aliud, quam id, quod nubes & ignis præfigurabat. Jam nubes ſymb. erat *gratiæ & clementiæ*, quæ per album colorem denotatur, & ignis ſymb. *iræ* ac *juſtitiæ* divinæ, quæ per rubrum exprimitur conf. Gen. XLIX. 12.

II. De voce דגול quoque variæ exſtant Doctorum conjecturæ. Plerique quos ſequitur LUTHER. *in verſ. germ.* vertunt *electus ex myriadi-*

riadibus, ita quoque reddunt CASSIODOR. *in Cant.* LUCAS *in Summar.* ad APON. *in Cant.* CLARIUS ad h. l. uti & AQUILA ἐκλελεγμένος & SYMMACHUS ἐπίλεκτος. MUNSTERUS, HELLENBROEK aliique vertunt *Vexilliferum*, COCCEJUS cum VATABLO ſignis ſeu vexillis inſignitum & diſtinctum. Optime vero convenienter alluſioni datæ verti poſſe cenſeo, דגול qui *Vexillum* eſt *conſtitutus*, adeo ut Meſſias ipſe, antitypus Columnæ Nubis & Ignis, ſit vexillum. Ita Judæi inter nomina Meſſiæ quoque referunt נס *Vexillum*; & convenit locus hic cum Jeſ. XI. 10. ubi Meſſias dicitur עמד לנס *ſtare* i. e. conſtitutus eſſe, *in vexillum.* Et quando altaris inſcriptio erat יהוה נסי Exod. XVII. 15. non ea innuebat, quod altare eſſet vexillum, ſed altare hoc eſſe τȣ̃ vel τῷ יהוה, qui eſt *Vexillum* Iſraelis, uti inſcriptio altaris Ἀγνώςῳ Θεῷ. Act. XVII. 23. docebat, altare hoc DEO ignoto dicatum eſſe. Aras enim Deorum nominibus, quibus dicatæ erant, inſigniebant veteres. vide MOYNE *diſſ. ad Jeſ.* XXIII. *p. 288. ſeqq.*

III. Ergo videamus, quo ſenſu, quas ob rationes analogas Meſſias vocetur VEXILLUM, & quomodo dici poſſit, *conſtitutus* Vexillum *a myriadibus.*

VEXILLUM, ſignum belli publicum, elegantiſſimum nobis ſymbolum Meſſiæ, qui eſt Dux exercitus Jehovæ, exhibet, ſive qualitates ipſius ſpectes ſive uſus.

1) COLOR Vexillorum variis temporibus apud antiquos varius fuit & diverſus. De Scytharum ſignis militaribus SUIDAS teſtatur, quod in bello geſſerint *ὑφάσματα βαφῇ πεποικιλμένα, ἃ εἰς ἰδέαν μάλιςα ὀφίων εἰκαςαι, ϗ ἀπηώρηνται κόντων συμμέτρων. Lintea quædam ſeu vela, variis tincta coloribus, quæ ad effigiem maxime ſerpentum picta cernebantur, contisque mediocribus in ſublime aptata. Coerulea* ſeu alba erant equitum & *roſea* peditum, ut docet DEMSTER ad ROSIN. *Antiq. Lib. X. p. m. 1062.* conf. SERVIUM *ad Lib.* VIII. *Æn.* Ita SVETON. *in Auguſt. M. Agrippam in Sicilia coeruleo vexillo donavit. Coccinea* quoque & *purpurea* erant. Ita PLUTARCH. *in vita Fabii.* Τῆς μάχης σημεῖον ἐξέθηκε χιτῶνι κοκκίνῳ ὑπὲρ τῆς ςρατηγικῆς σκηνῆς διατεινομένῳ. *Dabant belli ſignum tunica ſeu velo coccineo ſuper tentorium Imperatoris expanſo.* CLAUDIAN. *in Ruff.*

Surgere purpureis undantes anguibus haſtas
Serpentumque vago cœlum ſævire volatu.

Vexilla quoque Iſraelitarum Num. X. 2. diverſi coloris fuiſſe teſtantur Judæi, præcipue *alba & rubra.* Vide R. S. JARCHI ad Num. X. & מדרש ad Num. II. apud BASHUYSEN *Diſſ.* in Jeſ. XI. 10. Vide & LUND. *Antiq. Jud. Lib. I. c. 38. p. 216.* Hodiedum quoque vexillorum color candidus atque rubicundus primarium uſum habet, & candidum quidem vexillum pacis, rubicundum autem belli cruenti ſignum atque τεκμήριον eſſe ſolet.

Talis quoque eſt Meſſias vexillum noſtrum, *candidus* atque *ruber* Gen. XLIX. 12. *dentes ejus albicant pro lacte & oculi rubent præ mero.* Ille *Candidus* eſt, gratioſus, benignus, *rubicundus* eſt, juſtus, vindex quoque gloriæ ſuæ. *Candidus* eſt in adminiſtratione regni ſui, quando gratiam ſuam per Evangelium offert, & miſeros atque defatigatos recipit. Matt. XI. 29. eosque ſinu ſuo excipit & bajulat, inſtar paſtoris, geſtantis oves ſuas infirmas Jeſ. XL. 11. Jeſ. LIV. 10. *Rubicundus* quoque eſt in judiciis ſuis, quæ non ſolum in impios & refractarios exercet, ſed & in Eccleſiam ſuam. Præcipue in hoſtes regni ſui, *quorum ſanguine rubent veſtimenta ipſius.* Jeſ. LXIII. 1. 2. quos veluti in torculari iræ ſuæ conculcavit. Ita gratia ac clementia & juſtitia ac ſanctitas Meſſiæ in propagatione regni ipſius ubique cernitur Pſ. XLV. 5. 8. Pſ. LXVIII. 19-24.

IV. 2) Vexilla veterum variis inſignita erant FIGURIS & *nominibus*, præcipue cohortis, vel Imperatorum quoque atque Ducum, quare & ſupremæ Majeſtatis Imperatoriæ ſigna erant atque indicia. Huc reſpicit TACIT. *Annal. Lib. I. cap. 43.* *Quid reliquum, niſi ut caperent ferrum, & quorum imagines pro vexillis ſecuti forent, Duces Imperatoresque deligerent.* Et LIPSIUS ad TACIT. *Hiſt. L. 3.* ubi ait: *Primores caſtrorum nomen atque imagines Vitellii amoliuntur*, commentatur: *Mos enim ille, ut Imperatoris ſui nomen tam Vexillis inſcriberent, tam ſcutis.* Unde & SENECA canit

- - - aurea clarum nota
Nomen Ducum vexilla præſcriptum gerunt.

SUETON. *in Veſpaſ. c. 6. Nomen ejus vexillis omnibus ſine mora inſcripſerunt.*

pſerunt. Ita in vexillis caſtrorum Iſraelis varias fuiſſe figuras docet ABEN-ESRA *ad Num. II. 2.* & BAR-NACHMAN *ad Num. III. quos* refutat BOCHART. *Hier. T. I. L. III. c. 5. p. m. 772.* Varias quoque inſcriptiones, & nomina Patriarcharum, vel etiam יהוה illis inſcripta fuiſſe, Judæi prætendunt. Vid. LUND. *Antiq. Jud. l. c. p. m. 216.* GODWIN. *Moſ. & Aaron. Lib. VI. c. 8.* LIGHTFOT. *Tom. I. Opp. p. m. 226.* Romani quoque in vexillis ſuis Aquilarum & Draconum figuras gerebant, CLAUDIAN. *de nupt. Hon.*

Stent bellatrices Aquilæ ſævique Dracones.

Vid. & DEMSTER. *ad Roſin. Antiq. p. m. 1062.* Ita numi apud CHOULIUM, BEGERUM, OISELIUM, GOLZIUM &c. paſſim cernuntur cum Vexillis, in quibus aquila apparet, cum inſcriptionibus: *VICTORIA AUG. VICTORIA ROMANORUM, VICTORIA AUG. LIBERATOR. ROMAN. &c.* Unde & Conſtantinus vexillum habebat, in quo figura  cernitur, apud CHOUL. *p. m. 187.*

Hæc Chriſto applicat AMBROS. *Lib. II. de Abr. c. 7. Excitata mens non æquilarum præfert imagines, nec dracones, ſed in cruce Chriſti, & in Jeſu nomine progreditur ad prælium, hoc ſigno fortis, hoc fidelis.* Et ſane Chriſtus eſt dux exercitus Jehovæ, Angelus ille, *in cujus medio eſt nomen* יהוה Exod. XXIII. 21. qui & nomen in fronte gerit, קדש ליהוה, utpote qui expreſſum imaginis divinæ exemplar eſt Heb. I. 3. qui variis quoque *figuris* ſub V. T. fuit inſignitus & ſculpturas ſuas habuit, ſeu criteria, ex quibus dignoſcebatur Zach. III. 9. Heb. II. 10. qui & nomina electorum ſuorum in pectore ſuo gerit, tanquam ſummus noſter Pontifex & Dux Salutis.

VI. Vexilla 3) vel FIGEBANTUR in terra, ita ut ex alto eminerent, vel etiam evulſa *geſtabantur* in alto a *Signiferis.* Recte ergo Jeſ. XI. 10. dicitur vexillum עמד *Stare* ſc. erectum in altum. Jeſ. LIX. 19. *eriget* vexillum. Jer. VI. 1. *attollite vexilla* conf. Jeſ. LXII. 10. Pſ. XX. 6. Hinc CLAUDIAN. *de bell. Gild.*

- - - *Ut rubris aquilas figamus arenis.*

PROPERT. *Lib.* III. *eleg.* 2.

D 3 *Aut*

Aut quibus in campis Mariano prælia ſigno
Stent, & Teutonicas Roma refringat opes.

Qui vexilla *portabant*, dicebantur SIGNIFERI ſeu VEXILLARII. Ita legimus in Inſcriptionibus apud GRUTER. *in Theſ. p. 536. n. 7.*

D. M. D.
CASVRIO. DEXTRO. VEXILLARIO.
II. VIG. CASVRIA. CAPROLA.

Et apud Eundem p. 501. alia apparet n. 9.

D. M. D.
SEXTIO. CASSUTIO. B. T. QVIRINA.
PRIMO. EMERITO. EX. COHORTE. XIII.
VRBIS. T. SILIVS. HOSPES. SIGNIFER.
COH. EIVSD. POS.

Effigies ejusmodi Signiferorum cernes apud CHOUL. CASTRAMET. *des Rom. p. m. 27. ſeqq.* conf. & KIPPING. *Antiq. Rom. Lib. III. cap. 1.* vide numum expreſſum de hiſce vexillis ab exercitu geſtatis in *Tab. noſtra n. 4.*

Ita Chriſtus quoque *exaltatus* eſt in ſignum gentium Jeſ. XI. 10. Joh. XII. 32. per paſſiones enim conſummatus eſt in ligno erecto crucis, tanquam Dux ſalutis Heb. II. 10. 1. Pet. II. 24. typum dederat ſerpens æneus in caſtris Iſraelitarum elevatus in conto, Chriſti elevandi in cruce Joh. III. 14. elevatus quoque tanquam Dux ſalutis ſtat & ſedet ad dextram Patris Act. II. 33. VII. 59. Ille eſt qui *portatur* quoque & proponitur exercitui ſuo per vexilliferos, Apoſtolos & Doctores N. T. qui unicum hoc ſalutis medium proponunt Act. IV. 12. Uti *arca* fœderis olim in bello *portabatur* a Levitis, quæ loco ſigni militaris Iſraelitis erat. Et *currus* Ezechielis rotis ſuis movebatur & animalibus quatuor Eſ. I. & X. quod idem innuebat. Ita Paulus dicitur vas electum, ad *portandum* nomen Jeſu coram gentibus. Act. IX. 5. Et quando per præconium Evangelii annunciatur, veraque fide accipitur tanquam Dux ſalutis, tum tanquam vexillum in corde noſtro erigitur.

VI. 4) Vexillorum USUS ſi ſpectes & *accidentia*, varios quoque cum Meſſia noſtro analogias deteges.

a. Milites ſub vexillis CONSCRIBEBANTUR & ad ea JURAMENTUM

TUM militare pronunciabant, imo per ea jurabant; huc refer locum Eſ. V. 26. *nam cum attollens vexillum ad gentes e longinquo, & ſibilans advocavit ad ſe a finibus terræ, ecce ocyus adveniet exercitus.* Ita DIONYS. HALICARNASS. *Lib. VIII.* προέθεσαν τὰ τοῦ πολέμου σημεῖα, ϗ τὰς δυνάμεις τῆς πόλεως κατέγραφον. *Propoſuerunt belli ſigna, & conſcripſerunt copias urbanas.* VIRGIL. *Lib. VIII. Æn. init.*

Ut belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco ſtrepuerunt cornua cantu;
Extemplo turbati animi, ſimul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, ſævitque juventus.

OVID. *Lib. II. Amor. eleg. 18.*

Primaque juratis induit arma viris.

POLYB. *Lib. VI.* ἐξορκίζουσιν ἦ μὴν πειθαρχήσειν ϗ ποιήσοιντο προσταττόμενον ὑπὸ τῶν Ἀρχόντων. *Sacramento adigunt, ut parceant imperio Ducum & faciant juſſa.* Et per ſigna jurabant. Unde LUCAN. *Lib. I.*

- - - per ſigna decem felicia caſtris,
Perque tuos juro quocunque ex hoſte triumphos.

Unde & TERTULL. *in Apolog. c. 16. Religio tota caſtrenſis Romanorum ſigna jurat, ſigna veneratur, ſigna omnibus Diis proponit.* Huc reſpiciunt nummi apud BEGER. *Theſ. Num. Imp. Rom. Tab. LII. n. 10.* cum ſignis militaribus & inſcriptione. FIDES LEGIONVM. Et *Tab. LV. n. 23.* FIDES EXERCITVS.

Et ſub vexillo ſalutis noſtræ, omnes quotquot ad exercitum Dei vivi pertinent, conſcribuntur, ſub eodem jurare eosdem oportet, quod non ſolum ſit loco noſtri per Parentes in baptiſmo, quando juramenti loco promittimus, nos Chriſto Duci noſtro omnem præſtituros eſſe obedientiam, ſub illius auſpiciis ſtrenue contra ſatanam, mundum atque carnem pugnaturos. Sed & in ſacramento Euchariſtiæ nos juramenti loco obſtringimus ad perpetuam cum hoſtibus regni Chriſti & ſalutis noſtræ pugnam atque certamen. Elegans hanc in rem locus eſt ARRIANI *in Epicteti Diſſertat. Lib. I. c. 14.* τούτῳ τῷ Θεῷ ἔδει ϗ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον, οἷον οἱ στρατιῶται τῷ Καίσαρι, ἀλλ᾽ ἐκεῖνοι μὲν τὴν μισθοφορίαν λαμβάνοντες ὀμνύουσι πάντων προτιμησειν τὴν τοῦ Καίσαρος σωτηρίαν, ἡμεῖς δὲ δέον τοσούτων ϗ τηλικούτων ἠξιωμένοι οὐκ ὀμόσετε, ἢ ὀμόσαντες οὐκ ἐμμενεῖτε,

ϗ

ϗ τὶ ὀμόσετε, μὴ ἀπειθήσειν μηδέποτε, μηδὲ ἐγκαλέσειν, μηδὲ μέμψαθαί τε τῶν ὑπ' ἐκείνȣ δεδωμένων. *Verum par erat, vos etiam Deo obſtrictos eſſe juramento, uti & milites Cæſari, at milites jurant propter ſtipendia, ſe Cæſaris ſalutem omnibus rebus anteferre; anne vos tantis affecti beneficiis non jurabitis, aut jurati non præſtabitis? quid vero vobis jurandum eſt? non rebellaturos unquam, aut incuſaturos, aut injuſte laturos ullam rem ab ipſo vobis oblatam.*

VII. b. Alter uſus erat, quod vexilli elevatio in altum, ſignum eſſet PUGNÆ INEUNDÆ, quod præcedens omnes milites ſequi, atque ita hoſtes ſub hujus auſpicio aggredi oportebat. Quo reſpicitur Jeſ. XIII. 2. *Elevate vexillum ſuper montem excelſum, efferte vocem ad illos, agitate manum, ut ingrediantur portas ingenuorum.* & cap. XVIII. 3. *Omnes incolæ terræ & orbem habitantes, cum elevabo vexillum in montibus, videbitis, & quum clangam tuba, audietis.* Jer. IV. 6. *Elevate vexillum contra Zionem, confirmate, ne conſiſtite, nam adducam mala ab Aquilone & calamitatem ingentem.* Eodem modo CURTIUS *Lib. V. cap.* 2. teſtatur: *Tubæ, cum caſtra movere vellet, ſignum dabat. Ergo perticam, quæ undique conſpici poſſet, ſupra prætorium ſtatuit, ex qua ſignum eminebat pariter omnibus conſpicuum.* Uti olim, quando *nubes* vel *arca* in caſtris Iſraelitarum movebatur, ſignum itineris ac pugnæ dabatur Num. II. 2. Pſ. LXVIII. 2. ſimiliter PLUTARCH. *in Brut.* Ἅμα δὲ ἡμέρα πρȣκεῖτο μὲν τῷ Βρȣ́τȣ χάρακι ϗ τῷ Κασσίȣ, σύμβολον ἀγῶνος, φοινικȢ̃ς χιτών. *Una cum luce diei propoſitum fuit in Bruti & Caſſii caſtris ſignum pugnæ, tunica punicea.* SIL. ITAL. *Lib. I.* eo reſpicit, canens:

> - - - *Patres an ſigna moveri*
> *Cenſuerint.*

Conf. CÆSAR. *de bello Gall. Lib. XI.* HERODIAN. *Lib. II. cap. 6. p. m.* 84. FLOR. *Lib. III. c.* 11. *Lib. I. c.* 22. LIPS. *in not. Tacit. Lib. I. Ann. p. m.* 23. & BEOTII *Anim. S. L. II. c. VI. c. VII. §. 8. prolixe.*

Optime hæc ad Vexillum noſtrum transferri queunt. Ille elevatus in Ducem ſalutis præit populum ſuum, quando certamen eſt ineundum, & hoſtes profligandi ſunt. Hæc eſt promiſſio Jeſ. LVIII. 11. *Nam ducet te Jehova jugiter, & ſatiabit in ariditatibus animam tuam, oſſaque tua confir-*

confirmabit. Jehova eſt, *ducens eos per abyſſos, tanquam equum per deſertum, ut non impingant, ut jumentum deſcendens in vallibus, ſpiritus Jehovæ ducet eos leniter. Ita duxit populum ſuum, ut nomen ſibi compararet decorum.* Jeſ. LXIII. 13. Ducit eos ſpiritu ſuo per ſemitas planas, eripit animam eorum ex anguſtia, & exſcindit inimicos ipſorum. Pſ. CXLIII. 10-12. Huc quoque refer votum Eccleſiæ Pſ. CVIII. 12-14. *Nonne o Deus rejeceras nos, ut non procederes, o Deus, inter exercitus noſtros. Mitte nobis auxilium ab adverſariis, omne auxilium humanum eſt vanitas. In Deo agamus ſtrenue, & ipſe proculcabit hoſtes noſtros.*

VIII. c. In prælio acerrimo DISSIPATI milites ſub vexillis denuo confluebant, & ſub iisdem COLLIGEBANTUR. Et vexilla quoque erant ASYLUM, quo confugiebant ſæpe rei milites. Elegans quoad collectionem militum ſub vexillis locus eſt Jeſ. XI. 12. ונשא נס לגוים ואסף נדחי ישראל ונפצות יהודה יקבץ מארבע כנפות הארץ. *Et elevabit ſignum inter gentes & colliget propulſos Iſraelis & diſperſos Judæ congregabit ex quatuor terræ angulis.* Eodem niſi fallor ſenſu capiendus eſt locus Num. XXIV. 17. *Procedet ſtella ex Jacobo, & exſurget ſceptrum ex Iſraele, quod confringet latera Moabitarum,* קוקר כל בני שת & *colliget omnes filios Seth.* Ita & *R. Salomo ad* Jeſ. XI. ירמזו להם רמזים להתאסף נשואות נס־ הוא סימן לקיבוץ בני אדם. *Significationem eis dabit, ut congregentur, ac contra ipſos veniant. Erectio enim vexilli ſignum eſt ad contrahendos in unum homines.* Vide quo de hoc Jeſ. XI. loco ex Comment. adducit BOOT. *Animadv. S. Lib. I. Cap. VI. §. 1. ſq.* Quod ASYLI inſtar fuerint vexilla, docet TACIT. *Annal. Lib. I. cap. 39. Neque aliud periclitanti ſubſidium, quam caſtra primæ legionis, illic ſigna & aquilam amplexus religione ſeſe tutabatur.*

Et ſane Meſſias eſt, qui gentes hactenus diſperſos erat congregaturus ad ſe tanquam vexillum, ut ex Jeſ. XI. 10. 12. Judæos quoque undique diſperſos colliget aliquando Deut. XXX. 3. Et *Jehova reducet multitudinem captivam, tuique miſerebitur, & convertens ſe colliget te ex omnibus populis, inter quos diſperſerat te Jehova Deus tuus.* Ille tanquam vexillum educet eos ex populis & congregabit ex regionibus,

 ac

ac reducet in terram ſuam. Ezech. XXXIV. 13. conf. Hoſ. XI. 9-11. Ita mittebat vexilliferos ſuos, Apoſtolos, qui deperditas oves Iſraelis colligerent Joh. XI. 52. 1 Pet. II. 25. Prædixerat ipſis Joh. XII. 32. quando *exaltatus ero*, inſtar vexilli, *omnes vos ad me traham.* Ille quoque inſtar *aſyli* eſt, ad quod tuti confugiunt Prov. XVIII. 10. Nomen hoc Dei eſt arx munita ſalutis. Unde & Jeſ. XLV. 22. clamat: *Ad me vos convertite & ſalvamini extrema terræ.* conf. Pſ. II. 12.

IX. d. *Hoſtibus* quoque *vexillis vibratis* atque levatis TERROR incutiebatur, ut fugam caperent. Quo refer *Jeſ. XXXI. 9. Petra ejus præ formidine evaneſcet, & primates ejus fugam dabunt coram vexillo, dictum Jehovæ.* Ita quoque FLOR. *Lib. I. cap. 17.* ſcribit: *Erat* TERROR *ingens, tot ſimul tantorumque populorum, late per Etruriam infeſta quatuor agminum* SIGNA *volitabant.* TACIT. *Annal. Lib. I. cap. 38. Simul* EXTERRITIS, *qui obſtiterant, raptum* VEXILLUM *ad ripam vertit.* Huc quoque refero locum *Cant. VI. 7.* איםה כנגדלות *terribilis inſtar aciei cum vexillis.* Nam ſigna militaria ſymbolum erant *roboris* exercitus, unde vexilla cum appicta *dextra*, ſymb. erant animi bellicoſi & victricis. Ita vexilla cum dextris exhibet CHOUL. *Caſtramet. Rom. p. m. 28.* & in *numis* cernes apud VAILLANT *Numiſm. P. II. p. 189.* SPANHEM. *Diſſ. de uſu & præſt. Num. Diſſ. II. p. m. 120.* Similes numi apud BEGERUM, OISELIUM &c. apparent.

Et ſane Meſſias eſt terror hoſtium ſuorum, Hannibal adverſariorum. Ita quando ille ſub V. T. cum arca fœderis, in qua habitabat, in caſtra Iſraelitarum veniebat, trepidabant omnes Philiſtæi. 2. Sam. VI. Unde Exod. XXIII. 27. TERROREM *mei præmittam ante faciem tuam, & proſternam omnes* gentes, *ad quas venies, & omnium inimicorum tuorum exponam tibi cervicem.* Vocatur *Leo ex Juda* Apoc. V. 5. uti Judæi Leonem in Judæ vexillo pictum fuiſſe teſtantur. Eſt Dux exercitus Jehovæ, qui procedit gladio evaginato in hoſtium terrorem Joſ. V. 14. coll. Apoc. VI. 2. Exit inſtar Herois & zelum accingit inſtar Ducis Jeſ. XLII. 13. omnes hoſtes in fugam dat, quando ſurgit Pſ. LXVIII. 1. conf. Exod. XIV. 14. 2 Chron. XX. 15. 18. *Horrendum* enim eſt incidere in manus Dei vivi. Heb. X. 31.

X. e.

X. e. HONORE maximo ac ſæpe DIVINO vexilla ſua venerabantur antiqui, ea adorabant, & tanquam Numina belli colebant, ſummumque & capitale nefas erat, ea violaſſe. HERODIAN. *Lib. IV. hiſt. cap. 4.* ὡς δὲ ἐσέπεσεν εἰς τὸ ϛρατόπεδον, ἔς τε τὸν νεὼν ἔνθα τὰ σημεῖα ϗ ἀγάλματα τῦ ϛρατοπέδυ προσκυνεῖται, ῥίψας ἑαυτὸν εἰς γῆν, ὡμολόγει τε χαριϛήρια, ἔθυέ τε σωτήρια. *Ut autem caſtra attigit, ædiculamque eam, intra quam ſigna & ſimulacra exercitus adorantur, procidens humi quaſi pro ſalute votis ſuſceptis gratias agebat.* Unde TACIT. *Lib. II. Annal. c. 29. Irent, ſequerentur Romanas aves, propria Legionum Numina.* conf. LIPS. *in not. h. l.* SUETON. *in Veſp. Transgreſſus Artabanus Euphratem, Aquilas & ſigna Romana Cæſarumque imagines adoravit.* conf. & SOZOMEN. *hiſt. Eccl. Lib. I. c. 4.* apud DEMSTER. *ad Roſin. Antiq. Lib. X. p. m. 1063.* Illis eapropter & ſacrificia ſæpe offerebant: JOSEPH. *de bell. Jud. Lib. VI. cap. 6. p. m. 391.* Ῥόμαῖοι δὲ καταπεφευγότων εἰς τὴν πόλιν &c. κομίσαντες τὰς σημαίας εἰς τὸ Ἱερὸν, ϗ θέμενοι τῆς ἀνατολικῆς πόλης ἀντικρὺς ἐθυσάν τε αὐταῖς αὐτόθι. *Romani autem, cum in urbem confugiſſent &c. ſignis in Templum illatis, poſitisque contra portam orientalem, & illis ibi ſacrificarunt.* Quare & numos videmus, in quibus altare ad ſigna militaria eſt conſtitutum ubi facrificii ignis ardet. Vide numum expreſſum in *Tab. noſtra n. 5.* ubi Æmilianus Imperator ſignis ſacrificia offerens cernitur.

Multo majori jure honos atque adoratio competit vexillo ſalutis noſtræ unico, Meſſiæ, qui ſupra omnes elatus Deos dictitios gentium dominatur inter hoſtes ſuos Pſ. CX. 2. Illi omnia ſunt flectenda genua eorum qui in cœlis, in & infra tellurem ſunt. Phil. II. 8. 9. omnes creatæ res in cœlo, in terra & mari huic ſoli gloriam ac majeſtatem, imo victoriæ laudem tribuunt Apoc. V. 7. *Nullus tibi par eſt, o Jehova, maximus es, & maximum nomen tuum robuſtiſſimum. Quis non adoret & vereatur te Rex Gentium?* exclamat Eccleſia Jer. X. 6. 7. Ad pedes ejus omnes procidunt hoſtes, illumque adorant Pſ. XLV. 6. In eo ſolo robur ac juſtitia eſt, eique omnia genua incurvantur Jeſ. XLV. 23. 24.

XI. f. DESERERE ſigna militaria turpiſſimum erat ſcelus, infamia notandum, unde miles vitam potius quam ſigna deſerebat, & ſub ſignis *mori* glorioſum maxime erat apud veteres. Huc reſpicit TACIT.

 Annal.

Annal. Lib. 1. cap. 61. & Hiſtor. Lib. II. cap. 12. ait: *Sed primo impetu cæſi disjectique montani, ut quibus temere collectis, non caſtra non Ducem noſcitantibus, neque in victoria decus eſſet, neque in* FUGA FLAGITIUM. Unde SCÆVOLA *J. C. Lib. 45. ex quib. cauſ. major.* ait: *Milites diſcedere a ſignis ſine periculo non poſſunt.* vid. DEMSTER. ad ROSIN. *Antiq. Lib. X. p. m. 1061.* Ita & JUSTIN. *Lib. VIII. cap. 2. Phocenſes in ſignibus Dei conſpectis, conſcientia delictorum territi, abjectis armis fugam capeſſunt, pœnaſque violatæ religionis ſanguine & cædibus ſuis pendunt.* Et ſigna deſerere capitale fuiſſe nefas militibus ex *Tacito & Polybio probat* J. C. HARENBERG. *diſſ. in Gal. III. 1. Bibl. Brem. VIII. p. 412.*

Et ſane majori longe pœna dignus eſt, qui hoc ſalutis vexillum deſerit. Væ illis, qui cum uxore Lothi reſpiciunt! Luc. XVII. 32. qui cum Dema denuo ad mundi caſtra tranſeunt 2 Tim. IV. 10. Qui hoc deſerit ſignum, a Deo quoque derelinquetur, qui hoc abnegat, illius nomen quoque negabitur coram throno Dei. Matth. X. 10. Qui vero omnia deſerit & hoc ſequitur vexillum, omnia hæreditate accipiet & ſedebit in throno ſuo. Matth. XIX. 28. 29. Væ ergo transfugis & ſub hoc vexillo dimicare renuentibus! illis enim coram facie ſua, ut interimantur, aliquando jubebit, & dabit illis partem cum refractariis, ſc. in ſtagno ignis atque ſulphuris Apoc. XX. 15. & qui ſigna beſtiæ & draconis ſecuti ſunt, cum iisdem quoque *calicem iræ divinæ ebibent & cruciabuntur igne & ſulphure coram angelis ſanctis & agno.* Apoc. XIV. 10. Beati autem atque felices ſub hoc vexillo ad ſanguinem uſque & mortem pugnantes, illi coronam vitæ conſequentur Apoc. II. 10. Beati ſub hoc vexillo & in Domino ſalutis mortui, quieſcent illi a laboribus & certamine, & opera ipſorum tanquam victoriæ τεκμήρια ſequentur eos Apoc. XIV. 13.

XII. §. Vexilla quoque poſt certamen peractum erigebantur tanquam *tropæa* & VICTORIÆ ſigna; a vexillo enim victoriam ſperabant, ejus auſpiciis eam ſibi promittebant, hinc inſtar Numinum illud colebant, ut ſupra vidimus. Huc refert MOYNE *in diſſ. ad Jer. XXIII. p. 285.* inſcriptionem altaris יהוה נסי, quod ob victorias de Cananæis reportatas ita denominatum cenſet. Saltem ſigna hoſtibus erepta, tanquam

quam tropæa erigebantur, & triumphum agentibus præferebantur. Unde SPARTIAN. *in Sever. In palatium eodem habitu perrexit*, PRÆLATIS SIGNIS, *quæ Prætorianis ademerat.* Huc reſpicit quoque TACITUS *Lib I. ann. C.59. Cerni adhuc Germanorum in lucis ſigna Romana, quæ Diis patriis ſuſpenderint.* Unde PISCATOR *ad Pſ. XX. 6.* ובשם אלוהינו נדגל *in nomine Dei vexillum erigemus*, explicat. *Vexilla attollemus, i. e. triumphum agemus, nam victores erectis vexillis domum redibant.* vide & BOOT. *Animadv. S. Lib. I. c.3. p. 19.* Unde nummi paſſim cum vexillis, ſymb. victoriæ. Ita apud BEGER. *Theſaur. Num. Imp. Rom. Tab. LXVI. n. 2. 3. 10. 12.* Imperator dextra vexillum, ſiniſtra victoriolam tenens & pedibus barbarum conculcans apparet cum epigraphe: VICTORIA AVGG. & Tab. XLVI. n. 12. VICT. AVG. TR. P. XVIII. IMP. II. COS. III. & apud CHOUL. *Relig. des Anc. Rom. p. 185.* nummus cum vexillo & epigr. cernitur: VICTORIA. AVG. LIB. ROMANOR. Ita & Conſtantinus in nummo apud BEGER. *Tab. LXVI.* cum vexillo & corona cernitur cum inſcr. HOC SIGNO VICTOR ERIS. Et in templis Deorum ſigna ſuſpendebant in ſignum victoriæ, quam Diis gratam referebant, præcipue Martis. Huc refer nummum ap. BEGER. *Tab. XIII. n. 23.* ubi Mars cum ſignis militaribus a Parthis receptis cernitur, addita epigraphe: RECEPTIS SIGNIS; Quia ſigna illa in templo Martis ſuſpenſa erant, teſte *Dione & Ovid.* apud RUBEN. *in Comm. ad* BEGER. *p. 24.*

Et omnis victoria nobis a vexillo ſalutis noſtræ, Jeſu, exſpectanda eſt. Ille eſt gladius victoriæ Iſraelis Deut. XXXIII. 29. Exclamare oportet cum Davide 1 Chron. XXIX. 11. 12. *Tua eſt o Jehova magnitudo, & potentia & gloria, & æternitas ac majeſtas, imo omnia in cœlo ac terra. Tuum Jehova eſt regnum, ut qui te extollis ſupra omnia in caput. Nam divitiæ & gloria a facie tua ſunt, & tu dominium habes in omnia. In manu tua vis ac potentia, in manu tua eſt poteſtas magnificandi & confirmandi quemlibet.* Dextra Dei victrix, dextra Dei elata, dextra Dei victrix eſt Pſ. CXVIII. 15. a Domino hoc omnis victoria pendet. Prov. XXI. 31. Illi quoque ſoli omnis victoria grata eſt referenda. Exclamare nos decet 1 Cor. XV. 57. *Deo ſit gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Ille

le exit & præit populum, ut vincat Apoc. VI. 2. Apoc. V. 5. vicit hic leo de tribu Juda, quare & illi ſoli gloria competit.

XIII. h. Vexilla denique PRAEMII inſtar Ducibus atque militibus ſtrenue pugnantibus donabantur. Huc tendit JUVEN. *Sat.14.*

Ut locupletem aquilam tibi ſexageſimus annus
Adferat.

Et MARTIAL. *Lib. I. ep.32.*

Grata pudens meritis tulerit cum PRAEMIA PILI.

Inſignis hanc in rem eſt inſcriptio, quam legimus in MARMOR. ARUNDEL. p.132.

P. BESIO. P. F. QVIR. BETVVINIANO
C. MARIO. MEMMIO. SABINO
PRÆF. COH. J. RHETORVM. TRIB. LEG. X.
&c. - - - DONIS. DONATO. AB
IMP. TRAJANO. AVG. BELLO. DACICO
CORONA. MVRALI. VALLARI. HASTIS
EXACTI. EXERCITVS. PVR. VEXILLO ARGENT.

Idem ex POLYBIO docet SUIDAS, qui ejus verba citat: τὰς δὲ ἐτίμησε χρυσοῖς ὑφάσμασι καὶ λόγχαις. *Hos vero donavit aureis vexillis & haſtis.*

Electi quoque ſub hoc ſalutis vexillo militantes, eodem aliquando ceu præmio donabuntur. Communio enim cum Servatore ſuo, ſumma eſt felicitas, quam poſt peractum in hac vita certamen nanciſcentur. Hæc eſt corona illa, quam ad mortem fideles adipiſcentur Ap. II. 10. Hæc eſt arbor vitæ, qua vincentes ſatiabuntur Apoc. II. 7. Hæc eſt manna illud abſconditum, quo paſcentur in æternum victores Apoc. II. 17. *Vincenti dabit ſedere in throno ſuo, quemadmodum & ille vicit, ſeditque in throno cum Patre ſuo.* Apoc. III. 21. Unio cum Chriſto ſalutis ſuæ Duce brabeum illud eſt, quod conſequentur, poſtquam ſub illius vexillo ſtrenue contra Satanæ, mundi carnisque machinas pugnarunt. Joh. XII. 26. Rom. VIII. 17.

XIV. Quod reſtat paucis dicamus, quo ſenſu dicatur *conſtitutus vexillum* a MYRIADIBUS מרבבה præfixum מ aliis *cum*, aliis *inter*, aliis *ſuper*, aliis *pro*, aliis *ſupra* redditur. Optimum ſenſum exhibent

verba

verba ſi vertas *a myriadibus* conſtitutus, & ſic vinculum Meſſiam inter & populum ſuum nervoſe exprimitur. Per *Myriades* autem intelligimus Meſſiæ electam cohortem, quam ex Judæis & gentibus conſcripſit & per ſpiritum regenerantem populum peculii conſtituit. Tit. II. 15. vocantur autem myriades; *tum* quia numerum definitum conſtituunt, nomina enim eorum albo cœleſti inſerta ſunt Apoc. III. 5. *tum* quia ingens ipſorum eſt numerus, ſunt 144. millia obſignatorum ex tribubus Iſraelis, & caterva, quæ præ multitudine eſt innumera, ex gentibus omnibus, nationibus & linguis collecta. Apoc. VII. 1-4. 9. 10. *tum* quia certo ordine inſtar copiarum militarium ſub Duce Chriſto diriguntur, exercentur & ſub ejusdem auſpiciis pugnant, quare מדגלים vocantur Cant. VI. 10. coll. Pſ. CX. 3. Ab hiſce myriadibus *conſtituitur* vexillum, ab Eccleſia, quæ comparatur caſtris cum vexillo Cant. VI. 3. quando illum agnoſcunt pro unico ſalutis vexillo, ſub eodem jurant, & ſub ejus auſpiciis pugnam ineunt, omniaque officia præſtant, quæ olim milites ſignis exhibebant, quæ jam ante delineavimus.

XV. O utinam tot miſeri mortales ſub vexillo Ducis tenebrarum hactenus militantes, caſtra Principis horrendi & crudelis desererent & vera fide hunc ſalutis Ducem agnoſcerent, ad ejus caſtra tranſirent, ſub ejus vexillo juramentum fidei ac obedientiæ præſtarent! Pſ. II. 12. O utinam animæ errantes & fugitivæ ad hoc ſignum elevatum in monte Sionis confugerent! Jeſ. XII. 10. Jeſ. XLV. 22. Sub hujus auſpiciis vera & æterna victoria deportari ſolum poteſt. Hic eſt candidus ille & benignus erga transfugas ex caſtris tenebrarum, ille tueri poteſt contra omnes hoſtium ſalutis tentationes. Sub hoc ergo vexillo pugnemus; ſub hoc per Satanæ ac mundi perſecutiones graviſſimas diſſipati colligamur ſpiritu uniti; Sub hujus auſpiciis hoſtibus noſtris terrorem incutiamus animo imperterrito illorum agmina invadentes; Hoc vexillum veneremur, adoremus, illi gloriam victoriæ ac ſalutis tribuamus 1 Cor. XV. 57. Hoc nunquam deſeramus, ſed ad mortem fideles ſub eodem pugnantes tandem brabeum vitæ adipiſcemur. Apoc. II. 10. ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ.

EXER-

EXERCITATIO IV.
DE
LVNA ECCLESIÆ SYMBOLO.
CANTIC. VI. v. 9.

ARGUMENTUM.

§. I. Luna variarum rerum emblema eſt. §. II. Inprimis autem Eccleſiæ, quod probatur. §. III. Per analogias elucidatur. Sc. quoad ejus ſedem in cœlis & cultum divinum. §. IV. Quoad lumen, quod a ſole mutuo accipit. §. V. Quo propior eſt ſoli, eo minus lucet, quod applicatur Eccleſiæ. §. VI. Cujus ſymbolum ſit candor ſeu albus & ſplendidus illius color. §. VII. Exigua apparet in oculis noſtris, revera tamen maxima eſt, quid hoc myſtice innuat. §. VIII. Ortus & occaſus ejus explicatur & applicatur. §. IX. Quid incrementum ac decrementum Lunæ denotet? §. X. Quid Eclipſis ejus ſignificet? §. XI. Quod Regina & Domina cœli. §. XII. Et Dux itineris nautis & viatoribus exiſtat, docetur & applicatur Eccleſiæ. §. XIII. Ejus in terram noſtram influxus elucidatur. §. XIV. Prærogativa ejus præ ſtellis. §. XV. Maculæ ejus diverſæ proponuntur & explicantur. §. XVI. Quid Luna nova? §. XVII. Quid Luna plena ſignificet? inquiritur. §. XVIII. Epilogus practicus adjicitur.

I.

QUando Creator omnipotens cœlum atque terram producebat, ſolem conſtituebat dominum diei & LUNAM *dominam noctis*, ut ita mortales tempora conſtituta & annos diſtinguere noſcent, Gen. I. 14. 18. *Luna* vero, ſidus illud nobile cœli, variarum in ſcriptis ſacris rerum emblema eſt, veluti a) *matris* Joſephi Gen. XXXVII. 9. quam myſtice exponit VITRING. *in diſſ. de myſter. ſomn. Joſeph.* 1695. b) *intellectus* vel judicii humani, uti occurrit in emblematibus Salomonis Eccl.

Eccl. XII. 2. c) *Umbrarum* V. T. atque cultus Levitici, qui maxime ſecundum Lunæ viciſſitudines inſtitui ſolebat; Quando Eccleſia Apoc. XII. 1. *duodecim ſtellis* doctrinæ Apoſtolicæ radians, *lunam ſub pedibus* habere dicitur. d) *Doctorum* & *Principum* Eccleſiæ. vide Apoc. XXI. 23. Jeſ. XXIV. 23. Joel. I. 10. 31. III. 15. Apoc. VI. 12. VIII. 12. & ſive veræ ſive falſæ Eccleſiæ gubernatorum. e) In ſpecie *Turcarum* emblema eſſe Lunam, latius adſtruere conatur S. KOENIG *in Prog. Theol. in* BIBL. BREM. *T. I. f. 11. p. 173.*

II. f. Præprimis autem ECCLESIÆ ſymbolum *Luna* eſt, uti ex Pſ. VIII. 3. LXXXIX. 38. Jeſ. XXX. 26. LX. 19. 20. 1 Cor. XV. 40. apparet. Palmarius locus eſt, qui *CANTIC. VI. 9.* exſtat: *Quis illa, quæ conſpicua eſt inſtar auroræ,* יפה כלבנה, PULCRA INSTAR LUNÆ, *pura inſtar ſolis.* Probant id ex ſcriptis Patrum GRELLOT. *prodrom. Apoc. p. 103.* PICINELLUS *Mund. Symb. Lib. I. c. 8. n. 230.* conf. & DOUTREIN. *de Clangore Evang. diſſ. XII. p. 309.* PIER. *Hierogl. Lib. XLIV. c. 16.* VITRING. *Theol. Symb. Sect. I. c. 2. p. 28.* Sed cum nemo adhuc emblematis hujus analogias exhauſerit, tentemus, an ex ſacris & profanis diptychis illas excerpere queamus.

III. LUNA cœleſte illud ſidus aptiſſimum Eccleſiæ ſeu fidelium in hoc orbe militantium emblema eſt, quod ex variis analogiis diſces.

1. Luna evecta ſupra terram, IN COELO altiſſimo ſedem ſuam, ordinante ſupremo creatore, nacta eſt Gen. I. 14. quare non a Gentibus ſolum ſed & Judæis, idololatriæ deditis, *divino honore* culta fuit, tanquam cœli incola ac præſes. Sic Jeſ. LXV. 11. dicuntur diſpoſuiſſe τῷ *Gad* menſam & libamina miſcuiſſe τῷ *Meni*, per quam phraſin elegantiſſime Lunæ cultum apud Veteres deſcriptum eſſe probat Cel. VITRINGA *Comment. h. l. & Cl.* MILL. *diſſ. Sel. diſſ. 4. p. 81. ſq.* Nec non LAKEMACH. *diſſ. pecul. de Gad & Meni.* HUET. *diſſ. in Orig. Comm. in Joh. p. 109.* Nec עשתרות *Aſtharoth*, quam adoraſſe idololatræ dicuntur Jud. II. 13. 1 Sam. VII. 3. XII. 10. 1 Reg. XI. 5. 2 Reg. XXIII. 13. alia quam *Luna* fuit, uti fuſius probant JURIEU *hiſt. de dogm. & de cult. P. IV. c. 4.* VOSSIUS *Idolol. Lib. II. c. 27.* & præ aliis commemorandus Cel. HASAEUS *Bibl. Brem. Cl. VIII. f. 4. p. 739.* Sabæos quoque Lunam pro Dea habuiſſe, idque ab Adamo didiciſſe, docet

MAIMONID. in מורה נבוכים *p. III. c. 29.* apud MILL. *in diſſ. Sel. p. 115.* Quare & GRUTERO *Theſ. Inſcr. p. 59.* ΘΕΑ ΠΑΝΤΑΓΑΘΟΣ, *Dea undiquaque bona*, vocatur. Arabes quoque eandem coluerunt, unde ירחים a ירח Luna dicti, ut probat BOCHART. *Geogr. S. L. II. c. 9. p. m. 124.* Ita etiam Iſmaëlitæ שהרונים Lunulas in ornamentis habebant, in honorem Deæ Lunæ. Jud. VIII. 21. Eandem Gentibus ſub nomine *Iſidis*, *Rheæ*, *Veneris*, *Dianæ* &c. cultam fuiſſe, notius eſt, quam ut moneamus, & ubique docent Mythologi.

Eccleſia quoque Dei cœleſtem habet originem, eſt Hieroſolyma illa, quæ de cœlo deſcendit. Apoc. XXI. 10. a Deo *collocata in cœlis in Chriſto Jeſu*, ut emphatice loquitur Apoſtolus Eph. II. 6. ejus πολίτευμα eſt in cœlis Phil. III. 20. evecta ſupra tellurem & omnia terrena cœli beatas ſedes appetit, & alis fidei ac ſpei attingit, cœleſtia quærit Col. III. 1. 2. alis aquilarum in altum rapta Jeſ. XL. ult. Unde & *divinæ* quaſi naturæ particeps eſt. 2 Pet. I. 3. & divini generis Act. XVII. 29. utpote cum Sponſo cœleſti arctiſſime unita ejusdem quoque cum eo Spiritus eſt particeps 1 Cor. VI. 17. Hoſ. II. 19. 20. & per regenerationem imago divina imprimitur electis, & ſanctitate & juſtitia cœleſti ornantur Eph. IV. 24.

IV. Luna 2. in ſe corpus eſt OPACUM ac rude, ſed *lucem a ſole* mutuatam *accipit*, inque eo diſtincta eſt a reliquis ſideribus, ſole & ſtellis fixis, propria luce radiantibus. Sic Luna loquens introducitur apud LUCIAN. *Jearomenipp. T. II. opp. p. m. 290.* τὰ τελευταῖα δὲ, καὶ τὸ φῶς αὐτὸ κλοπιμαῖον τε καὶ νόθον εἶναί φασί μοι, ἄνωθεν ἧκον παρὰ τοῦ Ἡλίου. *Poſtremo ipſum quoque lumen ajunt mihi & furtivum eſſe & nothum, quod a ſole ſuperne proficiſcatur.* PHILO quoque *Lib. de ſomn. Opp. p. m. 455.* Σελήνη γὰρ τὰ δευτερεῖα τοῦ Ἡλίου φερομένη, καταδύντος ἐκείνου, φῶς ἀμυδρότερον ἐπὶ τῆς γῆς ἀποστέλλει. *Luna enim ſecundum luminare a ſole, poſt illius occaſum, lumen in terram mittit debilius.* Eleganter VIRGIL. *Lib. I. Georg.*

Nec fratris radiis obnoxia ſurgere Luna

ubi SERVIUS: *nam a ſole, ut ajunt Phyſici, accipit lumen*, & ad VIRG. *Æn. lib. IV.*

- - - *lumenque obſcura viciſſim*
Luna premit.

com-

commentatur: *quum per ſe Luna corpus opacum ſit, unde Luna lux aliena dicitur, a ſole enim lumen accipit, unde & Græcis* Σελήνη *quod* σέλας *i.e. lumen habeat* ἄνω *ſuperne i.e. a ſole.* Idem hodierni docent Philoſophi. vid. CARTES. *Princ. Philoſ. P. III. p.52.* CHAUVIN. *Lex. Philoſ. voc. Luna.* NIEUWENTYD *Werelt beſchouwing. c. XXV. §. 56.* aliosque.

Hoc Eccleſiæ applicant Patres. AUGUST. *in Pſ. X. Luna,* inquit, *intelligitur Eccleſia, quod ſuum lumen non habeat, ſed ab unigenito Dei Filio, qui multis locis in Scripturis Sanctis, allegorice Sol appellatus eſt, illuſtratur.* HIERON. *in Comm. ad Marc. XIV. Luna Eccleſia merito comparatur, quæ non habet ſplendorem, ſed a ſole certis modis ſuſcipit lumen, i. e. a Chriſto, qui permanet in æternum.* conf. & AMBROS. *lib. IV. Hexaëm. c. 8.* Nimirum Eccleſiæ ſtatus naturæ & gratiæ eleganter heic depingitur. Natura omnes electi ſunt peccatores impuri, filii tenebrarum, & tenebræ ipſæ. Eph. IV. 17. 18. Cap. V. 8. alieni a Deo, qui ſolus eſt Lux vera, ſunt extra communionem lucis inacceſſæ. Sed per juſtificationem luce juſtitiæ Filii Dei colluſtrantur, qui eſt Sol juſtitiæ Mal. IV. 2. Omnis lux cognitionis, gratiæ, ſanctitatis ac lætitiæ ſpiritualis, quam Eccleſia poſſidet, a ſolo Patre luminum deſcendit, qui lucem inacceſſam habitat, & apud quem nulla eſt transmutatio Jac. I. 17. Sicque lux fiunt in Domino Eph. V. 8. & luce ſanctitatis, quæ radios ſolis juſtitiæ debetur, radiant Eph. V. 9. 1 Theſſ. V. 5.

V. Luna 3. radios lucis mutuo acceptæ POST SOLIS DISCESSUM maxime ſpargit, & quo *propior eſt ſoli,* eo minus lucet, deque eo clarius tenebræ ejus manifeſtantur. Id eleganter exprimit BILLIUS *in Anthol.*

Quo magis a Phœbo diſtat ſoror, hoc mage nobis
Fulget & a ſupera lumine parte caret.
Cum vero Fratri juncta eſt, non lucida nobis
Illa quidem eſt, ſupero fulget ab orbe tamen.

BOETIUS *de Conſ. Philoſ. Lib. I. metr. 5.*

Phœbo proprior lumina perdit.

Hoc Eccleſiæ vario ſenſu applicatur a Patribus. ORIGIN *homil. in Ezech. ut ſplendor Lunæ, & micantia cœli ſidera, priusquam ſol oriatur,*

tur, in ſtationibus ſuis rutilant, orto vero ſole abſconduntur. Sic lumen Eccleſiæ & lumen Lunæ, priusquam oriatur lumen illud verum ſolis juſtitiæ, reſplendet & clarum eſt ante homines. Cum autem Chriſtus venerit, ante eum contenebreſcit. Et AUGUSTIN. *Annot. in Job. XXV.* „Tanto magis luna lucet, terrenis aſpectibus, quanto magis recedit a „ſole. Cum autem propinquat ſoli, intermittitur a terris. Intelligamus animæ divinitus præcipi, ut luce ſecretiſſima exultans, caveat „facere juſtitiam ſuam coram hominibus, ut videatur ab eis, ſed cum „gloriatur, in Domino glorietur.

Verum ex noſtra mente hæc Lunæ proprietas nos docet, quod poſt ſolis juſtitiæ diſceſſum, ejusque ad Patrem abitum, Eccleſia puriori doctrinæ, gratiæ, ſanctitatis ac lætitiæ luce fuerit colluſtrata, nam poſtquam diſceſſit ex terris & abiit ad Patrem, ſpiritum lucis miſit ad electos, & radiis lucis ſuæ æternæ, quam apud Patrem poſſidet, reflexis illuſtrat Eccleſiam. conf. Joh. XIV. 26. XVI. 7. Luc. XXIV. 49. Act. II. 33. Et quo propior ſol juſtitiæ radios ſuos in electos conjicit, eo magis miſeria ipſorum, inopia & natura tenebris obnoxia detegitur Apoc. III. 18. Eph. I. 17.

VI. Luna 4. CANDIDA, *pura, lucida* apparet, quando luce ſolis radiat. Color candidus & purus lunæ maxime celebratur apud veteres. Sic OVID. *in Epiſt. Leandr. v. 67.*

Quanto cum fulges radiis argentea puris,
Concedunt flammis ſidera cuncta tuis.

MOSCHUS *Idyll. VI.*

- - - χρύσεον φαὸς Ἀφρογενείας.
AUREA *lux Veneris.*

THEOCRIT. *Idyll. II. v. 10.*

φαῖνε καλὸν, τὶν γὰρ ποταείσομαι ἅσυχα Δαίμων.
Luceas pulcre, ad te enim carmina, o Dea, placide convertam.

Quare קרנים *cornua* Lunæ tribuuntur, quibus ſplendor ejus eximius exprimitur, uti faciei Moſis Judæi cornua, i.e. coruſcationes tribuunt. vide DEYLING. *Obſ. S. Lib. III. obſ. 8. p. 86.* Sic LUCAN. *Lib. II.*

Lunaque non gracili ſurrexit lucida CORNU.

HO-

HORAT. *Epod. Carmen Secul.*

Siderum Regina BICORNIS audi.
Luna puellas.

VALER. FLACC. *Argon. Lib. IV.*

- - - plenæ referentem CORNUA Lunæ.

Rationem reddit GODWIN. *in Moſ. & Aaron.* Lib. IV. c. 6. *quia Lunæ radii cornutum quaſi ejaculantur ſplendorem.* Unde & עשתרות Luna a luce & ſplendore dicitur, uti fuſe ac erudite probat Cl. HASÆUS *Bibl. Brem. VIII. p. 737.* & JURIEU *hiſt. de dogm. & cult. P. IV. c. 4.*

Et Eccleſia pura eſt atque candida, quando radiis Solis juſtitiæ eſt colluſtrata. Chriſtus enim amavit Eccleſiam, ſeque pro ea tradidit, ut eam *ſanctificaret* & *purgaret*, accenſam ſtudio bonorum operum Tit. II. 14. *Ut ſibi ipſi ſiſteret cœtum glorioſum, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, ſed ſit ſancta & inculpata.* Eph. V. 27. Electa eſt, ut eſſet *ſancta* & *inculpata* in amore Eph. I. 4. inculpata eſt in *ſanctitate* coram Deo & Patre 1 Theſſ. III. 13. *Conformis* lucidæ *imagini Filii Dei* Rom. VIII. 29. *abluta*, *ſanctificata*, juſtificata per nomen Jeſu Chriſti Domini & per ſpiritum Dei noſtri. 1 Cor. VI. 11. Et licet lux hæc Eccleſiæ ſæpe adhuc tenebris obnoxia ſit, lucebit tamen aliquando plenis radiis, quando anima ſimul atque corpus cœleſti lumine ſanctitatis atque gloriæ illuſtrabitur. Phil. III. 21. 2 Cor. III. 18. 1 Cor. XV. 41.

XII. Luna 5. in oculis noſtris exigua apparet, ſi non aſpectu terræ noſtræ conferatur, maximæ tamen eſt magnitudinis, quæ oculos noſtros fugit ob diſtantiam Lunæ remotiſſam a tellure noſtra. CARTES. *Princip. Philoſ. l. c.* teſtatur magnitudinem Lunæ telluris noſtræ magnitudinem fere exæquare. NEUWENTYD *Werelts Beſch. XXV. Betrach. p. m. 672.* Lunam quinquagies minorem ſtatuit terra noſtra. & WHISTON *Prælect. Phyſ. p. 292.* diametrum Lunæ 2175. milliaria Anglica continere aſſerit. Vel uti idem G. WHISTON *in Nova Theoria telluris p. 159.* ſupputat 2225. milliaria comprehendit, unumquodque vero milliare continet quinque millia pedum Pariſinorum. Adeoque licet luna minima appareat, φάσει ſua oculos noſtros feriente, revera tamen eſt maximi ambitus, & corpus ſat amplum.

Et Eccleſia Dei parva, exigua, contemta apparet in oculis hominum terræ & rebus terreſtribus inhiantium, quare vocatur grex *parvus* Luc. XII. 32. pauper & exilis populus, qui confidit in nomine Jehova. Zeph. III. 12. Eſt inſtar tugurii in vinea, & inſtar caſulæ in cucumerario. Jeſ. I. 8. Electorum enim eſt numerus exiguus Matt. XXII. 14. & quoniam diſſipati per totum orbem, pauci ſæpe & exigui apparent. Nihilominus ſi oculo fidei eam conſideres ſat magna eſt & ampla; quare myriades vocantur ejus membra Cant. V. 10. Magna cohors, quæ numerari non poteſt ex omnibus nationibus & populis, præter 144. millia obſignatorum ex tribubus Iſraelis Apoc. VII. 4. 9. Glorioſa quoque eſt in oculis Dei, quæ eam magni habet & æſtimat Cant. VI. 8.

VIII. 6. Luna perpetuo IN MOTU circa axin ſuam agitur & rotatur, *oriri* & *occidere* dicitur, & quando in noſtro horizonte diſparet, in inferiore lumen ſpargit, atque ita in circulo ſuo perpetuo oberrat. Recte ergo VIRGIL. *Æn. Lib. I. v. 746.*

Hic canit ERRANTEM LUNAM, ſolisque labores. Unde LUCIAN. Δις κατηγ. *T. II. app. 304.* ὁ μὲν ἥλιος ὅυτοσι ζευξάμενος τὸ ἅρμα πανημέριος τὸν ὀυρανόν. Ἡ Σελήνη δὲ ἄγρυπνος καὶ αὐτὴ περιέρχεται. *Sol quidem juncto curru totam diem cœlum circumvagatur. Luna autem inſomnis & ipſa circumerrat.* Unde currum ipſi tribuunt Poëtæ: VIRGIL. *Æn. Lib. X. v. 215.*

- - - almaque curru
NOCTIVAGO Phœbe medium pulſabat olympum

Æneid. Lib. V.

Et nox atra polum bigis ſubvecta tenebat.

Vide SERVIUM & TAUBMANN. *in Comment. ad h. l.* Huc refer nummum ap. OISEL. *Tab. L. n. 1.* ubi Luna bigis recta apparet cum epigraphe: LUNA LUCIFERA S. C.

Eccleſia quoque militans hoc reſpectu Lunæ eſt ſimillima. In hoc orbe vaga eſt & peregrina; *non enim habemus heic civitatem ſtabilem ſed futuram illam anhelamus* Heb. XIII. 14. Omnes ſumus *hoſpites* atque *viatores* in hoc orbe oberrantes, quibus nullum fixum eſt domicilium. Pſ. CXIX. 19. 1 Chron. XXX. 15. Pſ. XXXIX. 13. Aufugimus re ente ſeu avolamus, ævo noſtro exciſo Pſ. XC. 10. *Oritur* Eccleſia in uno loco & *occidit* in altero, ſæpe enim perſecutionibus gravioribus can-

candelabrum movetur ex uno loco in alterum Apoc. II. 5. uti omnium temporum docuit experientia. Quales in Aſia minori Eccleſiæ non floruere nobiliſſimæ? ſed in eadem jam occidit hæc Luna, ſpiſſisque jam tegitur tenebris. In vicina Gallia dudum radios ſpargebat Luna hæc coruſcos maxime & fulgentes, jam occidit ibidem. Occidit quoque in Bohemia, occidit in vallibus Sabaudiæ, reliquisque regionibus, ubi olim lucebat egregie.

IX. 7. Lunæ maxima eſt *viciſſitudo*, CRESCIT, DECRESCIT, minuitur atque augetur, ſed non natura ſua ſed φάσει tantum & luce ſua, quam a ſole acceptam orbi obſcuro communicat, ſemper tamen ille manet quoad eſſentiam ſuam immutabilis, & nunquam perire aut perdi poteſt. Huc reſpicit CLAUDIAN. *Epith. Hon.*

Hæc modo creſcenti par altera Lunæ.

SEDUL. *Lib. I. de Idol. cult.*

Sed Lunæ quoque vota ferunt, quam CRESCERE cernunt,
Et MINUI, ſtellisque litant.

SIDON. APPOLLIN. *Carm. XV. v. 41.*

Quid noctis lucisque vices, quid menſtrua LUNÆ
INCREMENTA parent, totidem cur damna ſequantur.

Unde & PLUTARCH. *in Sympoſ.* Καὶ πῶς σύμμετρον ὑφήνω, νῦν μὲν γὰρ ὁρῶσε πανσέληνον, αὖθις δὲ μηνοειδῆ, ποτὲ δε ἀμφίκυρτον. *Quomodo congruum poſſim cum te jam plenam, mox in cornua attenuatam, rurſus dimidio orbe videam.* Ita & CORIPP. AFRIC. *L. II. n. 2.*

- - - cornua Lunæ
Paulatim MINUI, paulatim CRESCERE juſſit.

Conf. HORAT. Lib. IV. od. 7. Aul. GELL. noct. att. L. XX. c. 7. LUCIAN. *Jcaromenipp.* opp. T. II. p. 290. & DEMST. ad ROSIN. *Antiq. L. II. c. 8. p. m. 168.*

Hoc applicatur Eccleſiæ apud HIERON. *in Eſ. LXVI. Tropologiæ,* ait ille, *poſſumus dicere Eccleſiam, quæ pace & perſecutionibus creſcit & decreſcit, & oppreſſa tentationum tenebris rurſus priſtinum lumen aſſumit, habere ſplendorem a ſolo juſtitiæ.* In מדרש תהלים quæritur, quare Iſrael comparatur cum Luna: שהיו חסרים כלבנה שהוא חוסרת בכל חדש וחדש *quoniam inſtar Lunæ deficiunt ſingulis menſibus.*

Sane

Sane Eccleſia Lunæ inſtar creſcit, decreſcit, minuitur & augetur quoad externos in orbe confeſſores, & mox pluribus mox paucioribus conſtat membris. Unde vulgaris illa ſententia.

Sanguine fundata eſt Eccleſia, ſanguine crevit,
Sanguine ſuccrevit, ſanguine finis erit.

Creſcit illa in cognitione, amore, fide, ſpe, variisque fructibus Spiritus, idque in capite Chriſto Eph. IV. 15. a quo ceu ſole incrementum lucis accipiunt, *donec perveniant in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum adultum, ad menſuram plenæ ſtaturæ Chriſti.* Eph. IV. 13. Corroborantur per Spiritum ejus in homine interiore, & in charitate radicati & fundati, *impleantur ad omnem uſque plenitudinem Dei.* Eph. III. 16-19. *Creſcunt* inſtar recens natorum per lac illud ἄδολον veritatis 1 Pet. II. 5. *Creſcunt* inſtar ſalicum inter gramina, ad rivos aquarum Jeſ. XLIV. 3. *Decreſcit* φάσις hujus Lunæ myſticæ per remiſſionem zeli, fidei ac amoris. Apoc. II. 5. *Momento unde excideris, & reſipiſce & prima opera perage*, quando manus habet remiſſas & genua mutantia, quæ corroboranda. Heb. XII. 12. *Decreſcit* per tentationes ſatanæ, perſecutiones hoſtium veritatis & judicia Dei graviora. Quando Beſtia, ebria ſanguine teſtium veritatis, multa millia trucidat & e medio tollit; qualis Eccleſia tempore perſecutionis Jeſabelis, quando Elias ſe ſolum ſupereſſe exiſtimabat, & non niſi ſeptem millia in innumera Iſraelis multitudine ſupererant, qui genua Baali non incurvarant, & ex quibus vera Eccleſia conſtabat. Rom. XI. 3. 4. 1 Reg. XIX. 10. 18. Huc refer querelam Eccleſiæ Pſ. XII. 1. *Exſere ſalutem o Jehova, deſierunt benefici, defecerunt veraces ex filiis hominum.*

X. 8. ECLIPSIS LUNÆ maxime eſt notanda, quæ ſæpius accidit, & qua vel pars ejus tertia vel quarta, vel dimidia obſcuratur. Quando nimirum tellus noſtra ſitu directo inter ſolem & lunam conſtituitur, atque ita Luna per intervenientem tellurem radios ſolis mutuare prohibetur, quæ paſſim apud Philoſophos explicatur. Antiqui *languere* Lunam credebant, quare æris tinnitu illam excitabant. JUVEN. *Sat. VI.*

Tot pariter pelves & tintinnabula dicas
Pulſari, jam nemo tubas atque æra fatigat,
Una LABORANTI poterit ſuccurrere LUNÆ. TACIT.

TACIT. *Lib. I. Annal. c. 28. Nam LUNA clariore pæne cœlo LANGUESCERE viſa. Igitur æris ſono, tubarum, cornuumque concenta ſtrepere &c.* Vide LIPS. *in Comm.* ad h. l. Incantatam a veneficis Lunam credebant, quo reſpicit CLAUDIAN. *in Ruff. L. I.*

- - - novi quo Theſſala cantu
Eripiat lunare jubar.

Plura loca coacervata leges apud LAMPE *de Cymb. Vet.* L. III. c. XI. p. 345. KIPPING. *Antiq. Rom.* L. I. c. 2. LOMEIER *de Luſtrat. Vet. Gent. cap. X. p. 66. & cap. XXV. p. m. 237.* ROSIN. *Antiq. cum not. Demſt. Lib. II. c. 8. p. m. 66.* In *eclipſi* autem Luna *rubere* dicitur. Sic SENECA *in Hippolyt.*

Et nuper RUBUIT, nullaque lucidis,
Nubes ſordidior vultibus obſtitit.
At nos ſoliciti lumine turbido
Tractam Theſſalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus.

Huc alluditur *Joel. II. 31.* Sol ipſe vertetur in tenebras, & LUNA IN SANGUINEM. Et Apoc. VI. 12. Et LUNA *ἐγένετο ὡς αἷμα, facta eſt ut* SANGUIS. Obſervat id KIMCHI *ad Joel. l. c.* כשהיה הקדרות שלם יהיה הירח שחור וכשלא יהיה הקדרות שלם יהיה אדום כדם *Quando Eclipſis eſt perfecta, luna eſt nigra, quando autem Eclipſis eſt imperfecta, RUBET inſtar SANGUINIS.* Conf. POCOK. *not. in Joel. p. 247.*

Hanc Lunæ Eclipſin myſtice explicant Patres. AMBROS. *Lib. IV. Hex. cap. 2.* „Eccleſia tempora ſua habet perſecutionis & pacis, nam vi„detur ſicut LUNA DEFICERE, ſed non deficit, obumbrari poteſt, „deficere non poteſt. Quia aliquorum quidem in perſecutionibus di„ſceſſione minuitur, ut Martyrum confeſſionibus impleatur, & effuſi „pro Chriſto ſanguinis clarificata victoriis, majus devotionis ſuæ & fidei „toto orbe lumen effundat. Aliter JUST. LIPS. *Miſc. Cent. Ep. 49. Sicut interjecta terra Luna lumen a ſole amittit, ſic animus obnubilatur, interventu rerum viliorum.* Sane *Eclipſin* patitur *Eccleſia*, quando terrenis nimium intenta rebus a ſole juſtitiæ recedit. Mundus cum concupiſcentiis & vanitatibus ſuis eſt Deo inimicus, qui ergo ejus pro-

piorem colit amicitiam; alienus eſt a Sole juſtitiæ, ejusque lumine illuſtrari nequit 1 Joh. II. 15. 16. Matth. IV. 24. Rom. VIII. 7. quare terra & omnia terrena pedibus ſubjicienda ſunt, & animus alis aquilarum ad propiorem cum Sole ſalutis communionem anhelare debet. Qui enim cum Dema amore mundi capitur, Chriſtum derelinquit 2 Tim. IV. 10. *Eclipſin* quoque patitur Eccleſia in gravioribus perſecutionibus, ita ut *rubeat ſanguine martyrum*, tunc enim pars externorum confeſſorum lumen veritatis abnegat Matth. X. 11. alii fugantur & in ſpeluncis occulti latent pro tempore, Heb. XI. 38. atque ita lumen ſub modio ponunt, quia non lucet in oculis mundi Matt. V. 15. 16. non tamen exſtinguitur, ſed poſt eclipſin hanc denuo novis radiis protruditur. Jeſ. LX. 1. 2.

XI. Luna 9. *dominium* NOCTIS nacta eſt, a Creatore enim poſita eſt לממשלת הלילה Gen. I. 14. quia *noctu lucem* ſuam ſpargit, *tenebras*que *pellit*, unde ABENSIAL ASSEMONI *de ſect. Relig. in Oriente* teſtatur apud MILL. *diſſ. ſel.* 4. *pag.* 99. لانها السيده وملكة الليل quod *Domina ſit & Regina noctis*. SENECA *in Hippolyt. v.* 411. vocat *decus noctis:*

O magna ſylvas inter & lucas Dea,
Clarumque cœli ſidus, & NOCTIS decus.

Conf. SERVIUM *ad Virgil. Æn. Lib. V.*

Et Nox atra polum bigis ſubvecta tenebat.

Recte quoque PHILO *de Opific. Mund. p. m.* 9. τȣ δὴ δύμπαντος χρόνȣ διανεμηθέντος εἰς δύο τμήματα, ἡμέραν δὲ ϗ νύκτα, τῆς μὲν ἡμέρας τὸ κράτος ὁ πατὴρ ἀνεδίδȣ ἡλίῳ, οἷα μεγάλῳ βασιλεῖ, τῆς δὲ νυκτὸς, Σελήνῃ ϗ τῷ πλήθει τῶν ἄλλων ἀςέρων. *Cum univerſum tempus diſtributum ſit in duas, diem & noctem, diei præfecit pater ille ſolem tanquam magnum regem, nocti vero Lunam cum ſtellarum reliquarum multitudine.*

Eccleſia quoque eſt Domina & Gubernatrix *Noctis*, quia ex tenebris erepta & a Principe caliginis ejusque poteſtate ac dominio liberata, jam *tenebris* dominatur per lucem a Sole juſtitiæ conceſſam. Antea erant *tenebræ*, jam Lux in Domino. Eph. V. 8. quare triumphat Eccleſia de inferorum portis & ſtatu tenebrarum, quia principi caliginis omnis

in

in eam poteſtas eſt ademta Matt. XVI. 18. Rom. XVI. 20. Jeſ. IX. 1. *Filii lucis* ſunt, cum tenebrarum operibus nullum ipſis eſt commercium 1 Theſſ. V. 15. *arma lucis* gerunt, quibus tenebrarum & inferorum tentamen deſtruunt. Rom. XIII. 12. Eph. V. 11. *Lucent inſtar luminaris* in orbe hoc perverſo, tenebris peccati & indurationis obſito. Phil. II. 12. Matt. V. 16.

XII. Luna 10. NAUTIS per profundiſſimos Oceani abyſſos, per Syrtes & arenas, per tumidos æquoris fluctus, & VIATORIBUS per loca inculta, hoſpida ac horrida deſerta, DUX ITINERIS eſt atque phosphorus, ne ad ſaxa arenasve allidant naves, aut in pericula incidant ambulantes. Eleganter loquitur LUCIAN. *Opp. T. II. p. 290.* quando Lunam loquentem introducit: Καὶ ὁι μὲν κατοικεῖσθαι τέ με φασίν· ὁι δὲ κατόπτρου δίκην ἐπικρέμασθαι τῇ θαλάσσῃ. *Tum hi me dicunt inhabitari, Illi, ſpeculi inſtar ſupra mare ſuſpenſam eſſe.* VIRGIL. *Lib. II. Æn. v. 215.*

Jamque Argiva phalanx inſtructis navibus ibat,
A Tenedo, tacitæ per amica ſilentia lunæ,
Litora nota petens.

Valer. FLACC. *Argon. Lib. II. v. 288.*

- - - *& canis urebat Luna pruinis*
Huc genitorem altæ per opaca ſilentia noctis
Præcipitem rapuit.

Quare luna minus lucente iter eſt periculoſum. VIRGIL. *Lib. VI. æn. v. 271.*

Quale per incertam Lunam ſub luce maligna
Eſt iter in ſylvis, ubi cœlum condidit umbra
Jupiter.

Talis quoque Lux in hoc orbe eſt Eccleſia. Recte hoc explicat GREGOR. *in Cant. VI.* „Luna, dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiatur, demonſtrat. Sic anima quoque „quæ tenebras dimittit & in ſanctam operationem ſe extendit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quaſi lucem tenebreſcentibus „oculis ſpargit. Dum enim peccantes bonum opus aſpiciunt, & ad idem „faciendum ſe convertunt, quaſi errantes in nocte per lucem Lunæ ad „vitam redeunt.„ Et ſane Eccleſia, quæ non ſolum inſtar candelabri

aurei lumen veritatis in ſinu ſuo gerit Apoc. I. 20. ſed & luce ſanctitatis & virtutum Chriſtianarum inſtar facis rutilat Matt. V. 14. Lunæ inſtar lucet in obſcuro hoc orbe. Lux enim veritatis, quam in ſinu fovet, eſt lucerna pedum & luminare in via Pſ. CXIX. 105 lucet in loco obſcuro 2 Pet. I. 19. oſtendit viam per deſertam hujus mundi ad Domum Dei Jacob, ita ut in ejus luce ambulent. Jeſ. II. 5. Lux vitæ inculpatæ & virtutum ſanctarum, quæ ab Eccleſia emicat, exemplar eſt, ſecundum quod alios in tenebris errantes iter inſtituere oportet. Matt. V. 16. *Ita ſplendeat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera, & patrem veſtrum glorificent, qui eſt in cœlis conf. 1 Pet. II. 12.* Et hoc lucis exemplar qui ſequitur, omnes tentationum ſyrtes evadet, & ad ſaxa non allidet, ſed tuto ad portum adpellet.

XIII. Luna II. INFLUXUM in TERRAM habet atque in MARE. In terram ejusque plantas atque incolas, unde alma *Mater* & *Nutrix* dicitur & hominum naſcendorum Præſes conſtituitur apud antiquos. In *Mare* vero, quia ejus fluxum atque refluxum ex Lunæ motu derivant plurimi. *Matrem* ac nutricem telluris habitam fuiſſe Lunam, docet PLUTARCHUS *de Iſid. & Oſirid. p. 367.* Τὴν μὲν γὰρ Σελήνην γόνιμον τὸ φῶς καὶ ὑγροποιὸν ἔχουσαν εὐμενῆ καὶ γοναῖς ζώων καὶ φυτῶν εἶναι βλαστήσεσι. *Lunam quidem genitabile & humectans lumen habere, benignam eſſe & animalium procreationi & ſtirpium pullulationi.* Ita Iſis cernitur in nummo Juliani, cum inſcriptione: VOTA PUBLICA. ſc. mulier ſinu exceptum gerens filium Orum, & diſtentis mammis eum lactans, per quam Lunam, mundum influxu ſuo fœcundantem, intelligi docet OISEL. *in Numm. p. 268.* Unde & ΜΗΤΗΡ ΚΟΣΜΟΥ ibidem dicitur i. e. MATER MUNDI. Babyloniis, teſte *Herodoto* MYLITTA i. e. ܡܘܠܕܬܐ *Genetrix* dicitur. Unde & in nummo ap. VAILLANT. p. 183. VENUS GENETRIX vocatur. Egregius quoque locus eſt, quam MILLIUS *in diſſ. ſel.* in addend. adducit ex MOR ISAAC *Syro in Coſmograph. Syr.* ܐܣܛܪܘܬ ܗܝ ܟܘܟܒܐ ܗܝ ܕܡܢ ܫܒܥܐ ܛܥܝܐ ܡܬܩܪܝܐ
ܡܘܠܕܬܐ ܐܘ ܡܝܠܕܢܝܬܐ ܘܡܪܒܝܢܝܬܐ ܕܟܠܡܕܡ *Aſtaroth eſt ſidus a ſeptem errantibus vocatur etiam genetrix & obſtetrix, eo quod quaſi mater omnium rerum ſit, omnium productrix, omnium hujus univerſi nutrix & conſer-*

ſervatrix. Et *Diana*, quæ eadem cum Luna, hanc ob cauſam πολύμαςος MULTIMAMMIA fingitur, uti paſſim in nummis cernitur, quia omnium rerum alma nutrix credebatur. Conf. HASÆUM *diſſ. de Aſtaroth.* BIBL. BREM. *Cl. VIII. p.* 734. KIRCHER. *Mund. Subterr. p. I. p. m.* 62. Et *Maris æſtum* Lunæ motui tribuunt antiqui. Unde GELL. *Lib. XIV. c.* 1. *Æſtas Oceani cum lunæ curriculo congruit.* SOLIN. *in Polyb. c.* 26. *At ii, qui ſiderum ſequuntur diſciplinam, contendunt meatus iſtos commoveri Lunæ curſibus.* LUCAN. *Pharſal. v.* 216.

- - - ut Oceanus Lunaribus incrementis
Juſſus adeſt.

CLAUDIAN. *de Honor. Conſ.*

- - - Nudataque litora fluxu
Deſerit oceani Lunaribus æmula damnis.

Vid. & DEMST. *ad Roſin. Lib. II. c.* 8. DEYLING. *Obſ. S. Lib. III. Obſ.* 5. *p.* 58. KIRCHER. *Mund. ſubterr. P. I. p.* 63. ut recentiores taceam. Utrumque eleganter conjungit HESIOD. *Theog. v.* 411.

Μοιρᾶν ἔχειν γαίης τε καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης
Ut poteſtatem habeat & TERRÆ & MARIS infrugiferi.

Eccleſiæ quoque ceu Lunæ myſticæ terræ mariſque competit dominium. Illa alma *Mater* eſt & *Genetrix*, quo nomine haud raro in ſcriptis ſacris dicitur. Gal. IV. 26. ΜΗΤΗΡ ΠΑΝΤΩΝ ΗΜΩΝ. *Mater noſtrûm omnium.* Conf. Hoſ. II. 2. 5. IV. 5. Jeſ. L. 1. ita Cant. I. 6. *filii Matris meæ.* Cant. III. 4. *introducam te in domum Matris meæ, & in conclave Genetricis.* Quare Eva typus Eccleſiæ, vocata חוה, quæ MATER VIVENTIUM explicatur. Gen. III. 20. Et Patribus ſæpe *Mater* dicitur, ut docet Cel. LAMPE *Pſ. XLV. p.* 562. Omnia enim membra Eccleſiæ ex eadem ceu Matre procreantur. Conf. Jeſ. LIV. 1. XLIII. 5. Pſ. CXLIV. 12. CXLIX. 2. & *ſugunt ubera* conſolationum Jeſ. LXVI. 2. Cant. IV. 5. VI. 23. Dominium quoque *Maris* myſtici convenit Eccleſiæ, utpote domina gentiliſmi eſt conſtituta, præcipuo ſub N. T. Quemadmodum Chriſto Mare & tellus ſubjecta ſunt Apoc. X. 5. Pſ. LXXII. 8. LXXXIX. 26. ita & Eccleſiæ, quæ cum ipſo dominatur, dominium in flumina terræ i. e. Gentiliſmum conceſſum eſt Zach. IX. 10. præcipue, quando luce hujus lunæ colluſtrabantur illi, qui in valle mortis caliginoſa ſedebant.

Jeſ. IX. 1. 2. & *poteſtatem accepit in Gentes, ut regat eas virga ferrea.* Apoc. II. 26. 27.

XIV. Luna 12. REGINA conſtituta eſt aſtrorum & reliquarum ſtellarum. Quare Jer. VII. 18. מלכת שמים *REGINA COELI* dicitur, & *Beliſama*, quaſi בעלת שמים. *Domina cœli*, ut docet Cel. HASÆUS. *diſſ. de Aſtharoth. l. c.* & Turcis ملكة سما *Regina cœli* vocatur. Et in genere REGINA, apud GRUTER. *Inſcript. p. 28.*

FORTVNÆ
REGINÆ
AVG. MARCIVS
V. S. L. L. M.

conf. *Mill. diſſ. Sel. p. 116.* FRISCHMUTH. *diſſ. de Regina cœli p. 6. ſq.* URSIN. *Anal. P. II. Lib. II. p. 101.* HERODIAN. *Lib. V. cap. 6.* teſtatur, quod Phœnices eam ΑΣΤΡΟΑΡΧΗΝ vocent. HORAT. *Epod. Carm. Secul.*

SIDERVM REGINA bicornis audi
LVNA.

CLAUDIAN. *de Prob. & Olib. Conſ.*

Haud ſecus ac tacitam LUNA REGNANTE *per Arcton*
Sidereæ cedunt acies.

HESIOD. θεογ. *v. 414.* huc quoque reſpicit, canens:

Ἡ δὲ καὶ ἀστερόεντος ὑπ' οὐρανοῦ ἔμμορε τιμῆς
Ἀθανάτοις τε θεοῖσι τετιμένη ἐστὶ μάλιστα.
Imo etiam ſtelligero in cœlo ſortita eſt honorem,
Immortalibuſque Diis maxime eſt honorata.

Et Eccleſia eſt *Regina*, quæ dominatur in reliqua regna terræ. Id quod Judæi indicant, quando מדרש תהלים *fol. XX.* quærunt: למה נמשלו ישראל כלבנה מה לבנה שולטת ביום ובלילה כך ישראל שולטין אעולם הזה ואעולם הבא: *Quamobrem Iſraelitæ comparantur cum Luna? ſicut Luna nocte, dieque doinatur, ita quoque Iſraelitæ imperium in hoc & futuro ſeculo obtinent.* *Regis filia* vocatur Eccleſia Pſal. XLV. 12. 14. quæ eminet inter omnes terræ Reginas. Cant. VI. 5. 6. *Sexaginta ſunt Reginæ & octoginta concubinæ, puellarum non eſt numerus. Unica vero illa eſt columba &c. quam beatam prædicabunt omnes Reginæ.* Elata eſt ſupra omnia terræ regna, ſupra

ſupra omnes colles Jeſ. II. 2.3. eminet inſtar Lunæ inter reliquas ſtellas, i. e. quod Cant. II. 2. dicitur: *Ut lilium inter ſpinas* (eminet) *ita amica mea inter filias* quare & imperium & dominium ipſis aſſignatur Apoc. III. 20. 22. XX. 6. XXII. 5. 2 Tim. II. 12. Splendidiſſima hujus mundi regna non niſi umbram gloriæ imperantis Eccleſiæ exhibent.

XV. Luna 13. pura licet & candida ſit, ſuas tamen MACULAS habet, quas penitius eam conſiderans facile deteget. *Maculas* lunæ eſſe, quilibet obſervare poteſt, ſed unde oriantur, diſputant Philoſophi. PHILO *Lib. de ſomn. p. 456.* ait: *Sunt certe qui dicunt, Lunam non eſſe globum puri ætheris, ut cætera ſidera, ſed mixtum cum aëre æthereo, & apparentem in eo* MACULAM, *quam alii vocant faciem, nihil aliud eſſe quam admixtum aërem.* KIRCHERUS *in Itin. Ecſtat. p. 95.* HEVELIUS *in Selenograph. p. 148.* KEPLERUS *in Epit. Aſtron. Copern. Lib. 1. p. 100.* Et *Optic. p. 248.* cum Veter. Philoſ. THALE MILESIO, HERACLIDE, POSIDONIO, & ipſo PLATONE ap. PLUTARCHUM de *Placit. Philoſ. Lib. II. c. 25.* maculas Lunæ ſtatuunt oriri ex inæqualitate corporis Lunaris, quod vallibus, maribus & collibus inſtructum eſſe cenſent. Unde SCHOTTUS ad KIRCHER. *iter in Lun. p. 71.* obſervat: Terram eminus ſpectatam eandem videri cum Luna, partes ſc. ſolidas lumen ſpargere vivaciſſimum, contra paludes aliosque fluvios ac valles, pauciſſimam ejus partem reflectere. conf. & GERING. *de facie Lunæ §. 8.* GUERIK. *Syſt. mund. Lib. V. c. 18.* RICCIOL. *Alm. nov. T. I. L. IV. c. 6.* & G. ARNTZEN. *diſſ. de Luna habitat. p. 9. 13. ſeq.*

Eccleſia quidem ſimili ratione pura ac candida lucet ſanctitate & radiis juſtitiæ ſolis, ſed tamen quamdiu in curriculo hujus orbis verſatur, variis adhuc naturalis corruptionis ac infirmitatum maculis laborat, ſemper tamen reliquiæ corporis peccati reſtant, quæ radios lucis juſtitiæ reſpuunt Rom. VII. 24. Erramus omnes & impingimus in multis Jac. III. 2. omnia adhuc ſunt imperfecta, *ex parte* enim *cognoſcimus*, *ex parte* prophetamus teſte Apoſtolo 1 Cor. XIII. 9. In carne ipſorum habitat adhuc quod non eſt bonum. Rom. VII. 18. Cordis figmenta mala ſunt a teneris annis Gen. VI. 5. Semper reſtat caro corrupta, quæ pugnat contra ſpiritum lucis Gal. V. 19. Vetus homo continuo magis eſt exuendus

&

& deponendus Eph. IV. 22. 23. carnis & terræ concupiſcentiæ ipſis tanquam peregrinis quotidie magis ſunt ſupprimendæ 1 Pet. II. 11. donec aliquando ad plenam lucem accedant.

XVI. Luna 14. notanda Judæis ſub V. T. ob feſtum NOVILUNII ſeu *Neomæniarum*. Num. XXVIII. 11. & cap. XXIX. 1-6. Exibant nimirum nuntii & teſtes, & diligenter ad Lunæ *φάσιν* attendebant, quæ quamprimum illuxerat, ſtatim illud nuntiabatur, & Præſes Synedrii exclamabat מקודש, quod alii repetebant מקודש מקודש *conſecratus eſt.* vid. LEUSDEN *Philol. hebr. mixtus diſſ. 39. p. 298.* Signum quoque hujus apparitionis igne in montibus accenſo dabant, & ita feſtum inchoabant. vid. *Maimonid.* ap. VOISIN. *Raymund. Pug. fid. p. III. d. 3. c. II. p. 625.* SIGON. *de Republ. Hebr. Lib. I. c. 13.* LUND. *Lib. V. c. 7. p. 956.* LIGHTFOOT *de Miniſt. templi c. XI. p. 725.* DANZ. *Novilun. Initiat. ex Maimon. p. 27. R. Levi* explicat hunc ritum: *Modus autem hujus præcepti eſt, accedunt duo Iſraelitæ, viri integri, in conſpectum Synedrii & teſtantur coram eo, ſe vidiſſe novam Lunam, atque ſic initium menſis ad relationem eorum conſtituturi dicunt:* היום הזה מקודש *Hic dies ſanctificetur.* conf. LAMP. *Comm. in Joh. T. I. p. 322.* Et BUXTORF. *in Synag. p. m. 336.* recenſet formulam orationis, qua conſecrant novam lunam בא אמה. *Benedictus eſto tu Domine, Deus noſter, Domine mundi &c. qui Lunam renovari juſſiſti, quæ renovata pulcerrima eſt corona & ornamentum iis, qui utero materno geſtantur, qui eodem quoque modo innovabuntur ut luna, ad laudandum Creatorem ſuum &c.*

Nova ergo Luna non ſolum denotat lucem illam novam Servatoris, qui eſt lux illa ſplendida, ut docet Cel. DOUTREIN *de Clang. Evang. p. 296.* Sed & *innovationem* inſignem Eccleſiæ in initio N. T. Eccleſia enim V. T. hactenus in Judaiſmo valde corrupta, variisque errorum ac ſtatutorum humanorum præjudiciis obſcurata erat, quæ proinde renovanda Jeſ. LXII. 10. 2 Cor. V. 17. Gal. V. 15. Jeſ. LXV. 17. LXVI. 23. Apoc. XXI. 5. *Clangor* in hoc feſto *Novilunii* notat confeſſionem & præconium Doctorum & Apoſtolorum de nova luce gratiæ exorta, quæ etiam per teſtes, martyres ſc. veritatis, fuit confirmata. Sic nova facies Eccleſiæ oriebatur, antiquo cultu Levitico abrogato. Nova quoque

Eccle-

Eccleſiæ Lux orietur ultimis temporibus N. T. ut docent vaticinia Jeſ. XXX. 26. Apoc. XXI. 5. Jeſ. LX. 1. 2.

XVII. *Denique Luna plena* ſeu *PLENILVNIVM* notatu dignum eſt, illud enim apud antiquos emblema erat tum felicitatis, tum pulcritudinis. *Primo* quidem *felicitatis.* Huc reſpicit EURIPID. *Iphigen. in Aulid. v. 717.*

ὅταν Σελήνης εὐτυχὴς ἔλθῃ κύκλος.

Si Lunæ FELIX *circulus* (plenilunium) *advenerit.*

Et *Anonymus Perſa de Siglis Arabum* ap. MILL. *diſſ. IV. p. 101. Sol luminare majus apellatur, Luna luminare minus, utrique luminaria. Luminaria vero* FELICIA *ſunt.* Unde & varii nummi, in quibus Fortuna apparet, quæ Luna eſt, cum epigraphe: FELICITER. uti vox גד Jeſ. LXV. 11. & Lunam & Fortunam denotat. conf. Jer. XLIV. 17.

Secundo luna plena *Pulchritudinis* ſymbolum erat, unde Joſeph ob venuſtatem, teſte HERBELOT *Biblioth. Orient. p. 496.* قمر كنعان *Luna Canaanis*, i. e. venuſtiſſimus Palæſtinæ dicitur. Elegantiſſimus quoque locus eſt, quem citat Cel. MILL. *in addend. ad diſſ. Sel. ex libb. Tradit. Saracenorum:* يتلالا وجهه تلالوء القمر ليلة البدر *Facies ejus fulgebat fulgore* LUNÆ *noctu* PLENÆ. Ita & CORIPP. AFRIC. *Lib. II. num. 2.*

It ſacrum comitata Latus pulcerrima proles
Luce ſua PLENAM *quæ poſſit vincere* LUNAM.

PETRON. *Satyr. p. m. 54. Delectata illa riſit tam blandum, ut videretur mihi plenum os extra nubes Luna proferre.* conf. WEIZ. *Comm. ad h. l. Petron.* Eodem modo HORAT. *Lib. I. Sat. 8.*

- - - vaga Luna decorum
Protulit os.

Conf. & DEMSTER. *not. ad Roſin. p. m. 167.*

Huc præcipue reſpicit vates noſter Cant. VI. c. יפה PULCRA es inſtar Lunæ. Commode ergo & felicitas & pulcritudo Eccleſiæ per plenam Lunam depingitur. FELIX eſt, unde toties beata prædicatur. Cant. VI. 8. *beatam eam deprædicant omnes Reginæ.* Ita Moſes Deut. XXXIII.

29. *Beatus es Iſrael, quis eſt, ſicut tu, populus ſervatus per Jehovam clypeum auxilii tui.* Mal. III. 12. *Beatos vos prædicabunt omnes Gentes, quia eritis terra delectationis, dicit Jehova Zebaoth.* Quare & Servator noſter toties τὸ μακάϱιον ebuccinat in electos. Matth. V. 3-11. conf. Luc. XII. 37. 43. Eph. II. 8. Apoc. XX. 6. XXI. 24. XXII. 7. PULCRA quoque eſt & venuſta. Cant. I. 15. *Ecce* PULCRA *es, ecce pulcra es, amica mea.* Cant. IV. 7. *Tota* PULCRA *plane es, amica mea, nulla in te eſt macula* vel vitium. conf. Cant. IV. 1. V. 9. 17. VI. 3. VII. 6. Eph. V. 27. Qua in re conſiſtat Eccleſiæ pulcritudo docet CLEMENS ALEXANDRINUS *Strom. L. III. c. u.* „Pulcritudo optima *animæ pulcritudo* eſt, „quando fuerit ornata Spiritu S. & iis, quæ ab eo oriuntur, ornamen„tis, juſtitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore „& pudore, quo nullus color eſt nitidior unquam viſus.„ Conſiſtit ergo in luce ſanctitatis & virtutum Chriſtianarum, quas in catena aurea recenſet Apoſt. 2 Pet. I. 5-7. In hoc ornatu maxime placet oculis ſponſi cœleſtis Pſ. XLV. 11. 12. Hæc ſanctitatis lux eſt decus æternum domus Dei. Pſ. XCIII. 5.

XVIII. O igitur mens mea, quæ natura tot obſita es tenebris, omnique gratiæ ac ſanctitatis luce per peccatum es deſtituta, & imaginem divinam amiſiſti, ad Solem juſtitiæ te converte, & vera fide radios ejus excipe. Cœlum quære ſedem tuam, ubi tuum eſt πολίτευμα, ſuper æthera vecta cœleſtia anhela, illisque inhære, terrena omnia ſpernens. Quo propius huic Soli jungeris, eo magis abyſſos corruptionis tuæ deteges, ſed & quo propius cum eo communionem fovebis, eo magis radiis lucis ejus perfunderis, ut per juſtificationem *albeas* inſtar nivis & luceas inſtar Lunæ. Candorem ergo ſanctitatis ex hoc Sole ſalutis indue, dum in *nocte* tenebricoſa hujus mundi peregrina oberras. Quando menſuram gratiæ tibi conceſſæ decreſcentem animadvertis, excute ſoporem, ſuſpiriis calidiſſimis incrementum anhela. Si nubes calamitatum hujus vitæ lucem tuam abtegit, ſi per graviſſimas tentationes inſtar Lunæ *eclipſin* pateris, ſpera, exſpecta Dominum ſalutis, qui eſt Lux tua, & tandem eo vivacior lucis divinæ ſenſus te recreabit. Omnia tenebrarum opera fuge, illorum communionem ſperne, *dominare* omnibus concupiſcentiis, in terreſtri corpore mortis nidificantibus;

Lu-

Lucem operum bonorum & vitæ inculpatæ ſparge per tenebras hujus mundi in progenie perverſa. Licet variæ adhuc *maculæ* & peccatorum reliquiæ ſuperſint, *nova* tamen ſemper gratiæ *Luna* in media nocte exorietur, donec *plena* tandem felicitatis ac gloriæ Lux tibi ſummam accelerabit ſalutem. VESPERI ERIT LUX. Zach. XIV, 17.

EXERCITATIO V.

DE

SEPVLCHRIS DEALBATIS, HYPOCRITARVM SYMBOLO.

MATTH. XXIII. v. 27.

ARGUMENTUM.

§. I. Sepulchra pluribus locis regni tenebrarum emblema eſſe docetur. §. II. Phariſæos quoque & ſcribas Judæorum commode per ea depingi per analogias oſtenditur, ubi varia de ſepulchris Veterum Judæorum & Gentium diſſerimus, & myſtice applicamus Judæis. Sc. quod ſepulchra Veterum petris inciſa. §. III. Quod in montibus & vallibus obſcuris reperiantur & receptacula tenebrarum ſint. §. IV. Mortuorum oſſibus & cadaveribus ſcateant. §. V. Quæ a vermibus corroſa fœtorem emittant horrendum. §. VI. Polluant ex placito Judæorum tranſeuntes. §. VII. Sepulchra quædam ſint aperta, quædam occulta. §. VIII. Quod variis ornamentis fuerint olim exornata. §. IX. Variis quoque honoribus antiqui ea affecerint & templa in iisdem erexerint. §. X. Quæ calce dealbata *ſepulchra ſint, & quo ſenſu hoc emblema Phariſæis quadret, docetur. §. XI. Denique epilogo practico exercitatio hæc clauditur.*

I.

QUando Servator noſter horrendam Phariſæorum indolem atque hypocriſin vivis coloribus erat depicturus, vocat eos ΤΑΦΟΥΣ ΚΕΚΟΝΙΑΜΕΝΟΥΣ. *SEPVLCHRA DEALBATA.* Matth. XXIII. 27. *Sepulchra* haud raro in ſcriptis ſacris ſymbolico ſenſu occurrunt, præprimis in Vaticiniis Prophetarum, ſuntque emblema impiorum, quorum *guttur eſt ſepulchrum apertum.* Pſ. V. 10. Ita hoſtes Eccleſiæ proponuntur, quorum *pharetra eſt ſicut Sepulchrum apertum.* Jer. V. 16. & Iſrael carnalis *mortuorum oſſibus* aſſimilatur. Ezech. XXXVII. 1-6.

II. Commodiſſime autem Servator Phariſæos comparat cum *ſepulchris*, & quidem *dealbatis*, quatenus erant hypocritæ. Et ſi qualitates Sepulchrorum apud Judæos indagabimus, varias inter Phariſæos & Sepulchra analogias detegemus.

1. Sepulchra Hebræorum, imprimis honoratiorum plerumque erant vel ex *cæſis lapidibus* ſtructa, vel etiam PETRÆ INCISA integræ. Tale erat ſepulchrum Servatoris noſtri, quod *λελατομημένον ἦν ἐκ πέτρας* Marc. XV. 46. quod *Salmaſius* de ſepulchro ex lapidibus politis conſtructo, & GEIER *de Luct. Hebr. c. 6.* & NICOLAI *de Sepulchr. Hebr. L. 3. c. 10.* de Sepulchro ex unica & ſolida petra exciſo explicant. conf. WOLF. *Cur. Phil. ad l. c.* KIRCHMANN. *de fun. L. III. c. 17.* idem teſtatur de Sepulchris Romanorum. Ita Baruchi monumentum ex duobus conſtans marmoribus memoratur apud PETACH. *Itin. p. m. 177.* Abrahami quoque מערה מכפלה ex petris & ſaxis conſtitiſſe veroſimile eſt, de qua vide WAGENSEIL. *Sot. p. 291.* Tale fuit Sebnæ ſepulchrum Jeſ. XXII. 16. Huc refer locum ex כתובות apud WAGENS. *Sot. p. 724.* אין לך טרשים בכל ארץ ישראל יותר מחברון דהוו קברי בה שיכבו *Nuſpiam in tota terra Iſraelis plures reperiuntur petræ, quam circa Hebronem, quamobrem ibi ſepulchra mortuorum fieri ſolebant.* Sepulchra aliarum gentium quoque lapidea memorat DOUGT. *Anal. S. L. I. Exc. 95. p. 164.*

Hiſce ſimiles erant Phariſæi, utpote qui ſaxea pectora gerentes obdurati erant in peccatis & malitia ſua, *γεννήματα ἐχιδνῶν*, progeniti a ſatana, qui & ipſe in pravo eſt induratus. Quare ſaxi inſtar omnia

Ser-

Servatoris monita, convictiones, minas ac invitationes, ſupprimebant, ſpernebant atque renuebant; perpetuo oculis majeſtatis divinæ renitebantur Jeſ. III. 8. 9. faciemque ſuam induraverant inſtar lapidis & frontem inſtar ſilicis, ut idem loquitur vates. Intellectus ipſis erat obduratus & tenebris ſpiſſiſſimis obſitus Eph. IV. 18. voluntas obdurata & flecti neſcia, nec minis nec promiſſis cedens Jeſ. LXIII. 10. conſcientia cauterio reſecta & callo inducta, ita ut malleus convictionum verbi Dei ac Servatoris abſque ulla pectoris lapidei contritione reſiliret.

III. Sepulchra 2. in MONTIBUS umbroſis, atque ſpeluncis exſtructa, *Caligine* ac TENEBRIS horrebant, quare Jobus ſepulchrum *terram caliginis* vocat Job. X. 22. & ſpelunca atrox dicitur Pſ. XL. 3. XLIX. 10. LV. 24. Quales erant monumentorum Patriarchalium ſpeluncæ. *Tale* monumentum ad vivum depingit VIRGIL. *Lib. XI. Æneid.*

> - - - *Fuit ingens monte ſub alto*
> *Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum,*
> *Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum.*

Et THEOGN. apud MICHAEL. diſſ. BIBL. BREM. *Cl. III. p. 710.*

> - - - ϰ̀ ὅταν δνοφεροῖς ὑπὸ κεύθμασι γαίης
> Βῆς, πολυκωκύτȣς ἔις ἄιδαο δόμȣς
> *Et poſtquam ſub tenebroſas terræ latebras iveris*
> *Luctuoſas in Ditis domos.* i. e. Sepulchrum.

conſ. BUCH. *Antiq. Bibl. p. 439.* RAMIREZ *de Prado Pentec. p. m. 115.* DEMSTER. *ad Roſin. p. m. 634.*

Id quod denuo ſtatum Phariſæorum miſerrimum & corruptiſſimum nobis depingit, utpote tenebras amantes lucem fugiebant. Sedebant in tenebris & in caligine ſeu umbra mortis Jeſ. IX. 1. & ambulabant in tenebris Pſ. LXXXII. 15. in viis tenebrarum Prov. II. 13. conf. Jeſ. VIII. 22. Oculus ipſorum caecus erat, & totum corpus tenebræ Matth. VI. 23. Luc. XI. 24. Deus enim mundi occœcaverat ipſos 2 Cor. IV. 4. ut oculis non viderent, nec auribus audirent. Jeſ. VI. 9. Act. XXVIII. 26.

IV. Sepulchra 3. OSSIBUS MORTUORUM ſcatebant, uti ipſe Servator in loco noſtro teſtatur: γέμȣσιν ὀςέων νεκρῶν ϰ̀ πάσης ἀκαθαρσίας. Et licet olim plerumque corpora cremarentur, oſſa tamen cum cinere in ollis ſeu urnis adſervabantur in monumentis. Ita R. PETACH.

in *Itiner. cap. 9.* memorat urnam Danielis, in qua oſſa ejus conſervabantur. Huc refer locum HOMER. *Iliad. 24. v. 798.*

> ὀςέα λευκὰ λέγοντο κασίγνητοί θ' ἕταροί τε
> Μυρόμενοι, θαλερὸν δὲ κατείβετο δάκρυ παρειῶν
> Καὶ τά γε χρυσείην ἐς λάρνακα θῆκαν
> Αἶψα δ' ἄρ' ἐς κοίλην κάπετον θέσαν.
> *Oſſa alba collegerunt fratres ſociique*
> *Lugentes. (Calidæ autem manebant lacrymæ per genas.)*
> *Atque illa auream in urnam poſuere.*
> *Mox autem in foveam concavam collocarunt.*

Ita & VIRGIL. *Lib. XI. Æneid.*

> *Mœrentes altum cinerem & confuſa ruebant*
> *Oſſa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.*

MARTIAL. *Sat. 1.*

> *Mollia non rigidus ceſpes teget oſſa, nec illi*
> *Terra gravis fueris.*

Tales erant Phariſæi, qui ſcatebant oſſibus mortuorum i. e. ut v. 28. explicat Servator ὑποκρίσει, & mortuis operibus tenebrarum Heb. IX. 14. Eph. V. 11. Rom. XIII. 12. Magnam quidem ſpeciem præbebant pietatis Phariſæi externis ſuis operibus, ſed ſi ſecundum interiorem eorum conditionem examinarentur, mortua erant opera. i. e. peccata, vitioſa & corrupta, quæ per Spiritum Dei vivificum non producta, ſed ex corrupta cordis ſcaturigine oriebantur Matth. XV. 19. mutila erant, atque omni gratia deſtituta atque proinde abominationi Deo, cor enim a Deo alienum erat. Opera legis inania ac imperfecta erant, per quæ nullus homo vitam acquirere poterat Rom. III. 20. 27. 28.

V. Sepulchra 4. FOETOREM ſæpe ingentem prodebant, quando cadavera in iisdem *computreſcebant*, ita ut viventibus abominationi eſſent & tranſeuntibus nauſeam parerent maximam. Unde HOMER. apud SUIDAM. πυθω.

> - - - Σέο δ' ὀςέα πύσει ἄρουρα
> Κειμένου ἐν Τροίῃ.
> *Tua vero oſſa computreſcunt in agro Trajano.*

Ita

Ita Martha de Lazaro Joh. XI. 39. Κύριε, ἤδη ὄζει. *Domine, jam fœtet.* A *Vermibus* enim corpus ſepultum corroditur, quod fœtorem maxime promovet conf. Exod. XVI. 20. Unde Meſſias petit Pſ. XVI. 10. *Non derelinques corpus mortuum meum*, נפש, *in ſepulchro, nec permittes, ut ſanctus tuus corroſionem intueatur.* Corruptionem homo patrem & vermes matrem atque ſororem vocare tenetur. Job. VII. 14. Quare emphatice loquitur hanc in rem de Galerio Maximiniano EUSEB. *Hiſt. Eccl. Lib. VIII. c. 16.* Ἀφ᾽ ὧν (σπλάγχνων) ἄλεκτόν τι πλῆθος σκωλήκων βρύειν, θανατώδη δ᾽ ὀσμὴν ἀποπνεῖν. *Ex ejus viſceribus ſcaturiviſſe infinitam vermium multitudinem, quæ lethalem fœtorem exhalaverit.*

Hoc denuo optime in Phariſæos quadrat, qui *vermibus* concupiſcentiarum carnis ſcatebant, in quibus animas ipſorum quaſi computreſcens corrumpebatur 1 Pet. II. 11. Gal. V. 19. quot opera carnis Phariſæi prodebant, tot vermes in pectore putrido fovebant. *Ex corrupto cordis antro prodibant cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſcortationes, furta, falſa teſtimonia, convitia, quæ polluunt hominem. Matth. XV. 19. 20.* Accedebat vermis conſcientiæ, perpetuo animas ipſorum rodens Jeſ. LXVI. 24. ad quem locum eleganter VICTOR ANTIOCHENUS ſcribit: „Deſignatur autem vermis nomine impurata ſcelerataque conſcien„tia, ſiquidem una hæc animam peccatricem, nulliuſque boni ſibi con„ſciam, inutilis pœnitentiæ aculeis inſtar vermis edacis continuo pungit „& rodit.„ Non mirum ergo quod in naribus Dei & Angelorum atque Sanctorum *fœtor* eſſent graveolens; uti peccata Sodomæ inſtar fœtoris horrendi in nares Dei aſcenderant. Gen. XVIII. 20. 21. Deus ergo abominabatur eos valde Pſ. V. 7. Et illi, qui ſpiritum vitæ nacti ſunt, fugiunt has in peccatis quaſi computreſcentes animas miſeras.

VI. Sepulchra 5. POLLUEBANT ex placitis & traditionibus Judæorum tranſeuntes vel attingentes ea, unde & maxime *impura* habebantur, Judæis ſummo ſtudio vitanda, quare & extra urbes erant. Legem quoque divinam ac cærimonialem hanc in rem legimus Iſraeli datam Num. XIX. 16. וכל אשר יגע על פני השדה בחלל חרב או במתאו בעצם אדם או בקבר יטמא שבעת ימים: *Quicunque attigerit in ſuperficie terræ confoſſum gladio, aut mortuum, aut os hominis aut SEPULCHRUM, ſeptem diebus IMPURUS eſto.* ubi Paraphraſtæ, apud PO-

POCOK. *Not. Miſc. Phil. cap. V.* הקבר כל זמן שהטומאה בתוכו מטמא במגע ובאהל כמת דין תורה שכאמר או במת או בעצם אדם או בקבר ואחר הנוגע בגגו של קבר או בכותלו: *Sepulchrum, quamdiu in ipſo incluſa fuerit immunditiès, polluit tactu & ratione tabernaculi ſicut mortuus, ſecundum ſententiam legis, ſicut dictum eſt.* (Num. XIX. 16.) *Perinde autem eſt, ſive tetigerit tectum ſepulchri, ſive parietes ipſius.* Unde & Gemariſtæ apud LIGTHFOOT. *Opp. T. II. p. m. 360.* teſtantur, quod Sepulchrorum & leproſorum eadem ſit conditio, uti hi clamabant: impurus, impurus, ita ſepulchra immunda clament, ne appropinques. Quare nec tranſire ſolebant ſepulchra inter quatuor ulnarum ſpatium, ne polluerentur. Ut ex GEIER. *de Luct. Hebr. c. 6.* & DANZ. *diſſ. de Sepulchr. calce not.* probat Cel. LAMP. *in Joh. T. II. p. 785.* Hanc ob cauſam ſepulchra extra urbes habebant, in locis a vulgari hominum commercio remotis. conf. PFEIFFER *Antiq. Græc. Lib. IV. cap. 51.* KIRCHMANN. *de funer. Lib. II. cap. 21.* & alios.

Et ſane Phariſæi quoque, licet externis operibus ſanctitatis ſpeciem præ ſe ferentibus operam darent, reapſe tamen, impuriſſimi erant, & alios ſimul veneno impuritatis ſuæ inficiebant. Non mirum ergo, quod Servator diſcipulis inculcaret, ut caverent ſibi a fermento hoc Phariſæorum & Scribarum Matth. XVI. 6. Doctrina ſua impura alios polluebant, quam de operibus legis fovebant, per quæ juſtitiam ſuam erigebant, juſtitiæ ſalutis contrariam, quæ tamen inſtar *veſtis* erat *ſordidæ & panni menſtruati.* Jeſ. LXIV. 5. Ita externa zeli ſancti ſpecie omnem impendebant operam ut proſelytum facerent, quem tamen filium orci conſtituebant. Matth. XXIII. 25. Hæc ergo Sepulchra, hos impura juſtitia tumentes Phariſæos fugere ſedulo oportebat fideles.

VII. Sepulchra 6. quædam ſunt APERTA, quorum fœtor publice exhalat, & quorum vorago impura proſtat ac publicæ eſt abominationi, quædam autem ſunt TECTA atque *operta*, qui intus impuritatibus ſcatent, & externe non apparent. Ita referunt Rabbini in GOMAR. *Moëd Kat. c. 1. f. 5:* אין מציינין על הוראות שהרי הן יודעין לכל אלא על הספיקות כגון שדה שאבד בה קבר והסככות והפרעות *Non ſignabant manifeſta, cum illa omnibus ſint nota, ſed dubia, veluti agrum, in quo deperditum fuerat ſepulchrum & loca* OPERTA *atque etiam*

APER-

APERTA ſeu tecto carentia. vide POCOK. *not. Phil. Miſcell. l. c. p. 82.* Quædam enim Sepulchra lapide, ſaxove advoluto tegebantur atque claudebantur, veluti monumentum Servatoris noſtri Matt. XXVII. 60. & Cap. XXVIII. atque Lazari Joh. XI. 38. Unde & ALBINOVANUS canit

Claudite jam Parcæ nimium reſerata ſepulchra,
Claudite, plus juſto nam Domus iſta patet.

HOMER. *Iliad.* 24.

Αἶψα δ' εἰς κοίλην κάπετον θέσαν, αὐτὰρ ὕπερθε
Πυκνοῖσιν λάεσσι κατεστόρεσαν μεγάλοισι.
Mox autem in concavam ſpeluncam poſuerunt eum,
Et crebris lapidibus & magnis clauſerunt.

Quo reſpicit etiam SILIUS ITAL. quando ſcribit.

Claudit odorato poſt funus ſtantia buſto
Corpora

Conf. ZORN. *bibl. Exeg. p. 512.* PEARSON. *in Symb. p. 395.* DOUGT. *Anal. S. P. I. p. 164.* *alios.*

Ita dantur Peccatores *aperti*, qui gloriantur de peccatis ſuis inſtar Sodomæ, illa enunciant nec celant Jeſ. III. 9. 10. quorum fauces ſunt inſtar ſepulchri aperti, qui venenum aſpidum ſub lingua fovent: Rom. III. 33. Pſ. V. 10. qui omnia in vitia proni ruunt, nulloque pudore ſuffundi queunt, quia omnia Legis humanæ divinæque vincula ſolvunt, ſuoque corrupto genio indulgent Job. XXI. 21. in quibus nec Dei omniſcii nec hominum eſt timor. Dantur & ſepulchra *obtecta* ac operta, ſc. *hypocritæ*, quales Phariſæi erant, qui *μνημεῖα ἄδηλα* Luc. XI. 44. *non apparentia ſepulchra* vocantur, qui ſub pallio pietatis ac ſanctitatis externæ, cordis abominationes tegere ſciunt, veluti Doctores Judæorum literæ legis inhærentes tenaciſſime, ſed *φιλαυτίας* gloriæ mundanæ, concupiſcentiarum & malitiæ pleni.

VIII. Sepulchra 7. æque apud Hebræos, quam alias gentes variis EXORNABANT inſignibus, ornamentis ac titulis. Id docet Servator, quando v. 29. cap. huj. dicit ΚΟΣΜΕΙΤΕ *Exornatis* ſepulchra Prophetarum atque juſtorum. Ita *columnas* erigebant in memoriam vel herorum & bello inſignium, vel juſtorum & vitæ ſanctitate præclarorum. Ita in MISCHN. *Schekal. c. II. §. 5.* legimus: והא מונח עד שיבוא אליהו

אליהו רבי נתן אומר מותר המת בונין לו נפש על קברו *Reponatur usque dum adveniat Elias. at R. Nathan dicit : exſtruunt ei COLUMNAM ſuper ſepulchrum ejus.* HOMER. *Iliad.* σ. v. 456.

Ἔνθα ἑ ταρχύσουσι κασίγνητοί τε ἔται τε
τύμβῳ τε ΣΤΗΛΗ τε. τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Ibi ipſum ſepelient cognati, monumentoque & COLUMNA. Hic enim eſt honor mortuorum.

Ita RAPHELIUS ex *Xenophonte* locum adducit p. 49. Ἐάν τις τῶν γονέων τελευτησάντων τοὺς τάφους μὴ ΚΟΣΜΗ, καὶ τοῦτο ἐξετάζει ἡ πόλις ἐν ταῖς τῶν Ἀρχόντων δοκιμασίαις. *Si quis Parentum mortuorum ſepulchra non ORNET, hoc quoque Reſpublica Magiſtratuum in explorationibus inquirit.* Conf. & MENOCH. *de Republ. Hebr. L. VIII. c.* 4. NICOL. *de Sepulchr. Lib IV. c. 1.* Accedebant inſuper variæ *inſcriptiones*, quibus monumenta mortuorum exornabant veteres. Exprimit id LUCIAN. *in Necyomant. p. 120.* Πολυτελεῖς τούτους ὑψηλοὺς τάφους ἔχοντες ὑπὲρ γῆς, καὶ στήλας καὶ εἰκόνας, καὶ ἐπιγράμματα, οὐδὲν τιμιώτερον παρ' αὐτοῖς εἰσι τῶν ἰδιωτῶν νεκρῶν. *Qui pretioſos atque altos habent tumulos ſuper terra, & columnas & imagines & titulos, nihilone ſunt apud inferos plebeiis quibuslibet umbris honoratiores.* Plurima hanc in rem loca coacervata invenies apud PFEIFFER. *Antiq. Græc. L. III. c. 56. p. 758. &c.* Inſcriptio ejusmodi exſtat apud REINESIUM:

ΕΝΘΑΔΕ
ΚΕΙΤΕ ΙΟΥ
ΛΙΑΝΟΣ ΙΕΡΕΥΣ
ΑΡΧΩΝ ΚΑΛ.
ΑΓΡΙΠΠΗΕΙΩΝ
ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ
ΑΡΧΙΣΥΝΑΓΩΓΟΥ.

Plures vide apud BAYER *de Judæorum Inſcription. Gr. & Lat. p. 20.*

Hic Sepulchrorum ornatus commode nobis externam cultus publici Phariſæorum pompam depingit & ob oculos ponit, quam Servator hoc Cap. proponit, & cujus ſummam verſ. 5. exhibet, quando teſtatur, quod omnia faciant, ut *ſpectentur ab hominibus.* Ornamenta ergo myſticorum horum ſepulchrorum erant, quod latiſſima gererent phylacteria, & dilatarent fimbrias veſtium, πρωτοκαθεδρίας in Synagogis occupa-

cuparent, Rabbi titulo exornarentur, zelo externo ad faciendas proſelytos flagrarent, omniaque legis externæ præcepta maxima cum apparatu obſervarent, publice in plateis & angulis platearum preces prolixas cum inſigni ſanctimoniæ ſpecie recenſerent, eleemoſynas largas erogarent, ita ut cultus ipſorum externus magnum ipſis honorem conciliaret. Tales ſunt omnes hypocritæ, externa confeſſione inſignes, & nomen habentes quod vivant, ſed reapſe in morte jacentes Apoc. III. 2.

IX. Sepulchra 8. Sanctorum atque Prophetarum maximo *honore* VENERABANTUR Judæi, quæ proinde ſtatis temporibus *viſitabant*, *templa* ac fana iis inædificabant. Gentes ſacrificia & libamina ad eadem offerebant; & *inviolata* perpetuo manere debebant. Quod Judæi ſepulchra *viſitarent*, docet HOTTING. *in not. ad Cipp. Hebr. p. 3.* faciebant id, ut deflerent amicos & propinquos ſepultos, uti ex Joh. XI. 30. liquet, ubi Judæi de cito exeunte Maria conjiciunt, quod abeat ad ſepulchrum, ut lacrymas funderet; partim vero ex cultu religioſo hoc obſervabant circa Sepulchra Prophetarum & Sanctorum. Ita in *Maſſech. Semach. cap. 8.* apud LAMPE *in Joh. T. II. m. p. 775.* פוקרים על מתים עד ג ימים *Prodeunt ad ſepulchrum, & inviſunt mortuos tres usque dies.* Ita & HOTTING. l. c. citat verba Rabb. בבכי יבאו ובתחנונים להתפלל ולבקש רחמי עליהם ועל אחיהם שבגולה *Veniunt cum lacrymis & deprecationibus* (ad ſepulchrum) *ut ſupplicent miſericordiam & quærant pro ſe & fratribus ſuis, qui ſunt in exilio* Idololatræ quoque ad Sepulchra ſedebant, ut omnes conſulerent, quo reſpicit Vates ſacer Jeſ. LXV. 4. היושבים בקברים *Sedentes* in vel ad *ſepulchra.* ubi R. KIMCHI יושבים בקברים לדרוש אל המתים *Sedent in ſepulchris ut conſulant mortuos.* Summum quoque nefas erat ea *violare*, etiam apud Gentes. EURIPID. *in Phœniſſ.*

Κἀκεῖνο κέκριται μὴ ἐφ ὑβρίζεσθαι νεκρὰς

Et ſtatutum illud, ne quis violet mortuos.

Conf. PFEIFF. *Antiq. Græc. Lib. IV. c. 6.* SALMAS. *not. ad Conſecr. Temp. in Ag. Her.* apud CREN. *Muſ. P. II. p. 106.* SCHMID. *de Tumba Servat. diſſ. p. 4.* Erigebant quoque *templa* ſeu ædiculas in ſepulchris, in quibus cultum religioſum peragebant. Ita *Mahomed*, apud *Al-Bocharium* (vide MILL. *diſſ. Sel. p. 358*) dicitur maledixiſſe Judæis hanc

ob cauſam: قال النبي في مرضه لم يقم منه لعن الله اليهود واتخذوا قبور انبيائهم مساجد *Dixit Propheta in morbo ſummo, a quo non ſurrexit: maledicat Deus Judæis: illi enim ſepulchra Prophetarum ſuorum in Templa converterunt.* De gentium cultu religioſo in ſepulchris conf. KIRCHMANN. *de Fun. Lib. II. c. 27.* ARINGH. *Rom. ſubterr. Tom. I. Lib. I. c. 18.* ZORN. *Bibl. Exeg. Antiq. p. 607.* KIPPING. *Antiq. Rom. Lib. II. c. 6. p. m. 784. 797.* PFEIFFER. *Antiq. Græc. p. 750. 764.* DOUGT. *Anal. S. P. I. p. 283.* LOMEIER. *de Luſtr. Vet. Gent. p. m. 365.*

Eleganter hic Sepulchrorum cultus religioſus in mentem nobis revocat honorem ac venerationem, qua plebs & vulgus Judæorum Phariſæos proſequebatur. Sancti habebantur & veneratione digni. Vox in ore ipſorum verſabatur: *Sanctior te ſum, ne attingas me*, vulgo ſe pollui credebant, quare e foro redeuntes manus lavabant. *Viſitabantur* a plebe auditoria & Synagogæ ipſorum, ubi docebant & externum legis corticem exornabant, quippe *clavem cognitionis* acceperant, Luc. XI. 52. Domus & habitacula ipſorum templa erant, in quibus populus ſacris operabatur. Dii erant illi terræ, qui hominum inſtar morituri erant, illisque major ſæpe honos quam Deo ipſi tribuebatur.

X. Sepulchra 9. denique ΚΕΚΟΝΙΑΜΕΝΑ CALCE *DEALBATA* erant apud Judæos. Quoad phraſin ipſam late eam ex antiquitatibus & erudite ſatis illuſtrarunt viri Cel. LIGHTFOOT. *hor. hebr. ad h. l. Matth.* POCOK. *not. Miſc. Phil. cap. V.* VITRING. *obſ. Sac. p. m. 280.* Cel. *Vitringa* equidem exiſtimat, τάφȢς κεκονιαμένȢς & μνημεῖα ἄδηλα eadem eſſe, ſed plane hæc ſibi eſſe contraria & oppoſita exiſtimant Al. MORUS *in not.* ALETHÆI *Erläuter. T. II. p. 181.* & Cel. WOLF. *in cur. Phil. ad Luc. XI.* qui ἄδηλα μνημεῖα explicant de tectis & inconſpicuis, κεκονιαμένα vero de publicis atque coram apparentibus. Vox autem κεκονιαμένα proprie *calce oblita*, ſeu *dealbata* ſepulchra denotat. *Calce* enim notabant Judæi ſepulchra, partim ut memoriam Sanctorum & Prophetarum excolerent, partim ut Sacerdotes iter facientes prope ſepulchrum, ſibi cavere diſcerent ab illo, ne polluerentur. Unde R. M. MAIMONID. *ad Miſchn.* מעשר שני cap. V. §. 1. ait יעני אן ציון הקברות יכון באלגיר כאין יחל אלגיר פי אלמא ויצב עלי מוצע אל קבר ליע לם אם דלך אל מוצע שמא ויגעלון מנה אלכהנים

Pan-

Innuit ſignata fuiſſe ſepulchra calce, macerabant autem calcem aqua, deinde effundebant ſuper locum ſepulchri, quo dignoſceretur, locum iſtum immundum eſſe, atque ab eo ſecederent ſacerdotes. In MISCHN. *Moed. Katon. c. I. fol. 2.* עושים סימנים על קברות בסיד דחיור כעצמות. *Faciebant* ſigna ſepulchralia calce, quæ alba eſſent inſtar oſſium. vid. ARNOLDI *de Sepulch. Hebr. §. 19.* Recte ergo SYRUS vertit ܩܒܪ̈ܐ ܡܟܠܣܐ & Arabs القبور المكلسة *Sepulchra gypſata, gypſo vel calce oblita.* Interdum & ציון ſeu נפשות columnas & ſtatuas erigebant in ſepulchris, quas dealbabant, vel ædificium ſuper iisdem ſtatuebant, uti ex R. Tauchum docet ac demonſtrat POCOCK. *not. Phil. cap. V. p. 77. ſeq.*

Duplex ergo myſterium dealbatio horum ſepulchrorum includit. Primo quidem Salvator ſepulchra vocat *dealbata* Phariſæos, ut turpiſſimam ipſorum hypocriſin ipſis exprobraret. GROTIUS recte obſervat ad h. l. Comparationem *albarii operis* fuiſſe uſitatam Judæis ad notandos mores perſonatos, ſaltem Paulus hoc ſenſu Pontificem vocat τοῖχον κεκονιαμένον, *parietem dealbatum.* Et hypocriſis Phariſæorum ad ἀκμὴν pervenerat, ut docet hoc Cap. XXIII. Servator. Secundo quoque hac phraſi innuitur, Phariſæos publicum in Eccleſia Dei eſſe ſcandalum, & ſacerdotibus N. T. Apoſtolis & Doctoribus hos inprimis eſſe fugiendos, ne fermento eorum polluerentur Matt. XVI. 6. Hic niger eſt, (hoc loco dicas: hic albus eſt) hunc tu Romane (o Chriſtiane!) caveto.

XI. Accede ergo, quisquis es *hypocrita* heic veluti in ſpeculo vivam tui imaginem depictam cernes in *Sepulchris dealbatis.* Albeas, candeas, rutiles externis operibus, ſpeciem pietatis ferentibus, cor tamen tibi ſaxeum, induratum, nulloque convictionis malleo conterendum remanebit: mens tua tenebris plusquam Ægyptiis obſcurata eſt, licet externe lucem mentiaris. Excute ſinum tuum, o hypocrita, detege interiores cordis tui doloſi receſſus, & mortuorum oſſa, impuritates carnales, peccata inveterata, conſuetudines pravas, mores depravatos invenies; innumeram concupiſcentiarum multitudinem deteges, quæ vermium inſtar miſeram tuam animam rodunt, angunt, corrumpunt. Intuere interiora pectoris antra, totque invenies abominationes, ut horreas, ſtupeas, expaveſcas. Quot animas miſeras decipis, hypocri-

ta, quot ad idem ſimulatæ pietatis exemplum trahis, o Phariſæe, convertere alium vis, ipſe nunquam converſus, & proſelytum tuum conſtituis orci filium. Mox aperto ſimilis es ſepulchro, dum in vitia quævis pronus irruis, nec Deum nec homines curas, mox iterum velum ſanctitatis expandis, abſtergis os inſtar illius adulteræ, quaſi nihil mali feciſſes. Quid juvabit te exornaſſe ſpecioſis operibus legis atque officiorum axternorum involucris, cum cor ſcateat impuritatibus, licet lixivine te abluas & calce alba illinas, nihilominus corrupti cordis ſcatebræ ſe prodent. Habearis in mundo ſanctiſſimus, deprædiceris ab hominibus felix, Dei tamen oculis interiora tua patent, ille aliquando ea deteget in æternam certo contumeliam. Depone ergo larvam, omniſcio renum ſcrutatori cor aperi, ut a mortuis operibus per ſpiritum vitæ purgeris, ſic mortuus vives in æternum.

EXERCITATIO VI.
DE
AQUILIS IN CADAVERE
MYSTICIS.
MATTH. XXIV. 28.
ARGUMENTUM.

§. I. Locus in nexu ſuo proponitur. §. II. Variæ Interpretum ſententiæ de aquilarum & cadaveris ſignificatione myſtica recenſentur, & refutantur. §. III. Noſtra ſententia proponitur & demonſtratur. §. IV. CADAVER emblema eſſe & Judaiſmi & Antichriſti probatur, & per analogias elucidatur ſc. quatenus cadaver mortuum eſt corpus. §. V. Putridum lethalibus vermibus ſcatet. §. VI. Fœtorem exhalat ingratum. §. VII. In publico loco projectum omnibus eſt ſcandalo. Quæ qualitates ſingulæ applicantur Judæis & Antichriſto. §. VIII. Tranſimus ad AQUILAS, quas Romanorum ac Gentium ſeu Regum ſymbolum eſſe contendimus, & enucleamus per comparationem.

§. IX.

§. IX. ſq. qualitates aquilarum recenſentur & Romanis ac Gentibus applicantur, qui Judæos Antichriſtum devaſtaturi ſunt, ſc. quod aquilæ ſint reges avium. §. X. Impuræ ſunt ſecundum legem divinam. §. XI. Nidum in alto ponant & petra firmiſſima. §. XII. Alis robuſtiſſimis inſtructæ ſint & viſu acerrimo. §. XIII. Inhient maxime cadaveribus & hominum & animalium, id quod & hoc loco noſtro confirmatur. §. XIV. Jovis denique miniſter haberetur apud Gentes, ejusque fulmina geſtare crederetur vel fingeretur aquila, Quæ omnia myſtice applicantur Romanis Judæos, & Regibus Antichriſtum devaſtantibus. §. XV. Epilogus practicus additur.

I.

GRaviſſima & myſteriis impraegnata ſunt verba, quæ Servator noſter phraſi proverbiali enunciat MATT. XXIV. 28. ὅπȣ γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ ΠΤΩΜΑ, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ΑΕΤΟΙ. *Ubi enim eſt CADAVER, ibi congregabuntur AQUILÆ.* Servatorem hoc Cap. XXIV. futuram Reipublicæ Judaicæ devaſtationem, ſimulque ſub hac figura Antichriſti fata atque interitum deſcribere, perſuaſi ſumus argumentis, quæ Cel. LAMPIUS ad Verſ. 15. huj. Cap. prolixe ſatis adducit, & ex nexu Cap. & collatione cum. Dan. VIII. IX. & XI. confirmat. vid. *diſſ. de* βδελυγμ. ἐρημώσε@. BIBL. BREM. *Cl. III. f. 6. p. 990. ſeqq.* quare hoc poſito fundamento jam inquirendum nobis reſtat ex ſcopo noſtro, quid emblemata heic obvia Cadaveris & Aquilarum deſignent.

II. Sunt Viri eruditi, qui per *πτῶμα corpus* Chriſti crucifixum, & per *Aquilas* electos Dei filios, qui per fidem ad illud confugiunt, intelligunt, quando præprimis in S. Euchariſtia corpus Chriſti mortuum proponitur, & fideles per fidem ad illud confugiunt, ut eo fruantur, & fructibus meritorum ejus ſatientur. Sic volunt inter Patres IRENÆUS & HILARIUS. Simile quid addit ALEX. MORUS *in not.* ad h. l. quando dicit: Uti aquilæ odore cadaveris attrahuntur, ita fideles odore mortis Chriſti ad ejus communionem trahendi ſunt. Conſentiunt quoque Cel. VAN TIL, ZEGERUS, DRUSIUS & alii. Aſt CHRYSOSTOMUS, EUTHYMIUS, BEDA intelligunt de Chriſto cum Angelis ſuis ad Judicium ultimum venturo. Verum enim vero *Chriſtum*

hoc

hoc loco per πτῶμα intelligi neutiquam poſſe, liquet *tum* ex nexu & ſcopo hujus prophetiæ, quæ reſpicit Hieroſolymæ devaſtationem & excidium Reipublicæ Judaicæ, uti ex v. 1. 2. Cap. XXIV. liquet; *tum* quia Aquilæ hic memoratæ, non generoſæ illæ ac genuinæ, ſed ſpuriæ & degeneres (vulturum genus, cadaveribus inhians) intelliguntur, quæ electorum emblema eſſe nequeunt ſed impiorum; *tum* denique quia duriſſimum eſt, Chriſtum in gloria evectum ſub ſymbolo πτώματος, cadaveris, proponere.

Sunt quoque Viri docti, qui exiſtimant per *Cadaver* intelligi corpus Eccleſiæ Judaicæ, quod poſt neglectum lucis Evangelicæ uſum, factum erat cadaver, vita ſpirituali deſtitutum, ad quod aquilæ i. e. Pſeudoprophetæ, eſſent congregandæ, qui Pſeudo-Meſſiæ Cadaver hoc eſſent dilaceraturi, ut docet Cel. VITRINGA *Theol. Symb. p. 155.* Sed licet ingenioſa hæc ſit interpretatio, obſtare tamen huic hypotheſi videtur nexus loci paralleli Luc. XVII. 37. ubi diſcipuli rogant, *ubi hæc* deſolatio ſit futura, & Servator addit; *ubi cadaver, ibi aquilæ,* manifeſto reſpiciens deſolutionem Hieroſolymæ.

Plurimi ergo Interpretes per πτῶμα ſtatum Judæorum ad ruinam vergentem, & per *Aquilas* Romanos, hanc ruinam accelerantes, intelligunt. Ita ſentiunt LIGHTFOOTUS, HAMMONDUS, KNACHTBUHL, CLERICUS, & Cel. WOLFIUS *in Cur. Phil.* & J. LOEDERUS *in ſing. diſſ.* ad h. l. quæ ſententia nexui & ſcopo Servatoris apprime convenit.

III. Pollicem ex parte premimus hiſce Viris eruditis, ita tamen, ut per *Cadaver* Hieroſolymam literalem & myſticam, Judaiſmum & Antichriſtianiſmum, illius antitypum, atque per *Aquilas* Romanorum exercitus, qui Judæos & Gentes ac Reges, qui Antichriſtum devaſtaturi ſunt, conjunctim intelligamus. *Antichriſtum* enim heic ſenſu ſecundo & myſtico ſimul intelligendum eſſe judicamus. 1) ex collato comm. 15. Cap. noſtri cum Dan. IX. 27. qui locus manifeſto Antichriſtum reſpicit, uti docet Joſ. MEDUS, Corn. a LAPIDE, HULSIUS, GULICHIUS aliique, & pluribus evincit Cel. LAMPIUS l. c. 2) ex collato comm. 24. 26. h. Cap. ubi vaticinium de Pſeudo-propheta, Antichriſto, occurrit, qui Chriſtum in *deſerto* & in *Ciborio* conſtituet, ibique quærendum judicabit,

dicabit ad ſeducendos electos; jam talpa cœcior eſſet, qui negaret, *Chriſtum in ciborio* conſtitui ab Antichriſto, cum eadem voce inſigniant Pontificii locum, in quo panem ſeu corpus Chriſti adſervant. 3) Quoniam Hieroſolyma & Judaiſmus typus fuit *Antichriſti*; Ita *Judas* Apoſtolus ejus typum gerebat, uti ex loco 1 Theſſ. II. 8. patet, quando Antichriſtus *filius perditionis* vocatur, quod nomen Judæ fuit. Joh. XVII. 12. Conf. Cel. LAMP. *in Joh. T. III. p. 68.* Ipſam *Hieroſolymam* ejus vivam imaginem fuiſſe, colligimus ex tot vaticiniis Jeremiæ, Ezech. Dan. IX. & XI. quæ Judaiſmum ſimul & Antichriſtum reſpiciunt, ut paſſim in iisdem explicandis obſervarunt Interpretes. Ita Antichriſtus in *templo* Dei ſedere dicitur 2 Theſſ. II. 4. cum alluſione ad templum Hieroſol. Ita *Jeſabel*, Regina Iſraelis, typus conſtituitur Antichriſti Apoc. II. 20. & Antichriſtus Pſeudo-Propheta dicitur Apoc. XIX. 20. XX. 10.

IV. Huic baſi innixi, rationes emblematum propius excutere poterimus. CADAVER ergo emblema eſt *Hieroſolymæ* literalis atque myſticæ, i. e. *Judæorum* tempore devaſtationis, atque *Antichriſti* ultimis temporibus. Elegantiſſime ſub hoc emblemate depingitur utriusque ſtatus.

1. Cadaver, *πτῶμα*, eſt corpus, quod *cecidit*, i. e. *mortuum*, ac *vita caſſum*, eſtque vel mortui animalis, vel etiam hominis occiſi, & inſtar cadaveris beſtiæ in propatulo projecti, ad quod convolant vultures. Recte ergo *Syrus* vertit ܫܠܕܐ & *Mercerus* נבלה: Sic Hieroſolyma erat cadaver mortuum, vitam enim & auctorem vitæ, Salvatorem, repudiaverat, expulerat, interfecerat, quare in morte peccatorum & obdurationis jacebat. Mors enim eſt ſymb. ſtatus peccati & indurationis. Ita R. LEVI BEN-GERSON *Comm. in Leg. fol. 192.* מת בזה במקום שיהיה מת בפעל לא אשר דרכו שימות מת *Intelligi poſſit, qui mortuus opere & facto, ſcilicet homo impius, non ut vere ſit mortuus.* Eph. II. 2. mortui in prævaricationibus & peccatis dicimur. Quare Judaiſmus comparatur cum oſſibus mortuis in campo projectis, omni carne privilegiorum externorum exutis, & vitæ ſpiritu, quem neglexerunt, carentibus. Ez. XXXVII. & Servator ſepulchris dealbatis confert. Matt. XXIII. 27. Talis etiam ſtatus erit *Anti-Chriſtianiſmi* futurus; quare vocatur beſtia illa magna Apoc. XX. 10. & *Mors* ipſa Apoc. XX. 13. 14.

Apoc. VI. 8. quia cadaver erat vita ſpirituali privatum, induratum in malitia atque mortuis operibus, idololatriæ turpiſſimæ ac mortuæ deditum, mortuos ſanctos adorans, & ab iis auxilium exſpectans, & quia fontem vitæ dereliquit, in mortis tenebris ſepultum jacebit, atque in æternam denique mortem ac barathrum tenebrarum conjicietur. Apoc. XX. 10.

V. Cadaver 2. *putridum* eſt & *vermibus* ſcatet, quo diutius jacet ſepultum atque mortuum, eo magis tabeſcet & a vermibus corrodetur. Ita Job. XXIV. 20. מתקו רמה *exſuget eum vermis*, ſeu ut alii, *dulces ei fuere vermes*, melius ARABS امتصهم *exſugit* eos. & SYRUS ܡܨܗܘܢ *ſuxit* eos. Exprimit hoc viventium in morte fatum SERENUS SAMONICUS *c.31.* ap. BOCHART. *Hier. P. II. p. m. 261.*

Quid non adverſum miſeris mortalibus addit
Natura, interno cum viſcere tænia ſerpens,
Et lumbricus edax vivant inimica creanti,
Quod genus aſſiduo laniat præcordia morſu.

Et Lazari corpus quarto jam die computreſcebat Joh. XI. 39. conf. Eccleſiaſtic. XIX. 3. Job. XXV. 6.

Hieroſolyma cadaver erat putridum & vermibus ſcatens, tot vitiis dedita ac concupiſcentiis; quis omnes idololatriæ ſubtilioris ſpecies, quibus indulgebat, recenſeret? conf. Deut. XXXII. 13. Amos V. 22-fin. quis omnia ſtatuta humana ac traditiones, ſuperſtitionesque, quæ ex cultu externo Levitico ſibi ipſi in exitium adſciverat, enarraret? catalogum earum recenſet Salvator Matth. XXIII. & Cap. V. Præcipue brevi ante excidium urbis, vitia, idololatriæ, incantationes & concupiſcentiæ ad ἀκμὴν pervenerant, ut late docet & reprehendit JOSEPHUS in lib. de *bello Jud.* Ita facta erat Hieroſolyma *Spelunca latronum* Matth. XXI. 13. Luc. XIX. 46. quæ vitiis, ſceleribus, flagitiis, adulteris, ſcortationibus, repudiis & operibus horrendis ſcatebat. Hiſce vermibus corrodebatur urbs hæc & accelerabatur totalis ipſius interitus. Idem ſtatus eſt & erit ultimis temporibus *Anti-Chriſtianiſmi*, quando ad faſtigium ſummum fuerit evectus, vermibus idololatriæ ac concupiſcentiarum plenus erat, quare cum adultera, cum ſcorto, cum beſtia &c. comparatur in

Apoc.

Apoc. Ita & Apoc. XVII. 3. 4. deſcribitur tanquam *mulier, inſidens beſtiæ coccineæ, plenæ nominibus blaſphemiæ, amictæ purpura & cocco, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominationibus & impuritie ſcortationum. Cujus in fronte nomen ſcriptum, myſterium, Babylon illa magna, mater ſcortationum & abominationum terræ.* Tot vermibus quaſi ſcatebat hoc cadaver, quot abominationes & concupiſcentias fovebat conf. Apoc. XVIII. 4. Jer. L. 8. 39. 40. LI. 6. 45. Jeſ. XXI. 9. Apoc. XIV. 8.

VI. Cadaver 3. FOETOREM exhalat intolerabilem, ita ut omnibus tranſeuntibus nauſeam pariat & POLLUAT ex lege. Sic de fœtore cadaveris EUSEB. *Hiſt. Eccl. Lib. VIII. c. 16.* ait: ἀφ᾽ ὧν (σπλάγχνων) ἄλεκτόν τι πλῆθος σκωλήκων βρύειν, θανατώδη δὲ ὄδμην ἀποπνεῖν. *Ex ejus viſceribus ſcaturiviſſe vermium vim infinitam, quæ lethalem odorem exhalaverit.* Ita de fœtore horrendo cadaverum putrefactorum in ſcriptura legimus, qualem emittebant piſces putrefacti, ita ut Iſrael aqua frui non poſſet Exod. VII. 21. ita ranæ computreſcentes odore lethali totam Ægyptum replebant Exod. VIII. 14. & manna fœtebat in naribus, cum vermibus ſcateret. Exod. XVI. 20. conf. de corpore Herodis 2 Macc. IX. 9. *Polluebant* quoque cadavera tranſeuntes Num. XIX. 11. הנגע במת לכל נפש אדם וטמא שבעת ימים *Qui attinget mortuum cujuscunque hominis cadaver, ſeptem dies impurus eſto.* Et ABARBANEL in תורה *fol. 102.* diſtinguit inter immundum tactu cadaveris hominum & beſtiarum, uti & R. MOSE de SONCINO in מגדל השם qui dicit: ראי זה מת של נפש האדם להוציא כבש בהמה שאין טמאתה צריכה הזאה. *Et quis eſt mortuus, nimirum cadaver hominis, ad excipiendum cadaver beſtiæ, quia immundities ex hac, non opus habebat luſtratione.* conf. ZELLER. *de Vacc. Ruf. p. m. 455.*

Ita fœtor peccatorum & vitiorum Hieroſolymæ in nares Dei aſcendebat, adeo ut Deo eſſet abominationi. Ita deſcribitur Zeph. III. 4. *Prophetæ ejus rapaces, viri perfidiæ. Sacerdotes ejus polluerunt rem ſanctam, transgreſſi ſunt legem.* Clarius adhuc Hoſ. IV. 1. 2. *Nulla fides eſt, nulla benignitas, nulla Dei cognitio in hac terra, ſed perjurium, mendacium, cædes, furta, adulteria, quibus legem tranſgrediuntur* conf. etiam Jeſ. I. 21-23. Mal. III. 5. Matth. XXIV. 38. 39. Quare & JOSEPH.

de bell. Jud. Lib. VI. cap. 36. teſtatur: οἶμαι Ῥωμαίων βραδυνόντων ἐπὶ τοὺς ἀλιτηρίους, ἢ καταποθῆναι ἂν ὑπὸ χάσματος ἢ κατακλυσθῆναι τὴν πόλιν, ἢ τοὺς τῆς Σοδομηνῆς μεταλαβεῖν κεραυνούς. πολὺ γὰρ τῶν ταῦτα παθόντων ἤνεγκε γενεὰν ἀθεωτέραν. *Puto, ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ devorandam fuiſſe civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum ad Sodomæ incendia paſſuram: Multo enim magis impiam progeniem tulit, quam quæ illa pertulerat.* Tot enim tantaque peccata erant aſcendentia cœlum, ut vindictam clamarent. *Polluebant* hi ſcelerati reliquias ſeminis ſancti, quare illis egrediendum erat Hieroſolymis. Jeſ. LII. 2. Joel. II. 32. Dan. XII. 1. Mal. IV. 2. Hoſ. II. 14. Matth. XXIV. 15. 16. Simili ratione *Anti-Chriſtianiſmus* peccatis ſuis nauſeam Deo erat creaturus ultimis temporibus. Apoc. XVIII. 5. *accumulata ejus peccata pertigerunt ad cœlum uſque & recordatus eſt Deus ſcelerum ejus* coll. Jer. LI. 9. Apoc. XVIII. 8. 9. 10. Et ne polluerentur hiſce ſceleribus electi, exire tenebantur, unde vox ex cœlo Apoc. XVIII. 4. *Exite ex ea, popule mi, ne participes ſitis peccatorum ejus, & ex plagis ipſius accipiatis* conf. Jer. L. 8. LI. 6. 45.

VII. Cadaver 4. in publico loco *projectum*, quale heic intelligitur, & AVIBUS *cœli* in CIBUM propoſitum publicum tranſeuntibus eſt SCANDALUM, quare maximum erat dedecus *abſque ſepultura* in campo projici. Ita pœna graviſſima innuitur, quando Pſ. LXXIX. 2. dicitur: *Cadaver ſervorum tuorum volucribus cœli in cibum dederunt, & carnem Sanctorum tuorum beſtiis terræ.* Quo reſpicit VIRGIL. *Lib. VI. Æn.*

Eripe me his invicte malis, & tu mihi terram
Injice.

Ita & VALER. FLACC. *Argon. Lib. I.*

Diripiat laceretque ſenem, nec membra ſepulchro
Cor tegat.

Et denuo VIRGIL. *Lib. X. Æn. v. 559.*

- - - Non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra ſepulchro,
Alitibus linquere feris, aut gurgite merſum
Unda feret.

Q. CATULLUS *in Argonauticis.*

Pro quo dilaceranda feris dabor, ALITIBUSQUE
Præda, nec injecta tumulabor mortua terra.

Vide & DEMSTER. ad ROSIN. *Antiq. Lib. V. cap. ult. p. m. 630.*

Tale cadaver erat Hieroſolyma, publicum Dei hominumque ſcandalum, & tale futurum erat, quando vulturibus i. e. Romanis hoſtibus in prædam juſto Dei judicio erat tradenda. Simili ratione uti in priori excidio facta erat ſcandalum tranſeuntibus Thren. II. 15. 16. *Complodunt ſuper te manus ſuos omnes tranſeuntes, ſibilant & capita movent ſuper filia Hieroſolymæ. Anne hæc, ajunt, eſt civitas illa, quam vocabant pulchritudinis perfectionem. Pandunt os ſuum contra te omnes inimici tui, ſibilant, ſtriduntque dentibus.* conf. Nah. III. 19. Et quomodo Hieroſolyma avibus cœli i. e. hoſtibus dilaceranda fuerit projecta, infra docebimus. Simile quid experturus eſt *Antichriſtus*, qui inſtar *Jeſabelis* a canibus barbaris dilacerandus erat, in agro projectus inſtar cadaveris, quando plagæ ipſius venturæ erant uno die Apoc. XVIII. 8. & cœna avibus cœli futura erat adultera hæc, ad quam invitantur Apoc. XIX. 17. & ſatiantur carne ejus volucres v. 21. Unde & tranſeuntibus ſcandalo futura hæc meretrix, quando clamabunt illi Apoc. XVIII. 10. *Vah, vah, magna illa urbs Babylon, urbs illa valida, una hora venit judicium tuum.* conf. Ez. XXVI. 15. 18. XXVII. 35. Apoc. XVIII. 11. 16. 19.

VIII. Ad hoc *Cadaver* congregandæ jam erant *AQUILÆ*, per quas intelligimus tum Romanos, qui Hieroſolymam, tum Gentes barbaros hoſtes, qui Antichriſtum erant devaſtaturi.

Romanorum Symbolum eſſe *Aquilas*, liquet ex Antiquitate Romana. Imperatores enim Romanorum aquilas ſæpe calceis intextas gerebant. Sic *Curopalates* ſ. G. CODINUS *Lib. de Off. Aul. Conſt. p. 55.* ϗ ἕτερον εἶδος ὑποδημάτων, ἃ καλȣ͂νται τζαγκία ἔχοντα ἐκ πλαγίων κατὰ τὰς κνήμας, ϗ ἐπὶ τῶν ταρσῶν ΑΕΤΟΥΣ διὰ λίθων ϗ μαργάρων, ἅτινα ϗ φορεῖ ὁ βασιλεὺς εἴςε τȣ̀ς περιπάτȣς. *Et alterum calceamentorum genus, quæ dicuntur tzaggia, habentia ad latus ſecundum ſuras, & tarſis,* AQUILAS *ex lapillis & margaritis, quæ fert etiam Imperator ad ambulationes.* Ita & Tarquinius auream coronam cum ſceptro eburneo, in cujus ſummitate erat *Aquila*, imperii Romani inſigne, quæ inſignia

ſequen-

ſequentes Imperatores quoque ſervarunt, ut ex DIONYSIO, LIVIO, FLORO, PLUTARCHO probat DEMST. ad ROSIN. *Lib. VII. c. 3. Antiq. Rom.* huc reſpicit PRUDENT. *Lib. de coron. p. 203.*

AQUILA *ex* EBURNA *ſumit arrogantiam*
Geſtator ejus.

Præcipue autem *Aquila* ſymbolum erat EXERCITUS & *copiarum* Romanarum. Aquilam enim Romani, in vexillis & ſignis militaribus gerebant, vel ex auro argentoque conflatam, vel linteo ac ſerico intertextam pictamve. Huc reſpicit CLAUDIAN. *Lib. de Bell. Get.*

Fuderit imbelles AQUILAS *ſervilibus armis.* Unde DIO CASS. *Lib. XLIII. p. 21.* οἱ δὲ δὴ ἀετοὶ τῶν στρατοπέδων αὐτοῦ, τάς τε πτέρυγας σείσαντες καὶ τοὺς κεραυνοὺς, οὓς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν τίνες, χρύσους ἔφερον, ἐκβάλοντες, ἐκείνῳ τε τὸ κακὸν ἀντίκρυς ἐνέσκηπτον. *Verum* AQUILÆ EXERCITUS *Pompejani alas ſuas concutientes, fulminaque, quæ aurea nonnullæ pedibus geſtabant, projicientes, Pompejo exitium palam annuntiabant.* conf. etiam loca varia citata apud DEMSTER ad *Roſin. Lib. X. p. m. 1062. & Exercitat. noſtr. IV. de Vexillo Meſſiæ Symb.* Unde tot *nummi* deprehenduntur, in quibus *aquilæ* apparent, qualis eſt apud SPANHEM. *de Uſu & Præſt. Num. p. m. 558.* apud OISEL. *Num. Tab. II. n. 5.* cum epigr. LEGION. VI. Tab. LXXXVI. n. 2. 3. FID. EXERCIT. & n. 5. FIDES EXERCITUS. Tab. XCIII. n. 6. COHORTIUM PRÆTORIARUM. vid. *Comment.* OISEL. ad h. num. & Tab. XCIV. n. 5. SIGNIS RECEPT. DE VICT. GERM. Ita & apud BEGER. *Theſ. Num. Imp.* Tab. III. n. 6. T. VII. n. 18. &c. LEG. PRI. LEG. XXX. LEG. VI. Tab. XVII. n. 8. &c. apud AUGUST. Tab. VII. n. 18. Tab. VIII. n. 20. Tab. XXI. n. 73. & alios paſſim. vide numum ejuſmodi expreſſum in Tab. noſtr. n. 6. Unde & nummi ſunt, qui aquilas exhibent cum inſcript. CONCORDIA EXERCITUUM ubi aquilæ Symb. Exercituum Romanorum. vid. nummum in *Tab. noſtra* n. 7. Quum ergo Aquilæ Romanorum emblema ſint, vi dati nexus etiam Gentium ac Regum & hoſtilium exercituum, qui Anti-Chriſtum aliquando ſunt deſtructuri, Symbolum eſſe apte poterunt. Nam Aſſyrii & Babylonii aliique populi hoſtiles ſub emblemate aquilæ in ſcriptis ſacris proponuntur Dan. VII. 4. Hoſ. VII. 4. idem docet *Kimchi* ad Ezech.

XVII.

XVII. 3. Ergo & aquilæ deſignant hoſtes Anti-Chriſti; erunt autem illi *decem cornua* ſeu regna, quæ odio habent hanc meretricem & nudam eam exuent ac deſolatam reddent, imo *carnem ejus devorabunt*, inſtar aquilarum rapacium Apoc. XVII. 16.

IX. Elegantiſſime autem tum Romani tum reliquæ Gentes & Reges Aquilis comparantur.

1. Aquila REX AVIUM eſt, & a veteribus talis agnitus, quo nomine ſæpius gaudet PINDARUS *Olymp. p. 13.* οἰωνῶν ΒΑΣΙΛΗΑ vocat *regem volucrium*, ita & *Iſthm. 6.*

- - - ἀρχὸν οἰωνῶν μέγαν Αἰετὸν

- - - *Principem avium, magnam Aquilam.*

ÆLIAN. *Lib. IX. hiſt. cap. 2.* τὸν ἀετὸν τὸν μὲν ὀρνίθων βασιλέα, οὐ μόνον παρόντα καὶ ζῶντα δέδοικε τὰ ὄρνεα. *Aquilam, avium regem non ſolum viventem & præſentem metuunt volucres.* Quare & Regum potentiſſimorum commune fuit Symbolum. Ita THEODORET. *in Cant.* Αἰετὸν μὲν τὸν βασιλέα ἐνόησε, ἐπειδὰν καὶ τὸ ζῶον βασιλικόν. *Per Aquilam Regem intelligit, quia Regium eſt animal*, conf. latius id probantem BOCH. *Hieroz. P. II. p. m. 163.*

Commode ergo Romanorum Reges & Imperatores deſignant heic aquilæ, qui illo tempore, quando Hieroſolyma erat devaſtanda, dominium in Judæos quoque erant habituri; Palæſtina enim illis temporibus Provincia facta erat Romana. Jugo ergo Romanorum ſubjecti Judæi fatentur ipſi coram Pilato: Joh. XIX. 15. Οὐκ ἔχομεν βασιλέα, εἰ μὴ καίσαρα. ex quibus verbis GUSSET *in Confut. Lib.* חזוק אמונה *P. II. c. 57.* probat, quod Romanorum Imperatores jam ante necem Meſſiæ imperium in Romanos exercuerint. Talis Aquila erat Titus Imperator, qui Judæam gladio devaſtabat & igne. Ita & hoſtes Antichriſtianiſmum exſcidentes vocantur decem *cornua* i. e. *reges*, potentiſſimi Principes atque Imperatores, commode heic ſub figura aquilarum depicti. conf. Apoc. XVII. 6.

X. Aquila 2. avis IMPURA erat ex lege divina, Iſraeli data. Lev. XI. 13. אלה תשקצו מן העוף לא יאכלו שקץ הם את הנשר *Iſta autem abominamini ex volatilibus, ne comeduntor, abominationi ſunt, aquilam* &c. pertinet enim ad rapacium genus, quod impurum erat. conf.

conf. Deut. XIV. 12. Ita Romani gens impura habebantur Judæis, quibuſcum commercium habere nolebant, uti ex ipſa hiſtoria paſſionis dominicæ liquet, quando Judæi domum Pilati, Romanorum Præfecti ingredi nolebant Joh. XVIII. 28. ne polluerentur, cum illis omne familiare commercium Judæis prohibitum erat. conf. SELDEN. *de jure Nat. & Gent. p. 176.* Gentes quoque omnes impuræ erant, idololatriæ impuriſſimæ deditæ, unde canes vocantur. Apoc. XXII. 15. mare, quod cœnum atque lutum evomit. Jeſ. LVII. 24. Et in oculis quoque Dei & Romani & Gentes impuri erant, utpote extra fœdus & communionem Dei, idololatriæ dediti, & a Deo rejecti. Act. XIV. 16.

XI. 3. Aquila *nidum* ſuum in *alto* ponit & in *rupe* firmiſſima collocat, unde Job. XXXIX. 30. 31. quæritur, אם על פיך יגבוה נשר וכי ירים קנו סלע ושכן ויתלנן על שן מלע ומצודה *An ad voluntatem tuam altum petit aquila, an certe evehit nidum ſuum. Rupem inhabitat, & incolit ſcopulum petræ & munimentum.* PLINIUS *Lib. X. cap. 3.* NIDIFICANT *in petris & arboribus, pariunt ova terna, excludunt pullos binos.* Unde Jerem. XLIX. 16. *O qui habitas in fiſſuris petræ. Et licet exaltares nidum tuum inſtar* AQUILÆ. ubi *Chald.* Paraphraſtes. *Tu aquilæ es ſimilis, quæ degit* בשני כיפא *in ſcopulis petræ.* ARISTOTELES *Lib. IX. c. 32.* ποιȣ͂νται δὲ ἀυ]ὰς ȣ̓κ ἐν πεδινοῖς τόποις, ἀλλ' ἐν ὑψηλοῖς, μάλιϛα μὲν ᾗ ἐν πέτρaις ἀποκρήμνοις. *Nidos autem faciunt non in locis planis ſed excelſis, & præcipue in rupibus præruptis.* & DAMIR Arabs *cap. de aquil.* العا لية تيبض لي الاماكن *ova ponit in locis præruptis.* Conf. BOCHART. HIER. *P. II. L. I. c. 2.* Quare בין כוכבים *inter ſtellas* nidum ſuum ponere dicitur aquila *Obad. v. 4.*

Commode hæc aquilæ proprietas *robur* Romanorum atque firmitatem imperii ipſorum deſignabit, utpote dominii Romani gloria ac robur ad ἀκμὴν pervenerat tempore excidii Hieroſol. *crura ergo ferrea* & pedes quoque ex *ferro* tribuuntur imperio Romano Dan. II. 33. 40. & majus erat regnis reliquis Dan. VII. 37. Unde FLOR. *Lib. II. cap. 1.* JUSTIN. *Lib. XXXVI. c. 4.* teſtantur, quod terrarum orbem victoriis & bellis peragrarent Romani; unde toties Terrarum dominos vocant Romanos, ſcriptores. PETRON. *Satyr.*

Orbem

Orbem jam totum victor Romanus habebat
Qua mare, qua terræ, qua ſidus currit utrumque.

conf. FLOR. *Lib. IV. c. 2.* ATHEN. DEIPNOS. *Lib. I.* Quare de ſe gloriabantur, tanquam populo invicto & æterno. Et Reges Antichriſtum deſtruentes ſimul robuſtiſſimi erant futuri, id quod emblema *cornuum*, quod l. c. adhibetur, ſatis innuit.

XII. Aquila 4. ALIS inſtructa eſt & robuſtiſſimis & celerrime ſe moventibus, quibus altiſſime & rapidiſſime fertur per aëra, & involat cadavera, quæ *viſu acutiſſimo* e longinquo proſpicit. Unde PINDARUS *Pyth. 5.*

Τανύπτερος ἐν ὄρνιξιν αἰετὸς
Aquila inter aves alis maxime velox.

Ita & HOMER. *Iliad. ult. v. 317.*

Ὅσση δ' ὑψορόφοιο θύρη θαλάμοιο τέτυκται
Ἀνέρος ἀφνειοῖο ἐυκληὶς ἀραρυῖα
Τόσσ' ἄρα τοῦ ἑκάτερθεν ἔσαν πτερά.

Quanta eſt janua altî cubiculi viri divitis, bene reſerata, affabre facta, tantæ erant hujus (aquilæ) alæ. Idem eleganter exprimit DAMIR Arabs apud BOCH. *l. c.* وهو اشد الطير طيرانا واقوى جناحا حتى انه ليطير ما بين المشرق والمغرب في يوم واحد *Ea eſt omnium avium vehementiſſimi volatus & ALAS habet robuſtiſſimas, ita ut quicquid eſt inter ortum & occaſum una die pervolet.* *Viſu* quoque ſuo *acutiſſimo* e longinquo cibum ſcrutatur, teſte Job. C. XXXIX. &c. Unde HOMER. *Ilad. ρ. v. 674.*

- - - ὥς τ' αἰετὸς, ὅν ῥά τέ φασιν
ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν.

Ut aquila, quam inter aves aërias acutiſſime cernere dicunt. Unde PHILE *de animal. c. 1.*

πλὴν ὀξυδερκής ἐστιν ὁ πτηνοκράτωρ
Sed viſu acuto præditus eſt avium princeps.

Alæ ſymb. ſunt roboris ac fortitudinis, præcipue autem copiarum militarium, quare per *Alas & viſum* aquilarum & *robur* & *aſtutiam* Romanorum indigitari cenſemus, Ita Saul & Jonathan, heroës fortiſſimi

comparantur *aquilis velociſſimis* 2 Sam. I. 23. Ita de hoſtibus Moabum vaſtantibus dicitur Jer. XLVIII. 40. *inſtar aquilæ involabit hoſtis, pandetque alas ſuas in Moabum* conf. Jer. XLIX. 22. Dan. VII. 4. Hoſ. VIII. 1. Ez. XVII. 3. ubi aquilarum *alæ* exercitus robuſtos denotant. Imo exercitus Romanorum, qui hoc loco intelligitur, vocatur Dan. IX. 27. כנף שקצים ALA *abominationum*, vel uti latius id probat Cel. OUTHOF. *in diſſ. ad h. l.* in BIBL. BREM. *T. III. p. 630. ſq.* Et ſane Titus Imperator erat & ſagaciſſimus & exercitu inſtructus copioſo, quo Hieroſolymam inſtar aquilæ involabat, de quo vide late JOSEPH. *de bell. Jud. Lib. III. cap. 4.* & paſſim. Simili ratione decem illa cornua, ſeu Reges, qui Antichriſtum erant deturbaturi, inſigni aſtutia & robore illum invadent, ita ut cladem per illas ipſi inferendam effugere non poterit. Apoc. XVII. 5. 6.

XIII. Aquila 5. INHIAT CADAVERIBUS mortuorum, quæ dilacerat *roſtro* adunco & *unguibus* rapacibus, illudque dilaniat ac devorat. Quare Job. XXXIX. 33. dicitur ואפרחו יעלעו דם ובאשר חללים שם הוא *Et pulli ejus lingunt ſanguinem. Ubi vero ſunt confoſſi, ibi eſt aquila.* Non quidem omnes aquilæ cadaveribus inhiant, ſed genus aquilarum, quod γυπαίετον vocat *Ariſtoteles*, quaſi *vulturem aquilinum*, ſeu ut aliis dicitur περκνόπτερον, aut etiam μόρφνον, ut docet BOCHARTUS; quod genus ſanguine & carne confoſſorum delectatur, quod & teſtatur OPPIANUS apud GESNER. *in hiſt. Animal. p. 651.* Ita & ÆLIAN. *Hiſt. Lib. X. cap. 14.* Σαρκῶν δὲ ἥδεται βορᾷ, καὶ πίνει αἷμα καὶ τὰ νεόττια ἐκτρέφει. *Carnium eſu gaudet & ſanguinem bibit, & illis ſuos alit pullos.* Item teſtatur PLINIUS *Hiſt. Nat. Lib. IX. cap. 32.* Et DAMIR Arabs apud *Bochart. l. c.* أذا وقع على جيفة وامتلا صنها لم يستطع الطيرن حتي يثب وثبات يروع بها نفسها طبقة بعد طبقة في الهوا *Et cum in cadaver incidit, & eo repleta eſt, volare non poteſt, donec ſaltuatim progreſſa, per gradus in aërem ſe ſuſtulerit.* Unde & Arabibus نسر appellatur, qui rem *roſtro carpit &* vellicat. Quare caſtra militum ejuſmodi aves comitare ſolent, ut confoſſorum carne veſcantur, ut docet *Baſilius* apud SCHOTT. *in Adag. S.* vid. CREN. *Faſc. III. p. 565.*

Tales

Tales erant aquilæ Romani Hieroſolymam copiis ſuis devaſtantes, urbem ceu cadaver roſtris & unguibus dilaniantes, cum cadavera ibi coacervarentur innumera, & ſanguis inſtar torrentis per plateas & valles difflueret. Videamus loca quædam JOSEPHI, qui de *bello Jud. Lib. V. cap.* 12. §. 4. ait: περικὸν δὲ ταύτας ὁ Τῖτος, ὡς ἐθεάσατο πεπλησμένας τῶν νεκρῶν, καὶ βαθὺν ἰχῶρα μυδώντων τὸν ὑποῤῥέοντα τῶν σωμάτων, ἐστέναξε. *Has vero* ſc. voragines, *cum Titus circumiret, ubi oppletas cadaveribus vidit, & ſaniem putrefactis corporibus diffluentem, ingemuit.* Et *Lib. VI. cap. 8.* ἀλλὰ τὸν ἐντυχόντα διελαύνοντες ἀπέφραξαν μὲν τοὺς στενωποὺς νεκροῖς, αἵματι δ' ὅλην τὴν πόλιν κατέκλυσαν, ὡς πολλὰ τῶν φλεγομένων σβεσθῆναι τῷ φόνῳ. *Sed unum quemque obvium transfigentes, anguſtias vicorum cadaveribus obſtruxerunt, & totam civitatem ſanguine obruerunt, ut pleraque incenſorum ſanguine cæſorum exſtinguerentur.* Imo *Lib. V. cap. 13.* ſexcenta millia cadaverum portis ejecta eſſe aſſerit. Nec minor clades *Antichriſto* per decem illa cornua erat inferenda. Ita de capite hoc piloſo jam cecinit Vates ille Deut. XXXII. 42. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus carnem devorabit, inebriabor ſanguine confoſſorum atque captivorum.* Et Apoc. XVII. 16. Cap. XIX. 22. caro meretricis hujus *volucribus cœli* in *cibum* danda dicitur. conf. & JOS. MEDUM ad Apoc. XIV. 20.

XIV. Aquila 6. denique JOVIS habebatur MINISTER apud antiquos, illique maxime ſacra erat. Unde LUCIAN. *Icaromen.* τὸν δὲ ἀετὸν ἠπιστάμην ἐκ παλαιοῦ συνήθη τῷ Διΐ. *Jovi jam olim aquilam fuiſſe familiarem, credidi.* Quare & fulmina Jovis ferre credebatur. HORAT. *Lib. IV. od.* 4. *Qualem miniſtrum, fulminis alitem, Cui Rex Deorum regnum in aves vagas permiſit.* Ita & cernimus in nummis aquilam, fulmina pedibus tenentem, uti apud SPANHEM. *Diſſ. II. p.* 120. apud CHOUL. *Relig. des Anc. Rom. p. m.* 49. Et OISEL. *Numiſm. Antiq. Tab. XXXV. n.* 10. cum epigraphe: IVPITER CONSERVATOR. & *Tab. XCIII. num.* 7. & apud BEYER. *in Theſ. Num. Imp. Rom. Tab. XVI. n.* 20. & *Tab. XLVIII. num.* 19. aliosque. Animas quoque Imperatorum conſecratorum in cœlum tanquam Jovis miniſter vehere credebatur, unde nummi paſſim occurrunt cum effigie aquilæ cum fulminibus, aut ſine iisdem, cum epigraphe: CONSECRATIO. ita apud CHOUL.

CHOUL. *l. c. p. 83.* OISEL. *Tab. CII. num. 7. 8. 9. 10.* BEYER. *Tab. XLVII. n. 19. 20. 21. Tab. XLII. num. 23.* ita & *Tab. LXII.* nummus cum aquila exhibetur, cui inſcriptio MEMORIÆ ÆTERNÆ. Uti & nummi cum effigie Jovis & aquila in manu & capite ejus inveniuntur, præcipue apud CHOUL. *l. c. p. m. 47. 49. 62.*

Hoc nobis quoad ſenſum myſticum revocat in memoriam, judicia graviſſima per Romanos in Hieroſolymæ excidio, dirigenti dextræ Dei eſſe aſſignanda, & Romanos non niſi decreti divini fuiſſe executores & miniſtros. Id quod Imperator Romanus ipſe agnoſcebat, ut docet JOSEPH. *de bell. Jud. Lib. VI. cap. 9.* quando urbem dirutam & munimenta deſtructa cernens exclamabat: Σὺν Θεῷ γ᾽ ἐπολεμήσαμεν, καὶ Θεὸς ἦν, ὁ τῶν δὲ τῶν ἐρυμάτων Ἰουδαίους καθελὼν, ἐπεὶ χεῖρές τε ἀνθρώπων ἢ μηχαναὶ τὶ πρὸς τούτους τοὺς πύργους δύνανται. *Deo favente bellavimus, Deus eſt, qui Judæos ex iſtis munimentis detraxit. Nam manus humanæ & machinæ quid contra tales turres valerent?* conf. eundem *Lib. VI. cap. 4.* Ita & judicia in Antichriſtum per Dei manum exſerentur, unde gladio oris Dei interimendus dicitur 2 Theſſ. II. 8. Pſ. LXVIII. 22. Et quando Babelem hanc deſtruent hoſtes, Apoc. XVII. 17. dicitur, quod Deus *dederit in corda ipſorum.*

XV. Quis non obſtupeſceret ſevera Dei in Hieroſolymam & Antichriſtum judicia! Sed quis neſcit etiam, peccata utriusque cœlum aſcendiſſe, & Divinæ Majeſtatis oculos læſiſſe? Sic aquilis & volucribus cœli datum hoc eſt cadaver. Mortui ſumus omnes in peccatis, væ illi qui cadaver manet mortuum, nec per ſpiritum vitæ nova induitur virtute. Expergiſcere o anima ex morte tua, intuere miſerrimum ſtatum tuum, quot concupiſcentiarum vermibus & operibus mortuis ſcateas, computreſcis in peccatis tuis, & nauſeam paris Deo & angelis ſanctis, qui tuam fugiunt communionem. Niſi enim per Spiritum vitæ renoveris & viviſiceris, æternum volucrium inferarum pabulum, ſatanæ & angelorum ipſius præda eris, qui viſcera tua dilaniabunt & præcordia angent. Ergo ſuſpiria emitte ſurſum, Pſ. LI. 12. *Animum crea o Jehova purum in me, & ſpiritum firmum renova in medio mei.* Mortua opera fuge, mortuorum ſocietatem, qua polluitur anima, ceu peſtem odi,

di, & a ſpiritu Dei omnem pete & exſpecta opem, ſicque ex mortuo vivus, & ex præda volucrium inferni, æterna chori cœleſtis pars & hæres vitæ beatæ evades.

EXERCITATIO VII.

DE STRIDORE DENTIUM SYMBOLO POENÆ INFERNALIS.

MATTH. XXIV. v. 51.

ARGUMENTUM.

§. I. Quænam pœna, an corporalis an æterna per phraſin ſtridoris dentium *indigitetur, inquiritur. §. II. Alluſio ad famelicum refutatur. §. III. Uti & reliquæ alluſiones ad crepitum ſtipularum in igne vel ad frigus ingens vel ad hominem iracundum. §. IV. Genuina hujus phraſis alluſio ad Topheth ſeu vallem Hinnon adducitur & confirmatur. §. V. Pergimus & demonſtramus, quod* ſtridor dentium *in hieroglyphica veterum ſcientia emblema ſit deſperationis. §. VI. Livoris & invidiæ. §. VII. Iræ ac indignationis. §. VIII. Horroris atque metus. §. IX. Murmurationis atque impatientiæ. §. X. Denique convitiorum atque blaſphemiæ. Quæ omnia ſimul applicantur pœnæ damnatorum. §. XI. Praxis additur.*

I.

VAria ſunt N. T. loca, in quibus pœna damnatorum infernalis ſub Symb. *STRIDORIS DENTIVM* proponitur, veluti Matth. VIII. 12. Cap. XIII. 42. XXV. 30. Luc. XIII. 28. Sunt quidem viri docti, qui phraſin hanc interpretantur de ſtatu miſerrimo in hac vita, quemadmodum B. ARETIUS in Matth. VIII. LIGHTFOOT. *hor. hebr. ad Matth. VIII.* COCCEJUS *ad h. l.* HEUMANNUS *in Act. Erud. T. V. ſuppl. p. 205.* variique Patres. Sed tamen CHRYSOSTOM. *homil.*

79. in Matth. & THEOPHYLACTUS *in Matth. XXII.* HIERONYMUS *ad Matth. XXIV.* PARÆUS *ad Matth. VIII.* & plurimi recentiorum Interpretum hac phraſi ſtatum damnatorum recte depingi ſtatuunt, ſaltem id loci Matth. XIII. 42. qui de rebus ἐν συντελείᾳ κόσμου agit & Matth. XXV. 30. aperte docent, & talis eſt locus noſter, qui pœnam hypocritis exſpectandam in die adventus Judicis ſupremi deſcribit.

II. Quando de *ſtridore dentium* loquitur Servator, quæritur jure merito, quorſum hac phraſi alludat? ut ita genuinus hujus emblematis ſenſus erui queat. Sunt Viri docti, qui exiſtimant, FAMELICO ſtridorem dentium tribui commode, qui nihil habet, quod dentibus molat, atque fruſtra illos allidat inter ſe. Aſſerit hoc ADAMI *in obſ. Phil. p. 132.* ubi docet paraſitorum fuiſſe pœnam, ut ejicerentur foras extra cœnaculum, & dentibus ſtupuerint. Citat hunc in finem locum *Timoclis* apud ATHEN. *Deipnoſ. Lib. VI. p. 241.*

. . . ἐγχέλεις ὁρῶν
θυννεῖα, νάρκας, καράβους, ἡμωδία.
Conſpiciens thynna fruſta, torpedines, locuſtas,
dentibus ſtupens.

Ubi ex *Caſaubon.* probat ἡμωδίαν ſeu αἱμωδίαν eſſe *ſtuporem dentium,* ſeu pruritum dentium ad edendum. Verum licet hoc alluſio convenire videatur parabolæ Matth. XXII. 13. de præparata cœna nuptiali, tamen minime quadrat aliis locis, ubi eadem reperitur phraſis, veluti Matth. XIII. 42. ubi de impiis ceu infelici lolio & zizanio dicitur, quod in ignem ſint conjiciendi, ubi ſtridor dentium & ejulatus; ubi alluſio ad paraſitos neutiquam commoda eſt & conveniens.

III. Sunt alii viri eruditi, qui ad *ſtrepitum* atque crepitum STIPULARUM in igne & camino ardente alludi cenſent, idque præcipue demonſtrant ex loco cit. Matth. XIII. ubi de Zizaniis igne comburendis adhibetur, & addunt locum VIRGIL.

Profuit & ſtipulas crepantibus urere flammis.

ut legiſſe me memini in *Diſſ.* Cl. ENS *de tenebris exteriorib.* Sed cum heic non de ſtridore in genere ſed de ſtridore dentium agatur, & phraſeos hujus alluſio non conveniat cum additis circumſtantiis tenebrarum

exte-

exteriorum, & fletus ſeu ejulatus cum ſtridore dentium juncti, merito illam incongruam plane agnoſcimus.

Sunt qui ad FRIGUS recurrunt; in frigore enim vehementi ſtridor dentium audiri ſolet. Ita HIERON. *ad Job. XXIV. 19. Quaſi duas gehennas Job dicere mihi videtur, ignis & frigoris, per quas diabolus hæreticus & homo impius commutetur. Forte in ipſa gehenna talis ſenſuum cruciatus fiet illis, qui in ea torquebuntur, ut nunc quaſi ignem ardentem ſentiunt, nunc nimium algoris incendium. Forte Chriſtus reſpexit, interminans* STRIDOREM DENTIUM, *qui de rigore* FRIGORIS *oriatur*. conf. & HEUMANN. *Act. Erud. T. V. ſuppl. p. 205*. De frigore etiam in gehenna vide varia apud WINDET *de vita funct. ſtatu* in CREN. *Opp. IV. p 176*. Sed merito hæc ſententia ab HAMMONDO, PICINELLO & SUICERO refutatur, teſte Cel. LAMP. *diſſ. de Pœnar. æternit. I. p. 23*. Et cum ſtridor ille dentium jungatur cum igne vehementiſſimo Matth. XIII. 42. ſponte liquet, heic nullam dari anſam de frigore cogitandi.

Sunt denique doctiſſimi Viri, inter quos Cel. LAMPE *in diſſ. cit.* & ADAMI *in obſ. Phil. p. 132.* (hic alluſionem hanc priori addit) qui ad hominem IRACUNDUM & vehementi ira excandeſcentem alludi judicant; talis quippe dentibus frendet atque ſtridet, uti Judæi iracundiam ſuam dentibus colliſis contra Stephanum prodebant. Aſt licet lubentes concedamus, iracundiam hoc emblemate exprimi, tamen primariam hanc eſſe alluſionem non videmus, cum hæcce alluſio nullum cum ſeq. emblemate tenebrarum exteriorum atque camini ignis nexum habeat.

IV. Ergo videamus, an ritum invenire queamus, in quo omnium harum phraſium conjunctarum alluſio deprehendatur. Omnia ergo ſponte fluent, ſi dicas alludi ad *vallem Tophet*, quæ erat vallis ad auſtrum Hieroſolymæ, ubi Molochi cultus olim celebrabatur 2 Reg. XXIII. 5. & liberi huic idolo immolabantur ceu in fornace candente, de qua valle & ritu conf. HULS. *de Vallib. Proph. Exerc. XV. p. 403.* LIGHTFOOT. *Opp. Tom. I. p. 556. Tom. II. p. 200.* GODWIN. *Moſ. & Aaron. Lib. IV. c. 2.* & plures alios, quos citat LUND. *Lib. III. c. 34.* hæc vallis גיא הנום dicebatur & *Gehennæ* Symbolum erat, ut docet WINDET *de vita funct. ſtatu l. c. p. 166.* Heic omnium emblematum ſcheſin deteges.

teges. 1) quia vallis erat *extra* Hieroſolymas ad auſtrum, teſte Hieronymo, commode Matth. XXII. dicuntur *ejici foras*, ubi eſt ſtridor dentium. 2) Vallis illa erat *obſcura*, nigra & ſordibus repleta ac oſſibus, pars enim erat vallis Kidron, quæ vel a nigredine, vel cedrorum opaca multitudine dicta eſt; ſordes & inquinamenta in hac valle coacervabantur & cadavera, vide PETITI *Miſcell. S. cap. V.* & TALMUD. *Sanhedrin. par.* 7. huc reſpicit phraſis *tenebrarum exteriorum*. 3) Vallis hæc deſtinata olim cultui Molochi fuit, cui in *fornace candente* liberi immolabantur, qui miſerrimum ſæpe *ejulatum*, & horrendum ob cruciatus diriſſimos *dentium ſtridorem* emittebant, quare utramque phraſin ſc. ejulatus & ſtridoris hoc loco conjunctam vides & de *camino* ſeu fornace *ardente* ſimul mentio injicitur Matth. XIII. 42. Perpetuus quoque *ignis* ibi erat, teſte KIMCHIO apud WINDET l. c. & conf. BENJAMIN TUD. *Itiner. p. 192. ſeq.*

V. Sed inquiramus porro, quid ergo *ſtridor dentium* involvat, & quales damnatorum affectus & quis ſtatus ſub hoc emblemate depingatur. Nimirum *ſtridor dentium* eorum, qui in Tophet myſtica, ſeu gehenna cruciatus ſentient, emblema eſt.

1. *Deſperationis* ac *gemitus* ob *conſcientiæ* dira tormenta, & miſerrimæ *querelæ*. Huc reſpicit CLAUDIAN. *Lib. I. Ruffin. v. 126.*

Illic umbrarum tenui STRIDORE *volantum*
Flebilis auditur QUESTUS.

VAL. FLACC. *Argon. Lib. I.*

Nato STRIDENTE *per undas.*

Huc quoque refer. VIRGIL. *Lib. VI. v. 557.*

Hinc exaudiri GEMITUS, *& ſæva ſonare*
Verbera, tum ſtridor ferri, tractæque catenæ,
Conſtituit Æneas, STREPITUMQUE *exterritus hauſit*
- - - *quis tantus* PLANGOR *ad auras?*

Ita damnatorum hac phraſi planctus horrendus & queſtus miſerrimi denotantur, quando conſcientiæ tormentis exagitabuntur. Jeſ. LXVI. 24. *vermis* enim conſcientiæ angentis *nunquam morietur.* Hic triſtes ad æthera voces emittet, vah me miſerum! o utinam tempus mihi gratiæ adhuc ſuppeteret! Ille væ mihi! qui per flagitia mea proterva tantam

attuli

attuli mihi perniciem! Iſte, ah quis recreat linguam meam infernalibus flammis exſiccatam? Luc. XVI. 24. Et quando tot media gratiæ, tot admonitiones ſerias, tot preces miniſtrorum Dei, tot conſcientiæ convictiones, absque omni reſipiſcentia neglectas, perpendent, in ſe ipſum deſperabundi furent, triſtesque ad cœlum ex abyſſo ejulatus fruſtra emittent.

VI. 2. Dentium quoque ſtridor *livoris* atque *invidiæ* eſt indicium. Elegans hanc in rem locus eſt Pſ. CXII. 10. רשע יראה וכעס שניו יחרק ונמס *Impius videbit, & invidebit,* DENTIBUS *ſuis* FRENDENS *contabeſcet.* Huc quoque refero locum HORAT. *Lib. IV. od 3.*

Et jam DENTE *minus mordeor* INVIDO.

Et *Lib. V. Epod. v. 47.*

Heic irreſectam ſæva DENTE LIVIDO
Canidia rodens pollicem.

Invidia quoque depaſcet damnatos in tartaro, quando cum divite helluone in mediis quaſi flammis oculos elevabunt, Lazarum & olim miſeros & contemtos in hoc orbe, jam lætos ac cœleſti beatitate gaudentes, in ſinu Abrahæ conſpicient, illos ſatiatos dapibus cœleſtibus & donis omniſufficientiæ divinæ, ſe vero excluſos & tabeſcentes deprehendent. Luc. XVI. 23. Invidebunt beſtiis terræ & ipſis vermibus ſortem ac felicitatem ipſis conceſſam, quod per mortem exiſtere deſinant, & anima carent immortali, qua impiorum tamen æternum dedecoris & iræ divinæ vas erit; muſcis & inſectis fata magis felicia invidebunt, quæ pedibus conculcata pereunt, ipſi autem æternis conſcientiæ morſibus rodentur. Lividis oculis angelorum intuebuntur ſtatum, qui æterna in communione Dei lætantur, confirmati in ſanctitate. Livor exedet quaſi viſcera eorum interiora, quando ſedes beatas intuebuntur, & χάσμα illud horrendum inter cœlum & infernum obſervabunt.

VII. 3. Dentium ſtridor *iræ* ac *indignationis* ſummæ indicium eſſe ſolet. Diſcimus hoc ex Act. VII. 54. ubi de malitioſis & ira incenſis Judæis dicitur ἔβρυχον τὰς ὀδόντας ἐπ' αὐτόν. *ſtridebant dentibus in eum.* Ita Job. XVI. 9. Ira ſua rapit, quaſi inteſtino odio me proſequatur, *frendit contra me dentibus ſuis.* quod & de malitioſo illo ſpiritu dicitur

M Marc.

Marc. IX. 18. Eodem modo de apro in furorem acto teſtatur ſcriptor quidam in EPIGRAMM. *Lib. IV. cap. 7.*

Θηκτὸν ὀδόντα βρύχων

Acutum dentem cum ſtridore ſtringens.

VIRGIL. *Lib. VI. Æn. v. 288.*

Horrendum, STRIDENS, flammisque armata Chimæra.

De *ira* quoque ſumitur phraſis hæc apud HESIOD. *ſcut. Hercul. 403.*

Ἀλλήλοις κοτέοντε, ἐπὶ σφέας ὁρμήσωσι.
Δεινὴ δὲ σφ᾽ ἰαχὴ, ἄραβος δ᾽ ἅμα γίνετ᾽ ὀδόντων.

Sibi mutuo irati in ſe ipſos impetum faciunt, ſævusque inter ipſos rugitus eſt & STRIDOR exoritur DENTIUM. Vid. Cel. LAMP. *diſſ. de pœnar. ætern. p. 24.* Ita & LUCIAN. *opp. Tom I. Somn. p. 10.* Τὸ μὲν πρῶτον ἠγανάκτε, καὶ τὼ χεῖρε συνεκρότει, καὶ τοὺς ὀδόντας ἐνέπριε. *Primum indignabatur, manusque complodebat & dentibus infrendebat.*

Talis quoque damnatorum erit ſtatus; indignatio, furor, iracundia pectus exagitabit, omnes maledictiones ex odio & tædio ſibi ipſi apprecabuntur deſperantes, mille ſe onerabunt anathematibus; & odium contra Deum ejusque ſanctitatem in dies magis magisque adaugebitur. Furent contra propria viſcera, mortem exoptabunt, nec videbunt unquam. Felices ſe judicabunt, ſi αὐτόχειρες ſe ipſum quoad corpus & animam interimere ac perdere poſſent, & ex malitia ac indignatione ſui ipſius linguas rodent Apoc. XVI. 10.

VIII. 4. Dentium *ſtridor horrorem, metum* atque *ſtuporem* denotat, qualis ſolet eſſe in illis, quibus ſententia mortis ac pœnæ ſupremæ dicitur, & qui ad ſupplicium ducuntur. Ita DIOGEN. LAERT. *de Vita Pyht. p. 505.* Φησὶ δ᾽ Ἱερώνυμος, κατελθόντα αὐτὸν εἰς ᾅδου, τὴν μὲν Ἡσιόδου ψυχὴν ἰδεῖν πρὸς κίονι χαλκῷ δεδεμένην καὶ τρίζουσαν. *Hieronymus vere dicitur deſcendiſſe ad inferos, atque animam Heſiodi columnæ æneæ vinculis adſtrictam & ſtridentem* vidiſſe. Et HOMER. *Iliad. XIII. v. 284.*

Ἀλλὰ μετοκλάζει, καὶ ἐπ᾽ ἀμφοτέρους πόδας ἵζει.
Ἐν δέ τε οἱ κραδίη μεγάλα στέρνοισι πατάσσει
Κῆρας οἰομένῳ· πάταγος δέ τε γίνετ᾽ ὀδόντων.

Sed

Sed mutat ſedes & ſuper utrumque pedem ſedet,
Inque ei cor valde pectoribus pulſat
Mortem ſuſpicanti, ſtridor autem ſit dentium.

Huc quoque refer locum HELIODOR. *Lib. V. cap. 3.* Καὶ αὐτῷ τὸ μὲν σῶμα πάλμος εἶχε, τῶν δ' ὀδόντων ἄραβος πολὺς ἐγίγνετο. *Et corpus ipſius occupabat tremor, dentiumque multa oriebatur colliſio.* Vid. SCHELHORN. *de διχοτομ. ſervi nequam.* BIBL. BREM. *T. V. p. 1129.*

Horror ejuſmodi atque ſtupor manet damnatos, utpote qui ſeparati a communione Dei cum Diabolo & ſpiritibus malignis Deum agnoſcent tanquam ſeverum judicem & experientur, unde & cum iisdem tremant Jac. II. 19. Horror atque ſtupor mentem ipſorum occupabit, quoties divinæ ultricis juſtitiæ & ſanctitatis puriſſimæ Dei memoriam recolent. Conf. Jeſ. LXV. 22. Horrore percutientur, quando æternum ipſis cum Satanæ & impuris ſpiritibus commercium intercedet & aſſignabitur a judice ſupremo Matt. XXV. 41. *procul eſte vos maledicti, abite in ignem æternum, qui diabolo paratus eſt & angelis ipſius.* Horrebunt tenebras æternas, quibus obruti degebunt triſtes ſine fine dies. Horrebunt, quoties ſcelerum & flagitiorum in hac vita commiſſorum memoriam conſcientia refricabit.

IX. *Murmur* 5. damnatorum contra vias & judicia Dei, quæ eos prement, exprimit *ſtridor dentium,* quare ſtridor cum murmure animabus defunctorum tribuitur. Ita HOMER. *Il. 23. v. 101.*

Ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς, ἠΰτε καπνὸς
Ὤιχετο τετριγυῖα.
Anima autem ſub terram tanquam fumus
Abiit, MURMURE STRIDENS.

HELIODOR. *Æthiop. Lib. VI. p. 295.* ὁ νεκρὸς οἷον ἐκ μυχοῦ τινὸς ἢ σπηλαίου φαραγγώδους βαρύ τι καὶ δυσηχὲς ὑποτρύζων. *Mortuus tanquam ex abſtruſo loco, aut antro confragoſo grave quiddam & aſperum MUSSITANS.* Vide & PETRON. apud MILL. *diſſ. de* אוב & אובות. Unde & LUCIAN. *Necyom. p. 306.* ἔνθα δὴ περιεπέτοντο ἡμᾶς τετριγυῖαι τῶν νεκρῶν αἱ σκιαί. *Ibi autem nos umbræ mortuorum cum STRIDORE obibant.* Exprimit ergo ſtridor dentium damnatorum murmur, quod contra Deum evoment. Etenim cum gratiam Dei in æternum ſibi præ-

viſam ſentient, & cruciatus horrendos ſine fine experientur, murmurabunt contra Deum, quemadmodum in hac vita ſæpius ſub judiciis divinis murmurarunt, veluti Iſrael, populus duræ cervicis Exod. XVI. 7. 8. Deut. I. 27. Pſ. CVI. 25. Thren. III. 39. & Judæi carnales Luc. V. 30. Joh. VI. 41. 1 Cor. X. 10. ita & quo mage judicia aliquando ingraveſcent, eo mage contra Deum murmurabunt. Jobus ex impatientia dolorum maledicebat diei nativitatis ſuæ; multo magis damnati infinitis obruti doloribus horrenda evoment murmura, contra Deum, quod animam ipſis immortalem creaverit & contra ſe ipſum, quod ſponte in tantum miſeriarum barathrum ſe conjecerint.

X. Stridor dentium 6. denique emblema eſt *convitiorum* diriſſimorum ac *blaſphemiarum*, quæ malevolo ore evomuntur. Notatu dignus locus eſt LYCOPHRONIS ap. Cl. LAMP. *diſſ. cit.*

Καὶ πρῶτα μὲν μύθοισιν ἀλλήλȣς ὀάδξ
Βρίξȣσι, κηκασμοῖσιν ὠκριωμένοι.
Ac primum quidem per verba inter ſe dentibus
Frendebunt, convitiis exaſperati.

Huc refer CLAUDIAN. *in Conſ. Mall. Theod. v. 223.*

- - - nec dentibus unquam.
Inſtrepis horrendum; fremitu nec verbera poſcis.

Unde & HORAT. *Epiſtol. Lib. II. v. 150.*

- - - doluere cruento
Dente laceſſiti.

Ita damnati non deſinent convitiis onerare Deum in inferno, præcipue juſtitiam & ſanctitatem ejus lacerabunt linguis ſuis lividis, quod jam fecerunt ſub judiciis temporalibus Apoc. XVI. 9. 10. 11. *Æſtuarunt homines æſtu vehementiſſimo, & blaſphemarunt nomen Dei, habentis auctoritatem in has plagas, nec reſipuerunt &c. Et blaſphemarunt Deum cœli pro doloribus & ulceribus ſuis, nec reſpuerunt ab operibus ſuis.* Vaſa dedecoris æterni erunt Rom. IX. 21. gloriam enim juſtitiæ & ſanctitatis divinæ in ipſo inferno obſcurare pergent Pſ. VI. 7. Unde & Hiskias Jeſ. XXXVIII. 18. *Non enim infernum te celebrat, nec mors tibi gloriam tribuit, & deſcendentes in ſepulchrum tuam non exſpectant veritatem.* Et cum Diabolus catenis conſtrictus æternis non deſinet eſſe διάβολ@-

i. e.

i. e. blaſphemus in Deum, ejus ſubditi & ſervi in eodem crimine etiam perſeverabunt, eandem cum ipſo pœnam nacti Matt. XXV. 41.

XI. Proh miſerum damnatorum ſtatum! vale deplorandum hominis nationalis exitum! *Expaveſcant ergo in Zione peccatores, corripiat tremor hypocritas, & exclament: quis diverſabitur ex nobis cum igne conſumente, quis diverſabitur ex nobis cum flammis perpetuis?* Jeſ. XXXIII. 14. Quisquis es mortalium, oculos flecte huc & intuere barathrum hoc æternum, ubi ſtridor tibi dentium paratur, niſi reſipiſcas in tempore. O utinam peccatoribus ſecure dormientibus oculi operirentur! o utinam velum æternitatis pandere, ipſisque effigiem ſtatus ipſorum miſerrimi conſpiciendum præbere poſſemus! Cogita peccator, cogita hypocrita, jam vides maledictiones divinas, jam orci dolores fabulam tractas, ſed quid dices, quando ſtridor orietur dentium, quando Tophet hæc myſtica æternum tibi aſſignabitur habitaculum. Tum conſcientiæ evigilantis tormenta te prement, angent, ad deſperationem deferent; jam conſcientiæ pulſus ſine ſenſu negligis tunc ſenties intolerabiles; jam felicitatem futuram filiorum Dei rides, negligis, rejicis, tunc lividis oculis aſpicies. Jam animam immortalem nihili æſtimas, tunc beſtiis agris illa carentibus, invidebis ſortem magis felicem. Jam ſponte ruis in peccata & concupiſcentiis tuis te recreas, tunc tibi ipſi odium lethale indices & in propria viſcera furere non deſines. Jam tela omnipotentis, judicia & fulmina maledictionum Dei ſpernis & imperterritus absque metu intueris, tunc horror atque ſtupor occupabit artus, tremebundus ad colles & ſaxa accurres, inque eorum grœmio tutelam contra fulmina Dei irati fruſtra quæres. Vah miſera creatura! quæ tanquam æternum vas dedecoris murmure & convitiis atque blaſphemiis ſine fine Creatorem onerabit! Reſipiſce ergo, reſipiſce o peccator, jam treme, jam obſtupeſce & miſericordiam judicis implora, judicio divino lubens patiensque colla tua ſubjice, ut aliquando per vulnera Servatoris tui ab horrendo dentium ſtridore libereris.

EXERCITATIO VIII.
DE
TENEBRIS EXTERIORIBUS
SYMBOLO
POENARUM INFERNALIUM.
MATTH. XXV. 30.

ARGUMENTUM.

§. I. Phraſis tenebrarum exteriorum *non de pœna temporali ſed æterna eſt intelligenda. §. II. Non alludi ad carcer aut tenebras nocturnas, ſed ad Vallem Hinnom ſeu Tophet, probatur ubi ſimul loca Pſ. XXIII. 4. Jeſ. IX. 1. 2. illuſtrantur. §. III. Tenebras ſymb. eſſe docetur. in genere ſtatus inferorum. §. IV. In ſpecie primum ignorantiæ & mentis ſtupidæ. §. V. Tum malitiæ ac impietatis. §. VI. Porro horroris atque metus. §. VII. Inſuper quoque ſummæ infelicitatis. §. VIII. Denique & ſtatus captivorum in carcere. §. IX. Quod epi. theton ἐξώτερον tenebrarum* exteriorum *deſignet, inquiritur, & loci Jeſ. LXVI. 24. Apoc. XXII. 15. illuſtrantur. §. X. Epilogus practicus adjicitur.*

I.

DAmnatorum ſtatum ſub emblemate ſtridoris dentium elegantiſſime depingi, in ſuperiore exercitatione vidimus; eundem etiam ſub emblemate *TENEBRARUM EXTERIORUM* deſignari videamus in hac διασκέψει. *Tenebræ* ſane damnatorum ſtatus emblema ſunt, ut docemur manifeſto ex locis Matth. VIII. 12. XXII. 13. XXV. 30. 2 Pet. II. 17. Jud. v. 13. Sunt equidem docti Interpretes, qui phraſin hanc ad pœnam temporalem & judicium indurationis referunt, quemadmodum & illam de ſtridore dentium, ut ſupra vidimus. Saltem LIGHTFOOT. *hor. heb. in Matth. VIII.* ita loquitur: *Quodcunque enim ſignificat τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, ſive tenebras Ethnicorum (nam Judæis*

Ethni-

Ethnici erant οἱ ἔξω) ſive tenebras iſtas ulteriores Jeſ. IX. 1. ſive utrasque, Judæos illic abdicandos clare innuit Salvator. Plerique tamen Patres, veluti HIERONYMUS, AUGUSTINUS, TERTULLIANUS, CHRYSOSTOMUS, aliique, veluti & ipſe CALVINUS & plerique Interpretes recentiores, ad pœnam infernalem referunt. Et quamvis in loco noſtro Matth. XXV. 30. uterque ſtatus & indurationis in hac vita & pœnæ æternæ conjungi poſſit, maxime tamen pœna ſervi perfidi, Antichriſti ſcilicet, infernalis & æterna innuitur.

II. Quorſum vero Servator phraſi *tenebrarum exteriorum* alludat, non conſentiunt Interpretes. Cel. VILLALPAND. *in appar. Urb. & Templ. Hieroſ. L. II. c. 8. obſ. 10.* exiſtimat, alludi heic ad carcerem profundum atque caliginoſum, ut ex Pſ. CVI. 10. & Sap. XVII, 2. probat, in ſpecie vero ad carcer quoddam maxime horridum & tenebricoſum, quod extra Hieroſolymas fuiſſe & *Betiſo* vocatum docet, vide & Doctiſſ. de VEIL *in Explic. Liter. Matt. p. m. 100.* Ita & POSSIN. *in ſpicileg. Ev. §. 71. Videtur hic per tenebras exteriores ſæpe memoratas in Evangelio generaliter judicari carcer ſepoſitus & obſcurus, quales erant Syracuſanæ Latumiæ.* Conf. & POLYC. LYSER. *in Harm. c. 53.* qui itidem carcerem heic innui contendit.

Sunt alii, qui *tenebras* has opponi autumant tædis, lychnis ac facibus in cœnaculo ad convivia nocturna incenſis. Ita Doct. de VEIL l. c. *in Matth.* ait. *Utitur Chriſtus hac loquendi formula, quia agit hic de regno cœlorum ſub ſimilitudine cœnæ convivialis, quæ quia de nocte fit, ſolet copioſo tædarum lumine celebrari. Itaque qui in cœnaculo ſunt, in magno ſunt lumine; qui extra, in magnis verſantur tenebris.* Eandem ſententiam late defendit C. ADAMI *in Obſ. Phil. p. m. 128.* CLERIC. *in Bibl. Select. T. XIX. p. 422.* aliique vid. Cel. WOLF. *Cur. Philol. in h. l.*

Verum cum in *Exercit. VII.* demonſtratum dederimus, phraſin ſtridoris dentium reſpicere Tophet extra Hieroſ. & cum eadem phraſis tenebrarum conjungatur, manemus in alluſione noſtra, præcipue cum alluſio ad convivia non quadret ad Matth. XXV. 30. & Tophet ſymb. gehennæ fuiſſe ex Matth. V. 22. viderimus. Conf. PFEIFFER. *Opp. Phil. p. 473.* Ergo pœna infernalis commode per Tophet deſignari pot-

eſt.

eſt. *Tenebras* autem huic Tophet adſcribuntur, quia vallis erat tenebricoſa, nigra, impura, ſordibus ſquallens, quare & ſemper ignem ibi ardentem fuiſſe, ſupra ex KIMCHIO probavimus. Absque dubio ad hanc vallem quoque alluditur *Pſ. XXIII. 4. & quamvis, ambulavere per VALLEM UMBRA mortis.* Et Jeſ. IX. 1. 2. *populus qui ambulat in tenebris, videbit lucem magnam & ſuper ſedentes in terra UMBRÆ LETHALIS lux ſplendet. Exteriores* tenebræ ideo vocantur, quia locus hicce horridus extra Hieroſolymas prope vallem Kidron erat ſitus, ubi cadavera impura projiciebantur inſepulta & omnia impura comburebantur, ut ex PETIT. *Miſcell. cap. V.* STEPH. MORIN. *de Ling. Prim. p. 366.* LIGHTFOOTO aliisque conſtat, ut ſupra viſum eſt.

III. Nihil ſane frequentius eſt in ſcriptis ſacris æque ac profanis, quam ſtatum mortuorum atque damnatorum ſub ſymbolo *Tenebrarum* proponi. Ita Jobus de ſepulchro Job. X. 21. *Antequam demigravero, unde non ſum rediturus unquam, in terram TENEBRARUM & umbræ lethalis.* Cap. XVII. 12. *Si exſpectavero, ſepulchrum tamen domus erit mea, & in tenebris ſterno cubile meum.* Prov. XX. 20. *Exſtinguetur Lucerna ejus in mediis tenebris.* Ita & VIRGILIUS infernum æternas *ſine ſole Domos* vocat, uti HOMERUS Ἀΐδην, ἀνηλίϐς δόμϐς. & FAVORIN. *in Lex.* χωρίον ἄφεγγες, ϗ σκότϐ αἰωνίϐ πεπληρωμένον. Conf. WINDET. *de vita funct. ſtatu. Sect. II.* Ita LUCAN. *Lib. VI. v. 712.*

Non in tartareo latitantem poſcimus antro
Adſuetamque diu TENEBRIS, modo luce fugata.
Deſcendentem animam.

Unde CALLIMACH. de regno Ditis quærit, *Epigr. 14.*

- - - τί τὰ νέρθε; πολὺ σκότος.
Quid infra? multæ TENEBRÆ.

THEOGNIS eleganter canit:

- - - Καὶ ὅταν δνοφεροῖς ὑπὸ κεύθμασι γαίης
Βῇς πολυκωκύτϐς εἰς ἀΐδαο δομϐς.
Et poſtquam TENEBROSAS ſub latebras terræ
Jueris luctuoſas in Ditis domos.

LUCIANUS quoque *de Luct. Opp. T. II.* vocat ζοφερὸν ϗ ἀνήλιον τόπον. Quare & commode hoc loco per *tenebras* ſtatum infernalem intelligimus.

mus. Servus enim ille injuſtus & perfidus eſt Antichriſtus & Pſeudopropheta, falſo ſervum Dei ſe vocans, cujus pars Apoc. XIV. & XX. futura dicitur in barathro ſulphure ac igne repleto. Eleganter hanc in rem loquitur PAREUS *ad Matth. VIII. Minatur Chriſtus non ſolum ejectionem ex regno, ſed & tenebras i. e. INFERNUM, & ſic appellatur reſpectu lucis, hoc eſt, cœlorum.*

IV. Ut autem phraſeos hujus emphaſin eo clarius perſpiciamus, ſpeciatim obſervabimus, TENEBRAS in ſcriptis ſacris ac profanis emblema eſſe.

1. *Mentis ſtupidæ, IGNORANTIÆ* atque *errorum* Job. V. 13. 14. *Qui capit ſapientes in aſtutia ſua, ut conſilium reluctantium præcipitetur. Interdiu offendant TENEBRAS, & quaſi in nocte palpent in ipſa meridie* Jeſ. IX. 2. *populus, qui ambulat in TENEBRIS, videbit lucem magnam, & habitantibus in umbra mortis, lux illa ſplendet.* Jeſ. XXIX. 18. *Die illo audient ſurdi verba literarum, & cæcorum oculi e TENEBRIS videbunt.* Conf. Cap. XLII. 7. Cap. LX. 2. *Ecce TENEBRÆ tegunt ſuperficiem telluris & caligo Gentes, ſed ſuper te orietur Jehovah.* Ita & Matth. VI. 23. *Si lumen, quod in te eſt, TENEBRÆ ſunt, quantæ erunt ipſæ tenebræ?* Huc quoque refer 2 Cor. IV. 6. *Deus, qui dixit, ut ex tenebris prodiret lux, eſt is, qui ſplenduit in cordibus noſtris, ut exiſteret lux notitiæ gloriæ Dei, in facie Jeſu Chriſti.* Recte ergo ARETIUS *in Comm. ad Matth. VIII. Regnum cœlorum lucis habet beneficium, extra hoc regnum, nihil lucis eſt, meræ tenebræ, hoc eſt, ignorantia & privatio vultus Dei.* Similiter profani ſcriptores loquuntur. Ita CICERO *Lib. I. quæſt. Acad. Lib. I. p. 14. Deinceps omnia TENEBRIS eſſe circumfuſa dixerunt. Itaque Arceſilas negabat eſſe quidquam, quod ſciri poſſet. Sic omnia latere cenſebant in occulto.* Unde LUCIAN. *dialog. Non temere Cred. Calumn.* ait: ἐν σκότῳ γ᾽ ὧν πλανωμένοις πάντες ἐοίκαμεν. *Omnes ſumus ſimiles illis, qui in TENEBRIS agunt.* Conf. & Cl. LAMP. *in Joh. T. I. p. 311.* qui plura loca citat.

Pœna damnatorum etiam conſiſtit in externis *ignorantiæ* ac ſtupiditatis tenebris. Cum enim per temporis gratiæ intervalla luce Evangelii ipſis conceſſa abutantur, & concupiſcentiis pravis ejus lucem convincentem negligant, ſupprimant, exſtinguant, juſto Dei judicio occæ-

cationi Satanæ, tenebrarum Principis, traduntur, ita ut auribus non audiant; oculis non videant. Act. XXVIII. 27. Id autem confirmabitur in vita futura, quando in barathrum tenebrarum exteriorum conjecti, omni gratiæ luce deſtituentur, & omnibus gratiæ mediis privati in ſummo ſtupore agent. Uti filiorum Dei intellectus luce faciei Divinæ in æterna vita in dies augebitur, ita filiorum Satanæ mens majoribus ignorantiæ tenebris obruetur; ſecluſi enim erunt a facie Dei, ejusque luce glorioſa. 2 Theſſ. I. 9.

V. *Tenebræ* 2. emblema ſunt *malitiæ*, IMPIETATIS ac *impuri operis*. Unde Jeſ. V. 20. *Væ dicentibus de malo bonum & de bono malum; ſtatuentibus TENEBRAS eſſe lucem, & lucem tenebras*, ubi in ſeq. tenebræ de concupiſcentiis & impuris carnis operibus explicantur. Ita Ez. VIII. 12. impuræ abominationes Iſraelis in tenebris actæ proponuntur. Joh. III. 19. *Lux venit in mundum, ſed dilexerunt homines TENEBRAS magis quam lucem, quia mala ſunt ipſorum opera.* Joh. XII. 35. *Ambulate, dum lucem habetis, ne vos obruant tenebræ, nam qui ambulat in TENEBRIS, neſcit, quo vedat.* Conf. v. 46. *Act. XXVI. 18. ut aperias oculos eorum & convertas a TENEBRIS ad lucem, & a poteſtate Satanæ ad Deum, ut remiſſionem accipiant peccatorum, & ſortem ſanctificatorum per fidem in me.* Rom. XIII. 12. peccata vocantur *opera tenebrarum*, quibus opponuntur arma lucis. Ita & profani tenebras intelligunt. LUCIAN. apud LAMP. *in Joh. l. c.* ἀλλὰ τȣ́των ἁπάντων αἴτιον ἡ ἄγνοια, καὶ τὸ ἐν σκότῳ πȣ εἶναι τὸν ἑκάστȣ τρόπον. *Horum vero omnium origo eſt ignorantia & quod mores unius cujusque TENEBRIS ſint obſiti.* Idque ideo, quia impietatis & malitiæ opera in tenebris perpetrantur maxime, & ſcelerati homines tenebras amant. JUVEN. *Lib. II. v. 239.*

- - - quicunque malis vitam maculaverit actis,
Ad tenebras pavidas refugit, ne lumine claro
Sordida pollutæ pateant contagia mentis.

Conf. plura loca apud SCHOTT. *adag. S. p. m. 631.*

Tales tenebræ quoque in inferno locum habebunt, peccare enim in tartaro non deſinent impii & impuri homines. Quemadmodum in hac vita peccata gravioribus ſæpe peccatis juſto Dei judicio puniuntur in re-

probis

probis, ita & hoc fiet in futura vita. Quemadmodum Diabolus nunquam in malitia ſua pergere deſinet, Deumque Creatorem ſed hoſtem ſuum διαβάλλειν, ita & impii quoque, ejus ſubditi, exemplum principis ſui ſequentur, & quia nunquam deſinent peccare, nunquam etiam pœna eorum deſinet, uti probat Cel. LAMPIUS *in diſſ. de pœnar. æterni I. p. 23.* & ſupra id vidimus in *Exercit. noſtra VII. §. 11. 12.* Quemadmodum electi aliquando confirmabuntur in ſanctitate ſua, ita & reprobi in malitia ac induratione. 2 Theſſ. I. 8. 9. 10.

VI. *Tenebræ* 3. HORRORIS, SOLICITUDINIS, & *conſcientiæ rodentis* Symbolum ſunt, quæ omnia ex *iræ* divinæ ſenſu oriuntur. Job. XXIV. 17. *Mane ſimul ipſis eſt umbra mortis, & ſentit terrores umbræ mortis.* Pſ. CXII. 4. *Juſtis lux oritur in mediis TENEBRIS, gratioſus eſt & miſericors & juſtus* Jehova. Pſ. XVIII. 29. *Tu illuminas lucernam meam: Jehova. Deus meus TENEBRAS meas convertit in lucem ſplendidam.* Pſ. LXXXVIII. 7. 8. *Deponis me in ſepulchro infimo, in TENEBRIS profundis & in abyſſo; excandeſcentia tua premit me.* Ita & Amos. V. 18. *Væ concupiſcentibus diem Jehovæ: quorſum vobis dies domini; eſt enim dies TENEBRARUM, non lucis.* Conf. Joel. II. 2. Eodem ſenſu occurrunt *tenebræ* apud ſcriptores profanos. Huc refer VIRGIL. *Lib. XI. Æn. v. 41.*

Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam. PETRON. in *Pſeudepigr.* ſ. FLORIDUS potius, de Baccho canit:

Noctis hic rumpit tenebras, hic TENEBRAS pectoris.

SOPHOCL. *Electr. v. 1497.*

- - - πῶς, τὸ δ' ει καλὸν
Τȣ̃ργον, σκότȣ δεῖ.

Si factum eſt bonum, quorſum opus eſt TENEBRIS.

KIMCHI in Joel. II. הצרה נמשלת לחשך כמו שהשמחה נמשלת לאורה *Afflictio eſt ſimilis Tenebris, ſicut lætitia ſimilis eſt luci.* Nox enim & tenebræ augunt metum atque terrorem. Conf. Gen. XV. 12. Job. IV. 13. Matth. XIV. 26. Luc. XXIV. 36. 2 Reg. XIX. 35. unde TACIT. *Annal. Lib. IV. c. 48. Tenebræ inſuper delectæ ad augendam formidinem.*

Et quid pœnam damnatorum reddet graviſſimam, niſi iræ divinæ ſenſus, qui cum extremo horrore, metu ac anxietate conſcientiæ

junctus erit. Diſcimus hoc ex ſtatu dæmonum, qui credentes eſſe Deum judicem, tremunt Jac. II. 19. Sane conſcientiæ ac memoriæ ſcelerum in hac vita commiſſorum, in reprobis & damnatis non delebitur, ſed potius renovabitur, ita ut perpetua eorum recordatione cruciatus ſentiant intolerabiles Jeſ. LXVI, 24. Ira divina in æternum illis incumbet, quæ eſt ignis ardens in inferno infimo. Deut. XXXII. 22. Sentiebat hoſce cruciatus & angorem helluo ille dives in flammis inferni Luc. XVI. 23. 24. ſentient omnes ignorantiæ tenebris obſiti & Evangelii lucem negligentes 2 Theſſ. I. 9 -11.

VII. Tenebræ 4. INFELICITATIS ſummæ emblema ſunt, & *judiciorum* Dei *graviſſimorum*. Diſcimus hoc ex *Abrahamum* obruentibus *tenebris* Gen. XV. 12. quas Jehova v. ſq. 13. explicat de perſecutoribus & miſeriis, quibus ſemen ejus in poſterum erat percutiendum in Ægypto. Eadem Dei judicia deſignabantur per *tenebras* ſpiſſiſſimas *Ægypti*, quibus juſto Dei judicio infelix regio obruebatur Exod. X. 22. Huc refer 1 Sam. II. 9. *impii pereunt in tenebris* Jeſ. VIII. 24. *Si intuebitur in terram, ecce oppreſſionem & tenebras obſcurato anguſtia & caligine impulſo.* Ita Act. II. 30. *Sol convertetur in TENEBRAS & luna in ſanguinem.* Conf. Joel. II. 2. Amos. V. 18. Job. III. 3. 4. 5. Ita quoque ARISTID. *in Eleuſin.* : Καὶ οὐκ ἐν σκότῳ δὲ καὶ βορβόρῳ κεισομένους. *Nec in tenebris ac luto cum profanis commoraturos eſſe.* Vid. LAMPE in Joh. l. c. Unde HOMER. *Odyſſ. XI. v. 15 ſq.* deſcribit ſtatum inferorum:

> Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι οὐ δέ ποτ' αὐτοὺς
> Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν
> Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι
> *Qui tenebris & nebulis tecti ſunt, neque unquam*
> *Sol lucidus eos aſpicit radiis ſuis,*
> *Sed nox pernicioſa ſupervolat miſeris mortalibus.*

Ita ABULOLA MOARRENS, *in Carmin.*

> ومُر بغ أن شبصوها الليالي
>
> *Impera ut miſſam faciant naturam ſuam*
> *noctes* : i. e. adverſæ fortunæ.

Vid.

Vid. Cel. SCHULTENS *in Job. p. 131.* VRIEMOETH. *Obſ. in Matt. p. 80.* Conf. BIBL. BREM. *Tom. I. p. 57. Tom. II. p. 1022.*

Tenebræ ergo ſimul ſtatum damnatorum maxime infelicem depingent. Utpote qui ſub poteſtate tyranni crudeliſſimi perpetuo gement, ſecluſi ab omni Dei communione, in qua ſumma hominis conſiſtat felicitas. Χάσμα illud æternum nunquam poterit tolli. Omnia bona hujus mundi, in quorum poſſeſſione felices in hac orbe ſe prædicarunt, alis aquilarum avolarunt. Heic omnibus delitiis abundarunt, illic ne unicam aquæ recreantis guttulam accipient. Et cum tenebræ ignorantiæ, indurationis, malitiæ, horroriſque conſcientiæ animam operient, ſponte liquet, eos futuros eſſe miſerrimos, imo beſtiis infeliciores, quæ in morte plane pereunt, nec animam habent, æterne perituram, quam illi habent Matth. XVI. 26.

VIII. Tenebræ 5. ſymbolum ſunt CAPTIVITATIS, unde tenebræ ſæpe pro *carcere* & captivitate ponuntur. Jeſ. XLVII. 5. *ſede ſilens, & abi in* TENEBRAS *filia Chaldæorum, non enim porro vocaberis Domina regnorum.* Thren. III. 6. *in* TENEBRIS *collocat me, ut mortuos olim, circumdedit me ſepi, ut non exeam.* conf. Pſ. CXLIII. 3. Ita CICERO *Orat. X. in Verr. Lib. V. Cum eſſet in carcere, in tenebris, in ſqualore, in ſordibus tyrannicis interdictis tuis, pari exacta ætate.* Carcer enim ſpiſſis obſitum erat tenebris, & in locis profundiſſimis. Unde SUIDAS βάραθρον, χάσμα τὶ φρεατῶδες καὶ σκοτεινὸν ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἐν ᾧ τοὺς κακούργους ἔβαλλον. *Barathrum eſt hiatus quidam inſtar putei, profundus & obſcurus in Attica, in quod conjiciebant maleficos.*

Hanc ob cauſam *infernus* ſæpe ut *carcer* conſideratur obſcuriſſimum. Ita HOMER. *Il.* Θ.

Ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα,
Τῆλε μάλ' ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βάραθρον.
Aut ipſum correptum projiciam in Tartarum obſcurum,
Procul valde, ubi profundiſſimum ſub terra eſt barathrum.

Infernum ergo locus erit, in quo damnati perpetua captivitate ſub tyrannide Satanæ detenti erunt. Huc reſpicit Servator dicens Matth. XVI. 26. *quid dabit homo, ut animam ſuam pretio redimat?* Hoc iter eſt tenebricoſum illuc, unde negant redire quenquam, ut Poëtæ verbis utar.

Satanas enim cum angelis ſuis non ſolum captivi tenentur Jud. v. 13. in hoc barathro, ſed & omnes ejus ſubditi, & reprobi. Matth. XXV. 41. Apoc. XX. 10. Huc refer etiam Matth. V. 25 26. *Et conjiciaris in carcerem. Amen dico tibi, nequaquam exibis illinc, uſque dum reddideris ultimum quadrantem.*

IX. Supereſt, ut paucis addamus, quid epitheton ΕΞΩΤΕΡΟΝ, EXTERIORES Tenebræ dum vocantur, deſignet. 1) Non approbamus ſententiam eorum, qui tenebras exteriores pro *tolerabilioribus* ſumunt, veluti THEOPHYLACT. *in Matth. XXII.* ἐξώτερον δὲ σκότος εἰπὼν, ἐδήλωσεν ὅτι ἔςι καὶ ἐνδότερον, ὃ καὶ ἐλαφρότερον. *Dicens autem tenebras exteriores, docuit eſſe tolerabiliores atque leviores.* 2) Nec pollicem premimus illis, qui intelligi cenſent pœnas, quibus *corpus externum* erit afficiendum, uti facit AUGUST. ad *Honor. CXX. Poſſunt etiam tenebræ exteriores intelligi pœnæ corporales, corpus quippe eſt anima exterius.* Verum cum pœna heic graviſſima innuatur, *exteriores* tenebræ aliis ſunt *graviſſimæ* & ſupremæ, veluti explicat CALVIN. noſter *in harm. ad Matth. VIII.* & FRANKE *ap. Cl.* WOLF. *in cur. Phil. ad l. c.* Sed videamus cur *exteriores* heic tenebræ vocari commode poſſint in alluſione ſupra data, ſc. ad *Tophet*; quæ vallis cum eſſet obſcura *extra* Hieroſ. ſita, commode *exteriores* tenebræ vocantur, innuuntque ſenſu myſtico pœnam infernalem, quæ *extra* cœlum & *extra* Dei communionem impiis erat exantlanda. Quare GROTIUS explicat ſtatum remotiſſimum a cœleſti gaudio, uti & POSSIN. *in Spicileg. p. 152.* Cel. LAMP. *in Pſ. XLV. p. 549. Extra* Hieroſolymam cœleſtem erunt *cadavera, quorum vermis non morietur & ignis non exſtinguetur* Jeſ. LXVI. 24. qui locus manifeſta alluſione tendit ad vallem Tophet, ubi perpetuus ignis, cadavera impura ibidem projecta comburens. Eandem ob cauſam Apoc. XXII. 15. dicitur: ἔξω δὲ *Foris* (ſeu extra Hieroſol. myſticam) *ſunt canes, venefici, ſcortatores, homicidæ & idololatræ.*

X. Quisquis es mortalium, huc accede propius, oculos a theatro hujus mundi revoca, & barathrum tenebrarum æternum intuere, & niſi lapideum & ſaxeum tibi fuerit pectus, treme, obſtupeſce, reſipiſce. Niſi enim tenebras exteriores æternum tibi horrorem ut incutiant, velis, jam meliora quære. Tenebras fuge & odi in hac vita: Mentem

tuam,

tuam, errorum & ignorantiæ tenebris obſitam, ſubmitte radiis Solis juſtitiæ, ut illis illuſtretur, & cognoſcere incipias ingentem inter tenebras & lucem differentiam. Depone omnia opera tenebrarum, & odio habe, indue arma lucis, ut pugnare queas contra tentationes omnes Principis tenebrarum. Niſi in tenebris exterioribus æternum eſſe infeliciſſimus & in carcere hoc ſquallido ac horrido triſtes ſine fine noctes degere velis, jam excute tenebras oculis, lucem in Evangelio tibi propoſitam vera fide ſequere, ejuſque radiis illuſtrari ſatage; ut aliquando luce æterna frui, & in communione lucis inacceſſæ lætos ac felices ſine nocte dies degere poſſis. Lux tua luceat inter filios hujus orbis perverſi ac tenebris obſiti, ſic lucebis aliquando inſtar ſideris in regno Patris tui. Matth. V. 16. XIII. 40.

EXERCITATIO IX.

DE SPVTO IN FACIEM CHRISTI CONJECTO, SYMBOLO ILLVSIONIS.

MATTH. XXVI. v. 67.

ARGUMENTUM.

§. I. Scopus hujus διασκέψεως indicatur. §. II. Emblema Sputi in aliquem miſſi excutitur, & docetur, denotare illud ſummam ignominiam ac contumeliam. §. III. Lethale odium atque contemtum. §. IV. Summam nauſeam atque faſtidium rei aut perſonæ §. V. Condemnationem ad ſupplicium. §. VI. Hominem illum, qui conſpicitur, eſſe inſanum ac peſtem reipublicæ. §. VII. In os occulta cæde peremti quoque inſpuebatur olim ad expiationem illius. Quæ omnia Servatori noſtro, ſputis horrendis dehoneſtato applicantur. §. VIII. Chriſti muneri Regio eos illuſiſſe hoc ſputo docetur, dum loco olei, ſputo eum inun-

inungunt. §. IX. Typi deſputi Chriſti exhibentur & explicantur. §. X. Praxis adjicitur.

I.

INter horrenda illuſionis Servatoris noſtri monumenta ac ſpecimina eminet illud, quod SPUTUM ſqualLidum ac deteſtabile IN FACIEM ipſius ſanctiſſimam conjecerint. *Matth. XXVI. 67.* ἘΝΈΠΤΥΣΑΝ εἰς τὸ ΠΡΟΣΩΠΟΝ. Cap. XXVII. 30. Marc. XIV. 65. Cap. XV. 19. Satis & luculenter Viri Doctiſſimi, qui erudita in paſſione explicanda monumenta reliquerunt, hanc phraſin ex profanis auctoribus illuſtrarunt, ut Iliada poſt Homerum ſcribere videar, cum eandem denuo illuſtrare incipiam. Sed cum nemo adhuc ordine concinno varios hujus ritus ſignificatus, & vim emblematis excuſſerit & alluſioni Servatoris applicuerit; id mihi in hac exercitatione negotii datum erit, ut emblema hoc ex antiquorum monumentis ordine eruam & Servatoris illuſioni omnia applicem, atque eum in finem Virorum doctorum obſervationes quoque conſulam & excerpam.

II. Quando quis conſpuebatur hoc 1. ſummæ IGNOMINIÆ atque *contumeliæ* ſignum erat, unde PETRON. *Satyric. p. 51. Nec contenta mulier tam gravi injuria mea convocat omnes quaſillarias - - - familiæque ſordidiſſimam partem ac me* CONSPUI *jubet. Et paulo poſt; verberibus* SPUTISQUE *extra januam ejectus.* Ita & SENECA *de conſt. Sap. cap. 1. A roſtris usque ad arcum Fabianum per ſeditioſæ factionis manus tractus voces improbas &* SPUTA, *& omnes alias inſanæ multitudinis contumelias pertuliſſet.* Refert quoque CAMERAR. *hor. ſubciſ. I. p. 447.* ex *Pomponio Læto;* Quum defunctæ Fabiæ conjugis Heraclii funus efferretur, puellam forte quandam per feneſtram DESPUISSE, tetigiſſeque elatum cadaver, ideoque illam comprehenſam & vivam eſſe exuſtam. Conf. BURMANN. *in Petron. l. c.* Huc refer ex ſacris Num. XII. 14. ואביה ירק ירק בפניה הלא תכלם שבעת ימים *Si Pater ejus* SPUTUM EXSPUISSET *in faciem ejus, an non erubuiſſet ſeptem dies.*

Quare & ſputum in faciem Servatoris miſſum ſummam ipſi ignominiam illatam eſſe a mancipiis Satanæ docet; ſi enim maximum eſſet

ſcelus

ſcelus ſputum conjicere in honeſtam fœminam defunctam, aut etiam virum gravem, majus ſane nefas erat Servatori, qui eſt Rex Regum & Dominus Dominorum, imo ſplendor imaginis divinæ Heb. I. 3. Apoc. XIX. 12. in faciem, gloria ac majeſtate rutilantem, inſpuere. Recte ergo ille querelas effundere poterat Pſ. LXIX. 3. *Demergor in lutum profundiſſimum, ubi non eſt ſtatio tuta. v. 8. Propter te ſuſtineo opprobrium, obtegit faciem meam ignominia*; ubi manifeſto ad conjectum in faciem ſputum alludit. Ita Pſ. XLIV. 16. *toto die ignominia mea mihi obverſatur, & pudor faciei meæ obtegit me.* Et clariſſime. Jeſ. L. 6. *Corpus meum expono percutientibus me, & malas meas depilantibus, faciem meam non abſcondo ab ignominia & ſputo.*

III. Sputum in faciem miſſum 2. lethalis ac inteſtini ODII ac *livoris* acerrimi & CONTEMTUS indicium eſt atque ſymbolum. Unde DIO *Lib. IV.* Ἡ Φουλβία εἰς τι τὰς χεῖρας αὐτὴν ἐδέξατο, καὶ ἐπικραναμένη οἱ καὶ ἐμπτύσασα &c. *Fulvia autem arreptum caput amarulentis verbis & conſpuens projecit.* Et LUCIAN. aput DOUGT. *Anal. II. p. 41.* καὶ κατὰ κόῤῥης ἔπαιε καὶ καταπτύσας μου. *Maxillas verberare cœpit, & faciem ſputo linire.* ita & PERSIUS *Sat. 4.*

Eſt prope te ignotus cubito qui tangat & acre
Deſpuat in mores.

Quare & idola Gentium & imagines conſpuere ſolebant Chriſtiani in oriente, in ſignum odii & contemtus eorum. Ita *Greg. Abulpharaj. in Hiſt. Dynaſt. p. 265.* ſcribit. *Tiphurius Chriſtianus librarius invidit Honaino, eique fuit infeſtus, & convenerunt aliquando in domo cujusdam Chriſtiani in urbe Bagdad, & illic erat imago Chriſti ac diſcipulorum, & lucerna accenſa coram imagine. Et dixit Honainus Patri familias: Quid oleum perdis? Non eſt hic Chriſtus, nec hi ſunt diſcipuli, ſed imago. Et dixit Tiphurius, ſi non ſunt veneratione digni,* EXSPUE *in eos, &* EXSPUIT. LUCIAN. *Tom. I. p. 410.* de ignaris dicit: γελῶσι δηλαδὴ καὶ καταπτύουσι φιλοσοφίας, *rident ſcilicet ac conſpuunt philoſophiam.* Ita & PLUTARCH. *in Phocion.* Σιωπῇ βαδίζοντι τῶν ἐχθρῶν τις ἐνέπτυσεν εἰς πρόσωπον. *Tacite eunti inimicus quidam* INSPUIT IN FACIEM. *conf.* LYDII *Flor. Sparſ. p. 178.*

Deſpuendo ergo faciem Chriſti impia hæc caterva lethale contra ipſum odium ac inimicitiam prodebat, & coram populo illum plane contemtum reddere ſtudebat. Jure ergo conqueritur Meſſias Pſ.LXIX. 5. *Odio me habentes immerito, plures ſunt quam capilli capitis mei, qui injuria mihi ſunt adverſarii.* Et v. 15. petit: *Eripe me ex cœno hoc, ne immergar: Libera me ab oſoribus meis, & ab aquis profundiſſimis.* Ille erat contemtus & abjectiſſimus inter viros, doloribus affectus, & morbis obrutus, a quo faciem abſcondere quilibet non dubitabat. Jeſ. LIII.7. Et lethale jam dudum contra ipſum odium ſuſceperant, quod clam ex metu populi hactenus foverant, jam vero exſerebant, cum illum in poteſtate ſua conſtrictum cernerent.

IV. Sputum 3. ſummæ NAUSEÆ atque FASTIDII ſymbolum eſt; quare ſi hominem conſpuimus impuro hoc liquore, illum *abominabilem* & aſpectu indignum judicamus. Huc reſpicit PLAUTUS *Aſin. act. 1. ſcen. 1.*

Neque hercle iſtud dico, nec dictum volo,
Teque hercle obſecro, ut quæ locutus, DESPUAS.

i. e. *abomineris* & nauſeam tuam teſteris. Quare & ſummum erat nefas in templo aut loco ſacro coram Diis exſpuere. Quod & Judæi prohibebant, ut docet MAIMONIDES apud LIGHTFOOT *Opp. T. I. p.* 724. אסור לרוק בכל הר הבית *Interdictum erat exſpuere in toto monte domus.* Unde & XENOPHON *Cyropæd. Lib. I. p. 6.* Αἰσχρὸς μὲν γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἐστὶ πέρσαις καὶ τὸ ἀποπτύειν. *Nam etiamnum apud Perſas turpe dicitur exſpuere.* conf. RAPHEL. *annot. ex Xenoph. in N. T. p. 367.* Hinc nomen Ρακά ex hebr. רק *ſputum*, L. FABRITIO deſignat hominem abominabilem & deſpuendum, teſte CREN. *Analect. p. 289.*

Simili ratione hæc Principis tenebrarum mancipia extremum erga Jeſum Nazarenum faſtidium prodere volebant, hoc ſputo in eum conjecto. Indignus ita aſpectu mortalium habebatur ille & nauſeam pariens, qui tamen erat pulcerrimus filiorum hominum. Pſ. XLV. 3. Phariſæi Jeſum hunc Nazarenum jam antea plebi tam atro depinxerant colore, ut quisque nomen ejus audiens, quaſi deſpueret. Unde & Matth. XXVII. 29 quum dixiſſent, ſalve Rex Judæorum, ocyus *exſpuebant* in ipſum, ut ſummam erga hunc miſerrimum Judæorum Regem nauſeam oſten-

oſtenderent. Sic erat vermis, non homo, illuſio gentium, & contemtus populis Pſ. XXII. 7. 8.

V. Sputum 4. in illum conjici ſolebat apud Veteres, qui ob tumultum publicum aut alia graviora *facinora* CONDEMNATUS ad SUPPLICIUM ducebatur, vel brevi educendus erat. Elegans hanc in rem locus eſt, a variis interpretibus citatus, SENECÆ *de Conſ. ad Helv. cap.* 14. *Ducebatur Athenis ad* SUPPLICIUM *Ariſtides, cui quisquis occurrebat, dejiciebat oculos & ingemiſcebat, non tanquam in hominem juſtum, ſed tanquam in ipſam juſtitiam animadverteretur. Inventus eſt tamen qui* IN FACIEM EJUS INSPUERET. Idem de Catone refert SENECA *de ira Lib. III. cap.* 38. PLUTARCH. *in vita Phocionis* refert, quod poſt latam ſuper eo ſententiam capitis, a variis ſputo fuerit obrutus. Quare καλάπτυςος homo eſt deteſtabilis & execrabilis, e medio tollendus. EURIPID. *Troad. act.* 2.

Ὦ καλάπτυςον κάρα

O deteſtabile caput.

Et SOPHOCL. *in Oed.* ἰὼ ἀπόπτυςος, *ubi o execrabilis.* Vid. DOUGT. *Anal. S. II. p.* 41. *ſq.*

Parem erga Jeſum Nazarenum prodebat affectum dira ac impia caterva. Declarabat ipſum hoc ritu execrandum anathema, Reipublicæ totius peſtem publicam, qui ad ſupplicium eſſet educendus. Quare populus inclamabat: *Tolle hunc! Tolle hunc! Barrabam dimitte.* Luc. XXIII. 18. Et cum Pilatus dimittere eum ſtuderet, clamor ad æthera aſcendebat: *Crucifige, Crucifige!* Marc. XV. 14. Ita implenda erant vaticinia. Jeſ. LIII. 12. quod *cum maleficis* annumerandus ſit. conf. Pſ. XLI. 8. 9. uti & paulo poſt hanc illuſionem eductus eſt ad ſupplicium tanquam rebellis & ſeductor populi, non ſine horrendis convitiis & blaſphemiis Judæorum, in ipſum effuſis.

VI. Sputum 5. exſpuebatur in occurrentem hominem INSANUM atque *rabioſum*, nec non in illum, qui *morbo comitiali* aut alio diro malo laborabat, THEOPHRAST. *Charact. cap.* 17. Μαινόμενον δὲ ἰδὼν, ἢ ἐπίληπτον φρίξας εἰς κόλπον πτύσαι. *Rabioſum vero videns, aut caduco laborantem morbo, in ſinum* DESPUIT. PLIN. *Lib. XXVIII. cap.* 4. DESPUIMUS *comitiales morbos.* Vide latius LOMEIER *de luſtrat.*

Vet. Gent. p. 243. Ita & APULEJ. *apolog. Imo enim ſi audire verum velis, Æmiliane, tu potius caducus, qui jam tot calumniis cecidiſti. Neque enim gravius eſt, corpore quam corde collabi, pede potius quam mente corruere. In cubiculo* DESPUI, *quam in iſto ſplendidiſſimo cœtu deteſtari.* conf. PFEIFFER. *Antiq. Græc. p. 174.* SALMAS. *Exercit. Plin. T. II. p. 1283.* J. MEURSII *Denar. Pyth. cap. 5. p. m. 39.* In ſacris quoque veſtigia hujus ritus exſtant *Job. XXX. 10.* תעבוני רחקו מני ומפני אל חשכו רק *Abominantur me, longe recedunt a me, & a facie mea non cohibent* SPUTUM; id quod faciebant, quum ulceribus percuſſus eſſet Jobus.

Ita dum ſervi Belial Servatorem conſpuebant, illum eſſe *inſanum*, hominem rabioſum, teſtari volebant; qui licet eſſet pauperrimus, catenis & vinculis conſtrictus, regnum tamen affectaret, quum tamen brevi tanquam maleficus in cruce eſſet ſuſpendendus. Illum *peſtem* eſſe, periculoſiſſimum Reipublicæ hoſtem, qui alios rabie ſua incenderet, adeoque fugiendus & deſpuendus eſſet, tanquam morbo Comitiali correptus. Quare & publice teſtabantur coram Pilato, quod ſi hunc dimitteret liberum, infenſiſſimus ipſe imperii & Imperatoris hoſtis futurus eſſet Joh. XIX. 12. Ita & poſt converſionem teſtantur Jeſ. LIII. 4. 5. *Reputavimus eum plaga affectum, percuſſum a Deo & afflictum. Cum a defectionibus noſtris plaga ipſi eſſet, & ab iniquitatibus noſtris contereretur.* Id quod & hoc conſpuendi ritu impletum eſt in Servatore noſtro.

VII. Sputum 6. exſpuebant coram OCCULTA CÆDE PEREMTO, quo ritu expiari hanc cædem credebant, quod ter faciebant, ut ex APOLLON. RHOD. *Lib. IV. v. 479.* & Scholiaſte ejus probat URSIN. *Anal. S. L. III. cap. XI. p. 132.* Ita enim canit APOLLON. *Argon. l. c.*

Ἥρως δ' Αἰσονίδης ἐξάργματα τάμνε θανόντος
Τρὶς δ' ἀπέλειξε φόνου, τρὶς δ' ἐξ ἄγος ἔπτυς ὀδόντων
Ἣ θέμις αὐθέντῃσι δολοκτασίας ἱλάεσθαι.
Tum Jaſon herus primitiis ea cadaveris obtruncatis
Ter delingit ſanguinem occiſi, ter dentibus exſpuit februa,
Prout fas eſt percuſſori clandeſtinam expiare cædem.

Expli-

Explicat hunc ritum fuſius *Scholiaſtes* ejus antiquus ad Lib IV. *τῶν ἀποθανόντων οἱ δολοφονοῦντες ἀρχαίως ἀκρωτηριάσματα τινὰ ἐποίουν τοῦ ἀναιρουμένου. Καὶ ταῦτα λαβόντες ἐξῆρτον τοῦ τραχήλου αὐτῶν. Τῶν δὲ καλουμένων ἀκρωτηριασμάτων ἄπειρα καὶ πολλὰ ἐξάργματα. Ἔπειτα τοῦ ἅιματος αὐτοῦ λαβόντες τρὶς εἰς τὸ στόμα* ἜΠΤΥΟΝ. *Τοῦτο δὲ ἐποίουν πρὸς τὸ ἐξιλάσασθαι τὴν δολοφονίαν.* conf. LOMEIER *Epimenid. Cap. XXV. p. m. 242.*

Hoc ſi denuo applicare velimus Servatori noſtro ad mortem condemnato, quem conſpuebant, idem ſignificare hoc ritu poterant, quod clamabat vulgus Matth. XXVII. 25. *τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν. Sanguis ipſius ſit ſuper nos & filios noſtros.* Quo innuere volebant clamore, ſe ſuosque liberos omnem ſuſcipere velle reatum, qui ex cæde hujus Nazareni eſſet oriturus, & cædem hanc facillime poſſe expiari. Fateor hæc nimis longe petita videntur, ſed hunc ritum tamen hac occaſione digito tangere voluimus.

VIII. Propius rem tangit, quando obſervamus 7. *Sputo* in faciem Chriſti conjecto, impios hoſce ſervos *muneri* ejus REGIO imprimis illuſiſſe. Dabant arundinem loco ſceptri regii, ſpinas acutiſſimas loco coronæ aureæ, pallium detritum loco purpuræ regiæ, & denique *ſputum* & ſalivam in faciem conjiciebant, loco *olei* pretioſi, quo capita & facies Regum inungebantur. Reges enim fuiſſe oleo inunctos, quod non in caput ſolum effundebatur, ſed & inter ſupercilia in fronte & facie illinebatur, non opus eſt ut probemus, quum ſit notiſſimum. Unicum locum adducemus ex ABARBANELE *in Comm. ad 1 Reg. fol. 169.* qui differentiam inter unctionem legis & ſacerdotis adducit: הנה היתה המשיחה בכהן ובמלך מתחלפת כי המלך היו מושחים בין עיניו כמין נזר לרמוז על עטרת מלכותו והיו עושין בין עיני הכהן כמין כף לרמוז שהוא כוהן: *Ecce fuit unctio in ſacerdote & lege diverſa. Regem ſcilicet ungebant oleo inter oculos ejus in forma coronæ, ad teſtandum de corona regni ſui. Inter oculos autem ſacerdotis faciebant (unctionem) in forma Caph, ad indicandum quod ſit ſacerdos.* Cæterum de hac Regum unctione vid. SCHICKARD. *de jure Reg. cum not. Carpzov. Cap. I.* SELDENUS *de ſucceſſ. in Pontif. L. II. cap. 9.* LEUSDEN. *Phil. Hebr. diſſ. XXV. p. 179.* VOISIN. *ad* RAYM. *pug. fid. P. II. c. 3.*

c.3. CUNÆUS *de Republ. Hebr. L. I. c. 14.* PEARSON. *in Symb. p. 165.* SCHINDLER. *Lex. p. 1043.* J. HAGER. *diſp. de Unctione Regum. Witt. 1716.* alioſque.

Sputo hoc ergo miſerrimam Regis hujus Judæorum conditionem ipſi exprobrant; Talem eſſe Regem, cujus in inauguratione loco olei pretioſi, quod ex myrrha, cinnamomo, caſia aliisque aromatibus pretioſis erat confectum Exod. XXX. 23. *ſputum* adhiberetur & ſaliva impura. Sic jungebant cum dicteriis & illuſionibus acutiſſimis maximam ignominiam ac faſtidium. Sed quoniam nos peccatis noſtris ſalivam quaſi in faciem majeſtatis divinæ conjeceramus, & ita ſanctiſſimum ejus vultum dedecore affeceramus, eapropter ut reatum hunc noſtrum expiaret Servator, heic ſaliva erat obruendus; & tanquam Rex pauperrimus atque miſerrimus debebat illudi, quia regnum ejus non erat de hoc mundo. Joh. XVIII. 36.

IX. Sputo denique 8. Servator noſter obrui debebat, ut impleret TYPOS. De *hirco Azazelis* referunt Judæi, quod fuerit *conſputus*, depilatus, undique tractus, additis verbis, apage, apage, vade & exi, vade & exi. Vide *Petr.* KARL. *diſſ. de hirco ἀποπομπ. Bibl. Brem. T. VI. p. 228.* LUND. *Lib. V. cap. 20.* BOCHART. *Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 54.* LE MOYNE *var. S. T. II. p. 637.* *V. der* WAYEN *diſſ. binas de hirco emiſſar.* FRISCHMUTH. *diſſ. de eod.* SPENCER. *de Leg. Hebr. L. 3. cap. 8.* WITS. *oec. Lib. IV. c. 6. p. 675. Ægypt. L. I. c. 7. p. 35.* alioſque. Eleganter hoc antitypo applicat TERTULL. *adv. Jud. Lib. I. c. 14. Unus illorum (hircorum) circumdatus coccino, maledictus &* CONSPUTATUS *& convulſus & compunctus a populo extra civitatem abjiciebatur in perditionem, manifeſtis notatus inſignibus Chriſti paſſionis: qui coccina circumdatus veſte &* CONSPUTATUS *& omnibus contumeliis afflictus, extra civitatem crucifixus eſt.* Conf. plura loca apud C. ADAMI *in obſ. Phil. p. 182.* Sunt quidem viri docti, qui hunc hircum typum Chriſti fuiſſe negant, ſicut tamen & plurimi, qui id aſſerunt & confirmant, uti faciunt MAJUS *in Oecon. cap. 30.* BIERMANN. *Moſ. & Chriſt. Lib. IV. c. 6.* WITSIUS *in Oecon. Lib. IV. cap. 6.* LUND. *Lib. V. c. 23.* aliique. Hunc ergo typum implevit Servator, quando eductus eſt extra Hieroſolymas, conſputus, depilatus, flagellis laceratus & illu-

ſus

ſus ad montem Golgotha, ubi vitam poſuit in cruce, & ſanguine ſuo rubro peccata noſtra *ſanguinea* reddidit *alba* i. e. expiavit.

Alter typus eſt *Levir.* Si enim Levir fratris uxorem ducere, fratrique ſemen excitare renueret, uxor defuncti fratris SPUERE debebat ANTE FACIEM ejus. Deut. XXV. 9. ירקה בפניה *EXSPUAT in FACIEM ejus*, ſeu *coram facie ejus*, quod idem eſt, ac ſi faciem ejus conſpuiſſet, unde JOSEPH. *Antiq. Lib. IV. c. 8.* ait καὶ πτύουσα αὐτοῦ εἰς τὸ πρόσωπον. *Et conſpuit in faciem ipſius.* Conf. de MUYS *Var. Sacr. in* BIBL. CRIT. *T. IX. p. 2741.* Conſpui ergo ſimiliter a Judæis tanquam antitypus debuit Servator. Nolebat enim Judæis excitare ſemen carnale, ſed reſpuens fratres ſecundum carnem, Gentiles aſſumebat, & ex ſterili Sarah liberos procreabat; quare a Judæis deſputus, contemtus & odio habitus. conf. Act. XIII. 46. Jeſ. LI. 5. LIV. 1. Immerito tamen a Judæis cœcis deſpuebatur, Marc. XIV. 65. (ad quam a Judæis ipſi illatam illuſionem hic typus ſolum reſpicit) Erat enim verus Levir, qui Adamo, fratri ſuo, nullum ſemen ſpirituale & electum relinquenti poſt lapſum, ſemen novum excitavit. Rom. V. 17-19. Pſ. CX. 3. Jeſ. VIII. 18.

X. Obſtupeſce o anima mea patientiam Servatoris tui, mirare malitiam horrendam ſatanæ mancipiorum, Judæorum ac Gentium, a quibus Dilectus tuus convitiis & ſputo oneratur. Tu ſane digna eras, quæ æterno ſatanæ & angelorum ipſius ludibrio expoſita eſſes; tu ſæpius ſputa ac ſalivam peccatorum tuorum in ſanctiſſimam ejus faciem exſpuiſti, quoties contra conſcientiæ dictamen, & ſpiritu Dei convictionem oculos ſanctiſſimos peccatis tuis læſiſti. En triſte ſpectaculum, quod tibi erat paratum; agnoſce immenſam amoris Jeſu magnitudinem, eoque cautius coram facie ejus ambula. Quis non mirabitur miras & ſapientiſſimas Dei vias? qui filium ſuum unigenitum tantis expoſuit ludibriis. Ille, qui ſummus erat Propheta, ſummo dedecore afficitur, cum major eſſet Eliſa, cujus tamen illuſionem 2. urſi cæde 42. puerorum ulciſcebantur. Ille, cujus oculi ſcintillant flammis, cujus facies lucebat inſtar ſolis Matth. XVII. 2. qui jubar imaginis divinæ Heb. I. 3. qui formoſiſſimus inter filios hominum Pſ. XLV. 3. ſputis horrendis impurorum Satanæ mancipiorum obruitur. Ille, cujus gloriam ac majeſtatem Seraphim facie ac pedibus tectis adorant ac venerantur, Jeſ. VI. 2. 3. ab impia hac caterva,

va, deſpuitur, illuditur, convitiis proſcinditur. Heic hæret ratio, titubat caro, ſilet intellectus. Vias Dei heic eſſe imperſcrutabiles agnoſcimus omnes. Hunc ergo Jeſum deſputatum, qui Judæis ſcandalum & Gentibus ſtultitia eſt, vera fide intueamur, ejusque gloriam cœleſtem humanitatis depreſſæ velo tectam miremur; ſputa, convitia, cavillationes mundi negligamus, patienterque cum Servatore noſtro toleremus; ſic ille, qui eſt deſputatus, ſputum aliquando cum lacrymis abſterget nobis. Apoc. VII. 17. caroſque & acceptos nos reddet in oculis Dei, ut ejus facie glorioſa æternum delectari queamus Pſ. XVII. 15.

EXERCITATIO X.
DE
CORNU SALUTIS SYMBOLO CHRISTI.
LUC. I. 69.

ARGUMENTUM.

§. I. Cornu emblema eſſe Meſſiæ probatur. §. II. Sq. variæ alluſiones de cornu ſalutis adducuntur, quæ refutantur. Non ad Columnam Nubis & Ignis. §. III. Nec ad cornu copiæ Veterum Gentium. §. IV. Nec ad cornu monocerotis. §. V. Sed ad cornua altaris *alludi demonſtratur. §. VI. Oſtendimus quo ſenſu* Cornu *in genere emblema ſit Meſſiæ, quia ſymbolum eſt tum roboris ac fortitudinis. §. VII. Tum Regiæ dignitatis. §. VIII. Tum majeſtatis divinæ ac gloriæ. §. IX. Sanctitatis denique & felicitatis ſummæ. §. X. Inquiritur quo ſenſu dicatur Cornu* ſalutis *cum alluſione ad cornua altaris. §. XI. Epilogus practicus additur.*

I.

ELegantiſſime Servator noſter, Meſſias, ſub emblemate CORNU & imprimis CORNU SALUTIS in ſcriptis ſacris proponitur. Plurima ſunt loca, ubi Meſſias vel ipſe cornu vocatur, vel cornua ei tribuun-

tribuuntur. Ita 1 Sam. II. 10. Dabit fortitudinem Regi ſuo, & exaltabit *cornu uncti ſui.* 2 Sam. XXII. 3. Deus eſt rupes mea, clypeus meus & *cornu ſalutis meæ.* coll. Pſ. XVIII. 3. Ita vocatur *cornu Davidis* Pſal. CXXXII. 17. *Cornu populi ſui* Pſ. CXLVIII. 14. conf. Pſ. LXXXIX. 18. 25. 1 Chron. XXV. 5. Hocquoque loco *LUC. I. 69.* a Zacharia dicitur ΚΕΡΑΣ ΣΩΤΗΡΙΑΣ, quod convenit cum קרן ישעי Pſ. XVIII. 3. 2 Sam. XXII. 3. Unde hæc phraſis deſumta eſt. Ita & cornua Monocerotis ei tribuuntur Deut. XXXIII. 17.

II. Quorſum vero phraſi hac *Cornu Salutis* alludatur, non una eademque Virorum Doctorum eſt ſententia. Cel. LAMP. *in diſſ. de cornu ſalutis fulgido, Bibl. Brem. T. II. p. 680.* exiſtimat, vocem κέρας heic denotare convenienter τῷ hebr. קרן *lucem* atque *ſplendorem*, quod & asſeruit Cl. MOYNE *ad Jer. 23. p. 39.* addit inſuper Cel. LAMPIUS alludi ad *Columnam Nubis & Ignis*, quod non ſolum ex voce קרן ſed & ex ſcopo Zachariæ, qui ad liberationem Iſraelis ex Ægypto in toto Cantico alludat, probare contendit, & erudite perſequitur. Verum tamen aſſenſum Cel. WOLFII *in cur. Philol. ad h. l.* non impetrare potuit, qui aſſerit, non facile perſuaderi quenquam poſſe, Zachariam hic ad eductionem Iſraelis ex Ægypto alludere. Aſt licet id negare non poſſim, phraſes varias deſumtas eſſe ab eductione populi Dei ex Ægypto, tamen inde non ſequitur phraſin κέρας Σωτηρίας etiam reſpicere Columnam nubis. 1) Si *cornu lucis* aut ſplendoris vocaretur, hæc alluſio commoda concedi poſſit, ſed cum cornu ſalutis dicatur, major emphaſis in voce Σωτηρίας quærenda eſt. 2) v. 77. ſalus hæc expreſſe de expiatione ſeu remiſſione peccatorum explicatur, quæ emphaſis aliena eſt ab alluſione ad Columnam nubis & ignis. 3) Dum hoc cornu dicitur *erigi* in *domo Davidis*, ſimul alluſio ad Columnam illam corruit, nam Columna, dum Iſraeli ſalutem præſtabat, non erigebatur in templo, ſed præibat populum & hoſtes eorum proſternebat. Et hiſce difficultatibus hæc ſententia ſatis erudita laborare mihi videtur.

III. Aliam nobis exhibet alluſionem Cl. HOMBERGK. *in Parerg. Sacr. p. m. 117*, quando κέρας σωτηρίας vertit *ſalutem abundantem & copioſam*, & phraſi hac ad κέρας Ἀμαλθείας Veterum reſpici contendit, quod copiæ cornu tanquam fontem benedictionum celebrabant antiqui,

 &

& proin ſalutem abundantiſſimam a Chriſto partam intendi heic cenſet. Verum recte Cel. WOLFIUS l. c. & hanc alluſionem emphaſi phraſium non convenire judicat. Repugnat enim phraſis ἤγειρε *erexit* cornu, repugnat quoque ſcopus erectionis v. 71. propoſitus, ut ſervaret populum ab inimicis & adverſariis, quod beneficium in cornu copiæ non cadit.

IV. Sunt Viri docti quam plurimi, qui ad cornua *ferarum*, in ſpecie *Monocerotis* alludi hac phraſi contendunt, utpote quarum robur ac potentia in cornibus conſiſtit. Huc referunt THEODORETUS *in Pſ. LXXXVIII.* DRUSIUS *in 1Sam. II.* VATABLUS *in Luc. I.* unde & *potentem* magnamque *ſalutem* vertunt. Conf. CASTAL. ad Luc. I. CLARIUM, ZEGER. GROTIUM aliosque. Quare & VORSTIUS & WOLFIUS vertunt *Cornu ſalutiferum.* Licet hæc ſententia ſit ſimpliciſſima & minimis prematur difficultatibus, tamen majorem emphaſin in voce σωτηρίας latere cenſeo, ſi enim diceretur κέρας κράτους ſeu δυνάμεως, facile concederem, ſed dum κέρας σωτηρίας dicitur, aliam alluſionem adhuc quærendam eſſe judico.

V. Quod ergo ſupereſt, videamus, an non alluſionem deprehendere queamus, quæ nullis plane difficultatibus præmatur, & emphaſi phraſis plene convenit. Et hæc eſt illa, quæ *Cornua altaris* reſpicit, quæ non ſolum aſylum erant ſalutis ab adverſariis ſed & ad expiationem peccatorum & ſalutem animæ, ſanguine ſacrificiorum conſpergi ſolebant. Hanc alluſionem approbat JENS. *in fercul. lit. p. 34.* & BUCHER. *Antiq. Bibl. p. 892.* Demonſtramus autem hanc noſtram ſententiam. 1) κέρας σωτηρίας dici poterunt cornua altaris, quia non ſolum aſylum, ſed & expiationis & ſalutis per Chriſtum acquirendæ typi erant conſtituta. 2) Quum *erigi* dicitur hoc cornu in *domo Davidis*, reſpicit hoc manifeſto ad *erectionem* cornuum in quatuor angulis ſuperioribus altaris, in *domo* Dei, templo ſc. quod David exſtruere cogitabat & per Salomonem filium erigi juſſit. 3) quum v. 77. ſalus hæc per peccatorum remiſſionem explicetur & v. 71. ſcopus erectionis hujus cornu addatur, ut liberemur a manu adverſariorum, egregie duplex cornuum altaris uſus exprimitur, ſc. ἀσυλία & expiatio peccatorum. 4) Quum Zacharias ipſe eſſet ſacerdos in ſanctuario Dei ſacra adminiſtrans, & cornua altaris quoque ſæpius ſanguine illiverat fide in futuram Meſſiæ expiationem,

hanc

hancque viſionem de præcurſore Meſſiæ naſcituro acceperat inter miniſteria ſacra, facillime hæc altaris cornua intendere potuit. 5) Accedit, quod locus parallelus, 2 Sam. XXII. 3. eandem hanc alluſionem confirmare videatur, quum David ibi conjungat hanc phraſin cum illa משגבי ומנוסי Jehova eſt *præſidium & propugnaculum* meum, quæ utraque vox egregie *ἀσυλίαν* cornuum altaris exprimit.

VI. His præmiſſis emblema hoc propius excutiamus. *Primo* quidem explicabimus, quid emblema *Cornu* in genere de Meſſia indicet. *Dein* cur hoc in loco noſtro præciſe *Cornu ſalutis* non alluſione ad cornua altaris dicatur.

CORNU in ſacris emblema eſt

A. ROBORIS inſignis atque *fortitudinis*, quoniam animalium robur maxime ſitum eſt in cornibus. Ita Deut. XXXIII. 17. *Primogeniti bovis eſt decor ei, CORNUA Monocerotis cornua ejus ſunt*, qua phraſi robur ac potentia tribus Joſeph declaratur quoad literam. Sic Zedekia *cornua* faciens ferrea, vaticinabatur, *ſic ait Jehova, his percuties Syros, adeo ut conteras ipſos* 1 Reg. XXII. 11. Et Jer. XLVIII. 25. *Succidetur CORNU Moabi, & brachium ejus frangetur*. Thren. II. 3. *Succidit æſtu iræ totum CORNU Iſraelis*. Mich. IV. 13. *ſurge & tritura, o filia Zionis, nam CORNU tuum reddam ferreum, & ungulas tuas reddam ex chalybe, ut conteras populos valde multos*. Conf. Zach. I. 21. &c. Eodem ſenſu *cornu* apud profanos ſcriptores occurrit, teſtatur enim ARISTOTEL. *hiſt. anim. Lib. IV. cap. 8.* quod totum animalium robur conſiſtat in cornibus. ÆLIAN. quoque *hiſt. animal. Lib. XVI. c. 23.* de Monocerote teſtatur. ἀλκῇ γ' ὁι τῷ κέρατι ἄμαχός ἐστι. *Cornu inprimis inexpugnabili armatur*. Unde קרן apud Arabes notat *prævalere* ut ex *Sur. XLIII. 12.* probat VRIEMOETH. *diſſ. de Schil. p. 127.* Unde cornua ſymb. animi heroici, impavidi ac fortis. HORAT. *Lib. III. od. 21.*

Tu ſpem reducis mentibus anxiis
Vireſque addis & CORNUA pauperi.

Unde Baccho cornua tribuuntur, OVID. *Lib. IV. metum:*

Accedant capiti CORNUA, Bacchus eris.

Et *Fluminibus* ob rapidum & irreſiſtibilem curſum cornua tribuit antiquitas. VALER. FLACC. *Argon. Lib. VI. v. 618.*

 Tunc

Tunc & terrificit undantem CORNIBUS Hebrum

CLAUDIAN. *in Conſ. Prob. & Olyb.*

- - - taurina levantur

CORNUA temporibus raucos ſudantia rivos.

Unde nummos, in quibus flumina cum cornibus apparent, exhibet SPANHEM. *de Uſ. & Præſt. Numiſm. p. 359. ſeq.*

Cornu ergo hoc ſenſu inſignem Meſſiæ potentiam, robur ac magnanimitatem denotabit, utpote qui eſt אל־גבור *Deus fortis* Jeſ. IX. 6. Eſt Jehova, Deus ille æternus, qui viribus nunquam deficit Jeſ. XL. 28. Potentiſſimus in Jacob, cujus robur eſt inexpugnabile. Heros eſt ille magnanimus, madefactus veſtes ſanguine, incedens in virtute roboris Jeſ. LXIII. 1. Poteſtas ejus eſt æterna, *qua efficit quæcunque vult, nec eſt, qui prohibeat manum ejus, aut dicat, quid facis?* Dan. IV. 35. Eſt Fortis ille, qui infinita ſua potentia cœlum atque terram cum toto ipſorum exercitu, non creavit ſolum & produxit, ſed & per eandem manum roboris conſervat Pſ. XXXIII. 6. Heb. I. 3. Qua Mediator eſt fortis ille, qui robuſtum vicit & captivos ejus liberos ſiſtit Jeſ. XLIX. 20. Matth. XII. 29. Eſt qua Rex fortiſſimus populi ſui defenſor contra omnes hoſtes, ita ut nemo illum ex manibus ipſius eripere queat. Joh. X. 28. Tuetur, defendit, cuſtodit & cingit illum undique robore & potentia ſua. Pſ. CXXV. 2. 1 Pet. I. 5. &c.

VII. B. REGIÆ inſuper *dignitatis* cornu apud antiquos fuiſſe ſymbolum, ubique conſtat Spiritus S. ipſe nos docet hoc. Dan. VII. 24. *Et cornua decem ſunt decem ex eodem regno exſurgentes Reges.* Et Dan. VIII. 8. 9. *Cornu* magnum, *cornu* parvum, & *cornua* quatuor, ſimili ratione totidem Reges inſignes depingunt. Ita Zach. I. 18. 19. ſeu ſecund. Text. hebr. c. II. 1. 2. *Ecce quatuor cornua. Regerente autem me angelo, quid iſta? dixit mihi, iſta ſunt cornua* (i. e. Reges) *quæ diſſiparunt Jehuda, Iſraelem & Hieroſolymas.* Et Apoc. XIII. 1. decem *cornua* cum totidem coronis eodem ſignificatu gaudent. Cap. XVII. 12. *Decem cornua*, quæ vidiſti, *ſunt decem Reges.* Quare & *cornua* Regum inſigne fuere apud antiquos. Saltem Perſarum Rex cornua aurea arietina pro diademate geſtaſſe dicitur apud AMMIAN. MARCELL. Lib. LXIX. c. 1. *Aureum capitis arietini figmentum interſtinctum lapillis pro diademate geſſit.*

geſſit. Unde effigiem Ptolomæi cum *cornu arietino* exhibet in marmore antiquo Ez. SPANHEM. *diſſ. de Nummiſ. p. m. 363.* Unde & Rex Perſarum Dan. VIII. 20. per arietem cornigerum depingitur. Quare Alexander apud ALPHAR. *Dyn. c. V.* vocatur ذو القرنين *Dico habens cornua.* Vide latius Ez. SPANHEM. l. c. v. 347. conf. DEYLING. *Obſ. L. III p. 85.* qui teſtatur, Reges Ægypti leonis, draconis aut alterius animalis effigiem pro diademate geſſiſſe. LIBAN. *in Antiochic. p. 351.* Τιμῶσι εἰκόνι χαλκῇ τὸν Σελεῦκον ΤΑΥΡΟΥ ΚΕΡΑΤΑ τῇ κεφαλῇ προθέντες. *Statua aurea Seleucum honorant, adaptantes CORNUA taurina capiti ejus.* Conf. & CHOUL *Religion des Anc. Rom. p. 54.* Unde & Arabibus قرن القوم *Dominus, Herus* apud GIGGEJUM, dicitur quaſi *Cornu populi.* Et 1 Sam. II. 10. קרן vertitur a *Paraphraſte* JONATHAN מלכותא. Et Judæi Duces ſeu heroes belli קרני מלחמה *cornua belli* vocare ſolent.

Eleganter ergo ſub hoc emblemate dignitas Meſſiæ *regia* depingitur. Eſt Rex unctus ſuper Zion Pſ. II. 6. Rex Regum & Dominus dominantium, quod nomen in veſtimento & femore ſcriptum gerit Apoc. XIX. 16. Regnum ejus eſt æternum, quod conterit omnia mundi regna Dan. II. 44. Dominatur ille a mari ad mare & usque ad fines terræ Pſ. LXXII. 8. Zach. IX. 9. 10. Omnes ipſum Reges adorant, & omnes gentes ei ſubjecta ſunt. Eſt Rex in cujus capite diademata *multa* Apoc. XIX. 12. *Angelus ille fortis, qui pedem dexterum mari & ſiniſtrum terræ imponit.* Apoc. X. 2. Eſt heros ille & Dux exercitus Dei, qui veſtes cruore hoſtium conſperſit & calcavit torcular Gentium in excandeſcentia ſua Jeſ. LXIII. 1. 2. qui hoſtes ſuos paſcit virga ferrea Apoc. XIX. 15. Qui exuit poteſtates & principatus, & de iis triumphum egit Col. II. 15. claves dominii gerit, non ſolum domus Davidis, ſed & mortis ac inferorum Apoc. I. 18. cap. III. 7.

VIII. C. Cornua *divinæ* quoque MAJESTATIS, ac *gloriæ* Symbolum ſunt. Huc referunt locum Exod. XXXIV. 29. 30. כי קרן עור פניו *quoniam ſplendebat cutis faciei ipſius.* Ex hoc loco *faciem* Moſis *cornutam* conſiderant Judæi. Unde numi, in quibus Moſes cornutus, apparent, ſed recentiores. Vid. Ez. SPANHEM. *diſſ. de Uſ. & præſt.*

 Num.

Num. p. 369. Unde & Judæi Moſi קרני ההוד *cornua majeſtatis* tribuunt. Et ABARBANEL *ad h. l.* רוצה לומר אותו נוגה וכביד שראו בהר סיני כענין ראור השמשי היה לפי שקרנים מידו לו רל הקרן הזורר והאור המופלג יתחבא עזר ויעלם מבני אדם *Vult dicere fulgorem illum atque gloriam, quam intuebantur in monte Sinai, ſe habuiſſe inſtar lucis ſolis, ſiquidem cornua emittebat, i. e. rudiantem ſplendorem, & miranda illa lux robur ſuum abſcondebat & coram filiis hominum tegebat.* Conf. LIEBENTANZ *diſſ. de facie Moſis cornuta* Cap. II. V. der HARDT *Ephem. Phil. in Pentat. diſſ. 10.* CARPZOV. *in diſſ. de Num. Moſis cornuti.* Huc refero locum quoque Pſ. CXXXII. 17. שם אצמיח קרן *Ibi efficiam, ut effloreſcat cornu* i. e. gloria ejus. Nec aliam ob rationem Lunæ tribuuntur cornua, quam propter radios fulgentes, quos emittere videtur. Unde VALER. FLACC. *Argon. L. II. v. 55.*

Puraque nec gravido ſurrexit Cynthia cornu.

& illud POETÆ

Ardua ſuſpiciens minuentis CORNUA Lunæ.

Hoc etiam cauſa eſt, cur Diis & Deabus appingerentur cornua, quibus majeſtatem & gloriam eorum exprimebant veteres. Huc reſpicit OVIDIUS *in Ibi.*

Quam qui CORNIGERO de Jove natus erat.

Unde & nummus apud Cl. SEGUINUM, quem exhibet quoque Ez. SPANHEM. *p. m. 350.* uti Jupiter cornutus apparet cum epigr. ΘΕΟΣ ΑΜΜΩΝ ſimilem effigiem ex marmore exhibet idem *Vir. Illuſtr. p. 352.* Vide plura apud SPANHEM. l. c. Ol. WORMIUM *in Monum. Dan. p. 386.* J. SPONII *Miſcell. p. 285.* & ZORN. *bibl. antiq. p. 115. ſeq.*

Hoc ſenſu Meſſias commode Cornu appellatur, quoniam eſt ectypon ipſius Majeſtatis divinæ & ſplendor imaginis ipſius Heb. I. 3. Eſt ipſe verus antitypus glorioſæ illius שכינה ſub V. T. in quo gloria Dei unigeniti conſpicitur. Quare & vocatur כבוד יהוה Ezech. X. 4. gloria ac majeſtate coronatus Pſ. VIII. 6. Ita Apoc. X. 1. deſcribitur tanquam deſcendens de cœlo, amictus nube candida, & iride caput cinctus, cujus facies lucebat inſtar ſolis, & pedes inſtar columnæ igneæ erant. Unde vox angelorum multorum Apoc. IV. 12. *dignus eſt agnus ille mactatus, qui accipiat poteſtatem & divitias & ſapientiam & honorem & gloriam & benedictionem.*

IX.

IX. D. Cornu apud antiquos *benedictionis* atque *felicitatis* ſymbolum fuit frequentiſſimum; Nota ſunt, quæ de *Cornu copiæ* memorant veteres, quod abundantiæ & fœcunditatis ſymbolum habebant. Unde HORAT. *Carm. Lib. I. od. 17.*

- - - Hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta CORNU.

Ita & numi varii cum cornu copiæ apparent, addita epigraphe: FELICITAS SÆCULI; & FELICITAS PUBLICA vid. OISEL *Theſ. num. Tab.* LVI. *n. 5. 6. 8.* in nummo Diocletiani ÆQVITAS AVG. in nummo Veſpaſiani PAX AVGVSTI. vid. CHOUL. *Relig. des Anciens Rom. p. 146.* in nummo Aurelii LIBERALITAS AVG. in nummo Julianæ mammeæ FOECVNDITAS AVGVSTÆ, in nummo Domitiani VICTORIA AVG. in nummo Trajani FORTVNÆ REDUCI. Conf. & SPANHEM. *diſſ. de Num. uſu p. 241. 268. ſeq.* Nummum talem exhibemus in *Tab. noſtr. n. 8.* Notandum quoque hoc loco eſt, ſub V. T. oleum benedictionis in caput Regum Iſraelis ex cornu fuiſſe effuſum, quo ritu abundantiam benedictionum divinarum in Regem derivandarum præfiguratam cenſemus. Vide 1 Reg. I. 39. 1 Sam. XVI. 1. 13. & conf. BOCH. *Hier. I. p. 317.* CARPZOV. *not. ad* SCHICK. *jus reg. p. 68.* LUND. *Jud. Heiligth. Lib. I. c. 28.* Oleum quoque apud antiquos in cornibus fuiſſe adſervatum docent Commentatores ad *Horat. Sat. Lib. II. S. 2.*

- - - cornu ipſe bilibri
Caulibus inſtillat.

Hoc ſenſu ſumma ſub imperio Meſſiæ felicitas depingeretur, quod largiſſima benedictionum cœleſtium abundantia condecorandum erat. Eph. I. 4. Pax per eum æterna nobis eſt acquiſita, 2 Cor. V. 19. Eph. II. 15. quare & pax ſub hujus imperio florere dicitur Jeſ. XI. 6-9. Mich. IV. 3. 4. Felices ſe deprædicaturi erant omnes ejus ſubditi, quare & ipſe toties τὸ μακάριον in eosdem ebuccinat Matth. V. cap. Eſt enim *cornu copiæ* myſticum, ſcaturigo ac fons omnis gratiæ ac vitæ Pſ. XXXVI. 10. Apoc. XXII. 17. Jeſ. XII. 3. ex cujus omniſufficienti plenitudine accipimus gratiam pro gratia. Joh. I. 16. Quare exclamat Pſaltes Pſ. LXXXIX. 16.

17.

17. 18. *Beatus ille eſt populus, qui agnoſcunt clangorem, pergent in luce, faciei tuæ o Jehova. In nomine tuo exultant toto die, & in juſtitia tua attollunt ſe; nam DECUS es ROBORIS eorum;* quod idem eſt ac cornu ſalutis.

X. Hiſce prælibatis, ſupereſt & inquiramus, quo ſenſu *Cornu SALUTIS* dicatur, idque convenienter datæ alluſioni ad *Cornua altaris* Jehovæ ſub V. T. In ſcriptis ſacris frequens eorum mentio occurrit. Vide Exod. XXVII. 2. XXIX. 12. XXX. 23. XXXVII. 25. 28. Levit. IV. 17. 18. XXX. 34. it. Cap. VIII. 15. IX. 9. Pſ. CXVIII. 27. Ezech. XLIII. 20. Hæc altaris cornua quatuor erant, minime ad taurinorum ſimilitudinem efficta, ſed erant prominentes anguli quadrati, alti cubitum palmorum 5. & lati longique cubitum palmarum 6. compoſiti erant ex ligno Sittim & core obducti vel auro. Conf. RELAND. *Antiq. S. P. I. p. 109.* Quare *Scach. Sacr. Ele. myr. 2. cap. 47.* male hirci cornuum figuram exprimit. Erant autem cornua tum in altari holocauſtorum Exod. XXVII. 2. tum in altari ſuffitus Exod. XXX. 2. Uſus eorum duplex erat. (a) ad *ſpargendum ſanguinem*, præcipue *τῶν* חטאות vid. JACOBS. *diſſ. de Aſperſ. Hebr. p. 141.* Digito enim illum נתון imponebant cornibus, ita ut ſæpe deſtillaret; quod non alio ſcopo a Sacerdote peragi ſolebat, quam ad expiationem peccati per effuſionem ſanguinis Mediatoris noſtri acquiſitam, præfigurandum Ez. XLIII. 20. adeoque expiationis adhuc futuræ memoriam refricebat hic ritus. Quo reſpicitur Jer. XVII. 1. *Peccatum Jehudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo & ſculptro lapidis perpetui; exſculptum in tabula cordis ipſorum, ad CORNUA ALTARIUM veſtrorum.* Conf. de hac ſparſione ſanguinis ad cornua altaris LUND. *Jud. Heiligth. L. III. c. 37. p. 581.* SHERINGHAM *ad Jon. cap. V. ſect. 5.* ABARBANEL. *in Lev. XVI. 18.* aliosque antiquitatum S. Commentatores. (b) Alter uſus cornuum horum erat, ut eſſent *aſylum* homicidis minime voluntariis, qui illa apprehendentes vitam ſervabant & tuti erant, unde ſæpius in periculo mortis conſtituti ad cornua altaris confugiebant. Fundamentum hujus moris deprehendimus, Exod. XXI. 13. 14. *Conſtituam tibi locum, quo ille* (homicida ex improviſo) *confugiat; Si quis vero ſecum conſtitueret proximum ſuum occidere cum aſtu, etiam ab altari meo rapite eum ad mortem.* Ita Adonia præhendebat cornua altaris & vitam ſervabat 1 Reg. I. 51. Joab autem ab altari raptus & occiſus eſt. 1 Reg. II. 28-32.

II. 28-32. Ita & Maimon: Hilc. רוצח ושמירת נפש Cap. V. המזבח קולט שנאמר בהורג בזדון מעם מזבחי תקחני למות מנלל שההורג בשגגה אינן כהרג בסזבח: *Altare tutum receptum dabat, quemadmodum ſcriptum eſt :* (Exod. XXI. 14.) *qui protervo animo occidit, tolles illum ab altari meo, ut moriatur. Unde ſequitur, illum, qui ex ignorantia homicidium perpetravit, non occidendum eſſe in altari.* Altaria apud Gentes ſimiliter aras habuiſſe, docet DOUGT. *Anal. S. P. I. p. 70.*

Duplici ergo ſenſu Servator noſter *Cornu ſalutis* cum alluſione ad cornua altaris dici poteſt. a) quia per ipſum *ſanguis expiationis* eſt oblatus pro peccatis noſtris, 1 Joh. I. 7. Sanguis enim filii Dei expiat peccata. Suſtulit ille peccata uno die Zach. III. 9. ut omnis in hoc cornu ſalutis expiationem quærens inveniat. Ille enim eſt, qui nos cum Deo reconciliavit, cum eſſemus adhuc inimici Rom. V. 10. & conſtitutus eſt a Deo in expiatorium Rom. III. 25. b) Cornu quoque ſalutis dicitur, qui eſt unicum miſeri peccatoris ac homicidæ refugium. Eſt ille arx munita ad quam confugit & præſidium adipiſcitur Prov. XVIII. 10. Quare exclamat Jeſ. XLV. 22. *Reſpicite me & ſalvamini fines terræ.* In hoc eſt *juſtitia* ac *robur v. 23.* qua phraſi dubio procul alluditur ad hæc altaris cornua, utpote in quibus robur ac ſalus contra hoſtes, & juſtitia Chriſti expiatoria depingebatur. Beati ergo omnes, qui ad ipſum confugiunt. Pſ. II. 12. Sed & vera fide *apprehendendum* hoc cornu ſalutis eſt, precibusque intenſiſſimis juſtitia ejus anhelanda. Conf. Apoc. III. 11. Jeſ. XI. 10.

XI. Felices ergo ter & amplius, quibus hoc ſalutis cornu erectum eſt, ad quod confugere licet, & in cujus apprehenſione liberatio a morte ac condemnatione exſpectatur. Proh vero miſeram tot mortalium conditionem, qui hoc ſalutis medium negligentes, mortem præ vita eligunt. Si quis ſub V. T. periculum capitis incidiſſet, quam citatis paſſibus ille accurrebat altare, cornua ipſius apprehendens, ut ita ſalutem adipiſceretur. Sed quam ſtolide agunt, qui in periculo mortis non temporalis ſed æternæ verſantur, quibus templum ſalutis patet, & tamen cornua juſtitiæ ſalutis vera fide apprehendere cunctantur, ſponte ſe in mortem præcipitantes. Surge, evigila, excute torporem o peccator

Q miſer-

miſerrime, nonne vides vindicem ſanguinis inſidias Tibi parantem, aſpice laqueos, quibus ad tenebras inferorum miſeram tuam animam deducere ſatagit. Cur æterna flammarum præda? cur infeliciſſimum Principis mortis mancipium exiſtes? Aſpice cornua altaris noſtri, quod eſt altare verum & æternum, ſparſa ſanguine expiationis peccatorum tuorum; accurre, apprehende, firmiter tene robur juſtitiæ Salvatoris & vitam adipiſceris æternam. Hoc tibi cornu erit *cornu roboris* invicti contra omnes Satanæ inſidias, *cornu* tibi erit ſalutis atque *felicitatis*, ex cujus plenitudine gratia cum gratia emanat Joh. I. 16. Cornu tibi erit *gloriæ* atque decoris, in quo gloriaberis æternum Jeſ. XLV. 23.

EXERCITATIO XI.
DE
SECURI AD ARBORUM RADICEM POSITA.
LUC. III. v. 9.
ARGUMENTUM.

§. I. Locus LUC. III. 9. in nexu proponitur. §. II. Securim *emblema eſſe judiciorum divinorum probatur. §. III. Analogiæ exhibentur: quid materia ſecurium ferrea & chalybea denotet inquiritur. §. IV. Præparatio earum per ignem & malleos myſtice exponitur. §. V. ἀξίνη, bipennem bicipitem denotans, duplicem judiciorum Dei effectum pingit. §. VI. Quid fulgor. §. VII. Quid agitatio per manubrium indigitet porro inquiritur. §. VIII. Tranſimus ad uſus varios ſecurium, Sc, a) domeſticum, quo arbores & ligna ſcinduntur. §. IX. b) civiles uſus recenſentur & myſterium eruitur, quod fuerint inſigne Magiſtratuum, præcipue Romanorum, quo hoc in loco alluditur. §. X. Inſtrumentum erant, quo rei plectebantur & ſupplicium ferebant. §. XI. In bello apud Veteres erant uſitatæ. §. XII. c) Uſus ſacri adduntur, quod victimæ iis decollarentur & §. XIII. Eædem*

dem Diis conſecrarentur ut donaria. *§. XIV.* Arborum *emblema breviter adjicitur & hominum Symb. eſſe demonſtratur.* *§. XV. Per conciſas analogias enucleatur.* *§. XVI. Senſus hujus loci & implementum excutitur.* *§. XVII. Epilogus practicus adjicitur.*

I.

QUando Servatoris noſtri Præcurſor, Baptiſta Johannes, baptiſmi ſacramentum divinitus inſtitutum in regionibus a Jordane haud procul diſſitis adminiſtraret, & ingens Judæorum caterva conflueret, non ſolum de officio ſuo tanquam Meſſiæ Præcurſoris ſerio eos inſtituebat, ſed & mire in mores & genium perverſum ipſorum detonabat, **γεννήματα ἐχιδνῶν** eos vocans, & horrenda ſimul judicia Dei ac iram futuram denunciabat. Ut vero ad ſeriam & ocyus inchoandam reſipiſcentiam eos inſtigaret. Luc. III. 9. ait: **Ἤδη δὲ καὶ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται.** *Jam vero SECURIS ad radicem ARBORUM eſt poſita.* Et addit: *Omnis ergo arbor non fructum proferens bonum, exſcinditur & in ignem conjicitur.*

II. Ultro igitur citroque liquet, Baptiſtam phraſi hac horrenda Judæis imminentia judicia Dei deſignaſſe, & quidem ut deinceps videbimus, Judicia illa graviora, quæ per excidium Hieroſolymæ in Judæos derivata fuere per Romanos. Alludi recte cenſet Rev. ALBERTI *in Obſ.* ſuis ad *faſces* & *ſecures*, quas ceu imperii inſignia gerebat Romanorum magiſtratus. Proxima tamen addi debet alluſio ad uſum ſecurium domeſticum, quando arbores infrugiferæ ſeu ſylveſtres ſecuribus cæduntur & igni admoventur. Per *ſecurim* ergo non verbum Evangelii ejusque effectum cum ISIDORE PELUSIOTA intelligimus, ſed *judicia* divina, quorum Symbolum eſt. Solent enim judicia Dei in ſcriptis ſacris ſæpiſſime ſub emblemate ejusmodi inſtrumentorum proponi. Ita depicta eadem legimus ſub emblemate *falcis*. Apoc. XIV. 18. *Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ telluris. Et v. 19. Miſit itaque Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & miſit in magnum illum lacum excandeſcentiæ Dei.* Similiter ſub ſymbolo *gladii*. Zach. XIII. 7. *gladie evigila contra paſtorem & virum mihi proximum.* Deut. XXXII. 41. 42, *Quando acuam enſem*

meum rutilantem, & prehendet dextra mea inſtrumenta judicii. Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus abſumet carnem. Ita quoque *judiciorum* graviorum figuram exhibet in ſcriptis æque ſacris ac profanis. Veluti Pſ. LXXIV. 5. *Innoteſcit, prout efferens ſurſum contra implexum arboris SECURES. v. 7. Immittent ignem in ſanctuaria tua.* Jer. XLVI. 22. *Vox illius ibat quaſi ſerpens; quando procedent exercitu, & cum SECURIBUS venient ad eam, tanquam putatores arborum.* Eodem ſenſu dicitur Jeſ. X. 15. *an gloriabitur SECURIS contra cædentem ipſa? an ſerra gloriabitur contra agitatorem ſuum?* Ita de Diis gentium dicitur *Baruch. VI. 14. Habent gladium in dextra & SECURIM, ſe ipſos vero non ſalvare poſſunt.* Conf. Jer. XXII. 7. ubi a LXX. vox πέλεκυς & Ezech. IX. 2. ubi πελὺξ adhibetur. Simili ratione *Securis*, pro plagis ſeu judiciis gravioribus apud profanos ſcriptores adhibetur. Sic πέλεκυς τενέδιος pro lege ſevera & pœna graviſſima ponitur apud PAUSAN. *in Phocic. p. 239.* Et *Cicero* in ERASMI *Adag. Cent. IX. p. 815. ſecurim* pro plaga ponit. Ita pro *Plancio* ait: *quam graviorem potuerunt Reipublicæ infligere ſecurim.* i. e. plagam. Et per *ſecures*, quæ in inſignibus Magiſtratus Romanorum cernebantur, jus vitæ & necis ac judicii ſupremi depingebatur. Unde CICERO *Lib. IV. Orat. IX. in Verr. O Dii immortales, præclaram defenſionem, mercatorem cum imperio ac SECURIBUS in provinciam miſimus.*

III. Ut vero emblema hoc evolvamus, varias ipſius *ſecuris qualitates* & diverſos ejus *uſus* conſiderabimus. Inſtrumenti hujus

I. a. *Materia* plerumque *ferrum* eſt, unde & ſub nomiue ברזל venit 2 Reg. VI. 7. Chald. ברזלא & LXX. Σιδήριον Syr. ܦܪܙܠܐ conf. Num. XXXV. 16. Deut. XIX. 5. Et apud HOMER. & HESIOD. Σίδηρος ſæpiſſime vocatur ſecuris. Memorantur equidem & *aureæ ſecures*, qualis aurea bipennis Apollinis apud HOMERUM, & *æneæ*, ut apud APOLLON. *argon.* χαλκείῳ πελεκεῖ. Plerumque tamen ferreæ erant atque ex chalybe conflatæ. Unde LYCOPHRON. p. 169. & APOLLON. *argon.* L. IV. v. 762. χαλυβδικὸν κνώδοντα *Securim ferream* ſeu ex chalybe memorant. Ferrum atque chalybs materiam conſtituunt duriſſimam, unde FERRAR. *de re metall. p. m. 211.* ait: *Ferrum duri-*

duritie ſuperat omnia fere metalla, hinc ad opera, quæ diutiſſime durant, facienda conducit, præcipue arma.

Hoc ſi judiciis divinis applices *conſtantiam* & *robur* ac *immutabilitatem* cum *gravitate* denotabit. Utpote omnia Dei judicia ex decreto ſanctorum vigilum, quod eſt æternum, conſtans & immutabile, executori dantur. Si manus Dei vindex eſt extenſa, quis eam reducere poterit aut prohibere Dan. IV. 35. id quod Jeſ. XIV. 26. 27. emphatice exprimitur. *Hoc illud & meum conſilium, quod mihi propoſui contra terram iſtam, & hæc eſt manus mea extenſa contra gentes iſtas. Jehova exercituum conſtituit conſilium, quis faciet irritum? & manum ejus extenſam quis avertet unquam? Graviſſima* quoque futura hæc in Judæos erant judicia, quia dura ipſis erat cervix, & duro nodo durus adhibendus erat cuneus; Quo diutius ſub alis longanimitatis divinæ conſederant absque ulla reſipiſcentia, eo gravioribus aliquando judiciis erant ſubjiciendi, quibus ceu onere duriſſimo premerentur usque ad finem dierum. Deut. XXIX. 27. 28.

IV. b. Præparatur *ſecuris* per ignem, ferrum ſcilicet in *igne liqueſit* & *malleis* tunditur in ſecuris formam. Unde CALLIMACH. *hymn. in Dian. v. 59.*

Εὖθ᾽ ὅιγε ῥαιςῆρας ἀειράμενοι ὑπὲρ ὤμων
Ἢ χαλκὸν ζείοντα καμινόθεν, ἠὲ σίδηρον
Ἀμβολαδὶς τετύποντες.

Et ÆSCHYL. *Dram. incert. ap. Athen. L. VII. p. 303.*

Σφῦρας δέχεσθαι, καπιχαλκεύειν λέγω μύδρους.
Malleos ſumere & cudere ignitas maſſas jubeo.

Conſ. APOLLON. *Argon. L. IV. 762.* VIRGIL. *Æn. L. VIII. 451. &c.*

Cuduntur quoque judicia graviora Dei in æterno ipſius decreto & per ignem excandeſcentiæ Jehovæ præparantur & maturæ executioni redduntur. Deut. XXIX. 27. 28. *Accenſa eſt ira Jehovæ in terram illam. Exſtirpavit eos Jehova ex terra ipſorum, ira & excandeſcentia ac fervore magno.* Præparat ſæpe judicia ſua antequam executioni dat, ut homo tempus reſipiſcentiæ habeat. Pſ. VII. 13. 14. *Niſi reſipuerit improbus, gladium ſuum acuet, arcum ſuum adduxit, & ſagittas adaptavit. Adaptavit contra ipſum arma lethifera, ſagittas ſuas.*

V. c. Secures veterum ſæpiſſime erant *bicipites* & *acutiſſimæ*, quæ cote acuebantur utrinque, & talis per *ἀξίνην* exprimitur, quæ vox hoc loco occurrit. Unde HESYCHIO *ἀξίνη* dicitur *δίστομος πέλεκυς* & ÆSCHYLO *ἀμφίστομος βέλεμνος telum anceps*. Vid. J. KUHN. *not. ad Ælian. Lib. XIV. c. 35.* & SPANHEM. *ad Callimach. in Cerer. v. 36.* Talem bicipitem memorat HOMER. *Odyſſ. ε.*

> *Δῶκε μέν οἱ πέλεκυν μέγαν, ἄρμενον ἐν παλάμῃσι*
> *Χάλκεον ἀμφοτέρωθεν ἀκαχμένον.*
> *Dedit quidem ei ſecurim magnam, habilem in manus,*
> *Ferream, UTRIMQUE ACUMINATAM.*

Ita & in nummis cernimus ſecures ancipites; in nummo Tenediorum, quem citat Cl. HAVERCAMP. *in Edit. nov. Joſephi Tab. I. n. 3.* cum inſcriptione ΤΕΝΕΔΙΩΝ & in numis Smyrnæorum, quos exhibet SEGUINUS *p. 338.* Quædam ſecures erant ab una parte acutæ, ab altera inſtar mallei, quarum effigiem cernes apud GUTHER. *de Vet. jure Pontif. L. IV. c. 24.* in GRONOV. *Theſ. T. V. p. 222.* & ARINGH. *Rom. ſubterr. Tom. II. p. m. 373.*

Hoc ſi applices judicio graviſſimo, quod heic Judæis prædicit Baptiſta, duplicem inde ſenſum eruere poteris, vel enim ad judicium ipſum vel ad ejus effectum referri commode poterit. Si ad judicium ipſum, ſecuris biceps denotabit *inevitabile* hoc eſſe judicium excidii & *totale*. Quocunque ſe vertent, undique judiciis Dei prementur, in urbe fame ac peſte exſcindendi, extra urbem gladio ac fuſtibus dirimendi; ſive ad dextram ſive ad ſiniſtram ſe converſuri ſint, ubique manum Dei ultricem erunt experturi; & totale excidium jam inſtabat; Hieroſolyma enim poſt deſtructionem per Romanos non erat amplius reſtauranda, nec Judæis ſubjicienda; ſed ſub iræ divinæ ſenſu manſuri erant ad fines dierum Judæi. *Duplicem* quoque judicii divini *effectum δίστομον* hæc *ἀξίνη* depingere poteſt. Quidam Judæorum per hæc judicia ad reſipiſcentiam & ſalutem erant vulnerandi, reliqui ad mortem, quemadmodum gladius Evangelii eſt biceps vulnerans ad vitam & ad mortem 2 Cor. II. 16. Heb. IV. 12. Act. II. 37. coll. Act. V. 33. ita & per judicia hæc quidam judæorum converſi reſipiſcebant, & Meſſiam, ob cujus necem & neglectum judicia illa ipſos premebant, recipiebant vera fide; alii hiſce

hiſce eo magis indurati in graviora ſe præcipitabant pericula. Conf. Matth. XXIV. 21. 30. Deut. XXXII. 25. Luc. XXI. 24. Eſ. XXXIV. 5. Hoſ. III. 4. 5. Pſ. CVII. 2-7.

VI. d. Secures Veterum maxime erant *politæ*, & *fulgore* ſuo oculos perſtringebant, eas enim oleo inungebant & perpetuo attritu *poliebant*, ut docet ORIBASIUS ex *Heliodoro*, præcipue ſecures, quas in bello adlibebant, quæ radiis ſolaribus illuſtratæ, ſplendore ſuo oculos hoſtium ferire debebant. Unde & SIL. ITAL. *Lib. IV. init. canit.*

Pila novant, ac deterſa rubigine ſævus
Induitur ferro SPLENDOR &c.

HOMER. *Odyſſ. Lib. ε.*

Δῶκε δ' ἔπειτα σκέπαρνον ἐΰξοον.
Dedit vero dein aſciam POLITAM.

Reſpicit huc Luth. quando Pſ. LXXIV. 5. vertit: *Man ſiehet die Aexte von oben her blicken.*

Hoc eleganter ob oculos pingit judiciorum divinorum decentiam, utpote ex illis undique rutilant virtutes ac perfectiones divinæ. Ex hoc in Judæos judicio radiabat ſumma Dei *Majeſtas*, quam peccatis ſuis & ſceleribus obfuſcaverant & quæ per plagas haſce graviſſimas velut ex ſpiſſis nebulis ſe exſerebat. Fulminabat *ſanctitas ac juſtitia* ipſius inviolata, quæ impuram & idololatria craſſiori & ſubtili commaculatam gentem diutius intueri ac ferre non poterat, quare omnibus eam privilegiis exuebat, & fulmen iræ contra eam dirigebat. Recte JOSEPH. *Lib. VI. de bell. Jud. cap. 37. Puto, ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ devorandam fuiſſe civitatem; aut diluvio perituram, aut fulminum ac Sodomæ incendia paſſuram, multo enim magis impiam progeniem tulit, quam quæ illa pertulerat.* Conf. Eſ. I. 21-23. Rutilabat inde immutabilis Jehovæ *veracitas*, in accuratiſſimo omnium minarum implemento, quæ per Moſen & Prophetas reliquos, imo per Salvatorem ipſum illis erant denunciatæ.

VII. e. Secures inſtructæ erant *Manubriis*, quibus agitabantur atque dirigebantur vel in arbores vel etiam reos. Sic HOMER. *Odyſſ. l. c.*

- - - αὐτὰρ ἐν αὐτῷ (πέλεκει)
Στειλειὸν περικαλλὲς, ἐλάϊνον, εὖ ἐναρηρός.

Cæte-

Cæterum in ipſa ſecuri manubrium erat perpulcrum, oleaginum, bene fabrefactum. Unde & Deut. XIX. 5. *ſi exciderit ferrum e manubrio ejus.* Manubrio enim ſecuris eſt dirigenda. Unde Jeſ. X. 15. ההתפאר הגרזן על החצב בו *an gloriabitur ſecuris contra cædentem ea.*

Simili ratione quando Deus judicia ſua eſt exſecuturus, id agit per media certa, quæ eum in finem diſponit. Ille tanquam Jehova Zebaoth ſuos habet exercitus, tot in hoc orbe creaturas tum rationales tum irrationales, quæ tanquam manubrium ſunt in ſecuri judiciorum divinorum. Ita Rex Aſſyriæ erat inſtrumentum, per quod judicia in Iſraelem executioni dabantur, de quo Jeſ. X. 5. 6. *Væ Aſſyrio virgæ iræ meæ, quamvis ſit baculus excandeſcentiæ in manu mea. In gentem hypocritam ipſum dirigam, & contra populum, cui iraſcor.* Et de inſectis, quibus agros devaſtaverat, teſtatur Joel. II. 25. *Et rependam vobis annos illos, quos aſſumſit locuſta, brachus & eruca, quæ maximæ mihi copiæ erant, quas immiſi in vos.* Sæpe etiam per angelos, miniſtros ſuos, judicia exſequitur, uti olim ſub V. T. factum, unde Pſ. CIV. 4. *Conſtituit angelos ſuos ventos, & miniſtros ſuos flammantem ignem.* Hi omnes tanquam miniſtri in manu Dei ſunt, per quam diriguntur, flectuntur & gubernantur, ut ſanctiſſimum ejus propoſitum nunquam non curatiſſime adimpleatur. Ita hoſtes Chriſtum cruci affigentes & variis contumeliis afficientes, omnia egerunt, quæcunque manus Dei & conſilium ejus prædeſtinavit, ut fierent. Act. IV. 28.

VIII. II. Videamus inſuper, an varios *ſecurium Uſus* commode applicari queant judiciis divinis, & hi quidem diverſos eorum effectus nobis ob oculos ponent.

a. Primus ſecurium uſus eſt *domeſticus*, ad arbores reſecandas, ad ligna cædenda, & ad ignem præparandam, ad carnes & oſſa diſſecunda, & quæ plura recenſeri poſſent. Ad hoſce uſus domeſticos reſpicit monitum Judæorum in *Pirke Aboth* c. IV. §. 5. אל תעשית עטרת להתגדל בה ולא קרדום לאמל ממנה: *Ne facias eam* (legem) *coronam, ut magnifias, nec ſecurim, ut inde victum quæras.* Ita SILIUS ITAL. L. X.

> *Agmine proſternunt lucos, ſonat icta bipenni*
> *Populus alba.*

Et VIRGIL. *Æneid. Lib. VI. v. 180.*

Pro-

Procumbunt piceæ, ſonat icta Securibus ilex.
Fraxine æque trabes: cuneis & fiſſile robur
Scinditur.

Conf. HOMER. *Iliad.* ψ. HORAT. *Lib. IV. od. 6.* CALLIMACH. *hymn. Cerer. v. 35.* Et loca ſacra Deut. XX. 19. Jud. IX. 48. Jeſ. XLIV. 12. 13. 2 Reg. VI. 1-7.

Huc quoque reſpicit Baptiſta, quando ſecurim ad radices arborum poſitam dicit; innuens ſcopum judicii Dei intendi illum, ut arbores cædantur & exſcindantur. Varii ſunt effectus judiciorum divinorum. Hac ſecuri ſæpe arbores purgantur a ramis *aridis* & ſterilibus, qui in ignem conjiciuntur; ut reliqui eo melius fructum ferre valeant Joh. XV. 6. ſæpe integri *luci*, populi idololatriæ dediti & reſipiſcentiam renuentes, hac ſecuri exſcinduntur, veluti in Judæis impletum eſt per excidium Hieroſolymitanum. Ita de excidio eorum per Babylonios dicitur Jeſ. X. 33. *Ecce Dominator Jehova Zebaoth excidet ramum cum robore, ſuccidetque perplexas ſylvæ arbores ferro.* Ezech. XX. 47. *Ecce ego ſuccendo in te ignem, abſumetque omnem arborem viridem & aridam.* Sæpe etiam ſecuri judiciorum divinorum fideles exſcinduntur per martyrium, ut transplantentur in paradiſum Jeſ. LVII. 1. 2.

IX. b. Pergimus ad uſus *civiles ſecurium*, quorum tres præcipue notandi

1. *Secures* tanquam *inſignia* Regum, Principum, Magiſtratuum ac perſonarum majeſtate illuſtrium præferebantur a *miniſtris* & Lictoribus. Ita Perſarum Regis thronum cingebant ſatellites inſtructi ſecuribus, teſte JOSEPHO *Lib. XI. antiq. cap. VI. p. m. 568.* περιεστήκεσαν δὲ τὸν θρόνον αὐτοῦ πελέκεις ἔχοντες ἄνθρωποι. *Circumſtabant autem thronum ejus viri SECURES gerentes.* Conf. SPANHEM. *not. ad h. l.* Lydiæ Reges ſecuribus quoque uſos fuiſſe pro ſymbolo autoritatis, docet PIER. *Hierogl. Lib. XLII. p. 316.* Et quis neſcit Romanorum Magiſtratus faſces cum ſecuribus pro imperii inſignibus habuiſſe, quæ per Lictores præferebantur ipſis; ut indicarent virgis corrigenda eſſe facinora leviora, ſecuri graviora. En nummum, in quo Lictores cum ſecuribus apparent, præeunte Bruto, cum inſcript: BRVTVS. apud *Oiſel. in num. Tab. XCVI. n. 8.* & n. 7. cum faſcibus, & apud BEGER. *Theſ. num. Imp. Rom.*

R Tab.

Tab. II. n. 12. 18. cum inſcr. PONT. MAX. DIC. PERP. Nummos binos tibi exhibemus *Tab. noſtr. n. 9. 10.* ubi faſces & Lictores cum ſecuribus apparent. Vide PLUTARCH. *Probl. Rom. probl. 82.* ROSIN. *Antiq. Lib. VII. c. 3. p. m. 684.* LIPS. *in Elect. Lib. I. c. 23.* REINES. *in Epiſt. n. 60.* quo reſpicit HORAT. *Lib. III. od. 2.*

Nec ſumit aut ponit SECURES
Arbitrio popularis auræ.

Idem obtinuiſſe apud Hetruriæ Reges docet P. MANUTIUS *de Leg. Rom. c. 25.* & ANT. AUGUST. *de Leg. Lib. 2. vid.* GRÆV. *Theſ. Antiq. Rom. Tom. II. p.* 1214.

Non abſonum eſt, quod quidam Docti obſervarint, Johannem ſimul ad ſecurim in faſcibus Magiſtratus Romanorum reſpicere hac phraſi, & inde anſam arripuiſſe, ad judicia, quæ Judæis per Romanos erant inferenda, depingenda: Securis judiciorum, quæ Deus in terram & populos immittit, eſt indicium ſupremæ ipſius poteſtatis atque auctoritatis. Ipſe eſt ſupremus terræ cœlique Dominus. Miniſtri ejus non angeli ſolum Pſ. CIV. 5. ſed & Doctores Evangelii præcipue haſce ſecures coram ipſo præferunt, dum judicia divina & iram exardeſcentem prænunciant, minas altiſſimi, qui gladium ſuum acuit, improbis inſinuant, ut ita tempus reſipiſcentiæ nanciſcantur. Apoc. II. 5. Pſ. VII. 12-14. Ezech. XXXIII. 7-9. 2 Theſſ. I. 8-10. Ita conſiderantur miniſtri Evangelii tanquam ſexaginta heroes, gladiis cincti femora & circa thronum ac lecticam Regis ſui conſtituti Cantic. III. 7. 8.

X. 2. *Securis* inſuper frequentiſſimi uſus erat apud veteres in *executione* ſupplicii *decollationis*, & loco gladii adhibebatur. Ita Tenediorum Rex adulteros ſecuri puniendos conſtituit, & in proprio filio hanc pœnam executus eſt, quo refer nummum Tenediorum ſupra citatum. CICERO *Orat. III. in Verr. Romani ſecuri maleficos præmiſſa verberatione percutiebant.* LIVIUS *Lib. XXVI.* de Campanis: *Producti omnes virgisque cæſi & ſecuri percuſſi.* vid. GRÆV. *Theſ. Antiq. T. II. p. 901.* LAURENT. *de Torment. cap. 7. in* GRONOV. *Theſ. T. VI. pag. 3697.* Martyres quoque ſæpius ſecuri percuſſos eſſe docet ARRING. *Rom. ſubterr. Lib. I. cap. 29. p. m. 98.* & *Tom. II. p. m. 373.* Marmor cujusdam Martyris exhibet, ubi *ſecuris* inciſa ſaxo cum cruce & alio inſtrumento

letha-

lethali, quod confirmat locum Apoc. XX. 4. ubi de ψυχαῖς τῶν πεπελεκισμένων διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ, *animabus ſecuri percuſſorum propter teſtimonium Jeſu* mentio fit. Supplicium per ſecurim etiam apud Judæos in uſu fuiſſe, liquet ex BAVA KAM. *fol. 81.* ubi per גיזרא דפרזלא *ſecurim ferream*, ſupplicium intelligunt genue. Et in SANHEDR. *fol. 81. col. 1.* מפיציען את מוחו מגזירין *Contandunt cerebrum ejus ſecuribus.* Et in MIDDOTH. *C. III. §. 4.* ברזל נברא לקאר ימי של אדם *Ferrum creatum eſt ad decurtandos dies vitæ humanæ.*

Et quis neſcit per judicia Divina ſæpe etiam homines ex terra viventium exſcindi; Inter judicia Jehovæ etiam eminet illud, quando ferrum vocat, ut carnem voret & ſanguine hoſtium ejus inebrietur. Quando enſem ſuum acuit, ut cruorem bibat. Gladio oris ſui exitium hoſtibus ſuis quoque paret 2 Theſſ. I. 9. Jeſ. XI. 4. Hiob. IV. 9. Ita & judicium in Judæos induratos hoc loco deſignatum per ferrum & gladium erat promovendum, quando tot millia Judæorum trucidarentur; & multi etiam per hoc judicium æterna vita ſimul privandi erant ob indurata ſcelera; quæ contra ſupremam majeſtatem patraverant.

XI. 3. Denique in *bello* quoque & in proelio *ſecuribus* loco armorum utebantur Veteres. Hinc SIDON. *carm. el. V. v. 247.*

Excuſſiſſe citas vaſtum per inane SECURES.

Et in *epiſt. IV. Securibusque miſſilibus dextræ armatæ.* Uti HORAT. *L. IV. od. 4. Securi Dextras obarmet. Id. Carm. ſecul. v. 54.*

Jam mari terraque manu potentem
Medus, Albanasque timet SECURES.

LIPSIUS *Poliorc. Lib. IV.* de Francis teſtatur, quod ſcuta hoſtium ſecuribus frangant. De Amazonibus conſtat, quod ſecurigeræ fuerint in bellis. Unde HORAT. *Lib. IV. od. 4. Amazonia ſecuri dextras obarmet.* Ubi & nummos Smyrneorum habemus, in quibus Amazones apparent cum clypeis & ſecuribus. Vid. SEGVIN *in Num. ſ.* Ez. SPANH. *de nummo Smyrn. ap. eund. p. 338. & p. 337.* In expugnatione urbium aut domuum maxime adhibebantur ſecures. VIRGIL. *Æn. L. II. v. 480.*

Ipſe inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, poſtesque a cardine vellit.

Et judicia, quæ Deus in populum ſeu homines immittit, ſunt ar-

ma ejus, quibus bellum ipſis indicit. Vel enim judicia exſequitur ad exſcindendum populum in ira & excandeſcentia ſua, poſtquam tempus reſipiſcentiæ elapſum eſt; & tunc hoſtes ſuos conſiderat, quos interne-cioni devovet. Deut. XXIX. 20, vel per judicia ſua corda populi ſui expugnare etiam ſtudet. Recte Jeſ. XXVI. 9. dicitur: Quum *judicia tua terram aggrediuntur, juſtitiam diſcunt orbis habitabilis incolæ.* Unde & de Meſſia loquitur idem Vates cap. XI. 4. *vindicabit juſtitia tenues, & corripiet judicio manſuetos terræ.* Vid. & Pſ. XLV. 4-6. Et deſponſatio cum Eccleſia etiam per judicium fieri debet Hoſ. II. 19. Præcipue in convertendis Judæis & Gentibus judicia Dei erant neceſſaria, corda enim indurata non niſi vi & dura manu expugnari poterant, quemadmodum & quidam reliqui ex judicio illo fatali Judæorum etiam convertebantur.

XII. c. Tranſimus ultimo loco ad *uſus ſacros ſecurium*, quorum bini notandi occurrunt.

1. In *victimis* & hoſtiis decollandis uſus illarum fuit frequentiſſimus. Huc refer vulgare illud VIRGIL.

Quales mugitus fugit cum ſaucius aras
Taurus & incertam excuſſit cervice SECURIM.

OVID. *Lib. XII. Metam:*

- - - candida tauri
Rumpere ſacrifica molitur colla SECURI.

Dicebatur hæc ſecuris ἀξίνη ἱεροφάντων, ut docet GUTH. *de jure vet. Pontif. Lib. IV. c. 24.* ap. GRÆV. *in Theſ. T. V. p. 222.* Plura loca vide in HORAT. *Lib. III. od. 23.* PRUDENT. *Apoth. v. 529. 461.* OVID. *Lib. IV. triſt. el. 1.* Varios quoque nummos habemus, in quibus ſecures ſacerdotales apparent. Ita apud OISEL. *in Num. Tab. CX. n. 8.* CHOUL. *Relig. des Anc. Rom. p. 250. p. 311.* & Marmora plurima exhibet CHOUL. in quibus ſacerdos cum *ſecuri* & victima cernitur. Conf. eum p. 312. 326. præcipue ex columna Trajani, quæ Romæ proſtat, exhibet figuram pag. 324.

Et hic quoque judiciorum divinorum ſolet eſſe effectus, ut quidam tanquam victima iræ ac vindictæ divinæ, quidam vero ut ſacrificium ipſi gratum offerantur. Quidam inſtar Sodomæ & Gomorrhæ, inſtar Adamæ & Zeboim conſtituuntur fumus in naribus ejus & hoſtia excande-

ſcentiæ

ſcentiæ ; quidam vero victima grati odoris in naribus Jehovæ : Quando ſcilicet per judicia humiliantur, in ſacco & cinere reſipiſcunt & corpus ac animum Deo ſiſtunt in ſacrificia Euchariſtica viva Deoque grata Rom. XII. 1. quando per hanc ſecurim homo vetus jugulatur atque enervatur. Gal. V. 24. & tanquam θυσία Dei in honorem igne amoris ac ſanctificationis conſumitur. Conf. Rom. XV. 16.

XIII. 2. Alter uſus ſecurium ſacer erat, ut *Diis* tanquam *donaria* ſuſpenderentur atque dedicarentur ; uti docet PLUTARCH. *in lib. cur ævo ſuo Pythia non reddat oracula.* Varias quoque bipennes Diis dicatas memorat THOMASIN *de donar. Vet. cap. IV. in Theſ.* GRÆV. *T. XII. p. 772.* Securim quoque Baccho conſecratam eſſe, ex capite Tigridis in ſecuri exhibita paſſim in nummis, docet M. A. C. de CHAUSSE *de inſignib. Pontif. Tab. VI.* ap. GRÆV. *in Theſ. T. V. p. 309.*

Et felices illos ter & amplius ! qui ex judiciis divinis hunc capiunt fructum, ut memoriam miraculorum Dei, & viarum ejus imperſcrutabilium monumentum erigant in corde ſuo, ad Dei gloriam ac honorem. Qui cum Pſ. CXI. 4. dicunt. *Memoriam conſtituit mirabilibus ſuis, gratioſus & miſericors Jehova.* Si per judicia Dei in terra ingraveſcentia incolæ juſtitiam diſcant, tunc donaria votiva Deo eriguntur. Quando memoria judiciorum in pectore adſervatur, & timor Jehovæ per eadem accenditur, hoc optimum eſt donarium.

XIV. Vidimus qua ratione *ſecuris* elegantiſſimum judiciorum divinorum emblema ſit ; reſtat ut indagemus, quid *arbores* heic deſignent, ad quarum *radicem ſecuris* eſt *poſita. Arbores* eſſe *hominum* emblema generale, notiſſimum eſt. Ita Cant. II. 3. arbores ſylveſtres Judæorum Doctores, & v. 13. ficus & vites Gentes denotant. Jeſ. XLIV. 23. *jubilet ſylva, jubilent omnes arbores.* Conf. Ezech. XXXI. 3. 5. 14. Dan. IV. 7. 8. Matth. VII. 19. XII. 33. Eccl. XI. 3. Pſ. I. 1. 2. Jud. v. 7. Conſentiunt ſcriptores profani. PLUTARCH. *de exil.* in principio ait : *Homo planta eſt, cujus corpus ex capite, velut e radice ſua erectum manet.* Unde quidam ἄνθρωπον quaſi *inverſam arborem* dictum volunt. Ita & apud ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. IX. c. 18.* Themiſtocles ἑαυτὸν εἴκαζε ταῖς δρυσί. Idem fatentur Judæi in SANHEDR. *fol. 93. col. 1.* תרי אודי יבושי וחד רטיבא אוקדן יבושי לרטיבא *Duo ſunt ligna arida,*

da, & unum urride, arida autem comburunt viride. Quod explicant: *Unus pius duorum malorum conſortio corrumpitur.* Ita & R. MENACH. in תורה pag. 41. שבעים ענפים מן האילן העליון שבעים שרים הנקראים השמרים הסובבים בעיר *Septuaginta principes ſunt LXX. rami arboris ſupremæ, qui etiam vocantur vigiles urbem circumeuntes.* (Cant. III. 3) Patrum quoque teſtimonia plurima addi poſſent. GREGOR. *in Marc. VIII. homil.* ORIGIN. *in Rom. VI.* CYRIL. HIEROSOL. *Catech. 18.* S. ANASTAS. SINAIT. *in Bibl. Patr. T. I.* FULGENT. *de confeſſ. Serm. 23.*

XV. In ſpecie per arbores heic Judæorum proceres & populus intelliguntur. Ita Pſ. LXXX. 9. comparantur cum vite, quæ ex Ægypto deportata, in terram Canaan tranſplantata erat. Conf. Jeſ. V. 1-3. Et cum *ficu*, qui folia abſque frugibus gerebat Marc. XI. 13. In genere heic comparantur *arboribus*, quia Judæi erant (a) populus Dei externus, a Deo ipſo quaſi plantatus in terra lacte & melle fluente, ſeu omnibus bonis accumulata. (b) rore & pluvia cæleſti perpetuo irrigabantur. Jeſ. LV. 10. largiſſima mediorum gratiæ diſtributione, & omnibus beneficiis Jer. V. 24. (c) In altum excreverant inſtar arborum late ramos ſuos diffundentium, populus erant validus, & multiplicatus in terra adverſariorum ſuorum, præcipue & in Canaane poſt reditum ex Babylonia. Conf. Deut. XXX. 5. Eſ. IX. 3. Jer. III. 16. Mich. II. 12. Zach. II. 4. (d) Plerumque tamen erant arbores *infrugiferæ*, quædam non niſi folia confeſſionis externæ & gloriationis de privilegiis carnis, gerebant, quando operibus ſuis juſtitiæ propriæ innitebantur. Alii ſimiles erant arboribus ſylveſtribus, quæ non niſi immaturos fructus & labruſcas gerebant Jeſ. V. 4. fructus vitis Sodomæ, baccas felleas, veneno Draconum & virulento aſpidum ſucco repletas Deut. XXXII. 32, 33. Deut. XXIX. 18. quæ Deo abominationi erant.

XVI. Ex hiſce jam ſponte liquet, quid phraſis illa denotet: *Securis jam ad radicem arborum eſt poſita.* Idem eſt quod Pſ. VII. 13. dicitur: *Niſi reſipuerit improbus, gladium ſuum acuit, arcum ſuam adaptavit, impoſuitque arma lethifera.* Vel uti Apoc. II. 5. *Memor eſto, unde excideris, & reſipiſce & priora opera redde, ſin minus adveniam improviſo contra te, & movebo candelabrum tuum a loco ſuo, niſi reſipiſcas.*

piſcas. Dei enim judicia Judæis dudum per Moſen Deut. XXVII. XXIX. XXXII. & per prophetas paſſim erant prædicta. Conf. Dan. IX. 16. Eſ. V. 26. XXIX. 5. Ezech. XXXIV. 2 Zach. XI. 8. Mal. II. 12. Præcipue phraſibus parallelis Mal. IV. 1. *non relinquet iis radicem neque ramum.* Zach. XI. 1. 2. *Aperi o Libanon portas tuas, & conſumet cedros tuas flamma. Plange abies, quia cecidit cedrus, quoniam nobiles tui vaſtati ſunt. Plangite quercus Baſanis, quia exſcinditur ſaltus munitus.* Idem quoque eſt, quod Johannes ipſis in memoriam revocat; & ſecuris ad *radicem* dum poſita dicitur, innuitur, quod *totale* excidium urbis & ruina populi *immineat;* funditus eradicanda erat arbor Judaicæ Reipublicæ; ſine Rege, ſine ſacerdote, ſine ephad, ſine ſacrificiis ſedebunt Hoſ. III. 4. Accelerabat gratum tempus judicii futuri, quare ſerio reſipiſcendum absque mora, ſecuris jam erat acuminata, imo ad radicem poſita, brevi per Romanos ceu manubrium in arbores has agitanda. Et quum Judæi induratæ cervicis populus, peccatis & ſceleribus ſuis pergerent, ſecuris hæc excidii per Romanos etiam brevi poſt eſt agitata, & Hieroſolyma funditus exciſa, ita ut nec lapis ſuper lapidem relictus ſit Luc. XXI. 6. Matth. XXIV. 2. Ita & JOSEPH. *Lib. VII. de bell. Jud. Cap. I.* teſtatur. Τὸν δ᾽ ἄλλον ἅπαντα τῆς πόλεως περίβολον οὕτως ἐξωμάλισαν οἱ κατασκάπτοντες, ὡς μηδὲ πώποτ᾽ οἰκηθῆναι πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προσελθοῦσι. *Alium vero totum civitatis ambitum ita complanarunt deſtruentes, ut qui ad eam acceſſiſſent, habitatam aliquando eſſe non crederent.* Et quomodo arbores hæ infrugiferæ ſecuri judiciorum divinorum exciſæ, igni traditæ ſint, docet JOSEPH. *Lib. VI. cap. 27. & Lib. II. cap. 25.* Conf. & Matth. XXIV. 7. Deut. XXXII. 24. Et plurimi absque ulla reſipiſcentia exciſi, in ignem ſimul æternum proh dolor! conjecti ſunt Joh. XV. 6. Deut. XXXII. 22.

XVII. Ah utinam hoc exemplo ſapere diſceremus! O utinam & vos hoc noſtro die perpenderemus, quæ ad pacem noſtram pertinent Luc. XIX. 42. Omnes ſumus arbores in agro Jehovæ, plantatæ in ſolo pingui, rore & pluvia cœleſti mediorum gratiæ largiter irrigatæ. Sed inquiramus, quales Deo fructus feramus. Proh triſtiſſimam agri noſtri ſterilitatem! Quot *ſentes* atque *vepres* improborum hominum, in concupiſcentiis mundi atque carnis degentium, creſcunt in arvis noſtris,

qui

qui omne convictionis ſemen ſuffocant! Quot ſteriles dominantur avenæ! Dantur equidem *vites & ficus*, externæ confeſſionis folia late diffundentes, ſed absque frugibus reſipiſcentiæ atque fidei; fruges, quas ferunt, non niſi labruſcæ ſunt, opera externa, fide viva deſtituta, quæ Deo abominationi ſunt. Jeſ. V. 1-4. Dantur arbores *bis mortuæ*, qui omnes convictiones verbi ac Spiritus S. ſuppreſſerunt, & cor ſuum indurarunt, adeoque maledictioni deſtinatæ & igni. Quis negabit, & hiſce arboribus ſecurim ad radicem poſitam? quis mirabitur, ſi Deus ſterilia atque arida hæc ligna ocyus exſcinderat, & in ignem conjiceret. Certe niſi reſipiſcamus ocyus, aream ſuam brevi purgabit & paleam ſterilem igne comburet. Reſipiſcite, Reſipiſcite o arbores agri Jehovæ, fructus gerite reſipiſcentia dignos, ſic ira Dei in benedictiones mutabitur, ſic rore cœleſti nunquam non vos rigabit, & aliquando ex hoc agro mortalitatis in cœleſtem paradiſum transplantabit, & inſtar cedrorum in atris cœleſtibus æternum virebitis.

EXERCITATIO XII.
DE
POTU SANGUINIS CHRISTI MYSTICO.

JOH. VI. v. 55.

ARGUMENTUM.

§. I. Quid ſanguis Chriſti in ſcriptis ſacris deſignet inquiritur. §. II. Analogiæ inter merita Chriſti & ſanguinem ſacrificiorum V. T. inſtituuntur. Sc. explicatur cur mactatio & mors hoſtiæ præceſſerit. §. III. Quid exceptio ſanguinis per ſacerdotes in vaſe denotet? §. IV. Quid Sparſio ſanguinis varie uſitata Judæis ex lege divina depingat. §. V. Quomodo initiatio & expiatio ſanguine facta fuerit typice. §. VI. Quid effuſſio ſanguinis reliqui ad fundum altaris ſignificet. §. VII. Cur ſanguinis uſus frequentiſſimus fuerit in pangendis

gendis fœderibus? §. VIII. Agitur de potu *ſanguinis ubi ratio inquiritur, cur ſub V. T. expreſſa lege vetitum ſit bibere ſanguinem. §. IX. An ſub N. T. etiam prohibitum ſit? quæſtio excutitur, & locus Act. XV. 19. 20. elucidatur. §. X. Gentes quosdam ſanguinem humanum in pangendis fœderibus bibiſſe docetur. §. XI. Quid potus ſanguinis Chriſti myſtici innuat, explicatur. §. XII. Praxis additur.*

I.

FRequentiſſima in ſcriptis novi Fœderis mentio eſt SANGUINIS CHRISTI, ſub qua phraſi pretioſiſſima Salvatoris noſtri merita plerumque eleganter depinguntur. Vocantur illa *ſanguis fœderis*, quo captivi liberantur ex fovea. Zach. IX. 11. Sanguis fœderis ſeu *teſtamenti novi*. Matth. XXVI. 28. Luc. XXII. 20. ſanguis *Dei* Act. XX. 28. *agni innocentis & immaculati* 1 Pet. I. 18. 19. Sanguis *filii Dei* 1 Joh. I. 7. Conf. loca plura de ſanguine meritorum Chriſti ſymbolo. Rom. III. 25. V. 9. 1 Cor. X. 16. XI. 25. Col. I. 14. 20. Apoc. I. 5. V. 9. VII. 14. XII. 11. præcipue *JOH. XI. v. 53. 55.* Phraſes autem hæc deſumta eſt a ſacrificiis V. T. & largiſſima ſanguinis victimarum effuſione atque ſparſione, quæ non niſi typice fiebat, ad ſanguinis Chriſti pro peccatis noſtris effuſionem præfigurandam. Et quemadmodum anima beſtiarum conſiſtit in ſanguine Lev. XVII. 10. 11. ita ſanguis Chriſti denotat animam Chriſti rationalem, quam poſuit ſacrificium pro reatu & ſatisfactionis pretium; ut docetur Jeſ. LIII. 10. Conf. id late probantem Cl. ROELL. *in Ep. ad Epheſ. T. I. p. 856. ſeqq.* & Cel. LAMP. *in Joh. T. II. p. 269.* Ita, quando Chriſtus tanquam homo & Mediator proponitur, anima ejus conſideratur ut λύτρον; quando vero occurrit ut Agnus mactatus, ſanguis loco animæ ponitur 1 Pet. I. 18. 19

II. Ut autem phraſin hanc de POTU SANGUINIS *Joh. VI. 55.* penitius intelligamus, primo quidem analogias inter *ſanguinem* ſacrificiorum V. T. & λύτρον animæ Chriſti ejusque merita excutiamus, dein quid *potus* ſanguinis myſtice deſignet, inquiramus.

Elegans ſane inter ſanguinem ſacrificiorum & meritum Chriſti per paſſiones animæ ac mortem acquiſita deprehenditur analogia, præcipue ſi præeuntem ſequamur Apoſtolum Heb. IX. & X. cap.

a) Sanguis victimarum ſeparatus a carne, qualis heic intelligi debet, præſupponit *mortem*, victima enim, antequam ſanguis effundi poteſt, eſt *jugulanda* per ſacerdotes. Animalia namque ſacrificio deſtinata in loco atrii ſeptentrionali, 24. ulnas lato, annulis caput conſtricta, mactabantur, ut docet R. JUDA LEO *de templ. L. II. c. 16.* WAGENSEIL *Sot. c. 9. §. 10.* ubi guttur cultro grandi & acuto ſacrificali præcidebatur, conf. MISN. *Jom.* c. 10. ſect. 2. & SAUBERT. de ſacrif. c. 19. SHERINGHAM *ad Jom. l. c.* quod & gentes faciebant, ut docet VIRGIL. loco notiſſimo

Quales mugitus fugit cum ſaucius aras
Taurus & incertam excuſſit cervice ſecurim.

APOLL. RHOD. *Argon. Lib. IV.*

- - - αἵματι χεῖρας
Τέγγεν ἐπιτμήγοισι δέρην.
Sanguine manus imbuit cervice inciſa.

Merita Salvatoris noſtri nulla quoque fuiſſent, niſi *mors* ipſius interceſſiſſet. Mactandus ille erat tanquam antitypus tot myriadum animalium per intervalla V. T. mactatorum; quorum ſanguis effuſus erat, ut ſanguinis Mediatoris effuſio pro peccatis noſtris præfiguraretur. Hinc dicitur Agnus ducendus ad mactationem Jeſ. LIII. 7. Agnus paſchalis pro nobis mactatus 1 Cor. V. 7. imo κατ' ἐξοχὴν *Agnus mactatus* Apoc. V. 6. Sacerdotes & Phariſæi junxerunt manus cum Gentibus ad hanc Mediatoris in Golgathæ ligno mactationem peragendam Act. IV. 28. Exſcindendus erat e terra viventium tempore conſtituto Dan. IX. 26. quando gladius contra hunc paſtorem evigilaturus erat Zach. XIII. 7. Et tunc animam ſuam *in mortem* erat *effuſurus* & eandem poſiturus in *ſacrificium pro reatu* Jeſ. LIII. 12. 10. ubi eleganter ad ſanguinem ſacrificiorum alluſionem deprehendimus.

III. b) Mactata itaque & jugulata a ſacerdote victima, ſanguis ex præciſi gutturis venis largiſſime profluens *excipiebatur vaſe* quodam a ſacerdotibus conf. Exod. XII. 2. XXIV. 6. XXVII. 3. Num. VII. 13. 19. Id quod confirmat ABARBANEL. in פירוש התורה f. 150. שיקחו דם השה הנשחט בכלי כמו שאמר הדם אשר בסף כי לא ישפכוהו על הארץ סמים ויקחוהו בכלי מהשחיטה: *Ut accipiant ſanguinem*

nem pecudis mactatæ in vas, prouti dicitur (in lege, v. 22.) de ſanguine, qui eſt in pelvi, ne ſcilicet effundant illum ſuper terram inſtar aquarum, ſed excipiant illum vaſe a mactatione. Unde & in ZEBACH. *miſn. V. §. 1.* קבול דמו בכלי שרת *Acceptio ſanguinis in vaſa miniſterii.* Vel etiam manu excipiebant ſanguinem ſacerdotes, uti ex GEMAR. ZEBACH. fol. 47. & MAIMONID. cap. 4. ה מחוסרי כפרה probat Rev. JACOBS. *in diſſ. de Aſperſion. Hebr. p. 25.* Acceptio ſanguinis autem a ſolo ſacerdote peragenda erat, ut docet R. S. JARCH. ad Lev. I. 5. eoque puro vid. LIGHTFOOTH. *in Miniſt. Templ. cap. 8. ſect. 1.* Imo & Gentibus in uſu erat, ut ſanguinem victimarum exciperent, ita VIRGIL. *Lib. VI. Æneid.*

Supponunt alii cultros tepidumque cruorem
ſuſcipiunt pateris.

Conf. PFEIFF. *antiq. Græc. Lib. I. c. 36.* SERV. ad VIRGIL. *Æn. XI.* BOCHART. *Hieroz. P. V. L. II. c. 33.* aliosque.

Simili ratione ſanguis meritorum hoſtiæ noſtræ piacularis *excipiendus* eſt & *vaſe* cordis purificati & *manu* fidei vivæ. Cor purificatum a concupiſcentiis carnis & vanitatibus mundi, cor ſacerdotale i. e. Deo conſecratum, aptum eſt ad hæc merita Chriſti recipienda. Chriſtus enim cum meritis in Evangelio oblatus viva fide & corde ſincero eſt apprehendendus. Pſ. LI. 12. *animum purum crea in me o Deus.* Et v. 8. *veritate delectaris, quæ eſt in præcordiis.* Fide viva haurimus ex fonte meritorum ipſius gratiam pro gratia Joh. I. 16. *Vaſa* quoque hæc ſymb. eſſe poſſunt *verbi* Dei; in quo merita Salvatoris noſtri quaſi excepta nobis offeruntur ad expiationem animarum noſtrarum. Argumentum enim verbi Evangelii totum eſt ſanguis meritorum Chriſti. Conf. 1 Joh. I. 7. Rom. III. 25. 1 Cor. I. 23. 1 Cor. II. 22. Gal. VI. 14.

IV. c) Sacerdos ſanguinem patera vel vaſe acceptum *agitabat, miſcebat,* & *ſpargebat.* Ita legimus in JOMA *cap. IV. §. 8.* וקבל במזרק את דמו ונתנו למי שהוא ממרס בו על הרובד הרביעי שבהיכל כדי שלא יקרוש *Et patera excipiebat ſanguinem, dabatque ei, qui miſcebat eum ſuper ſcamnum quartum, quod erat in ſanctuario, ut non concreſceret. Sparſio* autem ſanguinis ritus in ſacrificiis primarius erat, unde commune Judæorum dictum eſt: *Fundamentum*

mentum ſacrificii conſiſtit in ſparſione ſanguinis. Fiebat aſperſio *vel* manu & quidem dextra, ut probat MAIMON in פסולי המוקדשין Cap. I. & in ZEBACH. c. III. in ſpecie digito indice vel pollice vel addito digito minimo. *Vel* ſpargebatur quoque ſanguis *aſpergillo* quodam ex hyſſopo, de quo integra exſtat diſſert. I. E. ab AVERSVALDA *ſub præſ.* WICHMANSH. Witt. 1719. & late diſſerit Rev. JACOBS *diſſ. cit: p. 42. ſeqq.* Spargebatur ſanguis in inauguratione ſacerdotum Exod. XXIX. 20. Lev. VIII. 23. 24. dum auri & pollici pedis & manus dextro imponebatur, imo in ipſos ſacerdotes & veſtes eorum conſpergebatur. Lev. VIII. 30. Altare externis Exod. XXXIX. 26. 37. & cornua altaris aſperſa legimus Lev. IV. 25. IX. 9. 5. Ez. XLIII. 18. præcipue integra ſparſionum ſeries obſervanda erat in die magno expiationis, de qua vid. ZEBACH. cap. VI. & GEMAR. *Jom.* fol. 55. conf. latius BOCHART. *Hier. T. I. L. II. c. 50.* FRISCHMUTH. *diſſ. in Joh. I. 29.* J. v. BASHUYS. *de aſperſione Sacra.* JACOBS. *diſſ. de aſperſ.* AVERSVALDA *in diſſ. cit.* VAGET. *diſſ. de Nat. ad aram Jehovæ non factis p. 143. ſeqq.* aliosque paſſim citatos. Idem quoque apud Gentes ſollicite fuit obſervatum, ut BOCHART. *P. II. L. II. c. 33.* PFEIFFER. *antiq. Græc. L. I. c. 36.* SCACH. *myroth. L. II. c. 73.* aliique docent.

Ut vero myſterium harum aſperſionum rite percipiamus, obſervandum eſt, quod quædam ad Deum coram facie ejus ſurſum, quædam ad partes templi, aliæ ad offerentes directæ fuerint. De iſtis vide Lev. XVI. 14. 15. Lev. IV. 6. de illis Exod. XXIX. 16. Lev. III. 2. IV. 25. de his autem Exod. XXIV. 8. Lev. VIII. 23. Hoc ſane nobis in memoriam revocat, quomodo merita mortis ac paſſionum animæ mediatoris ſpectarent partim ad gloriam Patris, partim ad ſalutem Eccleſiæ in genere & ſingulorum fidel. in ſpecie. *Sparſio* ſanguinis per ſacerdotes facta vel digito vel aſpergillo depingit applicationem meritorum Chriſti quæ fit per verbum Evangelii, a Sacerdotibus N. T. propoſitum & per digitum S. Sacerdotis, ſpiritum Chriſti. Applicatio autem meritorum Chriſti tendit non ſolum ad *gloriam Patris*, cujus majeſtas per peccata obnubilata quaſi erat reſtituenda per impletum δικαίωμα legis Hebr. IX. 12. juſtitiæ enim patris erat ſatisfaciendum. Recte ergo filius Joh. XVII. 45. *Ego te glorificavi in terra, opus conſummavi, quod dediſti mihi ut facerem.*

rem. Nunc igitur glorifica me tu Pater. Tendit autem eadem etiam ad ſalutem Eccleſiæ generalis & fidelium, id quod per ſparſiones ad partes templi & perſonas denotabatur. Applicatio meritorum Chriſti ſub N. T. ad Judæos & Gentes pertinebat. *Dux enim ſalutis conſummatus factus eſt auctor ſalutis æternæ omnibus eum auſcultantibus* Heb. V. 9. 1 Joh. I. 7. & 1 Joh. II. 1. 2. ubi dicitur *expiatio*, factus non *ſolum pro peccatis noſtris* (qui ſumus ex Judæis) *ſed & pro peccatis totius mundi.* (ſc. Gentium.)

V. d) Primarius tot ſanguinis effuſionum atque ſparſionum ſcopus erat peccatorum *expiatio.* Teſtatur id Moſes Lev. XVII. 11. *Anima cujusque carnis eſt in ſanguine. Ego vero deſtinavi illum in altari* לכפר את נפשותיכם *ad expiandas animas veſtras, nam ſanguis eſt, qui expiationem facit pro anima.* Et Apoſtolus expreſſe dicit: Heb. IX. 22. χωρὶς αἱματεκχυσίας ἐ γίνεται ἄφεσις, *absque effuſione ſanguinis nulla fit remiſſio peccatorum.* Conf. Exod. XXIX. 36. Lev. VI. 26. 2 Chron. XXIX. 24. Unde & Judæis in GEMAR. *Jom. fol. 5.* proverbii loco dicitur אין כפרה אלא בדם *Non eſt expiatio, niſi per ſanguinem.* Ita & de agni paſchalis ſanguine teſtatur ABEN-ESRA *ad Exod. XII 7.* הטעם להיות הדם על המשקוף להיותו כופר בעד כל אוכל בבית *Ratio, quare ſanguis fuerit aſpergendus limini, eſt, quod fuerit expiatio pro omni edente in domo.* Gentes ipſæ id credebant. VIRGIL. *Æn. L. II.*

Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa.
Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras,
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum.

Initiatio & inauguratio quoque fiebat ſanguine, uti ſupra obſervavimus, factam eſſe aſperſionem illius in inauguratione Sacerdotum Lev. VIII. 23. 24. Exod. XXIX. 20. ubi ſanguis in cartilaginem auris & pollices pedis ac manus impoſitus legitur, ut ita inaugurarentur in miniſterio ſancto. Iſrael quoque initiandus Exod. XXIV. 4. ſanguine ſpargendus erat. De Levitis Num. VIII. 7. dicitur, quod in ipſorum inauguratione aqua ſit inſpergenda, id quod docti quidam Interpretes optime de aqua ſanguine mixto intelligunt. Et apud Gentes perſonæ ſacræ ſanguine corpus & veſtes conſperſæ initiabantur, uti in ſacris, Tauro-

 buliis.

buliis fiebat, ut docet Cl. SALMAS. *in Lamprid. p. 180.* LOMEIER. *de luſtr. Vet. cap. 23. p. m. 295.* DEYLING. *Obſ. Lib. II. obſ. 50. p. 614. ſeqq.*

Sanguinis meritorum Chriſti applicatio eundem ſcopum habet. Per hunc ſanguinem fideles non ſolum Deo quaſi *conſecrantur* tanquam peculii populus, ſed & ſimul *expiantur* & purgantur a peccatis ſuis 1. Joh. I. 7. Eleganter huc ſpectat locus Apoc. I. 5. 6. *Qui dilexit & lavit nos a peccatis noſtris per ſanguinem ſuum. Et conſtituit nos Reges & ſacerdotes Deo & Patri ſuo.* Ubi & expiatio & initiatio fidelium per ſanguinem Chriſti conjungitur. Myſterium hoc nobis explicat quoque Paulus Heb. IX. 13. 14. *Si SANGUIS TAURORUM & hircorum, & cinis vaccæ rufæ, qua polluti aſpergebantur, ſanctificat ad puritatem carnis. Quanto magis SANGUIS CHRISTI, qui per ſpiritum æternum ſe ipſum obtulit inculpatum Deo, purificabit veſtras conſcientias ab operibus mortuis.* Unde & fideles occurrunt, veſtibus ſanguine tinctis & albentibus induti. Apoc. VII. 14. tanquam conſecrata Deo caterva.

VI. e) Sanguinis pars reliqua, quæ non adſperſioni inſerviebat, effundebatur *ad altare* poſt peractam aſperſionem, & *in fundum ejus* intrabat. Vide expreſſum Dei mandatum Exod. XXIX. 12. Lev. IV. 7. 18. 30. 28. Cap. VIII. 15. Cap. IX. 9. De hoc ritu ita loquitur LIGHTFOOT. *de miniſt. Templ. c. VIII. ſect. 2. Cum dicitur reliquus ſanguis effuſus ad baſin altaris, intelligo, id factum fuiſſe ad meridionale vel ſeptentrionale latus, quia in angulo, qui Noto-Zephyrum reſpiciebat, erant duo foramina, in quæ influebat ſanguis.* Et dein ex *Toſaphot* probat per canalem ſubterraneum hunc ſanguinem ad vallem Kedron eſſe derivatum. An vero de omnium victimarum ſanguine id affirmandum ſit, non liquet ex ſcriptis ſacris, ſaltem de חטאות illud conſtat. Conf. hac de re differentem Rev. JACOBS *in diſſ. de Aſperſ. S. p. 153.*

Myſterium hujus ritus varie exponitur. Aliena plane adducit PHILO *Lib. II. de victim. opp. p. m. 649.* quando dicit: *Sanguis autem circum altare funditur, quia circulus figura eſt perfectiſſima. Figurate igitur docemur, ut integra mente in orbem choreas agitante per omnes conſiliorum, dictorum, factorumque ſpecies Deum colamus. Conſtantin* L. EMPEREUR *in not. ad Middoth. cap. III. §. 2.* obſervat, ſanguinem ſacrificiorum hoc fluxu locum deſignaſſe, ubi Chriſto ſanguineus ſudor

eſſet

eſſet exprimendus. Verum ſi rem curatius indagamus, duplex in hac effuſione ad fundum altaris myſterium quærere licet; alterum Chriſtum ipſum, alterum fideles reſpiciens. (a) Quoad *Chriſtum* deſignabat hæc effuſio, animam ejus pro expiandis noſtris peccatis non ſolum paſſionibus eſſe graviſſimis ſubjiciendam, ſed & poſt peractam expiationem, quieſcere debere & ſummo vitæ necisque Domino quaſi in ſinum eſſe tradendam. Ita *animæ ſub altari* Apoc. VI. 9. ſunt martyrum, qui in communionem paſſionum ac mortis Chriſti perveniunt, animæ quæ in ſinu Patris ſui quiete fruuntur æterna, qua phraſi ſimul ad ſanguinem ſub altari effuſum alluditur. (b) Si vero ad *fideles* referas denotabit hic ritus, merita Chriſti non ad fideles ſolum pertinere in hac verum & in futura vita, & fructus obedientiæ ac paſſionum Mediatoris noſtri etiam reconditos eſſe in æternitate. Eph. I. 7. Col. I. 14. per ſanguinem ejus perfecta ἀπολύτρωσις & æterna expiatio atque ſalus eſt acquiſita Heb. IX. 21. Heb. X. 14.

VII. f) Denique ut reliquas, minus inſignes circumſtantias transeamus, præprimis adhuc obſervamus, *ſanguinis* primarium quoque uſum fuiſſe in *pangendis fœderibus* apud Hebræos æque ac Gentes reliquas. Unde Zach. IX. 11. de *ſanguine fœderis* mentio eſt. Et *Exod. XXIV. 8.* in erectione fœderis Sinaitici dicitur: *Accipiens vero Moſes ſanguinem, ſpargebat ſuper populum, & dicebat:* הנה דם הברית *Ecce ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper his verbis.* Recte & R. BECHAI in ביאור על התורה f. 105. ait, ſanguine aſperſum Iſraelem כדי שיכנסו בברית עם הקב״ה *Ut fœdus ineant cum Deo Sancto benedicto.* Conſentit ABARBAN. in התורה fol. 187. Idem quoque apud Gentes obtinuiſſe docet GROTIUS *ad Matth. XXVI. 28.* WITSIUS *Oecon. Lib. I. cap. I. p. 5.* BOCHART. *Hier. P. I. pag. 376.* SCACH. *myroth. L. III. c. 59.* Notum eſt illud VIRGIL. *L. VIII. Æn.*

Armati Jovis ante aram, paterasque tenentes
Stabant, & cæſa jungebant fœdera porca.

Vel etiam proprio ſanguine elicito pangebant fœdus, ut docet LYD. *in cœna Domin. literat.* ap. CREN. *in Opuſc. Vol. X. p. 482.* & DOUGTÆ. *Anal. S. I. Ex. 39. p. 68.* Unde CICERO *Orat. 32. pro P. Sexto. Id autem*

autem fœdus meo ſanguine ictum ſanciri poſſe dicebant. Conf. Eundem *Orat. 37. in L. Piſonem.*

Ita & merita paſſionum ac mortis Mediatoris unicum ſunt fundamentum pacis ac fœderis inter Deum & peccatorem erecti. Quare vocantur *αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης* Matth. XXVI. 28. & *αἷμα διαθήκης αἰωνίȣ* Heb. XIII. 20. Teſtamentum enim gratiæ, quod ſimul erat fœdus, non niſi ſanguine & morte Mediatoris poterat ſanciri & confirmari Heb. VII. 22. X. 29. Super hoc ſacrificio fœdus erigunt benigni Pſ. L. 5. Nec datur acceſſus ad communionem Dei & thronum gratiæ, niſi per hunc ſanguinem. Heb. X. 22. cap. IV. 16.

VIII. Supereſt, ut paucis de *POTV ſanguinis* hujus dicamus. Chriſtus enim dicit: *αἷμά μȣ ἀληθῶς ἐςι πόσις. Sanguis meus vere eſt potus.* Dura ſane phraſis eſt, *ſanguinem bibere*, dura magis, *ſanguinem hominis bibere.* Expreſſa Dei lege ſub V. T. prohibitum erat, bibere ſanguinem. Id jam in præceptis Noachicis contineri Gen. IX. 4. *carnem cum ſanguine ne comedito*, exiſtimant CHRYSOST. *in Gen. hom. 27.* SULP. SEVER. *hiſt. S. Lib. I. c. 4.* CHYTRÆ. *Opp. T. I. pag. 396.* Cel. LAMP. *in fœd. Grat. T. II. p. 801.* aliique. BUDDEUS vero *Hiſt. Eccl. T. I. p. 198.* cum aliis viris doctis de carne cruda ac ſemiviva locum illum intelligendum cenſet. Clare vero interdictum hoc legitur Lev. XVII. 10-12. *Et quicunque ex domo Iſraelis aut ex peregrinis, qui habitant inter eos, comedet ſanguinem, illi faciem meam cum excandeſcentia obvertam, qui ullo veſcetur ſanguine, & exſcindam illum ex medio populi mei. v. 12. Idcirco dico filiis Iſraelis. Nulla anima ex vobis comedat ſanguinem.* Conf. Deut. XII. 23. Lev. III. 17. VII. 26. Deut. XV. 23. Varias Judæorum circa hoc præceptum ſententias & diſtinctiones vide apud LIGHTFOOT. *in hor. hebr. ad Act. XV.* Rationes autem hujus interdicti variæ a variis adhibentur. Sunt, qui *phyſicas* allegant, quia ſc. ſanguis crudus vel coctus noxius ſit valetudini hominis, vel ſaltem indoles hominis ſanguinem comedentis ad ſævitiem cruentam inclinetur. Ita NACHMANID. apud HOTTING. *de Legg. Hebr. Leg. 148.* כי ידוע שהנאכל ישוב בגוף האכל ואם יאכל אדם הדם תהיה עובי וגסות בנפש האדם כמו שכפש הבהמה עבה וגסה *Conſtat, quod illud, quod comeditur, migret in corpus comedentis. Ac proinde ſi homo-*

homo comedat ſanguinem, denſitatem & craſſitiem in anima hominis oritura ſit, quemadmodum anima beſtiæ denſa fuerit & craſſa. Sunt Interpretes, qui *Symbolicam* afferunt rationem, quod Deus hoc præcepto ſimul cædem ac homicidium prohibuerit, ut hac pædagogia homines ab omni effuſione ſanguinis humani abhorrere diſcerent. Conf. CHYTRÆ. *in Opp. T. I. p. 396.* ALEX. MOR. *in not. ad Act. XV.* Aſt non opus eſt, ut cauſas quæramus alias, quam quas ipſe nobis ſuggerit Legislator v. ſeq. 11. ſc. (a) quia *anima beſtiæ erat in ſanguine.* Ex ſanguine enim ſpiritus vitales præparantur, & in eodem reſident, & toti corpori vivificum calorem concedit & conſervat ſanguis, adeoque anima carnis ſanguis eſt. Quare & ſanguis vocatur anima, ita *Virgil. Æneid. IX.*

- - - *purpuream vomit ille animam* i. e. ſanguinem.

Conf. & PHILONEM *Opp. p. m. 132.* CICERO *Opp. T. II. pag. m. 299.* & SERVIUM ad VIRGIL. *Lib. IX. Æn. l. c.* Jam vero hæc anima beſtiarum deſtinata erat ad altare *ad expiandas animas* peccantis Iſraelis, ut teſtatur Jehova v. 11. quare ſanguis non erat comedendus, quo monebantur fideles 1) animam beſtiarum non niſi typice poſſe expiare animas ipſorum, veram autem expiationem ab alio ſanguine & anima eſſe exſpectandam. 2) Nullas quoque peccatoris in expiatione peccati partes eſſe. Si enim ſanguinem ipſi bibiſſent offerentes, reatum in ſe ſuſcipere viſi fuiſſent, qui tamen a ſponſore ſolo ſuſcipi debebat.

IX. Aſt regeret quis, ſi merum ſenſum cæremonialem habuerit interdictum de *potu ſanguinis*, cur ſub N. T. non eſt abrogatum, cum *Act. XV. 19. 20.* per Apoſtolos in Concilio Hieroſolymitano ſit renovatum. Non facimus cum iis, qui hoc loco per *αἷμα* homicidium intelligunt, ut contendit JURIEU *in hiſt. de dogm. & cult. P. I. c.* 7. ſed cum pleriſque Interpretibus ſanguinis eſum proprie dictum heic intendi aſſerimus. Sed in reddendis cauſis hujus interdicti repetiti ab Apoſtolis non conſentiunt viri docti. Sunt qui ex præceptis Noachicis, quibus perpetuam obſervationem adſcribunt, deducunt, ut Cl. SALMAS. *de fœn. Trapez. p. 438.* SCHICKARD. *in* ה"ם משפט *cap. V. p. 333.* CURCELL. *in ſing. diatribe de eſu ſanguinis inter Chriſtianos.* Contrarium vero

probat J. H. HEIDEGG. *de libertate Chriſtianorum a lege cibaria Veteri.* Noſtrum non eſt, late hac de materia diſſerere. Obſervamus tantum, ſanguinis eſum inter *ἀδιάφορα* N. T. recenſeri commode poſſe, Apoſtolos autem interdictum hoc renovaſſe in Concilio, ut infirmitati fidei converſorum ſuccurrerent, idque Judæorum æque ac Gentium cauſa. *Judæorum* fides imbecilla id requirebat, ne ſcilicet illi crederent, Apoſtolos Ethniciſmum introducere, & interdictum a Noachi temporibus obſervatum, quod & perpetuæ obligationis habebant, abrogare velle & ita legi Dei contrariari, ad Gentium favorem captandum. *Gentium* quoque rationem habebant in renovatione hujus interdicti, quia hac ratione commode converſi ex Gentibus ab idololatria retrahi poterant. Sanguinis enim eſus tunc uſu erat receptiſſimus apud idololatras, qui ſanguinem Diis cibum gratiſſimum credebant, & bibentes ſanguinem cum Diis in communionem tranſire ſtatuebant. Ut docet OUTRAM. *de ſacrif. p. 185.* ZORN. *bibl. antiq. Exeg. p. 623.* DEYLING. *obſ. II. p. 322.* BUCHER. *antiq. Bibl. p. 437.* HERALD. in ARNOB. *Lib. V. p. 169.* Teſtatur id JOSEPH. ALBO *in Sepher. Ikkar. d. 3. c. 16.* שהיו שטופים בעבודת השדים והיו איכלים על הדם ואוכלים חלב ודם וגו׳ *Propterea quod tunc immerſi eſſent cultu dæmonum, & comederent ſuper ſanguinem, & veſcerentur adipe & ſanguine*, quo alluditur *Ezech. XXXIII. 25.* על הדם תאכלו ועיניכם תשאו אל גלוליכם Conf. & MAIMONID. in מורה נבוכים *Part. III. c. 46.* Loca Patrum huc pertinentia citat C. M. de VEIL. *in Act. XV. 29.* Quare & deinceps cum Eccleſia ex Judæis & Gentibus eſſet confirmata in fide, omne diſcrimen ciborum & potus eſt ſublatum 1 Cor. X. 23-33.

X. Hæc de potu animalium ſub V. T. prohibito, ſed potus *ſangvinis humani* plane interdictus erat vel per legem naturæ. Fuere tamen inter Gentes veteres & quidem idololatriæ tenaces, qui *ſanguinem humanum biberent* præcipue in *ſanciendis fœderibus.* De Scythis id teſtatur LUCIAN. *Toxar. ſ. de Amicitia* & POMPON. MELA *Lib. I. cap. II. p. 59.* TACIT. *Annal. Lib. XII. c. II.* teſtatur: *Ne fœdera quidem incruenta ſunt, ſauciant ſe qui paciſcuntur, exemtumque ſanguinem ubi permiſcuere deguſtant.* De Armeniis ex VALER. *Lib. IX.* idem probat LIPS.

LIPS. *ad Tacit. l. c.* Ita & ALEX. ab ALEX. *Lib. V. cap. 3. Medis Lydisque ſanctiſſimum fœderis vinculum & jusjurandum eſſe putatur; brachia circa humeros ferire gladio, & per vices elicitum cruorem lingere. Id quod Cannani frequentes factitarunt, ut in epulis percuſſa faciei vena profluentem cruorem vino miſcerent, invicemque propinarent, ſummum fœdus amicitiæ, ſanguinem mutuum guſtaſſe, rati.* Conf. TERTULL. *apolog. cap. IX.* ATHENÆ. *Deipnoſ. Lib. II. cap. 7. pag.* 47. RICH. DINOTH. *in adverſ. quinq. 6. & Cœna Domin. Literat.* LYDII ap. CREN. *opuſcul. T. X. p. 485.* & prolixe GEVS. *de victim. human. T. II. p. m. 402. ſeqq.*

XI. *Potus* ergo *ſanguinis* Chriſti, qui hic injungitur (a) innuit *prærogativam* fidelium N. T. qua gaudent præ fidelibus V. T. ibi ſub graviſſima pœna ſanguinis potus interdictus, quia vera expiatio deficiebat. Sub N. T. autem jubetur Matth. XXVI. 27. 28. *Hic eſt ſanguis meus N. T. bibite ex eo omnes.* In ſanguine animalium nulla expiationis vis erat ſub V. T. ſed in ſanguine Chriſti vera expiatio, adeoque verum animæ noſtræ pabulum eſſe poteſt. (b) *Potus* ſanguinis Chriſti dicitur viva meritorum Chriſti per fidem *applicatio;* animæ enim ſiti juſtitiæ Chriſti excruciatæ, & tentationibus Satanæ & peccati quaſi exſiccatæ, in hoc ſanguine meritorum Chriſti unicum deprehendunt refrigerium. Matth. V. 6. Pſ. XLII. 1. Apoc. XXII, 7. (c) Potus hic denotat arctiſſimam cum Chriſto *communionem*, & fœderis cum ipſo erectionem maxime ſolennem, quemadmodum fœdera ineuntes ſanguinem bibebant. Unde Salvator Joh. VI. 56. dicit: *Qui comedit carnem meam & bibit ſanguinem meum, permanet in me & ego in ipſo.* Hac ratione ejusdem quaſi ſucci vitales & ſpiritus redduntur participes cum ipſo 1 Cor. VI. 17. & fœdus renovatur per Sacræ Euchariſtiæ uſum, ubi ſanguinem hanc myſticum fide bibunt. Matth. XXVI. 28. (d) Denique innuit *incrementum* inſigne vitæ ſpiritualis, & delicias in communione Chriſti, ſatiantur hac ratione pinguedine domus Jehovæ Pſ. LXV. 5. Jeſ. LVIII. 11. bibens enim hunc ſanguinem vitam habet æternam, Joh. VI. 54.

XII. O ergo felices animas! quæ ad haſce epulas cœleſtes invitantur, imo accumbunt. Infelices vero ter & amplius, quibus nulla in iis pars conceditur. Quicunque his deliciis ſatiari cupit, reſpuat omnes carnis mundique illecebras. Agnoſcas, o anima infelix! miſerrimum tuum peccati ſtatum, in quo ſiti cruciaris inſatiabili, agnoſce vanas, quas hactenus in mundi theſauris profudiſti, curas, anhela, deſidera hunc ſanguinem, qui unicum tibi refrigerium reſtat. Niſi hunc ſitias, niſi hoc ſatieris, æternum anima tua tabeſcet. Quicunque ergo cupit, veniat & accipiat hanc aquam vitæ fruſtra atque gratis Apoc. XXII. 17. Qui ſemel delicias hujus ſanguinis deguſtavit, reſpuet ultro omnes carnis & mundi recreationes. Hic ſanguis ipſi eſt vitæ ſuſtentaculum unicum, in æſtu iræ divinæ, in tentationibus ſatanæ graviſſimis firmum ac ſolidum refrigerium. Hoc ſanguine corda conſperſi ſunt decus in oculis Jehovæ, qua talibus nec diabolus nec mundus illis nocere unquam poterit. In hoc ſanguine victores mortis & inferni exiſtunt.

EMBLE-

EMBLEMATUM
SACRORUM
MISCELLANEORUM
LIBER II.

EMBLEMATUM SACRORUM MISCELLANEORUM LIBER. II.

EXERCITATIO I. DE SOMNO MORTIS SYMBOLO.

JOH. XI. v. 11.

ARGUMENTUM.

§. I. Somnum mortis emblema eſſe, ex ſcriptis ſacris & profanis demonſtratur. §. II. Analogiæ inter ſomnum & mortem recenſentur, ſc. quatenus ſomnus oritur ex defatigatione. §. III. Quia ſomnus dulcis eſt, pariens quietem. §. IV. Quia omnes curas ſolvere credebatur ſomnus. §. V. Valetudini corporis & recreationi animæ maxime inſervit. §. VI. In ſomno omnes quaſi ſenſus ſopiti ſtupent. §. VII. Anima tamen operoſa maxime eſt in ſomno. §. VIII. Somnus plerumque noctu occupat corpus. §. IX. In lecto eſt quaſi habitaculum ſomni. §. X. Poſt ſomnum evigilat & expergiſcitur dormiens. Quæ omnia ſuo loco applicantur morti & mortuis. §. XI. In ſpecie Lazari mortem ſomnum recte dici docetur. §. XII. Epilogus practicus adjicitur.

I.

ILiada poſt Homerum conſcribere merito poſſem videri, ſi loca ab auctoribus & viris doctis coacervata congerere vellem, quæ ſomnum mortis ſymbolum eſſe docent. Scopus vero mihi non

non eſt alius, quam ut loca a variis congeſta in ordinem redigam, & præprimis emblema hoc per analogias enucleem, quod hactenus nondum eſt factum. *SOMNUS* ergo *MORTIS* ſymbolum & emblema eſt, quod conſtat

(a) Ex *ſcriptis ſacris*. Ita de morte Meſſiæ dicitur, quod ſomnus ipſi dulcis fuerit Jer. XXXI. 26. de morte fidelium æque ac impiorum Dan. XII. 2. Et quando toties de patribus dicitur, quod obdormiverint, 1 Reg. II. 10. XI. 43. XIV. 31. 2 Reg. VIII. 24. XV. 7. XXIV. 6. Jeſ. XXXVIII. 16. Conf. Act. VII. 60. 1 Cor. XV. 18. 51. 1 Theſſ. IV. 14. 2 Pet. III. 4. ita & JOH. XI. 11. *Lazarus* DORMIT. (b) Idem liquet ex profanis ſcriptoribus. Integrum catalogum auctorum, qui hoc emblema ex profanis auctoribus illuſtrarunt, recenſet Cel. LAMP. *in Comm. ad Joh. XI.* cit. Loca quædam excerpere & nova addere pauca liceat. Quod ad Judæos attinet. Loqui illi ita amant in *Vajikv. rabb. ſect. 30.* כדי דמך ר״ יוחנן *Quando mortuus eſt R. Jochanan.* vel dormivit. Vid. CARTWRIGT *Mellif. hebr. Lib. 3. c. 5.* Ita & legitur in *Talmud.* cit. CANIN. *in disquiſ. cap. 12.* בוה דרב דימי אתילד לה ינוקא ובגו תלתין *Filio Rab Demi natus eſt infans & intra dies triginta dormivit.* i. e. mortuus eſt. Huc refero inſcriptionem Jud. græcam, quam ex REINESIO recenſet BAIER *in Inſcript. Jud. Græc. & Lat.*

ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΕ ΖΩΣΙΜΟΣ
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΣΥΝΑΓΩΓΟΣ
ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ ΚΟΙΜΗΣΙΣ ΑΥΤΟΥ.

Ex *Græcis* ſcriptoribus idem confici poteſt. Ita HOMER. *Iliad.* ξ.

ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

Et MENANDER *orat. conſol.* apud PLUTARCH. ſomnum vocat τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια. STOBÆUS *ſerm. 115.* LAERT. *Lib. VI. c. 6.* ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. II. c. 35.* ſomnum vocant τοῦ θανάτου ἀδελφὸν Conf. J. G. MICHAEL. *in Bibl. Brem. T. III. p. 716.* J. G. SCHELHORN. *in Bibl. Brem. T. V. p. 872.* J. MEURSII *Miſcell. Lacon. Lib. I. cap. 6.* *Latinis* quoque ſcriptoribus hæc phraſis eſt familiaris admodum. Sic VALER. FLACC. *Argon. Lib. VIII. v. 74.*

- - - *Fratrique ſimillime Letho.*

VIRGIL. *Æn. Lib. IV.*

Dat

Dat ſomnos adimitque & lumina morte reſignat.

HORAT.

Ne longus Tibi ſomnus, unde
Non times, detur.

Conf. BONIF. *hiſt. Ludicr. Lib. XVIII. c. ult.* GYRALD. *hiſt. Deor. pag. 301.* NATAL. COM. *Lib. III. cap. 13.* WEIZ. *Comm. ad* VALER. FLACC. *Argon. Lib. VIII. p. 206.* aliosque.

II. Elegans ſane inter *ſomnum* ac *mortem* eſt analogia, unde & ſomnus frater mortis dicitur.

(a) Somnus plerumque oritur ex *defatigatione* virium vel ob labores intenſos vel ex itinere longinquo & moleſtiis exantlatis orta. Ita apud J. STOBÆ. *Serm. 91. p. 450.* auctor incertus dicit: οὐ γὰρ ἐκ χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος κατεσκευασμέναι κλίναι, καὶ πορφυροῖ ταπῆτες, οὐδὲ ὑπόβαθρα καὶ παστάδες ὕπνους ποιοῦσιν· ἀλλ' ἔργα καὶ νόμιμοι πόνοι, καὶ τὸ τῆς φύσεως αὐτῆς ἀναγκαῖον. *Somni enim non accerſuntur lectis auro & ebore ornatis, neque tapetibus purpureis, non denique fulcris & thalamis pretioſis, ſed operibus, laboribus juſtis & ipſa naturæ neceſſitate.* Conf. & ARISTOTEL. *Lib. de ſomn. & vigilia. cap. 2.*

Unde EURIPID. *in Oreſt.*

Πότνια νὺξ, ὑπνοδότειρα τῶν πολυπόνων
βροτῶν. *Veneranda nox dans ſomnos*
hominibus laborioſis.

Ex luctu nimio etiam ſomnus occupat artus, ut obſervant Phyſici. Quare ſomnus recte conſtituitur ſequela peccati. An vero Adamus in ſtatu integritatis etiam ſomno ſit uſus, non docet ſcriptura. VOSS. *in Theol. Gent. Lib. III. c. 34.* exiſtimat, ex Gen. II. 21. conſtare ſomno etiam Adamum indulſiſſe. Sed vox illa תרדמה ſomnum extraordinarium a Deo immiſſum ibidem denotat, unde & ἔκστασιν vertunt LXX. Verum cum nec labor nec defatigatio, nec luctus nec infirmitas corporis in ſtatu integritatis locum haberet, liquet, quod Adamus ad ſuſtentandam vitam non opus habuerit ſomno; licet non negari queat, illum oblectationis gratia forte & ſomno indulſiſſe. Sed hæc non tanti ſunt, ut his inhæreamus.

Obſervamus vero mortem proprie ſequelam eſſe peccati non na-

turæ, quod contra *Socini* aſſeclas firmiter aſſerimus. Mors enim eſt ſtipendium peccati, teſte Apoſtolo Rom. VI. 23. Quare poſt lapſum dura illa vox implenda erat Gen. II. 17: *moriendo morieris*. Mortem quoque ſaltem fidelium præcedit *labor* ac moleſtia, a quibus in morte quieſcant in Domino morientes Apoc. XIV. 13. Ita ipſis durum ac longinquum eſt peragendum, per deſerta hujus mundi ad cœleſtem patriam, quo defatigati tandem in portis Hieroſolymæ cœleſtis quieſcunt. Inſtar Eliæ quadraginta dies atque noctes pergunt, donec in monte gloriæ quietem conſequuntur. Quot curis, quot ſolicitudinibus excruciantur in hac valle Bochim? ut ſæpe exclamare cogantur, Pſ. CXX. 5. *Hei mihi, qui peregrinus ſum in Meſech, & habito tentoria Kedar.* Et Rom. VII. 24. *Ah me miſerum, quis eripiet me ex hoc corpore mortis?* Donec tandem mors quietem largiatur.

III. (b) *Somnus* recte apud Veteres *dulcis* dicebatur ob *recreationem* virium, & *quietem* placidam, quam defatigatis concedit, ut quieſcant ab omnibus laboribus. Ita HOMER. *Iliad. α,*

Ἔνθα πάρος κοιμᾶθ᾽, ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι
Ἔνθα καθεῦδ᾽ ἀναβάς.
Ubi antea dormiebat, quando DULCIS eum ſomnus
invadebat; dormivit illic, cum aſcendiſſet.

Eleganter quoque canit OVID. *Lib. XI. Metam. 10.*

Somne, quies rerum, placidiſſime ſomne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparasque labori.

ARISTOTEL. *Lib. II. c. 1.* ETHIC. ſomnum ἀργίαν τινὰ ψυχῆς καὶ ἡσυχίαν *quandam animæ deſidiam & quietem* vocat. Ita & VALER. FLACC. *Argon. Lib. V.*

Nox hominum genus & duros miſerata labores,
Rettulerat feſſis optata ſilentia rebus.

ORPHEUS *hymn.* ὕπν.

Κόπων ἡδεῖαν ἔχων ἀνάπαυσιν.
Laborum ſuavem habens requiem.

Mors quoque fidelibus *Dulcis* eſt tanquam ſomnus. *Dulcis* eſt ratione præteriti, quia labor omnis, moleſtia ac miſeria hujus vitæ in

morte

morte deſinit, Apoc. XIV. 13. Jeſ. XXV. 8. *Dulcis* eſt ratione præſentis, utpote fruuntur quoad corpus quiete placida in ſepulchro, quieſcit corpus ſub umbra manuum Creatoris ad tempus reſurrectionis in pace Pſ. IV. 9. uti Meſſias de ſe loquitur Pſ. XVI. 9. *Etiam caro mea tuto quieſcet.* Quieſcit anima, quæ primitias pacis cœleſtis ac æternæ in communione Servatoris ſui percipit. Deportatur enim in ſinum Abrahæ Luc. XVI. 29. in paradiſum, ut cum Chriſto ſit. Luc. XXIII. 43. *Dulcis* eſt mors ratione futuri, quia tempus inſtat, quando corpus & anima novo vinculo connexa æternam hæreditabunt pacem, ſatietatem lætitiæ, & imagine Dei fulgebunt Pſ. XVI. 11. Pſ. XVII. ult. Joh. V. 28. 29.

IV. (c) Somnus omnes ſolvit *curas*, easque in profundiſſimam oblivionem mergit. Per totum diem curæ excruciant pectus, ſed in ſomno ſepeliunt omnes ſolicitudines curarum anxii helluones. Unde vox ὕπνος quibusdam derivatur a λύειν πόνον. Recte PLUTARCH. *libro* περὶ δεισιδαιμον. ait: Οἱ δοῦλοι τῶν δεσποτῶν ἐπιλανθάνονται καθεύδοντες τοῖς πεδήταις ἐπελαφρύνει τὸν δεσμὸν ὁ ὕπνος, φλεγμοναὶ καὶ τραύματα, καὶ νομαὶ σαρκὸς θηριώδεις, καὶ περιωδυνίαι κοιμωμένων ἀφίστανται. *Obliviſcuntur herilium ſervi dormientes minarum, qui in compedibus ſunt, iis vincula ſomnus allevat, inflammationes, vulnera, ſæva & ſerpentia carnis ulcera doloresque acerrimi ſomno mitigantur.*

ORPHEUS *in hymn.* περὶ ὕπνου;

- - - λυσιμέριμνε,
Καὶ πάσης λύπης ἱερὸν παραμύθιον ἔρδων.
Solvens curas & omnis doloris ſacrum ſolatium faciens.

HOMER. *Iliad.* ψ.

- - - λύων μελεδήματα θυμοῦ
Solvens curas animi, ſomnus.

Et ſane hæc omnia de morte fidelium veriſſima ſunt. Mors eſt, quæ omnes ipſis adimit curas & ſolicitudines. Introducit electos in Hieroſolymas cœleſtes, ubi nec luctus, nec dolor, nec ſuſpiria locum habent, conf. Apoc. XXI. 4. Jeſ. XXV. 8. ubi omnes ab oculis abſtergentur lacrymæ Apoc. VII. 17. peccata enim omnia, quæ tot ipſis ſolicitudines in hac miſeriarum valle pepererunt, in profundam maris abyſſum conjecta erunt Mich. VII. 19. quando gaudium & lætitia cingent eos,

omniſque luctus & gemitus fugient Jeſ. XXXV. 10. Mors beatus ille portus eſt, in quem navis, maris hujus mundi fluctibus & ventis toties agitata & concuſſa, devehitur & quieſcit. Illa eſt arx quaſi munita, in qua tuti ab hoſtibus, ſatana, mundo & carne, latent & quiete fruuntur.

V. (d) Somnus inſuper *valetudini* corporis & *recreationi* mentis maxime conducit. Unde ὕπνος recte apud MENANDRUM dicitur ΣΩΤΗΡΙΑ σώματος, *Salus corporis*. Ægrotus ſomnum majoris æſtimat, quam pretioſiſſimam medicinam. Conf. HIPPOCRAT. *lib. VI. de morb. pop.* GALEN. *Lib. II. de muſc. mot.* Recte canit. EURIPID. *in Oreſt.*

ὦ φίλον ὕπνου θέλγητρον
ἐπίκουρον νόσου.
O Suavis ſomni illecebra, morbi remedium.

Ita & SENECA, *Hercul. fur. act. IV.*

Detur quieti tempus, ut ſomno gravis
Vis victa morbi pectus oppreſſum levet.

Conf. locum Joh. XI. 13. *ſi dormit, melius ſe geret.* Ad quem Cl. LAMP. citat dictum Jud. ex *Berach. c. IX. Pulchrum ſignum ægroto ex una ſex rerum obſervatur. Eæ ſunt ſternutatio, ſudor, ſolutio alvi, effluxio, SOMNUS & ſomnium.* Somni in morbis utilitatem probat STENZEL. *in tract. de ſomno c. 17. ſeqq.*

Mors quoque fidelium ſalutis ipſorum initium eſt, quam eapropter ſæpiſſime, calidiſſimis votis anhelant. Deſiderant ἀνάλυσιν ab omnibus curis & moleſtiis, a morbis & infirmitatibus corporis ac mentis, & cum Chriſto eſſe Phil. I. 23. Mors ita ipſis lucrum eſt Phil. I. 21. corpus enim fragile & corruptum rapit, & reddit glorioſum, robuſtum, purificatum, animam corpori mortis alligatam ſolvit & ad propriorem Dei ſanctiſſimi communionem admittit. Hinc gemunt, Rom. VII. 24. *Ah me miſerum, quis me liberabit a corpore mortis.* Omnes morbi & infirmitates corporis, omnes dolores ac ægritudines mentis deſinunt in morte, & mors eſt quaſi tranſitus ad novam beatamque vitam, ubi nulla infirmitas ac ægritudo unquam infeſtabit eos, ſed beati erunt & felices æternum Apoc. XIV. 13.

VI. (e)

VI. (e) In ſomno omnes *ſenſus* quaſi *ſopiti* ſtupent, atque uſu ſuo deſtituuntur, & *membra* compedibus quaſi conſtricta hærent; caput grave decumbit, connivent palpebræ, artus jacent remiſſi, & totius corporis tonus quaſi relaxatur. Recte iterum ORPH. *hymn.* ὕπν.

Σώματα δεσμεύων ἐν ἀχαλκεύτοισι πέδησι

Corpora vinciens compedibus non æreis.

VIRGIL. *Æneid. lib. X.*

Olli dura quies, oculos & ferreus urget ſomnus.

Unde & SOCRATES *apud* CICERON. *Tuſcul. quæſt. Lib. I. Quamobrem ſive ſenſus exſtinguitur, morsque ei ſimilis eſt.* Et HOMER. *Iliad. ω.* ſomnus dicitur Ὕπνος πανδαμάτωρ. *Omnia domans.*

Quis neget mortem ſomno hac in re eſſe ſimillimam? Morte enim appropinquante eadem ſigna obſervabis, quæ in dormiente. Mors lumina claudit & ferreis tegit tenebris. Commoventur cuſtodes domus, occluduntur valvæ foro. Eccl. XII. 5. 7. Aures ſurdeſcunt, manus impotentes relaxantur, totumque corpus proſtratum decumbit absque motu, absque ſenſu. Lingua tacet & obmuteſcit, & os eſt quaſi reſeratum. Eleganter OVID. *Lib. II. Metam.* hæc omnia deſcribit canens:

In vultu color eſt ſine ſanguine lumina mœſtis
Stant immota genis, nihil eſt in imagine vivum,
Ipſa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat & venæ deſiſtunt poſſe moveri
Nec flecti cervix, nec brachia reddere motus.

VII. (f) Omnia licet membra in ſomno conſtricta quaſi hæreant, *anima* tamen & mens nunquam non eſt *operoſa* & meditationibus perpetuis indulget. Id quod ex ARISTOTELE & HIPPOCRATE probat STENZEL. *de ſomn. p. m. ſeqq.* Ita CICERO *de ſenect. Atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem ſuam. Multa enim cum remiſſi ac liberi ſunt, futura proſpiciunt.* Conſentit CLAUDIAN. in præfat. ad *Honor. Conſ.*

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectore ſopita reddit amica quies.

Omnia emphatice deſcribit PETRON. *in fragm.*

- - - Nam eum proſtrata ſopore
Urget membra quies, & mens ſine pondere ludit,
Quicquid luce fuit, tenebris agit. Oppida bello
Qui quatit & flammis miſerandas ſævit in urbes,
Tela videt, verſasque acies & funera Regum,
Atque exundantes perfuſo ſanguine campos.
Qui cauſas orare ſolent, legesque forumque
Et pavidi cernunt incluſum corde tribunal &c.

Simili quoque ratione nec in morte corporis mentis ceſſabit actuoſitas, ſed eo erit efficacior. Id quod eleganter docet CICERO *lib. I. de Divinat. Jacet enim corpus dormientis ut mortui, viget autem atque vivit animus. Quod multo magis faciet poſt mortem, cum omnino ex corpore exceſſerit: Itaque appropinquante morte multo eſt divinior.* Sane mens noſtra in morte, ſolutis vinculis corporis peccati veram vivere vitam incipiet. Tum demum intellectus luce divinæ colluſtrabitur perfecte, & in cognitione myſteriorum ſanctiſſimorum delectabitur. Tum voluntas vehementiſſimo atque puriſſimo Dei ſanctiſſimi amore implebitur, & theſauris omniſufficientiæ divinæ ſatiabitur 1 Joh. III. 2. Pſ. XVI. 11. Pſ. XVII. 15. & vita æterna ac indiſſolubilis inchoabitur Joh. V. 24. Joh. III. 36.

VIII. (g) Ingruente *veſpere* & *noctu* ſomnus plerumque occupat corpus; *Nox* enim ſomni tempus eſt opportunum ac conſtitutum. 1 Theſſ. V. 7. *dormientes* enim *dormiunt noctu.* Unde Somnus apud Mythologos dicitur *Noctis filius.* HYPPOCR. *L. II. c. 2. prognoſt.* Τὴν μὲν ἡμέραν ἐγρηγορέναι χρὴ, τὴν δὲ νύκτα καθεύδειν. *Die decet vigilare, noctu vero dormire.* VIRGIL. *Lib. VIII. Æneid.* ſomnum appellat *donum noctis opacæ.* VALER. FLACC. *Argon. Lib. V.*

Nox hominum genus & duros miſerata labores
Rettulerat feſſis optata ſilentia rebus.

HOMER. *Odyſſ. γ. v. 334.*

Σείσαντες, κοιτόιο μεδώμεθα· τοῖο γὰρ ὥρη.
Ἤδη γὰρ φάος ὄιχεθ' ὑπὸ ζόφον.
Ubi libaverimus lectum curemus, ejus enim
Tempus adeſt. Jam enim lux ivit ſub occaſum.

VIR-

VIRGIL. *Lib. VI. Æneid.*

Nox erat & placidam carpebant feſſa ſoporem
Corpora.

Sol enim mundi oculus & lampas luce ſua omnia colluſtrans hominem ad laborem & actiones invitat, ſi vero occidit, etiam ut ab operibus homo ferietur, admonet.

Ita quoque dum lux vitæ hujus lucet, homo tenetur κατεργάζεσθαι τὴν ἑαυτοῦ σωτηρίαν cum metu & tremore Phil. II. 12. hoc lumine exſtincto, dominatur mors, ac ſpatium operandi ſalutem præcludit. Vigilandum eſt, dum vitæ dies durat, antequam mors æterno lumina ſomno claudat. Cuicunque mortalium tempus eſt conſtitutum moriendi Heb. IX. 27. Numerus dierum vitæ ipſius eſt prædeterminatus, hoc effluxo, nox atra mortis ingruit. Job. XIV. 5. Ingruente veſpera ſero ætatis & nocte ſenectutis atque mortis, vocat Deus mortales ; redite, o filii hominum! Pſ. XC. 3. & in cubiculum commune mortalium, terram deponuntur, ſomno ſopiti æterno.

IX. (h) Locus ſomno capeſſendo deſtinatus, eſt *Lectus* & *cubiculum*, in quo requieſcunt dormientes. Ita Isboſeth in lecto conclavis ſui jacebat dormiens. 2 Sam. IV. 6. unde dormire in lecto ſæpius dicuntur homines Job. XXXIII. Pſ. LXIII. 7. Prov. XXVI. 14. Dan. II. 29. IV. 10. Eſr. III. 6. Luc. XVII. 34. Unde & illud *Poetæ* :

- - - *Tepidoque trahunt ſecura cubili*
Otia.

HOMER. *Iliad. ι.*

Οἱ δ᾽ ἐπεὶ οὖν λεχέων εὐποίητων ἐπέβησαν
Illi vero in lectos præparatos aſcenderunt.

Idem *Odyſſ. V. v. 344.*

- - - ὦρτο δ᾽ Ὀδυσσεὺς
Εὐνῆς ἐκ μαλακῆς.
Surrexit autem Ulyſſes lecto ex molli.

Et mortuos lectis impoſitos eſſe apud Veteres conſtat. Ita teſtatur HOMER. *Odyſſ. ω.*

Κάτθεμεν ἐν λεχέεσσι, καθήραντες χρόα καλόν.
Depoſuimus in lectis, expurgato corpore pulcro.

PER-

PERSIUS *Satyr. 3.*

- - - Tandemque Beatulus alto
Compoſitus lecto.

Lectus autem poſtremus & cubiculum ultimum mortuorum eſt ſepulchrum, quod veteribus dicitur κοιμητήριον. Unde & Jeſ. LVII. 1. *Qui in æquitate ſua ambulavit, ingreditur in pacem, & quieſcit in cubiculo ſuo* במשכב, LXX. ταφὴν vertunt. In his corpora fidelium mollius quieſcunt, quam in lectis variegatis, multoque ſtragularum & pulvinarium apparatu inſtructis homines hujus mundi. Quare dicere poſſunt cum Eccleſia Pſ. IV. 9. *in pace cubo & dormiam, tu Jehova facis, ut ſecure degam.*

X. Somno ſopiti brevi iterum *expergiſcuntur* & *evigilant*, nec ſemper in lecto hærent, ſed oculos aperiunt, ſurgunt e lectis ſuis, induunt veſtes & novis viribus inſtructi labores ſuos aggrediuntur, teſte Pſalte Pſ. CIV. 23. Recte HOMER. *Odyſſ. 23. v. 346.*

Αὐτίκ' ἀπ' ὠκεανοῦ χρυσόθρονον ἠριγένειαν
ὦρσεν, ἵν' ἀνθρώποισι φόως φέρῃ, ὦρτο δ' Ὀδυσσεύς.
Statim ab Oceano auream matutam
Movit, ut hominibus lumen portaret.
Surrexit ergo Ulyſſes.

Egregie hoc in mortuum quadrat, qui poſt breve intervallum temporis, quod in ſepulchro degit, denuo eſt reſuſcitandus. Joh. V. 28. *Nam adveniet hora, qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus, & exibunt, qui bene fecerint, in reſurrectionem vitæ, qui male egerint, in reſurrectionem condemnationis.* Dan. XII. 2. Unde & AUGUSTIN. apud DOUGT. *annal. II. p. 60. Mortuos dormientes appellat, ſcripturæ veraciſſima conſuetudo, ut cum dormientes audiamus, evigilaturos minime deſperemus.* Egregius quoque huc pertinet locus ABIL-OLÆ *Moarrienſis*, Arabum Poetæ, apud POCOK. *in not. Miſcell. Phil. p. m. 226.*

ضجعة الموت رقدة يستريح
الجسم فيها والعيش مثل السهاد

Decubitus mortis ſomnus eſt, quo requieſcit corpus & vita futura, quaſi reſu-

reſuſcitatio a ſomno. Reſurgent ergo eadem corpora, quæ obdormiverunt, & induetur corpus electorum veſtibus albis glorificationis. Phil. III. 21. 1 Cor. XV. 42---44. Et ſic magnum illud opus celebrationis Dei ejusque nominis aggredientur viribus novis, canticum agni ebuccinaturi noctes atque dies. Apoc. IV. 8.

XI. Talis quoque ſomnus erat Lazari, de quo Servator loco noſtro agit. Ille enim obdormiverat morte, ſed brevi per potentiam Salvatoris & mirificam Chriſti virtutem ex ſepulcro ceu lecto erat proditurus & vitæ priſtinæ reſtituendus. Hac quoque phraſi convicturus erat diſcipulos, facillimum ipſi opus eſſe, reſuſcitare Lazarum vere mortuum, quemadmodum aliquis facile ſomno obrutum excitare ſolet. Inſuper & ſtatum Lazari felicem deprædicat, mors enim fidelium cum emphaſi ſomnus dicitur. Recte in BERESCHIT. RABB. *ſect. 91.* dicunt Judæi דמיך *obdormivit, dicitur honorifice de corpore ſancto, cujus mors nihil aliud eſt, quam ſomnus.* Vid. LAMPE *in Joh. l. c.*

XII. Beatus ergo qui cum Lazaro, ſuo quisque tempore, obdormiſcit. Aſt qui cum Lazaro vult mori, cum eodem oportet vivere. Qui deſiderat, ut mors ipſius ſit ſomnus dulcis atque placidus, vivere eum oportet Domino Rom. XIV. 7. O utinam omnes diem vitæ ſuæ breviſſimum rite obſervarent, & operarentur ſalutem ſuam, antequam veſper ætatis vel etiam morbi ingruit; ſæpiſſime enim nocte mortis obruuntur improvidi, qui, dum operari volunt, tempore excluduntur & prohibentur. Dum lux vitæ lucet, o mortalis, & invitaris ad opus ſalutis peragendum, urge, perfice, conſumma hunc laborem, veſperi ratio eſt reddenda, veſperi opus eſſe debet conſummatum, non demum inchoandum. Beati, qui, cum ſerus venit veſper ætatis, & nox atra mortis inſtat, opus ſuum perfecere, & ita in Domino obdormiſcunt, illi quieſcent in cubiculis, quieſcent a laboribus in pace. Jeſ. LVII. 1. Apoc. XIV. 13. Faxit Deus ut mors noſtra ſit ſomnus placidus & introitus in vitam meliorem.

EXERCITATIO II.
DE
PRIMOGENITO EX MORTUIS.
COL. I. v. 18.
ARGUMENTUM.

§. I. Cur Chriſtus in genere dicatur Primogenitus, inquiritur. §. II. In ſpecie Primogenitus ex mortuis. *Cujus denominationis variæ recenſentur rationes variorum. §. III. Alludi hac phraſi ad primogenitos V. T. demonſtratur. §. IV. Analogia inter primogenitos V. T. & Chriſtum inſtituitur. Uti illis dominium & principatus competebat, ita & Chriſto. §. V. Jus ſacerdotii primogenitis vindicatur, & Chriſto. §. VI. Primogenitos Deo conſecratos & ſanctos fuiſſe docetur, uti & Chriſtus. §. VII. Quod primogeniti reliquos fratres ſanctificaverint, aſſeritur, illuſtrato loco Heb. II. 11. & Chriſto applicatur. §. VIII. Quod duplex hæreditatis portio ipſis data ſit, probatur, & Chriſto vindicatur. §. IX. Ex nexu tam Col. I. 18. tam Apoc. I. 5. ubi hæc phraſis occurrit, ſignificationes hæ confirmantur. §. X. Epilogus practicus adjicitur.*

I.

EXplicatu ſane difficillimum eſt Servatoris noſtri nomen, quando in ſcriptis N. T. appellatur ΠΡΩΤΟΤΟΚΟΣ ΕΚ ΤΩΝ ΝΕΚΡΩΝ. *PRIMOGENITUS EX MORTUIS.* Inſignitur autem hoc nomine a Paulo *Coloſſ. I. 18.* ὅς ἐϛιν ἀρχὴ, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, & a Johanne *Apoc. I. 5.* ὁ μάρτυς ὁ πιϛὸς, ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν. Duplici reſpectu Chriſtus in ſcriptura dicitur *Primogenitus*, ſc. ſecundum naturam humanam eſt Mariæ πρωτότοκος ſeu primogenitus Matth. I. 25. Luc. II. 7. πρωτότοκος autem dicitur, qui in oppoſitione fratrum & ſororum primus eſt natus, vel etiam, qui ſolus eſt ex matre genitus & idem eſt quod μονογενής. Poſteriori vero ſenſu Chriſtus dicitur πρωτότοκος Mariæ,

Mariæ, non ac ſi Maria poſt Jeſum natum aliam quoque procreaſſet ſobolem, ſed μονογενὴς ſimul & πρωτότοκος Chriſtus eſt, quod contra *Antidico-Marianitas, Helvidicum, Jovinianum, Eunomium &c.* defendit Cel. BUDD. *in Medit. S. p. 176, ſeqq.* & ex Patribus ſimul & ſcriptura demonſtrat SAUBERT. *in Palæſt. Theol. Phil. p. 226. ſeqq.* Secundum vero divinam naturam eſt πρωτότοκος quoque & μονογενὴς Patris ſui cœleſtis, quia ex eſſentia Patris ab æterno, incomprehenſibili nobis modo eſt progenitus; & in oppoſitione fratrum adſcitorum Rom. VIII. 29. Heb. I. 6.

II. Sed difficilior eſt ſenſus phraſis *Primogeniti ex mortuis.* Communis plerorumque Interpretum opinio eſt, Chriſtum hoc nomine inſigniri, quia primus *ex mortuis* eſt *reſuſcitatus*, quod GROTIUS inprimis ex eo probat, quia reſurrectio eſt quaſi nova generatio Matth. XIX. 33. reſurgens enim ex terræ gremio quaſi in lucem prodit. Ita etiam phraſin hanc explicant Patres, THEODORETUS, GREGOR. NYSSENUS, CHRYSOSTOMUS, aliique. Et cum illis objicias, alios ſane plures ante Chriſtum reſurrexiſſe, v. g. Moſem, filium viduæ Sareptanæ 1 Reg. XVII. filium Sunamitidis 2 Reg. IV. filiam Jairi Matth. IX. filium viduæ Nainiticæ Luc. IV. Lazarum Joh. XI. & alios; reſpondent, hos omnes denuo eſſe mortuos, Chriſtum vero primum ad vitam immortalem reſurrexiſſe. Aſt regero, quosdam tamen, ſi non omnes, ad vitam quoque immortalem reſurrexiſſe. Certiſſimum id eſt de Moſe, qui in corpore glorificato cum Elia apparuit in monte. Matth. XVII. 3. Et cum Apoſtolus ſtricte defendat Heb. IX. 27. ἅπαξ *ſemel* mori conſtitutum eſſe hominibus, veriſimiliter ſaltem de plerisque reſuſcitatis defendi poteſt, eos non denuo eſſe mortuos, id quod late demonſtrat Cel. LAMP. *in diſſ. de reſuſcit. per miraculum p. 15. ſeqq.*

Sunt alii Viri docti, qui phraſin hanc explicant de generatione ejus æterna ex eſſentia Patris, quæ demonſtrata eſſet ex reſuſcitatione filii ex mortuis: Sed duriſſima ſane loquendi ratio hæc eſſet, cum & nexus loci Col. I. 18. & Apoc. I. 5. plane contrarietur, & nullum vel veriſimile argumentum adduci poſſit, quo explicatio hæc probabilis reddi queat.

Alii, inter quos eſt Cel. BUDDEUS *in Meditat. S. p. 185.* πρωτότοκον

τοκον ἐκ νεκρῶν dici Chriſtum exiſtimant, quia *auctor* eſt & *cauſa* reſurrectionis noſtræ; ejus enim tanquam Archangeli voce reſurgent omnes 1 Theſſ. IV. 16. Sed licet hæc ſit veritas inconcuſſa, quod Chriſtus ſit auctor reſurrectionis, interea tamen an phraſis primogeniti ex mortuis id innuat, non facile probari, nec niſi coacte inde elici poterit.

III. Verum cum phraſes obſcuriores plerumque ex alluſionibus rite inventis explicari queant, inprimis heic quoque inquirendum erit, quorſum hæc phraſis PRIMOGENITI EX MORTUIS alludat. Sponte ergo deducimur ad primogenitos V. T. quorum antitypus Jeſus erat nıjturus. Typus ſane fuiſſe primogenitos Chriſti ſ. Meſſiæ ipſi fatentur Judæi. R. BECHAI *in Comm.* in תורה f. 115. dicit, Primogenitum eſſe רמזל הקדוש ברוך הוא שהוא בכורו של עולם *typum Sancti benedicti, qui eſt primogenitus mundi.* RITTANGEL *in ſolennit. nov. ann. p. 323.* docet, Judæos orare: *Memoriam ſacrificii Primogeniti, qui erat, antequam mundus creatus fuit, & quod fundamentum eſt omnium primogenitorum, velis reſpicere.* Et clarius in *Elle Schemoth Rabb. ſect. 19.* אמר הק״בה למשה כשם שעשיתי יעקב בכור שנא בני בכורי ישראל כך אני עושה למלך המשיח בכור שנא אף אני בכור אתנהו Deus S. B. Moſi dixit: *Quemadmodum Jacobum feci primogenitum, uti dicitur* (Exod. IV. 22.) *Iſrael eſt filius meus, primogenitus meus. Ita etiam Regem Meſſiam faciam primogenitum, quemadmodum dictum eſt* (Pſ. LXXXIX. 17.) *Ego etiam ponam eum primogenitum.* Vid. CARTWRIGT *mellif. Hebr. in Bibl. Crit. T. IX. p. 3030.* & VOISIN. ad RAYM. *pug. fid. p. 175.* & quando Pſ. LXXXIX. 28. Rom. VIII. 29. Hebr. I. 6. primogenitus dicitur, alluditur ad primogenitos V. T. conf. & Hebr. II. 11. Quando autem additur phraſis *ἐκ νεκρῶν*, innuit occaſionem, quando primogeniti ex Iſraele Deo conſecrari cœperunt, ſcilicet quando omnes primogeniti in Ægypto per Angelum Jehovæ trucidarentur primogeniti Iſraelitarum ex mortuis primogenitis Ægyptiorum ſoli ſalvi evadebant, & quia æque morte digni erant coram Deo, eos ſibi conſecrari jubebat. Nam phraſis *ἐκ νεκρῶν ſtatum mortuorum*, imo *mortem* denotat conf. Marc. XII. 25. Luc. XX. 35. Act. IV. 12. Recte ergo Chriſtus alluſive ad hos primogenitos dicitur *πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν.* Clarius id patebit, ſi analogias paucas exhibeamus.

IV.

IV. 1. Primogenitis V. T. competebat *dominium* & *principatus* in reliquos fratres, & quaſi regiam dignitatem exercebant in familia ſua. Unde de Rubene, primogenito ſuo dicit Jacob Gen. XLIX. 3. ראשית אוני יתר שאת ויתר עז *Primitiæ virtutis meæ, excellens dignitate & excellens fortitudine.* Ubi ONKELOS: לך חוה חזי למסב תלתא חולקין בכורותא כהונתא ומלכותא *Tu accepturus eras partes tres. Primogenituram, Sacerdotium & REGNUM.* Quare & Gen. XXVII. 29. de Jacobo, qui Eſavi primogenituram ſibi acquiſiverat, & tanquam primogenitus a Patre Iſaaco benedicebatur, dicitur Eſto הוה גביר לאחיך וישתחוו לך בני אמך: *Dominus fratrum tuorum, & incurvent ſe tibi filii matris tuæ.* conf. v. 37. Et clare R. S. BEN MELECH *in Miclal Joph. fol. 15. ad Gen. XLIX. 3.* פי בו ענין הגדולה והרוממות והוא כולל הבכורה והכהונה שהם מעלה ונשיאות ואמר ויתר עז על המלוכה כי המלך צריך כח ותוקף כמו שאמר ויתן עז למלכו וגו Quæ verba ſatis clara ſunt, nec explicatione indigent.

Chriſtus ergo recte dicitur *Primogenitus* ex mortuis, i. e. Princeps & dominus fratrum ſuorum. Recte CAMERO *in Myroth. p. 220. Primogenitus ille dicitur, qui eſt Dominus & hæres omnium bonorum paternorum. Unde phraſi Scripturæ familiari is dicitur primogenitus, qui eſt reliquorum dominus, princeps, primarius.* Hoc ſenſu etiam capiunt Interpretes, ZEGERUS, VITRINGA, MARCKIUS, GLASSIUS, VECSEY in Apoc. aliique. Conf. & MOYNE *Var. Sacr. T. II. p. 450.* Hæc ſignificatio optime convenit loco *COL. I. 18.* quando dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως. *Primogenitus omnis creaturæ,* quod non cum Arianis explices, de creatura ante omnes reliquas creaturas creata, cum Chriſtus non eſt κτίσις ſed κτιστής. Joh. I. 3. Nec cum SOCINO & CRELLIO, quaſi inter novas creaturas ſit recenſendus Servator ob regenerationem, quæ ei non competit. Dantur plerique, qui explicant eum, qui *exſtitit* & *genitus* eſt *ante omnes creaturas* i. e. ab æterno, veluti CHRYSOST. BASIL. THEOPHYLACT. ſed dura hæc eſſet phraſis. Clarius Apoſtolus v. 16. hanc ipſam phraſin explicat, quando dicit: ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, τὰ ὁρατὰ, καὶ τὰ ἀόρατα &c. Unde ſponte liquet eum dici πρωτότοκον πάσης κτίσεως, quia Dominus, princeps & gubernator eſt omnium creatarum

aum rerum, in quas abſolutum ipſi competit imperium; & in ſpecie caput & dominus *κτίσεως* illius *καινῆς*, Eccleſiæ ſeu fidelium 2 Cor. V. 17. uti *πᾶσαν κτίσιν* univerſam Eccleſiam denotare demonſtrat Cel. LAMP. *in Comm. Pſ. XLV. p. 573.* Primogenitus autem *ex mortuis* dicitur hoc ſenſu, quia ex mortuis & ſtatu mortis exſurgens dominium ipſi tanquam primogenito eſt confirmatum. Unde ex morte reſurgens dicere poterat Apoc. I. 18. *Ego ſum primus & ultimus, vivo, qui mortuus eram. Ecce vivo in ſecula ſeculorum, Amen. Et habeo claves inferorum ac mortis.* Apoc. III. 7. *habens clavem Davidis, qui aperit, ut nemo claudat, qui claudit, ut nemo aperiat.* Conf. 2 Tim. I. 10. Heb. II. 14. Hoſ. XIII. 14. Unde toties tanquam Princeps & Dominator occurrit Jeſ. LV. 4. Pſ. VIII. 6-8. Eph. III, 10. Heb. I. 2. XII. 2. Apoc. V. 9-11.

V. 2. Primogenitis quoque jus SACERDOTII fuiſſe aſſignatum, plerique aſſerunt Viri Docti, tum ex Judæis, tum Chriſtianis. Ita Jud. in MISCHN. *tract. Ebach. c. 14.* עד שלא הוקם המשכן היו הבמות מותרות ועבורה בבכורות *Antequam tabernaculum conſtructum eſt, excelſorum uſus fuit licitus, & ſacro ad ea fungebantur munere primogeniti. R. S. Jarchi ad Gen. XLIX. 3.* ראוי היית להיות יתר על אחיך בכהונה *Debebas quidem præſtantior eſſe fratribus* SACERDOTIO. Sane Exod. XIX. 22. dicitur הכהנים הנגשים אל יהוה יקדשו *Sacerdotes Deo appropinquantes ſanctificent ſe.* Ubi ABEN-ESRA eleganter dicit: הם הבכורים שהם קדושים ככתוב קדש לי כל בכור *Hi ſunt primogeniti, qui ſancti, ſecundum quod ſcriptum eſt. Sanctifica mihi omne primogenitum.* Conſentit R. SAL. BEN. MELECH ad h. l. quos ſequuntur viri docti quamplurimi inter Chriſtianos. Ita & per *Juvenes filiorum* Iſrael, qui ſacrificia obtulerunt Exod. XXIV. 5. Primogenitos intelligendos eſſe cenſent, ONKELOS, BONFRER. ad h. l. HIERON. *quæſt. in Geneſ. 27.* RIBERA *in Heb. XI.* a LAPIDE *in Gen. XLIX.* aliique. Conf. & Cel. ANDALA *in Exeg. illuſtr. loc. §. 32.* DEYLING. *Obſ. S. Lib. II. obſ. 4.* Licet contrarium probare ſatagat Cel. VITRING. *Obſ. Lib. II. cap. 2.* & Cl. LAKEMACH. *Obſ. P. VI. obſ. 2.* Primarium ſaltem in ſacrificiis offerendis locum aſſerimus primogenitis ante legem, quibus poſt legem ſubſtituti ſunt Levitæ Num. III. 45.

Primo-

Primogenitus quoque Chriſtus eſt tanquam *Sacerdos*, cui verum Sacerdotii jus convenit. Sacerdos eſt æternus ſecundum ordinem Melchiſedeci Pſ. CX. 3. Magnus ille Pontifex Confeſſionis noſtræ Heb. III. 1. cui vi primogenituræ competit Sacerdotium, id quod Paulus aſſerit Heb. V. 5.6. *Ita & Chriſtus non ipſe ſibi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex, ſed is, qui dixit ei, Filius es meus, hodie genui Te. Sicut & in alio Pſalmo dicit: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedeci.* Ille tanquam Sacerdos Maximus unico ſacrificio omnia conſummavit Heb. X. 14. Primogenitus autem *ex mortuis* dicitur hoc ſenſu, quia per mortem & reſurrectionem ex ſtatu mortis confirmatus eſt & conſummatus tanquam Sacerdos. Non enim eſſe verus Sacerdos poterat, niſi ſe ipſum Patri obtuliſſet in ſacrificium per ſpiritum æternum. Heb. IX. 14. & cum ſanguine ſuo ex mortuis vivens intraſſet in Sanctum ſanctorum, ut æternam nobis expiationem applicaret. Heb. IX. 12.

VI. 3. *Primogeniti* quoque *Sancti & Deo conſecrati* erant. Unde Exod. XIII. 1. קדש לי בכור *Conſecra mihi omne primogenitum*, לי הוא *meum eſt.* Duplici autem ſenſu hæc phraſis intelligi poteſt; *tum* quod Deo devovendi eſſent in mortem, ut ex Lev. XXVII. 28. probat Cel. VITRING. *Obſ. S. Lib. II. cap. 2.* atque ita חרם erant Deo, nam æque morte digni cenſebantur, quam primogeniti Ægyptiorum, quare redimendi erant λύτρῳ quodam Exod. XIII. 13. ne inſtar pecudum primogenitarum Deo in ſacrificium offerentur. Huc alluditur 1 Pet. I. 18. *non auro nec argento redemti, ſed pretioſo ſanguine Chriſti. Tum* quoque ſacri Deo erant, quia Deo in ſervitium tradebantur & ſacris operabantur in miniſterio Dei, uti dein Levitæ & Sacerdotes קדושים Sancti vocabantur. Conf. de conſecratione primogenitorum Exod. XIII. 2. 12. XXII. 29. XXXIV. 19. Lev. XXVII. 26. Num. III. 13. VIII. 17. Deut. XV. 19.

Et hoc ſenſu Chriſtus dicitur primogenitus, utpote qui Deo Patri ſacer erat & conſecratus. Qua Mediator noſter ἀνάθημα ſeu κατάρα factus eſt Gal. II. 13. Deo in ſacrificium piaculare devotus in conſilio æterno, Jeſ. LIII. 10. quare & per ſpiritum æternum ſe Patri obtulit Heb. IX. 14. Pſ. XL. 7. 8. & loco noſtri morti ſe ſubjicit, ut nos a mor-

te

te liberaret æterna. Ipſe quoque conſecratus eſt in miniſterium Dei tanquam primogenitus, quando inaugurabatur per baptiſmum Matth. III. 17. & per glorificationem in monte Matth. XVII. 5. In hoc miniſterio ſacro accendebatur zelo domus Jehovæ, quo conſumtus eſt. Pſ. LXIX. 10. Joh. II. 17. Unde & Joh. XVII. 4. dicit: *Glorificavi Te in terra, & conſummavi opus, quod mihi dederas.* Inventus eſt in templo, aſſerens, ſe in iis, quæ Patris ipſius ſint, eſſe debere Luc. II. 49. Quare & a die baptiſmi, quo initiatus eſt muneri ſacro, totum ſe Patris miniſterio mancipavit Pſ. XL. 7. dicens introducitur: *Ecce venio, in volumine libri ſcriptum eſt de me. Delicias capio in eo, quod voluntatem tuam faciam, & lex tua eſt in viſceribus meis.* Recte iterum Primogenitus ex *mortuis*, quia per mortem ἀνάθημα eſt factus Gal. III. 13. ut reliquos, qui in morte jacebant, redimeret ſuo ſanguine 1 Pet. I. 18.

VII. 4. Primogeniti quoque *ſanctificabant reliquos fratres*, eosque quaſi in vita conſervabant. Cum enim Jehova populum ſuum ex ferrea Ægypti fornace & Pharaonis tyrannide eſſet liberaturus, primogenitos Ægyptiorum omnes per angelum trucidaverat, omnes vero Iſraelitarum primogenitos per ſanguinem agni mactati paſchalis in vita conſervabat; quos æque morte dignos, ſibi ſacros eſſe jubebat; hac ratione dum primogeniti Deo conſecrati redimebantur a morte per λυτρὸν quoddam a Deo injunctum, reliqui fratres ſimul per hos redemti cenſebantur ac a morte liberabantur. Recte ergo Apoſtolus de Chriſto affirmat *Heb. II. 11.* ὅ τε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες. Δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἐπαισχύνεται ἀδελφοὺς αὐτοὺς καλεῖν. Ubi prætermiſſis aliorum opinionibus, qui per hunc *unum* Adamum vel Abrahamum, vel Deum Patrem intelligunt, aſſero Chriſtum heic reſpici & alludi ad *primogenitos* Iſraelitarum, per quos reliqui fratres ex eadem matre progeniti ſanctificabantur. Uti enim per trucidationem primogenitorum Ægyptiorum omnes reliqui Ægypti morte digni declarabantur, ita per conſervationem & conſecrationem primogenitorum Iſraelis, omnes reliqui Iſraelitæ Deo ſacri reputabantur. Alludi vero ad primogenitos vel inde liquet, quia addit Apoſtolus: *quare non erubeſcit nos FRATRES vocare*, ille ſcilicet, qui primogenitus eſt inter multos fratres Rom. VIII. 29. *Sanctificat* ergo & conſervat Chriſtus fratres ſuos,

quia

quia ſe ipſum Deo *ἀνάθημα* offerens, reliquos λύτρῳ ſuo redimit, & morte ſua a morte liberat; unde Primogenitus *ex mortuis* denuo dici commode poteſt. Conf. Joh. V. 24. 1 Joh. III. 14. & conſummatus factus eſt fratribus ſuis auctor & cauſa ſalutis æternæ. Heb. V. 8. in ipſo eſt redemtio Col. I. 14. per mortem abolevit illum, qui poteſtatem mortis habebat. Heb. II. 14.

VIII. 5. Denique Primogenitis *duplex hæreditatis portio* competebat, quia illi fulcrum & decus familiæ conſiderabantur. *Deut. XXI. 17.* כיאת הבכור בן השנואה יכיר לתת לו פי שנים בכל אשר ימצא לו כי הוא ראשית אנו לו משפט הבכרה *Sed eum, qui primogenitus eſt, filium exoſæ agnoſcito, dando ei portionem duplicem ex omnibus quæ poſſidet, nam is eſt principium roboris ejus, ipſi eſt jus primogenituræ.* Ubi ABEN-ESRA commentatur, אם היו שלשה שיחשבו שהם ארבעה ויקח שני חלקים ואם שנים בנים יחשבו שלשה *Si tres fuerint fratres, reputantur ut quatuor, & capiet ille duas partes. Si bini ſint fratres, putentur ut tres.* Conf. & MAIMONID. in ה״ נחלות cap. XI. SELDEN. *de ſucceſſ. in bona defunct. cap. 6.* BONFRER. *ad Exod. XIII.* S. REYHER. *in diſſ. de jure primogenit. cap. 2.* TALMUD. בכורות cap. 8. OTTON. *Lex. Rabb. V. Primogenit.* & J. F. BUDDEI *diſſ. de ſucceſſion. Primogenit. Hal. 1695.* Quare & benedictiones Parentum præcipue in primogenitos effundebantur ac pronuntiabantur, uti ex hiſtoria Jacobi & Eſavi a Patre benedictorum liquet Gen. XXVII. 1. 19.

Et Primogenitus noſter unctus eſt *oleo lætitiæ* & bonis Cœleſtibus *præ conſortibus ſuis.* Pſ. XLV. 8. i. e. majori menſura ſpiritus accumulatus. Hæres eſt conſtitutus omnium Heb. I. 2. conf. Luc. XXII. 29. pulcra ipſi hæreditas & quidem duplex Judæorum & Gentium contigit Pſ. II. 8. Benedictus eſt Patris, in quo & per quem & nos fratres ipſius variis bonis cœleſtibus & ſpiritualibus benedicimur Eph. I. 3. Accepit ille dona largiſſima, diſtribuenda hominibus Pſ. LXVIII. 19. conf. Jeſ. LV. 1. Matth. XI. 28. 29. Prov. VIII. 18. 21. Joh. I. 16. Sumus nos ejus cohæredes Rom. VIII. 17. ſed ipſe eſt hæres primarius tanquam primogenitus, hæres omnium Heb. I. 2.

IX. Et ſane hanc emphaſin in nomine hoc Primogeniti ex mor-

tuis latere, docet nexus loci utriusque. Primo quidem ex loci *Col. I. 18.* nexu id demonſtrari facile poteſt. De *dominatu* & *principatu* ipſius tanquam primogeniti agitur v. 16. *quia omnia per ipſum condita, ſive throni, ſive principatus, ſive poteſtates, omnia per ipſum & ad ipſum creata.* Eſt ille ante omnia, & omnia per eum ſubſiſtunt v. 17. imo caput eſt corporis i. e. Eccleſiæ. v. 18. ubi & ἀρχὴ dicitur, convenienter Hebr. ראשית, quo nomine Meſſiam inſigniunt Judæi. *Sacerdotium* ejus qua primogeniti reſpicitur v. 20. *ut pace per ſanguinem crucis ejus facta per eum omnia ſibi reconciliaret*, utpote qua Sacerdos ſe ipſum obtulit pro fratribus. Quod tanquam primogenitus reliquos etiam *ſanctificaverit*, docetur. v. 22. ut *vos ſiſteret ſanctos & inculpatos & irreprehenſos coram facie ſua.* Et denique *portionem duplicem* hæreditatis paternæ, tanquam primogeniti exprimit v. 19. *Quoniam placuit ita Patri, ut omnis in eo plenitudo habitaret.* conf. Joh. I. 16.

Et ſi locum Apoc. I. 5. inſpicias, primogenitus ex mortuis præcipue dicitur, tanquam *Sacerdos.* Quando *fidus ille teſtis* dicitur, conſideratur ut Propheta, *Princeps Regum* terræ, qua Rex dicitur, ergo *primogenitus ex mortuis*, ſacerdotium ejus reſpicit. Qui *dilexit nos*, additur, ſc. tanquam fratres ſuos, & *lavit nos* a peccatis, i. e. ſanctificavit, & expiavit, ut a morte liberaremur.

X. Si ergo Chriſtus eſt Primogenitus e mortuis, o utinam & mihi primogenitus eſſet frater! Certe anima! fruſtra gloriaberis de hoc privilegio, niſi per regenerationem Dei facta ſis proles & creatura nova. Quamdiu in ſtatu naturæ hæres, tamdiu Satanas Tibi eſt primogenitus, & ira Dei tibi incumbit, ita ut ſis anathema, æternæ morti devotum. Agnoſce ergo & vera fide ſuſcipe hunc primogenitum tanquam *principem*, abnega omnia φιλαυτίας, carnis & Satanæ dictamina, ſolique imperio hujus principis voluntatem tuam ſubjice, ille tibi caput, ille tibi dominus eſto. Agnoſce hunc *Sacerdotem*, ipſi cor tuum expiandum trade, in ipſius vulneribus & morte tanquam primogeniti, ſalutem animæ quære æternam. Ille Deo eſt *conſecratus* ut ἀνάθημα, ut a te maledictionem ſuo λύτρῳ tolleret & declinaret, ergo ipſi te conſecra, dica, corpus & animam ipſi mancipa & miniſterio ſacro imbue. Sic per hunc primogenitum quoque *ſanctificaberis*, per ejus redemtionem ab æterna

morte

morte redimeris. Ille, qui eſt *hæres omnium* a Patre conſtitutus tanquam πρωτότοκος & μονογενὴς, te denuo hæredem conſtituit Luc. XXII. 29. ſic hæres Chriſti, imo ipſius cohæres exiſtes. Rom. VIII. 17. Sic benedictionibus accumulaberis cœleſtibus imo ſupracœleſtibus Eph. I. 3. Sic tandem aliquando ad primogenitum tuum fratrem in domicilium patris pervenies, ibique æternum lætaberis, & hæreditate illa cœleſti frueris in ſecula.

EXERCITATIO III.

DE

Α ET Ω NOMINE CHRISTI MYSTICO.

APOC. I. v. 8.

ARGUMENTUM.

§. I. Literas Α *&* Ω *myſticas eſſe docetur, præcipue in denominatione Chriſti. §. II. Variæ Virorum Doctorum ſententiæ recenſentur & refutantur. Sc. Kromaieri. §. III. Tertulliani. §. IV. Cel. Cocceji. §. V. Aliorum, qui ſtatuunt idem eſſe cum phraſi primus & ultimus. §. VI. Illorum, qui creationem & conſervationem omnium innui his literis contendunt. §. VII. Eorum, qui* æternitatem *denotari cenſent. §. VIII. Noſtra ſententia proponitur & confirmatur, nimirum reſpici his literis ad Scripturam Sacram, cujus α & ω i. e. totum argumentum eſt Chriſtus. §. IX. Specialius docetur, quomodo Chriſtus ſit α i. e. principium V. & N. T. & ſimul ω i. e. finis utriusque. §. X. & XI. Porro ex omnibus V. & N. T. libris demonſtratur, Chriſtum eſſe α & ω i. e. totum argumentum Scripturæ. §. XII. Epilogus practicus additur.*

I.

DIfficillima ſane phraſis eſt, quam Salvator de ſe adhibet, quando ait: Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω. *Ego ſum Alpha & Omega.* Apoc. I. 8.

v. 11. XXI. 6. XXII. 13. Nomen hoc eſt plane ſingulare & non niſi in Apocalypſi occurrit, eſtque tale, quod nec angelo nec homini competit, ſed ſoli Deo. Qui eſt A. initium primum & principium, a quo omne, quod eſt & exiſtit eſſe ſuum primum accepit & porro eſſe habet, & ω ad quem omnia tendunt. Sed cum variæ in hoc nomine Chriſti explicando Virorum doctorum ſint ſententiæ, eas paulo curatius inſpiciamus, & quam inde ſeligendam eſſe exiſtimemus, paulo fuſius demonſtremus.

II. HIERON. KROMAYER *in Comm. h. l.* aſſerit, *Sirum* has vocas reddere per אורא ותמא *Urim & Thummim*, quia ת & א Hebr. & Syrorum in his vocibus contineatur. Verum neſcio, ubi Syrus has literas ita explicet; in codice enim meo Apoc. I. 8. lego ܐܠܦ ܐܦ ܬܘ Ego ſum *Olaph etiam Thav.* & cap. XXI. 6. ܐܠܦ ܘܬܘ *Olaph & Thav.* & Apoc. XXII. 13. Vertit autem Syrus ܐ ܬ convenienter alphabetho Syriaco, cujus prima litera eſt ܐ & ultima ܬ, uti apud Græcos prima eſt α & ultima ω. Solent equidem Hebræi Urim & Thummim denotare literis ת & א ſed heic non de ת & א ſed de α & ω loquitur Spiritus S. Nec video ubi Syrus ita legat.

III. TERTULLIANUS *de Monogam. p. 197.* fundamentum hujus denominationis quærit in reſtauratione omnium, quando dicit: *Cum inveniamus nos ad initium dirigi a Chriſto, qui & duas Græciæ literas ſummam & ultimam ſibi induerit, initii & finis concurrentium in ſe figuras: Uti quemadmodum α & ω usque volvitur, & rurſus ω ad α replicatur, ita & oſtenderet in ſe eſſe & initii decurſum ad finem & finis recurſum ad initium. Ut omnis diſpoſitio in eum deſinat, per quem cœpta eſt, per ſermonem ſc. Dei, qui caro factus eſt, proinde deſinat, quemadmodum & cœpit.* Verum hæc explicatio nimis eſt obſcura, & phraſis obſcura per obſcuram explicationem eo minus intelligitur.

IV. Sunt alii Viri Docti, veluti Cel. noſter COCCEJUS qui de duplici Meſſiæ *ſtatu*, exinanitionis atque exaltationis, explicant has literas. Exiſtimat enim Vir Cel. quod α Græcorum proverbii more notet eum, qui eſt ſummus, & τὸ ω analogice deſignet infimum, & locum *1 Cor. II. 8.*

II. 8. parallelum eſſe aſſerit, quando dicitur; *Dominus gloriæ crucifixus.* Ubi *Dominus gloriæ* eum, qui ſummus eſt, denotet, & quando additur, *eſt crucifixus*, eum ſimul eſſe infimum, innuatur. Conſentiunt alii & adducunt locum MARTIAL. *Lib. V. epigr. 27.*

Quod ALPHA dixi, Codre, pænulatorum.
Te nuper aliqua cum jocarer in charta.

Verum cum heic non de exinanitione, ſed ſumma Chriſti ὑπεροχῇ agatur, uti ex epithetis aliis, & verbis: ὁ ὢν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος, ſponte liquet, non video, quomodo hæc ſignificatio heic apte quadret; cum inſuper literam ω de infimo non uſurpatam legamus.

V. Sunt qui ad duplicem ejus naturam referunt, divinam ſcilicet & humanam, veluti ANDREAS CÆSAR. & PERERIUS ap. SCHOTT. *in adag. S.* ad Apoc. XXII. α ſc. tanquam literam primam, idem eſſe quod *primum*, i. e. ſummum Deum, ω autem idem quod *ultimum* i. e. *hominum* contemtum. Sed quis ſibi parſuadere poſſet literam ω denotare humanam Chriſti naturam, & quis nexus inter hanc literam & humanitatem Chriſti. Et cum hoc ſumma Chriſti ὑπεροχὴ depingatur, humana ejus natura nullatenus reſpici poteſt. Addunt quidem hanc ſententiam defendentes, id quod SCHOTT. l. c. ex AMBROS. *Cord. Lib. II. annal. Hiſp. c. 41.* refert, quod Chriſtiani Veteres, vigente Arianiſmo, ut ſe orthodoxos profiterentur, ſepulchris ſuis incidi curaverint literas Α & Ω ut ſe in Θεάνθρωπον crediditſſe docerent; quod & refert v. SEELEN *in Meditat. S. p. 717.* Verum non inde ſequitur, quod Chriſtiani per literas Α & Ω. Θεάνθρωπον deſignaverint, potuerunt & has literas intellexiſſe, de *Divinitate* Chriſti, quam contra Arianos tuebantur, nullo habito reſpectu ejus humanitatis. Et licet Chriſtiani Veteres ita intellexiſſent, non ſequitur, quod id per Spiritum S. & hoc loco indigitetur. Et cum *divinitas* Chriſti per phraſin ὁ ὢν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος exprimatur, non veroſimile eſt, quod & per has literas ſimul innuatur.

VI. Alii rem curatius determinaturi Α & Ω de *omnipotentia* Chriſti intelligunt, qui tanquam Α omnia in creatione producit, omnibusque rebus creatis principium dedit, & tanquam Ω omnia perficit, conſummat. Veluti id MULLERIUS & Cl. DRIESSEN. in Comm. h. l. aſſerunt. Ve-

rum quænam ergo emphaſis latebit in phraſi *principium & finis*, cum non facile admitti queat, tres haſce deſcriptiones Archangeli unum idemque ſignificare, ſaltem *principium & finis* dicitur Chriſtus, quia eſt prima cauſa operum tum naturæ tum gratiæ, & ſimul ultimus finis, ad quem omnia tendunt & diriguntur. Ergo alia adhuc ſignificatio lateat oportet in literis his myſticis.

VII. Sunt denique Viri eruditi non pauci, qui *æternitatem* Filii Dei hac phraſi deſignari autument, qui α i. e. *primus* ante omnia & ω i. e. *ultimus* poſt omnia eſſet, adeoque ſine initio & fine, i. e. æternus exiſteret. Ita cenſet Cl. DRUS. *in prov. Claſſ. I. L. III. c. 26.* SCHOTT. *adag. S. in h. l.* GRELLOT. *prodrom. Apoc. ad h. l.* GUALTPERIUS *in Bibl. Crit.* & GROTIUS, nec non SAL. GLASS. *Philol. S. Lib. V. tr. I. c.* 7. aliique recentiores. Sed cum phraſis, *primus & ultimus* æternitatem nobis commode ob oculos ponat, & phraſis hæc cum literis his Apoc. XXII. 13. conjungatur, unum idemque ſignificare non poſſunt, niſi ταυτολογίαν minime neceſſarium admittas.

VIII. Nihil ergo ſupereſt, niſi ut cum Viris aliis Doctiſſimis ſtatuamus reſpici hac phraſi ad *Scripturam* Sacram, cujus α & ω initium ac finis, imo totum argumentum eſt Salvator noſter. Quæ eſt ſententia Cel. LAMPII *in fœd. grat. T. II. Cap. III. §. 5.* CLUVER. *in Apoc.* ut & Cl. GRÆNEWEGEN *Comm. h. l.* Hanc vero præ cœteris eligimus ſententiam (a) quia hac ratione hæc phraſis τȣ̃ Α καὶ Ω commode diſtingui poteſt a reliquis ſc. quando dicitur ſimul *primus & ultimus*, *principium & finis*, atque ita quælibet enunciatio commodum atque peculiarem ſenſum exhibet, omnisque evitari ταυτολογία poteſt. (b) Quia phraſis hæc non eſt inſolita Judæis, qui literis ת & א primam & ultimam alphabethi ſui, pro toto legis complexu uſurpant, veluti ex R. Jona in קרבן תמיד demonſtrat LUD. CAPELL. *in h. l.* (c) Natura rei idem confirmat, nam quia Α & Ω eſt prima & ultima litera Alphabethi Græci, non ſolum heic ad ſcripta reſpici docemur, ſed & α usque ad ω omnes ſimul literas includit reliquas, adeoque totam ſcripturam quaſi involvit. Α & Ω ſcripturæ ergo non ſolum is dici poteſt, de quo in initio & fine agitur, ſed & de quo totum ſcripturæ argumentum agit. Adeoque hæc phraſis eſt parallela enunciationi, quæ legitur

Apoc.

Apoc. XIX. 10. quando dicitur: *Teſtimonium Jeſu eſſe Spiritum & nucleum omnium prophetiarum.* Et Joh. I. 45. *Invenimus eum, de quo Moſes & Prophetæ ſcripſerunt.* Act. X. 43. *de quo omnes teſtantur Prophetæ.* Conf. 1 Pet. I. 10. 11. Pſ. XL. 7. *in volumine libri de me ſcriptum eſt.* (d) Hoc quoque innuebant *Conſtantinus* reliquique Imperatores Chriſtiani per numos, quos cum Α & Ω inſculpi curabant, quos recenſet & exhibet CHOUL. *relig. des Anc. Rom. p. m. 187.* cum epigraphe SALUS DD. NN. AUGG. LUCET. quibus literis fidem ſuam in Mediatorem verum, de quo Prophetæ & Apoſtoli teſtati ſunt, declarabant. Vid. Numum expreſſum in Tab. noſtr. præfixa n. 11.

IX. Eſt ergo ἌΛΦΑ i. e. principium ac initium, Scripturæ Sacræ tum V. tum N. T. Primum eſt initium V. T. Ita enim Gen. I. 1. dicitur בראשית ברא אלוהים את השמים ואת הארץ *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Ubi hic אלוהים non ſolum eſt Filius Dei Joh. I. 3. ſed & Judæi ipſi per ראשית ipſum Meſſiam intelligunt, quo nomine eum inſignire ſolent, & convenit vox *αρχὴ*, quod idem eſt cum ראשית uti Chriſtus Col. I. 18. *ἀρχὴ πάσης κτίσεως* dicitur. Eſt quoque principum N. T. *Matthæus* enim Cap. I. 1. incipit: Βίβλος *γενέσεως* ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΩΥ *ὑιȣ͂ Δαβίδ. Hic eſt liber nativitatis JESU CHRISTI, filii Davidis.* Eſt ſimul ΩΜΕΓΑ utriusque codicis ſacri. V. T. quidem, *Malachias* enim Cap. IV. 2-6. prophetiam ſuam obſignat vaticinio de die illo illuſtri, in quo SOL JUSTITIÆ, i. e. Meſſias erat oriturus ad illuminandum ſuum populum & comburendos rebelles Majeſtatis ſuæ hoſtes. *Ω μέγα* quoque & finis *τȣ͂* N. T. eſt, uti ex clauſula & epilogo totius N. T. imo Codicis ſacri integri Apoc. XXII. 20. 21. apparet: *Λέγει ὁ μαρτυρῶν ταῦτα. Ναὶ ἔρχομαι ταχύ. Ἀμήν. Ναὶ ἔρχȣ* ΚΥΡΙΕ ΙΗΣΟΥ. Ἡ *χάρις τȣ͂* ΚΥΡΙΟΥ *ἡμῶν* ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ *μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν.*

X. Eſt quoque *α* & *ω* in complexu i. e. totum argumentum ſcripturarum V. & N. T. imo nucleus & ſpiritus omnis prophetiæ. Omnes enim Prophetæ a Moſe ad Malachiam de eo vaticinia protulerunt, omnes quoque Apoſtoli, eorumque ſcripta, a Matth. Evang. ad Apocal. Johannis de eodem teſtantur. Argumentum ergo eſt totius prophetiæ *Veteris Teſtamenti.*

(1) MOSES, Propheta ille magnus varia de Meſſia & mediatore Eccle-

Eccleſiæ teſtimonia exhibet, varia vaticinia protulit. *Gen. III. 15.* de eo tanquam *ſemine mulieris* loquitur, quod Serpentis caput erat contriturum. *Gen. IV. 1.* exhibet teſtimonium fidei *Evæ*, quæ de eo ceu איש את יהוה *Viro, qui eſt Jehova* loquitur per fidem. Gen. V. 29. *Lamechi*, qui eum מנחם *conſolatorem*, qui ipſos conſulaturus ſit ob omnes hujus vitæ ærumnas, deſcribit. *Gen. XXII. 18.* Coll. Gal. III. 16. proponit eum tanquam *ſemen Abrahæ*, in quo omnes Gentes erant benedicendæ. *Gen. XLIX. 12. Schiloh*, nobilem principem, ſeu pacificum, cui Gentes adhærebant. *Exod. XII. paſcha* mactatum, cujus ſanguine Iſraelitæ a Vindice mortis Angelo liberabantur. Exod. XVII. *petram* in deſerto baculo Moſis percuſſam, quæ aquis ſuis Iſraelem recreabat in itinere coll. 1 Cor. X. 4. *Num. XXIV. 17. 18.* tanquam *Stellam illam ex Jacobo orituram, & ſceptrum ex Juda*, quo filios Moabi erat contriturus. DEUT. XVIII. 18. *Magnum illum Prophetam* deſcribit, quem Deus erat ſuſcitaturus. Deut. XXXII. 15. *Petram* ſalutis a Judæis rejiciendam.

(II) Si porro conſulimus *Prophetas*, ut Judæis vocari ſolent, *priores*, iidem de eo teſtantur. *Joſua* ipſe Iſraelem in Canaanem deducens nomine & facto inſignis Meſſiæ typus fuit. Conf. Heb. IV. 8. 9. 10. Ita 1 SAM. II. 10. tanquam *Rex & Unctus* Jehovæ imo ut Judex proponitur. 2 SAM. VII. 12. 13. promittitur tanquam *ſemen* illud *Davidis*, cujus regnum erat confirmandum, & cujus thronus erat ſtabiliendus in æternum. Conf. 1 Par. XVII. 13. XXVIII. 2. Ille eſt נצר האדם *Cuſtos hominum*, de quo JOB. VII. 22. Eſt גואל *Goel* ille, quem virum ſibi ob oculos ponit idem Job. c. XIX. 35. Eſt *Angelus ille* מליץ ſeu *Interpres* conſilii æterni, qui animam a fovea liberat. Job. XXXIII. 14. In ſpecie *α* & *ω Pſalmorum* codicis eſt. PSALM. II. 6. dicitur *Rex unctus* ſuper Zion. Pſ. VIII. 6. *Filius hominis*, qui minor factus eſt angelis, ſed dein gloria & decore coronatus. Pſ. XXIV. 7. *Rex gloriæ*, cui portæ aperiundæ. Pſ. XL. 7. *Servus* Dei fidelis, cui *aures perforatæ* ſunt. Pſ. XLV. 7. *pulcerrimus* inter omnes filios hominis. Pſ. CX. 1. *Sacerdos* ſecundum ordinem Melchiſedeci æternus. Pſ. CXXXII. 16. *Cornu Salutis* & Lucerna uncti Dei dicitur. Eſt quoque *Summa Sapientia*, quam Deus poſſedit ab æterno, ante terræ fundamenta poſita PROV. VIII. 21-23. Eſt *Sponſus* ille cœleſtis, cujus qualitates miræ, decus & majeſtas admiranda in toto Cantico depingitur, præcipue *Cant. V. 10-16.* (III)

(III) Transeamus ad *Prophetas*, ut vocantur, *poſteriores.* JESAIAS deſcribit Meſſiam tanquam *puerum* nobis datum, & *filium* nobis natum, in cujus humeris eſt dominium Cap. IX. 6. 7. qui naſcendus erat ex *virgine* gravida Cap. VII. 14. Hoc eſt, *virga illa* ex *trunco Iſai* progerminatura. Cap. XI. 1. quæ *vexillum* erat conſtituenda, ad quod concurrerent Gentes Cap. XI. 10. Eſt *gloria Jehovæ*, typus τῆς שכינה Jeſ. XL. 5. Paſſiones ejus tanquam Mediatoris pro peccatis noſtris latius deſcriptas videbis Cap. LIII. tot. JEREMIAS deſcribit eundem tanquam יהוה צדקנו *Jehovah*, qui eſt *juſtitia noſtra.* Cap. XXIII. 6. & tanquam צמח דויד *Germen Davidis* & juſtitiæ. Porro ut *Dominatorem*, qui cor ſuum erat oppigneraturus, proponit eum Cap. XXX. 21. EZECHIEL Cap. XVII. 22. loquitur de eo, tanquam *Surculo Cedri* in alto Iſraelis monte plantato. Cap. XXXIV. 23. de *Paſtore unico* & *Duce* populi Dei. HOSEAS deſcribit eundem Cap. III. 4. 5. *David Regem*, quem Judæi converſi erant inquiſituri. Cap. XIII. 14. Victorem, qui *morti mors* & *inferno peſtis* futurus erat. Conf. C. XIV. 5. JOEL Cap. II. 23. vocat eum Doctorem juſtitiæ, in quo exultatum erat Zion. Cap. II. 32. Salutem in monte Zion orituram pronuntiat. AMOS Cap. IX. 11. prædicit per hunc Meſſiam Davidis tabernaculum collapſum eſſe reſtaurandum. OBADIAS v. 17 teſtatur, quod in monte Zion futura eſſet *Salus*, & ſanctus poſſeſſurus ſit hæreditario jure Domus Jacobi. JONAS Cap. II. 1-11. in piſcis ventre tres dies degens & tertio die ejectus, egregie ſuo typo Servatorem noſtrum depinxit, teſte Chriſto ipſe Matth. XII. 40. MICHAS Cap. II. 13. tanquam *Regem & Ducem* Iſraelis delineat, & Cap. IV. 14. *Judicem* Iſraelis, alapa percutiendum. Cap. V. 2. *Ducem* ex Bethlehem oriundum. HABACUC Cap. II. 3. exhibet *præconem*, qui veniendo erat venturus. Cap. III. 13. 15. *Unctum illum*, qui & Deus ſalutis eſt. ZEPHANIAS teſtatur Cap. III. 9. 10. 13. quod futurus ſit *Rex*, in cujus nomine invocabunt Gentes, & cui *ſerviant unitis humeris.* HAGGÆUS Cap. II. 7. deſcribit eum חמדת כל הגוים *Deſiderium omnium gentium.* Et v. 9. 10. כבוד יהוה *gloriam Jehovæ*, quæ domum Dei erat impletura. ZACHARIAS Cap. III. 8. vocat eum *Servum Dei Zemach*, qui venturus erat. v. 9. *Lapidem* coram facie Joſuæ poſitum, in quo 7. oculi. Cap. VI. 12. *Virum Zemach*, ſub quo

 ruti-

rutilabit, & qui templum Domini ædificaturus, & in throno ceu Regius Sacerdos erat dominaturus. Cap. IX. 9. *Regem Zionis*, quem cum lætitiæ ſignis excipiet Zion. v. 11. qui *ſanguine fœderis* captivos erat liberaturus. Cap. XIII. 11. *Paſtorem & Virum Deo proximum*, gladio percutiendum. MALACHIAS denique Cap. III. 2. de *Angelo fœderis* venturo, & Cap. IV. 2. de *Sole juſtitiæ* orituro, vaticinatur, qui eſt Meſſias.

XI. Quemadmodum hac ratione commode α & ω V. T. dici poteſt Archangelus, ita & totum argumentum, α & ω N. T. Codicis eſt. Quodnam eſt Argumentum IV. Evangeliſtarum *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ* atque *Johannis*, nonne ortus atque nativitas, vita privata atque publica, paſſiones denique multiplices atque mors violenta ſed beata Salvatoris noſtri? *Acta Apoſtolorum* non niſi annales ſunt eorum, quæ per Apoſtolos Chriſti, in cauſa Mediatoris tuenda, facta ſunt, & qua ratione teſtimonium de Jeſu Mediatore inter Judæos & Gentes fuerit propagatum. De quo teſtantur ſcripta & *Epiſtolæ*, *Pauli*, *Petri & Johannis*? nonne de ſalute per Chriſtum requiſita & per Spiritum ejus applicanda? Eph. II. 20. Et quid dicamus de obſignaculo N. T. *Apocalypſi*, nonne α & ω principium & finis, imo totum argumentum eſt teſtimonium Jeſu Domini noſtri, quod eſt Spiritus totius prophetiæ.

XII. En ergo illum, qui eſt α & ω de quo omnes teſtati ſunt Prophetæ, de quo loquuntur uno ore Apoſtoli. In nullo ergo eſt ſalus, niſi in hoc! Proh tempora noſtra! ubi hoc ſalutis fundamentum negligitur, quam paucos hodie reperies Scriptorum propheticorum ſcrutatores, & α & ω inde agnoſcant Jeſum noſtrum Nazarenum. O utinam Judæis talpa cœcioribus velum Moſis tolleretur ab oculis, ne in litera & umbra hærentes cœcutiant amplius, quam Lux illa mundi, Sol juſtitiæ ortus ſit, qui eſt α & ω, de quo omnes vaticinati ſunt Prophetæ, ad quem omnes tendunt typi & ſacrificia. Væ illis inter Chriſti nomen ore pronunciantes, quibus codex Prophetarum liber eſt obſignatus, qui clavem cognitionis habent & illam negligunt; qui in ſcientiis curioſis & mundanis, quibus honor ac divitiæ acquiri poſſunt, ſatis proficiunt, iisque inhiant, ſed veritates ſalutares cum ſacro quodam faſtidio reſpuunt. Væ illis, qui α & ω Prophetarum, fontem ſalutis negligunt, & ciſternas perforatas ſitiunt Jer. II. 13, carnis concupiſcentias & mundi delicias præferunt

ferunt fluvio vitæ cryſtallino. Reſipiſce ergo o Judæe, intuere noſtrum Jeſum, excute ſcripta & teſtimonia Prophetarum, omnia Meſſiæ criteria in Jeſu noſtro Nazareno deprehendes. Huic ergo ſubſcribes vera fide, quod ſit *α* & *ω*. Reſipiſce tu, qui a Chriſto nomen falſo geris, cum ſis convictus illum eſſe Mediatorem, de quo omnes teſtati ſunt Prophetæ, rejice ergo omnia vana ſalutis tuæ fulcra, abnega omnes carnis ac mundi delicias, in hoc ſalutis fonte unico omnia quære, omnia invenies. Excute volumina Prophetarum, & in fide perpetuo confirmaberis. Huic Α & Ω totum cor trade; & ille Tibi erit Α & Ω omnes promiſſiones de ſalute tua æterna adimplebit curatiſſime, in illo erunt omnes *ναὶ* *καὶ* *ἀμήν*.

EXERCITATIO IV.

DE

LACRYMIS ABSTERGENDIS AB OCULIS ELECTORUM.

APOC. VII. v. 17.

ARGUMENTUM.

§. I. Loci, ubi de lacrymis abſtergendis mentio occurrit, exhibentur. §. II. Unde alluſio hujus phraſis deſumta ſit inquiritur. §. III. Emblema Lacrymarum *excutitur. Ubi docetur Lacrymas eſſe ſymbolum luctus atque triſtitiæ. §. IV. Curarum atque angoris interni. §. V. Miſeriarum & calamitatum hujus vitæ. §. VI. Perſecutionum graviorumque Dei judiciorum. §. VII. Commiſerationis erga alios. §. VIII. Reſipiſcentiæ atque converſionis. §. IX. Suſpiriorum atque precum ardentiſſimarum. §. X. Denique deſiderii atque amoris indicium eſſe ſolent atque ſymbolum. §. XI. Ejusmodi lacrymas quoque commode tribui Eccleſiæ illius temporis, quod heic reſpicit Vates ſacer, docetur. §. XII. Quomodo Deus has lacrymas* abſtergat, *explicatur. §. XIII. Praxis denique adjicitur.*

I.

DUlciſſima ſunt verba, quæ in Eccleſiæ militantis ſolatium pronuntiat unus ex Senioribus APOC. VII. 17. Ἐξαλείψει ὁ Θεὸς πᾶν ΔΑΚΡΥΟΝ ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. *Et ABSTERGET Deus LACRYMAS omnes ab oculis ipſorum.* Eandem phraſin deprehendimus Apoc. XXI. 4. Deſumta eſt ex vaticinio Jeſ. XXV. 8. ומחה ארוני יהוה רמעה מעל כל־פנים *Et delebit Dominus Jehovah lacrymas ab omni facie.* Locum vero Apoc. VII. 17. deſcribere nobis ſtatum Eccleſiæ militantis in hac terra, & præprimis ſtatum Eccleſiæ ultimi temporis felicem poſt exantlatas graviſſimas Antichriſti perſecutiones, & poſt converſionem Judæorum ac Gentium ultimam, jam ſupponimus, nec hujus loci eſt, ut demonſtremus. Eccleſia enim hoc Capite in 2 cohortes diſtinguitur, primo quidem memorantur 144 millia obſignatorum ex tribubus Iſraelis, per quos Judæos ultimo tempore convertendos intelligimus. v. 1-8. Dein ingentem catervam obſervat Vates, ex omnibus Gentibus & linguis ac nationibus collectam, per quam convertendam Gentium plenitudinem commode deſignari cenſemus. v. 9. -- fin. Promiſſiones huic catervæ datas ita conſideramus, ut earum implementum partim in fine N. T. partim in æternitate quærendum exiſtimemus.

II. Quorſum vero alludatur, quando Deus heic promittit, quod *Lacrymas ſit abſterſurus*, porro inquirendum eſt. Sunt qui alludi autumant ad tenerrimum *Matris* affectum, utpote quæ ſobolem plorantem gremio ſuo excipit, ac uberibus ſuis recreat, & dum lacrymas ejus abſtergit, dulci ſolamine reficit. Quæ obſervatio ſatis eſt elegans, & convenit huic locus egregius Jeſ. XLIX. 15. *An oblíviſci poteſt mulier ſobolis ſuæ, ut non miſereatur filii uteri ſui, licet & hæc illius oblíviſci queat, tamen tui ego non obliviſcar.* Nec non Cap. LXVI. 12. 13. *Ad latus geſtabimini, & ſuper genua delitias capietis; Veluti ille, quem conſolatur Mater ſua.* Verum quum Jeſ. XXV. 8. & Apoc. XXI. 4. ubi eadem phraſis occurrit, addatur huic promiſſioni alia de *morte abolendâ*, commode magis phraſin explicabimus, ſi alludi cenſeamus ad moribundos, atque *mortuos*, qui mortis acerbum ſæpe aculeum ſentientes inter ſuſpiria & lacrymas largas ſpiritum emittunt, & poſt mortem apud Vete-

res

res olim non ſolum abluebantur, ſed & *oculi* ab amicis familiaribus & cognatis *abſterſi claudebantur.* Huc refer LUCAN. *Lib. III. Pharſal.*

- - - tacito tantum petit oſcula vultu,
Invitatque Patris claudenda ad lumina dextram.

VIRGIL. *Lib. IX. Æneid.*

- - - Nec te tua funera Mater
Produxi, preſſiore oculos.

Et OVID. *Lib. III. amor. eleg. 9.*

Hic certe manibus fugientes preſſit ocellos
Mater, & in cineres ultima dona dedit.

III. Videamus ergo, quid *lacrymarum* emblema involvat, & dein quomodo hæ lacrymæ omnes ſint *abſtergendæ.* *Lacrymæ* in ſcriptis ſacris ſimul & profanis emblema ſunt

1. *Luctus* atque *triſtitiæ*, quare in *funeribus* quam plurimum effundi ſolebant. Ita Rahel deplorabat liberos ſuos Jer. XXXI. 15. Et Ezech. XXIV. 16. *dicit Jehova : Fili hominum, auferam delicias oculorum tuorum, ſed nec planges, nec flebis, nec prodibunt lacrymæ tuæ.* Conf. Deut. XXIV. 8. Jerem. XXII. 10. Lev. X. 6. Unde & lacrymæ atque gaudium ſibi opponuntur. Pſ. XXX. 6. *Veſperi lacrymæ, mane gaudium.* Pſ. CXXVI. 5. *Qui cum lacrymis ſemina projiciunt, cum gaudio metent.* Unde & lacrymæ apud ſcriptores profanos ſymb. ſunt *triſtitiæ.* Ita OVID. *metam. Lib. III. v. 459.*

Cum riſi, arrides, lacrymas quoque ſæpe notavi
Me lacrymante tuas.

Et præcipue Symb. ſunt *luctus* ob mortuos & defunctos amicos. Unde CALLIMACH. *Epigr. II.*

Ἔιπε τὶς Ἡρακλεῖτε τέον μορὸν, ἐς δὲ μὲ δακρὺ
Ἤγαγεν, ἐμνήσθην, δ᾽ ὅσσακις ἀμφότεροι.
Heraclite tuam mihi mortem dixit amicus
Quum ſubito lacrymis immaduere genas.

ENNIUS apud CICER. *in Tuſcul. quæſt. Lib. II.*

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit.

Ita & SOLON apud *Plutarch.*

Μηδέ μοι ἄκλαυςος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
Καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα καὶ ςοναχάς.

Mors mea ne careat lacrymis, linquamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.

IV. 2. Lacrymæ quoque *curas* atque *ſolicitudines animi*, anxietatesque mentis deſignant. Thren. I. 2. *Lacrymatur noctu, & lacrymæ deſcendunt in maxillas ejus, nemine eam conſolante.* Jer. XIII. 17. *Si non auſcultabitis, clanculum flebit anima mea ob faſtum populi, & valde lacrymabitur. Deſcendent ex oculo meo lacrymæ.* Ita Iſrael in anxietate conſtitutus tota nocte impatiens lacrymas fundebat Num. XIV. 1. conf. & 1 Sam. XXX. 4. Eodem ſenſu occurrunt lacrymæ apud ſcriptores profanos. Ita CICERO *Epiſt. Lib. XIV. ep. 3. Accepi ab Ariſtocrato tres epiſtolas, quas ego lacrymis prope delevi. Conficior enim moerore, mea Terentia.* Unde Lacrymæ ψυχοθακεῖς *animam excruciantes* dicuntur in *Epigr. Lib. III.* Hoc ſenſu CALLIMACH. *in Lavacr. Pallad. v. 68.* canit eleganter

ἀλλ᾽ ἔτι καὶ τήναν δάκρυα πόλλ᾽ ἔμενε.
Sed & eam multæ lacrymæ manebant.

Et *hymn. in Cerer. v. 18.*

Μὴ μὴ ταῦτα λέγωμεν, ἃ δάκρυον ἤγαγε Δηοῖ.
Nec iſta dicamus, quæ lacrymas moverunt Cereri.

OVIDIUS *Lib. IV. amor.*

- - - eſt quædam flere voluptas,
Expletur lacrymis egeriturque dolor.

VALER. FLACC. *Argon. Lib. II. v. 161.*

- - - ſic fata, querelas
Abſcidit & curis pavidam lacrymisque reliquit.

V. 3. Lacrymæ inſuper *miſeriarum & infirmitatum* hujus vitæ ſymbolum ſunt, ubi homo non ſolum variis calamitatibus premitur, ſed & variis defectibus laborat, quorum deſiderio angitur. Huc reſpicit Pſaltes XLII. 4. *Sunt mihi lacrymæ meæ cibus nocte dieque.* Pſ. LXXX. 6. *Cibas eos pane lacrymarum & bibendum eis præbes triental de lacrymis.* Pſ. CII. 10. *Cinerem enim comedo inſtar panis, & potum meum miſceo lacrymis.* Ita Hagar fame & ſiti preſſa, cum puero e longinquo ſubſidebat & ſublata voce lacrymas fundebat in anguſtia Gen. XXI. 16.

16. conf. Exod. II. 6. Num. XI. 4. 10. Eleganter hoc ſenſu canit Poeta in ANTHOL. *Lib. I.* ap. CAMERAR. *hor. Subc. C. I. p.* 147.

Δακρυχέων γενόμην, καὶ δακρύσας ἀποθνήσκω,
Δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον εὗρον ὅλον.
Ὦ γένος ἀνθρώπων πολυδάκρυτον, ἀσθενὲς, οἰκτρὸν,
Συρόμενον κατὰ γῆς, καὶ διαλυόμενον.

Lacrymans ſum natus & lacrymans morior,
In lacrymis univerſam comperi vitam.
O genus hominum lacrymoſum, debile, miſerabile,
Tractum in terra ſolutumque.

HORAT. *Lib. III. od.* 7.

Poſt inſana capræ ſidera frigidas
Noctes, non ſine multis
Inſomnis lacrymis egit.

LUCIAN. *Dialog. meretr. p. m.* 742. *T. II. opp.* παῦε ὦ τάλαινα δακρύουσα καὶ ἤν μοι πείθῃ, ἅπαξ ἢ δὶς ἀπόκλειςος ἐλθόντα. *Deſine lacrymas fundere o miſera, & ſi me audies, exclude ſemel atque iterum venientem.*

VI. 4. Lacrymæ quoque graviorum Dei *judiciorum* & *perſecutionum* variorum, quibus opprimitur ſæpe Eccleſia, ſymbolum exhibent, unde in excidiis, bellis, devaſtationibus effundi largiter ſolebant. Hoc ſenſu teſtatur Salomo Eccl. IV. 1. *Ego quum viderem oppreſſos ſub ſole: Ecce erant lacrymæ eorum, qui opprimebantur, & nullus eſt ipſis conſolator.* Et Apoſtolus Act. XX. 19. deſcribit ſe ſervientem Domino cum omni ſubmiſſione animi & *multis lacrymis* ac tentationibus, & 2 Tim. I. 4. ait: Deſiderio te videndi captus ſum, *memor lacrymarum tuarum*, i. e. perſecutionum ob veritatem Evangelii exantlatarum. Ita David a filio perdito fugiens cum lacrymis montem oliveti tranſibat 2 Sam. XV. 30. Judæi ab hoſte jurato Hamane perſecutionibus impetiti Luctui & lacrymis indulgebant Eſth. IV. 3. Quare & in devaſtatione & excidiis lacrymas urbibus & arvis tribuunt Poetæ. Ita CALLIMACH. *hymn. in Del. v.* 177.

Καὶ πέδια Κρισσαῖα καὶ ἠπείροιο πολῆες
Ἀμφιπεριςένονται.

Et arva Criſſæa & continentes civitates
Lamentis circumquaque gemunt.

ÆLIAN.

ÆLIAN. *Var. Hiſt. Lib. XIV. cap. 22. p. m. 745.* τῶν τις οὖν ἀχθόμενος τῇ ἀμηχανίᾳ καὶ δυσφορῶν καὶ τὴν μοναρχίαν καταλῦσαι διψῶν, ἀφίκετο εἰς τὴν ἀγορὰν, εἶτα ἔκλαε σὰς πολλοῖς ἅμα καὶ θολεροῖς τοῖς δακρύοις &c. *Quidam itaque deſolationem illam ægre moleſteque patiens, & cupiditate diſſolvendæ tyrannidis permotus in forum eſt progreſſus, multum ac fervide lacrymatus eſt. Quem circumſiſtit omnis confluens multitudo, in fletum & lacrymas erumpens.* Recte ergo HORAT. *Lib. I. Carm. od. 8.* excidium Trojæ vocat *Lacrymoſa Trojæ funera.* Huc refer quoque eundem *Epod. VI. 15.*

An ſi quis atro dente me petiverit.
Inultus ut flebo puer.

VII. 5 Lacrymæ etiam *commiſerationis* & *affectus* tenerrimi erga miſeros & calamitate preſſos indicium & ſymbolum ſunt. Huc refer Jer. XIV. 17. *Deſtillant ex oculis meis lacrymæ interdiu & noctu, non deſiſtunt, nam virgo filia populi mei contritione magna devaſtatur.* Et Cap. XXXI. 15. *Vox auditur in Rama, lamenta & lacrymæ multæ ac amaræ, Rahel deflet filios.* Jobi amici teſtes oculares miſeriarum, calamitatum ac dolorum ipſius elata voce lacrymas fundebant. Job. II. 12. Ipſe Jobus de ſe teſtatur Cap. XXX. 25. *Lacrymas ego fundebam pro eo cui dura erant tempora, anxia erat anima mea pro egeno.* Conf. Jer. IX. 1. XLVIII. 3. Servator ipſe lacrymas effudit ex commiſeratione, urbem Hieroſolymam brevi devaſtandam conſiderans Luc. XIX. 41. Lacrymas commiſerationis quoque memorat CALLIMACH. *hymn. in Del. v. 121.*

Τὴν δ' ἄρα καὶ Πηνειὸς ἀμείβετο, δάκρυα λείβων &c.
Reſpondit huic Peneus, lacrymas effundens
Dolores tuos non rejicio.

STATIUS *Theb. XI. 247. v.*

Flent moeſti retro comites, & uterque loquenti
Adgemit.

Unde SENECA *Lib. II. de Ira cap. X.* de Heraclito ſemper plorante ait: *Heraclitus quoties prodierat & tantum circa ſe male viventium imo male pereuntium viderat, flebat, miſerebatur omnium.* Conf. ÆLIAN. *Var. Hiſt. Lib. VIII. cap. 13.* Ita HORAT. *de Art. Poet. v. 101.*

Ut

Ut ridentibus adrident, ita flentibus adflent
Humani voltus.

Conf. PLAUT. *Pœnul. V. 2. v. 149.* VALER. FLACC. *Argon. L. IV. v. 197.* aliosque.

VII. 6. Lacrymæ porro animi *pœnitentis* ac *reſipiſcentis* indicium præbent, unde *reſipiſcentiæ* ſymbolum ſunt. Ita Iſrael ob idololatriam & peccata in Baal-Peore commiſſa reus lacrymas reſipiſcentiæ fundebat coram tentorio conventus Num. XXV. 6. Similiter, quum ab Amoritis ob transgreſſiones contra Deum percuſſi eſſent Deut. I. 45. & in valla Bochin elata voce flebant Jud. II. 4. Cum a Benjamitis profligati eſſent, lacrymis fuſis jejunabant & ſacrificia offerebant Deo. Jud. XX. 16. Conf. plura exempla 1 Sam. VII. 2. Eſr. X. 1. tales erant lacrymæ pœnitentis Eſavi Heb. XII. 17. & ſalutaris reſipiſcentiæ lacrymas vide in magna peccatrice Luc. VII. 38. 44. & Apoſtolo Petro Matth. XXVI. 75. Lacrymas *reconciliationis* in exemplo Eſavi & Jacobi deprehendis Gen. XXXIII. 4. Ita & apud Scriptores profanos lacrymæ *reis* tribuuntur. QUINTILIAN. *in Dialog. Tacit. cap. XII. Nemora vero tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerem; quod nec in ſtrepitu, nec ſedente ante oſtium litigatore, nec inter ſordes & lacrymas reorum componuntur.* Huc refer lacrymas Niobes, de quibus PROPERT. Lib. III. el. 8.

Et Niobes lacrymas ſupprimat ipſe lapis.

VALER. FLACC. *Argon. Lib. III. v. 284*

- - - circa lacrymis & mentibus ægri.
Stant Minyæ, deflentque nefas.

Lacrymas *reconciliationis* memorat HERODIAN. *Lib. IV. c. 3.* ταῦτα λέγουσα μετὰ δακρύων καὶ οἰμωγῆς, ἀμφοτέροις δὲ τὰς χεῖρας περιβάλλουσα, καὶ ὑπὸ τὰς ἀγκάλας ἄγουσα, συνάγειν ἐπειρᾶτο. *Hæc locuta multis cum lacrymis & ejulatu, manus ambobus injiciens, complexa utrumque reconciliare inter ſe conabatur.*

IX. 7. Lacrymæ præterea *ſuſpiria, preces* ac *vota* ſupplicia denotant, quia in anxietate mentis vel calamitate magna preces cum lacrymis effundi ſolent. Ita 2 Reg. XX. 5. dicit Jehovah de Hiskia: *Vidi lacrymas tuas* & audivi preces tuas. Clarius Pſ. XXXIX. 13. *Audi preces*

 meas,

meas, Domine & clamores meos, attende ad lacrymas meas; nec ſurdum age, ſum enim peregrinus coram facie tua & inquilinus, ut omnes majores mei. Pſ. VI. 9. audit Jehova *vocem lacrymarum* mearum. Job. XVI. 20. *ad Deum ſtillat oculus meus.* Thren. II. 18. 19. *Deſcendant tanquam torrens lacrymæ tuæ noctu diuque, nec intermittas, ne deſiſtat pupilla oculi tui. Surge, vociferare noctu, in primis vigiliis effunde cor tuum inſtar aquarum coram facie Domini.* Conf. Marc. IX. 24. Heb. V. 7. in quo poſteriori loco de precibus Meſſiæ fervidiſſimis lacrymæ occurrunt. Huc refer loca apud VALER. FLACC. *Argon. Lib. III. v. 601.*

Illam omnes lacrymis mœſtisque repoſcere votis &c.

Et *Lib. IV. v. 11.*

Tum precibus, tum me lacrymis, tum ſupplice dextra
Attentare veto.

HERODIAN. *Lib. I. cap. 16. p. m. 54.* Ἡ μάθουσα τὴν παράλογον οὕτω ϗ ἀπρεπῆ βούλησιν αὐτοῦ, τὰ πρῶτα ἐλιπάρει, ϗ προσπίπτουσα μετὰ δακρύων ἐδεῖτο. *Intellecto mulier tam abſurdo & turpi conſilio orare multis lacrymis ſupplexque ad genua accidere incepit.* Huc pertinet locus, quem *in Cipp. Hebr.* HOTTING. p. 4. legimus: בבכי יבאו ובתחנונים להתפלל ולבקש רחמי עליהם ועל אחיהם שבולה *Accedunt cum lacrymis & deprecationibus, ut petant & exorent miſericordiam pro ſe & fratribus ſuis, qui in exilio morantur.*

X. 8 Lacrymæ denique *deſiderii* atque *amoris* vehementiſſimi ſymbolum eſſe ſolent. Ita Jacob oſculabatur Rahelem, additis lacrymis Gen. XXIX. 11. Ita Joſeph fratres ſuos videns, corde affectu tenerrimo incenſo, lacrymas fundebat Gen. XLII. 24. XLIII. 30. præcipue quum dilectum ſibi fratrem Benjaminum amplecteretur. Cap. XLV. 15. Ita Jonathan & David quoque non ſine largis lacrymis, amoris indiſſolubilis indicio, in amplexus mutuos ruebant 1 Sam. XX. 41. Simili ratione Paulus 2 Cor. II. 4. ait: *Scripſi vobis cum multis lacrymis, non ut triſtitia afficerem vos, ſed ut cognoſceretis ſummum, quem foveo erga vos, amorem.* Huc reſpicit CYRUS THEODOR. *in* Ἀνθολογ.

οὐκ, ἀλλὰ φιλάδελφον ἔκχεω δάκρυ
Non ita, ſed ex fraterno AMORE fundo LACRYMAS.

CICERO *pro Cn. Planc. Orat. 31. An hoc tu Lateranenſis, ignoras, qui cum*

cum mihi eſſes amiciſſimus, cum vel periculum vitæ tuæ mecum ſociare voluiſſes: cum me in illo triſti & acerbo luctu & diſceſſu, non lacrymis ſolum tuis, ſed animo, corpore, copiis perſecutus eſſes. Quare & obſervant quidam, Veteres mortuis agnatis aut amicis lacrymas adpoſuiſſe in ſignum amoris. Quo referunt locum HOMER. *Iliad. ωp. m. 426.*

Ὀςέα λευκὰ λέγοντο κασίγνητοι ἑταροί τε
Μυρόμενοι, θαλερὸν δὲ κατείβετο δάκρυ παρειῶν
Καὶ τά γε χρυσείην ἐς λάρνακα θῆκαν ἑλόντες.
Oſſa alba collegerunt fratres ſociique
Lugentes: teneræ autem diſtillabant lacrymæ per genas
Et in auream urnam poſuerunt ſuſcipientes.

Quo forſan reſpicitur Pſ. LVI. 9. *pone lacrymas meas in utre tuo.* Deus enim lacrymas populi ſui tanquam indicium amoris ipſorum ſuſcipit & quaſi conſervat. Saltem favillas mortuorum amicorum, in ſignum affectus tenerrimi erga eos, lacrymis rigabant. HORAT. *carm. L. II. od. 6.*

- - - ubi tu calentem
Debita ſparges lacryma favillam
Vatis amici.

EURIPID. *in Iphigen. Act. 3. p. 365.*

Τόμβον τε χῶσον κἆ πίθεις μνημεῖα μοι
Καὶ δάκρυ ἀδελφὴ, κ̀ κόμας δότω τάφῳ.
Tumulum mihi exſtrue & adde monumentum mihi
Lacrymis vero ſepulchrum & crine ſpargat ſoror.

Huc pertinet inſcriptio apud ARINGH. *Rom. Subterr. cap. 20.*

TEMPORE ADRIANI IMPERATORIS
MARIUS ADOLESCENS DVX MILITVM
QVI SATIS VIXIT, DVM VITAM PRO
CHRISTO CVM SANGVINE CONSVMSIT,
IN PACE TANDEM QVIEVIT.
BENE MERENTES CVM LACRYMIS
ET METV POSVERVNT.

XI. His ita prælibatis, ultro liquet, quum Senior ille heic ΠΑΝ ΔΑΚΡΥ abſtergendum eſſe aſſerat, omnis generis lacrymas hoc loco indigitari, quas heic Cohorti illi ex Gentium plenitudine converſæ tribuit.

Fuderat hæc turba converſorum ex Gentibus lacrymas *triſtitiæ* atque *mœroris*, videntes ſe hactenus in ſpiſſis ignorantiæ ac idololatriæ tenebris jacuiſſe Jeſ. IX. 1. ſe fuiſſe populum a Deo rejectum, perverſis ſuis concupiſcentiis indulgentem, qui ſtatus ſane erat triſtiſſimus & mœroris plenus. Fuderant lacrymas *curarum* & *angoris conſcientiæ*, quæ eos convincebat de catalogo peccatorum, quæ contra dictamen legis naturæ, cordibus inſcriptæ, coacervaverant Rom. II. 15. unde cogitationibus ſolicitis excruciabantur. Lacrymas fuderant *miſeriarum* hujus vitæ & calamitatum, quas perpeſſi erant tanquam populus Deo infenſus & ſub maledictione divina jacens, abſque ullo ſalutaris gratiæ affulſu, in quam tela judiciorum Dei acuebantur. Lacrymæ *perſecutionum* graviſſimarum eis tribui poterant; venerant enim ex *magna calamitate*, uti v. 14. dicitur; horam ſc. tentationis, angelo Eccleſiæ Philadelphenſis denuntiatam, ſuſtinuerant. Apoc. III. 9. 10. Accedebant lacrymæ *commiſerationis*, videntes tot fratrum ſuorum cædes, perſecutiones, martyria, plagas ac cruciatus, quibus ab Antichriſto, ſanguine teſtium veritatis ebrio, afficiebantur. Lacrymis quoque *reſipiſcentiæ* cubilia ſua irrigaverant hi converſi, quando ex tenebris in lucem tranſibant, & toties dein ſe novo torpore aut peccatis Dei oculos ſanctiſſimos violaſſe, in memoriam revocabant. Hinc tot *ſuſpiria* lacrymoſa & *preces* in cœlum aſcendebant pro ſe & fratribus ſuis, ſub perſecutionibus gementibus, ut ex hora tentationis liberarentur, nec anima turturis, Domini beſtiæ plane traderetur. Accedebant tot lacrymæ *deſiderii* ſinceri erga adventum Chriſti, quem Eccleſiæ ultimi temporis promiſerant Prophetæ. Apoc. XXII. 17. 26.

XII. Has vero omnes lacrymas *ABSTERSURUS* erat Deus. Unde phraſis hæc deſumta ſit, ſupra §. II. & III. fuſius docuimus. Heic tantum paucis videbimus, quomodo & quando Deus lacrymas abſtergat, idque tum Eccleſiæ militanti ultimis N. T. temporibus, quorſum locus noſter præcipue tendit, tum omnibus & ſingulis electis in æterna vita.

A. Eccleſiæ ultimi temporis N. T. abſtergentur lacrymæ, quando luctum & triſtitiam excipiet *gaudium*, ornatus loco cineris & oleum lætitiæ loco mœroris ipſis concedetur Jeſ. LXI. 3. æternum gaudium caput

caput eorum cinget. Jeſ. XXXV. 10. quando omnes curæ & ſolicitudines mentis, omnes conſcientiæ dolores per largiſſimam Spiritus Dei, qui eſt oliva pacis, effuſionem diſſipabuntur, atque pax æterna regnabit, & conſolationis ubera large animas exhilarabunt *Jeſ. LXVI. 13. 14.* Quando poſt tot calamitates hujus vitæ, poſt tot perſecutiones hoſtium veritatis, præprimis Antichriſti, auream conſcientiæ libertatem adipiſcentur, ut nemo in monte ſancto amplius damnum efferat cuiquam, ſed & lactens in aſpidum foramine delectari queat absque noxa Jeſ. XI. 8. gladii vertentur in vomeres, lupus cum agno & pardus cum hœdo recubabit in arvis v. 6. 7. Quando poſt tot ſuſpiriorum ac deſideriorum vehementiſſimorum lacrymas, Sponſus cœleſtis Eccleſiam ſuam viſitabit, noctuque veniens, novæ gratiæ & favoris ſignis illam erit exhilaraturus. Apoc. XXII. 12. XXI. 4.

B. In emphaſi autem omnes lacrymas abſterget Pater clementiſſimus poſt hanc vitam in paradiſo cœleſtis gloriæ. Tunc dolor ac luctus in gaudium æternum, curæ ac anxietates in pacem animæ, quæ omnem rationem tranſcendit, miſeriæ, calamitatesque hujus vitæ in delitias & recreationem, imo abundantiam bonorum cœleſtium, perſecutiones graviſſimæ in tranquillam animi & corporis quietem, ſuſpiria, gemitus, ac deſideria, & reſipiſcentiæ dolores, in æternam animæ, in gremio Dei largis ſolatiis accumulatæ, felicitatem ac exultationem, permutabuntur. Quando ſatietas lætitiæ & delitiarum abyſſus illos recreabit æternum Pſ. XVI. 11. Pſ. XVII. 15.

XIII. O beatam Electorum Dei filiorum ſortem. Huc advertite mentem mortales, en inſignem filiorum Dei & liberorum hujus mundi differentiam! Illi heic lugent, lacrymarum cibo ac potu ſaturantur, aſt illic omnes ipſæ lacrymæ abſtergentur, ac æterna lætitia ſatiantur. Hi vero heic deliciis & concupiſcentiis mundi indulgent, aſt illic æterno conſcientiæ dolore exagitantur. Proh igitur vanam multorum mortalium ſpem! qui nullas heic lacrymas fundunt, & eas tamen aliquando abſtergendas ſperant. Quam pauci reperiuntur in noſtris diebus, qui lugerent fata Zionis & muros Hieroſolymæ noſtræ collapſos deflerent; qui conſcientiæ angoribus adacti cum lacrymis reſipiſcentiæ ac converſionis ad Dei thronum procidiſſent, cum cor plurimorum adhuc

petra durius, nec malleo verbi nec aculeo conſcientiæ penetrandum, exſtiterit. Quid ergo, o peccator, in concupiſcentiis tuis ſopite exſpectabis? Veniet hora, quæ omnes tibi delicias, omnia oblectamenta rapiet unico ictu, & quid tum reſtabit? cor gratia divina vacuum æterna ſiti premetur, cum Eſavo lacrymis quæres pœnitentiam ſed fruſtra. Ergo jam lacrymas funde, procide cum ſuſpiriis & lacrymis coram Patre cœleſti, cor ipſius frangere, emollire, flectere poteris lacrymis.

Lætare vero inter lacrymas, o ſancta fidelium caterva, incedas licet per vallem Bochin, quæ vallis eſt lacrymarum, tempus appropinquat, quando Pater cœleſtis ſinu ſuo te excipiens, omnes tibi lacrymas abſterget. O dulce poſt amaras lacrymas ſolatium! o diuturnum & æternum poſt brevem dolorem gaudium! Sic qui ſemina cum lacrymis ſerunt, cum gaudio metent. Pſ. CXXVI. 5.

EXERCITATIO V.

DE IRIDE CIRCA CAPUT ANGELI SYMBOLICA.

APOC. X. v. 1.

ARGUMENTUM.

§. I. Locum Apoc. X. 1. de Chriſto explicandum eſſe demonſtratur. §. II. Quorſum hac deſcriptione alludatur inquiritur. §. III. Iridem ſeu nimbum Diis & Deabus Veteres tribuiſſe probatur. §. IV. Eandem Ducibus ac Regibus adſcripſit antiquitas. §. V. Iriſis in genere cujus ſit Symbolum inquiritur. §. VI. Colores Iridis myſtice exponuntur. §. VII. Uti & ejusdem figura circularis. §. VIII. Cur circa caput Archangeli apparuiſſe dicatur, ubi ſimul analogia inter Moſen & Chriſtum ex hac viſione collata cum Exod. XXXIV. eruitur. §. IX. Epilogus adjicitur practicus.

I. De-

I.

DEſcriptio ſatis eſt emphatica, quam de Angelo illo forti, ex cœlo deſcendente, exhibet Vates Sacer *APOC. X. 1.* Ubi non ſolum *nube amictus, faciem inſtar ſolis, & pedes inſtar columnæ igneæ habens*, deſcribitur, ſed & additur: Καὶ ἶρις ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Et iris erat ſupra caput ejus.* Quilibet ex conſiderata emphaſi hujus deſcriptionis ultro convincetur, delineari heic majeſtatem hujus Angeli plus quam Regiam, imo divinam, quare & apud Interpretes fere omnes res evicta eſt, agi hoc loco de Angelo non creato, ſed ipſo Dei filio, Archangelo, qui *angelus ille fortis* κατ' ἐξοχὴν dici poteſt, & idem eſt, qui *Michael* dicitur, quare a ſeptem Angelis creatis diſtinguitur non ſolum voce ἄλλος ſed & ἰσχυρὸς, reliquorum Princeps ſupremus.

II. Quorſum hac phraſi alludatur, non tangunt, ut plerique ſolent, Interpretes. Cel. tamen VITRINGA *in Comm. ad Apoc. IV. 3.* obſervat Iridem heic conſiderari ceu coronam regiam, qua caput Regis Regum cingeretur, & iridis circulum concipi poſſe ut coronam rotundam caput ambiens. Et ita concipit iridem circa thronum, quaſi caput inſidentis cingentem inſtar coronæ.

Verum enim vero ſi rem curatius indagare velimus, hanc phraſin deſumtam eſſe cenſerem a more Veterum loquendi, qui Diis atque Ducibus & Regibus nimbos circa caput tribuebant, uti & paſſim in effigie & nummis apparent, iisque opponi majeſtatem Regis Regum & Domini Dominorum, qui iride cœleſti ceu nimbo capite cinctus eſt.

III. a. *Nimbum* attribuebant Veteres *Diis* atque *Deabus*, ſcilicet *lunulam* quandam ſeu circulum lucidum & nimboſum, qualis circa Lunam fulgentem conſpici ſolet, qui caput Deorum inſtar coronæ cingebat, & qui nimbus inſigne majeſtatis ac gloriæ indicium erat. Eleganter de his Deorum nimbis ſcribit J. FELLER *in Spicileg. Philol. ad* MART. *lib. de Spect. cap. 2. Apud Ægyptios*, inquit, *nihil occurrit, cui non circulare ſeu Sphæricum quidpiam fuerit adjectum. Neque aliud quid circulus capitibus ſimulacrorum impoſitus denotat, niſi divinum, infinitum, æternum.* Vid. ROHR *de pict. errant. diſſ. c. 2.* & KIRCHER. *Oedip. Æg. T. II. Cl. 7. c. 1. p. 87.* Ut autem illuſtrior redderetur circulus divinitatis index, poſtea radiis velut ſolaribus exornatus, nec Diis tantum,

ſed

ſed & hominibus divinis aut in Deorum numerum relatis adſignatus eſt. Sæpius quoque Deos Gentium nimbo ſeu iride ornatos videmus, veluti in effigie Jovis, quam exhibet VINC. CHARTARIUS *de imag. Deorum p. 67.* & ſimulacro Junonis apud eundem p. 81. Termini Dei radiante nimbo caput cinctum exhibet BEGER. *theſ. Num. Imp. Rom. Tab. XIV. n. 17.* Varios Serapidis nimbos exhibet J. D. MAJOR *in Serapide radiat. p. 8.* Conf. & Diſſ. J. BEHM *de Nimbo Sanctorum.* Juno radiato capite ornata apparet quoque in nummis apud CHOUL *Relig. des Anc. Rom. p. m. 179.* EZ. SPANHEM. in nummo Conſtantini exhibet ſimilem figuram vid. *Comm. de uſu & præſt. Num. p. m. 245.* Sæpius autem *Phœbus* & SOL in nummis apparet cum effigie, caput radiatum habente, cum inſcriptione: ORIENS AUG. vel etiam SOLI INVICTO. Vid. OISEL. *Theſ. Numiſm. Imp. Tab. XXXVIII. n. 9. 11. Tab. XXXIX. n. 1. 2.* BEGER. *Theſ. Num. Tab. LV. n. 17. Tab. LXI. 3. LXIV. 22.* Vide numum expreſſum in *Tab. noſtra n. 12.* De Venere canit VIRGIL. *Lib. VIII. Æn.*

At Venus ætherios inter Dea candida NIMBOS.

Et *Lib. II. Æneid.* de Pallade

Jam ſummas arces Tritonia, reſpice, Pallas
Inſedit, NIMBO effulgens.

His ergo *Diis* nimbo caput *radiantibus* ſe opponit Archangelus, Michael, qui ipſe Deus erat fortis. Attributa reliqua, ſc. quod nube candida amictus, pedes æneos & faciem ſolis inſtar habeat, ad *Columnam* Nubis & Ignis commode alludi poſſe cenſemus. Conf. *Exercit. noſtram de oculis flammantibus & pedibus Chalcolibano ſimilibus.* Apoc. II. 18. in MUS. BREM. *Vol. II. f. 4.* Ergo hac *iride* ſeu nimbo reſpici poteſt ad *effigiem Solis*, qui ſub Serapidis nomine colebatur Ægyptiis, & qui capite radiato plerumque apparet in nummis, quare *facies* ejus inſtar *Solis* eſſe etiam dicitur. Angelus ergo hic intelligitur haud creatus, ſed qui eſt Deus ipſe, & *Sol juſtitiæ*, qui falſis Diis tanquam verus & æternus recte opponitur. Jer. X. 10. Qui *pedem dextrum in mare & ſiniſtrum in terram ponit.* Apoc. X. 3. i. e. in utrumque dominium & poteſtatem exercet, uti *Soli* ab antiquitate in utrumque poteſtas tribuebatur. Hic *ſol* eſt *invictus*, uti hic titulus tribuitur Soli in nummis Veterum, ἰσχυρὸς

ille

ille Pſ.IX.6. fortior forti Jeſ.XLIX 24.25. coll. Luc.XI. 22. Sol ille, qui ſimul eſt ſcutum Pſ. LXXXIV. 12.

IV. b. Verum nimbos ejusmodi etiam *Imperatoribus*, *Regibus* atque *Ducibus* egregiis tribuebant Veteres, præcipue Imperatoribus, in triumpho victoribus. SUETON. *in Vita Aug. c. 94.* ſomnium de gloria ejus recenſet: *Atque etiam ſequenti nocte videre viſus eſt filium mortali ſpecie ampliorem, cum fulmine & ſceptro exuviisque Jovis O.M. ac corona radiata ſuper laureatum currum.* VELLEJ. PATERCUL. *Lib. II. c. 59.* de Octavio ſcribit: *Cui adventanti Romam immanis amicorum occurrit frequentia, & cum intraret urbem, ſolis orbis ſuper caput ejus curvatus æqualiter, circumdatusque in COLOREM ARCUS, velut CORONAM tanti mox viri capiti imponens conſpectus eſt.* Ita & Conſtantinus Imp. capite radiato apparet ap. ORTEL. *de Deorum & Dear.* capp. *in Theſ. Antiq.* GRONOVII *Vol. VII.* Ita & apud BEGER. *Theſ. Num. Imp. Tab. XVI. n. 17. & 22.* Auguſti caput radiatum continetur cum epigr. DIVUS AUG. PATER PATRIÆ *Tab. XX. n. 12.* Nero capite radiis undique cincto ornatur. Et Tabb. ſeq. Valeriani, Aureoli, Galerii, M. Antonini, Diocletiani & aliorum capita radiata exhibet. conf. & OISEL. *Theſ. Num. Tab. X--XV.* SPANHEM. *de Uſu & præſt. Num. p. 127. & p. 730.* Nummum ejusmodi, in quo Imperator Nero cernitur cum iride circa caput, exhibemus in *Tab. noſtra n. 13.* Hinc VIRGIL. *Lib. XII. Æn.* de Rege Latino canit:

- - - cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt.

Hac ratione Archangelus tanquam *Dux* ac *Imperator* imo *Rex* conſiderari poteſt, qui caput radiatum gerens non gloriam ſolum ac majeſtatem regiam poſſidebat, ſed & in triumphum jam erat evectus, ita ut pedem dominii mari terræque infigeret. Michael eſt, qui pro populo ſuo ſtat & pugnat Dan. XII. 1. Qui *Victor* evaſerat, & Draconi caput contriverat, quare victis hoſtibus in cœlum evectus, gloria ac decore erat creatus, conſtitutus Dux ac Rex Eccleſiæ ſuæ, in & pro qua tot denuo triumphos agit de hoſtibus veritatis. Pſ. XLV. 4. 5. LXVIII. 1. 2. Apoc. XIX. 12. 15. qui v. 6. 7. cap. noſtri X. juramento confirmabat Eccleſiæ, quod

tempus jam inſtaret, quo omnia [illegible] conſummanda, & regnum ejus ac dominium ad ἀκμὴν producendum erat.

V. c. Ut vero emblematis hujus vis eruatur, propius naturam & qualitates hujus Nimbi ſeu *Iridis* conſiderabimus.

(1) *Iris* proprie eſt phœnomenon cœleſte ortum ex repræſentatione ac repercuſſione radiorum ſolis in nube aquoſa, roſcida ac denſa, ubi ſol ex adverſo impingit. Quum vero heic loco radiorum ſolarium apparet *iris* circularis vel ſemicircularis circa caput Angeli noſtri, in memoriam nobis revocatur hiſtoria inſtitutionis *Iridis* in ſignum ac ſymbolum *fœderis* Dei cum hominibus Gen. IX. 13. ita ut iris poſt diluvium mortalibus ſymbolum ſit gratiæ ac favoris divini. In genere ergo obſervamus *iride* hac circa caput Angeli viſa, *gratiam, pacem* & *fœderis* Dei æternam conſtantiam denotari. *Angelus* ergo *cum iride* circa caput, nobis indicat, illum eſſe *Angelum fœderis* מלאך הברית ut vocatur Mal. III. 1. Quantum ergo Eccleſiæ ſolatium hæc viſio exhibere poterat? Septem tonitrua graviſſimorum judiciorum brevi erant audienda in orbe, quibus auditis hoſtes fulminibus quaſi cœleſtibus erant percutiendi. Aſt Eccleſia conſpicit hic Angelum illum fortiſſimum, qui pedem dominii in mare & terram omnium mundi regnorum infigebat, & *iride* ſupra ſeu circa caput radiabat, in ſignum æterni ejus favoris, gratiæ ac clementiæ erga electos; ſe fore memorem fœderis gratiæ cum Eccleſia erecti, nec unquam permiſſurum, ut aquæ judiciorum Dei & perſecutionum, Eccleſiæ orbem funditus devaſtarent.

VI. (2) *Colores* Iridis myſticæ hujus non ſunt negligendi, præcipue quum Spiritus S. ipſe eos tangat *Apoc. IV. 3.* quando iridis colorem *Smaragdo* comparat, & antea quoque colorem *Sardii* memoraſſet & *Jaſpidis*. Varii varios, alii plures, alii pauciores in Iride obſervant colores, quare VIRGIL. *Lib. IV. Æneid.*

Ergo Iris croceis per coelum roſcida pennis,
Mille trahens varios adverſo ſole colores,
Devolat

Sunt qui quatuor potiores diſtinguunt, ſc. rubrum, flavum, viridem & coeruleum. Alii 3. tantum, veluti GROENEWEG. in *Apoc.* qui *igneum* iræ divinæ ſymbolum, *purpureum*, ſanguinis Chriſti figuram & *viridem*, miſeri-

cor-

cordiæ divinæ emblema conſtituit. Aſt commodiſſime *duos* tantum *colores* primarios diſtinguere poſſumus, ex quorum mixtura reliqui oriuntur atque componuntur, ſc. *ruber* ſeu igneus & *viridis*, qui colores per lapides *Sardium* & *Jaſpidem* atque *Smaragdum* quoque exprimuntur. Apoc. IV. 3. De *Sardio* notum eſt, illum comendari a colore *rubro* & *igneo*. EPIPHAN. *lib. de XII. gemm.* apud VITRING. *Comm. h. l.* ait: Sardius, ἐςὶ δὲ πυρωπὸς τῷ εἴδει καὶ αἱματοειδής. *Eſt autem ignei coloris ſecundum ſpeciem, & ſimilis colori ſanguinei.* Idem teſtatur PLIN. *Hiſt. nat.* Lib. XXVII. c. 8. THEOPHRAST. περὶ λίθων. Τῦ γὰρ Σαρδίυ, τῦ μὲν διαφανὲς, ἐρυθρότερον δὲ καλεῖται θῆλυ τὸ δὲ διαφανὲς μὲν, μελαντερὸν δὲ, καὶ ἄρσεν. *Ex Sardiis enim translucidus ac ruffeus fœmina: qui in diaphania plus habet nigredinis, maſculus appellatus.* Et hic quoque color eſt, qui ſub voce חשמל Ezech. I. 27. proponitur, vid. *Exercit. noſtr. ad Apoc. II. 18.* MUS. BREM. *T. II. f.* 4. *Jaſpidis* color eſt viridis, & quidem pellucidum virorem exhibet, ut docet BRAUN. de *veſt. S. Lib. II. c. 8.* EPIPHAN. *de XII. gemm. n. VI.* MATTH. HILLER. *in Syntagm. Hermen. p. 63.* conf. & PLIN. *Lib. XXVII. cap. VII.* *Smaragdi* color ſimiliter eſt viridis & ſplendidiſſimus, unde EPIPHANIO l. c. dicitur σφόδρα χλωρίζων, διειδὴς καὶ ςίλβων. *valde viridis, pellucidus & ſplendens.* conf. & AR. MONTAN. *in Bibl. Crit. T. VIII. p. 636.* PLIN. *Lib. XXVII. c. 9.* HILLER. *l. c. p. 7. ſq.*

Duplex ergo hujus Iridis color duplicem nobis in Angelo noſtro perfectionem denotabit. Sunt quidem, qui per rubrum colorem divinam Chriſti, per viridem autem humanam ejus naturam depictam cenſent. Melius per *rubro-igneum* colorem intelligimus juſtitiam divinam, per *viridem* vero clementiam ac miſericordiam. Has duas perfectiones Deus ubique in regimine Eccleſiæ ſuæ demonſtravit. Sæpius eas junctas deprehendis. Gen. XLIX. 11. oculi ejus *rubicundi* præ vino, & dentes *albi* præ lacte. Item *Cant. V. 10. Candidus* eſt & *rubicundus* dilectus meus. Eædem depingebantur perfectiones per *ignem* & *nubem* columnæ miraculoſæ, quæ Iſraeli dux itineris per Arabiæ deſerta in Canaanem exſtitit. Has quoque Angelus ille fortis demonſtraturus erat hoc tempore, quando 7. tonitrua audienda erant per totum orbem, per quæ judicia ſua, juſtitiæ inviolatæ τεκμήρια, erat exſecuturus; & ab altera parte po-

 pulum,

pulum ſuum tuiturus ac conſervaturus. Eandem demonſtraturus erat in dominio, quod in mare & terram exercere jam inceperat, quum pedem jam impoſuerat illis.

VII. (3) *Figura* Iridis eſt *circularis*, veluti ſemicirculus ſupra noſtrum horizontem apparet; hanc ob rem Apoc. IV. 3. dicitur *ἶρις κυκλόθεν τȣ̃ θρόνȣ, Iridis in circulo circa thronum diſpoſita.* Figuram quoque ejus exprimit nomen illud, quando *arcus* dicitur, quæ figuram ſemicirculi exhibet Gen. IX. 3. קשת vocatur, & VIRGIL. *Lib.* I. *Georg. v.* 380.

-- *& bibit ingens*

ARBUS.

TIBULL. *eleg. Lib. el.* 4.

Venturam admittat imbrifer ARCUS aquam.

Figura autem Iridis circularis & rotundæ denotabit tum gloriæ Archangeli *perfectionem*, tum ejusdem *æternam* conſtantiam ac immutabilitatem. Circulus enim utriusque quod antiquos fuit Symbolum. Gloria Meſſiæ eſt proinde *profecta*, quoniam eſt *ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως Θεȣ̃.* Hebr. I. 3. Ipſi acclamant *οἱ* Seraphim: קדוש קדוש קדוש יהוה צבאות מלא כל הארץ כבודו *Sanctus, ſanctus, ſanctus eſt Jehova Zebaoth, IMPLETA eſt omnis terra GLORIA ejus*, Jeſ. VI. 3. Petra eſt, cujus molimina omnia ſunt perfecta Devt. XXXII. 4. *Æterna* quoque & immutabilis eſt ejus majeſtas, juſtitia æque ac clementia. Rex eſt æternus 1. Tim. VI. 15. 16. juſtitia ejus nunquam mutari poteſt Rom. XI. 33. nec clementia ac miſericordia Jeſ. LIV. 10. Jeſ. XLIX. 15. 16.

VIII. (4) Quando autem Iris hæc conſideratur inſtar *coronæ*, qua *caput* Angeli fœderis ornatur, præcipue *gloriam* ac *majeſtatem* Regis noſtri in eo poſitam innuitur, ut juſtitiæ ac gratiæ demonſtrationem in regimine Eccleſiæ ſuæ ubique manifeſtet. Phraſis enim *ἐπὶ κεφαλῆς* innuit, hanc iridem coronæ loco fuiſſe. Sic Apoc. XIX. 12. de eodem dicitur *καὶ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτȣ̃ διαδήματα πολλά.* Et Apoc. IX. 7. de pſeudoprophetis: *καὶ ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν ὡς ςέφανοι ὅμοιοι χρυσῷ.* Caput ergo corona radiante cinctum, gloriam ac majeſtatem exprimit: Hanc ob cauſam Diis ac Imperatoribus ac in Deorum numerum relatis caput tale tribui, ſupra vidimus. Sequioribus temporibus

quo-

quoque Chriſto, Prophetis & Sanctis ejusmodi irides ſeu nimbi a Pictoribus ſunt adpicti, in ſymbolum gloriæ ac ſanctitatis conf. late J. BEHM. in *diſſ. de Nimbo Sanctorum.*

Præterea obſervanda quoque heic eſt analogia inter *Moſen* tanquam mediatorem V. & *Chriſtum* Mediatorem N. T. *Moſes* olim caput radiis effulgens deportabat (quare cornua ſeu radios ſplendoris ei tribuunt Judæi) quando legem in Sinai accipiebat a Deo. Exod. XXXIV. 29, 30. Ibi quaſi *nube erat amictus*, quia in nube cum Deo loquebatur, & ea tegebatur Moſes a Jehova v. 5. veluti hic Angelus fœderis novi, nube amictus cernitur. Illius *facies radios* emittebat fulgidos, hujus lucet inſtar *ſolis.* Ille manu tenebat *tabulas legis* a Deo ſcriptas, hic quoque dextra *libellum* apertum tenebat. v. 2. Illic audiebatur in prima legislatione vox tonitruum; & heic ſeptem tonitrua vocem emittebant. v. 3. En ergo egregiam inter utrumque Mediatorem analogiam. Ex hac Moſis facie radios emittebant, nimbos Deorum ac Imperatorem eſſe fictos apud gentes facile liquet. conf. ANT. BORREMANSIUM *lib. Var. Lect. c.* 19. *p.*251 Antitypus proinde τοῦ Moſis eſt hic Angelus fortis, qui novi fœderis promiſſiones jam erat exſecuturus.

IX. O ergo admirabilem! o gratum Archangeli Eccleſiæ aſpectum! Coram radiis faciei ipſius ſol ipſe obſcuratur & omne lumen palleſcit. Quis gloriam, quis majeſtatem, quis decus ejus æternum depinget? Sed proh dolor in paucis mortalium oculis radii hi ſcintillant, quam pauci majeſtatem Regis noſtri agnoſcunt. Venerantur eum qua clementem & miſericordem, ſed juſtitiam ejus abnegant, quam tamen clementia ac miſericordia æterno vinculo cum juſtitia ipſius junctæ maneant. Quisquis es, hanc Regis Regum majeſtatem divinam agnoſce, venerare, in hoc unice ſumma conſiſtit felicitas. Beati deprædicantur ſervi coram Salomone Rege ſtantes, ſed multo magis felices illi, qui digni reputantur, qui majeſtatem hujus Regis ſupremam aſpiciant. Si opus in æternitate peragendum conſiſtet in contemplatione, admiratione ac veneratione majeſtatis ac gloriæ Entis infiniti, felices ergo illos jure deprædicabis, qui opus hoc dulciſſimum atque ſanctiſſimum in hac vita inchoant. Quid ſi radii majeſtatis Regis noſtri jam oculos feriunt e longinquo & in admirationem rapiunt, o qualis fulgor oculos perſtringet, quando propius faciem ejus intue-

ſolis lucentem intueri dabitur, & ſatiabimur imagine ejus, quam evigilaverimus! Pſ. XVII. 15.

EXERCITATIO VI.
DE
SERPENTE ANTIQUO DIABOLI SYMBOLO.

APOC. XII. v. 9.

ARGUMENTUM.

§. I. Serpentem Diaboli emblema eſſe probatur ex Scriptura & teſtimoniis Judæorum. §. II. Emblema hoc per analogias enucleatur. Serpens apud antiquas Gentes pro Deo cultus fuit, uti Satanas & Deus mundi eſt. §. III. Serpentis membra myſtice explicantur, ſc. ejus caput, quod poteſtatem Satanæ deſignat. §. IV. Lingua ſerpentis & dentes lethiferi explicantur. §. V. Ejus in ventre inceſſus myſtice exponitur ex Gen. III. 14. §. VI. Variæ ſerpentum qualitates recenſentur & Diabolo applicantur. Nimirum color ejus niger quid innuat, docetur. §. VII. Cibus ipſorum, pulvis exponitur. §. VIII. Latibula & antra Serpentum domicilia. §. IX. Stridor eorum & ſibilus lethalis exhibetur. §. X. Quomodo in varias formas & plicas ſe convertere ſciant hæc animalia docetur & viis & moliminibus Satanæ applicatur. §. XI. Venenum ipſorum mortiferum. §. XII. Maledictio in eos a Deo pronunciata. §. XIII. Calliditas ipſorum mira. §. XIV. Concupiſcentia horum animalium a Phyſicis obſervata. §. XV. Obthuratio aurium coram incantatore, exponitur, applicatur. §. XVI. Odium mortalium erga ſerpentes commune eſſe, additur. §. XVII. Ratio cur ſerpens antiquus *dicatur, inquiritur. §. XVIII. Epilogo denique practico abrumpitur filum hujus Exercitationis.*

I.

INter tot emphaſin ſpirantes denominationes, quibus praviſſima Diaboli natura & qualitates peſſimæ exprimuntur, eminet Symbolum illud, quan-

quando SERPENS dicitur, & quidem ANTIQUUS. Ὁ ΟΦΙΣ Ὁ ΑΡΧΑΙΟΣ APOC. XII. 9. Sæpius autem diabolus cum inſtrumentis ſuis ſub emblemate *Serpentis* in ſcriptis ſacris occurrit 2. Cor. XI. 3. Jeſ. LXV. 25. Pſ. XCI. 13. Luc. X. 15. 20. Apoc. XII. 14. 15. Cap. XX. 2. Unde & phraſes, progenies viperarum & filii diaboli, parallelæ ſunt. Matth. III. 7. Joh. VIII. 48. Ita præfigurabatur per ſerpentes igneos ſeu preſteres, a quibus populus Iſrael vulnerabatur. Num. XXI. 6. coll. 1. Cor. X. 9. Sunt quidem Viri Docti, uti Cl. D'ESPAGNE, BURMANNUS, VITRINGA, PUNGLERUS, qui cum Patribus quibusdam Diabolum ſub typo *ſerpentis ænei* depictum exiſtimant, ſed illum Salvatoris noſtri eſſe typum ex Joh. III. 14. 15. liquet, & late demonſtrant Cel. LAMP. *Comm. in Joh. T. I. p. 604.* aliique, quos citat Cl. WOLF. in *Cur. Philol.* ad h. l. Ipſi Judæi agnoſcunt Serpentem Satanæ Symbolum. Ita in libro Caballiſtico TIKKUN. SOPHAR, apud Cel. VITRING. *Obſ. S. T. I. p. 150.* legitur: אמר לון ההואיא דאתון מגיההו קרבא ביה איך אשתזבתון מניה דאיהו בלע וקטיל ולא עיר אלא דאיהו קטיל לאדם קדמאה ולכל דרין: *Dixit eis: iſte ſerpens, cum quo vos certatis certamen, ut effugiatis ab eo, ille eſt, qui deglutivit & occidit, & non ſolum, quod occiderit primum hominem, verum omnes generationes.* MAIMONID. *Mor. Neboch.* p. II. c. 30. סמאל הוא השטן וזה השם גם כן לענין כמו דנחש לענין: *Sammael* (i. e. *ſerpens* Evam ſeducens) *nihil aliud eſt, quam ipſe Satan & per illud nomen occulti quid ſignificatur, ſicut per nomen* נחש *Serpens.* Loca Patrum, qui Serpentem Diaboli figuram agnoſcunt, vide apud GRELLOT. *prodr. apoc. p. 141.* SUICER. *in Theſ. voc.* ὄφις. Huc refer nummum egregium Conſtantini M. Imperatoris, quem expreſſimus in *Tab. noſtra* n. 14. ubi ſerpens transfixus haſta vexilli cernitur cum epigr. SPES PUBLIC. deſignans, in ſerpentis contritione per Chriſtum Spem publicam conſervari.

II. Videamus ergo primo cur *Serpens* in genere, dein, in ſpecie Serpens *antiquus* dicatur. Elegans ſane eſt, quam inter Serpentem & Diabolum deprehendimus, analogia, cujus potiſſima momenta tantum tangimus.

A. In genere obſervamus, Serpentem apud Veteres pro *Deo* eſſe cul-

cultum, & honore divino adoratum. Pie colebatur ſub nomine Æſculapii apud Athenienſes, Phocenſes, Rhodios variasque Bithyniæ urbes, ut probat EZ. SPANHEM. *in Ep. I. ad Morell. p. 78.* Unde tot nummi paſſim occurrunt cum ſerpentum figura, præcipue apud CHOUL. *Relig. des anc. Rom.* p. 119. ubi altare cernitur & Serpens cui Victoria ſacrificium offert. conf. & nummos apud SPANHEM. de *Uſu & præſt. Num.* p. m. 186. 295. ſq. Et OISEL. *Theſ. Numiſm.* Tab. LXXX. n. 1-12. præcipue n. 2. 3. 4. ubi ſerpens apparet cum arbore viridi, quaſi ex hiſtoria ſeductionis Evæ in horto fictus eſſet cultus ſerpentis. Nummum exhibemus tibi hunc in *Tab. noſtr.* n. 15. Quare SIDON. APOLLINAR. Serpentem *Deum* vocat, canens

Magnus Alexander nec non Auguſtus habentur
Concepti SERPENTE DEO

Præcipue ab Ægyptiis etiam colebantur honore divino ſerpentes, ut ex HERODOTO *in Euterpe*, & ÆLIAN. *Lib. XVII. de Animal. cap. V.* docet. J. OUZEL. *in animadverſ.* ad MINUC. FELIC. *Octav.* p. m. 169. ſq. vide & Cel. HASÆI *diſſ. de throno Satanæ ad Apoc. II. 13. in Bibl. Brem. T. III. p. 104. ſq.* & prolixe ſatis J. C. KOCH *de cultu ſerpentum apud antiquos*, præcipue Cap. II. Sect. I. p. 21. & PH. OLEARIUS de ὀφιολατρεία Lipſ. 1713.

Et ſane Diabolus eſt *Deus hujus mundi*, uti vocatur a Paulo 2. Cor. IV. 4. Quare idem Apoſtolus dicit Eph. VI. 12. *Non eſt nobis pugnandum contra carnem & ſanguinem, ſed contra imperia, poteſtates & principes mundi, id eſt tenebrarum ſeculi hujus, contra pravitates ſpirituales, quæ ſunt in ſublimi.* Quare & Princeps hujus mundi dicitur Joh. XII. 31. Unde & toties in Scriptura de idololatria Gentium ac Judæorum depravatorum, Dæmonibus exhibita legimus. Pſ. CVI. 37. Deut. XXXII. 17. Luc. XVII. 17. 1. Cor. X. 20. Apoc. IX. 20. Ante lapſum nulla Diabolo in hominem poteſtas competebat, ſed poſt lapſum, quando homo Dei Creatoris dominium abnegaverat, Satanæ poteſtati eſt ſubjectus, a qua non niſi per Goelem liberari poteſt. Hebr. II. 14. Deus hujus mundi Satanas eſt, quia a filiis mundi timetur, adoratur & cultus tenebrarum ipſe exhibetur. Eph. II. 2. 3.

III.

III. B. In ſpecie autem emblema hoc penitius conſiderantes, analogiam egregiam Serpentem inter & Diabolum deprehendimus, tum ſi ad membra ſerpentis varia, tum ſi ad qualitates & attributa ejus attendamus.

1. *Membra* in Serpentibus varia notatu digna obſervamus, ubi primo loco notandum eſt

a. *Caput Serpentis*, quod ſedes vitæ eſt, quare & imminente periculo quam maxime caput tueri & occultare ſolet, ut obſervant Phyſiologi. Recte EPIPHAN. *in Phyſiol.* c. 15. de eo teſtatur: ὅλον τὸ σῶμα παραδίδωσι, τὴν κεφαλὴν μόνην φυλάσσει. *Totum quidem corpus tradit, caput autem ſolum tuetur.* Idem teſtatur CHRYSOST. in *Pſ. CIV.* & CÆSARIUS *in dial.* 4. *quæſt.* 192. ISIDORUS quoque PELUSIOTA *Lib. I. ep.* 126. ὅσαις γὰρ ἂν περιςάσεσι καὶ πληγαῖς ὁ ὄφις συνέχηται, τὴν ἑαυτοῦ φυλάττει κεφαλὴν ἀβλαβῆ. *Quibuscunque etiam caſibus & plagis prematur ſerpens, ſemper tamen caput ſuum ſervat illæſum.* Quare *Eccleſiaſtic.* XXV. 16. dicitur. *Non eſt caput ſupra caput Serpentis.* conf. BOCHART. *Hieroz. I.* p. 23. ſq. quare & capite ſerpentis læſo facile totum corpus læditur. Docent enim Phyſiologi, quod ictu virgulæ caput lædi, atque ita perimi queat ſerpens. Vid. RHODIG. *Lect. ant.* p. m. 820. Hoc reſpectu etiam Gen. III. 15. *Caput Serpentis* a ſemine mulieris conterendum dicitur.

Caput Serpentis ergo, in quo quaſi tota vita & vis hujus animalis reſidet, commode nobis poteſtatem Satanæ denotabit. Recte ergo loci Gen. III. 15. & Rom. XVI. 20. paralleli habentur, ubi in primo dicitur caput ſerpentis eſſe conterendum, & in altero, quod Deus pacis Satanam ſub pedibus noſtris ſit conculcaturus. Ita Luc. X. 19. *Ecce do vobis poteſtatem calcandi ſuper Serpentes & Scorpiones.* Chriſtus eſt qui *per mortem abolevit illum penes quem erat poteſtas mortis, hoc eſt, diabolum Hebr. II.* 14. Fortis ille hunc fortem ſuperavit & prædam ei eripuit Luc. XI. 22. 23. venit ille, ut omnia opera Diaboli deſtruat 1. Joh. III. 8. Præcipue id fecit per mortem crucis, & per reſurrectionem, per quam triumphum egit de hoſtibus omnibus, eosque exuit omni poteſtate Col. II. 14. 15. Apoc. I. 18.

IV. b. *Lingua* quoque Serpentis maxime lethifera, & *dentes* veneno infecti, quibus lethaliter vulnerat, obſervandi ſunt. Unde Job. Cap.

XX. 16. *perimet ipſum lingua viperæ;* & Pſ. CXL. 3. *Acuerunt linguas ſuas inſtar Serpentum.* Quare ISIDOR. *Orig. Lib. XII. c. 4. Nullum animal tanta celeritate linguam movet, quam ſerpens, quare bifida & trifida credebatur.* Ita & SENECA in *Medea* v. 686.

Hic fera ſerpens corpus immenſum trahit,
Trividamque linguam exſertat.

Et OVID. *Lib. II. de remed. amor.*

Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurum.

KIMCHI ad Pſ. CXL. ait: חדדו לשונם לדבר רעות כמו הנחש שמחדד לשונו בשבא לנשוך. *Acuerunt linguam ſuam ad maledicendum, ut ſerpens exacuit linguam, cum ſe parat ad morſum.* DIOSCORID. *Lib. VI.* ait. Τοῖς δὲ ὑπὸ ἐχίδνης δηχθεῖσιν οἰδεῖ, καὶ ἐφ' ἱκανὸν τὸ σῶμα ξηραίνεται. *Iis, qui viperæ morſu laborant, corpus tumet & vehementer areſcit.* Conf. plura apud BOCHART. *Hier. p. II. p. m. 374. ſq.*

Optime hæc quadrant in Diabolum, utpote qui linguam habet maledicam, pungentem quaſi & veneno livito infectam. Quare Διάβολος κατ' ἐξοχὴν dicitur, qui nomen habet a calumniis proſcindendo. Deum enim apud homines tanquam iniquum & injuſtum, & homines aqud Deum obtrectatur; eam ob cauſam dictus κατήγορος τῶν ἀδελφῶν Apocal. XII. 10. *Dentibus* lethiferis mordet, dum ſcilicet horrendis tentationibus aggreditur peccatores, & animas lethali vulnere rodit, quare ei βέλη πεπυρωμένα, quibus corda fidelium ferit, tribuuntur Eph. VI. 12. Circumit fideles inſtar leonis rugientis; & ſi pote, dentibus quaſi rapacibus deglutiret oves Chriſti 1. Petr. V. 8. coll. Apoc. XII. 4. aliquando autem impios tanquam prædam ſuam arripiet, & cruciatibus punget æternis. Apoc. XX. 14. 15. Matth. XXV. 41.

V. c. In *ventre* ſuo ſerpens repit omnibus vitæ diebus, idque ex mandato divino poſt lapſum Gen. III. 14. על גחונך תלך *ſuper ventrem tuum* aut pectus *incedes.* Veteres Hebræi credebant, ſerpentes ante lapſum erecto capite & corpore inſtar arundinum ſtetiſſe, pedibusque fuiſſe inſtructus, ut liquet ex BERESCH. RABBA, & confirmant ABEN-ESRA, S. JARCHI, aliique Judæi, nec negat H. MORUS, SCHINDLERUS &c. Quare & JOSEPH. *antiq. Lib. I. cap. I. p. 8.* ait. *pedibus privans effecit, ut humi volutatus per terram corpus traheret.* ARISTO-

STOTELES vero *ἀποδίαν* ſerpentem naturalem & neceſſariam affirmat. CORN. HASÆUS *in diſſ. de Proteuang* p. m. 32. aſſerit, ſerpentem ante lapſum ſemi erecto corpore & capite inceſſiſſe, ſed poſt lapſum, toto corpore & capite ut in pulvere repat, juſſum fuiſſe a Deo & citat ex OVID. *metam. Lib. III. v. 43.*

Qui media plus parte leves erectus in auras
Deſpicit omne nemus.

Quid hoc reſpectu Diaboli denotet, eleganter exprimit PARÆUS, dicens: *Cogitur & ipſe ſuper pectus ſuum ſerpere, quia de cœlo ſemel præcipitatus nunc damnatur, ut perpetuo humi in ſordibus terrenis repat, nec caput amplius ad cæleſtia elevare queat.* Huc quoque Apoc. XII. 9. alluditur, quando de Dracone & Serpente antiquo dicitur: *ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν projectus* ſeu detruſus eſt *in terram.* Antea enim inter Angelos bonos & ſanctos in cœlo degebat, dein vero poſt defectionem in infima terræ detruſus & præcipitatus eſt, ad tartara & barathrum abyſſi, conſtrictus catenis tenebrarum Jud. v. 6. Joh. XII. 31. Jam quoque Satanas poſt erectum fœdus gratiæ non amplius dominium erat exſecuturus, ut fecerat in paradiſo, ſed ſub pedibus electorum virtute Chriſti conculcandus erat. Rom. XVI. 20.

VI. Pergimus II. ad *qualitates* & *attributa* Serpentum, quorum quædam ſunt magis externa, quædam interna.

א Ad qualitates & attributa horum animalium externa, referimus

a *Colorem* Serpentum, qui varius eſt, plerumque tamen peſſimi habentur, qui ſunt *coloris nigri*, quales memorat NICANDER in *Theriac.* v. 172.

Χροιὴ δ' ἄλλοτε μὲν ψαφαροῖς ἐπιδέδρομε νώτοις
Ἄλλοτε μειλινόεσσα, καὶ αἰόλος, ἄλλοτε τεφρὴ
Πολλάκι δ' αἰθαλόεσσα, μελαινομένη ὑπὸ βώλῳ
Αἰθιόπων.

Color autem in ſcabro dorſo quandoque niger occurrit,
Et varius, quandoque cipereus, ſæpe etiam fuliginoſus,
Atratus, ſub gleba Æthiopum.

 OR-

ORPHEUS *de Lapid. in Oſtrite.*

ῥεῖά γε μὴν ἀέκοντα μέλας ἠρύκακεν ὕδρ☉ς.
Ipſum vero invitum retinuit niger hydrus.

VIRGIL. *Lib. I. Georg.*

Et tophus ſcaber, & nigris exeſa Chelydris
Creta.

conf. ÆLIAN. *de animal. Lib. VI. c. 38.* BOCHART. *Hier. II. p.m. 378.* Dantur & Serpentes, qui צבועים dicuntur, cujus rationem reddit KIMCHI לפי שעשוי בגוונים ובמיני הצבועים *Quia coloribus & picturis diſtincti ſunt.* De quibus Serpentibus *variegatis* late BOCH. *Hier. L. III. cap. 7. p. 395. & cap. 12. p. 417.*

Niger color tenebras prodit, eleganter ergo deſignat attributum Diaboli, qui eſt Princeps tenebrarum, tenebris obfuſcatus eſt ejus intellectus; novit enim eſſe Deum, ſed contremiſcit. Iac. II. 19. tenebrarum catenis conſtricta eſt ejus voluntas Jud. v. 6. adeoque & in tenebris vivit easque amat, ut opera tenebrarum exſequi poſſit. *Hic niger* eſt, quaſi cauterio iræ divinæ ac indurationis notatus, quare cavendum ab eo. *Niger* eſt reſpectu tot impuritatum & abominationum, quibus ipſe eſt imbutus, & ad quas animas ſecuras & miſeras ſeducit, laqueis ſuis eas conſtringens & dirigens 2. Tim. II. 26. Eſt quoque quaſi *variegatus*, pro calliditate enim ſua modo hanc modo illam induit figuram, ſæpe enim ſimulat angelum lucis ad tentandos electos 2. Cor. XI. 14. qualis in tentatione Evæ apparebat. Sæpe tamen horribilem ac horrendum ſe manifeſtat per graviſſimas tentationes & tela ignea Eph. VI. 12. Recte ergo ei tribuuntur *βάθη profunditates* Apoc. II. 24.

VII. b. *Cibus* ſerpentis eſt *pulvis* terræ, qui per ſententiam Judicis ſupremi ipſi eſt aſſignatus. Gen. III. 14. ועפר תאכל כל ימי חייך *Et comedes pulverem omnibus vitæ diebus.* Ita Jeſ. LXV. 25. *Serpens comedet terram* Mich. VII. 17. *pulverem lingent inſtar ſerpentum.* Quare & LUCIAN. de *Dipſad. T. II. opp. p. m. 654.* Τὸ δὲ δὴ πάντων ἑρπετῶν δεινότατον, ὧν ἡ ψάμμ☉ς τρέφει, ἡ διψάς ἐςὶν, ὄφις ἐ πάνυ μέγας. *Omnium vero ſerpentium, quos arena nutrit, nocentiſſimus eſt Dipſas, ſerpens non adeo magnus.* Unde *Talmudici* in *Schabb.* dicunt:

טועמין

טועמין את הארץ כחויא *Comedunt terram, ut ſerpens.* NICANDER *Theriac. v.372.*

- νέμεται διψήρεας ὄγμες
Depaſcitur aridos ſulcos.

ARISTOTELES *hiſt. an. L. VIII. cap.4.* carne, herbis aliisque delitiis veſci eos afferit & *λιχνοτάτες τῶν ζώων* affirmat; ſed tamen cibus ipſorum plerumque pulvis dicitur, quem in terra repentes ſæpe inviti deglutiri coguntur.

Hoc ſi applices Diabolo, *pulvis*, ipſi in cibum poſt lapſum a Deo judice aſſignatus, denotabit tum corruptionem ipſam, tum homines corruptos. *Pulvis* corruptionis eſt Symb. ut ſupra *in Lib. I. Exerc. II. de anima in pulvere*, demonſtravimus. Hæc cibus eſt Diaboli, quia totus eſt corruptus, & impuritatem ac injuſtitiam imbibit ut aquas & deglutit ut cibos, noctu diuque pravitates meditatur, operatur. *Pulvis* dum ſymb. eſt *corporis mortalis* Eccl. XII. 7. hoc cibus eſt Diaboli poſt lapſum, dum poteſtatem mortis accepit Hebr. II. 14. & per ſeductionem ſuam mortem in homines derivavit Rom. V. 12. VI. 23. Et aculeum ſuum in corpus illud *χοϊκὸν* exercet Satanas. Inſuper & *pulvis* homines pravos denotat, qui cibus ejus ſunt, quia dominium in eos, qui ſecundum carnem vivunt, habet Rom. VIII. 13. Pſ. XVII, 14. Rom. VIII. 1. 2. Timoth. II. 26. Matth. XXV. 41.

VIII. c. Serpens ſua habet *latibula & ſpeluncas* ſubterraneas, in quibus degit & ſe occultat; Inſidias ex illis ſtruit viatoribus, quos ex improviſo aggreditur; quare Prov. XXX. 19. *via ſerpentis in petra* memoratur & Jeſ. XI. 8. de ſpecubus ſeu *antris viperarum* mentio fit. Unde & NICANDER de cervis, qui ſerpentes perſequuntur, canit:

τρόχ μαλαθ' αἱμασίας τε καὶ εἰλύες ἐρέυσι.
Saxa petunt ſepesque cavernarumque latebras.

VIRGIL. *Lib. V. Æneid.*

- adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit.

Reſpicit huc CICERO *orat. 33. in Varin. Repente enim tanquam ſerpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intuliſti.* Videatur & PHILO. *Opp. p. m. 157.* FRANZ. *hiſt. animal. p. IV. cap. I. p. m. 506.*

m.506. RHODIGIN. *Lect. Antiq. Lib. XXVI. cap. 33. p.m. 1482.* Conf. Gen. XLIX. 17.

Quomodo hoc Diabolo egregie conveniat, exprimit D. CHRYSOST. *hom. VIII. ad Rom. Diabolum habitare voluit tanquam prædonem quempiam ac Tyrannum, qui niſi quem apprehenderit inermem & ſolitarium, in ſuas ſpeluncas deſcendentem, accedere ſane non ſuſtinet; niſi nos per deſertum locum iter facientes viderit, appropinquare non audet. Deſertum autem diaboli nihil aliud eſt, quam peccatum.* Habet certe Satanas ſua latibula, varias occaſiones, quibus inſidiatur animabus improvidis, ſæpe corruptione naturali & carne hominis abutitur inſtrumento ſeductionis, nec non ratione perverſa & concupiſcentiis, quibus animas irretire tentat, 1. Pet. II. 11. porro malis conſuetudinibus hujus ævi idem efficit Rom. XII. 2. præcipue *latibulum* ejus eſt *mundus* cum delitiis & bonis externis, quibus oculos mentis obfuſcat, ut neglecto & rejecto Bono ſummo ac ſolido, terrenis inhient mortalis umbris; & ita retibus hiſce doloſis, in via lubrica hujus ævi expanſis, improvidæ animæ irretiantur. 1. Tim. VI. 12. 1. Joh. II. 15. 16.

IX. d. *Stridor* Serpentis atque *Sibilus* bene eſt notandus, qui exilis quidem eſt & ſubtilis, ut docet Ariſtoteles, ſed tamen maxime noxius. Huc reſpicit Vates Jer. XLVI. 22. קולה כנחש ילך כי בחיל ילכו ובקרדמות באו לה. *Vox illius quaſi Serpentis ibit, quando cum exercitu venient & cum ſecuribus illum aggredientur.* SYRUS vertit: ܩܠܗ ܕܚܝܠܐ ܐܝܟ ܚܘܝܐ ܕܪܚܫ *Vox exercitus erit ut ſerpentis reptitantis.* Quare & NICANDER *in Theriac. a variis citatus*

- Φολίσιν δὲ, καὶ οἶμον
Παῦρον ὑπυψοφέων καλάμης χύσιν οἷα διέρπει
- *dum ſerpit debile murmur*
Squamarum attritu, calcatæ ut arundinis, edat.

AVICENNA *Lib. V. p. 179. Alaphai ſunt ſerpentes plani capitis, lati maxime circa collum, colli valor tenuis, caudæ mutilæ,* ſibili *clari, & ſonori inceſſus.* ÆLIAN. *de animal. Lib. XV. c. 13.* Ἕρπει δὲ ἥσυχος ἐπιθλίβων τὰς τῆς νηδύος φολίδας, λοξὸν δὲ οἶμον πρόεισιν. ἠρέμα γοῦν ὑπηχεῖ. *Lente ſerpit, ventris ſquamas premens, tortuoſa autem via progreditur & leniter ſubſtrepit.*

Sibi-

Sibilus ſerpentis myſtici conſiſtit, partim in livore ac invidia Satanæ' quo perſequitur ſemen ſanctum, utpote cujus ſymbolum eſſe *ſtridorem* in genere ſupra *in Lib. I. Exerc.* VII. *de Stridore dentium,* docuimus. Nam Satanas absque omni gratiæ ſpe a Deo rejectus homini felicitatem ſuam invidet, eumque a communione Dei retrahere ſtudet, veluti invidiam ſuam in prima hominis tentatione & ſeductione abunde' demonſtravit. Partim vero *ſibilus* ejus ad blanditias Satanæ referri poteſt, quibus animas incredulas tanquam angelus lucis ſæpe allicit & varia contra convictiones cordis mentibus perſuadere ſtudet. 2. Cor. XI.3. veluti & hanc linguæ ſuæ volubilitatem & blanditias in prima tentatione manifeſtavit Gen. III. 1. 2. Et quis enumeraret omnes vias tortuoſas, quibus animas improvidas ſeducere tentat Serpens hic antiquus?

X. e. Variis *modis & plicis* Serpentes ſe inſinuant & implicant, unde plerumque & in nummis ſerpentes cernimus *implicitas.* Conf. SPANHEM. *de uſu & præſt. Numiſm.* p. m. 194. & p. 263. Ita quoque de vipera Pauli Act. XXVIII. 3. 4. dicitur, quod manui ejus ſe *implicuerit* & ab ea penderit. LEO BYZANT. *in Boeot.* apud PLUTARCH. *Lib. de fluv.* ὁ δὲ ὄφις τοῖς κόλποις περισφίγξας, αὐτὸν ἀνεῖλεν. *Serpens eum nexibus ſuis conſtrictum interemit.* NICANDER in *Theriac. v.* 475.

- σε καταφλέξῃ καὶ ἀνάγχῃ
πάντοθι μαςίζων οὐρῇ δέμας
Te exurat & conſtringat, corpus undique
Cauda feriens.

Recte ergo Satanas talis eſt Serpens tortuoſus atque incurvus, tot perverſis malitiis & pravis moliminibus deditus, adeo ut recte eum catenam & vinculum omnis malitiæ diceres, cui connexus injuſtitiæ tribui poteſt, uti ejus genuino filio, Simoni mago hoc teſtimonium exhibet Petrus Act. VIII. 23. Præcipue autem quando animam ſeducere & lethali vulnere infligere ſatagit, variis ſe inſinuat modis, mox per has, mox per illas eam vias adgreditur, donec eam reti ſuo implicuerit, & vinculis tenebrarum conſtrictam teneat 2. Tim. II. 26. Quis recenſeret omnes Satanæ μεθοδείας, quibus utitur ad ſeducendas animas, quot vias perverſas, quot blanditias excogitat, quibus eas attrahat, alliciat & denique lethali vulnere afficiat?

XI.

XI. ב. Tranſeamus porro ad qualitates Serpentum magis *internas* & occultas.

a. *Veneno* Serpentes turgere lethali & maxime noxio, conſtans Veterum ac recentiorum eſt ſententia. LUCIAN. *de Dipſad.* ἑρπετὰ γὰρ ποικίλα, μεγέθει τε μέγιστα, καὶ πλήθει πάμπολλα, καὶ τὰς μορφὰς ἀλλόκοτα, καὶ τὸν ἰὸν ἄμαχα. *Omnis enim generis ſerpentes locus ille alit, per magnos & varios, multitudine innumeros, forma terribiles, veneno præſentiſſimo inexpugnabiles.* Et paulo poſt: ὄφις οὐ πάνυ μέγας, ἐχίδνῃ ὅμοιος, τὸ δῆγμα βίαιος, τὸν ἰὸν παχὺς, ὀδύνας μὲν ἀλήκτους ἐπάγων εὐθύς. *Serpens non adeo magnus, viperæ ſimilis, violenti ictu, veneno craſſo, dolores illico inducit intolerabiles.* JOSEPH *Antiq. Lib. I. cap. 1.* exiſtimat, ſerpentem ante lapſum ſine veneno creatam fuiſſe, dicens: ἀφείλετο δὲ καὶ τὸν ὄφιν τὴν φωνὴν, ὀργισθεὶς ἐπὶ τῇ κακοηθείᾳ τῇ πρὸς τὸν Ἀδάμον. Καὶ ἰὸν ἐνέθηκεν ὑπὸ τὴν γλῶτταν αὐτῷ. *Serpenti autem vocem ademit, iratus quod erga Adamum vafre & malitioſe ſe geſſerit, venenumque ejus linguæ indidit.* Quod & ſatis eſt veroſimile, quam veneni ante lapſum nullus uſus eſſet, nec pœna hominum nulla deprehenderetur. Saltem venenum Serpentum & aſpidum tanquam maxime noxium & lethale conſideratur. Ita Job. XX. 14. מרורת פתנים & Devt. XXXII. 33. ראש פתנים memorantur. Quare ÆLIAN. *de anim. Lib. IX. cap. 61.* ὀξυτατόν ἐστι τὸ ἐξ αὐτῆς φάρμακον, καὶ διαδραμεῖν ὤκιστον. *Venenum ex eo maxime eſt acutum & facillime penetrans.* Hinc teſte HELIODORO, ſagittarii olim tela ſua veneno aſpidum atque ſerpentum imbuere ſolebant. Conf. plura apud BOCHART. *Hieroz. p. II. p. m. 380. ſq.*

Et quis neſcit, Diabolum veneno malitiæ, livoris, invidiæ ac blaſphemiæ omniumque peccatorum quaſi turgere? Ante lapſum quidem ac defectionem a Deo Angelus erat bonus, ſanctus, Dei amore & imagine exornatus, ſed dein venenum livoris ac invidiæ contra Creatorem & homines imbibens defecit, quare & in emphaſi vocatur ὁ πονηρός. *Malus.* conf. Matth. VI. 13. XIII. 38. Joh. XVII. 15. Eph. VI. 16. quia totus eſt corruptus & peccati veneno infectus, atque auctor omnis malitiæ & pravitatis in hominibus. Venenum ſuum exſerit per tot tela ignea ac venenata tentationum, quibus peccatores ad carnis & mundi voluptates trahit ac ſeducit 1. Petr. V. 8. Eph. VI. 12. 18. quæ tela lethifera ſcuto fidei ſunt

aver-

avertenda. Et niſi venenatis ejus morſibus ac illecebris reſiſtas, æterna morte maximos inter animæ cruciatus peribis.

XII. b. Serpens animal eſt *maledictum*; poſt lapſum enim & ſeductionem Parentum primorum, quæ per Serpentis inſtrumentum Diabolo ſucceſſit, ſerpens a Deo quoque cum Satana *maledictione* eſt oneratus. Ita Gen. III. 14. ſonat anathema: כי עשית זאת ארור אתה מכל הבהמה ומכל חית השדה. *Quoniam feciſti hoc, MALEDICTUS ſis præ omni beſtia & animali agri.* Recte & PHILO *Lib. II. allegor.* p.m. 55. Διὰ τίνα αἰτίαν χωρὶς ἀπολογίας ΚΑΤΑΡΑΤΑΙ τῷ ὄφει. *Quam ob cauſam absque ulla defenſione EXECRATIONES pronuntiat in Serpentem.* Quod vero Judæi ſomnient, maledictionem ſerpentis in eo conſiſtere, quod tardius & cum dolore pariat & ſeptem annis uterum ferat, fabulas redolet & ἄτοπα ſunt. Sufficit animal hoc ante gratum & amabile, poſt maledictionem venenatum omnibus factum eſſe horrori.

Diabolus quoque fulmine maledictionum divinarum proſtratus horret, quoniam ipſe ſeductione primi hominis juſto & ſancto Dei judicio maledictiones in hominem & omnes res creatas per peccatum derivavit. Hic Angelus cum aſſeclis ſuis absque omni gratiæ ac reconciliationis ſpe in æternum a communione Creatoris ſui excluſus, omnibus maledictionibus ac iræ divinæ ſignis premitur. In peccatis & malitia continuo pergit induratus, perpetuum odii ac iræ divinæ objectum. Joh. VIII. 44. 1. Joh. III. 4. catenis conſtrictus adſervatur ad majus anathema in illum pronuntiandum die judicii noviſſimo Jud. *v.* 6. 1. Petr. II. 4. Unde & vocatur בליעל nihil boni habens, nullius frugis creatura, Pſ. XVIII. 5. 2. Cor. VI. 15. Maledictio nempe æterna ipſi reſtat, ſcilicet abyſſus ſulphuris & ignis in pœnam ei cum angelis & ſubditis præparata. Apoc. XX. 10. Matth. XXV. 41. Matth. VIII. 19.

XIII. c. *Calliditas* & *aſtutia* Serpentum celebratur in ſcriptis ſacris & profanis. Gen. III. 1. dicitur ערים מכל חוית השדה אשר עשה אלוהים. *callidior* ſeu aſtutia majori præditus, *quam omnes beſtiæ agri, quas creaverat Deus.* Huc reſpicit Servator Matth. X. 16. Γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις. *Eſte igitur prudentes inſtar Serpentum.* Varia autem calliditatis ſpecimine recenſent Phyſiologi, exempli gratia, quod bibens venenum deponat, quod in via lateat & inſidietur viatoribus, quod

dormiens caput involvat ac tueatur, quæ omnia late tractat BOCHART. *Hier. P. I. p. 29. ſq.* Quare & ſerpens antiquis fuit Symb. prudentiæ & callidi conſilii. vid. CHOUL. *Relig. des anciens Rom. p.m.* 114.

Recte hoc applicat Satanæ AUGUSTINUS *Lib. XI. c. 29. Prudentiſſimus omnium beſtiarum id eſt aſtutiſſimus; ita dictus eſt Serpens propter aſtutiam Diaboli, qui in illo & de illo agebat dolum.* Plurima, quæ huc referri poſſunt Patrum loca vide apud GRELLOT. *Prodr. Apoc. p. 142.* Et ſane Diabolus recte Veteribus dictus mille artifex, qui longe majori præ hominibus calliditate pollet, qua ad malitiam abutitur. Præcipue autem eam exſerit per inſidias, quas in via latitans viatoribus ad patriam cœleſtem ſtruit. Niſi enim caute incedant, clypeo fidei, thorace juſtitiæ & calceis Evangelii muniti, inſilit eos tentationibus ſuis ac ut retrocedant ac relabantur, efficit. Mox Angelum lucis mentitur & ſub ſpecie veritatis tecte venenum proponit. Aggreditur animas, quando dubiæ, ſecuræ aut infirmæ ſunt; & quæ plures ſunt ejus μεθοδεῖαι Eph. VI. 12.

XIV. d. Serpens quoque mirum in modum *concupiſcentiæ* eſt dedita. Mira enim de eo exempla & ſpecimina referunt Phyſici. Inprimis notatur, fœminam in coitu ob nimiam libidinem maris caput morſibus abſcindere. Unde NICANDER *in Theriac. v. 130.*

Ἠκίνα θορνυμένου ἔχιος, θολερῷ κυνόδοντι
Θοὺρ ἰς ὀδὰξ ἐμφῦσα κάρην ἀπέκοψεν ὁμεύνου.
Cum ſtrenua fœmina, mari coeunti mordicus inhærens
Audaci dente conjugis ſui caput amputavit.

Ita & EUSTATH. *p. 43 in Hexaemer.* *Φασὶ δὲ τὴν ἔχιδναν διὰ ςόματος τοῦ ἄῤῥενος τὴν γονὴν δέχεσθαι, καὶ συναποκόπτειν τοῖς ὀδοῦσι αὐτὸ τὸ μόριον, καὶ ἀποκτείνειν αὐτόν.* *Viperam ajunt per os maris ſemen excipere, membroque dentibus exciſo illum occidere.* Exprimit hoc PRUDENT. *in Hamartigen. v. 588.*

- moriturum obſcoena maritum
Ore ſitit patulo, caput inſerit ille trilingue
Conjugis in fauces, atque oſcula fervidus intrat,
Nupta voluptatis vi ſaucia mordicus hauſtum
Frangit amatoris blanda inter fœdera guttur.

Ele-

Elegans hoc iterum emblema eſt naturæ Diaboli, qui totus concupiſcentiis ſuis pravis & voluptatibus eſt deditus. Hinc procul dubio tot Veterum Judæorum & Gentium, de Satanæ cum hominibus commercio voluptatis, fabulæ & figmenta orta ſunt. Saltem faſtus & concupiſcentia Satanam ex principatu ſuo & communione Dei præcipitarunt, unde & his vitiis non ſolum inhiat, ſed & miſeros mortales omnibus viribus ad eadem ſeducere tentat. Docent hoc tot monſtroſa impuræ voluptatis in idololatria Gentium ſpecimina & exempla, veluti in cultu Veneris, Pirapi, Baal-Peoris &c. quæ nominaſſe ſufficit. Sed & ſuis concupiſcentiis illaqueatur & ſtrangulatur ipſe Satanas, & gravi igne æternaque flamma luet Apoc. XX. 10. Jud. v. 6.

XV. e. *Incantationibus* obnoxii fuere Serpentes. Erant enim homines artium periti, qui vel herbis vel aliis artibus arcanis ſerpentum prohibere venenum poterant, ne ipſis nocerent. Huc reſpicit Pſaltes, Pſ. LVIII. 5. *Venenum eſt illis ſimile veneno Serpentis, ſicuti aſpidis ſurdæ, quæ aurem ſuam occludit, quæ non auſcultat voci muſſitantium & incantationum peritiſſimi.* Inprimis Ægyptii clari fuere ob incantationes, ut docet ÆLIAN. *de animal. Lib. VI. c. 33. p. m. 358.* Αἰγυπτίες ἐγὼ πυνθάνομαι μαγείᾳ τινὶ ἐπιχωρίῳ τῶν δὲ Φωλεῶν τὲς ὄφεις ἐπαοιδαῖς τισι καταγοητεύσαντες, εἶτα μέν τοι προάγεσι ῥᾶστα. *Ægyptios ſua propria quadam magica ratione accepi, ſerpentes primum incantare, deinde ex latibulis facillime extrahere.* conf. MARSHAM. *Canon. Chronic. Sect. IX. p. 148.* TEIXEIRA *Lib. I. hiſt. Perſ. c. 29.* de Indis teſtatur: *Illud in India ſæpe vidimus, ubi ſerpentes incantatos, eosque aliquando valde magnos & terribiles per vias & domos deducere gentiles ſolent, quos manibus illæſi tradunt & ad fiſtulæ ſonum ſaltare jubent &c.* Hiſce artibus venenum cohibere ſerpentem poterant, ut docet ORPHEUS *de Lapid.*

ῥοῖζόν τε ςῆσαι χαμαὶ ἐρχομένοιο Δράκοντος
εἴσεται, ἠδ᾽ ὄφεων ἰὸν σβέσαι ἑρπυςήρων.

Stridoremque ſiſtere humi venientis draconis ſciet,
Et ſerpentium repentium venenum exſtinguere.

Adhibebant herbas quasdam efficacis virtutis, & ut tegerent artem ſuam, addebant carmina & cantus. Huc reſpicit SIL. ITAL. *Lib. I. v. 411.*

 Nec

Nec non Serpentes, diro exarmare veneno
Doctus Atyr, cantuque graves ſopire chelydros.

Conf. locum Devt. XVIII. 11. quem vertit *Paraphraſtes* JONATHAN מחברין ואסירין חיוין ועקרבין וכל מיני רחשין *Qui ſociant & ligant ſerpentes & ſcorpiones & quascunque ſerpentium ſpecies.* Plura vide apud SPANHEM. *de uſu & præſt. num. p. m. 179.* ZORN. *bibl. antiq. Exeg. p. 691.* BOCHART. *Hier. I. p. m. 388.*

Quamvis & Satanas veneno ſuo omnibus, præcipue electis nocere ſtudeat, tamen & illis eſt antidotum contra omnes Satanæ tentationes, quo quaſi incantatur, ut virus ſuum deponere cogatur, nec nocere fidelibus ſcuto fidei armatis queat. Surdam equidem in gravioribus tentationibus viperam agit, nec incantationes fidelium per applicationem vivam promiſſionum verbi Dei, curat, ſed tandem tamen victus & proſtratus horret. Verbum enim Dei & promiſſiones veraces dulce illud carmen ſunt in ore fidelium, quo Satanæ molimina & tela venenata repellunt & exſtinguunt, ita ut ſub pedibus ipſorum proſtratus jaceat Rom. XVI. 20. nec ulla ipſi nocendi poteſtas ſuperſit Jeſ. XXV. 8. Hoc ſcuto armantur, ita ut omnia ejus tela venenata repercutiantur Eph. VI. 14. atque ſuperiores evadant.

XVI. c. Corollarii loco addemus *Serpentes* poſt lapſum ob maledictionem divinam omnibus mortalibus *odio fuiſſe* ab orbis initio. Recte HYPERIDES *in orat. contra Demad.* apud SVIDAM. ait: τὰς ὄφεις μισητὰς εἶναι πάντας. *Omnes ſerpentes odio dignos eſſe.* THEOCRIT. *Idyll. 15.*

ἐκ παιδὸς ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δέδοικα
A teneris mihi fuit horrori frigidus anguis.

Et apud ARTEMIDOR. *onirocr. Lib. II.* ὄφις δὲ νόσον σημαίνει, καὶ ἔχθραν ἐπάγει. *Serpens morbum ſignificat & inimicitiam portendit.* conf. LOMEIER *de luſtr. Vet. p. 108.* BOCHART. *Hieroz. P. I. Lib. I. c. 4.* Unde & proverbium eſt; *cane pejus & angue aliquid odiſſe.* Et illud

Frigidus, o pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

Hanc inimicitiam merito derivabis ex Gen. III. 15. ubi inter mulierem & ejus

ejus ſemen ac inter ſerpentem ejusque ſemen æternum ſtabilitum eſt odium. Conf. OLEAR. *de ὀφιολατρ. diſſ. p. m.* 6. 7.

Quare Satanas, ſerpens ille ſeductus, & nobis æterno odio eſt fugiendus. Ille hoſtis eſt primus noſter & ultimus, quare ſedulo ab eo eſt cavendum. Eſt *Leo rugiens*, qui circumit electos, ut ſi pote eſſet, eos deglutiat 1. Petr. V. 8. Eſt *κατήγορος* noſter perpetuus & hoſtis infenſiſſimus Apoc. XII. 13. Eſt *Latro & homicida*, qui animas noſtras æterna morte afficere ſtudet. Joh. VIII. 44. Quis illum non fugeret? quis non vigilaret! quis armatus ſcuto fidei & gladio Spiritus illi non reſiſteret? Væ illi, qui cum hoſte hoc infenſiſſimo, amicitiam ſæpe ſimulante, conſpirat, ille mortis aliquando triſtiſſimos fructus metet. Rom. VI. 21. Quare quisquis amat ſalutem animæ, hunc peſtis inſtar & anguis fugiat ſeductorem.

XVII. Supereſt ergo ſecundo loco, ut inquiramus rationes, cur *Serpens* vocetur *ANTIQUUS*, ὁ ὄφις ΑΡΧΑΙΟΣ.

1. Sunt Interpretes, qui cauſam hujus denominationis quærunt in *diuturna* Serpentum *ætate*, uti cenſet Cel. GRELLOT. *Prodr. Apoc.* p. 143. Et citat dictum Hebræorum in AVOD. ZAR. f. 31. *Quo magis ſeneſcunt ſerpentes, tanto magis robore accreſcunt.* Quare & inter aſtutiæ ſerpentum ſpecimina referunt, quod renovet ſenectutem, & per ſpinas ſeu foramen anguſtum repens cutim antiquam extrahat. Vid. DOUGTÆ. *anal. II. p.* 14. Et VIRGIL. *Lib. III. Georg.*

Cum poſitis novus exuviis nitidusque ſenecta
Volvitur.

Conf. SERVIUM *ad h. l. Virg.* J. SPODAN. *in Comm. ad Homer. Odyſſ. Lib. XVI. p.* 235. RHODIG. *Lect. antiq. p. m.* 1428. BOCHART. *Hieroz. P.* I. *p. m.* 28. Atque hoc ſenſu ſerpens *antiquus* eſſet ſerpens maximo robore & viribus valens, qui aſtutia longæva & veneno ſat ſpiſſo præditus maxime nocere poteſt.

2. Aſt rem curatius examinaſſe mihi videntur, qui Satanam *antiquum* dici *ſerpentem* ideo cenſent, quia jam ab initio primo homines per ſerpentem ſeduxit, & Lapſus Protoplaſtorum cauſa exſtitit principalis. Quod affirmant VITRINGA, MARCKIUS aliique eruditi ad h. l. Commentatores. An vero in hiſtoria Moſaica per *ſerpentem* intelliga-

 tur,

tur, ſtricte Satanas, uti Cel. VITRINGA l. c. cum aliis contendit, an vero ſerpens inſtrumentum Diaboli, ut alii Viri Doctiſſimi diſputant, jam non inquiremus, nec litem hanc noſtram faciemus. Licet facile largiamur, illos Viros Doctos optime quæque explicare poſſe, qui naturalem & myſticum ſerpentem conjungunt. Id quod Judæi quoque cenſent, ut ex fabula illa liquet, quam MOS. MAIMON. *in more Neboch. P.* II. *c. 30.* proponit, dicens: *At nec hoc prætereundum, quod in Midraſch adducunt Sapientes noſtri: Serpentem equitatum fuiſſe, quantitatem ejus inſtar cameli, & ſeſſorem ejus fuiſſe illum, qui decepit Evam, & hunc ſeſſorem fuiſſe Sammäelem.* Recte ergo Diabolus dici poterat *Serpens antiquus*, quin jam olim per ſerpentis inſtrumentum calliditate & aſtutia ſua parentes primos ſeduxit in principio creationis mundi, & poſtea per omnia ſecula V. & N. T. mortales ſeducere nunquam non pergit. Eodem ſenſu dicit Servator. Joh. VIII. 44. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & cupiditatem Patris veſtri exſequi vultis. Qui fuit* homicida a principio *& in veritate non perſeveravit.*

XVIII. En vivam Diaboli ſub figura ſerpentis effigiem! Quis non ab hoc ſibi cavere diſceret inimico adeo periculoſo? Hunc odio habeas, quicunque animam tuam ſervare cupis. Si Deus eſt hujus mundi, teſte Paulo, ergo diſce cavere a laqueis mundi, quibus te ſub dominium ſuum trahere tentat, ſoli dominio ſupremi Domini pare; excute jugum hujus tyranni per fidem in Chriſtum. Caput ipſi eſt contritum, nullam habet amplius poteſtatem, jus ipſi ademtum eſt, non ergo ſponte te ei ſubjicias. Vincere omnes ejus tentationes poteris, ſi ad Victorem ejus confugias. Princeps eſt tenebrarum, fuga ergo omnes tenebras luce gratiæ ac Evangelii, ſic dominari tibi non poterit. *Pulvis* ipſi *cibus* eſt, ergo ſurge e pulvere vitæ peccaminoſæ & corruptionis, ne & ipſe o peccator, æterna ipſius præda exiſtas. Neſcis blanditias & ſibilum hujus ſerpentis eſſe dulcem, aſt tamen maxime periculoſum? blandis te allicit verbis, blandis te ducit peccati & concupiſcentiarum laqueis, verum quum totus in vinculis ipſius hæres, tunc tyrannidem ejus miſer experieris. Exſpue venenum peccati, conſilia prava ac peſſima, quæ ſæpe ex tentationibus ejus imbibis, niſi æterna morte perire velis. Maledictus eſt hic ſerpens, ſi cum eo per peccata & impura opera communionem habes, maledictionibus te quoque ob-

obruet juſtitia divina. Neſcis adhuc calliditatem ejus, ſæpe angelum lucis mentitur, ut animam tuam pelliciat, quare lucem verbi Dei ſemper adhibe, gladio ſpiritus omnia repelle ejus molimina & conſilia prava. Fuge concupiſcentias, quibus Diabolo ſimilis evadis, finis enim earum mors eſt. Quo magis in amore Dei creſcere anhelas, eo magis creſce in odio erga Diabolum.

Tuque, o turba electa, hunc caveto, hic niger eſt. Circumit te ut Leo rugiens, ſed nulla ipſi eſt poteſtas te deglutiendi; eſt tibi κατήγορος perpetuus, ſed Chriſtus tibi eſt παράκλητος Zach. III. 1--3. Ne eredas ſibilo & blanditiis ipſius, ſi in angelum lucis ſe transformat & e latibulis ſuis inſidiatur animæ; tela venenata projicit, quare clypeo fidei & thorace juſtitiæ omnia βέλη πεπυρωμένα exſtingue. Jam adhuc tentationibus te infeſtat, ſed nunquam ipſius cibus exiſtes, utpote qui ex pulvere in cœlum ſurgis; ille potius aliquando cum hoſtibus tuis præcipitabitur in tartarum. Apoc. XX. 10.

EXERCITATIO VII.
DE
QUIETE MORTUORUM A LABORIBUS SUIS.
APOC. XIV. v. 13.
ARGUMENTUM.

§. I. Statum mortuorum beatorum recte dici Quietem, *probatur ex ſcriptis ſacris. §. II. Ex teſtimonio Judæorum. §. III. ex ſcriptis profanis Gentium. §. IV. Quid vox* Κόπος *& Lat* LABOR *deſignet, inquiritur. §. V. Omnes ejus ſignificationes applicantur ſtatui fidelium in hac terra. §. VI. Quo ſenſu ab omnibus hiſce κόποις QUIESCERE dicuntur beati, prolixe docetur. §. VII. Epilogo practico finis imponitur.*

I. Dul-

I.

DUlciſſima erat promiſſio, quam Vox illa cœleſtis denuntiabat APOC. XIV. 13. *Beati ab hoc tempore mortui, qui in Domino occumbunt, etiam dicit Spiritus.* ἵνα ΑΝΑΠΑΥΣΩΝΤΑΙ ἐκ τῶν ΚΟΠΩΝ αὐτῶν, *quod QUIESCANT a LABORIBUS ſuis.* Status beatorum poſt mortem in ſcriptis ſacris frequentiſſime ſub ſymbolo QUIETIS proponitur. Ita Jeſ. LVII. 1. *Quicunque ambulat in æquitate ſua, ingreditur pacem & QUIESCIT in conclavi ſuo.* Job. III. 12. *Nunc enim decumberem, & QUIESCEREM, dormirem & mihi eſſet QUIES.* Dan. XII. 13. *Tu autem abi ad terminum tuum: Et QUIESCES atque ſurges in ſorte tua ad terminum usque dierum.* Conf. Job. XI. 18. 1. Sam. XXVIII. 15. Apoc. VI. 9. Act. II. 26. &c.

II. Hæc phraſis ſæpe etiam in Scriptis Judæorum de mortuis ac beatis adhibetur. Unde toties legitur in Cippis & Monumentis Judæorum מנוחה בגן ערן שאר צריקי עולם REQUIES *ejus ſit in horto Edenis cum reliquis juſtis mundi.* Ita & votum pro mortuis ex MUNSTERO adducit Cel. VITRING. *Obſ. S. T. I. p. m. 203.* תנוח נפשו ומשכבו בשלום ישכב בשלום ויישן בשלום עד יבוא מנחם REQUIESCAT *anima ejus & requies ejus ſit in pace, cubet in pace & dormiat in pace, donec veniat Conſolator.* Et in *Jevammoth.* f. 49. ap. BUXTORF. *in Lexic.* formula legitur ונח ליה נפשיה *Et quievit anima ejus.* Ita & legimus in Epitaphio, quod exhibet J. FAES. *in not. ad* GYRALD. *de vario Sepel. ritu.* p. 717.

האבן הזאת
אשר שמתי מצבה לראש חזקן
ר" אליקים
ויקבר בחול המועד של
פסח יום ח' צה לפרט"ק
מנוחו בגן ערן עם שאר
צרקי עולם
א". א". א". ס'

LAPIS

LAPIS HIC
QUEM POSUI CAPITI SENIS MONUMENTUM
R. ELIAKIM
QUI SEPULTUS EST IN DIE PROFESTO PASCHATIS
VIII. ANNO. XCV. SUI. MINISTERII.
REQUIES EJUS IN HORTO EDEN CUM RELIQUIS
JUSTORUM MUNDI
AMEN. AMEN. AMEN. SELAH.

III. Eadem phraſis Scriptoribus *Græcis* æque ac *Latinis* eſt uſitatiſſima, ut ſtatum mortuorum ſub Symbolo QUIETIS exprimant. Ita *HERODIAN. hiſt. Lib. I. cap. IV. §. 8.* Ὁ μὲν οὖν νυκτός τε καὶ ἡμέρας ἐπιβιώσας μιᾶς, ΑΝΕΠΑΥΣΑΤΟ. *Quum diem unum ſolum noctemque ſupervixiſſet, REQUIEVIT.* Ita VIRGIL. *Lib. X. Æneid. v. 745.*

Olli dura QUIES oculos & ferreus urget
Somnus.

Et ÆNEID. *VI. v. 372.*

Sedibus ut ſaltem placidis in morte QUIESCAM.

Huc refer inſcriptiones, quæ legis apud GRUTER. *fol. 525. n. VI.*

ET. *QUIETI.* ÆTERNÆ. M.
AULINI. ANTONI. VET.
LEG. XXXV. PUDIC. TITIÆ
PRIVATÆ. CONJUGI. EJUS
VIVI. SIBI. POSTERISQUE. &c.

Et *fol. 857. n. 1.*

ANNIO. HILARO. ET. FLAVIO
ROMULO. ET. ANNIÆ
FELICIÆ. SOTERIDIS. QUORUM
CORPORA. VIRGINEA. HEIC
CONDITA. SUNT. AD. BENE
QUIESCENDUM.

Conf. plures ejuſmodi inſcriptiones in *Ven.* ALPHEN. *Diſſert. de Damaſco atergatis requie* p. 93. Ita & RAPH. FABRETT. *in explic. Inſcript. antiq. Cap. 7. p. 558.*

HIC. *REQUIESCIT.* IN. PACE
CALLIENICUS. EUNUCU
S. QUI. VIXIT. ANN. PLSM. XXX. &c.

Et apud GRUTER. *p. 1050. n. 12.*

HIC. *QUIESCIT.* CONTINUS. IN. PACE
QUI. VIXIT. ANNOS. P. M. XX. M. S. &c.

IV. Ut autem emblemata hæc rite excutiamus, videamus primo loco, quidnam pro ΚΟΠΟΥΣ intelligat Spiritus S. a quibus erant liberandi beati, & dein QUIETEM ipſam explicemus.

Vox ΚΟΠΟΣ a *κόπτω, ſcindo, tundo,* ortum trahit, & uſurpatur pro vocibus Hebr. עמל, און, יגיע pro עמל Devt. I. 12. Pſ. X. 7. XC. 10. pro און Hab. IV. 7. *Z*ach. X. 2. pro יגיע Nah. V. 13. Gen. XXXI. 42. Unde vox eſt ampliſſimæ ſignificationis. Labores ergo vocantur

a. *Peccata*, quæ cauſa ſunt omnis laboris ærumnoſi & moleſtiarum hujus vitæ. Ante lapſum homo in paradiſo abundantiſſimis hujus horti fructibus, ſponte naſcentibus delectabatur, ſed poſt lapſum audiebatur dura illa vox Gen. III. 19. *in ſudore faciei tuæ comedes panem tuum.* Quare peccata in ſcriptura quoque ut opus onerofum ac labor conſiderantur. Pſ. LV. 11. 22. *Iniquitas & perverſitas in medio ejus ſunt. Aerumnæ ſeu labores ſunt in medio ejus, nec recedunt a platea ejus fraus & dolus.* Pſ. XC. 10. *Dies annorum noſtrorum ſunt 70 anni, aut ſi robuſtiſſimi, octoginta. Excellentiſſimum eorum eſt labor & moleſtia.* Jeſ. LIX. 6. *Facta illorum ſunt facta iniquitatis & opus violentiæ eſt in manibus ipſorum.* Jer. XXV. 7. *non auſcultaſtis mihi, dictum Jehovah, ut provocaretis me opere manuum veſtrarum & malo veſtro.* Hab. I. 3. *quare facis ut videam iniquitatem & intuear moleſtiam ac violentiam tuam e regione mei.* conf. Deut. XXXI. 29. Jeſ. LVII. 10. Jer. XLIV. Coll. III. 9. Apoc. XVI. 11. &c.

b. Per κόπȣς ſcriptura quoque *pœnas* peccati, ejusque triſtiſſimas conſequentias exprimit. Huc reſpicit Job. c. VII. 23. *Sicut ſervus aſpirat ad umbram, & ſicut mercenarius exſpectat, dum fecerit. Sic contigit mihi ut poſſideam menſes vanitatis, & noctes moleſtiarum mihi ſint conſtitutæ.* Huc ſimul reſpicit Pſ. XC. 10. ubi κόπος pro און ſumitur, quæ vox peccati ſequelas & pœnam denotat. Nec non Jeſ. XLIII. 11. ubi Meſſias

in

in paſſionibus ſuis ob peccata populi ſui conſtitutus dicit: *Moleſtiis me premis ob peccata tua & fatigas me iniquitatibus tuis.* Idem reſpicit Lamech, quando de Meſſia ſub perſona Noachi vaticinium edit Gen. V. 29. *Hic conſolabitur nos de labore noſtro & dolore manuum noſtrarum, de maledictione, qua maledixit Jehova terræ.*

c. Per κόπȣς quoque intelligi poſſunt *labores ærumnoſi* ac opera manuum, quæ ad ſuſtentationem in hac vita requiruntur, quando poſt lapſum homo in ſudore faciei panem ſuum comedere tenetur. Unde de labore Agricolæ, qui non ſine moleſtia agrum aratro ſecare & ſementis conſerere debet, occurrit vox 2. Tim. II. 6. Et de labore, qui tempore Meſſis in metendis & colligendis per æſtum diei frugibus inſumitur Joh. IV. 38. conf. 1. Cor. III. 8. de labore ex architectura exercendo Neh. V. 13. Quo ſenſu generali de laboribus vox κόπ☉ occurrit apud ANACREON εἰς Ἔρωτα. III.

Μερόπων δὲ φῦλα πάντα
Κέαται ΚΟΠΩ δαμέντα
Et corpus omne ſomnos
Feſſum labore carpit:

Ita & VALER. FLACC. *Argon. Lib. V. v. 278.*

Nox hominum genus & duros miſerata LABORES
Retulerat feſſis optata ſilentia terris.

d. Κόπ☉ quoque labores *animæ* deſignat, ſpiritualia mentis immortalis opera, quatenus illa in hac vita non ſine curis, moleſtiis & periculis peraguntur. Ita de κόπῳ τῆς ἀγάπης loquitur Apoſtolus Hebr. VI. 10. Et de opere ſalutis cum tremore ac formidine κατεργαζομένῳ. Phil. II. 12. Ita & 1. Cor. XV. 58. monet Apoſtolus. *Stabiles eſtote & inconcuſſi, eminentes in opere Domini ſemper, quum ſciatis LABOREM veſtrum non eſſe fruſtraneum in Domino.* Quare Paulus 2. Cor. XI. 23. gloriatur de ſe tanquam περισσοτέρῳ ἐν ΚΟΠΟΙΣ pro reliquis Apoſtolis. Et de Eccleſia Epheſina teſtatur Archangelus Apoc. II. 2. *Novi opera tua.* καὶ τὸν ΚΟΠΟΝ σȣ. & v. 3. καὶ διὰ τὸ ὄνομά μȣ κεκοπίακας, & *propter nomen meum labores ſuſcepiſti.*

e. Præcipue & obſervamus vocem ΚΟΠΟΣ & *Labor*, uſurpari de defatigatione virium, quæ in *Agone* & *Lucta* Veterum ſolebat oriri, quo in-

primis reſpicit locus Apoc. II. 3. *κεκοπίακας propter nomen meum*, in agone & lucta propter nomen meum es defatigatus. Docet id clariſſime Apoſtolus, quando Col. I. 29. dicit: εἰς ὃ καὶ ΚΟΠΙΩ, ΑΓΩΝΙΖΟΜΕΝΟΣ κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ. *Quare & laboro, agonem ſuſcipiens ſecundum vim efficacem illius.* Quando curſores per arenam profundam ingenti virium intenſione currere tenebantur, de qua lucta vid. *Adami Obſ. philol.* p. 397. Unde illud HORAT. *de arte Poët.*

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, ſudavit & alſit.

conf. de hoc κόπῳ in lucta Veterum LYD. *agon. ſacr. p. m. 16. 62. 66.* FABRI *Agoniſt. p. m. 289. ſq.*

f. Denique & per κόπους ac labores intelligere poſſumus *miſerias, calamitates* ac *ærumnas* hujus vitæ, quarum complementum eſt mors corporis. Per has enim curas vitæ moleſtas homo quaſi κόπτεται ſcinditur & paulatim diſſolvitur in morte. Ita ſæpius κόπος adhibetur hoc ſenſu. Matth. XXVI. quid κόπους moleſtias excitatis huic mulieri? Luc. XI. 7. ne mihi κόπους moleſtias crees. coll. cap. XXVIII. 5. Sic Paulus inter pericula varia exantlata propter nomen Jeſu etiam κόπους recenſet 2. Cor. VI. 5. cap. XI. 27. conf. Pſ. XXV. 18. Job. IV. 8. Pſ. LXXIII. 15. 16. &c. Hoc ſenſu vox *labor* uſurpatur ap. VALER. FLACC. *Argon. Lib. IV. v.* 538.

- nunc me quoque curis
Eripe, & ad noſtros animum converte labores.

Et HORAT. *Sermon. L. I. ſat. IX.*

- nil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus.

V. Hinc jam ſponte liquet, quid per κόπους τῶν in Domino mortuorum intelligat Spiritus S. Omnes enim ſignificationes vocis κόπος ad ſtatum fidelium in hac terra, tanquam miſeriarum valle, commode applicare poſſumus.

1) Quis neſcit *peccatum* eſſe laborem illum & onus graviſſimum, quod humeros fidelium in hac vita adhuc premit? Pſ. XXXII. 3. Unde ſæpius exclamare coguntur cum Pſalte XXXVIII. 4. 5. 7. &c. *Non eſt pax in oſſibus meis propter peccatum meum. Iniquitates enim meæ tranſcendunt caput meum, ut onus grave graviores ſunt, quam quas perferrem. Diſtorqueor, incurvor valde, tota die atratus incedo, quia inteſtina mea plena ſunt*

ſunt vilitate, adeo ut non ſit integritas in tota carne mea. conf. Pſ. LI. 5. 6. & cum Job. VII. 20. 21. *Peccavi, quid faciam tibi, o cuſtos hominum, quare ponis me tibi in ſcopum? adeo ut ipſe mihi ſim oneri. Cur non condonas defectiones & aufers iniquitates meas.* conf. Dan. IX. 5-9. Telis peccati defatigantur, ut ſuſpiria alta trahant, & cubilia lacrymis imbuant. Pſ. VI. 7. 8.

2) Accedunt *iræ* divinæ ſigna, tanquam triſtiſſimæ peccati ſequelæ, quibus toto die & nocte defatigantur, manus hæc Dei dura eos premit, ut ſuccus ipſorum commutetur in ſiccitates æſtivas. Pſ. XXXII. 4. Quando benignus ille Pater faciem ſuam avertit & in crudelem ipſis mutatur inimicum Job. XXX. 21. & tela omnipotentis infixa ſunt cordi ipſorum Pſ. XXXVIII. 2. Sagittæ omnipotentis in ipſis graviores ſunt, quarum virus ebibit ſpiritum ipſorum, quando conturbationes acie inſtructa eos oppugnant, teſte Job. VI. 4. Ita exclamant Pſ. LXXXIX. 47. 48. *Quousque Jehova abſcondes te in æternum, ardebit tanquam ignis excandeſcentia? Recordare mei, quam breve ſit tempus meum.* conf. Thren. II. 24. Cap. III. 1.

3) Premunt fideles quoque ſæpius *labores publici*, & vitæ ſuſtentationem neceſſarii in hoc orbe, quando præcipue pauperes exiſtunt, & in ſudore faciei ſuæ panem comedunt Gen. III. 19. atque corpus duris & continuis laboribus defatigatur; quum poſt lapſum labor omnibus ſit injunctus Eph. IV. 28. quod nec Paulus ipſe reſpuit, qui nec gratis panem comedit: ſed cum labore & ærumna noctu diuque operans, ne fidelibus oneri eſſet 2. Theſſ. III. 8. Laboribus enim in mundo omnia venduntur, ut veteres recte dixerunt, conf. Prov. XIV. 23. Cap. XXXI. 13. Eccl. V. 11.

4) Præprimis autem *laboribus ſpiritualibus* defatigantur in hoc orbe, quando τὴν ἑαυτῦ σωτηρίαν κατεργάζονται cum tremore & formidine Phil. II. 12. Sunt inſtar *mercenariorum* in vinea Domini, qui diei æſtum & onus tolerantes continuis laboribus exercentur. Matth. XX. 1-12. Sunt *agricolæ* ſpirituales, qui cum lacrymis ſæpe & inter varias ærumnas ſemina ſpargunt, ut cum gaudio metere queant Pſ. CXXVI. 5. Sunt *ſtructores* ædificii ſpiritualis, ſe ipſum tanquam lapides vivos non ſine moleſtiarum ac ærumnarum exantlatione exſtruunt domum ſpiritualem

1. Petr. II. 5. exemplar hac in re exſtitit aliis Eccleſia Epheſina Apoc. II. 3. nec non Eccleſia Theſſalonicenſis, quæ cum efficaci fide laborem amoris conjungebat. 1. Theſſ. I. 3. Et hic eorum labor non eſt fruſtraneus, ſi in eo pergunt 1. Cor. XV. 58.

5) Labor porro ingens ipſis eſt exantlandus in *certamine & lucta* ſpirituali, ubi non ſolum quaſi in ſtadio conſtituti currunt abſque mora per profundas miſeriarum hujus vitæ arenas, donec ad ſcopum pertingant Phil. III. 9. Sed & tot hoſtes ipſis ſummo cum labore proſternendi & ſuperandi ſunt. Non enim ipſis lucta eſt ſolum adverſus ſanguinem & carnem, ſed & adverſus imperia, adverſus poteſtates & principes mundi, imo adverſus improbitates ſpirituales Eph. VI. 12. Satanas, princeps tenebrarum, fortiſſimus ille pugnam cum ipſis ſæpe init; & niſi clypeo fidei & gladio ſpiritus armati ipſi obſiſtant & ad ſanguinem usque decertent, facile proſtrati ſuccumbunt. Eph. VI. 11. 12. 13. Accedit mundus, qui mox minis & perſecutionibus, mox adulationibus ac illecebris ſuis ipſis inſidiatur, qui oculo fidei in æternas delitias directo, nec non precibus & amore Dei ſuperandus eſt. Nec deſinit *caro*, hoſtis in ſinu noſtro periculoſiſſimus, tentationibus ſuis & concupiſcentiis animæ inſulatare, cui vero fortiter per luctam precum eſt reſiſtendum conf. Gal. V. 17. 19. 1. Petr. II. 11. Apoc. II. 10. Recte ergo Jobus Cap. VII. 1. *Nonne vita hominis tota eſt militia, & dies ipſius inſtar dierum mercenarii.*

6) Et quis neſcit *curas, moleſtias, calamitates* & ærumnas hujus vitæ innumeras exantlandas eſſe electis in hoc orbe. Per multas enim adflictiones ingrediuntur regnum Dei Act. XIV. 22. Breves ſunt vitæ dies ſed plenæ ærumnarum Job. XIV. 1. Multæ ac variæ ſunt juſti afflictiones Pſ. XXXIV. 20. Cibantur in hoc orbe pane lacrymarum, & ſaturantur potu ſuſpiriorum, Pſ. LXXX. 6. Quis enumeraret tot morborum genera, quibus corpus ipſorum ſæpe proſcinditur? quis calamitates & infortunia adverſa hujus vitæ recenſeret, quibus obruuntur? Quis incommoda, tædia, curas, ærumnas ac oppreſſiones omnes enumeraret, quibus exagitantur in valle hac mortis electi? Hinc exclamant Rom. VII. 24. *Proh me miſerum hominem! quis me eripiet ex hoc corpore mortis?*

VI. Poſt laborem ærumnoſum dulcis ſequitur *Quies*, hinc ΑΝΑΠΑΥΣΩΝΤΑΙ, *QUIESCENT a laboribus ſuis beati*, teſtatur vox illa cœleſtis.

leſtis. Vox ΑΝΑΠΑΥΩ ceſſare & deſinere proprie denotat, & deſignat *quietem*, quæ in mente vel corpore exiſtit, quando labor, ærumna ac moleſtia ceſſat ac præteriit. Depingit ergo ſtatum felicem, remotum ab omni labore, ærumna ac ſolicitudine. Et talis erat ſtatus beatorum in futura vita poſt mortem. Tunc enim quieſcent a κόποις omnibus ſupra memoratis.

1. *Quieſcent* a laboribus *peccati*. Peccare enim deſinent in vita futura, quia corpus peccati erit abrogatum Rom. VII. 25. & in morte deponetur. Et omnia ipſorum peccata in profundum maris conjecta erunt Mich. VII. 19. adeoque nulla eorum unquam mentio recurret, plenaria enim remiſſio tunc exſpectatur. Hinc dulcis συνειδήσεως ἀνάπαυσις orietur, pax animæ inæſtimabilis & omnem rationem tranſcendens Phil. IV. 7. Hæc eſt dulciſſima illa quies, quam Salvator promittit animabus miſeris & onuſtis onere peccati Matth. XI. 29. Jer. VI. 16. quæ ex remiſſione & abolitione peccati orietur Rom. V. 1.

2. Quieſcent a laboribus, triſtiſſimis peccati *pœnis*. Remoto etenim & abrogato peccato, ſigna iræ divinæ in auguſtiſſima gratiæ ac favoris Dei τεκμήρια permutabuntur. Quum ira divina premit, contabeſcunt oſſa, quando vero læta Dei facies affulget, exhilarantur & læta redduntur Pſ. LI. 10. & dulcis oritur quies Hiob XIV. 6. Impii carent requie in inferno Apoc. XIV. 11. quia æterna Dei ira eos premit, aſt electi quieſcent absque ulla formidine, & in pace cubabunt, quia Deus eſt cuſtos ipſorum Zeph. III. 13. Pſ. IV. 9.

3. Quieſcent a *laboribus* ærumnoſis hujus vitæ, & ab operibus manuum ſuarum. Poſt mortem enim nec potu, nec cibo, neque veſtibus indigent, quare & laborem tunc nullus uſus, ſed omnium operum manuum finis & altum ſilentium erit. Sabbathum tunc illuceſcet æternum, in quo vere ab omni opere quieſcent, & poſt labores peractos dulce eſt quieſcere. Unde EURIPIDES.

Ἡδὺ σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.

Dulcis eſt laborum præteritorum memoria.

Quare & *Scholiaſtes Abilolæ* apud POCOK. *Miſcell. Philol. Cap. VII. p. 236.* الضجعة بعد الموت في البرزخ يستريح وبه الجسم من كد لازم الدعوبة. *Decubitus poſt mortem in Albarzach ſomnus eſt, dum*

dum in eo requieſcit corpus a labore, qui vitam neceſſario comitatur. Hoc eſt Sabbathum illud populo Dei reſervatum, in quod ſi quis intravit, quieſcit ab operibus ſuis, ſicut Deus a ſuis Hebr. IV. 9. 10.

d. Quieſcent inſuper a laboribus *ſpiritualibus*, nam tunc opus ipſorum erit conſummatum, quod cum tremore in hac vita operantur. Tanquam mercenarii in vinea Domini hac vitæ veſpera mercedem pro labore conſequentur Matth. XX. 10. 1. Cor. XV. 58. Tunc poterunt exclamare cum Apoſtolo 2. Tim. IV. 7. 8. *Certamen illud bonum decertavi, curſum peregi, fidem ſervavi. Quod reliquum eſt, repoſita mihi eſt corona juſtitiæ, quam dabit mihi Dominus in illo die, juſtus ille Judex.* Tunc enim fides operoſa mutabitur in viſionem, amor laborioſus in fruitionem. Licet non otioſæ erunt animæ beatorum, ſed Deum noctu diuque glorificabunt, tamen hoc ipſis non erit labor difficilis cum varia lucta conjunctus uti in hac vita, ſed ſponte quaſi fluens & ſummo cum gaudio ac libertate peragendus, in qua Dei glorificatione ſumma animæ quies conſiſtet.

e. Quieſcent quoque a *pugna ſpirituali* & a certamine in hac vita continuato. Omnes enim tunc hoſtes proſtrati ſub pedibus ſuccumbent Rom. XVI. 20. 1. Cor. XV. 57. Fides ipſorum ſuperavit mundum & omnia terrena, lunam quaſi pedibus conculcant Apoc. XII. 1. 1. Joh. V. 4. Corpus quoque in corruptione mortis purificatum ab omni peccati corruptione nullas amplius excitabit animæ tentationes aut concupiſcentiarum illecebras, ſed quieſcet ad diem judicii, in quo cum anima unitum, æterna quiete & pace tuta ab omnibus hoſtibus fruetur. Sic certamen in victoriam, pugna in triumphum permutabitur 1. Cor. XV. 56. Et poſt diros caſus, poſt tot diſcrimina rerum tandem in ſedes beatas, ubi alta pax & tuta quies dominatur, pervenient.

f. Denique quieſcent ab *ærumnis, calamitatibus* ac vitæ hujus miſeriis, quæ omnes in morte deſinent. Nam omnes lacrymas abſterget Deus, tanquam mater dulciſſima nos gremio excipiens & uberibus conſolationum largiſſimis recreans Jeſ. LXVI. 11. 13. Jeſ. XXV. 8. Nam tunc non erit luctus, nec clamor, nec dolor aut querela Apoc. XXI. 4. Sed in pace quieſcent in cubiculis ſuis Jeſ. LVII. 2. Quare & apud Gentes ipſas mors tanquam finis omnium malorum conſideretur. Ita ÆSCHYL. canit:

Ὡς

Ὡς οὐ δικαίως θάνατον ἔχονται βροτοὶ
Ὥσπερ μέγιστον ἴαμα τῶν πολλῶν κακῶν.
Sicut injuſte odio habent mortem mortales
Cum ſit optimum remedium omnium malorum,

Et *Epigrammatic.* Lib. I. *canit:*

Τὸν θάνατον τί φοβεῖσθε, τὸν ἡσυχίης γενετῆρα.
Mortem quare metuitis, qui quietem vobis procreat.

Unde & ſepulchra Veteres vocabant QUIETORIA. vid. GUTHER. de *jure Man. Lib. II. c. 20.* ubi hanc legis inſcriptionem.

P. SCANTIUS. PHILETUS
FECIT. SIBI. ET. SCANTIÆ
NICE. LIB.
QUIETORIUM.

Quare & Hebræis ſtatus mortuorum dicitur דומה *Silentium*, i. e. alta quies & pax tutiſſima.

VII. O terque quaterque felices, qui moriuntur in Domino, quibus hæc ſors quietis æternæ contingit. Qui vero hac ſpe delectari cupit, vivat quoque Domino, alias in eo mori non poterit. Abnega ergo o peccator omnes mundi delitias, crucifige omnes carnis concupiſcentias, pugna contra omnes Satanæ tentationes, totamque vitam & actiones ejus omnes ad gloriam Domini dirige. Sic vivere recte Domino, ſic eidem mori poteris. Deſiderasne quieſcere in morte ab operibus tuis? ergo jam operari oportet intenſis viribus & cum tremore ſalutis opus. Si quietem & pacem cœleſtem conſequi deſideras, pacem cum Satana & mundo ac ipſa tua carne abneges, & inimicitiam hiſce hoſtibus periculoſis indicas. Non enim conceditur victoria niſi certanti, non ſequitur triumphus niſi poſt pugnam conſummatam.

Beatus ille, qui in hoc ævo laboribus premitur, nam non niſi poſt duros caſus & varias afflictiones intrare in regnum cœlorum datur. Lætare ergo o turba electa Dei, jam noctu diuque anhelas opem Dei tui, jam ſub onere peccati ac ira divina ſæpe incedis incurvata, jam vires tuas defatigas in opere tibi demandato, jam variis huc & illuc agitaris periculis; ſed en diem felicem, qui quietem ab omnibus hiſce laboribus & ærumnis concedet, mors tibi eſt optatiſſima illa meta, ad quam pergens, coronam vitæ

tanquam brabeum illud ſplendidiſſimum conſequeris. Mors eſt portus ille tutiſſimus, in quo variis jactata fluctibus tandem alta ac beata pace frueris. O quam dulciſſima poſt tot exantlatos hujus vitæ labores, tædia & pericula, requies! Ambula quisquis hac delectari ſpe cupis, in æquitate, ſic quoque quieſces aliquando in cubiculo tuo. Jeſ. LVII. 2.

EXERCITATIO VIII.

DE

MONTIBUS IN BABYLONE MYSTICIS.

APOC. XVI. v. 20.

ARGUMENTUM.

§. I. MONTES Symb. eſſe rerumpublicarum & regnorum ex ſcriptis ſacris docetur & profanis. §. II. Ex analogiis emblema hoc enucleatur. Quatenus montes componuntur ex innumera arenarum copia. §. III. Excelſi ſunt & cacumina ſua in nubes & cœlum uſque pertingunt. §. IV. Aſcenſu ſunt admodum difficiles, unde montes Symb. ſunt difficultatum. §. V. Fulminibus maxime ſunt obnoxii ob celſitudinem. §. VI. Sæpe dantur montes ignivomi. §. VII. Quare & terræ motibus haud raro concuti ſolent. §. VIII. In montibus paſcua olim erant optima, licet & dentur montes ſteriles. §. IX. Arboribus quoque denſis ſæpe ſunt conſiti, & eapropter antra ferarum. §. X. Altaria & loca ſacra in montibus olim exſtructa, quare cultus ſacer in iis peragebatur, & Diis ſacri erant. §. XIII. Montes erant loca refugii, quare & caſtra veterum in montibus ſtructa. §. XII. Montium viſcera ſunt theſauri metallorum. §. XIII. Sepulchra Veterum in montibus plurima fuere. §. XIV. Loci erant publici, in quibus choreæ agitabantur, in luctu & gaudio publico. Hæc omnia applicantur Regnis & Rebuspublicis. §. XV. Senſus loci Apoc. XVI. 20. ex emblematis hujus natura eruitur. §. XVI. Epilogus practicus adjicitur.

§. I.

I.

MIra ſunt, quæ ſub tubicinio Angeli ſeptimi contigiſſe, memorat Spiritus S. APOC. XVI. 17--21. ubi inter alia notatu digna, quæ in terræ motu illo inſigni (quo urbs maxima *Babylon*, quæ emblema eſt notiſſimum *Antichriſtianiſmi*, corruebat) obſervabantur, occurrit etiam *v.* 20. *quod omnes inſulæ fugerint*, καὶ ΟΡΗ οὐχ εὑρέθησαν. *Et MONTES non reperirentur.* Phraſis deſumta eſt a terræ motibus maximis, quibus omnia miſcentur, & altiſſimi ſæpe montes ab antris ſubterraneis deglutiantur, & ita corruentes in planitiem convertantur. *MONTES* vero in ſcriptis ſacris emblema ſunt regnorum potentiorum ac fortiſſimorum. Ita David de regno ſuo. Pſ. XXX. 8 *Benevolentia tua conſtitueras in monte meo robur, te abſcondente faciem tuam conturbatus ſum.* Pſ. XLVI. 3. *Idcirco non formidaremus, ſi tellus commoveretur, aut concuterentur montes præcipitati in profunda maris.* Jeſ. II. 2. *Conſtituetur mons Domini in vertice aliorum montium & elatus ſupra colles*, i. e. regnum Meſſiæ ſupra omnia mundi regna elevabitur. Eſ. XL. 4. *omnes montes & colles deprimentur, curvumque convertetur in planum*, i. e. omnia regna mundi Chriſto ſubjicientur. Jeſ. LIV. 10. *Quamvis recedant montes & dimoveantur colles* i. e. regna & reſpublicæ pereant, *attamen benignitas mea non recedet.* Ita & in N. T. Apoc. VI. 14. *Cælum receſſit inſtar libri convoluti, & montes omnes ac inſulæ e locis ſuis commotæ ſunt.* Et Apoc. XVII. 9. 10. *Septem capita ſunt ſeptem montes, ſuper quos mulier ſedet, & Reges ſeptem ſunt.* conf. loca Pſ. LXXX. 11. Jeſ. LII. 7. Ez. VI. 2. XVII. 22. XXXVI. 1. 4. 8. XXXV. 3. Dan. II. 35. Matth. IV. 1. Cant. II. 8. 17. Zach. IV. 7. Recte Cel. VITRINGA in *Comm. in Jeſ. II. 14.* Adverſus MONTES altos & omnes COLLES elatos: h. e. ait: *ad ſubvertenda* REGNA & RESPUBLICAS, *ſive ſocietates majores & minores, quæ ſuis limitibus circumſcriptæ, ſi probe ſint confirmatæ, alte in mundo emineant, celebres ſint fama amplitudinis, potentiæ, auctoritatis, adeo ut difficilius adeantur, deſtruantur ac loco moveantur: Vere gerunt figuram & emblema montium & collium.* Conf. & Cl. COCCEJUM in *Apoc. VI. 14.* GURTLER. *Voc. Typ. proph. p.* 128.

II. Et ſane elegantiſſima eſt inter montes & Reſpublicas ac Regna analogia, cujus potiſſima tandem capita tetigiſſe ſufficiet.

1. Montes conſiſtunt & compoſiti ſunt ex innumera arenæ globulo-

 rum

rum ac lapidum multitudine, quæ invicem cohæret & in altum agglomerata montem conſtituit Job. Cap. XIV. 18. *Etenim mons corruens diffluit, & rupes refigitur e loco ſuo.* Unde & KIRCHER. in *Mund. ſubterr. L. II. c. X. T. I.* ait: *Notandum primo terrenum globum inæquali & difformi compage at non ſine ſumma providentia ita conſtitutum eſſe, ut in terreſtrium partium meditulliis maxime ſeſe mirandum oſtenderet. Dum maximorum & ingentium montium coacervationi veluti quosdam catenarum magnarum nodos innexuit, ad firmiorem totius compagis conſiſtentiam & firmitudinem.*

Ita Reſpublicæ & Regna conſtituuntur ex variis populis & ſubditorum ingenti multitudine, (qualis ſæpe arenæ comparatur, vid. Gen. XXII. 17. Joſ. XI. 4. 1. Reg. IV. 20. 29. Hoſ. I. 10.) qui ſecundum certas leges in ordine & harmonia conſervantur, & vinculo amoris mutui conſtringuntur. Sed quando ſubditi inter ſe ſunt diſſidio diviſi, regnum corruit, teſte Servatore Luc. XI. 17. Matth. XII. 25. viciſſim harmonia populorum ac ſubditorum regno firmitatem ac Reipublicæ robur addit, uti arenarum cohæſio mutua montis robur conſtituit.

III. 2. Montium *altitudo & cacumina*, quibus ad nubes usque ſæpe pertingunt, maxime ſunt celebrata. Ita cacumina montium ex aquis diluvii eminebant. Gen. VIII. 5. Ita vertex Montis Sinai celebris eſt ob legis lationem Exod. XIX. 20. XXIV. 17. XXXIV. 2. Et apex montis Gerizim Jud. IX. 7. conf. Gen. VII. 19. 20. Num. XXIII. 28. Joſ. XV. 8. Pſ. XCV. 4. Eſ. XXXVII. 24. Matth. IV. 8. Ita & apud HOMER. *Iliad. ε.*

-Ἔστησεν ἐπ' ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν.

Conſtitit ſuper montibus ſummitate ſua polum attingentibus.

Unde & *Quintus* CALAB. *Lib. II.*

Ἦμος δὲ ἠλιβάτων ὀρέων ὑπερέσσεται ἄκρης

Quum vero ad verticem montium ſoli uni præ altitudine acceſſorum pertigiſſet

STAT. *Theb. L. 3.*

Mons erat audaci ſubductus in aëra dorſo.

VALER. FLACC. *Lib. IV. v. 260.*

- - *ſummi nigreſcunt culmina montis.*

Al-

Altitudo monitum Regnorum ac Rerumpublicarum *excellentiam* notat ac ſimul *faſtum*, quo ſæpe turgent. *Excellentia* innuitur, quando Jeſ. II. 2. de *Monte Jehovæ* dicitur, quod *altior* ſit futurus omnibus reliquis *montibus* & elevandus ſuper omnes colles, quo regnum Meſſiæ innuitur, quod excellentius & præſtantius erat futurum omnibus terræ regnis. *Faſtum* regnorum innuit quoque altitudo ad nubes extenſa. Sic Obad. v. 4. de regno Edomæorum: *Si exaltares velut aquila, & inter ſtellas nidum tuum poneres, inde tamen dejicerem te.* Ita & Matth. XI. 23. *Et tu Capernaum, quæ es usque ad cœlum ſublata, usque ad inferiora deprimeris.* Jeſ. XXXVII. 24. Rex Aſſyrius teſtatur, *quod multitudine curruum ſuorum aſcenderit apices montium*, i. e. regna potentiſſima ſubegerit, & ſub poteſtatem ſuam depreſſerit. conf. & Apoc. XVIII. 7.

IV. 3. Montes *aſcenſu* ſunt *difficiles* ob altitudinem & cacumina prærupta, & non niſi per varios ambitus omnibus impenſis viribus aſcendi queunt. Unde Simſonis miraculum, quo portas Hazzæ humeris deportavit, ex eo redditur illuſtrius, quod eas in apicem montis altiſſimi detulerit Jud. XVI. 3. conf. Jer. XIII. 16. Et locus ſuper citatus de Aſſyrio, qui curribus ſuis vertices montium conſcenderit, Jeſ. XXXVII. 24. idem confirmat. Huc refer locum HERODIAN. *Hiſt. L. III. c. 1.* Ἐκέλευσε δὲ καὶ τοῦ Ταύρου ὄρους τὰ στενὰ καὶ κρημνώδη διαφράττεσθαι γενναίοις τείχεσί τε καὶ ἐρύμασι. πρόβλημα ὀχυρὸν νομίζων τῶν ἐν τῇ Ἀνατολῇ ἐθνῶν, τὸ δύσβατον τοῦ ὄρους. *Sed & Tauri montis anguſtias ac prærupta loca muro valido Niger monumentisque obſtruebat: ratus* ***MONTEM illum INACCESSUM****, magnum orienti propugnaculum futurum.* & *Lib. VI. Cap. V.* Τὸ μὲν γὰρ πεμφθὲν δι' Ἀρμενίας στρατιωτικὸν, μόλις καὶ χαλεπῶς ὑπερβαλὸν τὰ τῆς χώρας ὄρη, τραχύτατά τε ὄντα, καὶ κρημνωδέστατα. *Siquidem Exercitus per Armeniam juſſus, vix ægreque ſuperatis ejus regionis aſperrimis præruptiſſimisque montibus.* Quare *Montes* Symb. ſunt difficultatum 1. Cor. XIII. 2. Et in dicto Talmudicorum: *Non eſt litera in lege, a qua non magni pendeant* ההרים *Montes.*

Regna quoque non niſi ingenti exercituum robore ſuperantur. Exemplum habemus in regnis & regionibus Canaanitarum, qui gladiis ſæpe ſuperari non poterant, niſi potentiſſima Dei manus ſimul adjutrix Iſraeli adſtitiſſet. Ita exploratores referrebant Num. XIII. 32. *Non prævalebi-*

lebimus aſcendendo ad iſtum populum: nam fortior eſt nobis. Et experientia quotidiana docet, quot ſanguinum fluvios, quot capita mortalium, quot ſumtus & opes rapiat occupatio regnorum, urbium & rerumpublicarum. Ita & montes regnorum hujus mundi Eccleſiæ militanti in hac terra ſæpe ſunt offendiculo & impedimento, ne recta ad cœleſtem patriam tendere queant, ſed varia exantlare *prius* pericula debeant Pſ. XXIII. 4.

V. 4. Montes quoque *fulminibus* maxime ſunt obnoxii, præcipue quando apicibus ſuis ad nubes pertingant & in altum evehantur vertice ſuo. Ita de monte Sinai dicitur Deut. IV. 11. *quod mons ille arſerit igne usque ad ſummum cœlum*, qui, quam ſc. fulgura & tonitrua illum occuparent. Pſ. LXXXIII. 15. *ut ignis exurit ſylvam, ut flamma* ſc. fulguris *accendit Montes.* Huc reſpicitur, quando *Montes* dicuntur *liquefieri* inſtar ceræ Pſ. XCVII. 5. Mich. I. 4. conf. & Nah. II. 4-6. Deut. XXXII. 22. *ignis accenſus eſt ira mea, conſumet terram & proventum ejus ac inflammabit fundamenta montium.* Idem innuitur, quando *tangere* montes dicitur Jehova, ita ut *fument.* Pſ. CIV. 32. CXLIV. 5. Huc refer VIRGIL. *Lib. I. Georg.*

Ter Pater exſtructos disjecit fulmine montes.

Et ibid.

- ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo
Dejicit.

STATIUS *Theb. Lib. III. p. 317. ſq.*

In terras cadit ira Jovis, ſi quando nivalem
Othryn & Arctoæ gelidum caput inſtitit Oſſæ,
Armavitque in nube manum. Volat ignea moles,
Sæva Dei mandata ferens &c.

Faſtus quoque Regnorum & Rerumpublicarum Deo maxime eſt abominationi, & juſtiſſimam Judicis iram concitat. Obſiſtit enim Deus ſuperbo, ſed ſubmiſſo exhibet gratiam. 1. Petr. V. 5. Quare contra faſtum Aſſyrii ita proteſtatur Jehova Jeſ. XXXVII. 29. *quoniam autem contra me te effers, & furor tuus ad aures meas ſit delatus, ideo hamum imponam naribus tuis & frænum labiis tuis.* Et contra regnum Babyloniæ Jeſ. XLVII. 1. 5. *Deſcende ac ſede in pulvere virgo, filia Babylon. Sede cum ſilen-*

ſilentio & ingredere tenebras filia Chaldæorum, non perges vocari Domina regnorum. Quia confiſa es malitiæ tuæ, idcirco ſuperveniet tibi malum & obruet te ærumna & vaſtitas. Atque contra regnum Edomæorum OBAD. 3. 4. 5. 7. *Superbia animi tui decipit te, o qui habitas in fiſſuris petræ, in altiſſima habitatione. Si inſtar aquilæ nidum inter ſtellas poneres, dejicerem te. Usque ad fundum dejicient te & diripient fœderati tui.* Tela iræ & flammas excandeſcentiæ ſuæ, Judex ſupremus effundere ſolet in regna ſibi ſuoque regno contraria, ut funditus exſtirpentur, veluti regno Ægypti hoc prædicitur Jer. XLVI. 8. 10. & Moabitarum imperio Jer. XLVIII. 7. 18. Et Urbi ac Reipublicæ Ninevitarum Nah. II. 7. 8. 12. 13. Præcipue contra faſtum Zionis & Jacobi judiciorum Deus horrendorum fulmina torſit. Amos VI. 1. 8. 9.

VI. 5. Montes quidam ſunt *ignivomi,* qui ſulphuris ac ignis vapores exhalant, quibus homines ſæpe ac beſtiæ exſcinduntur & regiones circumjacentes devaſtantur. Talis eſt Siciliæ mons, Ætna, quæ 1537. plenos ignium fluvios evomuiſſe dicitur, ita ut per 5 leucas omnia circumquaque devaſtarit, teſte *Farello* apud NIEUWENTYD *Wereltbeſch.* Cap. XXII. p. m. 507. Similis in Inſula Java mons igneus 1586. flammarum tantum exſpuit copiam, ut ultra 10 millia hominum illius inſulæ fumo ac igne conſumta ſint. Talis eſt Veſuvius in Campania, Strongylus in inſulis Liparitanis, Hecla in Islandia. Similes quoque reperiuntur in Perſia, in inſula Zeilon, in inſulis Moluccis & Philippinis, in Bandanis mons Gourapi. Præcipue in America conſpiciuntur quam plurimi montes ignivomi; in ſolo Chilenſi 14 memorantur, in provincia Nicaragua, Peru, in vallibus Malahallo, aliisque regionibus. conf. KIRCHER. *Mund. ſubterr. T. I. p. m. 75.* it. *p. 180. ſq.* NIEUWENTYD *Wereltbeſch. C. XXII. p. m. 107. ſq.* RHODIGIN. *Lect. antiq. p. m. 520.* PLIN. *Hiſt. Nat. Lib. II. c. 106. p. m. 30. Lib. V. c. 5. p. m. 68.*

Montes ergo ignivomi denotabunt regna, quæ maxime ſunt noxia, quæ non ſolum ingentem peccatoribus ac idololatriæ aliarumque abominationum vaporem evomunt cœlum verſus & contra Deum ipſum, veluti de Aſſyrio conſtat Jeſ. XXXVII. 23. 24. qualis erat Sodoma & Gomorrha, cujus facinorum fœtor ad nares usque Dei deſcenderat Gen. XVIII. 20. 21. Sed & regna, quæ omnia bellis, excidiis, diſſidiis devaſtant. Ita

Ro-

Romanum imperium comparatur cum monte magno, *igne ardente*, qui erat conjiciendus in mare Apoc. VIII. 8. conf. Cel. VITRING. in *ἀνακ. ad h. l.* Ita Regnum Babyloniæ vocatur *mons perdens*, qui vaſtitatem inducit in totam terram, Jeſ. LI. 25. alluſione deſumta a montibus ignivomis. Et quemadmodum montes hi ignivomi tandem ſuo incendio ſæpe pereunt inteſtino & corruunt; quo alluditur Jer. l. c. quando additur, devolvam te ex petris & ponam te in *montem ruderum ex incendio*. Ita regna talia inteſtinis bellis, odiis & diſſidiis quoque conſumuntur ac intereunt. Nec non quando iræ Jehovæ flammis, quæ fundamenta montium conſumunt, accenduntur. Deut. XXXII. 22.

VII. 6. Montes ſæpe ingentibus *terræ motibus* concuti ſolent, ita ut altiſſimi ipſorum vertices in rudera convertantur, ac ſolo adæquentur colles ac montes altiſſimi. Huc alluditur Pſ. XVIII. 8. *Concutitur ac movetur tellus, & fundamenta montium commoventur, concutiuntur autem, quum ira ejus accenſa eſt.* Pſ. XLVI. 3. *Si commutaret terra locum, ſi concuterentur montes.* Jeſ. V. 25. *Percuſſit eum adeo, ut commoti fuiſſent ipſi montes, fuitque cadaver eorum ſuccisum in mediis plateis.* Nah. I. 5. *Montes commoventur ab eo & colles ſeſe diſſolvunt, & terra conflagrat a conſpectu ejus.* conf. Hab. IV. 6. 10. Iſtiusmodi terræ motus ex ignium ſubterraneorum inflammatione derivant plurimi vid. VOSS. *de Idol. Lib. III. cap. 63.* Montes vero ingentibus terræ motibus quaſi diſparere & *perire*, docet SERV. ad VIRGIL. *Lib. IX. Æneid.* ubi ad verba

Tum Sonitu Prochyta alta tremit.

commentatur; *Atqui hæc inſula plana eſt, ſed epitheton de præterito traxit. Nam ut dicit PLIN. in Hiſt. Nat. Inarimes mons fuit, qui terræ motu diffuſus, alteram inſulam fecit, quæ Prohcyta ab effuſione dicta eſt.* Huc præprimis alluditur hoc in loco noſtro, quando dicitur *Inſulas fugiſſe, & montes non eſſe repertos*, i. e. per terræ motum quaſi in planitiem converſos eſſe.

Terræ motus autem graviorum in Regnis & Rebuspublicis commotionum, mutationum, imo eorum interitus & excidii Symbolum ſunt. Ita JUSTIN. *Lib. XXX. c. 4.* ait: *Quo terræ motu territis omnibus, vates cecinere, oriens Romanorum imperium vetus Græcorum & Macedonum voraturum.* Conf. *Diſſert. noſtr. de Viſione Eliæ in monte Horeb. p. 16. ſq.*

Ita

Ita & in ſcriptis ſacris vide Pſ. LXVIII. 9. Jeſ. XXIV. 19. 20. Hagg. II. 7. 8. Jeſ. V. 25. Mich. I. 3. 4. ubi graviſſima Dei judicia & everſiones Rerumpublicarum ſub Symbolo terræ motus proponuntur. Innuit autem everſionem totalem & maxime horribilem, quæ ortum trahit ex ſulphure peccatorum & criminum, quæ in medio Reipublicæ cujusdam latent & igne iræ divinæ acceduntur, unde tot miſeræ mortalium clades! hinc agrorum ac regionum, urbium ac civitatum in Rupublica nobiliſſimarum ruina ac everſio! quæ ex ejusmodi terræ motu myſtico oritur.

VIII. 7. Montes quidam ſunt *ſteriles*, veluti montes Gilboæ 2. Sam. I. 21. quidam vero *paſcua* fertiliſſima pecudum exiſtunt. Huc reſpicit Dei mandatum Exod. XXXIV. 3. *Ne quisquam appareat in toto iſto monte: Etiam pecudes aut armenta, ne paſcantur e regione montis illius.* Job. XL. 15. *quamvis ei montes proventum ferant, & omnia agri animalia ibi ludant.* Pſ. L. 10. *Quum mea ſit omnis beſtia Sylvæ, & mille armenta in montibus.* Pſ. CXLVII. 8. *Qui terræ pluvias immittit, qui facit, ut gramen proferant montes.* Prov. XXVII. 25. *Simulac prodit gramen & conſpicitur herba, & colliguntur herbæ montium.* Huc alluditur Cant. IV. 1. quando de *grege caprarum in monte Gilead* loquitur Sponſus cœleſtis conf. Jer. L. 6. & Ezech. XXXIV. 13. 14. in quo loco poſteriori de frugiferis & paſcuis montibus terræ Canaanis agitur. Adde loca Exod. XV. 17. Devt. VIII. 8. XI. 11. 2. Par. XXVI. 10. Pſ. LXXII. 16. CIV. 13. CXXXIII. 3. Joel. III. 18. Amos IX. 13. Matth. XVIII. 12. Ite & VIRGIL. *Ecl. II.*

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ

RAPHAEL. *in Oedip. Tyrann. v.* 1038.

ἐνταῦθ᾽ ὀρείοις ποιμνίοις ἐπεστάτουν

Montanis gregibus ibi ego præeram.

THEOCRIT. *Idyll. 8.*

Μᾶλα νέμων (ὥς φαντι) κατ᾽ ὤρεα μακρὰ Μενάλκας

Oves paſcens, ut ajunt, & montibus altis Menalcas.

KIMCHI ad *Ezech. XXXIV.* העזים טוב מרעיתם בהרים והכבשים והרחלים בעמקים באפיקים. *Quia capræ libentius paſcunt in montibus, agni autem & oves in vallibus & aquarum alveis.* conf. Th. HASÆI *Diſſ. in Luc. XV.* 7. in BIBL. BREM. *T. I. p.* 123. BOCHART. *Hier. P. I. L. II. c. 46. p. m.* 515. TAUBMANN. *in Virgil. Lib. V. p. m.* 51.

Dantur quoque Regna & Reſpublicæ, quæ rore cœleſti mediorum gratiæ irrigatæ fructus juſtitiæ proferunt, & largis mediorum gratiæ arvis inſtructæ gregem Chriſti dulci cibo recreant. Hæc ſunt Regna & Reſpublicæ chriſtianæ, quæ rore ac pluvia verbi divini irrigantur. Huc reſpicit Pſaltes, Pſ. LXV. 13, 14. *Stillant in caulas deſerti, & exulatione cinguntur colles. Veſtiuntur paſcua gregibus & valles obteguntur frumento.* Talis erat Reſpublica Iſraelis, quæ comparatur cum *montibus* Canaæis, qui *paſcuis* bonis *abundabant* & pinguibus, in quibus grex Dei a Paſtoribus paſcebatur, Prophetis ſc. & Sacerdotibus Iſraelis. Ezech. XXXIV. 13-17. Dantur & ſteriles Gilboæ montes, regna idololatria vel craſſiori vel ſubtiliori imbuta, ubi infelix idololatrici cultus lolium & ſteriles propriæ juſtitiæ dominantur avenæ; quæ ſub maledictione divina poſita, non niſi abominationi ſunt tanquam deſerta horrida, conf. Jeſ. XXXV. 7.

IX. 8. In montium excelſorum antris atque ſpeluncis *latibula* quoque *ferarum* ſæpe inveniuntur, præcipue quando denſis conſiti ſunt *arboribus*, ut in quibusdam contigit montium collibus. Talis erat mons Zalmon Judic. IX. 48. Quare ad colligendos ramos arborum ad tabernaculorum feſtum exibat Iſrael in *montana* Neh. VIII. 15. Et de latibulis ferarum conf. Job. XL. 15. Pſ. L. 10 11. Pſ. CIV. 18. Præcipue autem huc refer locum Cant. IV. 8. *Mecum inde a Libano, o Sponſa, mecum inde a Libano venies. Contemplaberis a vertice Amanæ, a vertice Schenir & Chermon, e luſtris Leonum, e montibus pardorum.* Ejusmodi montes memorat ÆLIAN. *de animal. Lib. XVI. c. 20.* Ἐν τοῖς χωρίοις τοῖς ἐν Ἰνδίᾳ, λέγω δὴ τοῖς ἐνδοτάτω, ὄρη φασὶν εἶναι δύβατά τε καὶ ἔνθηρα, καὶ ἔχειν ζῶα ἄγρια. *Montes eſſe dicunt in intimis regionibus Indiæ, aſperrimos & feris refertos.* Huc VIRGIL. *Bucol. Ecl. V.* reſpicit.

Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit.

HORAT. *Lib. I. od. 23.*

Vitat hinnuleo me ſimilis chloë,
Quærenti pavidam montibus aviis
Matrem.

HOMER. *Iliad. μ.*

Ὡς τε λέων ὀρεσίτροφος.
Ut Leo in montibus nutritus.

Sunt

Sunt quoque regna quædam antra ferarum & triſte leonum ac pardorum receptaculum. Qualia ſunt omnia regna mundana, quæ jugum Chriſti excuſſerunt, vel nunquam receperunt. Ubi Pſeudoprophetæ, pellibus ovinis tecti lupi, dominantur Matth. VII. 15. tales erant feræ rapaces, quæ gregem Domini ex Iſraele in montibus paſcuis aberrantem ſine paſtoribus fidelibus, infeſtabant. conf. Ezech. XXXIV. 8. 25. Uti & regna gentium, montibus pardorum ſimilia, de quibus loquitur Sponſus Cant. IV. 8. Imo omnes in genere veritatis hoſtes feris rapacibus in ſcriptis ſacris comparantur conf. Pſ. LXVIII. 31. Pſ. VIII. 8 LXXIV. 19. LXXIX. 2. LXXX. 14. Eſ. XXXV. 9. Jer. L. 39. Ezech. XIV. 15. Hoſ. XIII. 8. Zeph. II. 14. 15. Ipſe Satanas, Leo rugiens 1. Petr. V. 8. cum impuris ſpiritibus ſæpius in imperiis quoque ſuum habitaculum erexit, & dominatur. Conf. Apoc. II. 13. 24. Talis erat mons Antichriſtianiſmi, Babylonis myſticæ, qui Apoc. XVIII. 2 *domicilium dæmonum & habitaculum ſpirituum impurorum ac receptaculum immundarum & exoſarum avium* dicitur.

X. 9. Montes inſuper *ſacri* erant apud Veteres, *lucos* enim ſacros atque *altaria* in iisdem fuiſſe exſtructa, conſtat. Principio equidem cultus quoque ſacer veri Dei in montibus fuit peractus ſub V. T. Ita Abraham in montanis Bethæ altare Jehovæ exſtruebat Gen. XII. 4. 5. Et Iſaac immolandus erat in uno montium Moriæ Gen. XXII. 2. 14. In monte Horeb ſerviturus erat Deo Iſrael Exod. III. 12. Ita holocauſtum in odorem gratum Jehovæ paratum erat in monte Sinai Num. XXVIII. 6. Et Joſua in monte Ebal altare exſtruxit Jehovæ Joſ. VIII. 30. Quare excelſa prius fuere licita Judæis, antequam idololatria gentium commaculata fuiſſent, vide late ex Scriptis Rabbinorum hæc diducentem BUCHER. *in Antiq. Bibl. p. 577. ſq.* conf. 1. Sam. IX. 12. 1. Reg. III. 4. Jud. VI. 18. 2. Sam. X. 8. XV. 7. 8. 1. Chron. XVI. 19. Quare & templum Dei deinceps in monte Moriæ exſtructum, qui mons Domini, mons ſacer dicitur Mich. IV. 1. 2. Jeſ. II. 2. Verum & gentes in montibus lucos & excelſa ſacra imo altaria exſtruxerunt, inque illis horrenda idololatriæ ſpecimina ediderunt. Ita Canaanæi Deos in montibus & collibus colebant. Deut. XII. 2. Ita legimus de excelſis Baal Num. XXII. 4. & במות און memorantur excelſa vanitatis Hoſ. X. 8. Et excelſa Cemoſch, quæ ex-

 ſtrui

ſtrui curabat Salomo in monte e conſpectu Hieroſolymæ 1. Reg. XI. 7. conf. 2. Par. XXI. 11. XXXIII. 15. Jeſ. LXV. 7. Jer. III. 6. 23. Ezech. XVIII. 6. Hoſ. IV. 13. huc quoque refer locum Jeſ. LVIII. 7. Varia huc Gentium teſtimonia adducere poſſemus, quæ coacervavit F. G. FREYTAG. in *Diſſ. de Sacris Gentium in montibus*, & quæ omnia excerpſit BUCH. *Antiq. Bibl. p. 559 ſq.* Ita HERODOT. *Lib. I. c. 131.* Οἱ δὲ νομίζουσι Διῒ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες θυσίας ἔρδειν. *Moris habent editiſſimis quibusque conſcenſis montibus Jovi hoſtias immolare.* XENOPHON Κυρου παιδ. *Lib. VIII. p. 233.* de Cyro teſtatur, quod Διῒ πατρῴῳ καὶ Ἡλίῳ καὶ τοῖς ἄλλοις Θεοῖς ἐπὶ τῶν ἄκρων ἔθυσεν, *Jovi patrio & Soli, & aliis Diis in ſummis montium jugis ſacrificia obtulerit.* Quare & aras & excelſa Diis in montibus exſtruebant, vide PAUSAN. *in Corinth. c. II.* DIODOR. SICUL. *Lib. XVII. c. 50.* & Cel. FABRIT. *Diſſ. de Excelſis p. 3.* necnon FREYTAG. *Diſſ. cit. de ſacris Gentium in montibus p. 8.* Elegans quoque locus eſt APOLL. RHOD. *Argon. L. I. v. 524.*

Καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν διὸς ἰκμαίοιο,
Ἱερά τ᾽ εὖ ἔρρεξεν ἐν οὔρεσιν ἀστέρι κείνῳ
Σειρίῳ αὐτῷ δὲ κρονίδῃ Διΐ.
Tum exſtructo altari magno Jovis humiferi
Sacra litato fecit in MONTIBUS & ſtellæ
Sirio & ipſi Jovi, Saturni filio.

Quare & apud GRUTER. *Inſcript f. 31.* memorantur DII MONTENSES, conf. 1. Reg. XX. 23. ubi de אלהי הרים mentio occurrit. Vid. de hoc loco egregie diſſerentem Cel. DEYLING. *Obſ. S. L. III. p. m. 123 ſq.* conf. etiam CUPER. *Apoth. Homer.* p. 16. & Cel. LAMP. in *Job. T. I.* p. 736. qui plures citat auctores. it. WITS. *Melet. Leid. d. 4. p. 302. ſq.*

Dantur quoque Regna & Respublicæ vero Dei cultui deditæ, dantur & idololatriæ turpiſſimæ tenaces. Eccleſia N. T. eſt mons Jehovæ, in quem aſcendunt electi ad Deum colendum & in luce ejus ambulandum. Jeſ. II. 3. 5. De ea emphatice loquitur Deus Jeſ. LVIII. 7. *Adducam eos ad MONTEM SANCTITATIS meæ, & lætificabo in domo precum mearum. Holocauſta & SACRIFICIA eorum gratiſſima erunt in altari meo.* Et Cap. LXVI 20. *Adducent fratres veſtros ex omnibus gentibus in* מנחה *ſacri-*

ſacrificium muneris Jehovæ ad MONTEM SANCTITATIS meæ. Dantur & regna idololatria & abominabili idolorum cultu imbuta. Tales erant 7 *illi montes*, in quibus mulier illa adultera, magna Babylon, mater ſcortationum & abominationum, ſedebat APOC. XVII. 3. 5. 9, per quos regna ſeptem idololatriæ veneno ebria intelligit Spiritus S. Alluditur autem ad Septimontium ſacrum urbis Romæ, qui aris & templis Deorum erat refertum, de quo vid. Cl. FREYTAG. *diſſ. cit. p. 13. 14.*

XI. 10. In *montibus* olim *caſtra* plerumque figebantur, quare veluti *refugii* loca apud Veteres habebantur; conſiderantur enim ob altitudinem tanquam loca munitiſſima. Inſtar *refugii* montes conſiderant ſcripta ſacra. Ita Gen. XIX. 17. 19. mons aſſignabatur in locum refugii, ut a flammis Sodomæ tutus exiſteret. Quare iter facientes ſæpe in montibus pernoctabant, uti Jacob & Laban. Gen. XXXI. 54. & Eliſa 2. Reg. II. 25. IV. 27. Ita quoque *caſtra* in montibus exſtructa legimus Deut. I. 6. 7. Jud. IX. 25. 1. Sam. XVII. 3. & David conſidebat in monte deſerti Ziph, & quamvis quæreret eum Saul, in manus ejus tamen non incidit 1. Sam. XXIII. 14. conf. cap. XXVI. 13. 1. Reg. XXII. 57. 2. Par. XVIII. 16. Ad caſtra veterum in montibus alludi quoque videtur Pſ. CXXI. 1. *Attollo oculos meos ad MONTES iſtos, unde veniet auxilium meum.* Et Jeſ. XXXIV. 3. quando montes ex *ſanguine confoſſorum liqueſcere* dicuntur. Et Thren. IV. 19. in *ipſis montibus inſectantur nos.* conf. & Ez. XXXIX. 2. 4. 17. Et quod montes refugii loca fuerint, eo alluditur Joel. II. 32. Obad. *v.* 17. Matth. XXIV, 16. Utrumque quoque confirmari poteſt ex FLOR. *Rer. Rom. Lib. IV. c. 11. Aſtures per idem tempus ingenti nomine a MONTIBUS ſuis deſcenderunt: nec temere ſumtus, ut Barbaris, impetus.* Et paulo poſt: *tum conſilio Cæſaris, qui fiduciam MONTIUM timens, in quos ſe recipiebant, caſtra ſua, ſed quæ in plano erant, habitare & incolere juſſit.*

Et regna quoque ſunt loca refugii, prout ſunt vel regna hujus mundi impia, vel regnum Chriſti, quod eſt regnum ſanctitatis & juſtitiæ. Montes regnorum hujus mundi ſunt ſedes belli & perſecutionum contra veros Dei filios, in his quaſi caſtra ſtruuntur, ut exſcindant ſemen Dei ſanctum; cujus exercitus Dux ipſe eſt Satanas, Princeps tenebrarum; quare Eccleſia Dei a caſtris horum montium oppugnata ad montem ſanctitatis Dei

confugit. Prov. XVIII. 10. Obad. *v.* 17. In illis montibus eſt locus refugii pro Satanæ mancipiis, quæ in regnis hujus mundi defenduntur atque plena poteſtate quælibet impia facinora perpetrandi fruuntur. Quare regnum Babylonis myſtice vocatur *domicilium dæmonum & receptaculum impurorum ſpirituum & avium exoſarum & immundarum* Apoc. XVIII. 1. Regnum vero Chriſti, mons ille ſanctus, eſt in quo deprehendit מחנים *coeleſtes exercitus* Cant. VI. 12. quia Johova צבאות in monte illo reſidet & gregem ſuum præparat inſtar *equorum decoris ſui in bello.* Zach. X. 3. ut ita reverti queant ad munimenta ſpe vincti Zach. IX. 12. *Nam Jehova exercituum deſcenſurus eſt ad pugnandum pro monte Zionis & colle ejus; & proteget Jehova Zebaoth Hieroſolymas protegendo eam eripiet.* Jeſ. XXXI. 4. 5. Sic in *monte* Zion erit פליטה *refugium* ſ. *liberatio* Joel. II. 32. III. 5. ſecundum Hebræum codicem.

XII. 11. Viſcera montium quorundam ſunt *bitumen*, *ſulphur & nitrum*, quorundam tamen *metalla* pretioſa, *aurum & argentum.* Quod ad montes priores, conſtat dari montes quamplurimos materia hac impletos, de quibus agit BURNET. *Theor. Sacr. tellur. Lib. III. cap. VII. & c. X.* AGRICOLA *Lib. III. de ortu & cauſ. ſubterran.* KIRCHER. *Mund. ſubterr. P. II. p. 145. ſq.* de quibus & ſupra conf. §. V. ubi de montibus ignivomis, eadem materia refertis egimus. Dantur vero & montes *metalliferi* auri, argenti, æris, & ſtanni theſauris ditati. Ita Deut. VIII. 9. *Terram in qua non comedes cum penuria panem, neque egebis in ea, terram, e cujus lapidibus ferrum, & e cujus MONTIBUS æs erues.* Unde & de *occultis theſauris* arenæ loquitur vates Deut. XXXIII. 19. reſpiciens ad metalla largiſſima montium. Recte KIRCHER. *in Mund. ſubt. P. I. p. 68. Quid montes aliud ſunt, quam metallicorum corporum promus condus inexhauſtus, in quorum concavitatibus per abditos meatus, ignis ſubterranei virtute & energia, velut in fornace quadam decocta & ad maturitatem deſideratam deducta in uſum mortalium egeruntur.* Talia ſunt Potoſi montana, de quibus *A. Coſta* apud KIRCHER. *Part. II. p. 208. ſq.* Huc quoque reſpici cenſent Viri docti in loco Deut. XXXIII. 25. *ferrum & æs ſub calceo tuo*, quod explicat R. Dav. KIMCHI *in lib. rad. ad v.* נעל ſcribens: ברזל ונחשת מנעלך כלו מדרך רגליך כהרים יהיה ברזל ונחשת ר"ל שיהיו בחלקו הרי ברזל ונחשת *Ferrum & æs erit calceus*

ceus tuus, idem eſt, ac ſi doceretur: Omnis calcatio pedum tuorum in montibus tuis erit ferrum & æs: Scilicet indicare vult, quod in portione ejus MONTES FERREI, ÆRISQUE feraces futuri ſint. Vel ut preſſius explicat R. BECHAI בחלקו יהיו הרי ברזל ונחשת *in portione ipſius erunt montes metalliferi* ſ. æris & ferri feraces. conf. late de hoc loco *Diſſ.* doctiſſ. Cel. WICHMANSHAUSEN de *Aſſere Metalli foſſ.* p. 50. ſq.

Hoc ſi denuo Regnis applices & Rebuspublicis, dantur regna hujus mundi, quæ ſcatent ſulphure peccatorum, idolulatriæ, injuſtitiæ, ac abominationum, quæ fomes quaſi ſunt flammarum iræ divinæ. De quibus Paulus Rom. I. 29. *oppleti ſunt injuſtitia, malitia, ſcortatione, improbitate, avaritia, pleni invidia, cæde, contentione, dolo, malignitate.* Qui proinde pro *duritie ſua* & corde reſipiſcentiam reſpuente, *ſibi theſaurum iræ divinæ recondunt in diem iræ & revelationis juſti Dei judicii* Rom. II. 5. quando ſc. inflammandi erunt fulgure & igne excandeſcentiæ Jehovæ, quæ fundamenta montium accendit Deut. XXXII 22. Dantur & regna Dei cognitione & amore imbuta, quæ benedictionibus divinis cumulantur, qui aurum, argentum, æs & reliqua metalla pretioſa, ſenſu myſtico intelligenda, quaſi in ſinu ſuo fovent, ſc. largiſſima gratiæ media, & merita Servatoris ſui, quæ ſunt aurum illud pretioſum quæ divites exiſtunt Apoc. III. 18. Pſ XIX. 11. Hiob XXVIII. 17. 19. Pſ. XLV. 10. Pſ. CXIX. 127. Prov. III. 14. Apoc. XXIII. 18. 21.

XIII. 12. *Sepulchra* in montibus excelſis quoque Veteribus fuerunt frequentiſſima. Ita Sarah ſepeliebatur in ſpelunca Macpelæ e regione Mamræ, ab Abrahamo coëmta Gen. XXIII. 19. Ita Aaron in monte Hor, & Moſes in monte Habarimorum Nebo ſepultus eſt. Devt. XXXII. 49. 50. Joſua in termino poſſeſſionis ſuæ Timnath-Chereſi, in monte Ephraim ſepulturam ſuam nactus eſt. Jud. c. II. 9. Teſtatur quoque ISIDOR. *opp. Lib. XV. c. 11. Apud majores potentes aut in montibus, aut ſub montibus ſepeliebantur. Inde tractum eſt, ut poſtea ſuper cadavera aut piramides fierent, aut ingentes columnæ collocarentur.* Uti & VIRGIL. *Lib. Æneid. v. 849.* teſtatur, canens:

- - - fuit ingens monte ſub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum.

ad quem locum vide TAUBMANN. *not.* qui citat illud LUCANI

Et regum cineres exſtructo monte quieſcant.

Conf.

Conf. SPENCER. de *Leg. Hebr. L. II. c. 11. p. 493.* Et ſupra *Exercit. noſtr. V. Lib. I. de ſepulchris dealbatis. §. 3.*

Regna hujus mundi ſæpe quoque ſunt ſepulchra, vel *aperta* vel *tecta*, quæ vel publice vel clam facinoroſis criminibus ſcatent Pſ. V. 10. & vermibus concupiſcentiæ corroduntur. Sepulchra quoque in regnis hujus mundi eſſe dici poſſunt, quoniam tot veritatis confeſſores abſorbent, præcipue Babylon illa myſtica, quæ ebria eſt ſanguine martyrum & teſtium ſanctorum Apoc. XVII. 6. XIX. 2. XX. 4. in quorum medio tot fidei heroes triſte & abominandum ſepulchrum nacti ſunt per martyria & ſupplicia inaudita & horrenda. Apoc. XIII. 15.

XIV. 13. In *montibus* olim publica vel lætitiæ vel *triſtitiæ* & *luctus*, ſigna edebantur & ſpecimina. Ita de filia Jephtæ legimus Jud. XI. 40. *abiens illa cum puellis amicis ſuis, deflevit virginitatem ſuam per illos montes,* Et Jer. XXXI. 15: *audita eſt vox in Rama, Lamentum & fletus amariſſimus, Rahel defiet filios ſuos.* Eodem alluditur Jeſ. XXV. 7. *Abſorbebit in monte hoc ſpeciem ipſius veli, obvelantis omnes populos:* quod deinceps v. 8--10. de ſublatione omnium lamentorum & querelarum exponitur. De lætitiæ choreis in montibus lege Jer. XXXI. 12. 13, *Venientes cantabunt in excelſo Zionis, & confluent ad bonitatem Jehovæ. Tunc lætabitur virgo in choro, juvenes ac ſenes una, cum mutavero luctum in lætitiam.* Et Jeſ. XL. 9. *aſcende in apicem montis, o quæ lætum Zioni affers nuntium, attolle cum efficacia vocem tuam, & evangeliza Hieroſolymis.* Eodem reſpicit locus egregius Jeſ. XLIX. 13. *Cantate o cœli, exulta o terra, & fragorem edite montes jubilis, quia conſolatur Jehova populum ſuum.* conf. Jeſ. LII. 7. Et Ezech. VII. 7. *advenit tempus, propinquus eſt dies vexationis, & non echus montium.* Ad luctum in montibus publicum reſpicit *Valer.* FLACC. *argon. Lib. III. v. 695.*

Et celſi mœrens petat ardua montis.
Non tamen & gemitus & inanes deſinit iras
Fundere.

Et *Lib. IV. v. 248.*

Et vacuos mœſto luſtrarunt lumi montes.

LUCRET. *Lib. V.*

Tibia quas fundit digitis pulſata canentum
Avia per nemora ac ſylvas, ſaltusque reperta.

Igno

Imo & *ſpeculas* habebant in montibus eorumque ſummo vertice, in quibus nuntii & cuſtodes erant conſtituti, qui edito ſigno omnibus vicinis populis ea ſignificabant, quæ vel triſtia vel læta audiverant, præcipue nuntii læti erant in ſpeculis montium, quo alluditur Jeſ. LII. 7. ubi KIMCHI והענין דרך משל כי ידוע הדבר בעולם כלו באלו אנשים על ההרים משמיעים קול הישועה. *Significatur metaphorice rem toto mundo notam fore, ac ſi homines ſuper montes publicarent nuntium ſalutis.* conf. late de hoc ritu differentem BOOT. *animadv. S.L.II. c.V.p.m.169.*

In Regnis quoque & Rebuspublicis in genere triſtes æque ac læti audiuntur nuntii, mox tuba belli raucos ebuccinat ſonos & terrore implet urbes & civitates, mox lætus pacis nuntius animos recreat ſubditorum. Sed in ſpecie quoque in regnis ſub Evangelii luce degentibus, per ſpeculatores in muris Hieroſolymæ conſtitutos, mox triſtia Dei judicia & horrenda maledictionis ſpecimina annuntiantur, mox ſuaves Evangelii ſoni & promiſſiones ac beneficia cœleſtia ebuccinantur Jeſ. LXII. 8. Jeſ. LII. 7. Jeſ. XL. 9. 10. In hiſce montibus mox triſtes ejulatus ob judicia Dei Eccleſiam infeſtantia & perſecutiones, mox dulciſona jubila, ob victoriam de hoſtibus veritatis & ſalutis per dextram altiſſimi reportatam audies. conf. Jeſ. XLIX. 14. Pſ. LXXVII. 8. 10. & viciſſim Jeſ. XXV. 8..9. XXXV. 10.

XV. Hiſce jam demonſtratis, & genuino ac largiſſimo hujus emblematis ſenſu excuſſo videamus quid Spiritus S. hoc loco innuat, quando dicit, *inſulas fugiſſe*, & *montes non fuiſſe repertos.* Scilicet alludit ad terræ motus graviores, quibus fundamenta gentium concutiuntur atque corruunt, ita ut in planitiem convertantur; vel ad graviores inundationes, quando montes per vim aquarum diſſolvuntur vel etiam aliis ex cauſis internis ſubſidunt. Unde illud SENECÆ

Flumina deficiunt, profugum mare litora ſiccat,
Subſidunt montes & juga celſa ruunt.

Et OVID. *metam. L. I.*

Quodque fuit campus, vallem decurſus aquarum
Fecit, & illuvie mons eſt deductus in æquor.

Imo integros montes diſparuiſſe, terræ motu concuſſos, variis exemplis comprobat KIRCHER. *Mund. Subterr. P. I. p. 77.* *Montes* ergo myſtici, i.e. Regna & Reſpublicæ Antichriſtianiſmi non reperiebantur amplius,

 i. e.

i. e. terræ motu & inundatione iræ divinæ quaſi deletæ erant. Nam Dan. II. 35. *lapis* ille ex monte exciſus, omnia regna, regno Chriſti adverſaria, confringeret & *comminueret*. Id quoque Regna & Reſpublicæ celebriores, regno Chriſti contrariæ, ultimo tempore N. T. erant experturæ, quando pomœria regni Chriſti glorioſi undique erant extendenda. Pſ. LXXII. 8.

XVI. Beata ergo tempora! quando omnia regna erunt Dei noſtri & uncti ipſius, quando mons Anti-Chriſtianiſmi ardens ſulphure & flammis in mare præcipitabitur, & fracta ejus poteſtate, non apparebit amplius. Beati, qui aſcendunt in montem ſenectutis Jehovæ, ut in luce ejus ambulent. Non equidem facilis eſt ad montem hunc aſcenſus, ſed maxima cum difficultate, non ſine curis, moleſtiis & laboribus apex ejus attingitur. Sed quis habitaturus eſt in monte ſanctitatis Dei? Reſpondet vates ſacer: *Qui ambulat cum integritate, & exercet juſtitiam, veritatemque loquitur ex animo ſuo. Non obtrectat lingua ſua, non afficit proximum ſuum malo*, Pſ. XV. 2. 3. Quo difficilior eſt aditus hujus montis, eo major impendi debet labor, deponendum eſt omne onus peccati & currendum animo indefeſſo in hoc ſtadio. Heb. XII. 2. Si mons hic eſt *paſcuus*, ergo aſcendant animæ juſtitiam anhelantes & famæ ſpirituali preſſæ, heic tanquam oves electæ Paſtoris illius boni, delitiis fruentur exquiſitis, & pinguedine montis Jehovæ ſatiabuntur. In hoc enim monte *convivium pinguitatum, convivium vini defæcati & pinguium ſaginariorum* præparatum eſt. Jeſ. XXV. 6. In hoc monte communione & luce Dei frui poſſumus, teget altiſſimus nos nube ſua, & gloria ipſius circumdabit nos, ut Moſen in Sinai. Exod. XXXIV. 5. 28. 29. In hoc monte ſanctitatis veros animæ theſauros ac divitias haud perituras invenies recluſos Matth. VI. 19. 20 ex hoc monte aurum & argentum juſtitiæ ac ſalutis per Chriſtum acquiſitæ, erues per fidem, & ſic æternum dives exiſtes atque beatus. Apoc. III. 18.

EXERCITATIO IX.

DE

NAVIBUS IN BABYLONE MYSTICIS.

APOC. XVIII. 19.

ARGUMENTUM.

§. I. *NAVES emblema eſſe Eccleſiæ vel veræ vel falſæ demonſtratur.* §. II. *Per*

Per partes in analogiis docetur, NAVES Babylonis myſticas Symbolum eſſe ſtatus Eccleſiaſtici Anti-Chriſtianiſmi, idque primo ex materia navium §. III. Dein ex variis earum partibus, cum conſtent ex prora & puppi. §. IV. Inſuper in iisdem notandi ſunt malus, cum velis & funibus. §. V. Porro tranſtra, remi & conti. §. VI. Gubernaculum quoque & anchora. §. VII. Signa denique varia navium. §. VIII. Perſonæ navium, tum magiſtratus tum ſubditi recenſentur & myſtico ſenſu exponuntur. §. IX. Varia navium genera exhibentur. Quædam ſunt ONERARIÆ, quibus divitiæ ac bona advehuntur. §. X. Quædam DELECTATIONI & recreationi deſtinatæ. §. XI. Quædam denique BELLICÆ, contra hoſtiles claſſes armatæ. §. XII. Tranſimus ad varios navium apud Veteres ornatus. §. XIII. Pericula navium in mari explicantur. §. XIV. Naufragium deſcribitur & myſtice exponitur. §. XV. Triumphus navium bellicarum explicatur & Eccleſiæ veræ Dei contra naves Babylonis myſticæ tribuitur. §. XVI. Epilogo practico finis imponitur.

§. I.

NAVES inter alias divitias & commoda maxima Babylonis relatas legimus APOC. XVIII. 19. *Vah, Vah, quod urbs illa magna, in qua omnes, qui habebant NAVES in mari, divites facti ſunt ex ipſius theſauris, una hora devaſtata eſt.* *Babylon* urbs illa celebris heic memorata, commune Antichriſtianiſmi Symbolum eſt, ut ex Jer. LI. 14. Jeſ. XLVII. 8. Apoc. XVIII. 2. XVII. 19. ſupponimus. NAVES autem in genere ſunt emblema Rerumpublicarum, regnorum aut regionum celebriorum. Quo ſenſu occurrunt Eſ. LX 9. *Me exſpectabunt Inſulæ & NAVES Oceani.* Et Jeſ. XXXIII. 21. *Per quem non poſſit ire NAVIS remigii, neque NAVIS MAGNA tranſibit per eum.* Eſ. XXIII. 14. *Ululate NAVES Tarſis, quia vaſtatur munimentum veſtrum.* In ſpecie ſunt emblema ſtatus Eccleſiaſtici atque Eccleſiæ ſive veræ ſive falſæ. Eccleſiæ veræ emblema eſſe navem docet Celeb. LAMPE *Comment. in Joh. T. II. p. 181. in not.* & ARING. *Rom. ſubterr. L. V. c. 9.* §. 7. GURTLER. *Voces typ. propb. p. 135.* HULS. *de vallib. Prophet. Exerc.* XIV. *p. m. 383.* *Eccleſia Antichriſti* ſæpe etiam ſub Symb. navis proponitur, ipſique navigatio tanquam Tyro & Babyloni myſticæ, tribuitur. vide Jeſ. II. 16. Ezech. XXVII. 4. 25.

Apoc. XVIII. 17. conf. Cel. LAMP. *in Pſ. XLV. Exerc. X. §. 29. p. 480.* Præcipue quoque *Romana* Reſpublica, & urbs *Roma* ſub emblemate Navis occurrit, non ſolum in illo HORATII *Lib. I. Od.* 14.

> *O* NAVIS *referent in mare te novi*
> *Fluctus, o quid agis? fortiter occupa*
> *Portum.*

Quo reſpicit SILIUS *Ital. Lib.* IV. *v.* 713.

> - *Clavumque regendæ*
> *Invaſit patriæ*

CICERO *pro Sextio. Quis enim clavum tanti imperii & gubernacula Reipublicæ tractare in maximo curſu ac fluctibus poſſe arbitraretur hominem.* conf. DION. *Lib.* LII. *p.* 465. *& Scholiaſt. ad* Sophocl. *Oedip. Tyrann. p.* 71. LAMP. *in Pſ.* XLV. *p.* 480. Huc refer nummos varios apud GOLZIUM cum navibus & inſcriptione ROMA, nempe in *Faſt. Magiſtr. & triumph.* p. 89. 108. 110. 128. 189. Nec non naves cum inſcriptione FELICITATI AUGUSTI. uti nummus apud OISEL. *de Num. Imper. Tabul.* LVI. *n.* 12. per quam felicitas imperii ſub Hadriano depingitur, nec non Tab. LVII. n. 1. Navis cum Gubernatore & inſcriptione, FELICITAS TEMP. quem expreſſum vides nummum in Tab. noſtra præfixa. n. 17. conf. & numos citatos & expreſſos a Cel. LAMP. in *Pſ. XLV. p.* 481. ZORN. *Bibl. Exeg. p.* 80. qui ex BELLORIO *in Obſ. ad Vet. lucernas ſepulchrales* citat NAVEM myſticam *Petri*, Eccleſiam Romanam pingentem p. 83.

II. Commodiſſime ergo etiam hoc loco *Naves* Symbolum eſſe queunt *Eccleſiarum* ſeu ſtatus Eccleſiaſtici Babylonis, i. e. Antichriſtianiſmi. Elegantes inter Eccleſias Antichriſti & Naves deprehendimus analogias.

a. *Materia* Navium diverſiſſima fuit apud Veteres. In Ægypto & aliis regionibus primis temporibus ex *papyro* formatæ erant *naviculæ*, ita teſtatur LUCAN. *Lib. IV. v.* 135.

> - - *tenet omnia Nilus*
> *Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.*

PLUTARCH. de *Iſid. & Oſirid.* Τὴν δὲ Ἶσιν λέγουσι πυθομένην ἀναζητεῖν ἐν βάριδι παπυρίνῃ τὰ δὲ ἕλη διεπλεύσαν. ὅθεν οὐκ ἀδικεῖσθαι

τοὺς

τὲς ἐν παπυρίνοις σκάφεσι πλέοντας ὑπὸ τῶν κροκοδείλων ἢ φοβουμένων ἢ σεβομένων διὰ τὴν Θεόν. *Ferunt Iſidem re comperta paludes papyracea navicula pernavigaſſe & fruſtra quæſiviſſe. Hinc eſſe quod qui papyraceis navigiis vehuntur, non infeſtentur a crocodilis, aut metuentibus aut, venerantibus eos, propter Deam.* Conf. ZORN. *bibl. Exeg. antiq. p.* 427. & 126. Th. HASÆI *diſſ. de* צלצל כנפים *in Bibl. Brem.* T. VI. *l.* 2. *p.* 341. SCHEFFER. *de milit. naval. L. IV. c.* 4. Huc alluditur Jeſ. XVIII. 2. quando כלי גמא *vaſa ex ſcirpo* memorantur. Apud alias gentes & ſequentibus temporibus robuſtiores naves ex *lignis* aridis ſtruxerunt, præcipue ex larice, pinu & abiete, unde VIRGIL.

Naſcitur & caſus abies viſura marinos.

LUCAN. *Lib. III. p.* 440.

Procumbunt orni, nodoſa impellitur ilex,
Sylvaque Dodones, & fluctibus aptior alnus.

Tabulæ hæ compactæ ex lignis *cera* vel *pice* quoad juncturas occludebantur. Val. FLACC. *Argon. Lib. I.*

Parte trahat tacitum puppis mare, fiſſaque fluctu,
Vel pice vel molli concludere vulnera cera.

Haud diſſimilis quoque eſt ejusmodi navibus ſtatus Eccleſiaſticus ac religio Antichriſtianiſmi; Primordia erunt exigua, leviores erunt cærimoniæ, quas ſibi cudebant initio Doctores quidam, & doctrinæ capita leviora ſeligebant, paulatim vero incrementa majora nanciſcebatur Antichriſtus, quando non ſolum numero aſſeclarum gaudebat, ſed & religionem ſuam argumentis gravioribus ſpecie externa confirmabat, & variis externis ritibus ceu pice & cera obſignabat, ita ut ingentem confeſſorum numerum recipere, nec facile ita confirmatus hic ſtatus corruere aut fluctibus mergi poſſet, ſed manet tamen hoc ædificium, *ligna, fœnum, ſtipula* 1. Cor. III. 11.

III. b. *Partes* Navium ſi conſideres, varias deprehendes (1) *Primo* equidem notamus potiores ſc. PRORAM ſeu *roſtrum* atque PUPPIM. De ROSTRO vide PLIN. *Lib. XXXII. cap. I.* POLLUC. *Lib. I. cap.* 9. Τὸ δὲ κατὰ λῆγον αὐτῆς ἐπὶ τὴν ΠΡΩΡΑΝ προεμβολίς, τὸ δὲ ὑπ' αὐτὴν ἜΜΒΩΛΟΝ. *Ejus* (navis) *juxta PRORAM terminus eſt, quod proembolum vocatur, quod autem ſub ea parte,* ROSTRUM *dicitur.* Huc reſpicit LUCAN. *Lib.* III, 700.

- - nam murmure vaſto
Impulſum ROSTRIS *ſonuit mare.*

Proras autem ære & ferro munire ſolebant, unde VIRGIL. *Lib.* IX. *Æneid.*

Reddunt ſe totidem facies, pontoque feruntur,
Quot prius ARATÆ *ſteterant ad litora* PRORÆ.

ISIDOR. *Lib.* XIV. cauſam reddit: *Priſci ferro & ære proras navium armabant propter Scopulos, ne ſcilicet feriantur aut collidantur.* Vide roſtra & proras Navium in variis nummis, quos exhibet SCHEFF. de *milit. naval. p.* 125 *ſq.* & OISEL. *Tab.* XLII. *n.* 12. BEGER. *theſ. num. Tab.* XXXI. *n.* 17. & *Tab.* VII. *n.* 16. De *puppi* ſ. πρύμνα conſtat, illam elatam fuiſſe & excelſam in navibus eminentem, unde VIRGIL. Lib. X. *Æneid.*

Stans CELSA in PUPPI.

OVID. *Lib. XI. metam. v.* 465.

- - ſtantemque in PUPPE recurva.

LUCIAN. *Lib.* III.

- - ſtat quisque ſuæ de robore PUPPIS
Pronus in adverſos ictus.

Et paulo poſt.

Ut primum roſtris crepuerunt obvia roſtra.
In puppim rediere rates.

Proram & puppim navis Eccleſiæ orientem & occidentem eſſe dicit HIPPOLYTUS de *Chriſt. & Antichriſt.* §. 59. ſcribens: ἔςι γὰρ ἀυτῆς μὲν πρῶρα ἡ ἀνατολὴ, πρύμνα δὲ ἡ δύσις. *Eſt enim ejus prora oriens, puppis vero occidens.* Hoc ſenſu prora Eccleſiam Antichriſtianiſmi orientalem & puppis ejusdem occidentalem deſignare apte poſſet. Verum & ſtatum Eccleſiæ Antichriſti duplicem per proram & puppim depingi commode credimus, ita ut *prora* deſignet *brachium ſeculare,* quo religionem ſuam per mare hujus orbis propagare ſtudent, dum vi ac armis eam defendunt, & quando ſuperiores evadunt, omnes Eccleſias Proteſtantes armis ſubigunt, & cogunt, ut animal hoc, quod loquitur ut Draco, ſed cornua externæ ſpeciei habet inſtar agni, adorent, eique ſe ſubjiciant Apoc. XIII. 1. 7. 8. 11. 14. 15. *Puppis* vero machinas & molimina *brachii Eccleſiaſtici* denotabit, quibus religionem ſuam impiam propagant, quam vel minis horrendis inquiſitionum plus quam barbararum ac cruentarum, vel etiam adulationibus, praemiis, honorum titulis ac opibus improvidas

vidas animas alliciant & imperio ſuo ſubjiciant. Quare religio Antichriſti comparatur cum ſcortatione,& doctrina ejus cum calice incantationum, qua gentes inebriantur ac ſopiuntur. Apoc. XVIII. 3. Divitias quibus allicit animas, recenſet Spiritus S. v. 12. 13. Et conf. Ezech. XXVIII. 13-17.

IV. (2) Sequuntur ſecundo loco partes ſpecialiores navium, veluti MALUS cum VELIS & FUNIBUS. Hæc tria conjuncta legis apud HOMER. *Odyſſ lib. XV. v. 290.*

> Ἱςὸν δὲ εἰλάτινον κόιλης ἔντοσθε μεσόδμης
> Στῆσαν ἀείραντες· κατὰ δὲ προτόνοισιν ἔδησαν
> Ἕλκον δ' ἱςία λευκὰ ἐϋςρέπτοισι βοεῦσι.
> *MALUM autem abiegnum intra tabulatum*
> *Statuerunt erectum. FUNIBUS autem deligaverunt,*
> *Traxerunt* VELA *alba bene verſis loris.*

Conjuncta etiam vides in illo HORAT. *lib.* I. *Od.* 14.

> *Et* MALUS *celeri ſaucius Africæ,*
> *Antennæque gemant, ac ſine* FUNIBUS
> *Vix durare carinæ*
> *Poſſint imperio ſuis*
> *Æquor, non tibi ſunt integra* LINTEA.

MALUS eſt in medio navis erectus, unde ARISTOTEL. in VI. *Quæſt. Mech. c. 2. Navis conſtruitur ex circuli hypotheſibus, ita nimirum, ut* MALUS *ſit ſemidiameter, qui exſurgat ex ipſi navis centro.* De malo quoque elegantem deſcriptionem exhibet APULEJ. *in Aſin. Malus inſurgit pinus rotunda, ſplendore ſublimis, inſignis, carcheſio conſpicua.* conf. SCHEFF. de *Milit. Nav. lib.* II. *cap. V. Malum* cum *funibus* quoque & carcheſio ſummo, quod crux eſt, videmus expreſſum in nummo apud OISEL. *Num. Imp.* Tab. XXVI. n. 4. cum inſcriptione DORESTATUS, qui eſt nummus Ludovici Pii Imperat. conf. *Comment.* OISEL. *ad h. num p. 115.* D. VELIS conſtat, ea malo eſſe alligata *funibus*, dum navis æquora ſulcat, & ventus favet, vela expanduntur, atque ita quaſi *alis* ſuis *volat* per maris fluctus. VIRGIL. Lib. III. *Æneid. v. 520.*

> - - *nos caſtra movemus*
> *Tentamusque viam, &* VELORUM *pandimus alas.*

Unde & EUSTATH. ad *Homer. Il. α.* Ἀρχὴ δὲ γέγονε τοῦ ΠΤΕΡΑ νηὸς καὶ τὰ ΙΣΤΙΑ λέγεσθαι. Διαπελάννονται γὰρ καὶ ὠκύτητος εἰσὶν αἴτια,

ὥσπερ

ὥσπερ ΠΤΕΡΑ *τοῖς πτηνοῖς ὕτω καὶ αὐτὰ ταῖς Ναῦσι.* *Olim & Navis* VELA *dicta ſunt* ALÆ,*quia expanduntur ; & ut celeritatis cauſa* ALÆ *ſunt in volatilibus,ſic* VELA *in navibus.* Quando vero ventus eſt adverſarius & una ruunt Eurus & procellis creber Africus, vela contrahuntur ac ſubſidunt, unde CLAUDIAN. in *Eutrop. lib.* II. *v.* 5.

Cautior ante tamen violentum navita Corum
Proſpicit, & tumidæ ſubducit VELA *procellæ.*

Et Q. CALAB. *Lib. V. v.* 80.

Ἐσσυμένας φοβέοντο καταιγίδας ἑτερὸν περ
Λαίφεα λεύκ᾽ ἔυοντες ἵν᾽ ἐκθανάτοιο φύγωσιν,
Imminentes formidant procellas, atque quaſi
Jam perſonarent, candida vela detrahunt, ut
diſcrimen mortis elabantur.

Quemadmodum *malus* (qui decus & robur navis totius eſt) in navi veræ Eccleſiæ aptiſſimum eſſe poteſt Symb. *juſtitiæ* Chriſti æternæ, quam nobis acquiſivit, & in qua robur Eccleſiæ conſiſtit. Ita in navi Eccleſiæ & religionis Antichriſti figurabat *juſtitiam propriam* ex opere operato, quæ fundamentum eſt totius cultus ac religionis Eccleſiæ Pontificiæ. Juſtificatio eſt fundamentum religionis Chriſtianæ, *articulus ſtantis & cadentis Eccleſiæ,* ut recte dixit Lutherus, unde eſt juſtificatio, quam urgent ex opere operato, optime per *malum* navis hujus myſticæ deſignatur. Per *Vela* autem hujus mali intelligitur *faſtus* ac *fiducia*, quæ ex juſtitiæ propriæ erectione oritur, hæc vela *funibus* i. e. operibus ſpecioſis & laborioſis quaſi contrahuntur & laxantur, prout ventus eſt ſecundus aut contrarius, præcipue per *reliquias* Sanctorum, quibus ſuperbiunt. De quibus conf. BELLARM. *lib.* II. *cap.* 3. WOLF. *lect. memor. Cent.* XVI. *p.* 791. Quare gloriantur de *faſtu* ſuo & *meritis.* APOC. XVIII. 7. *Quantum ſibi gloriæ attribuit, & luxuriata eſt, tantum date ei tormentum & luctum. Quia dicit in corde ſuo. Sedeo regina, nec ero vidua, nec aſpiciam luctum.* Quare 2. Theſſ. II. 4. conſideratur Antichriſtus tanquam *ſe opponens & efferens ſupra quod dicitur Deus aut numen & in templo Dei tanquam Deus ſedens, præ ſe ferens ſe eſſe Deum.* Et quemadmodum *vela* erant *lintea alba*, ſic gloriantur operibus Sanctorum eorumque meritis, quæ tamen *pannus* ſunt *detritus* & *maculatus*, qui per ventum iræ divinæ aliquando rumpetur & conſumetur Jeſ. LXIV. 10. Apoc. XVIII. 17.

V.

V. (3) In navibus porro notamus TRANSTRA, REMOS & CONTOS. TRANSTRA ſunt ſedilia, in quibus remiges conſident; ita SENECA *in Agam. v. 437.*

- - credita eſt vento navis,
Fuſusque TRANSTRIS miles.

Inque iis non ſolum ſedebant laborantes remis, ſed & ſomnos capiebant, unde VIRGIL. *Lib. V. Æneid.*

- - placida laxarunt membra quiete,
Sub remis, fuſi per dura ſedilia nautæ.

VALER. FLACC. *argon. lib. III. v. 459.*

Continuo puppem petere & conſidere TRANSTRIS
Imperat Ampicides.

De *REMIS* conſtat eſſe perticas longiores & in latitudinem deſinentes, quibus navis vel impellitur vel etiam ſtabilitur. Unde apud VALER. FLACC. *Argon. Lib. II. v. 11.*

- - redeuntia vento
Vela legunt, REMIS inſurgitur.

PROPERT. *Lib. III.*

Nunc agite, o ſocii, propellite in æquora navem,
REMORVMque pares ducite ſorte vices.

De viribus remorum in ſtabilienda navi teſtatur LIV. *Lib. XXXVI. c. 44.* *Demittere in aquam remos ab utroque latere remiges ſtabiliendæ cauſa navis juſſit.*

De CONTIS porro obſervamus, eſſe haſtas illas longiores & robuſtiores, quibus vel maris profunditatem vel ſaxa percontantur, vel ad arenam redactas naves in aquæ profundum reducere tentant, navem vel attrahere ad littus vel deturbare ſatagunt nautæ. Unde VIRGIL. *Æneid. Lib. V.*

Conſurgunt nautæ & magno clamore morantur.
Ferratosque ſudes & aucta cuſpide CONTOS
Expediunt.

PRVDENT. *Pſychom. v. 116.*

Impatiensque moræ CONTO petit, increpat ore.

Recte DONATVS: *Contus eſt pertica oblonga, in capite ferrum habens, qua nautæ ad exploranda loca navibus opportuna utuntur.* Conf. SCHEFF.

l. c. p. 152. TAVBMANN. *ad Virg. L. V. Æn. p.* 637. WEIZ. *ad Val.* FLACC. *p.* 126.

Videamus jam, quid *tranſtra, remi* ac *conti* in navibus noſtris myſticis deſignabunt. Per TRANSTRA in Navi Antichriſtianiſmi optime intelliges *Monaſteria*, quæ ſedes ſunt tot remigum, i. e. ordinum Eccleſiaſticorum. In his enim remiges hi myſtici non ſolum deprehenduntur laborioſi, tot excogitantes molimina & machinas ad promovendam & dilatandam religionem ſuam; unde & in monaſteriis tot contra hæreticos, vt vocant, conſilia cuduntur. Sed & in his quieſcunt ſomno ſopiti, variis dediti luxuriis & concupiſcentiis, unde non male illud Cretenſium proverbium Tit. I, 12. Κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαὶ ipſis attribuit Vir quidam doctus, præcipue ſi tot monſtra hominum in quibusdam cœnobiis deprehendi, experientia docuerit & quotidie doceat certiſſima, veluti ex vita Pontificum Romanorum, quam deſcribit PLATINA, abunde liquet, & variis exemplis comprobat CHAMIER. in *Panſtrat. Cathol. Lib. XVI. c.* 16. REMI, quos exercent in his tranſtris remiges myſtici, optime deſignant opera illa *pœnitentialia*, quibus externam pietatis & cultus divini ſpeciem præ ſe ferunt. Qualia ſunt vota *cœlibatus* & *paupertatis*, quibus cœlum mereri cogitant. vid. BELLARM. *de Cler. Lib. II. c.* 20. & *Lib. I. c.* 18. VASQVEZ. *in Tom. III. diſput.* 247. nec non jejunia illa, ſupplicationes, proceſſiones & caſtigationes, præcipue flagellationes, de quibus omnibus vid. GRETSER. *Lib. I. de diſcipl. cap.* 3. BELLARM. *Lib. IV. de pœnitent. c. VI.* CONTI denique deſignabunt commode *Inquiſitiones*, quas in Italia & Hiſpania inſtituunt, per quas omnia molimina, quæ religioni ipſorum facile perforandæ nocent, e medio tollere & Proteſtantium vires enervare ſtudent; per quas tuti incedere ſatagunt, & per quas ſcopulos omnes evitare volunt, ne religionis propagatio per hæreticos confundatur.

VI. (4) Ad partes navis primarias ultimo quoque loco pertinere cenſemus GUBERNACULI *clavum* & ANCHORAM. GUBERNACULUM πηδάλιον Græcis Act. XXVII, 40. Latinis *clavus* dictum per Synecdochen. Habuerunt naves veterum quædam duo vel tria *gubernacula*, unde & Act. XXVII, 40 πηδάλια in plurali memorantur. Vide de hoc loco DEYLING. *Obſ. S. P. I. p.* 264. De hoc clavo SIDON. APOLLIN. *Lib. IX. ep.* 16. canit:

Nec

Nec bipertito timuit profundo
Flectere clavum.

VAL. FLACC. *Argon. Lib. II. v. 429.*

Jam remi rapuere ratem, jam flamina portant,
Spumea ſubſequitur fugientis ſemita clavi.

Clavus enim ſeu *gubernaculum* eſt cardo, in qua directio navis verſatur. Unde SUIDAS in voc. Δίκροτα τινὰ δὲ inquit: ϗ ἐκ τῆς πρύμνης καὶ ἐκ τῆς πρώρας ἑκαθέρωθεν πηδαλίοις ἤσκυντο, ὅπως αὐτοὶ τε μὴ μεταςρεφόμενοι ϗ ἐπιπλέωσι ϗ ἀναχωρῶσαι ϗ τὺς ἐναντίυς ἐν τῷ παράπλῳ ϗ ἀπόπλῳ αὐτῶν σφάλλωσιν. *Sunt & naves quædam, quæ binis gubernaculis a prora & puppi inſtructæ ſunt, ut non converſi & in hoſtes navibus ferrentur, & recederent, & eos tam progreſſu quam receſſu fallerent.* Figuram hujus gubernaculi exhibet ex nummis SCHEFF. *de milit. nav. p. m. 196.* conf. & OISEL. *Num. Imp. Tab. XLII. n. 3.* ANCHORA non minus celebre eſt & neceſſarium navis inſtrumentum, ἄγκυρα Græcis dictum, quo navis in curſu ſuo ſiſtitur & a fluctibus ſervatur. Primis temporibus erant ex lapide, dein ex ferro conflatæ. ATHENÆUS de nave Philopatoris dicit, ἀγκύραι δ' ἦσαν ξύλιναι μὲν τέτταρες, σιδηραῖ δ' ὀκτώ. *Anchoras habet ligneas quatuor, ferreas autem octo.* Plures in navi anchoræ erant, quarum maxima dicebatur ἱερὰ, *ſacra*, teſte POLLUC. *Onom. Lib. I.* ἄγκυρα ἱερὰ, ᾗ χωρὶς ἀνάγκης ὐ χρῶνται. *Sacra anchora, qua extra neceſſitatis caſum non utuntur.* Hinc VALER. FLACC. *Argon. Lib. V. v. 71.*

- - jam prora fretum commoverat & jam
Puppe ſedens placida dimiſerat ANCORA terras.

Figuram anchoræ exhibet SCHEFF. *l. c. p. 149.* GOLZ. *in Num. Tab. XXIV. fig. ult.* OISEL. *Theſ. Num. Imp. Tab. XVI. n. 4.* BEGER. *Theſ. Tab. XXX. n. 15.* & alibi.

Gubernaculum apud Veteres Symbolum fuit *Fortunæ*, ut docet PIER. *Hierogl. Lib. XLV. cap. 22. p. m. 485.* Quare & videmus nummos varios, in quibus apparet *gubernaculum*, cum inſcriptione: DIS CVSTODIBVS, qui nummus fortunam repræſentat, apud OISEL. in *Comment. ad Tab. XLII. n. 3.* & nummum in eadem *Tab. num. 12.* cum epigraphe: FELICITAS SÆCVLI. Et *Tab. LIII. n. 1. 2.* FORTVNA AVGVSTI.

n. 8. FORTVNA REDVX. *n. 12.* FORTVNA POP. ROMANI. & *n. 5.* FORTVNÆ FELICI. *Gubernaculum* ergo in navi myſtica Babylonis ſpiritualis eſt *gloria, laus* ac *felicitas* externa, ad quam totus ipſorum cultus & omnes cærimoniæ diriguntur, φιλαυτία eſt cardo totius religionis. Quare etiam inter τεκμήρια veræ ac genuinæ Eccleſiæ referunt, præcipue BELLARM., *felicitatem* ac ſtatum *proſperum externum*; quo & gaudet Eccleſia Romano-Pontificia, quum & auctoritate & poteſtate ac divitiis polleat, præ grege parvo & contemto populi Dei, cui regnum Patris cœleſte reſervatum eſt Luc. XII, 32. *Anchora* hujus navis denotat *ſpem* ac *fiduciam* eorum externam, (anchora enim ſpei ſymbolum eſt teſte Apoſtolo Heb. VI, 19. conf. PIERII *Hierogl. Lib. XLV. c. 14. 15.*) Præcipue vero *anchoram* totius religionis & cultus Antichriſti conſtituimus in *miſſa*, in qua omnis ipſorum ſpes in omnibus caſibus & anxietatibus reſidet, in ipſa mortis hora, imo poſt mortem ipſam, cum & miſſas pro defunctis celebrent ad ſpem eorum quaſi confirmandam, de quibus conf. BELLARM. *de purgat. Lib. II. cap. 16.* SALMER. *T. XIV. diſp. 25.*

VII. (5) Ultimo loco memoranda quoque ſunt SIGNA, quibus dignoſci poterant ab aliis, quæ & hodiedum in navibus diverſis diverſa reperiuntur. Vel enim leonum, urſorum, ovium aliorumque animalium παράσημον in navi habebant, vel etiam Dei Deæve imaginem. Unde OVID. *Lib. 3. triſt. el. 9.*

Eſt mihi ſitque precor, flavæ tutela Minervæ
Navis, & a picta caſſide nomen habet.

EURIPIDES de claſſe Achillis:

Χρυσέαις δ' εἰκόσιν
Κατ' ἄκραν Νηρῆδες ἕστασαν Θεοὶ
πρύμναις σῆμ' Ἀχιλλείου στρατοῦ.
In navium ſummitatibus Nereidum
Dearum aurea ſtabant ſimulacra,
Tutelæ puppibus Achilleæ claſſis.

OVID. *Faſt. Lib. IV.*

- - - *picta coloribus uſtis*
Cœleſtem matrem concava puppis habet.

Ita POLYÆNUS σημεῖα Ἀττικὰ & σημεῖα Περσικὰ navium memorat, &

Scho-

Scholiaſtes ARISTOPHANIS ἀγάλματα ξύλινα τῆς Ἀθηνᾶς. vid. SCHEFFER. *de milit. naval. Lib. III. cap. I. p. 173.* Signa quoque militaria in navibus habebant, vexilla & aquilas. Ut liquet ex nummis apud GOLZ. & OISEL. ubi in navibus pertica cum aquila apparet. Unde & nummus citatur a SCHEFF. *l. c. p. 178.* ubi vexillum militare cum epigraphe LEG. XVII. CLASSICÆ. *Faculam* quoque in navi habebant, ut docet SERVIUS ad VIRG. *Lib. III. Æneid.*

Dat clarum e puppi ſignum, nos caſtra movemus.

Et SENECA de Agamemnone:

Signum recurſus regia ut fulſit rate
Et clara lentum remigem emovit tuba.

Hoc ſi jam denuo cultui ac religioni Antichriſtianiſmi applices; *Signa* hæc deprehendes in *imaginibus* Dei, Chriſti omniumque Sanctorum, quas ſuſpendunt in templis & ſacris locis, & quas a tranſeuntibus genuflexione & aliis geſtibus religioſis colendas jubent. conf. BELLARM. *de imagin. Sanct. Lib. II. cap. 8.* FORBES. *in ſtruct. Theolog. Hiſtor. Lib. VII. c. 4-12.* Præcipue ſignum *crucis* maxime ipſis in uſu eſt & honore. Unde BELLARM. *de effectu Sacram. Lib. II. c. 31. Signum crucis*, ait, *eſt optimum ſignum, diſtinguens Catholicos ab hæreticis*; quare & in baptiſmo & confirmatione ſignum crucis imprimitur fronti initiandorum. Huc alluditur procul dubio Apoc. XIII. 16. *Sed & facit, ut omnes parvi & magni, divites & pauperes, liberi & ſervi accipiant characterem in manu ſua dextera & in frontibus ſuis.* Et v. 15. de *imagine beſtiæ* ſermo eſt. Inter ſigna religionis quoque refer *faculas cereas & lampades* illas perpetuo ardentes in templis & ſacellis. vide HOSPINIAN. *de feſt. Chriſt. fol. 40.* VOETI *Polit. Eccl. T. II. L. IV. tr. IV. Sect. 3. c. 4.* Unde PAULIN. *Natal. 3. Felic.* canit:

Aurea nunc niveis ornantur Limina velis,
Clara coronantur denſis altaria lychnis,
Nocte dieque micant.

VIII. c. Tranſimus jam tertio loco ad *perſonas* navibus regendis conſtitutas, quæ nobis deſcribuntur Apoc. XVIII. 17. Καὶ κυβερνήτης, καὶ πᾶς ἐπὶ τῶν πλοίων ὁ ὅμιλος, καὶ ναῦται, καὶ ὅσοι τὴν θάλασσαν ἐργάζονται.

Et omnes GUBERNATORES, *& omnis in navibus verſantium* TURBA *&* NAUTÆ *& quotquot in mari operantur.*

Primo notandus eſt GUBERNATOR & *Navarcha* ſupremus, ut jam magiſtratus navales taceamus & præfectos claſſium, de quibus late SCHEFF. *de milit. nav. Lib. IV. cap. V.* De hoc Gubernatore STAT. *Theb. VIII 267.*

- - - *ſolus ſtat puppe Magiſter.*

& VIRGIL. *Lib. V. Æneid:*

Ipſe Gubernator puppi Palinurus ab alta
Colligere arma jubet.

Officium ejus exprimit VIRGIL. *Lib. II. Æneid:*

Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, & omnes
Explorat ventos, atque auribus aëra captat,
Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo.

Et *Lib. X. Æneid.*

Ipſe ſedens clavumque regit, veliſque miniſtrat.

Naves quoque cum *gubernatore* in nummis videbis apud OISEL. *in Num. Imp. Tab. LVI. num. 1.* cum inſcript: LÆTITIA AUG. & *Tab. LXVII. num. 10.* cum epigr: GLORIA ROMANORUM. Sequuntur NAUTÆ, de quibus SIL. ITAL. *de bell. Pun. L. III. v. 128.*

Et promota ratis pendentibus arbore nautis.

LUCAN. *Lib. II. v. 697.*

Strictaque pendentes deducunt carbaſa nautæ.

Adde PUBEM *nauticam*, de qua SIL. ITAL. *l. c. Lib. VI.* canit:

- - *Jam* NAUTICA PUBES
Aut ſylvis ſtringunt remos, aut abjete ſecto
Tranſtra novant.

Et præcipue ingentem REMIGUM numerum, de quibus SIL. ITAL. *Lib. XIV. bell. Pun. v. 388.*

Sed quater hæc centum numeroſo remige pontum
Pulſabat.

Colligebantur autem præcipue ex ſervis, ita teſtatur LIV. *Lib. XXIV. cap. 11. Scripto exercitu, de remigum agi ſupplemento cœptum eſt, in quam rem cum neque hominum ſatis, nec ex qua pararentur, ſtipendiumque acciperent,*

rent, pecuniæ quicquam ea tempeſtate in publico eſſet, dixerunt conſules, ut privati ex cenſu ordinibusque REMIGES *darent.* Et VALER. *Lib. 34. cap. 6. Servos ad remum ex cenſu conſtituto cum ſtipendio noſtro dabamus.* Hi remiges in tranſtris remos agebant, ordine quisque ſuo, & ſæpius per ſortem; unde PROP. *Lib. III. v. 870.*

Nunc agite, ó ſocii, propellite in æquora navem,
Remorumque pares ducite ſorte vices.

Easdem perſonas quoque ſenſu myſtico deprehendimus in navi Ecclesiæ Antichriſtianæ. *Gubernator,* qui clavum totius religionis regit, eſt Papa ſeu Pontifex Romanus, cui ſumma in rebus eccleſiaſticis poteſtas competit. Ita BELLARMIN. *de Rom. Pontif. Lib. V. cap. 6. Poteſtatem ſummam temporalem habet indirecte, habet in ordine ad bonum ſpirituale ſummam poteſtatem diſponendi de temporalibus rebus omnium Chriſtianorum. Nautæ* & minoris dignitatis in hac navi principes ſunt *Cardinales, Epiſcopi, Abbates, Presbyteri,* qui conſiliarii Pontificis in dirigendo ſtatu Eccleſiaſtico exiſtunt, de quibus conf. BELLARM. *de Cleric. cap. IX.* MANFRED. *de Cardinal. cap. V. Remiges* optime quæres in *Monachis,* quorum ingens eſt numerus, qui in monaſteriis ſeu tranſtris ſuis, continuis precum, orationum, lectionum, ſupplicationum exercitiis ſe defatigant, aliisque operibus religioſis incumbunt, de quibus conf. BELLARM. *de Monach. Lib. II.* VOET. *Politic. T. II. Lib. IV. tr. 4.* In quibus varios ordines deprehendis, qui alternis quoque vicibus opera ſacra expediunt, inſtar remigum ſupra deſcriptorum. conf. HOSPINIAN. *de orig. Monach. Lib. VI. cap. 16. Lib. V. cap. 7.*

IX. d. Præterea triplex navium genus diſtinguere apud Veteres poſſumus. Quædam enim naves erant *onerariæ,* quibus accerſebantur opes & acquirebantur divitiæ. Quædam erant deſtinatæ *recreationi.* Quædam denique *bellicæ* erant & hoſtiles.

1) Quædam ergo naves *onerariæ* ſunt mercatorum, quibus merces ex uno loco in alium transportantur, & quibus olim divitias ingentes exterris remotiſſimis accerſebant. Tales erant naves Zebulonis Gen. XLIX. 13. naves Salomonis 1 Reg. IX. 16. & Hirami, aurum ex Ophir, ligna ſittim & gemmas advehentes 1 Reg. X. 11. & naves Joſaphati 1 Reg. XXII. 49. Quo reſpicit etiam Pſaltes Pſ. CVII. 23: *Qui deſcendunt in mare navibus,*

vibus, & quæſtum exercent in aquis profundis. Quare mulier ſedula comparatur cum *navibus negotiatoriis* Prov. XXXI. 14. Unde DIODOR. SIC. *Lib. II. de Carthag.* πολλὰς φορτίδας τὰς κομιζούσας τὴν ἀγορὰν ὑπὲρ τρισχιλίας ἦχον. *Habebat onerarias multas ſuper tria millia, quæ forum rerum venalium vehebant.* De Phœnicibus teſtatur POMPON. SABINUS *Lib. I. Æn. Phœnices condidere Tyrum in mari, propter merces, primi mortalium negotiatores in marina alea.* & DIONYS. AFER de iisdem:

Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο.
Primi negotiationem maritimam excogitarunt.

Eleganter quoque canit CLAUDIAN. *Lib. de bell. Gildon:*

Stabat certa ſalus, Memphis ſi forte negaſſet,
Penſabam Pharium Getalis meſſibus annum:
Frugiferas certare rates.

Præcipue ad Tyriorum divitias navibus acquiſitas reſpicit HORAT. *Carm. Lib. III. od. 29.*

Ne Cypriæ, Tyriæque merces
Addant avaro divitias mari.

Huc refer nummum Poſtumi, quem in *Tab. noſtr. n. 18.* exhibemus, ubi navis cernitur cum epigraphe: LÆTITIA AVG. qua innuitur, ſub Poſtumi imperio Gallias omni rerum abundantia florere incepiſſe. vid. OISEL. *Comment. ad Num. Imp. Tab. LVI. n. 1 p. 337.*

Ingentem myſticarum Tyri Antichriſtianæ mercium catalogum, quas navibus advehit, reperies Ez. XXVII. Apoc. XVIII. *gemmas, aurum, argentum, æs, ſtannum, ferrum, plumbum, ebur, marmor, ligna, triticum, ſimila, vinum, oleum, mel, unguentum, caſia, ſuffitus, jumenta, veſtimenta, ſericum;* quæ omnia myſtice expoſita vides apud Cel. LAMP. *in Pſ. XLV. Exerc. X. de Tyro myſtica §. XXVIII.* quæ cum ſatis ſint ingenioſe explicata, eo lectorem remittimus. Omnes has divitias navibus ſuis i. e. religione & cultu divino acquirit Babylon hæc myſtica, cum cardo fere totius religionis in quæſtu faciendo & divitiis acquirendis verſetur. Unde egregie MANTUAN. *Lib. III. de calam. tempor.*

- - *venalia nobis*
Templa, Sacerdotes, altaria, ſacra, coronæ,
Ignis, thura, preces, cœlum eſt venale, Deusque.

Conf.

Conf. etiam de mercatura ſpirituali Antichriſti late diſſerentem & merces myſtice exponentem HEIDEGG. *in Myſter. Babyl. P. II. diſſ. XVI.* §. 7. Et hæc imprimis mercatura exercetur per *indulgentias* illas, quibus ingentem pecuniæ ac divitiarum copiam acquirunt. vide FORBES. *inſtruct. Theol. Hiſt. Lib. XII. cap. VIII. p. 610.* BELLARM. *de indulg. Lib. II.* & HOEPFNER. *Sax. Ev. P. I. cap. IV. p.* 74.

X. (2) Quædam naves *recreationi* ac *delectationi* ſunt deſtinatæ, & voluptatis cauſa a Veteribus frequenter adhibebantur, quando navigiis ad luxuriam inſtructis per lacus & flumina oberrabant. Huc refer locum ex STRABON. *Lib. XVII. p. m. 801.* Πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ πᾶσα νὺξ πληθύει τῶν ἐν τοῖς πλοιαρίοις καταυλουμένων καὶ κατορχουμένων, ἀναίδην μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀκολάσιας, καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. *Illa impleta erat die & nocte tota navigiis, viros ac mulieres vectantibus, qui extrema cum laſcivia cantabant ac tripudiabant.* HERODOT. *Lib. II. p. 112.* quoque teſtatur: *Ante omnia memorabilis eſt turba eorum, qui ad feſtivos conventus per foſſam Alexandria deſcendebant Canopum.* SENECA *Epiſt. LI. Videre ebrios per litora errantes & comeſſationes navigantium & ſymphoniarum cantibus perſtrepentes lacus quid neceſſe eſt?* Unde & PLAUT. *in Rud.*

Animi cauſa mihi navem faciam, atque imitabor Stratonicum,
Oppida circumvectabor.

Huc reſpicit MARTIAL. *Lib. III. ep. 67.*

At vos tam placidas vagi per undas
Tuta luditis otium carina.

Ipſam navigationem quoque vario luxui & vitiis morum anſam dediſſe, docet SCHEFF. *de milit. naval. Lib. I. cap. I. p. m. 13.* ubi plura loca videbis.

Talis quoque navis eſt religio Antichriſti, in qua non gubernator ac nautæ ſolum cum remigibus luxui ſunt dediti, ſed & alios quamplurimos ad luxuriam ſeducunt. De luxu & luxuria præſidum Eccleſiæ Pontificiæ late conferri poteſt PLATINA in *Vit. Pontif. Rom.* qui inter alia de Johanne XII. ait: *Homo ab adoleſcentia omnibus probris a turpitudine contaminatus: Venationibus magis, ſi quid temporis a libidinibus*

 ſuper-

ſupererat, quam orationi deditus. Deinde addit: *hunc ſceleratiſſimum hominem vel hoc monſtrum potius in adulterio deprehenſum & confoſſum interiiſſe.* conf. ONUPHR. in *Xyſto IV.* LIPS. *Monit. Lib. II. cap. 11.* & varia ſcelera Præſidum Eccl. Romanæ recenſentem CHAMIER. *Panſtrath. Cath. Lib. XVI. de Antichriſt. cap. 16.* Quicunque Romæ fuit & ſcelera ibi perpetrata audit, opſtupeſcet eum oportet. Quis neſcit doctrinam de indulgentiis, de miſſis pro defunctis, de pœnis expiatoriis & operibus pœnitentialibus portas omni luxuriei & voluptatibus aperire, id quod quotidiana docet experientia.

XI. (3) Naves denique apud Veteres celebrantur *bellicæ.* Huc reſpicit Bileam Num. XXIV. 24. *Quum naves a litore Chittæorum afflixerint Aſſyrios & preſſerint Hebræos, tam etiam gens illa peribit in perpetuum.* Et Moſes Deut. XXVIII. 68. *Et reducet te Jehova navibus in Ægyptum: & exponetis vos ibi venales inimicis veſtris in ſervos & ancillas.* Nec non vates Jeſaias cap. XXXIII. 21. *Sed magnificus Jehova nobis erit loco fluviorum rivorumque amplorum ſpatiis. Non itura eſt in eo claſſis impulſa remis, nec navis auguſta pervadet eum.* conf. Ez. XXX. 14. Dan. XI. 30. Unde *Lib. II. cap. 2. Romana claſſis promta, levis, expedita & quodam genere caſtrenſis, ad ſimilitudinem pugnæ equeſtris, ſic remis quaſi habenis agebatur, & in hos vel illos mobilia roſtra ſpeciem viventium præferebant.* Ita quoque LUCAN. *Lib. III.*

Cornua Romanæ claſſis, validæque triremes,
Quasque quater ſurgens exſtructi remigis ordo
Commovet, & plures immergunt æquore pinus,
Multiplices cinxere rates, hoc robur aperto
Oppoſitum pelago.

POLYÆN. *Lib. III.* de Timotheo ſcribit: Καὶ προσέταξε τοῖς τριηράρχαις ἀντιπαρεξάγειν ταῖς ΠΟΛΕΜΙΑΙΣ ΝΑΥΣΙ, καὶ πυκνὰς ποιεῖσθαι κινήσεις καὶ τροπάς. Οἱ μὲν δὴ πολέμιοι πονέσαντες εἰρεσίᾳ ἀσθενῶς τὰς κώπας ἀνέφερον. *Præcepit autem Trierarchis, ut educerent NAVES BELLICAS, ac crebros motus & flexus efficerent. Quare hoſtes defatigati remigando imbecilliter remos referebant.* conf. latius SCHEFF. *de milit. nav. Lib. III. cap. VI.* Huc refero nummos cum triremibus bellicis, quos vide apud OISEL. *Tab. II. num. 3. 4.* cum epigraphe: ANTON. AUG. ad ejus copias

pias navales deſignandas. Et *Tab. LXXXVIII. n. II.* triremis cum vexillis & copiis militaribus apparet, addita epigraphe: TRAJECTVS AUG. conf. OISEL. *Comment. ad h. num. p. 446.* & BEGER. *Theſ. num. Imp. Rom. Tab. VII. n. 17. 21.*

Et religio Antichriſti commode cum navi bellica comparari poterit, quatenus armis, bellis & diſſidiis propagatur. Beſtia enim hæc omnes perimit, qui imaginem ejus non adorant, Apoc. XIII. 15. datum quoque ipſi eſt ad pugnandum cum ſanctis, v. 7. Quare & in hac Babylone myſtica repertus eſt ſanguis Prophetarum & Sanctorum & qui trucidati ſunt in terra, Apoc. XVIII. 24. Ruinæ Eccleſiarum in vallibus Sabaudiæ, in Galliis, in Palatinatu &c. ſatis docent, quod armis ac vi religionem ſuam propagare ſtudeat Antichriſtus. Confirmant idem tot cruentæ ac horrendæ inquiſitionis ſubſellia in Italia & Hiſpania.

XII. e. Notamus porro *ornamenta* navium apud Veteres varia, quibus decorem atque ſplendorem ipſis conciliabant. Pingebant ideo naves coloribus, unde HOMER. *Odyſſ. I.*

> *Οὐ γὰρ Κυκλώπεσσι νέες πάρα μιλτοπάρῃοι*
>
> *Neque enim Cyclopibus ad manus ſunt naves miniatæ.*

Unde PLIN. *Hiſt. nat. Lib. XXXIII. c. 7. Jam enim Trojanis temporibus rubrica in honore erat Homero teſte, qui naves ea commendat.* Huc reſpicit OVID. *Lib. IV. Faſtor.*

> - - *picta coloribus uſtis*
>
> *Cœleſtem matrem concava puppis habet.*

Variis quoque figuris in prora vel puppi erant exornatæ. Unde LUCIAN. *in Navig.* *Ἡ πρύμνα μὲν ἐπανέστηκεν ἠρέμα καμπύλη, χρυσοῦν χηνίσκον ἐπικειμένη. Puppis equidem paulatim inflexa inſurgit, atque aureum anſerculum ſuperne habet impoſitum.* SENECA *Epiſt. LXXV. Non illa navis bona eſt, cui argenteum aut aureum eſt roſtrum, nec cujus tutela ebore eſt cælata.* Nec minus *nautas & milites* in navibus exornatos legimus. Unde PLAUT. *act. IV. Sc. 4. v. 41.*

> *Facio ut venias ornatus huc ornatu nauclerico,*
>
> *Cauſiam habeas ferrugineam, culcitram ob oculos laneam*
>
> *Palliolum habeas ferrugineum (nam is colos thalaſſicu 'ſt.)*

conf. latius SCHEFF. *de milit. naval. p. 158. 162. ſq.*

Hæc navium exornatio commode ad cultum externum ſpecioſum ac pompa inſigni rutilantem in Babylone myſtica referri poterit. Quis neſcit templa, fana ac ſacella imaginibus auro & argento gemmisque rutilantibus eſſe exornata. Quis non obſtupeſcet imagines Mariæ ubique obvias, auro & gemmis fulminantes; præ aliis eminet illa, quæ Loretæ cernitur, de qua HORAT. TURSELL. *in hiſt. Loret. p. 25.* Quis non miratur altarium in ſacellis & templis auro, ſerico & lapidibus pretioſis exornatorum pompam. Imo ipſi nautæ myſtici, Cardinales, Presbyteri, Monachi auro & ſerico decori apparent, præcipue quando miniſterio ſacro funguntur & miſſam celebrant. conf. MASSON. *de Maj eſt. Eccleſ. Part. II. c. 5.* MANFRED. *de Cardinal. cap 5.* Conf. & *Libell. Cerimon. SS. Eccl. Rom. Lib. II. p. 156.* Ita & deſcribitur Apoc. XVII. 4. *erat autem amicta mulier purpura & cocco & inaurata auro & lapidibus pretioſis & margaritis.*

XIII. f. Varia *pericula maris* incidunt naves, mox ad arenas impingunt, mox ſaxis perforari & lædi queunt, mox fluctibus huc & illuc aguntur. Huc reſpicit SILIUS *de bell. Ital. Lib. V. v. 717.*

Ventorum tenet ipſe vicem, cunctisque procellis
Dat jactare ratem, fertur vagæ gurgite puppis
Ipſius in ſcopulos.

Huc quoque refer HORAT. *Lib. II. od. 16.*

Otium divos rogat in patenti
Prenſus Ægeo, ſimul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis.

VIRGIL. *Lib. V. Æneid.*

Infelix ſaxis in procurrentibus hæſit,
Concuſſæ cautes & aucto in murice remi
Obnixi crepuere, illiſaque prora pependit.

& *Lib. V. v. 164.*

- - *ſed cœca Menœtes*
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.

Ita Act. XXVII. 29. de nautis dicitur: *Metuentes, ne quo modo in aſpera loca inciderent, jactis e puppi anchoris quatuor, optabant diem oriri.*

Ita

Ita navis Eccleſiæ ac religionis Antichriſti ſæpius quoque periculis fuit oppoſita, quum enim ſine pyxide nautica verbi divini ac Spiritus illuminantis navim hanc dirigant gubernatores pro ſuo lubitu & ingenio, ſæpius ad ſaxa & arena impingunt. Quoties jam Babyloni huic myſticæ ruina imminuit; Semel jam natare incepit per Reformationem, ubi navis hæc quaſi perforata ſubſidere cœpit, quando per Viros Dei vulnera ejus detegebantur; ſed reſarcire hæc foramina nautæ ſagaces contenderunt, ita ut mare hujus mundi tuto adhuc navigiis explere potuerint. Veniet autem tempus, quando naufragium totale hanc navim opprimet. Conf. de priori Apoc. XIV. 8. de poſteriori lapſu & naufragio Apoc. XVIII. 2.

XIV. g. *Naufragium* quoque notandum occurrit, quo naves ſæpe maximæ & pretioſiſſimæ pereunt & fluctibus abripiuntur, ut in abyſſum maris deſcendant cum omnibus in navi verſantibus. Deſcriptionem elegantem exhibet VIRGIL. *Lib. I. Æneid.*

- - Stridens Aquilone procella
Velum adverſa ferit, fluctusque ad ſidera tollit,
Franguntur remi, tum prora avertit, & undis
Dat latus, inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi ſummo in fluctu pendent, his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit. - - -
Apparent rari nantes in gurgite vaſto
Arma virûm, tabulæque & Troja gaza per undas.

Deſcribit Lucas ſimile Pauli naufragium Act. XXVII. 41. *Quum incidiſſent in locum bimarem, impegerunt navem, ac prora infixa manebat immota, puppis vero ſolvebatur per violentiam fluctuum. Et reliqui partim in tabulis, partim in fragmentis navis evaſerunt.* Ita & LUCIAN. *Lib. III.*

- - dubioque obnoxia fato
Pars ſedet una ratis, pars altera pendet in undis.

Ita navis Eccleſiæ Antichriſti fatale aliquando naufragium patietur, ultimo ſc. tempore, quando vox illa magna audietur: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna: Exite ex ea, popule mi, ne participes ſitis peccatorum ejus.* Tum flebunt & plangent ſuper ea reges terræ, dicentes: *Vah, vah magna illa urbs Babylon, urbs illa valida, una hora venit judicium tuum!* Plangent ſuper ea mercatores terræ & lugebunt, quia merces eorum nemo

 emit

emit amplius. conf. Apoc. XVIII. 2. 9. 10. 11. Vivis coloribus hoc naufragium Eccleſiæ Antichriſti depingit *Ezech. XXVII. 26. ſq. In aquas multas induxerunt te, qui te impulerunt, ventus orientalis confregit te in corde oceani. Abundantia tua & theſauri tui, merces, nautæ, naucleri, concinnatores, proxenetæ commercii tui & omnes milites tui, omnisque turba tua, quæ in medio tui, cadebant in cor marium in die caſus tui. Propter vocem clamoris nautarum tuorum commovebantur fluctus.* v. 32. *Proferebant threnos in lamentis ſuis, & plangebant ſuper te. Quis ut Tyrus, ut illa, quæ occidit in medio maris. Quo tempore confracta es in profundiſſimis aquis à maribus, commercium & integra turba tua ceciderunt in medio tui.*

X. h. Poſtremo loco *triumphum navalem* addimus, qui poſt devictas naves hoſtiles celebrabatur, qui diſtinctus erat a terreſtri. De tali triumpho navali legimus in *Faſtis Triumph.*

C. DVILIVS. M. F. M. N. COS. PRIMVS
AN. CDXCIII. NAVALEM. DE
SICVLIS. ET. CLASSE. POENICA. EGIT

Unde & PLIN. *hiſt. nat.* Lib. XXXIV. cap. 4. *C. Duilius primus navalem triumphum egit de Poenis.* Quo reſpicit FLOR. *Lib. II. cap. 7. Lævino Cos. populus Romanus Jonium mare ingreſſus tota Græciæ litora veluti triumphali claſſe peragravit. Spolia quippe Siciliæ, Sardiniæ, Hiſpaniæ, Africæ præferebat.* Spolia & roſtra navium hoſtilium devictarum in triumpho circumvehebant, & Deorum in honorem ſuſpendere ſolebant. Unde LIVIUS *Lib. X. cap. 2. Roſtra navium, ſpoliaque Laconum in æde Junonis veteri fixa, multi ſuperſunt, qui viderunt.* SUETON. *in Octav. Ampliato vetere Apollinis templo, locum caſtrorum, quibus fuerat uſus, exornatum ſpoliis navalibus, Neptuno ac Marti conſecravit.* Huc reſpicit SILIUS ITAL. *de bell. Pun. Lib. VI.*

Æquoreum juxta decus & navale tropæum
Roſtra gerens, nivea ſurgebat mole columna. Unde apud GOLZIUM, F. URSINUM & BEGERUM varios nummos cum roſtris navium inſtar tropæi ſuſpenſis cernimus. Vide quoque varios expreſſos apud SCHEFFER. *de milit. nav. p. m. 270. ſq.*

Hunc triumphum navi veræ Eccleſiæ contra navem hoſtilem Antichriſti

chriſti adſerimus. Illa enim licet ſæpius ab hac armis ac vi fuit oppugnata, ſæpius oppreſſa, nunquam tamen plane fluctibus fuit immerſa. Inſtat autem tempus, quando Eccleſia ultimi temporis plenam de Antichriſto victoriam deportabit, atque ita triumphabit. Terreſtrem Eccleſiæ de Antichriſto triumphum deſcribit Vates ſacer Apoc. VII. 9. quando albis veſtibus indutam & palmas victoriæ geſtientem eam depingit. Tunc ſpolia ac roſtra hujus navis ſuſpendentur Deo, qui victoriam dedit, dum ipſius gloriæ ac perfectionibus laus victoriæ tribuetur, & varii cœtus antichriſtiani adhuc convertentur & navi veræ Eccleſiæ aſſociabuntur. Conf. Apoc. XXI. 1. 2.

XVI. Tota quoque vita noſtra navigationi eſt ſimillima. Per mare hujus mundi oberramus, ubi *abyſſus abyſſum vocat, & omnes fluctus irrumpentes atque undæ ſuper nos tranſeunt*, Pſ. XLII. 8. Ubi Eurus & Aquilo graviorum tentationum navem fidei vexant. Sed quo magis procellæ furunt, quo magis fluctus perſecutionum & miſeriarum hujus vitæ ingraveſcunt, eo magis fiducia noſtra in Gubernatorem ſupremum eſt firmanda. Sequamur exemplum diſcipulorum Servatoris, qui in magna illa maris concuſſione, quando navis tegeretur fluctibus, accedentes ad Dominum dicebant: *Domine, ſerva nos, perimus.* Qui exſurrectus objurgavit ventos & mare, & oriebatur tranquillitas ingens Matth. VIII, 24 - 26. Immergamus anchoram ſpei ad interiora Sanctuarii Heb. VI. 19. Ita tuti erimus a fidei naufragio, omnibus aliquando perſecutionum ac calamitatum fluctibus ſuperatis optatum ſalutis ac communionis divinæ portum attingemus, ubi tuta quies & altiſſima pax pectora noſtra recreabit. Apoc. XIV. 13. Jeſ. LVII. 1. 2. 2 Tim. IV. 7. 8.

EXERCITATIO X.
DE
FLUVIO CRYSTALLINO,
SYMBOLO
DONORUM SPIRITUS SANCTI.
APOC. XXII. 1.

ARGU-

ARGUMENTUM.

§. I. Locus Apoc. XXII. 1. *in nexu ſuo proponitur. §. II. Alluſio phraſium ad paradiſum notatur. §. III. Fluvium in genere ſymb. eſſe donorum Spiritus S. probatur ex ſcriptis ſacris, §. IV. ex ſcriptis Judæorum, §. V. ex ſcriptis Gentium. §. VI. Emblema fluvii per analogias enucleatur. Ubi origo fluviorum explicatur. §. VII. Abundantia aquarum in fluviis notatur. §. VIII. irreſiſtibilis eorum fluxus demonſtratur. §. IX. Utilitas ipſorum in fœcundandis agris excutitur, præcipue id de Nilo aſſeritur. §. X. Flumina aquarum perennem quaſi eſſe ſcaturiginem docetur. §. XI. Aqua fluviorum dulcis eſt & potui mortalium inſervit. §. XII. Purificandi virtute prædita eſt. §. XIII. Flumina medium ſunt, quo opes ac divitiæ regionum acquiruntur. §. XIV. Ad fluvios ſedere Veterum maxima erat oblectatio. Quæ omnia applicantur Spiritui S. & ejus donis ſenſu myſtico. §. XV. Phraſis* λαμπρὸν ὡς κρύςαλλον *explicatur & donis Spiritus S. tribuitur. §. XVI. Epilogo practico finis imponitur huic Exercitationi.*

I.

VIſio eſt admodum inſignis, quæ Johanni contigit APOC. XXII. 1. quando videbat καθαρὸν ΠΟΤΑΜΟΝ ὕδατος ζωῆς, λαμπρὸν ὡς κρύςαλλον. *FLUVIUM purum aquæ vitæ, ſplendidum inſtar cryſtalli*, qui prodibat ex throno Dei & agni. Scena prophetica hujus capitis in nexu cum præcedenti hæc nobis videtur eſſe. Eccleſiam ultimorum N. T. dierum proponi in hac viſione integra ſub ſymbolo Urbis ſplendidiſſimæ & omnibus delitiis affluentis, qualis erat olim Hieroſolyma; unde nova Hieroſolyma cap. præced. dicitur. In hac urbe jam apparet thronus regius & palatium Regis Regum, ex cujus radice propullulat fluvius, aquis puris atque pellucidis & ſimul potu dulciſſimis ſcatens, qui per totam quaſi urbem & quidem mediam fluxu ſuo permeat; & ad cujus latera plantatas aſpicis arbores jucundiſſimas atque frugiferas, quæ gratam civibus urbis umbram & dulces ſimul fruges exhibent.

II. Alluſio autem in deſcribendo hoc fluvio Hieroſolymæ novæ obſervanda erit ad *paradiſum* terreſtrem, quia v. 2. huj. cap. de *arboribus vitæ* mentionem injectam deprehendimus. Præprimis cum & paradiſum legamus irrigatum fluvio puriſſimo, qui in quatuor brachia dein ſe diffuderit, ſc. Piſon, Gihon, Phrath atque Hidekel. Gen. II. 11-14. confer viſionem

nem parallelam Ezech. XLVII. 1. 12. Rejicimus ergo, quam heic GROTIUS quærit, alluſionem ad *baptiſteria* Veterum, quæ ſolebant eſſe ad templa Chriſtianorum, in quibus aquæ fontium ſæpe fluebant. Nulla enim hic de fontibus mentio fit ſed fluvio, qui per urbis plateas currens, cives potu recreat, non vero in baptiſma adhibendus erat. Si quis vero *feſtum* heic quaſi *Tabernaculorum* celebrari aſſerat, vel convenientiam heic inter illius ſolennitates & hanc deſcriptionem Hieroſolymæ novæ obſervare velit, ille egregias obſervationes elicere poterit. Uti enim in feſto Tabernaculorum tentoria ex arboribus erigebantur, quæ fructibus quoque exornabantur, in quibus læti degebant ſeptem dies, & aquas ex fonte Siloah hauriebant. Ita heic loco fontis Siloæ eſt fluvius cryſtallinus, loco tentoriorum ex arboribus, denſa ſeries arborum vitæ. Licet alluſio primaria ad paradiſum heic maneat.

III. *FLUVIUM* autem hoc in loco conſtituimus Symbolum *donorum Spiritus S.* id eſt non ſolum uberioris Dei cognitionis & ſanctitatis ſed & conſolationum ac lætitiæ ſpiritualis. Id autem demonſtrare poſſumus

(*a*) Ex *ſcriptis ſacris*, in quibus *Spiritus S.* cum donis & fructibus ſuis ſæpiſſime ſub emblemate *fluminis* & aquarum proponitur. Ita Jeſ. XXXV. 6. 7. *Erumpent in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine. Convertetur locus torridus in ſtagnum, & ſiticuloſus ager in ſcaturiginem aquarum.* Jam confer locum parallelum Cap. XXXII. 15. ubi explicatum hoc deprehendes de Spiritu S., dicitur enim: *Donec infundatur ſuper nos ſpiritus deſuper ex excelſo & redigatur deſertum in arvum.* Joel. III. 18. *Stillabunt montes muſtum, & colles lacte diffluent, omnesque alvei Jehudæ abundabunt aquis; & prodibit ſcaturigo e domo Jehovæ, qui irrigabit vallem Sittim.* Jeſ. XLIV. 3. *Effundam aquas in ſitientem, &* FLUENTA *ſuper aridam terram. Effundam* SPIRITUM *meum ſuper ſemen tuum & benedictionem meam ſupra ſobolem tuam.* Conf. locum ſupra citatum & noſtro parallelum, Ezech. XLVII. 1--7. Pſ. LXV. 10. 11. *Plurimum ditas terram hanc rivo Dei pleno aquæ, porcas ejus irrigando.* Pſ. LXVIII. 10. Zach. XIII. 1. Pſ. LXXII. 6. Præcipue notandus eſt locus Joh. VII, 37. 38. 39. ubi Servator in feſto Tabernaculorum ſurgens (ad ritus ejus & præcipue hauſtionis aquæ ex fonte Siloah alludens) clamat: *Sitiens ad me veniat & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura,* FLU-

MINA AQUÆ VIVÆ *ex ventre ipſius profluent.* *Hoc autem*, additur ab Evangeliſta, *dixit de* SPIRITU *illo, quem accepturi erant credentes.*

IV. Idem emblema *Judæorum* Doctoribus eſt uſitatiſſimum, & frequenter in ſcriptis ipſorum obvium. Ita notum eſt effatum Judæorum in TALMUD. HIEROS. *Succ. f. 55. col. I.* אמר ר' יהושע בן לוי למה נקרה שמה בית השואבה שמשם שאבים רוח הקודש על שם ושאבתם מים בששון ממעייני הישועה *Dicit R. Joſua filius Levi quare locus lætitiæ nocturnæ vocatur locus hauſtionis? Quia exinde hauriunt* SPIRITUM S. *juxta id quod dicitur: Et haurietis aquas cum gaudio ex fontibus ſalutis.* Idem quoque dicitur in BERESCHITH RABB. fol. 70. ut obſervat LIGHTFOOT *hor. hebr. ad Job. III, 38.* conf. DEYLING. *Obſ. S. II. p. 406.* TRIGLAND *de ſecta Caræor. C. IV. p. 33. & Cel.* LAMP. *in Joh. VII. cit. & Cap. IV. 10.* qui etiam citat locum ex MIDRASCH KOHEL. *fol. 73.* מה גאל ראשון האלה את הבאר אף גאל אחרון יעלה את המים שנאמר ומעין מבית י"י יצא והשקה את נחל השטים. *Sicut Redemtor primus* (Moſes) *produxit puteum* (Num. XX. 17.) *ita Redemtor poſterior producet aquas, prout dicitur* (Joel. II. 10.) *Et fons prodibit e domo Jehovæ & irrigabit vallem Sittim.*

V. Gentes ipſæ *Fluviis* ac fontibus *divinitatem* quandam tribuerunt, quos venerabantur & divino honore ac ſacrificiis colebant. Ita TACITUS *Lib. I. annal. c. 79. Spectandas etiam religiones ſociorum, qui ſacra & lucos & aras Patriis* AMNIBUS *dicaverint.* Unde & HOMER. *Iliad. lib 21.*

Οὐδ' ὑμῖν ποταμός περ ἐΰῤῥοος ἀργυροδίνης
Ἀρκέσει, ᾧ δὴ δηθὰ πολεῖς ἱερεύετε ταύρους.
Neque vobis fluvius pulcrifluus, claris vorticibus
Proderit, cui jam diu multos tauros ſacrificatis.

Quare *Nilus* ſæpe pro Deo cultus legitur apud Ægyptios, uti apparet ex nummo apud *Anſ. BANDUR. numiſm. Imp.* qui Nilum exhibet cum Epigraphe: DEO SANCTO NILO. conf. plura de eo apud MILL. *Diſſ. ſelect.* p. 16. Recte SENECA Epiſt. 4. *Magnorum fluminum capita veneramur, ſubita & ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet.* De fontium & fluminum cultu divino conf. F. CHIFLETII *aqua virgo, in*

Antiq.

Antiq. GRÆV. *T. IV.* p. 1786. P. ZORN. *in Bibl. Antiq. Exeg.* p. 198. & citatos ibi auctores. OUZEL. *in animadverſ.* ad MINUC. FELIC. *Octav.* p. 102. RHODIGIN. *Lect. Antiq.* p. 1489. LOMEIER. *de luſtrat. Vet. p. m.* 174.

VI. *Fluvius* ergo commode Symbolum donorum Spiritus S. eſſe poteſt, utpote quibus Eccleſia ultimi temporis erat irriganda veluti paradiſus. Egregie eſt inter *Fluvium* & SPIRITUM S. analogia.

1. *Flumina* oriuntur partim ex fontibus & ſcaturigine ſubterranea, partim ex ipſius oceani radicibus, per meatus ſubterraneos coacta in locum & canalem anguſtiorem. Docet id SPONDAN. in *Comm. ad Iliad.* 21. ex *Orphei hymno*

Ἐξ ὧπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα

Ex quo omnes fluvii & omnis oceanus.

Quare & HESIODUS hoc reſpectu in Θεογονίᾳ 3. millia filiorum tribuit oceano. Conf. de ortu fluviorum ex Oceano NATAL. *Mythol. Lib. VIII. cap.* 1. ARISTOTELES *meteor. Lib. I.* Ex montium radicibus deducit CARTES. *Princip. Philoſ. P. IV.* quo etiam reſpicit TRYPHIODOR. in *Antholog.*

Δῶπον ὑποπτήξαντες ὀρειτρεφέος ποταμοῖο.

Ubi *fluvium à monte nutritum* memorat. De vario fluviorum ortu vid. KIRCHER. *Mund. ſubterr. T. I. p.* 236. 239. 281. *ſq.*

Spiritus quoque S. cum donis ſuis largiſſimis prodit ex vaſto omniſufficientiæ divinæ oceano, quæ peccatoribus in conſilio pacis quaſi reſervata eſt, præcipue ex theſauris reconditis gratiæ ac monitorum Servatoris noſtri, unde & hoc loco Apoc. XXII. 1. *prodire* dicitur *ex throno Dei* & agni, qui thronus erectus & confirmatus eſt per æternum pacis conſilium. Hic thronus erectus fundamentum eſt effuſionis Spiritus S. Joh. XIV. 2. 3. 16. Jeſ. LIX. 21. Pſ. CXXXIII. 1-3. Servator enim eſt qui promeruit Spiritum per paſſiones ſuas, ille eſt, qui effundit quoque Jeſ. XLIV. 3. 4. Joh. VII. 37. 38. Ille dat aquam vitæ ut, qui inde bibat, non ſitiat in æternum Joh. IV. 10. 13.

VII. 2. Flumina *abundant* aquis, & longe majori copia ſunt inſtructa quam fontes aut rivuli minores, & ſæpe majori mox minori aquarum theſauro divites exiſtunt fluvii. Unde VIRGIL. *Georg. Lib. I.*

Præſertim in certis ſi menſibus amnis abundans
Exit.

Et *Æneid. Lib. VIII.*

Perſolves ego ſum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas.

NICANDER *Theriac.*

- Ὁ δ᾽ ἐν ποταμοῖσι πολυστειοῖσι νομάζων
Ille vero paſcebat ad fluvios abundantes.

Unde *fluvius* Symb. eſt *abundantiæ* atque multitudinis in ſcriptis ſacris. Jeſ. XLVIII. 18. ויהי כנהר שלומך *pax tua fuiſſet inſtar fluvii*, id eſt, *ut* KIMCHI explicat כמימי הנהר שהם רבים *Sicut aquæ fluminis, quæ multæ ſunt.* Et JONATHAN: כשפע נהר פרת. *Sicut exundatio fluvii Phrath.* Et *Jeſ. XI. 9. Repleta eſt terra cognitione Domini* כמים את ים מכסים *ſicut aquæ aperiunt mare.* conf. Thren. II. 13. Pſ. LXXXVIII. 18. Job. III. 24. & Jeſ. LXVI. 12. *Extendam ad eam pacem* כנהר *inſtar fluvii*, & *gloriam gentium* כנהר שוטף *ſicut fluvium exundantem.*

Ita quoque eleganter abundantiſſimos Spiritus S. fructus & dona, quæ Eccleſiæ ultimorum temporum promiſſa ſunt, nobis ob oculos ponit S. Vates. Tunc enim implebitur, quod dictum eſt. Jeſ. XXXV. 6. 7. *erumpent aquæ in deſerta & torrentes in ſolitudine; convertetur locus torridus in ſtagnum & ſiticuloſus in ſcaturigines aquarum.* Quando cognitio Jehovæ uberrima implebit orbem inſtar aquarum alveum maris opperientium Jeſ. XI. 9. Ita ex corpore fidelium latices & fluenta aquæ vitæ emanabunt Joh. VII. 37. 38. Quando Eccleſia erit inſtar horti irrigui, inſtar fontis vivi, cujus aquæ nunquam fallunt. Jeſ. LVIII. 11. & largiſſimo conſolationum ubere ſatiabitur Jeſ. LXVI. 11.

VIII. 3. Aquæ fluminum *irreſiſtibiles* ſunt & maxima vi decurrunt, ripas, aggeres, valla, omniaque obſtacula ſæpe perrumpunt, unde illud Poetæ:

- Violenta ruunt, abruptis flumina ripis.

Et VIRGIL. *Bucol. Ecl.* 7.

Heic tantum Boreæ curamus frigora quantum
Aut numerum lupus aut torrentia flumina ripas.

Qua-

Quare NONNUS

Οἰδαίνων θρασὺ χεῦμα χαραδραίῃ ποταμοῖο.

Torrens impetuoſe ex alto decurrens & ſaxa excavans.

Et NAZIANZENUS canit:

- Ποταμοῦ ῥόος ὦκα θέοντος.

- *Fluxus torrentis ocyus currentis.*

Exprimit hoc efficaciſſimam Spiritus S. operationem, quam in Eccleſia ultimis temporibus exſeret, quando ſcilicet omnes indurationis aggeres perrumpet, præcipue in convertendis gentibus, a Dei ejusque Spiritus communione alienis & in idololatria perverſa confirmatis. Tunc omnia rationis excelſa, omnia carnis munimenta diruet 2. Cor. X. 5. & corda arida, omnique ſalutari gratia deſtituta largiſſimis hiſce rivis inundabit. Quando Spiritus hic effundetur ex alto, tunc deſerta & arva erunt irrigua & frugifera Joſ. XXXII. 15. Tunc Spiritus Dei erit inſtar *torrentis aquarum* ad diſſipandas gentes & compeſcendos populos. Jeſ. XXX. 28

IX. 4. Flumina inundant agros, eosque in regionibus aridis atque ſiccis *fœcundos* reddunt atque feraces, quare dubio procul fluvii quoque paradiſi, ad quos heic reſpicitur, hortum irrigabant, ut eo largiores fructus proferret. Ita CICERO *de Nat. Deor. Lib. II.* de Nilo & Euphrate teſtatur: *Aegyptum Nilus irriget & cum tota æſtate obrutam, oppletamque tenuerit, tum recedit mollitosque & oblimatos agros ad ſerendum relinquit. Meſopotamiam fertilem reddit Euphrates, in quam quotannis quaſi novos agros invehit.* Unde & NICANDER *Theriac.*

Ἕρσεται ἀγραύλοισιν ἀγαλλομένη ποταμοῖσι.

Et VIRGIL. *Georg. Lib. I.*

Deinde ſatis fluvium inducit, rivosque ſequentes.
Et cum exuſtus ager morientibus æſtuat herbis,
Ecce ſupercilio clivoſi tramitis undam
Elicit &c.

- *Scatebris arentia temperat arva.*

Et TIBULL. *Lib. 1. eleg 8. de Nilo*

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec pluvio ſupplicat herba Jovi.

Nilum ea propter PLINIUS in *Paneg. Cap. 30.* vocat FOECUNDITATIS PATREM. Eandem quoque ob cauſam Veteres Fluvios cum *cornu copiæ* pingere ſolebant; huc refer nummum apud OISEL. *in Numiſm. Imp. Tab. XXXIV. num. 9.* ubi Nilus cernitur cum cornu copiæ, ob agrorum fertilitatem, qua Ægyptum lætificat. Vide Nummum in *Tab. noſtra. n. 16.*

Spiritus quoque ſanctus eſt, qui corda arida, & gratiæ vitalis ſucco deſtituta recreat, & frugifera in bonis operibus reddit, & arbores horti myſtici Eccleſiæ efficit fertiles. Quare vota Eccleſiæ Cant. IV. 16. audiuntur: *Surge Eure & veni auſter, perſla hortum meum, ut ſtillent aromata ejus.* Quare & comparatur cum pluvia gratioſa, quæ tellurem aridam recreat, Pſ. LXVIII, 10. & Pſ. LXXII. 6. Hoc reſpectu poſt largiſſimæ Spiritus S. effuſionis promiſſionem, Jeſ. XLIV. 3. additur: *Ut effloreſcant velut inter gramen, velut ſalices, ſecundum proceſſus aquarum. Tunc lætabitur deſertum, exſultabit ſolitudo & florebit inſtar roſæ. Magis magisque progerminabit & exaltabit cantu ac jubilis, gloria Libani donabitur ei, & decor arvi Saronis.* Jeſ. XXXV. 1. 2. Ita & Hoſ. XIV. 5. *Ero roris inſtar Iſraeli, & floreat inſtar lilii, & protrudat radices inſtar Libani. Diffundent ſe teneri ejus rami, eritque gloria ejus inſtar olivæ atque odor quaſi Libani.*

X. 5. Flumina aquam continent *perennem* & continuo *fluentem*, adeoque non facile *exſiccari* æſtu, aut exantlari arte poſſunt; Quare ſi lacus ac rivuli ſolis æſtu exſiccantur, fluvii aquis abundant perennibus, unde *ἀέναι perennes* dicuntur, HESIOD. *Lib. II. Ἔργ.*

Μηδὲ ποτ᾽ ἀενάων ποταμῶν καλίῤῥοον ὕδωρ.

Et APOLLON. in *Argon:* ob aquarum copiam *μελαμβαθεῖς, nigræ profunditatis* fluvios vocat. CYRUS THEODOR. *ἀειρεέθρους* appellat *ſemper fluentes*, quando canit:

Γλώσσῃ λάψαν ὕδατος ἀειρεέθρου ποταμοῖο,

Quare & *ἀκάματοι indefatigabiles* dicuntur apud APOLL. *Argon.*

Argon. Lib. III. Et VIRGIL. quidquam haud poſſibile deſcribens canit: *Bucol. Ecl. I.*

Et freta deſtituent nudos in litore piſces,
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim.

Eleganter hoc quoque applicari poteſt, donec Spiritus S. utpote quæ ex ſcaturigine vitæ profluunt, Pſ. XXXVI, 10. & aquas vivas conſtituunt, quare & ὕδωρ ζωῆς vocantur, ſunt enim perennes, quæ exſiccari nunquam poſſunt. Hæc ratio eſt, cur Eccleſia comparatur cum *horto irriguo, & ſcaturigine, cujus aquæ nunquam fallunt.* Jeſ. LVIII, 11. Omnes omni tempore credentes ex hoc fonte aquas vitæ hauſerunt, & quo mage inde hauriuntur, eo mage accreſcunt aquæ & abundant, Joh. I, 16. Nam *flumen hoc Dei eſt perenne, rivi ejus lætificant civitatem Dei,* Pſ. XLVI, 5. Aqua, quæ ex hoc fonte hauritur, omnem ſitim reſtinguit, & fiet in bibente *fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, Joh. IV, 14.

XI. 6. Flumina viva aquas plerumque *potabiles* atque *dulces* continent, quæ ſiti reſtinguendæ inſerviunt, oppoſitæ aquis ſalſugine infectis; quare aqua fluvialis & ſalutaris & frequens Veterum potus erat. Ita Jer. II, 18. לשתות מי שחור *bibendo aquas Sichoris* i. e. Nili & לשתות מי נהר *bibendo aquas fluvii* i. e. Euphratis. Recte igitur ſcribit PHILO *de opif. Mundi p. m. 23.* εἰκότως οὖν καὶ γῇ τῇ πρεσβυτάτῃ καὶ γονιμωτάτῃ μητέραν ἀνέδωκεν ἡ φύσις οἷα μαστοὺς, ποταμῶν ῥεῖθρα καὶ πηγῶν, ἵνα τὰ φυτὰ ἄρδοιτο, καὶ ποτὸν ἄφθονον ἔχοι πάντα τὰ ζῶα. *Merito igitur terræ quoque antiquiſſimæ ac fœcundiſſimæ natura tanquam mammas dedit, amnium fluenta fontiumque, ut ſtirpes rigentur & omnia animalia potum copioſum habeant.* Huc reſpicit HORAT. *Lib. II. carm. od. X.*

Extremum Tanain ſi biberes Lyce,
Sævo nupta viro.

Aquam fluvialem maxime *ſalutarem* eſſe, docent R. NATHAN in *Maſſech. Aboth.* & ABARBANEL *in Thor. fol. 27.* apud ACOLUTH. *de aquis amar. c. 3. p. m. 338.* Idem de Nili & Tiberiadis aquis aſſeritur, ut docet SCHICKARD. in *Miſchohammelech*, p. 414. & BARTOLOCC. in *Bibl. Rabbin.* p. 420. conf. *Cel.* LAMP. *Comm. in Job. T. I p. 719.*

Uni-

Unicum quoque animæ ſiti laborantis refrigerium in hoc fonte cryſtallino reperitur. Ex hoc fonte ac fluvio ſalutis bibens nunquam ſitiet in æternum Joh. IV, 12. Ex hoc fluvio cryſtallino cives Hieroſolymæ cœleſtis erant potandi, quare verſ. 17. Spiritus dicit: *Qui ſitit, ille veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Hi ſunt torrentes voluptatum, quibus inebriantur electi, Pſ. XXXVI, 9. Fluvii hujus myſtici maxime ſalutares ſunt aquæ, confortant ac corroborant vitam ſpiritualem, unde hæc dona Spiritus S. alibi cum vino & lacte comparantur Jeſ. LV, 1. 2. Unde & *fluvius vitæ* vocantur, quem & Muhamedani in paradiſo ſtatuunt cœleſti, ut docet POCOCK. *in Not. Miſcell. p. m. 279.* Vocantur porro *fons ſalutis* מעין הישועת Jeſ. XII, 3. de quo Judæi teſtantur, quod inde hauſerint Spiritum S.

XII. 7. Aqua fluvialis vim *purgandi* habet, quare non ſolum adhibebatur in libaminibus ſacris, veluti id docet *Libamen aquæ* in feſto Tabernaculorum, quando inter jubila atque plauſus aquas ex fonte Siloah hauriebant atque coram Domino effundebant, de quo ritu ſupra meminimus. Apud Gentes inſignis purificandi virtus aquæ fluviali tribuitur; Ita CALLIMACH. *hymn. Apoll. v. 110.*

> *Δηοῖ δ' ὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέυσι Μέλισσαι,*
> *Ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει,*
> *πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβὰς, ἄκρον ἄωτον.*
> *Cereri autem non ex omni fluvio aquam libant Meliſſæ,*
> *Sed qui purus & nulla ſorde infectus ſerpit,*
> *Fonte e ſacro parvus latex, eximius aquarum flos.*

In *luſtrationibus* ſæpe adhibebatur aqua, uti apud Hebræos in purificatione Leproſi, quo reſpicitur Ezech. XXXVI, 25. *aſpergam vos aquis mundis ut mundemini: ab omnibus impuritatibus veſtris, & ab omnibus ſtercoreis Diis purificabo vos.* Ita & apud Gentes ſæpius adhibebatur, unde VIRGIL. *Lib. IV. Æneid.*

> *Dic corpus properet fluviali ſpargere lympha,*

Et alibi

> *Donec ſe flumine vivo*
> *Abluerat,*

PER-

PERSIUS *Satyr. 1.*

Hæc ſancte ut poſcas Tiberino in gurgite mergis,
Mane caput bis terque & noctem Flumine purgas.

Ita ſane Spiritus S. cum donis gratioſis ſola & unica purificationis Eccleſiæ cauſa exiſtit. Hoc eſt lavacrum regenerationis Tit. III, 5. aqua illa, ex qua regenerantur electi Joh. III, 5. aqua illa pura, qua aſpergendi erant impuri, ut ab omnibus impuritatibus & Diis ſtercoreis purificentur. Ezech. XXXVI, 25. Quare dicitur Jeſ. IV, 4. quod *abluerit Dominus excrementa filiarum* Zion & *cædes Hieroſolymæ abſterſerit e medio ipſorum, per ſpiritum judicii & ſpiritum exuſtionis.* Illi, qui fuerant impuri, per Spiritum hunc Dei noſtri abluuntur, ſanctificantur, imo juſtificantur, teſte Paulo 1. Cor. VI, 11. Commode ergo per piſcinam Betheſdam quoque depingebatur hæc vis Spiritus S. purgatrix, Joh. V, 4.

XIII. 8. Flumina *opes advehunt* & cauſæ *divitiarum* exiſtunt. Ope enim navium ex remotiſſimis regionibus merces ac divitias advehunt urbibus, quare ingens commercii fulcrum habendi ſunt fluvii. Inſuper & ingentes auri, argentique theſauros in ſinu ſuo fovent ac vehunt. Quales auriferi apud Veteres fluvii ſæpe celebrantur, veluti Pactolus, de quo HORAT. *Epod. XV.*

Sic pecore & multa dives tellure licebit,
Tibique Pactolus fluat.

Tales erant Ganges, Hermes, Durius atque Tagus. Quare & fluvii Veteribus ὀλβοδόται *opum dolores*, & ἐχεκτέανοι *opes habentes*, dici ſolent. De fluvio tali canit AESCHYL. *Prom.*

- - οἱ χρυσόρρυτον
Οἰκοῦσιν ἀμφὶ νᾶμα
Qui habitant ad fluvium auro fluentem.

Urbes ea propter ad fluvios ſitæ ditiſſimæ erunt, & commercio celebratiſſimæ, qualis erat Tyrus, cujus opes ac divitiæ ex mari ac fluviis acquiſitæ laudantur. conf. 1. Reg. IX, 27. Jeſ. II, 16. XXIII, 1-14. Ezech. XXVII, 4-9. Apoc. XVIII, 17. ſq. Inprimis vero & heic obſervandum eſt, alludi hac phraſi ad fluvios Paradiſi, qui ſimul ὀλβοδόται & auriferi erant, veluti in Piſonis gurgite aurum bdellium & onyx volvebatur Gen. II, 11. 12. conf. HUET. *de ſitu Paradiſi* ad h. l.

Optime hoc denuo ad Spiritum S. ejusque largiſſima ac ſalutaria dona applicari poterit. Ille enim pretioſiſſimas animæ immortalis divitias poſſidet & unice largitur. *Aurum* fidei ille nobis communicat, quia eſt Spiritus fidei 2. Cor. IV. 5. hoc aurum Chriſtus vendit gratis & applicat per Spiritum ſuum Apoc. III. 18. Omnes opes ſpirituales, veluti vocatio, regeneratio, juſtificatio, ſanctificatio, glorificatio, bona ſunt, quæ Spiritus hic filii Dei nobis applicat & communicat, ejus auxilio illarum participes reddimur. 1. Cor. VI. 11. Dona ac divitiæ ſpirituales animæ, quæ ſunt, amor, pax, lætitia, comitas, manſuetudo, caſtitas, humilitas, non niſi fructus ſunt hujus Spiritus Gal. V. 22. pretioſa hæc dona magis ſunt auro & argento. Act. VIII. 20. Et ſpiritu pauperes hiſce ditantur, Matth. V. 3. Apoc. III. 18.

XIV. 9. Ingens denique Veterum delectamentum ac recreatio habebatur, ſi ad *flumina ſedere* liceret. Ad flumina confluebant in locis ac regionibus calidioribus, ut corpora dulci aquarum refrigerio delinirent, ac ſimul murmure & ſtridore torrentium ad ſomnum capiendum invitarentur, atque ita quiete fruerentur. Huc reſpicit VIRGIL. *Bucol. eclog. 1.*

Fortunate Senex, heic inter flumina nota,
Et Fontes ſacros frigus captabis opacum.

Et HORAT. *Epod. Lib. ep. 2.* canit.

Labuntur altis interim ripis aquæ,
Queruntur in ſylvis aves,
Fontesque lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.

Ita Iſrael ex itinere defatigatus dulce oblectamentum adipiſcebatur in *Elim*, ubi fontes & rivi, de quibus DIODOR. SICUL. *Biblioth. Lib. III. p. 123.* Καὶ γὰρ ὕδατος ὐκ ὀλίγαι πηγαὶ καὶ λιβάδες ἐκπίπτυσιν ἐν αὐτῷ ψυχροτάτης χιόνος ὐδὲν λειπόμεναι. *Nam aquarum fontes non exigui & rivi frigidiſſimis aquis niveis non cedentes ibidem promanant.*

Majores adhuc delicias ad fluvium hunc cryſtallinum ſedens percipiet. In hujus Spiritus communione vera animi recreatio ac quies conſiſtit. Et quando ille leni ſono ac teſtimonio ſuo cor afflat & teſtatur cum ſpiritu noſtro, quod hæredes vitæ & filii Dei ſimus Rom. VIII. 16. tunc

tunc anima alta pace fruitur, pace illa conſcientiæ, quæ omnem rationem tranſcendit. Phil. IV. 7. ille velut oleum lætitiæ pectus exhilarat triſte admodum & contritum Jeſ. LXI. 3. quare conſolator & paracletus vocatur. Joh. XIV. 16. Comparatur ideo cum fonte Siloah, cujus aquæ leniter fluunt & dulce refrigerium in Canaane exhibebant. conf. Jeſ. XII. 3.

XIV. Emphaſin adhuc ſingularem habet phraſes λαμπρὸν ὡς κρύσαλλον. *Splendidum inſtar Cryſtalli. CRYSTALLUM* ΚΡΥΣΤΑΛΛΟΝ apud Veteres alias dicebatur ἤλεκτρος, uti apud DIONYS. PERIEGET. *v.* 317.

> Ἠδυφανὴς ἠλεκτρος ἀέξεται
> *Niveum ſeu fulgidum gignunt cryſtallum.*

ARISTOPH. *in nube* ὑαλὸν pro cryſtallo ponit, i. e. *vitrum.* ARABS חשמל illud Ezech. I. 27. البلور & SYRUS ܒܠܘܪܐ *cryſtallum* vertunt. De qua voce vide *Exercit. noſtr. in Apoc. II. 18.* in MUS. BREM. Tom. II. f. 4. Et ABENBITAR Arabs teſtatur apud BOCH. *Hier. T. II. Lib. VI. c. 16.* quod بلور *ſit lapis cryſtallinus albus, qui ſoli oppoſitus lucem edat clariſſimam.* Cryſtallum quoque Beryllo eſſe ſimillimum lapidem docent Phyſici. Et Arabs pro ספיר quoque ponit Exod. XXIV. 10. ቢሉር፡ Æthiopicum pro ὑάλῳ ponitur Apoc. XV. 2. Uti HERODOTUS & DIODORUS cryſtallum ὕαλον vocare amant. Et poſtremus ſcribit; *cryſtallum eſſe lapidem ex aqua pura concretum, non tamen frigore ſed divini coloris vi.* conf. RHODIG. *Lect. Antiq. Lib. I. cap. X.* Sed PLINIUS *lib. XXXVII. cap. 2.* & ALBERTUS MAGNUS ex frigore concretum cryſtallum exiſtimant, & ex κρύος *frigus* & στέλλω *contraho* derivant, cui tamen ſententiæ refragatur SOLINUS, quoniam cryſtallum in Aſia & Cypro etiam reperitur, quibus admodum calor jugis eſt. Ex aqua tamen generari probat ARISTOTEL. *in lib. meteor.* conf. M. ANDR. BACCIUM *Elpidianum Philoſophum* de *Gemmis & lapidib.* p. m. 102. ſq. Ex his cryſtalli proprietatibus erutis ultro liquet, per phraſin ὡς κρύσαλλον tum fluvii hujus *puritatem* tum *ſplendorem* inſignem innui.

Primo quidem *puritatem*, quatenus fluvius hic aquas vehebat nullis heterogeneis partibus mixtas, omnique limo ac luto deſtitutas, adeoque

non pellucidas ſolum ſed & maxime ſalutares. De fluvio tali canit OVID. *Epiſt.21.*

Eſt nitidus vitroque magis pellucidus amnis.

Et CALLIMACH. in *Apol. v. 111.*

Ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει.

Sed qui purus & nulla ſorde infectus ſerpit.

Opponitur ergo fluvius donorum Spiritus S. cryſtallinus volutabris luto ac fœtore repletis, ac fluminibus ſalſugine ac limo infectis. Dona Spiritus S. ſunt puriſſima, non ſolum in ſe ſancta & ex ſancta Dei ſcaturigine profluentia Pſ. XXXVI. 10. ſed & vi ſanctificandi & purgandi prædita ſunt. Ezech. XXXVI. 25. *pura aqua vos aſpergam, ut purificemini.* Salutares maxime ſunt hæ aquæ, maximis in delitiis populo Dei. Ex hoc fluvio bibens inebriatur torrente delitiarum Jehovæ Pſ. XXXVI. 9.

Secundo *ſplendorem* hujus fluvii innuit cryſtallum, qui radiis ſolis percuſſus oculos inſigni luce ac fulgore perſtringit, qualis fluvii apud Veteres ἀργύρεοι *argentei* dicebantur, ita OPPIAN. ἁλιευτ. α.

Ἀργύρεοι ποταμοὶ, δίψης ἄκος, ἠδὲ λοετρόν.

Et CASTALIO λαμπροὺς vocat:

Καὶ παρὰ λαμπροῖσι ποταμοῖς.

Fluvius hic myſticus cryſtallo ſimilis erat, ob fulgorem majeſtis ac ſanctitatis, qui ex donis Spiritus S. largiſſime in Eccleſiam ultimorum temporum effundendis, emanabat. Illuminatio enim eſt opus Spiritus S. proprium 2. Cor. IV. 4. 5. Præcipue quoque illis temporibus cognitio ſalutaris maximum incrementum acciperet, quando *plena futura erat tellus cognitione Jehovæ, velut aquis maris alveum opperientibus.* Jeſ. IX. 9. Lux hæc radiis cœleſtibus accenſa, longe lateque fulgorem ſuum diffundens, totam orbem illuſtratura erat Zach. XIV. 7. Tunc *gloria Jehovæ orietur & conſpicua erit in Eccleſia* undiquaque, & *accedent gentes ad lucem hanc & reges ad ſplendorem exortum* Jeſ. LX. 1-3.

XVI. Quisquis ergo es, qui in arido hujus mundi deſerto ſæpe aquas haſce cœleſtes anhelas, huc appropera ad fluvium cryſtallinum, & aquis hiſce ſalutaribus ſitim tuam reſtingue. Felix, cui ad hunc ſedere fluvium datur, ille pinguedine cœleſti & torrente delitiarum ſatiari poteſt. O miſeras animas, quæ volutabra Sodomæ & rivulos Belial ſitiunt, atque flumen

men cryſtallinum & aquas ejus delicatas faſtidiunt. Sæpius per angelos Eccleſiæ fluvius hicce purus in Evangelio commonſtratur, animæque ſiti miſerrima preſſæ, ad latices ejus dulciſſimos invitantur, ſed proh miſeram eorum ſortem! qui volutabris concupiſcentiarum immerſo has deſitias reſpuunt. Væ illis qui ciſternas perforatas fodiunt, ſuisque indulgent voluptatibus, illi a fonte & ſcaturigine vitæ remoti, æternis in flammis ſitient, nec guttula aquæ hujus cum divite epulone digni habebuntur. O ſtolidas animas! qui neſciunt aurum diſcernere ab arena, aquas vitæ ab aquis amaris mortis. Videbunt aliquando fluvium cryſtallinum & animas beatas ad eundem delitiis perfuſas, ſe vero ſiti æterna excruciatos. Reſipiſce ergo, non cum Eſavo, quando nullum pœnitentiæ ſpatium ſupereſt, ſed dum hora gratiæ ruit; ſperne, contemna, rejice omnes mundi concupiſcentias, & ex hoc fluvio vera fide hauri gratiam pro gratia. O beatas animas, ad hunc fluvium ſedentes, & delitiis ejus cryſtallinis ſaturatas! Dulces ſunt primitiæ, dulciſſimi aliquando erunt pleni torrentes, quibus recreabuntur æternum. Apoc. VII. 16. 17.

EXERCITATIO XI.
DE
VISIONE FACIEI DEI.
APOC. XXII. 4.

ARGUMENTUM.

§. I. Quid πρόσωπον *&* פנים *deſignet, & unde phraſis* Facies Dei, *&* videre Faciem Dei *deſumta ſit? §. II. Faciem Dei primo ſenſu Deum ipſum & varias ejus perfectiones, ſc. omniſcientiam, ſanctitatem, gratiam, juſtitiam & majeſtatem in ſacris depingere, docetur. §. III. Secundo loco Filium Dei per* πρόσωπον Θεοῦ *&* פני יהוה *deſignari, demonſtratur. §. IV. Rationes cur perfectiones divinæ & filius Dei per ejus faciem depingantur, redduntur. §. V. Emblema* viſionis *enucleatur, & illam Symbolum eſſe cognitionis, fidei, amoris, delectationis ac experientiæ prol a ur. §. VI. Quid integra phraſis* videre faciem Dei *innuat, inq iritur ſc.*

majorem cognitionis ac amoris & lætitiæ gradum, ſummum honorem, cultum divinum, intimam cum Deo communionem & parrheſiam. §. VII. Epilogus additur.

§. I.

SIngulare erat privilegium, quod Servis Dei, coram throno ejus conſtitutis, tribuitur Apoc. XXII. 4. ΟΨΟΝΤΑΙ τὸ ΠΡΟΣΩΠΟΝ ἀυτȣ̃. VIDEBUNT FACIEM DEI. Vox πρόσωπον convenit cum voce Hebr. פנים & non animantibus ſolum & inanimatis, ſed & ipſi Deo, qui Spiritus eſt infinitus, ſenſu tribuitur allegorico. Quando vero Deo adſcribitur *facies*, phraſis deſumitur ab hominibus & quidem Principibus, & θεοπρεπῶς eſt explicanda. Sæpius autem in ſcriptis ſacris *Facies* Deo tribuitur vide Gen. IV. 14. XXXII. 30. Exod. XXXIII. 20. Hiob II 7. Pſ. XLIV. 4. CXIX. 58. CXL. 14. Jeſ. LXIV. 7. Jeſ. IV. 1. XLIV. 11. Ezech. XV. 7. Dan. III. 41. Apoc. VI. 16. improprie autem & ἀνθρωποπαθῶς de Deo prædicatur. *Videre autem faciem Dei*, eſt metaphora a more Regum orientalium deſumta, ubi Reges auro gemmisque radiantes excelſis thronis inſidebant, & majeſtatem ſuam ſervis manifeſtabant, qui circa thronum & coram eo conſtituebantur, veluti ſervi coram throno Salomonis ſtantes 1. Reg. X. 8. Et quoniam homines plerumque Deum ſub humana forma ſibi repræſentant, infirmitas captus humani ejusmodi emblematibus ſublevatur. Quare quoque gentes Deos ſuos ſub hominum figura ſibi proponebant, veluti Lyſtrenſes Act. XIV. 11. exclamabant: Οἱ Θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς. *Dii forma humana induti ad nos deſcenderunt.* Et DIODOR. *bibl. hiſt. Lib. I. cap. 12.* de Jove, Vulcano, Cerere & Oceano teſtatur, quod nunc ſacrorum *animalium formis induti, nunc in hominum ſpeciem converſi* totum orbem peragrent & hominibus appareant. Et quum Deus ſub V. T. præprimis apparuerit in forma angeli aut hominis, majeſtate inſigni radiantis (veluti & in columna nubis & ignis) veri ſimili ratione colligi poteſt, quod apparuerit angelus fœderis in forma Principis aut Ducis, qualis Joſuæ apparuit Joſ. V. 13. hinc & facies ei tribuitur, quæ ſenſu hieroglyphico de Deo tanquam Spiritu puro intelligenda eſt neceſſario, cum alluſione ad varias ejus ſub forma humana apparationes.

II. FA-

II. FACIES autem DEI, ſi ſcripta ſacra conſulimus, denotat omne id, per quod Deus ſe manifeſtare ſolet hominibus, unde

Primo deſignat DEUM *ipſum*, & varias ejus *perfectiones* ac virtutes, per quas ſe in hoc terrarum orbe creaturis ſuis revelat, veluti

(a) *omniſcientiam* ac *omnipræſentiam*, Gen. III. 8. Adam ſe occultabat *coram facie Jehovæ*. Pſ. CXXXIX. 7. 8. *Quo me reciperem a ſpiritu tuo, aut quo fugerem a facie tua. Si ſcanderem cœlum, & illic es, ſi ſtratum meum ſtruerem in ſepulcro, ecce ades.* Pſ. XLI. 13. *Me ſuſtentabis in integritate tua, & me conſtitues coram facie tua in ſeculum.* conf. Job. II. 7. Pſ. XI. 8.

(b) *Sanctitatem* ejus inviolabilem, quo reſpicit Jehovah, quando Exod. XXXIII. 20. dicit: *Faciem meam videre non poteris, nemo enim faciem meam videns vivet.* Et quando Jeſ. XXVI. 17. dicitur: *Ut prægnans propinqua partui dolet, exclamat in doloribus ſuis, ita fuimus coram facie tua, Jehova.* Pſ. CXIX, 58. *Deprecor faciem tuam ex toto animo, gratiam fac mihi ſecundum ſermonem tuum.*

(c) Porro *amorem* ac *gratiam* divinam, qua miſeris ſuccurrit. Hinc Num. VI. 25. *Faciat lucro faciem ſuam Jehova ſuper te & gratiam faciat tibi.* Pſ. XLII. 6. *Spera in Deo, nam ipſum adhuc celebrabo, & ſalutem omnigenam faciei ejus* XLIV. 5. *brachium eorum non dedit ſalutem ipſis, ſed de dextera tua, brachiumque tuum & lux faciei tuæ, quia benignus eras.* Jeſ. LIV. 8. *memento in fervore abſconderam faciem meam a te, ſed benignitate ſemper miſereor tui.* Jer. VII. 15. *abjiciam vos a gratia mea.* Pſ. LXIX. 18. *Ne abſcondas faciem tuam a ſervo tuo, quia miſer ego ſum.*

(d) Inſuper *juſtitiam* Dei vindicativam ac *iram* ſupremi Numinis depingit facies ejus. Devt. VII. 10. *Qui rependit oſoribus ſuis facie ſua, & non dilaturus eſt odio habenti ſe, rependet ei facie ſua.* Et Jer. XXI. 10. *Nam oppoſui faciem meam civitati huic in malum, & non in bonum, dictum Jehovæ.* Apoc. VI. 16.

(e) *Majeſtatem* denique ac *gloriam* ejus. Ita Jacob locum, ubi Jehova in gloria ſua ei apparuerat, vocabat פניאל. *Pniel.* i. e. *Facies Dei.* Gen. XXXII. 30. Ita Pſ. XLII. 2. *Sitit anima mea Deum, fortem Deum viventem, quando accedam, ut faciam Dei intuear.* Et Apoc. I. 16. facies Archangeli, ſeu filii Dei lucere dicitur inſtar ſolis ob majeſtatem & gloriam. Quare & *columna* nubis & ignis, per quam gloriam ſuam manife-

niſeſtabat Deus Iſraelis, *Facies Dei* dicitur Exod. XXIII. 15. Devt. XVI. 16. Et quia *gloria* Dei eſt complexus reliquarum virtutum ac perfectionum ejus, hinc plerumque illa per faciem divinam intelligitur. Ita & Judæi intelligunt, uti in *Midraſch Tellill fol. XI. c. 3.* שבע כתות הן שהן עתידין לעמוד לעתיד לבא לפני חי וקיים קודשא בריך הוא ואי זו הכת המעלה שבהן שמקבלין פני שכינה זו כת ישרים: *Septem ſunt agmina illorum, qui tempore futuro ſtabant coram Deo vivente, permanente, ſancto & benedicto: Quodnam vero eſt, feliciſſimum agmen? illorum qui ſtabunt coram* FACIE *majeſtatis divinæ, hoc eſt agmen rectorum.* Unde & PARAPHRASTES CHALDAICUS, Pſ. XLII. 2. quando *intuear faciem tuam* vertit: אימתי אעול ואחמי זיו שכנתא דיי *Ecquando veniam, & videbo ſplendorem majeſtatis Jehovæ.* Quare & Gentes Deorum faciem rutilantem & ſplendentem conſiderabant, ut ſupra in *Exercitat. noſtra de Iride circa caput Angeli* docuimus, quod & aſſerit EVRIPID. *in Jon. v.* 1549. canens:

Τὶς οἰκῶν Θεοδότων ὑπερτελὴς
Ἀνθήλιον πρόσωπον ἐκφαίνει Θεῶν.
Qui ſupra ſacras ædes exoriens oſtendit
Solis inſtar ſplendentem Deorum faciem.

III. Secundo loco & *Filium Dei* per *faciem Jehovæ* deſignari in ſcriptura aſſerimus, præcipue quum per illum Deus virtutes in clara luce poſuit. Confirmat hoc non ſolum GALATINUS, SANCTIUS ex Pontificiis, ſed & DEYLINGIUS, GERHARDUS & alii ex Lutheranis, & ex noſtris ALTINGIUS, WAGENUS, GUSSETIUS *in voc.* פנה, VAN TIL in *Malach. p. 81.* Et inter Patres CLEMENS ALEXANDRINUS *Pædag. Lib. I. & Strom. Lib. V.* citatur Cel. LAMP. *in Joh. T. I. p. 666. in not.* Conſentiunt Judæi, ita R. NACHMANID. ad Exod. XXXIII. 4. פני ילכו מלאך הברית אשר אתם חפצים שבו יראו פני שעליו נאמר בעת רצון עניתיך כי שמי בקרבו. *Facies mea ibit.* i. e. *Angelus fœderis, quem deſideratis, in quo videbitis faciem meam, quia de eo dictum eſt, tempore beneplaciti reſpondi tibi, quoniam nomen meum eſt in medio ejus.* conf. plura loca apud LAMP. *l. c.* Locus palmarius, ex quo hoc demonſtramus, eſt Exod. XXXIII. 14. 15. ubi פני ילכו *facies mea ibit*, & בלכתך *quum tu iveris*, ſynonima ſunt & alternant,

nant, præcipue quum illic ad columnam nubis & ignis reſpiciatur, quæ manifeſtiſſimum Filii Dei ſymbolum fuit. Quare quoque Jeſ. LXIII. 9 *Angelus faciei Dei* appellatur, qui idem eſt cum Angelo fœderis Mal. III. 1 imo Pſ. XLII. 3. Cel. DEYLING. *Obſ. Sacr. L. I.* p. 140. per פני אלוהים *faciem Dei* Meſſiam intelligendum cenſet. In ipſo ceu effulgentia gloriæ & charactere eſſentiæ divinæ omnes perfectiones Dei conſpicuæ ſunt & apparent, quas & in opere gratiæ, quod in hac terra executus eſt, demonſtravit coram mundo. Joh. XVII. 4. 5. 6.

IV. Rationes, cur perfectiones divinæ & Filius Dei ſub emblemate *Faciei divinæ* in ſcriptis ſacris occurrunt, reddimus ſequentes. a) Uti ex facie homo *diſtinguitur* ab homine & qualis ſit, digno ſcitur. Ita ex perfectionibus divinis & Filio ſuo agnoſcitur Deus æternus, Ens incomprehenſibile, infinitum, omnemque rationis captum tranſcendens; per easdem ſe diſtinguit a Diis Gentium dictitiis & fictis, qui impotentes, imperfecti ſunt, ſed Domino huic nemo eſt ſimlis, qui magnus eſt, & cujus nomen eſt magnum Jer. X. 2 -- 7. Jeſ. XLIV. 10 -- 15. 23 -- 26. b) Facies *decus* eſt & gloria hominis, pars nobiliſſima totius corporis. Ita gloria ac majeſtas divina conſpicua apparet ex perfectionibus Dei & ejus Filio, in quo ceu centro omnes concurrunt. Decus eſt ſummum Numen in oculis angelorum, ut ita loquar, qui alis pedes tegentes & vultus, virtutes haſce ac perfectiones inſtar faciei radiantis admirantur, obſtupeſcunt, & celebrant, exclamantes: קדוש קדוש יהוה Jeſ. VI. 3. c) Ex facie apparet *ira* cum furore ac *clementia* cum favore, unde SENEC. *Hippol.* 362.

- - incluſus quoque
Quamvis tegatur, proditur vultu furor.

Et LUCAN. *Lib. III.* 356.

- Cum turbato jam prædita vultu
Ira Ducis, tandem teſtata eſt voce dolorem

Unde & MAIMON. *more neboch. Part. I. c.* 37. פנים הואשם הכעש ופניה לא היו לה עוד ולפי זה הענין נעשה הרבה בענין כעס השם וקצבו פני יהוה חלקם. *Facies ſignificat iram, indignationem, ut* 1. *Sam.* I. 18. *& facies ejus non erat illi amplius. Hoc ſenſu ſæpe uſurpatur de Dei indignatione & furore, ut* Thren. IV. 16. *Facies Dei diviſit eos.* conf. GRELLOT. *Prodrom. Apoc. p.* 90. Et virtutes di-

vinæ in executione iræ ac clementiæ ubique radiant; quemadmodum judicia & beneficia divina ejus quoque perfectiones docent. Filius Dei eſt, qui ea propter vocatur albus & rubicundus, i. e. juſtus ſimul atque clemens Cant. V. 10. dentes ejus albent præ lacte, & oculi rubent præ vino Gen. XLIX. 11. *Gratiam* exſequitur & *judicia*, veluti per columnam nubis & ignis, nec non per arcam fœderis tot olim gratiæ ac iræ ſpecimina prodidit.

V. Explicuimus itaque emblema *Faciei divinæ*, videamus porro quid *Viſio* in ſcriptis ſacris deſignet ſenſu allegorico. Senſu *proprio* Deum videre nullus unquam poterit, utpote qui Spiritus eſt inviſibilis & incomprehenſibilis Joh. II. 8. 1. Tim. VI. 16. Act. XVII. 28. 29. Deut. IV. 15. vid. PFANNER. *Theol. Gent. c. XI. §. 19.* qui docet, idem a Gentibus eſſe creditum. Nec hoc loco intelligimus *viſionem Dei*, quæ *prophetis* tribuitur, quæ conſiſtebat in repræſentatione ſymbolica ſpeciei alicujus corporeæ, quæ vel oculis Prophetarum vel ſenſibus ac phantaſiæ objiciebatur, unde & חזים *videntes* vocabantur, conf. Jeſ. VI. 1. Ezech. I. & X. Dan. X. 5. Apoc. I. 12. 13. IV. 1. XXI. 1. ſed *videre* ſenſu allegorico in ſcriptis ſacris denotat

a) *intelligere*, uti oculus Symbolum eſt intellectus & judicii. Ita ARISTOTEL. *Topic. Lib. I. cap. 14.* ait: ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν ψυχῇ. *Sicut viſus eſt in oculo, ita intellectus in anima.* Hoc ſenſu *videre* etiam in ſcriptis ſacris occurrit, veluti Job. XI. 11. *Ipſe novit homines vanitatis & videns nequitiam, an non animadverteret?* Pſ. CXIX. 18. *Aperi oculos mihi, ut videam mirabilia legis tuæ.* Pſ. CXXIX. 16. Maſſam meam viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia ſcripta ſunt. 1. Cor. XIII. 12. *Videmus jam per ſpeculum, & per ænigma, tunc autem coram videbimus. Nunc novi aliquatenus, tunc vero cognoſcam, prout ego cognitus ſum.* conf. Pſ. X. 11. 14. Jeſ. IX. 2 XXIX. 15. Jer. XII. 3. XVI. 17. Thren. III. 6. Hoſ. IX. 2. Rom. XI. 8. 1. Joh. III. 2. 2. Cor. IV. 4. Ita & apud Judæos hoc ſenſu occurrit, uti ex *lib.* MUSAR. C. XIV. 1. DRUSIUS obſervat: Ubi proverbium legitur: *Judices Iſraelis ſunt videntes magis quam canis.* MAIMONID. apud Cel. LAMP. *in Pſ. XLV. p. 391.* לבות החכמים יש להם עינים רואות מה שאין רואים הפתאים

Cor-

Corda ſapientum habent oculos, quibus vident, quod non vident ſimplices. Locus quoque eſt egregius ORPHEI, quem citat CLEMENS ALEX. *Strom. Lib. V. p. m. 723.*

Ἐις δὲ λόγον Θεῶν βλέψας τϋτω προσέδρευε
Ευθύνων κραδίης νοερὸν κύτ☉. Ἐυ δ' ἐπίβαινε
Ατραπιτϋ, μϋνον δ' ἐσόρα κόσμοιο Ἄνακτα
Αθάνατον.

Divino in verbo, defixus totus inhære
Luminibus, mentisque memor luſtrare receſſus,
Intactum per iter conſtanti incedere greſſu,
Æternumque unum cœli modo cernere Regem
Perge alacris.

Conf. plane ejusmodi loca apud Cel. LAMP. *Pſ. XLV.* l. c. *Comment. in Job. T. II. p. 601. l. 375.* VRIEMOETH. *Obſ. in Matth. p. 84.* SUICER. *voc.* βλέπω.

b) Porro viſio emblema eſt *fidei* atque *fiduciæ*. Hoc ſenſu canit Pſaltes Pſ. XXV. 15. *Oculi mei jugiter reſpiciunt ad Dominum, quia ipſe eripit pedes meos e reti.* Et Pſ. CXLI. 8. *Ad te reſpiciunt oculi mei Jehova Domine, ad te recipiam me, ne derelinquas animam meam.* Jeſ. XLV. 22. *Reſpicite ad me & ſeruemini omnes fines terræ.* 2. Cor. IV. 18. *Non reſpicimus ea quæ viſibilia, ſed inviſibilia ſunt.* Heb. XI. 13. de Patribus teſtatur Apoſtolus, quod mortui non adepti ſint promiſſa, ſed eminus ea reſpexerint, ſc. per fidem. conf. Hebr. XII 2. Hebr. XI. 27. 2 Cor. III. 18. Hoc quoque innuebat medium illud, quo ſanabantur Iſraelitæ a morſibus ſerpentum venenatis ſc. *aſpectus ſerpentis ænei*, qui per fidem explicatur a Servatore Joh. III. 14. 15. Unde JONATHAN *v. 9. Num. XXI.* vertit: ויהי כל רנכית יתה הויא ויהי מסתכל ביה וחאי אין מכוון לביה לשים מימרא דיי: *Et fiet, ut ſi quem momorderit ſerpens & intuitus fuerit eum, ut convaleſcat, ſiquidem direxerit cor ſuum ad verbum Domini.* conf. TALMUD. BABYL. *Maſſech.* ר״ה f. 29. Ita in TARGUM HIEROS. in h. l. Num. cit. ויהי כל מן דהוה מנכת בחויא הוה תלי אפוי בצלו גב אבוי דבשמיא ומסתכל בחויא דנחשא וחיה *Et erit omnis, qui a ſerpente morſus ſuſpendet vultum*

 ſuum

ſuum per preces ad cœleſtem ſuum patrem & aſpiciet æneum ſerpentem, vivet. conf. SAUBERT. *Palæſtr. diſſ. de* נחש נחשרת *p. m. 343.*

c) Viſio inſuper *amorem* deſignat ac pronum juvandi animum, & communionis propioris deſiderium. Unde Cant. IV. 9. *Rapuiſti cor meum, ſoror mea ſponſa, rapuiſti cor meum uno oculorum tuorum* ſc. aſpectu. Unde ſponſo tribuuntur oculi columbarum Cant. V. 11. Quo reſpicit Eccleſia Pſ. LXIII. 3. 4. *Ad videndum robur tuum & gloriam tuam, ſicut in loco ſancto te reſpiciebam. Nam benignitas tua melior eſt vita.* Et Jehova teſtatur Pſ. CI. 6. *Oculi mei reſpiciunt veraces terræ, ut mecum conſideant.* Et Jer. V. 3. *O Domine, oculi tui nonne reſpicerent fidem, percutis eos, ſed non ſentiunt cum dolore.* conf. Job. X. 15. Jeſ. XXXVIII. 5. Unde & Lev. XXVI. 9. ופניתי & *reſpiciam.* SAMARITAN. vertit ࠅࠀࠕࠓࠏࠄࠉ *Et benevolus ero.* Atque Num. IV. 7. שלחן הפנים *menſa panum faciei* vertit idem ࠐࠕࠅࠓ· ࠓࠑࠅࠕࠄ. *Menſa deſiderii, beneplaciti.* Num. VI. 28 *faciem ejus* vertit ࠓࠏࠅࠕࠄ *benevolentiam ejus.* Quare & oculi in amore duces habebantur, & in iis tela amoris reperiuntur. Unde ACHILL. TAT. *Lib. V.* Ἡ δὲ τῆς θέας ἡδονὴ διὰ τῶν ὀμμάτων εἰσρέουσα τοῖς στέρνοις ἐγκάθηται, ἕλκουσα δὲ τοῦ ἐρωμένου τὸ εἴδωλον ἀεὶ, ἐναπομάσσεται τῷ τῆς ψυχῆς κατόπτρῳ, καὶ ἀναπλάττει τὴν μορφήν. Pluribus id confirmat ex Scriptoribus variis BARTH. ad CLAUD. *in Nupt. Honor. p. 801 ſq.* Quare CHRYSOST. *in Job. homil. LXVI.* Μισουμένων οὐδὲ φωνὴν ἀκοῦσαι ἀνεχόμεθα, οὐδὲ ὄψιν ἰδεῖν ἡδέως. *Odioſorum ne vocem quidem audior, nec vultum eorum videre, æquo animo patimur.* Unde non intueri idem eſſe ac contemnere & odiſſe, probat *Cel.* LAMPIUS *in Job. T. II. p. 112.* in not.

d) Præterea *videre* ac *intueri* idem eſt, quod *delectari & lætari*, ſeu cum gaudio circa objectum quoddam eſſe operoſus. Ita Pſ. CXXVIII. 5. 6. *Benedicet tibi Jehova ex Zione & videbis bonum Hieroſolymæ omnibus vitæ diebus.* Pſ. XXVII. 4. *Ut ſedere mihi liceat in domo Jehovæ omnibus vitæ meæ diebus, ad videndum amœnitates Jehovæ.* Pſ. LXVIII. 25. 26. *Viderunt inceſſus tuos, o Deus, inceſſus Dei fortis mei, Regis mei, qui eſt in ſanctuario, præcedebant cantores, poſt fidicines.* Ubi *viderunt* idem eſt, quod *lætati* ſunt de iis. Quo etiam refer Pſ. LXIX. 33. Pſ. XXXIV. 9. Et Jeſ. LXVI. 14. *Quod cum videbitis, lætabitur animus veſter, & oſſa veſtra*

ſtra ut herba tenera reflorescent. Denique Cant. VI. 10. *Revertere, revertere, o Sulamith, revertere, revertere, ut aſpiciamus te*, i.e. beneplacitum in te hebeamus. Unde & in BERESCHITH RABB. illud Exod. XXIV. 11. explicant. מלמד שזנו עיניהם מן השכינה *Notat eorum oculos divina præſentia paſci.* Et R. MENACHEM *in Paraſch. Levit.* אחרי מות ſcribit: רק לאחר פטירת הצדיק יזכה למלכות הנקרא גן ומקבל פני השכינה *Verum poſt diſſolutionem juſtus adipiſcitur regnum, quod dicitur Paradiſus, fruiturque conſpectu divino.* Id quod alibi explicatur: הובה מתוקן לך לעולם הבה שתשביע סכך מעדני גן צין *Magna te manent in ævo futuro, omnibus enim deliciis paradiſi frui tibi dabitur.* Conf plura apud WINDET *de vita funct. Statu Sect. VII. p. m. 122. ſq.*

e) *Viſio* denique pro *experientia* ponitur & *ſenſu.* Uti Pſ. XXXIV. 9. *Guſtate & videte, bonum eſſe Jehova.* Unde *videre bonum* pro experiri ponitur Job. VII. 7. Quo ſenſu etiam occurrit Pſ. LXXVII. 17. *Videntes te aquæ Deus, videntes te aquæ trepidabant, & commovebatur abyſſus.* Et Pſ. XCV. 9. *Ubi tentaverunt me majores veſtri, probaverunt me, etiam experti ſunt opus meum*, proprie *viderunt.* Et ſæpius Eccleſiaſtes phraſin *vidi ſub ſole* eodem ſenſu uſurpat. Eccl. III. 10. 26. IV. 7. VI. 1. &c. Et Thren. III. 1. *Ego ſum vir ille, qui videt* i. e. experietur *afflictionem, virgam furoris illius.* Rom. VII. 23. *Sed video aliam legem in membris meis pugnantem contra legem mentis meæ*, i. e. ſentio eam. Et phraſes, *videre vitam* Joh. III. 36. *videre mortem* Joh. VIII. 51. *videre malum.* Pſ. XC. 15. *videre regnum Dei* Joh. III. 3. eodem ſignificatu gaudent. Hoc ſenſu etiam a Mahomede adhibetur in SURAT. XCIX. 7. من يعمل مثقال ذرة خيرا يره ومن يعمل مثقال ذرة شرا يره. *Qui fecerit ad pondus atomi bonum, videbit illud, & qui fecerit ad pondus atomi malum, videbit illud.* Unde & apud alios Scriptores *videre diem* ponitur pro vivere ARISTOPH. *ειρην v.* 345.

Ει γάρ μοι γένοιτ' ἰδεῖν ταύτην τὴν ἡμέραν.
O mihi ſi detur, illam videre diem.

Et OVID. *triſt. Lib. V. el. 4.*

Sive diem videat, ſive tegatur humo.

Conf. plura apud LAMP. *de die Chriſti ab Abrahamo viſa in BIBL. BREM. T. I. p. 496. ſq.*

Et HOMER. *Iliad. ε. v. 475.* pro experiri ponit videre.

Τῶν νῦν οὔ τιν' ἐγὼν ἰδέειν δύναμ' οὐδὲ νοῆσαι.

Horum nunc nullum ego videre poſſum, me animadvertere,

ſc. ad defenſionem.

VI. His prælibatis ſupereſt, ut inquiramus, quid integra phraſis *videre faciem Dei*, quæ heic de ſervis coram throno Dei & agni conſtitutis, adhibetur, indicet. In genere hanc metaphoram deſumtam conjicimus a more Regum orientalium, qui ſplendidiſſimis thronis inſidentes ſe cum majeſtate inſigni ſervis & miniſtris adſtantibus conſpiciendum præbent. In ſpecie ad *thronum* Jehovæ *ſub V. T.* in templo per שכינה erectum, quæ *facies Dei* vocatur, ut ſupra vidimus. Hoc poſito, *videre faciem Dei* dicuntur ſervi Dei ultimis N. T. temporibus (ad quæ heic reſpici credimus & ſupponimus)

a) Quia major *cognitionis divinæ* gradus illis concedetur, quid Spiritus illuminationis in majori menſura erat effundendus. Veſperi enim Lux erat oritura Zach. XIV. 7. Quando pyropo ſpecularia Eccleſiæ erant diſponenda, & omnes ejus filii a Jehova edocti erunt. Jeſ. LIV. 12. *plena futura erat tellus cognitionis Dei, velut aquis alveum maris opperientibus.* Quando facie retecta gloriam Dei intueri dabitur 2. Cor. III. 18. & majorem in cognoſcendis perfectionibus Dei lucem nanciſcentur, atque ſapientiam in viis Jehovæ & greſſibus in ſanctuario ejus indagantes, in verbo quoque prophetico ſenſus exercitatiores adipiſcentur. Uti enim illum, cujus faciem intueor, propius dignoſcere poſſum, ita major cognitionis lux per viſionem faciei divinæ indigitari apte poterit.

b) Major quoque *amoris* ac *delectationis* in Deo, Rege Eccleſiæ ſuæ, menſura exprimitur. Servi hi Dei, quando Jehova omnes promiſſiones adimplere incipiet, oculis quaſi flammantibus ac ferventibus *amore* illum intuebuntur, ac in contemplatione executionis perfectionum divinarum ſummas capient *delicias.* Lætabuntur de ſorte novæ Hieroſoly-

mæ

mæ felici. Sic inſtar τῶν Seraphim, zelo amoris ſanctiſſimo accenſi, perfectiones divinas jugiter celebrabunt, exclamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Jehovah.* Jeſ. VI. 3. Et in pretioſo Hieroſolymæ novæ ornatu & propiori Jehovæ manifeſtatione jugiter delectabuntur. Jeſ. LXV. 29. LXVI. 14.

c) Videbunt faciem Dei, i. e. *experientur* quoque faciem *benignitatis* ac favoris divini; Quoniam Jehova temporibus illis ſingularia favoris ac gratiæ promiſſa reſervavit. Patris faciem ſerenam, quando conſolabitur eos, ut quiſpiam, quem mater ſua conſolatur, quorum id videntium animus exultabit. Jeſ. LXVI. 13. 14. Hactenus per tot hoſtium veritatis triumphos, & cruentas perſecutiones, faciem ſuam Rex Eccleſiæ quaſi abſconderat, jam vero, poſtquam Babel ceciderat & hoſtes Eccleſiæ omnes devicti erant, denuo lex faciei Dei gratioſæ illis illuceſcebat; *Non enim ſiti amplius erant excruciandi nec fame. Non ſol & æſtus illis erat damnum illaturus, ſed ab agno ipſo ducendi erant ad latices vivos.* Apoc. VII. 16. 17. Sic *bonum & benignitas eos perſecutura erant* omnibus diebus vitæ ipſorum, & quieti futuri erant in domo Jehovæ. Pſ. XXIII. 6.

d) Viſio faciei divinæ porro ſummum *honorem* ſervis Dei exhibitum depingit, utpote qui tanquam *miniſtri intimi* ad thronum propius admiſſi, illo fruebantur honore, ut faciem Regis a propinquo intueri poſſent. Ita IOSEPHUS IACHIADES Dan. X. 13. אחר השרים הראשנים *unum principum primorum* παραφράζει מכאל שהוא אחר והמיוחר מהשרים הראשנים רואי פני האלך *Michael qui eſt primus & dotibus ſeparatus, e primariis illis principibus, intuentibus faciem Regis.* Ita quoque ALGAZELIUS, *Scriptor Arabs,* apud MILL. *in Diſſ. Select. p.* 417. اكرمهم علي الله من ينظر الي وجهه غدوة وعشية *Maximo inter eos* (paradiſi incolas) *in honore apud Deum eſt, qui faciem ipſius mane & veſperi contemplabitur.* Uti & PINDARVS *Olymp. Od. II.* de beatis canit:

> Ἀλλὰ παρὰ μὲν τιμίοις
> Θεῶν, οἵτινες ἔχαι
> ρον εὐορκίαις

Ἀδα-

'Αδακρυν νέμονται
'Αιῶνα.
Sed inter Deos honoratos,
Qui fidem ſancte coluerunt,
Ætatem ſine lacrymis degent.

Servi ergo Dei hactenus oppreſſi, contemti ac neglecti poſt exortam gratiæ divinæ lucem, & manifeſtationem Jehovæ propiorem maxime afficiendi erant honore, Dei, Regis Regum, miniſtri intimi futuri, qui faciem ejus contemplari ſumma cum admiratione, & perfectiones ejus, publice in Eccleſiæ παλιγγενεσίᾳ generali ſe exſerentes, e propinquo obſervare poterant.

e) Viſio faciei divinæ innuit quoque zelum *ſanctitatis* ac *cultus* divini. Phraſis enim *comparere coram facie Iehovæ*, & illam videre, adhibetur de ſacrificiis & reliquis cultus Levitici exercitiis. Conf. Exod. XXIII. 15. Cap. XXXIV. 20. 23. Devt. XVI. 26. & præcipue Ieſ. I. 12. ubi multiplex ſacrificiorum oblatio vocatur comparitio in conſpectu ſeu *coram faciei Iehovæ*. Huc quoque Pſ. XLII. 3. reſpici quidam volunt, quando David *faciem Dei intueri* anxiis votis expetit; quibus *verbis* deſiderium cultus divini in templo peragendi, a quo in fuga ſecludebatur, exprimat. Conf. etiam DEYLING. *Obſ. Sacr. Tom. I. Obſ. 30. §. 9. p. 142.* Ita ſervi hi Dei coram facie divina tanquam ſacerdotes in ſanctuario apparent, perpetuo in cultu ſacro operoſi, qui ſacrificia laudis & ſuffitum precum ardentium Deo offerebant. Quare dicuntur ipſi Deo ſervire coram throno ſuo & ipſum nocte dieque colere in templo ſuo. Apoc. VII. 15. utpote qui omnibus viribus contendebant, ut מנחה illud purum ex Gentibus & Judæis Deo offerrent in Hieroſolyma nova. Jeſ. LXVI. 20.

f) Præterea *propiorem cum Deo communionem* innuit hæc phraſis. Summus Pontifex ſemel quotannis apparebat coram facie Iehovæ in ſanctuario intimo, ubi שכינה in throno Cherubinorum reſidebat, adeoque ille κατ' ἐξοχὴν dici poterat, videre Dei faciem, quia propioris admiſſionis miniſter erat, & ille *nomen Dei in fronte* quoque gerebat, quod itidem de his ſervis prædicatur. Quum ergo illud ſub V. T. ſolius *S.* Pontificis eſſet privilegium jam omnibus ſervis Dei futurum erat commune, qui pro-

propiori Dei communione erant fruituri, tanquam proximi ad thronum ejus glorioſæ manifeſtationis conſtituti. Unde & Judæi de Moſe hoc teſtantur, in AVOD. ZAR. *fol. 18.* חזרס שכינה לשמי השמים העליונים לשיב אל כסא כבודו והושיבה לנשמתו של משה תחת כסא הכבוד שיש מקור החיים : *Divina majeſtas ſe in cœlum cœlorum altiſſimum recepit, ſeditque in throno gloriæ, ſub quo animam Moſis collocavit, ubi eſt fons vitæ.* conf. cum hoc loco Apoc. XXII. 1. Ita cum major Spiritus S. menſura ſervis Dei erat concedenda, major quoque & propior cum Deo ſanctiſſimo communio poterat coli, & præcipue quum propius ſe per gratiæ benevolæ ſigna manifeſtaturus eſſet Jehova illis temporibus. Jeſ. LX. 1-3.

g) Denique *viſio faciei divinæ* ſummam ſervorum Dei παῤῥησίαν ac *libertatem* nobis ob oculos ponit. Ipſis via ad thronum Schechinæ cœleſtis quotidie patebat, non uti Summo Pontifici ſub Vet. Teſt. quotannis ſemel. Quare nec trepidi accedebant & formidantes, ſed cum παῤῥησίᾳ. Sub V. T. ſervi Dei, quando faciem Dei in apparitione ſymbolica videbant, tanquam mortui metu procidebant. conf. Gen. XXVIII. 17. XXXII. 30. Judic. VI. 22. XIII. 23. Ezech. I. 28. Dan. VII. 15. Sed nunc cum lætitia ac erecto animo apparitiones Dei, Regis ac Ducis Eccleſiæ ſuæ, exſpectabant, & facie retecta gloriam Dei intuituri erant 2 Cor. III. 18. conf. Jeſ. LX. 2. 3. 19. 20. cap. LXVI. 21-23. cap. LXV. 13. 14. Zach. XIV. 11.

VII. Beati ergo ſervi, quibus tanta continget felicitas, ut viſione faciei divinæ recreari queant. Sed proh dolor! pauciſſimi in illius contemplatione delectantur. Sunt qui cœcis eam intuentur oculis, perverſa de virtutibus ac perfectionibus ejus præjudicia foventes. Sunt qui coram ea ſe abſcondere ſatagunt, quia eſt facies ſancta, & nihil magis ipſis odio eſt quam ſanctitas. Nunquam vera fide majeſtatem faciei divinæ rutilantem intuiti ſunt, alias impoſſibile fuiſſet, quin in amorem illius rapti, ſummas in ejus contemplatione delitias poſuiſſent. Tædium ipſis parit viſitatio atriorum Jehovæ, in quibus ſe manifeſtat, cultus divinus negligitur, atque ita in faciem Dei peccatis ſuis plurimi quaſi conſpuunt, quæ aliquando etiam adverſus tales cum excandeſcentia dirigetur, ita ut a facie Dei æternam perniciem conſecuturi ſint. 2 Theſſ. I. 9. Felices ter

 & au-

& amplius, qui cum Davide noctu dieque conſiderant faciem Dei intueri, a quibus faciem ſuam brevi abſconderat Jehova, ſed dein nova luce ortam manifeſtat. Jeſ. LIV. 8. Hic erit feliciſſimus ille ſtatus, ad quem electi poſt mortem transferentur, qui per hanc vitam in meditatione ac contemplatione perfectionum divinarum delectati ſunt, aliquando cum Davide poterunt exclamare in hora mortis: *Ego vero intuebor faciem tuam in juſtitia, & ſatiabor imagine tua, quando evigilavero.* Pſ. XVII. 15.

EXERCITATIO XII.
DE
NOMINE DEI IN FRONTIBUS SERVORUM EJUS.
APOC. XXII. 4.

ARGUMEMTUM.

§. I. Phraſis hæc, nomen alicujus in fronte gerere, unde deſumta ſit, inquiritur. §. II. Servis olim nomina Dominorum in fronte fuiſſe inſcripta, docetur. §. III. Militibus quoque Ducum nomina. §. IV. Uti & Sacerdotibus nomina Deorum. §. V. Patricii & Nobiles nomina ac figuras inſcribebant in manibus & fronte. §. VI. Omnes hæ alluſiones conjunguntur, & ex iis ſenſus hujus phraſis applicatur Servis Dei electis. §. VII. Propius emphaſis vocum & ſignificatus eruitur. Et nomen *hoc proprie eſſe nomen* יהוה *aſſeritur. §. VIII. Quomodo illud* inſcriptum *dici poſſit, & quomodo hæc inſcriptio myſtica fiat,* explicatur. *§ IX. Cur præciſe* in fronte *nomen hoc inveniatur, inquiritur, & quid hoc ſignificet? §. X. Epilogo practico hæc Exercitatio & totus Liber coronatur.*

I.

Alterum Servorum Dei attributum, quod Apoc. XXII. 4. jam citato legitur, eſt, Καὶ τὸ ὌΝΟΜΑ αὐτοῦ ἐπὶ τῶν ΜΕΤΏΠΩΝ αὐτῶν. *Et NOMEN ejus* (Dei) *erit in FRONTIBUS eorum.* Vidimus in Exercitatione præcedente, phraſi *Viſionis faciei* alludi non ſolum ad mo-

rem

rem Regum orientalium ac aliorum, qui in throno conſidentes miniſtris ſuis ſe conſpiciendum præbebant, ſed & ad thronum Dei in ſanctuario erectum. Sequens ergo phraſis, *nomen Dei in fronte gerere*, alludit ad nomen יהוה quod in fronte gerebat S. Sacerdos, Dei miniſter intimus. Ex hoc, niſi fallor, ritu veterum populorum conſuetudo invaluit, ut nomen vel figuram Deorum vel Principum in frontibus gererent. Varia autem nomen gerendi in frontibus conſuetudo fuit, & in diverſis perſonis conſpiciebatur.

II. Si antiqua monumenta conſulimus, Nomen

a. *Domini* inſcriptum *SERVIS* fuiſſe docemur, qui mancipia erant Dominorum. Stigmata quidem frontium interdum dedecori erant & pœnæ ſymbolum, uti DIOG. *Laërt. Lib. IV.* ait de patre Bionis, quod *ἤνεγκε συγγραφὴν ἐπὶ τȣ̃ προσώπȣ, τῆς τȣ̃ Δεσπότȣ πικρίας σύμβολον, acceperit ſtigma in fronte, quod ſignum erat excandeſcentiæ Heri ſui.* De ſtigmate ſervorum nefando ac infami lege H. STEPHAN. *Theſ. Græc. voc. στιζω*, LIPS. *elect. Lib. II. c. 15.* NOVARIN. *Elect. S. Lib. III. c. 15.* DEYLING. *Obſ. III. p. 426.* RHODIG. *Lect. Ant. p. m. 1417.* PIGNOR. *de Serv. p. 19.* & alios, quos citant FABRIT. *Bibliogr. Antiq. p. 513.* & ZORN. *Bibl. Ant. Exeg. p. 460.* Verum & *ſervis honeſtis* & domeſticis inciſum fuiſſe nomen vel ſymbolum Domini ipſorum docet PLUTARCH. in *Nicia p. 542.* vide VITRING. *in Apoc. p. m. 836. in not.* De orientalibus ſervis ex duobus HESYCHII locis probat GROTIUS *ad h. l.* Eum in finem captivos, & quos ſub poteſtatem redigebant Veteres, ſigno notabant in fronte, ut docet PLUTARCH. *in Pericl. p. 166.* ſcribens, *ἔστιζον εἰς τὸ μετώπον γλαῦκας, captivis Athenienſes inſcripſere noctuam.* Conf. plura de hiſce ſtigmatibus LOMEIER. *diſſ. ſing. de ſtigmat. Veter. in T. II. dier. genial.* PFEIFFER. *Antiq. Græc. Lib. II. c. 51. p. 344.* ATHENÆ. *Deipnoſ. Lib. VI. c. 18.*

III. b. *MILITIBUS* quoque nomina Ducum, Imperatorum aut Anteſignanorum impreſſa fuiſſe docemur paſſim apud Scriptores. Recte HIER. in Jeſ. XLIV. *Milites adſcripti in militia punctis in cute inciſis ſe bello conſecrabant.* Ita & R. VEGETIUS *de re milit. Lib. II. cap. 5. p. m. 45. Nam puncturis in cute punctis milites ſcripti & matriculis inſerti jura-*

re ſolent, & ideo militiæ ſacramenta dicuntur. Et *Lib. I. cap. 8. Sed non ſtatim punctis ſignorum inſcribendus eſt tyro delectus.* conf. & DILHERRI *farrag. rituum S. cap. X.* Hoc ſenſu explicant locum Pauli *Gal. VI. 17.* ubi teſtatur: *ſe portare ſtigmata Chriſti in corpore ſuo.* conf. DEYLING. *Obſ. S. Lib. III. p. 427.* & DOUGT. *Anal. S. II. p. 125.* ZORN. *Bibl. exeg. antiq. p. 266.* PFEIFFER. *antiq. Græc. Lib. III. c. 16. p. 517.* WITS. *Oeconom. p. 445.* GROTIUS *ad Apoc. XIII.* LYDIUM *de re milit. Lib. I. cap. 6.* STEWECH. *ad L. II. Veget.* aliosque.

IV. c. Præterea *Sacerdotibus* quoque nomina vel ſigna Deorum, quorum miniſterio præerant, in fronte ſcripta eſſe legimus. Ita Jovis Sacerdotes fulmen, Mercurii ſcipionem, Martis haſtam inſcriptam gerebant. Et de Jojakimo referunt Judæi, quod nomen idoli Codonazar inſculpſerit cuti ſuæ. Vel numerum nominis pingebant, veluti Solis miniſtri ſignum XH gerere ſolebant. conf. D'OUTREIN *H. Sännebeeld. T. II p. 68.* & ZORN. *Biblioth. Exeg. antiq. p. 269.* Ita & de Syriæ Deæ Sacerdotibus teſtatur LUCIAN. *T. II. Opp. p. m. 656.* ςίζονται δὲ πάντες, οἱ μὲν ἐς καρπὲς, οἱ δὲ ἐς αὐχένας. *Certis autem notis compunguntur omnes, alii quidem in vola manus, alii autem in cervice.* Imo ipſi idololatræ ſeu cultores Deorum, ſignum ſeu nomen idoli, quod venerabantur, ejus in honorem fronti vel brachio incidebant, quo reſpicit PRUDENT. περὶ στεφ. *hymn. 14. v. 1076.*

Quid cum ſacrandas accipit Sphragitidas,
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere.

Ita & teſtantur Judæi apud HOTTING. *de Jur. Hebr. Leg. CCLVII.* שרושמין עצמן לעא שלהן כלומר שהוא עבד נמכר לה ומורשם לעבודתה: *Uſu enim receptum eſt apud Idololatras, ut ſe ſuis idolis ſigno quodam notent, ſignificantes ſe quaſi ſervos eorum pretio redemtos, & nota inſignitos eſſe.* conf. MAIMON. *de Idolol. cap. XII. §. 12.* GROTIUM *ad Zach. XIII. 6.* CAR. du FRESNE *in Gloſſar. P. II. V. Stigm.* POTTER. *Archæol. Græc. p. 56.* PHILON. *Lib. I. de Monarch. p. 819.* Quo reſpicitur Lev. XIX. 28. *Neque cæſuram pro ullo mortuo incidite carni veſtræ, & inſcriptionem ſtigmatis ne imponite vobis, ego ſum Jehova.* Et Jeſ. XLIV. 5.

Hic dicet, ſum Jehovæ, & vocabitur nomine Jacob, ille vero in manu ſua ſcribet, ſum Jehovæ. Nec non Apoc. VIII. 16. *Sed & facit, ut omnes parvi & magni, divites & pauperes, liberi & ſervi accipiant characterem in manu ſua dextera, aut in frontibus ſuis.* Deſumtus autem hic Gentium ritus videtur a Sacerdote V. T. Summo, qui nomen יהוה inſculptum in lamina aurea frontis gerebat, de qua Exod. XXXIX. 3. *Fecerunt bracteam coronamenti ſancti ex auro puro, cui inſcripſerunt inſcriptionem ſculpturis tanquam ſigilli* קדש ליהוה *SANCTITAS JEHOVÆ.*

V. d. Integri populi, inprimis *nobiles* inter eos, patricii ac *primates* inter orientales decoris cauſa nomina quædam ac figuras geſtaſſe in fronte & aliis corporis partibus, conſtat. De Babyloniis, Daciis & Meſſinis id probat ex PLINIO, HERODIANO, ARTEMIDORO aliisque *Ven.* D' OUTREIN *H. Sinnebeeld. T. II. p. 48.* conf. etiam ATHEN. *Lib. XII. p. 390.* TERTULL. *de veland. Virg. cap. X.* PLINIUS *Lib. XVIII. cap. 3.* Et HERODOT. *Lib. V. cap. 6. p. 330.* teſtatur, τὸ μὲν ἐςίχθαι εὐγενὲς κέκριται. *Punctis notari judicatur eſſe nobile.* Arabibus & præcipue Scenitis idem in uſu fuiſſe docet GOL. *Lex. Arab. ad voc.* وَشَمَ Unde & MERCER. *in theſ. Ling. S. voc.* קעקע *Ducibus*, ait, *& viris dignitate principali conſpicuis mos erat, notis in carne impreſſis inſigniri.* conf. etiam RHODIG. *Lect. antiq. p. 387.* Huc referunt quidam Ezech. XXIII. 23. שוע וקוע

VI. Ex hiſce præmiſſis jam ſponte conjicere licet, quid phraſis hæc innuat reſpectu ſervorum coram throno Dei conſtitutorum. Illos ſcilicet eſſe

a *Servos Dei* vivi & Regis Regum miniſtros, quos tanquam mancipia ſua proprio ſanguine redemit, Act. XX. 28. Tit. II. 14. ita ut ſint populus peculii ipſius, 1 Pet. II. 9. ut celebrent virtutes & vias Regis ſui in ſanctuario. Sunt miniſtri interioris admiſſionis, qui ſtant coram throno ipſius, ipſique ſerviunt diu noctuque Apoc. VII. 15. tanquam ſatellites Salomonis cœleſtis thronum ac lectum cingentes Cant. III. 7. 8. Antea quoque χάραγμα beſtiæ & Satanæ gerebant, ſed poſtquam a Chriſto redemti eſſent, χάραγμα Dei vivi ipſis per regenerationem & ſanctificationem impreſſum, in fronte gerunt. Eph. IV. 22-24.

b. *Milites* Jehovæ Zebaoth, qui מחנים caſtra duo efficiunt, Cant. VI. 10. ſub vexillo radicis Iſai congregati & conſcripti Jeſ. XI. 10. Qui primam in baptiſmo fidem dedere Duci ſuo, qui eſt Dux exercitus Jehovæ Joſ. V. 14. ſub cujus ſigno pugnant, & arma lucis exercent adverſus regnum tenebrarum & portas inferorum, ſc. gladium ſpiritus, clypeum fidei, thoracem juſtitiæ Eph. VI. 12-15. & contra omnia carnis ac rationis molimina 2 Cor. X. 5, Gal. V. 19. Coll. III. 9. Huc reſpicit Apoſtolus Gal. VI. 17. dicens: *Ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo gero*, in ſignum ſc. pugnæ acerrimæ pro veritate Evangelii decertatæ ſub auſpicio Chriſti.

c. *Sacerdotes* quoque, qui ex familia Dei geniti, imo ex Deo ipſo, a Deo Sacerdotes & Reges conſtituti ſunt Apoc. I. 5. 1 Pet. II. 9. Sub Vet. Teſt. equidem Summus Pontifex ſolo hoc gaudebat privilegio, quod laminam auream geſtaret, in qua קדש יהוה inſculptum erat. Sed jam ſub N. T. omnes ſacerdotes ſpirituales & electi hoc beneficio fruuntur, præcipue ultimis temporibus, quando *decus domus* Jehovæ erit *ſanctitas*. Pſ. XCIII. 5. Et integra electorum cohors tanquam conſecrati ſacerdotes Dei & agni, nomen ipſius in fronte gerent. Apoc. XIV. 1. Et tanquam ſacerdotes ſpirituales veſtibus ſalutis induti, Deo ſacrificia laudis offerent, Jeſ. LXI. 10. Pſ. CXXXII. 9.

d. *Nobiles* denique eos eſſe & primates, innuit hæc inſcriptio, ſunt enim ſemen Dei ex perverſa mundi progenie electum & ſeparatum, 1 Pet. II. 9. qui nobilitate, quæ ex Deo eſt, gaudent; ſigillum proinde Dei vivi acceperunt in manibus & frontibus. Huc reſpicitur Ez. IX. 4. ubi illi, qui abominationes Iſraelis faſtidiebant, tanquam electi & inviolabiles *ſigno notabantur in frontibus*, per virum lineis veſtibus indutum, qui Spiritus S. eſt. conf. DEYLING. *Obſ. S. I. p. 171.* VITRING. *Obſ. S. I. p. 452.* BIBLIOTH. BREM. *Tom. VI. p. 1080. Tom. VIII. p. 141.* ZORN. *Bibl. Antiq. Exeg. p. 268. 775.* aliosque. Hi Naſiræi Jehovæ in hoc ſigno & nomine Dei gloriantur, tanquam τεκμηρίῳ & κειμηλίῳ ſingulari, quod mundus recipere nequit, & per quod ſanctitatis ſignum ſegregantur a ſemine hujus mundi perverſo, quod eſt progenies viperarum; quum ipſi ſint nobiles terræ, ſemen electum Dei vivi, ſal terræ & lux mundi. 1 Pet. II. 9. Matth. V. 13. 14.

VII.

VII. Propius adhuc inquiramus oportet, quid in ſingulis vocibus hujus phraſis lateat, ut plenum ejus ſenſum aſſequamur; nimirum, quid *Nomen Dei*, quid illud *inſcribere*, & denique *in fronte* ſcriptum *geſtare* denotet.

Nomen Dei, quale heic intelligatur, merito quæritur; varia enim in Scriptis ſacris Deo tribuuntur. In loco parallelo Apoc. XIV. 1. vocatur nomen *Patris Agni*, vel ut alii codices legunt, *Patris & Agni*, & Apoc. III. 12. vocatur *nomen Dei mei & nomen meum novum.* Et in ſuperiori Cap. noſtri commate de throno Dei & agni mentio injicitur, quo reſpicit articulus ἀυτȣ̃, quare & hoc loco per nomen ejus nomen Dei Patris & Filii, qui ſub Agni ſymbolo occurrit, intelligimus. Patris enim & Filii, qui unum ſunt, Joh. X. 30. nomen quoque unum eſt. Præcipue nomen Dei יהוה, Patris & Filii nomen eſt, quod & hoc loco intelligendum eſſe, ex eo contendimus: 1) quia nomen יהוה in emphaſi dicitur *nomen Dei*, & *memoriale ejus* Hoſ. XII. 9. quod nulli unquam creaturæ tribuitur nec tribui poteſt. 2) quia hoc nomen in inſcriptionibus ſacris eſt frequentiſſimum, veluti in Moſis altari יהוה כסי, in Hieroſolyma יהוה שמה & in lamina aurea S. Pontificis קדש ליהוה, ut ſupra docuimus, reperitur. Ita & ultimis temporibus tintinnabulis equorum inſcriptum legeretur קדש ליהוה Zach. XIV. 20. 3) in loco ſupra citato Jeſ. XLIV. 5. clare legimus expreſſum nomen Jehovæ, quando electi inſcripturi dicuntur manui ſuæ ליהוה, ubi loco *frontis manus* occurrit. 4) Nec emphaſi caret, cur nomen יהוה inſcriptum dicatur, quia hoc electos obſtringit ad obſequium perpetuum ac fidele; nomen enim יהוה ſupereminentiam, ut ita dicam, divinam ſupra omnes creaturas & promiſſionum ipſius immutabilitatem involvit ac confirmat.

VIII. Quando porro dicitur, nomen Dei *ERIT* in frontibus, innuitur, illud fore *INSCRIPTUM* ſeu inſculptum, uti ex Apoc. XIV. 1. patet. Variis modis Veteres nomina frontibus imponere ſolebant, vel enim candentibus acubus *inurebant*, uti ex loco PRUDENTII ſupra citato liquet, vel etiam novacula aut aliis inſtrumentis acutis *incidebant* & coloribu- tingebant, ita ut nomen hoc non ſolum clare legi, ſed & nunquam expungi poſſet. Optime hoc nobis depingit *operationem Spiritus S.*, ut docet

Apoſto-

Apoſtolus 2 Cor. III. 3. quando dicit, nos eſſe epiſtolam Chriſti, *inſcriptam non atramento*, ſed *Spiritu Dei vivi;* uti & Spiritus S. ſæpius conſideratur tanquam *ſigillum* ſeu inſtrumentum obſignatorium, 2 Cor. I, 21. Eph. IV. 38. Inſcribit ille nomen Dei 1) per *regenerationem*, quando imaginem Satanæ delet & imprimit imaginem Dei vivi. Hoc ſane, uti olim inciſio & inuſtio, non ſine dolore illius, cui imprimitur, contingere poteſt. Peccatorem enim Spiritus convictionis dolore peccatorum afficit, ita ut cor quaſi conteratur, Pſ. LI, 19. Joel. II. 13. facultates dein mentis renovat & corroborat, ita ut arma juſtitiæ evadant, & peccati laqueis eripiantur. 2 Tim. II, 26. 2) per *ſanctificationem* & obſignationem, quando imaginem impreſſam magis magisque perficit, adeo ut externa vitæ ſanctitate ſe prodat imago Dei, mente inſculpta, & ita hoc ſigillo obſignati a Deo agnoſcantur, 2 Tim. II. 19. quo ſigillo confirmantur, ne unquam in peccati ſervitutem relabantur, ſed conſerventur inviolabiles ad diem redemtionis futuræ, Eph. IV, 30. Jeſ. LIX. 21.

IX. Verum non ſine ratione gravi heic nomen hoc ſcriptum legitur *IN FRONTE*. Alias in *manu*, vel *brachio* vel *corpore* nomina & ſigna ſcripta leguntur, quo alludunt loca, Jeſ. XLIV. 5. Cant. VIII. 6. heic vero in *fronte*, uti & Apoc. XIV. 1. XIII. 16. Quod enim in fronte eſt, ab omnibus conſpici nec occultari poteſt, quare *frons* eſt *tacitus mentis ſermo*, ut loquitur CICERO, ſeu *omnium hominis affectuum index*, ut ſcribit PLIN. *Hiſt. nat. Lib. XI. cap. 37.* Quando ergo hoc nomen Dei *in fronte* gerere ſervi Dei dicuntur, innuit hoc a) liberam ejus *confeſſionem*, qua nomen hoc publice coram mundo profitentur, Matth. X. 32. oppoſiti illis, qui χάραγμα beſtiæ gerebant in fronte per idololatriam vel ἐθελοθρησκείαν, quæ in Antichriſtianiſmo vigebat, Apoc. XIII. 16. Ita Paulus nomen Dei in fronte gerebat; erat enim σκεῦος ἐκλογῆς, τοῦ βαστάσαι τὸ ὄνομα Θεοῦ ἐνώπιον ἐθνῶν, *vas electum, ad portandum nomen Dei coram gentibus*, Act. IX. 15. ubi ſine dubio ad Sacerdotem, nomen Dei in fronte gerentem, alluditur. Explicat illud Act. XXIV. 14. *Confiteor autem, me ſecundum viam illam, quam hæreſin vocant, ita colere Deum patrum meorum, ut credam omnibus, quæ in lege & Prophetis ſcripta ſunt.* b) Innuit quoque hæc phraſis *vitæ ſanctitatem*, ſigillum ipſis impreſſum per exter-

externam converſationem imagini divinæ congruam, erant manifeſtaturi, lucentes inſtar luminum in progenie perverſa, 1 Pet. II. 15. 16. Matth. V. 16. Quod *Zach. XIV. 20.* eleganter docetur, quando dicitur, quod in *tintinnabulis equorum* קדש ליהוה legendum foret, id quod fidelium in curriculo fidei operam indefeſſam, & confeſſionem Evangelii liberrimam deſignat.

X. O utinam tempora illa approperarent, in quibus populi *χάραγμα* beſtiæ ac Satanæ gerentes converterentur, & ſigillo Dei vivi in manibus ac frontibus ſignarentur! Aſt proh dolor! quam ignota hæc Dei vivi inſcriptio pluribus mortalium eſt, quam nemo novit, niſi qui recepit. Quam pauci dolores inſcriptionis hujus per veram peccatorum reſipiſcentiam experti ſunt. Quoties Spiritus Dei ſtylum obſignatorium per convictiones acutiſſimas cordi impreſſit absque ullo ſenſu aut converſione? plurimi cor ſuum inſtar ſilicis contra omnia hujus Spiritus molimina indurarunt, & nomen Dei recipere reſpuerunt; quare nec in frontibus illorum apparet per confeſſionem ac celebrationem virtutum divinarum. Nihil magis odio habent, quam quod ſanctitatis idea deleri in mente poteſt. Quare vos o electi Dei ſervi, obſignati Jehovæ miniſtri, Sacerdotes altiſſimi, nobiles terræ, manifeſta ſint ſigna Dei in frontibus veſtris! Portate nomen Dei veſtri, confitemini, celebrate, extollite illud; neglectis mundi & Satanæ furoribus. Heic jam ſigillum Dei portatis tanquam peculium ejus inviolabile, approperabit dies, ut albis veſtibus gloriæ induti, coram throno agni conſtituti & nomine ſanctitatis Jehovæ condecorati, lucebitis in ſecula.

Amen.

FINIS.

INDEX I.

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ, ſuccinctius aut prolixius in Opere hoc illuſtratorum & explicatorum.

Cap.	Verſ.	pag.
GENES.		
I,	1	173
	14	150
III,	15	197. 208
	19	16
XV,	1	1. ſq.
	12	100
EXOD.		
XIII,	1	165
XVII,	15	27
XXXIII,	14. 15	276
XXXIV,	29. 30.	117
		193
LEVIT.		
XI,	13	79
NUM.		
X,	2	28
XXIV,	17	33
DEVT.		
XVIII,	2	208
XXV,	9	111
XXXIII,	25	234
JUDIC.		
VIII,	21	42
1 SAMUEL.		
XVI,	13	119
XVII,	6	12
2 SAMUEL.		
I,	21	5
1 REGUM.		
I,	39	119
XX,	23	232
JOB.		
XVI,	9	89
XXX,	10	108
XXXIX,	30. 31	80
	33	82
XLII,	6	19
PSALM.		
V,	13	8
XX,	6	37
XXII,	11	10
XXIII,	4	96
LVI,	9	185
LVIII,	5	207
LXXIV,	5	127
LXXIX,	2	76
LXXXIX,	17. 19	9
CIII,	14	15
CXII,	10	89
CXIX	25	14. ſq.
CXXI	1	233
CANTIC.		
IV,	1	229
IV,	4	13
	8	230
V,	10	25. ſq.
VI,	3	39
	7	34
	9	40. ſq.
JESAI.		
V,	26	31
IX,	1. 2	96
X,	15	128
XI,	10	29
	12	33
XVIII,	2	241
XXI,	5	5
XXII,	16	60
XXXI,	9	34
XLVII,	5	201
LXV,	4	67
	11	41
JEREM.		
IV,	6	32
VI,	1	29
VII,	18	54
LI,	25	228
EZECH.		
XXIII,	23	289
XXXIII,	25	146

DANIEL.		
Cap.	*Verſ.*	*pag.*
II,	35	238
VIII,	20	117
IX,	27	82
JOEL.		
II,	31	49
OBAD.		
	4	80
NAH.		
II,	4	6
ZACHAR.		
III,	9	4
MATTH.		
X,	11	16
XXIII,	27	59. ſq.
XXIV,	28	70. ſq.
	51	85. ſq.
XXV,	30	94. ſq.
XXVI,	67	103. ſq.
XXVII,	60	65

LUCAS.		
Cap.	*Verſ.*	*pag.*
I,	69	112. ſq.
III,	9	122. ſq.
XI,	44	65. 68
JOHANN.		
VI,	55	136. ſq.
XI,	11	149. ſq.
ACTOR.		
VII,	54	89
XV,	19. 20	145
COLOSS.		
I,	15	163
	18	160. ſq.
2 TIMOTH.		
IV,	7	10
HEBR.		
II,	11	166

APOCAL.		
Cap.	*Verſ.*	*pag.*
I,	5	160
	8	169
II,	3	216
IV,	3	190
VI,	9	143
	12	49
VII,	17	177. ſq.
X,	1	188. ſq.
XII,	1	41
	9	14. ſq.
XIII,	16	292
XIV,	13	211. ſq.
XVI,	20	222. ſq.
XVII,	3. 5	233
XVIII,	19	238
XX,	4	131
XXII,	1	260. ſq.
	4	273. ſq.
		286. ſq.

INDEX II.

RERUM ET EMBLEMATUM SACRORUM.

A.

Α & Ω, literæ in nummis Conſtantini quid ſignificant, p. 173
  cur Chriſtus ita vocatur 169. ſq.
  variæ harum literarum explicationes exhibentur 173
התאבק & אבק 22
Αναπαυσις, quid Græcis denotat 212. 219
Anchoræ navium apud Veteres variæ & celebres 246
  ſymb. ſpei & fiduciæ 248
  item miſſæ Pontific. ibid.
Anima, ψυχη varia notat 14

 AQUI-

AQUILA ſymb. Romanorum 77
figuram ejus in calceis gerebant Imperatores ibid.
ſymb. hoſtium veritatis 78
ſigna aquilarum in exercitu Roman. ex nummis & Scriptoribus profanis illuſtrantur ibid.
rex avium habebatur, & ſymb. fuit Regum 79
avis impura ex lege erat ibid.
nidum ponit in rupibus altiſſimis 80
Aquilarum alæ ſymb. potentiæ ac roboris exercituum 81
viſu pollent acutiſſimo ibid.
inhiant cadaveribus & ſanguine veſcuntur crudo 82
aquila Jovis miniſter habebatur, cujus fulmina gerebat 83
uſus ejus in conſecratione ib.
ARBORES ſymb. hominum 133
ſymb. procerum Judæorum, quod probatur 134
exſcindendæ radicitus per ſecurim myſticam 135
Azazel hircus depilatus, conſputus, typus Chriſti conſpuendi 110
Aſperſiones ſanguinis ſub V.T. quotuplices fuerint 139
myſterium earum eruitur 140.ſ.
ſcopus earum erat expiatio typica 141

C.

CADAVER ſymb. eſt Judæorum carnalium & peccatorum 73
fœtore polluebat tranſeuntes aut tangentes ex lege 75
avibus cœli pabulum eſt 76
ſymb. Antichriſti 73
Calce dealbare ſolebant ſepulchra Prophetarum Judæi, quare 69
quid myſtice hoc ſignificat 70
Candidus & rubicundus dicitur Meſſias, quo ſenſu 26. 28
Capiti pulverem inſpergere ſolebant Veteres in luctu 18
Carcer ſymb. inferni ſeu loci damnatorum 101
Caſtra veterum in collibus & altis montibus diſpoſita 233
CLYPEUS. Nomina varia eorum 2
materia diverſa apud Veteres, lignea, aurea, argentea &c. 3
forma eorum vel rotunda vel oblonga &c. 4
variis inſigniebantur figuris atque ſculpturis apud Veteres 5
qui ſanguine hoſtium rubebant, maxime erant celebres 6

mos

mos ungendi clypeos Veter. 5
varii eorum uſus recenſentur 7. ſq.
in clypeo omnem ponebant fiduciam, ſervare clypeum, decus, amittere, ſummum dedecus erat 9
iis recens natos cur Lacedæmones impoſuerint, & vulneratos ac mortuos, docetur 10
fœdera ſuper iis erecta 11
erigi ſolebant in templis ut tropæa, quod probatur ex nummis 12
ſymb. eſt clypeus, Regum, armorum ſpiritualium, fidei &c. 2
in ſpecie ſymb. Dei, quod probatur 3. ſq.
Columna nubis & ignis vexilli loco erat apud Iſraelitas 26 32
columnæ ſepulchrales Veterum celebres 65
Conti navium apud Veteres 245
it. cujus ſint ſymbol. ibid.
CORNU ſymb. eſt Meſſiæ, quod prolixe probatur 113. ſq.
Salutis quo ſenſu dicatur Servator noſter 113. 120
Lunæ cornua quæ ſint 44
in cornibus olea adſervata apud Veteres 119
Cornua ſymb. roboris ac potentiæ 115
ſymb. regiæ dignitatis 116
ſymb. majeſtatis divinæ, quare diis appicta 117
faciei Moſis quid ſignificant 118
Cornu copiæ apud antiquos, & in nummis quale? 119
Altaris cornua quot & quæ? 120
Cornuum altaris uſus ad expiationem per aſperſionem ſanguinis ad eadem factam 121
loco aſyli erant reis 122
Creſcere & decreſcere dicitur Eccleſia, quo ſenſu 48
Cryſtallum quid dicatur apud antiquos 271
ſymb. puritatis & ſplendoris 272
fluvius inſtar cryſtalli ſymb. donorum Spiritus S. 271

D.

דבק vox græca quid notet 15
דגול quo ſenſu dicatur Meſſias 26
DENTIUM ſtridor ſymb. pœnarum infernalium 85
tribuitur famelicis 86
& in frigore conſtitutis 87
ſymb. animi deſperantis 88
ſymb. livoris ac odii inteſtini erga quendam 89
ſymb. horroris ac metus 90
ſymb. impatientiæ ſummæ 91

ſymb. convitiorum & blaſphemiarum 92
tribuitur ſæpe damnatis 85
Diana cur πολυμαστος, i.e. multis mammis inſtructa, in nummis & marmoribus appareat? 53
eadem eſt quæ luna 41

E.

Ecclipſis Lunæ unde oriatur 48
myſtice cujus ſit ſymbolum, varie docetur 49
Elevatio vexilli apud Veteres ſignum pugnæ ineundæ 32
quid myſtice denotet ibid.
Evigilatio e ſomno ſymb. eſt reſurrectionis ex morte 158

F.

FACIEM pulvere polluere ſymb. ignominiæ ſummæ 17
Deo in Scriptura tribuitur ανθρωποπαθως 274
Dei facies ſymb. omniſcientiæ, ſapientiæ, bonitatis & reliquarum perfectionum divinarum 275. ſq.
præcipue ſymb. gloriæ & majeſtatis divinæ 276
Dei ſymb. Meſſiæ, quo ſenſu, ibid.
rationes denominationis huj. 277
ex facie hominis ira ac amor ſimul apparent ibid.
viſio faciei Dei varia ſignificat in Scriptura 278. 282. &c.
faciei regiæ aſpectus ſymb. honoris ſummi 284
faciei Dei aſpectus pro cultu Dei ibid.
Faſces & ſecures ſigna Magiſtratus Roman. ex nummis illuſtrantur 129
Ferrum ſymb. roboris 125
malleis tunditur & igne excoquitur ibid.
ſymb. judicii divini 124
FLUVIUS ſymb. donorum Spiritus Sancti, probatur 261. ſq.
divino culti apud Veteres honore fluvii 263
origo fluminum ex Oceano & fontibus ſubterraneis 263
abundant aquis, unde & ſymb. abundantiæ donorum gratiæ 264
inundant & fœcundant arva 265
quod myſtice de donis Spiritus S. explicatur 266
torrentium vis ac robur 264
non exſiccantur, ſed ſemper fluunt aquis, quod & myſtice explicatur 266
ex illis veteres bibebant 267
purificandi vi pollet aqua fluvialis, unde & in luſtratio-

ſtrationibus adhibita 268
opum & divitiarum vehicula ſunt fluvii 269
ad flumina ſedere jucundum habebatur apud Veteres 270
urbes ad flumina ſitæ, ditiſſimæ & celebres 269
purus inſtar cryſtalli ſymb. puritatis donorum gratiæ 271
Fœdus erigebant ſuper clypeis Veteres ſæpiſſime 11
FRONTI nomina & figuras inſcribebant Veteres 286. ſq.
ſervorum inſcripta nomina Dominorum 287
militum inſculpta nomina Imperatorum ibid.
Sacerdotum nomina vel ſigna Deorum 288
gerere nomen in fronte quid ſignificet 292
ſervorum Dei inſcriptum nomen יהוה 289. 291
Fulmine tangi ſolent montes plerumque altiſſimi 226
Funes navium apud Veteres 243
quid myſtice denotent 244
G.
Gad & Meni, quæ idola 41
Gubernator ſ. Navarcha, quis dicitur antiquis 250
ſymb. Præſidis Romani 251
Gubernaculum navis quid? 247
ſymb. in nummis ibid.
ſymb. gloriæ ac laudis & lucri 248
H.
עפר pulvis varia notat 15
עשתרות quæ Dea dicitur 41
I.
Incantatio ſerpentum apud veteres uſitata 207
quid myſtice notet ibid.
Inſcriptiones ſepulchrales Judæorum quales fuerint 66
inſcriptio nominis יהוה frontibus electorum 291
inſcripta nomina Deorum ſacerdotibus, Ducum militibus & Dominorum ſervis 286. ſq.
IRIS ſ. nimbus capiti Deorum appictus in nummis 189
apparet in Solis effigie 190
in capite Imperatorum & Regum 189
iridis naturalis qualitates & inſtitutio explic. 190
colores ejus varii diſtinguuntur & myſtice exponuntur ibid.
figura ejus circularis ſymb. perfectionis & æternitatis 192
quomodo coronæ loco ſit? ibid.

Judaiſmus

Judaiſmus typus Antichriſtianiſmi 72
Judæorum tempore Chriſti ſtatus & corruptio 75.ſq.
excidium eorum totale 83
K.
Κοπος unde vox græca, quo ſenſu vario occurrat in ſcriptura 214
קרן & κερας quid ſignificet 113
L.
LABORES, κοποι, vario ſenſu in ſcriptis ſacris adhibentur 214. ſq.
fidelium in hoc orbe diverſi 216
ab iis quieſcere dicuntur beati poſt mortem 219
LACRYMÆ ſymb. luctus & triſtitiæ 179
quare in funeribus fuſæ ibid.
ſymb. curarum & ſolicitudinis 180
ſymb. miſeriarum & infirmitatum ibid.
ſymb. graviorum Dei judiciorum 181
ſymb. commiſerationis 182
ſymb. pœnitentiæ & reſipiſcentiæ 183
ſymb. deſiderii & amoris 184
ſymb. ſuſpiriorum & precum 183
in funeribus adſervabantur in ollis appoſitis 185
LACRYMÆ Eccleſiæ ultimis temporibus adſcribuntur 185
abſterſio apud mortuos uſitata 179
hæc quomodo Deo tribuatur 186
Lectus, locus ſomni capiendi 157
ſymb. ſepulchri 158
Luctatores pulvere conſperſi 22
LUNA ſymb. umbrarum V.T. Principum, Doctorum, Turcarum &c. 40
in ſpecie ſymb. Eccleſiæ 41. ſq.
apud antiquos honore divino colebatur 41
maculæ ejus quales, quid myſtice denotant 55
proprio lumine caret, a Sole lucem mutuam accipit 42
poſt ſolis occaſum rutilat 43
candida, pura dicitur, & Eccleſiæ applicatur 44
cornua ejus ſymb. lucis ibid.
magnitudo ejus reſpectu telluris noſtræ 45
ortus & occaſus ejus myſtice Eccleſiæ applicatur 46
quomodo creſcat & decreſcat, & ita Eccleſiæ ſymb. ſit 47
ecclipſis & rubor ejus explicatur 49
cur Domina & Regina noctis audiat antiquis 50

nautis & viatoribus dux itineris exſtat 51
influxus ejus in terram 52
an cauſa æſtus maris ſit? ibid.
aſtrorum regina dicitur 54

M.

מגן vox unde, quid ſignificet 1. 7
Malus navium apud Veteres qualis & quid myſtice denotet 243
Maris fluxus & refluxus an a motu Lunæ dependeat 53
pericula ejus myſtice exponuntur 257
Merces Tyri & Babylonis myſticæ 252
Metalla in montibus recondita 234
MONTES ſymb. Rerumpublicarum 223
altitudo eorum ſymb. roboris ac celebritatis regnorum 224
aſcenſu maxime difficiles 225
fulminibus obnoxii ſunt 226
ignivomi varii in orbe recenſentur, & cujus ſint ſymb. 227
terræ motibus concuſſi 228
quidam ſteriles, quidam paſcui, unde oves in montibus 229
latibula ferarum in montibus frequentia 230
ſacri apud antiquos, in iis delubra idolorum; uti & cultus Patriarcharum in iis exhibitus Deo vero 241
Montes, caſtra in iis poſita 233
aſyli loco erant ibid.
metalla in iis recondita 234
bituminoſi & nitroſi 234
ſepulchra in montibus 61. 235
in iisdem chori lætitiæ, & ſigna luctus publici editi 236
ſpeculæ in montibus Veter. 237
Mors ſpiritualis quæ 71
Myriades dicuntur electi 39

N.

NAVES ſymb. Rerumpublicarum & Regnorum 239. ſq.
ſymb. Eccleſiæ in genere ibid.
in ſpecie ſymb. ſunt Reip. Romanæ 240
veterum ex papyro & ligno 240
partes navium recenſentur 242 ſq.
tranſtra, remi, conti, quales & quid myſtice notant 245. ſq.
Gubernaculum & anchora literaliter & myſtice explicantur 246. ſq.
ſigna navium varia 248. ſq.
onerariæ quales Veter. 251
divitiarum & commercii nervus ſunt 252
delectationi deſtinatæ antiquorum 253

Naves bellicæ expeditioni inſervientes 254
ornamenta navium, colores & figuræ variæ 255. ſq.
Naufragium deſcribitur 257
myſtice exponitur ibid.
Nautæ qui dicti Veteribus 250
myſticæ navis qui? 251
Nili fœcunditas 265
Nomen Dei inſcriptum ſervis & electis Dei 291
inſcriptio ejus explicatur 292
Deorum inſcripta ſacerdotibus, herorum ſervis, & Ducum militibus 286. 288
Novilunii feſtum Judæorum 56
quid myſtice denotat ibid.
Nox tempus ſomno deſtinatum 156
noctis domina i. e. Luna 50
נפש vox varia ſignificat 14

O.

Ω & Α dicitur Chriſtus 169
quid literæ in nummis Conſtantini deſignant 173
Ornabant Veteres ſe ſcutis 8
ſepulchra Prophetarum Judæi, & aliæ gentes 65
Ornamenta navium varia 255. ſq.
Oſſa defunctorum in urnis adſervabant Veteres 62
mortuorum oſſibus ſcatent ſepulchra 61

P.

Πέλεκυς quid ſignificet 124
Plenilunium a Judæis obſervatum 57
ſymb. felicitatis & pulchritudinis ibid.
פנים varia notat 274
PRIMOGENITUS quo ſenſu dicatur Chriſtus 160
ex mortuis cur vocetur, variæ ſententiæ recenſentur 161. ſq.
V. T. primogeniti typi Chriſti 162
illis competebat dominium & principatus, uti & Chriſto 163
omnis creaturæ dicitur Servator, cur 163
jus ſacerdotii an illis competat, nec ne? 164
ſancti erant Deo ſub V. T. 165
ſanctificabant fratres ſuos, uti & Chriſtus 166
duplex iis hæreditas competebat 167
Proræ navium apud Veteres 241
quid myſtice 242
Proſtratio humi ſymb. adorationis & venerationis 20
devictis hoſtibus tribuitur 21
Πρόσωπον quo ſenſu occurrat 274
PULVIS, emblema hoc explicatur 15. ſq.
ſymb. eſt fragilitatis vitæ humanæ 15
ſymb. corruptionis & peccati 16

PULVIS ſymb. judiciorum divinorum 16
ſymb. contemtus & ignominiæ 17
in pulvere ſedebant lugentes & pulvere ſe polluebant 18
uti & reſipiſcentes 19
precantes & ſupplicia vota ferentes in pulvere cubabant 20
hoſtes devicti in pulvere proſtrati jacebant 21
in pulvere conſtituti erant luctatores 22
in eodem recubant mortui 23
unde pulvis pro ſepulchro ibid.
Puppis apud Veteres qualis, & quid myſtice notet 242

Q.

Quies ſymb. ſtatus mortuorum 212
a laboribus tribuitur beatis poſt mortem 219

R.

Remi navium qui, quales 245
quid myſtice notent ibid.
Reſuſcitati per miraculum an denuo mortui? 161
Requies ſymb. ſtatus mortis 212
beatorum a laboribus, peccatis & ærumnis 219. ſq.
Romanorum poteſtas tempore Chriſti 80
Rotunda figura ſymb. perfectionis & æternitatis 4
Rubicundus & candidus vocatur Meſſias 26. 28

S.

Sacrificiorum ſub V.T. mactatio typice explicatur 138
SANGUINE rubere ſcuta Veterum dicuntur 6
ſanguis ſymb. meritorum Chriſti 137
ſacrificiorum vaſe excipiebatur a ſacerdote 138
quid typice hoc notabat 139
agitabatur per ſacerdotem quomodo & cur? ibid.
ſparſiones ejus variæ explicantur typice 140
expiatio ejus 141
effuſio ad aræ fundum, quid myſtice denotet? 142
illo quoque fœdera ſanciebantur 143
potus ſanguinis & eſus prohibitus ſub V. T. cur? 144
an ſub N. T. licitus ſit? 145
bibebant gentes in ſacris? 146
ſanguinem humanum bibebant gentes antiquæ, quando? 146
ſanguinis Chriſti potus ſub N. T. electis demandatus, quid? 147
Scripturæ totius V. & N. T. argu-

 gu-

gumentum, initium & finis eſt Chriſtus 173. ſq.
Scriptio myſtica ſymb. operationis Spiritus S. 291
SECURIS ſymb. judiciorum divinorum 123
ferreæ & aureæ apud Veteres 124
bicipites & acutæ erant 126
poliebantur, ut ſplenderent 127
manubriis inſtructæ pretioſis ibid.
uſus earum domeſtici recenſentur 128
inſignia Regum & Magiſtratuum erant ſecures 129
in decollationibus & ſuppliciis adhibitæ antiquis 130
in bello & prœliis celebres 131
in victimis decollandis uſus earum frequens 132
velut donaria ſuſpendebantur Diis 133
Sedere in pulvere ſymb. luctus 18
ad fluvios jucundum habebatur 270
SEPULCHRA Hebræorum ex petra & rupibus erant 60
ad ea lacrymas ponebant 185
in montibus & ſpeluncis erant 61. 235
ſymb. peccatorum & hypocritarum 60
ſcatent oſſibus mortuorum 61
Sepulchra fœtorem exhalant horrendum 62
polluebant tranſeuntes ex lege 63
tecta & aperta quæ dicebantur apud Judæos? 64
tecta ſymb. hypocritarum, aperta impiorum ibid.
condebantur ſaxo ingenti 65
exornabant Judæi ea vario ornatu 65
Prophetarum viſitabant & devenerabantur 67
Deos colebant gentes in ſepulchris 68
calce oblinebant Judæi & dealbabant quare 68
SERPENS antiquus dicitur Diabolus 194
æneus an typus fuerit Chriſti an Diaboli? 195
ſerpentem ſymb. Diaboli eſſe probatur 195. ſq.
ap. antiquos pro Deo cultus 196
caput ſerpentis ſedes vitæ 197
linguam venenatam habet, qua nocet maxime 198
an ante lapſum erectus inceſſerit, an humi repſerit? ibid.
color eorum varius, plerumque tamen niger 199
cibus eſt pulvis terræ 200
latibula eorum in ſpeluncis, & inſidiæ, quas ſtruunt viatoribus 201

Serpen-

Serpentum ſtridor & ſibilus mortiferus 202
plicæ ejus & anfractus tortuoſi 203
venenum lethale ſymb. malitiæ Satanæ 204
maledictio ejus explicatur 205
calliditas ſerpentis ſymb. aſtutiæ Satanæ 205
concupiſcentiæ maxime dediti ſerpentes 206
incantatio eorum apud Veteres 207
odio ſunt mortalibus 208
antiquus cur dicitur Satanas? 209
Seductor qualis fuerit? ibid.
Signum militare, vid. Vexillum.
Signa navium varia 248
Signiferi qui dicti apud Veter. 30
Σιδηριον, vox quid denotet? 124
שלשים unde, quid? 1
SOMNUS ſymb. mortis, quod probatur ex Scriptis ſacris & profanis 150. ſq.
oritur ex defatigatione virium 151
an Adamus in ſtatu recto ſomno ſit uſus? ibid.
dulcis ob quietem eſt 152
curas ſolvere credebatur 153
valetudini maxime conducit 154
in ſomno ſenſus omnes obſtupeſcunt 155
anima in ſomno ſemper operoſa eſt ibid.
Somno nox eſt deſtinata 156
locus ſomni eſt lectus 157
evigilatio e ſomno ſymb. reſurrectionis 158
Speculæ Veterum in montibus 237
SPUTUM in aliquem conjectum ſymb. ignominiæ 104
ſymb. odii & contemtus 105
nauſeæ ac faſtidii 106
conſpui ſolebat condemnatus & ad ſupplicium ductus 107
it. homo inſanus ibid.
exſpuebant Veteres coram occulta cæde peremto 108
conſputus eſt Chriſtus varias ob rationes 104. ſq.
ut regio muneri illuderent impii milites 109
Stridor dentium, vide Dentes.

T.

Tegere pectus clypeis ſolebant 7
Tecta ſepulchra quæ dicuntur 64
TENEBRÆ ſymb. ſtatus damnatorum & mortuorum 94. 96
exteriores quæ, quare ita dictæ 95. 102
ſymb. ignorantiæ 97
ſymb. impietatis 98
ſymb. metus & horroris conſcientiæ 99
ſymb. infelicitatis & calamitatum 100

ſymb. ſtatus captivitatis 101
Terræ motus quid myſtice denotet? 228
in eo montes concuſſi 237
Tophet vallis, quæ, qualis? 87
quid myſtice denotet? 87
Triumphus navalis deſcribitur 258
myſtice exponitur 259
Tropæa erecta ex clypeis 12
ex vexillis quoque 36
Tranſtra navium quæ? 245
myſtice quid ſignificant? ibid.

V.

Vaticinia de Meſſia ex Moſe & Prophetis recenſentur ordine 174. ſq.
Vela navis apud Veteres qualia? 243
quid myſtice notent? 244
alæ cur vocantur vela? ibid.
Vermes in cadavere myſtice exponuntur 74
VEXILLUM ſymb. Meſſiæ 29. ſq.
vexillorum colores varii 27
figuræ & inſcriptiones eorum 28
figebantur & a ſigniferis geſtabantur 29
uſus eorum varii recenſentur 30. ſq.
ſub iis milites conſcribebantur & juramentum præſtabant 31
elevatio ſignum pugnæ ineundæ 32
ſub vexillis diſſipati milites colligebantur 33
hoſtibus terror illis incutiebatur 34
honore divino colebantur 35
deſerere ea turpe nefas erat, ib.
ſub iis mori maxime glorioſum ibid.
tanquam tropæa erigebantur 36
præmii loco donabantur Ducibus ſtrenuis 38
conſtitutus dicitur Meſſias a myriadibus, quomodo? 39
VISIO Dei quid ſignificet? 278
ſymb. cognitionis ibid.
ſymb. fidei & fiduciæ 279
ſymb. amoris & deſiderii 280
ſymb. lætitiæ & delectationis ibid.
ſymb. experientiæ & ſenſus 281
faciei divinæ quid notet? 282
maximi honoris ſignum 283
pro cultu divino ſumitur 284
ſymb. παρρησίας fidelium 285
Unctio clypeorum apud Veteres 5. 6
Regum oleo ſacro 109

Z.

צנן & מגן quomodo differant? 1. 7

ERRATA.

Pag. 2. lin. 15. lege quum. p. 6. l. משיח p. 15. l. habitaculum. p. 16. l. lucta. p. 23. l. explicant. p. 43. lin. 21. l. radiis. lin. 23. l. atque. p. 38. l. memento. p. 42. l. ζωων. ib. l. βλαςησεσι. ibid. lege ܗܘ ܐܠܗܘܬܐ & ܡܠܟܘܬܐ Et poſt ܡܠܟܘܬܐ inſere verba omiſſa: ܘܡܠܟܘܬܐ ܗܝ ܕܐܒܐ ܢܗܘܐ כתובות p. 53. l. æſtus. p. 54. l. בעלים p. 57. lege قلايع القمر p. 60. l. כתובות p. 62. l. κασιγνητοι. p. 63. l. anima. p. 67. l. 6. l. manes. p. 68. l. مرمالك يقم & ib. l. نبباليهم p. 71. l. Judæos & Antichr. p. 79. l. אמונה ib. in Rom. l. Judæos. p. 80. l. סלע p. 84. l. BEGER. p. 89. l. quæ. p. 91. fin. l. præcluſam. p. 92. l. ὀδαξ. p. 93. l. 3. l. vah. ib. l. aperirentur. p. 96. l. ambulavero. UMBRÆ. p. 99. l. augent. p. 100. l. conſcientia & memoria. p. 103. l. conſpuitur. p. 104. l. illuſioni. p. 109. l. Regis. p. 110. l. 5 ab infra l. ſunt. p. 111. l. Spiritus. p. 115. non l. cum. p. 117. dico l. duo. p. 118. l. עון & ib. l. ubi. p. 120. l. 12. ære. p. 121. l. 7. anſas. p. 124. leg. ܒܢܘܢ p. 125. l. executioni p. 128. l. אכל p. 128. l. præparanda & diſſecanda. p. 131. l. 5. grave. & l. לקצר it. l. parat. p. 135. vos l. nos. p. 138. l. המים p. 139. l. במזרק p. 143 l. 29. aram. p. 144. l. נפש p. 147. l. vitalis. p. 150. l. 18. adde ימין שכיב p. 152. eſt perag. adde iter. ibid. l. καθευδ' p. 158. ﺗ l. ﻏ p. 162. l. רמין & l. עון p. 164. l. Zebach. p. 167. l. משפט p. 170. bis ܒ pro ܠ p. 171. l. υπεροχη p. 184. l. שבגולה p. 188. l. Jris. p. 189. creatus l. cinctus. p. 192. l. Jris ib. lin. 15. l. apud. p. 193. lin. 15. l. emittente. p. 198. l. inſtructos. p. 199. l. ſerpentum. p. 204. nulla l. ulla. p. 209. l. ſeductos. p. 219. laborum. p. 222. l. cacumine ſuo. p. 223. & l. ut. ib. mentes l. montes. p. 227. l. peccatorum. p. 229. l. accenduntur. it. RAPHAEL leg. SOPHOCL. p. 231. l. Bethel. pardorum. p. 233. lin. 6. qui l. quod. lin. 11. omittitur vox Loth. p. 235. docer: l. dicer: p. 237. דוך l. דרך ibid. gentium l. montium. p. 238. ſeneƈt. l. ſanƈtit. p. 243. l. imperioſius. p. 244 l. εκ θανατοιο. ib. unde eſt l. unde &. p. 255. l. επαινεςικεν. p. 257. oppoſ. l. expoſ. it. natare pro nutare. p. 258. exſur. l. exper. p. 262. l. ראשון p. 263. monit. l. merit. p. 264. aperiunt l. opperiunt. p. 266. l. αεναοι. p. 267. donec l. donis. it. זהר l. נהר it. in Miſchohammelech l. miſchp. hammelech. p. 269. l. opum datores. p. 273. l. immerſi. p. 275. l. lucere. it. de dextra l. dextera. it. mem. mom. p. 276. l. Tehill. it. ואחסי p. 277. כעש & כעס l. מעס p. 280. audior l. audire. p. 281. l. ערן & l. הרבה p. 282. me l. nec. it. quid l. quia. p. 283. lex l. lux. p. 286. conſid. l. deſid. p. 271. الهل l. الهل


2
3
Π
ΧΙΟΣ
Levit.XVI.2.
1
5
4
T.CARISIVS
III.VIR
WILHELMI ERNESTI EWALDI
EMBLEMATA SACRA.

WILH. ERN. EWALDI,
V. D. M. ALTONAV.

EMBLEMATVM SACRORVM
VETERIS ET NOVI TESTAMENTI
LIB. III. ET IV.

SIVE

PARS ALTERA,
CVM NVMMIS ET FIG. AENEIS

ACCEDIT

SPECIMEN OBSERVATIONVM
PHILOLOGICARUM

IN EPIST. AD EPHESIOS,
EX HISTORIA ET ANTIQVITATIBVS ASIAE

ILLUSTRATAM.

ALTONAVIAE,

APVD JONAM KORTE,

CIƆ IƆCC XXXIII.

VIRIS EXCELLENTISSIMIS,

ACADEMIAE TRAJECTINAE

LVMINIBVS ATQVE DOCTORIBVS

CELEBERRIMIS,

D. HIERONYMO S. VON ALPHEN,

RECTORI H. T. MAGNIFICO,

D. JOHANNI VAN DEN HONERT,

MAGNI TAC. HAJ. FILIO MAGNO,

D. DAVIDI MILLIO,

LINGG. ORIENT. ET ANTIQ. PROF.

D. JACOBO ODE,

PHILOSOPH. D. ET PROF.

FACVLTATIS THEOLOGICAE MEMBRIS

DIGNISSIMIS, FAMIGERATISSIMIS,

FAVTORIBVS MAXVME COLENDIS,

DVPLICEM HANC EMBLEMATVM SACRORVM

DECADEM

DEVOTO ANIMI CVLTV

D. C. O.

WILHELMVS ERNESTVS EWALD.

EXCELLENTISSIMI, CELEBERRIMI VIRI.

Q*Vum Nomina, quibus Emblemata hæc ſacra exornarem, quærenda eſſent,* VESTRA, *fuere,* VIRI EXCELLENTISSIMI, MAGNIFICI, *quæ per orbem eruditum undique famigerata, digna mihi atque apta videbantur, quorum auctoritate atque fama operi meo exiguo ſplendorem conciliarem. Jure enim meritoque felix ille cenſendus eſt, cui luce eruditionis* VESTRAE *colluſtrari, ſimulque* VESTRO *favore atque Patrocinio frui contigit. Quae quum eadem mihi quoque, qui Academiae* VESTRAE *civis olim exſtiti, obtigerit felicitas, publice*

hanc

hanc depraedicandi iam mihi ſubnata eſt occaſio. TIBI *ergo* MAGNIFICE ALPHENI, *tabulam hancce ſuſpendo votivam, grataque mente agnoſco, quod* TVO *ſimul auſpicio ſtudia mea Academica ad ἀκμὴν perduxerim.* TV *quoque* CELEBERRIME HONERTI, *qui non ſingularem ſolum erga me favorem literis humaniſſimis declaraſti, ſed et editis* Inſtitutionibus Theologiæ Emblematicæ *(opere profundam in rebus Theologicis ſcientiam ac ſolidum omnino judicium ſpirante) continuandi hujus laboris mei auctor exſtitiſti, publice a me eras compellandus.* TIBI CELEBERRIME MILLI, *non uno nomine obſtrictus publicum animi grati monumentum erigo; præcipue quum ex ſingulari favore Tuo vivam templi Salomonis, quod in ſpectatorum admirationem elegantiſſima fabrica erigi curaſti, ideam per curatam ipſius contemplationem imprimere mihi licuerit.* TE *denique* CLARISSIME ODE, *qui B.* LAMPII *noſtri olim diſcipulus jam ejus cathedram Doctor ipſe ornas, cineresque Ipſius contra malevolorum injurias magnanimo auſu hactenus defendiſti, Fautorem æque meum quam omnium Gamalielis illius magni diſcipulorum, publico celebrare nomine, ipſa jubet religio.*

Non equidem ignoro, VIRI CELEBERRIMI, me canendis VESTRIS, TANTORVM VIRORVM! laudibus plane imparem eſſe, quum merita in Eccleſiam ac Rempublicam Literariam VESTRA laude noſtra majora ſint. Nihilo ſecius exiguo hocce monumento memoriam eorum conſervare, gratumque meum teſtari animum volui. Recipite ergo fronte ſerena opuſculum hocce qualecunque, & auctoritate veſtra ſuffulcire illud haud dedignamini.

Quod reſtat, VIRI CELEBERRIMI, favori ac Patrocinio VESTRO me una cum laboribus meis quam humaniſſime commendo. Supplicibus interea votis ſummum ego Numen fatigo, ut Vos ſplendidiſſima Eccleſiæ atque Academiæ Trajectinæ Lumina, in eruditi orbis polo diu ſervet ſalvo ſplendore incolumes, ut luce doctrinæ atque pietatis quamplurimas porro animas beare queatis. Benedicat Pater clementiſſimus omnibus VESTRIS publicis æque ac privatis laboribus, eosque ſanctificet in gloriam perfectionum Divinarum & Eccleſiæ emolumentum largiſſimum; Et poſt abſolutum hujus poli circulum, in regno gloriæ cœleſtis luceatis inſtar ſolis & ſtellarum haud exiguo fulgore rutilantium! Dabam ALTONAVIÆ prope Hamburgum, calend. Octobr. MDCCXXXIII.

PRAE-

PRAEFATIO.

Lectori Literarum Sacrarum Studioſo S.

Alterum Tibi ſiſtimus L. B. Emblematum Sacrorum V. & N. T. volumen, atque datam hac ratione fidem præſtamus. Quum enim publica æque ac privata VIRORUM Doctiſſimorum judicia de tentamine hoc qualicunque meo ſat benigna expertus, & copioſa exemplarium diſtractione ſim edoctus, laborem huncce orbi erudito non diſplicuiſſe, calcar mihi additum ſenſi, & proinde duplicem Tibi denuo Emblematum Decadem exhibeo, majori tamen cura ac diligentia elaboratam. Methodum ſecuti ſumus eandem, qua in elaboratione prioris Partis uſi eramus, ſed varietatem emblematis

cujuscunque & demonſtrationem, ſemper in prioribus §§. Exercitationum praemiſimus, quam in libris binis prioribus omiſeramus. Varias inſuper, ubi anſa fuit data, alluſiones locorum ſcripturæ obſcurorum ad Emblema, quod excutimus, addidimus, ut ita uſum hujus operis Tibi redderemus magis generalem. Selegimus eum in finem emblemata rariora & curioſa, & a paucis vel nullis elaborata. Quamplurimas paſſim novas obſervationes in loca quædam ſcripturæ deprehendes; licet enim locum quendam cuicunque Exercitationi certum præfixerimus; quamplurima tamen alia Scripturæ loca in eadem Exercitatione illuſtrata obſervabis. Titulus, quem huic volumini præmitti ex ære curavimus, figuram Tibi novam *arcæ fœderis cum Cherubim* & *columnæ nubis & ignis*, in qua *Angelus* fœderis in *forma viſibili* apparet S. Pontifici, ex noſtra ſententia ſiſtit, additis quatuor nummis rarioribus, qui Sphingum Ægyptiorum (quas ex Cherubinis finxit antiqua Ægyptiorum religio) formas ob oculos ponunt. Tabulam inſuper aliam numiſmatum ad illuſtrationem Emblematum facientium adjecimus. In calce denique Libri IV. appendimus *Specimen obſervationum Phi-*

lologi-

lologicarum in Epiſt. Pauli ad Epheſios, cujus loca obſcuriora ex hiſtoria & antiquis ritibus urbis Epheſi & Aſiæ minoris illuſtravimus; quod ſi ſpecimen lectori arriſerit, plures in alias *Epiſtolas Pauli* obſervationes data occaſione communicare poterimus. An vero *III. Partem Emblematum* brevi addituri, an vero opus illud promiſſum in *VII. Epiſtolas Apocalypticas* ſimus aggreſſuri, nondum determinavit animus. Id certius promittere poſſumus, Te futuris nundinis vernalibus, ſi vires vitamque conceſſerit Pater clementiſſimus, *Partem alteram meditationum noſtrarum vernacularum* de *noviſſimis* ſive *æternitate beatorum atque damnatorum*, oculis uſurpaturum, utpote quas jam urgemus. Quod ſupereſt zoilorum invidiam non curo, Deo meo rationes laborum meorum, non hominibus redditurus, cujus ego gloriam cum animarum immortalium ſalute promovere nunquam non allaborabo. Vale B. L. noſtriſque laboribus fave. Errata quædam leviora ob abſentiam auctoris irrepſerunt, quæ ex ſenſu phraſium Lector benevolus facile corriget.

CONSPE-

CONSPECTUS EXERCITATIONUM
LIBRI III.

I. De CALICE INEBRIANTE, ſymbolo omniſufficientiæ & meritorum Meſſiæ, Pſalm. XXIII, 5. pag. 1--35
II. De LOTIONE MANUUM ſymbolica Pſ. XXVI, 6. p. 36--58
III. De VIRGINIBUS TYMPANISTRIIS, ſymb. Doctorum Novi Teſtam. Pſalm. LXVIII, 26. p. 59--85
IV. De HABITANTE ſuper CHERUBIM ſymb. Pſ. LXXX, 2. p. 86--110
V. De BOTRO COPHER, ſymb. Meſſiæ. Cant. I, 14. p. 111--138
VI. De HORTO, ſymbolo Eccleſiæ, Cant. IV, 16. p. 139--165
VII. De CURRU AMINADAB ſeu populi ingenui, ſymb. verbi Evangelici, Cant. VI, 12. p. 166--202
VIII. De DESERTO, ſymb. gentiliſmi, Jeſ. XXXII, 16. p. 203--225
IX. De SPECULATORIBUS MONTIUM, ſymb. Doctorum N. T. Jeſ. LII, 7. p. 226--260
X. De LAPIDIBUS נזר ſ. conſecrationis, erigendis in vexillum, ſymb. teſtium veritatis, Zach. IX, 16. p. 261--292

LIBRI IV.

I. De COLUMBA, ſymb. Spiritus S. ad Matth. III, 16. p. 293--321
II. De VULPIBUS in LUSTRIS, ſymb. Pſeudodoctorum & Sadducæorum, Matth. VIII, 20. p. 322--344
III. De PORTIS INFERORUM, ſymb. regni tenebrarum, Matth. XVI, 18. p. 345--375
IV. De GALLI CANTU, ſymb. præconii Apoſtolorum, Matth. XXVI, 74. p. 376--397
V. De FORMA SERVI, quam induit Meſſias, Phil. II, 7. p. 398--441
VI. De PALMIS in manibus, ſymbolicis, Ap. VII, 9. p. 442--464
VII. De MARI ſub pede dextro angeli myſt. Ap. X, 2. p. 465--493
VIII. De CINGULIS AUREIS Angelorum ſymbolicis, Apoc. XV, 6. p. 494--520
IX. De MURIS Hieroſolymæ novæ myſticis. Apoc. XXI, 12. p. 521--545
X. De MARGARITIS Hieroſolymæ novæ portis ſymbolicis, Apoc. XXI, 13. p. 546--566

EXER-

TABUL: PART. II.





WILH. ERN. EWALDI,

EMBLEMATUM SACRORUM MISCELLANEORUM

LIB. III.

EXERCITATIO I.

DE

CALICE INEBRIANTE,

SYMBOLO OMNISUFFICIENTIAE ET MERITORUM MESSIAE.

PSALM. XXIII. 5.

ARGUMENTUM.

§. I. Loci Pſ. XXIII Scopus atque alluſio indagatur. §. II. & III. Quarum rerum ſymbolum exhibeat calix in ſcriptis ſacris docetur; & præcipue omniſufficientiæ ac meritorum Mediatoris noſtri emblema eſſe demonſtratur. §. IV. Rationes denominationis redduntur per analogias, ſc. quoad materiam, §. V. quoad formam, §. VI. quoad partes formales, nimirum, pedem, anſas & operculum, §. VII. quoad menſuram, §. VIII. quoad ornamenta & purificationem, & §. IX. quoad varios uſus poculorum apud Veteres, tum domeſticos, quia neceſſarium menſæ in conviviis ſupellectile, §. X. vinum ex il-

 lis

lis effunditur, §. XI. bibitur & propinatur aliis in ſalutem. §. XII. tum quoque ſacros uſus; calix enim inter vaſa ſanctuarii refertur, & §. XIII. in libamine ſacro adhibebatur. §. XIV. Transimus ad accidentia poculorum; vino enim pretioſo repleta gratum odorem fundunt, §. XV. quilibet ſuum habebat poculum, vel etiam commune quoddam omnes uſurpabant. §. XVI. Magiſtri quoque & miniſtri poculorum erant conſtituti. Quæ omnia ſuo loco Meſſiæ ejusque meritis applicantur. §. XVII. Vox רויה *explicatur de poculo pleno & inebriante, & §. XVIII. epilogus additur.*

I.

QUando Eccleſia Dei quae eſt N. T. proſperum ac felicem ſuum deprædicandi ſtatum anſam nacta erat, teſtatur PSALM. XXIII. 5. *Inſtruis menſam coram me e regione adverſariorum meorum, impinguaſti caput meum oleo;* כוסי רויה CALIX MEUS EXUBERANS ſeu INEBRIANS. Scopus auctoris hujus odæ, quod ἐν παρόδῳ monuiſſe ſufficiat, huc redit: Auctor variis cumulatus beneficiis, illa origini ſolius omniſufficientiæ Dei grata adſcribit, celebrat, & ex eodem fonte porro quamplurimos gratiæ divinæ rivulos in ſe derivandos confidit. Pſalmum agere de Meſſia, qui Paſtor gregis Dei unicus eſt & ſupremus, Ezech. XXXIV, 22. 23. apud Iudæos æque ac Chriſtianos interpretes conſtat, & pluribus demonſtrat Cel. van TIL *in Comm. h. Pſ.* nec non *Doctiſſ.* I. C. SCHRAMM *diſſ. de Paſtorali Chriſti officio ad Pſ. XXIII.* Qua occaſione David, qui auctor hujus cantici inſcribitur, illum compoſuerit, dubium eſt. R. S. JARCHI e *Midr. Tehill. ad verſ.* 2. h. Pſ. docet, Pſalmum hunc a Davide in ſylva Hareth, ſ. ſpelunca Adullam 1. Sam. XXII, 5. eſſe exaratum, & addit: למה נקרא שמו יער חרת שהיה מנוגב כחרת והרטיבו הקב״ה מטוב של העולם הבא: *Quare vero nomen ejus dicitur Charet? quia David ibi exarefactus erat, inſtar ſylvæ Charet aridæ, ſed Deus Benedictus rigavit eum bonis ſeculi futuri.* Alii occaſione beneficii & favoris Davidi ab Achis Rege Gath, quum ipſum in urbem Ziklag reciperet, præſtiti ſcriptum eſſe hoc canticum ſuſpicantur. Sunt qui ad ſtatum proſperum & tranquillum Davidis

dis referunt, quum ex perſecutionibus Saulis ereptus, regnum eſſet adeptus. Ut vero & quid de ſcopo & alluſione phraſium hujus odæ nos ſentiamus, aperiamus, duplicem hic alluſionem ſtatuimus, tum remotam tum proximam, quam arcto vinculo innexam conſideramus. *Remote* magis oculum intendit & phraſes deſumit a beneficiis innumeris in deſerto Arabiæ populo Dei conceſſis. Huc reſpicit phraſis *Paſtoris*, qui gregem ducit ad fluentes aquas. Saltem Pſ. LXXX. propius cum alluſione ad eductionem ex Ægypto vocatur *Paſtor Iſraëlis, qui paſcit Joſephum inſtar gregis*. Imo v. 4. *iter* per *vallem* umbræ mortis, & conſolatio in eadem per *virgam* & *baculum* Dei (cum alluſione ad baculum Moſis, quo ducebantur per deſerta horrida) huc reſpicit. Denique v. 5. *inſtructio menſæ* e regione *adverſariorum* commode ad conceſſionem mannæ & carnis in deſerto reſpicere poteſt, præprimis quum Pſ. LXXVIII, 19. 20. eadem phraſis de mannæ dono adhibeatur: *Et mala contra Deum effutientes, dixerunt: An poterit Deus* menſam inſtruere *in deſerto hoc? Percuſſit enim petram & fluxerunt aquæ, & inundaverunt torrentes: Numquid & panem concedere & carnem parare populo ſuo poterit?* adeoque *v. 5.* præcipue ad convivia veterum lautiſſima, qualia Iſraëli in deſerto arido a Deo erant parata, oculum intendit. Quoniam vero v. 6. de bono in domo Dei loquitur, ſimul *proxime* in commate hoc & præcedente ad *ſacrificia Euchariſtica* auctorem hujus odæ reſpicere contendimus. Ex carnibus enim ſacrificiorum τῶν שלמים convivia adornabant Judæi, quamdiu in deſerto Arabiæ vagabantur, in caſtris vel atrio Tabernaculi; & dein in atriis templi; adhibebant pocula vini lautiſſimi, ut lætari poſſent coram Domino; vide late ABARBANEL *in* תורה *f. 238. ſq.* Al. AMELIUM ſ. P. ZORN. *in V.T. Tom. I. p. 696.* nec non diſſert. elegantem *Rev. H.* BRüNINGII *de* שלמים p. 22. ſq. D. SPENCER *de Legib. Hebr. edit. Tubing.* p. 703. ſq. & G. VOIGT *Diſſ. de Calice & menſa Domini ac dæmoniorum.* 1678. p. 2. ſq.

II. Loquitur hic Pſaltes de *poculo* & quidem *exuberante.* Adhibet vocem כוס generalem, quæ a quibusdam a כסס, quod eſt *adnumerare*, ab aliis a כסה *cælare, tegere*, quia operculo & cælaturis inſignia erant pocula Veterum, deducitur. Sed *Doctiſſ. D. G.* WER-

NER *in Diſſ. de* כוס של ברך optime radici Arab. كأس ortum illius tribuit, quæ vox teſte GOLIO *in Lexic.* notat, *inverſus fuit*, & *convolvit;* utraque autem poculis antiquis, præprimis reſpectu formæ eorum, convenit ſignificatio, ut a viro doctiſſimo l. c. eſt demonſtratum. Si vero vocis hujus ſignificationem emblematicam penitius examinemus, duplici eam ſenſu in ſcriptis ſacris adhiberi deprehendimus, bono ſc. uti vocant, atque malo.

a) In ſenſu deteriore adhibent emblema CALICIS ſcriptores ſacri

1. Ad denotanda dogmata perverſa & idololatriam turpiſſimam Antichriſti, qui Apoc. XVII, 4. deſcribitur uti mulier amicta purpura & cocco, *habens* POCULUM *aureum in manu ſua*, *plenum abominationibus & impuritatibus ſcortationum; cujus vino inebriati ſunt incolæ terræ* v. 2. Congruit vaticinium Jer. LI, 7. ubi itidem *poculi aurei* Babyloniæ ſc. myſticæ mentio occurrit, quo inebriata eſt tota tellus. Idololatriæ ſymbolum quoque poculum eſſe docet Apoſtolus 1. Cor. X, 21. *Non poteſtis poculum Domini bibere*, & POCULUM DÆMONUM, ποτήριον Δαιμονίων. Qua phraſi alludit ad ποτήριον ἀγαθοῦ Δαίμονος, quod veteres in conviviis exhauriebant; addebant pocula Jovis Olympii & ſervatoris, Mercurii, Heroum & Junonis, ut docet *Doctiſſ.* SAUBERT. *de ſacrif. cap. 26. p. m. 695.* Conf. *Steph.* le MOYNE *Var. S. p.* 613. & Doct. G. OLEARII Diſſ. *de κοινωνίᾳ cum Chriſto & dæmon. Lipſ. 1706. p. 10.* vel etiam ad *poculum Panionium* reſpicit, quo ſacra libabant veteres Aſiæ populi, & ita in communionem Deorum venire ſibi imaginabantur, id quod ex *Philoſtrato*, *Pauſania*, *Ariſtide*, aliis erudite demonſtrat *doctiſſ.* OLEAR. *Diſſ. cit.* p. 14. ſq.

2. Poculum vini emblema eſt *voluptatum* hujus mundi & concupiſcentiarum carnis. Huc refero locum Hoſ. III, 1. *Qualis eſt amor Jehovæ erga Iſraëlem, qui tamen reſpiciunt Deos alienos, & amant lagenas uvarum* אשישי ענבים, quæ voces varie vertuntur, vel *coctiones cum vinaceis*, vel *cruſtulæ*, vel *unguenta uvarum*, melius per *lagenas uvaram* ſ. *vini*, vertimus, & ſenſu myſtico non delicta antiqua, non idola

idola inania, non traditiones humanas, nec ſacrificia idololatrica cum aliis, ſed *voluptates externas* terræ Canaanis & concupiſcentias carnis, quas ſummo ſtudio Judæi, qui *ad alios Deos*, non modo Pſeudo-Meſſias ſed & præcipue Romanos relicto vero Deo Iſraëlis, *reſpexerant*, ſectabantur. Ita & nummus apud GOLZ. *in num. Græc. Tab. ult. n.13.* cum poculo & epigr. ΝΙΚΑΕΩΝ apparet, ubi luxus eorum indicatur, ut docet NONNUS *in Comm.* h. n. Et calices pro convivio luxurioſo ponuntur apud Poëtas.

3. *Hypocritarum*, eorumque cordis abominationum ſymbolum eſt *poculum*. Huc reſpicit Servator Matth. XXIII, 25. 26. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui purgatis exteriora* poculi & *patinæ; interiora autem illorum repleta ſunt rapina & intemperantia. Phariſæe cœce, purifica primum interiora* poculi *& patinæ, ut exteriora quoque pura exiſtant.* conf. Luc. XI, 39. explicat hoc Servator magis proprie Luc. XVI, 15. *Dixit ergo illis: Vos eſtis, qui juſtificatis vos coram hominibus. Deus autem cognoſcit* corda *veſtra: Quod enim coram hominibus eſt ſublime, abominatio eſt in conſpectu Dei.*

4. Calix denique tritum maxime Symbolum eſt *iræ divinæ*, graviorumque hujus vitæ *calamitatum* atque miſeriarum. Plurima huc pertinent ſcripturæ loca. Jer. XXV, 15 memoratur *poculum excandeſcentiæ* in manu Dei. coll v. 17. 28. 29. Ita Jeſ. LI, 17. dicitur: *Expergiſcere, expergiſcere, ſurge Hieroſolyma, quæ bibiſti a manu Jehovæ POCULUM EXCANDESCENTIAE ejus, craſſamentum poculi vertiginis bibiſti, exſuxiſti.* & v. 22. *Ecce recipio e manu tua poculum tremoris, fæces POCULI furoris mei.* Nec non Hab. II, 16. *Saturaberis dedecore præ gloria, bibe & retege præputium: veniet ad te POCULUM dextræ Jehovæ & vomitus ignominioſus ad gloriam tuam.* conf. Pſ. LXXV, 19. Jer. XLIX, 12. Thren. IV, 21. Ezech. XXIII, 31--33. Obad. v. 16. Pſ. LX, 5. Apoc. XIV, 10. XVI, 19. XVIII. 6. Imo Servatoris noſtri paſſio ac dura calamitas, præcipue ex ira Dei ortum trahens *Calix* vocatur, cujus denominationis rationes adferunt, Cel. LAMP. *in Joh. Tom. III. p. 514.* BUCHER *antiq. bibl. p. 382. & 668.* aliique. Quare Chriſtus filiis Zebedæi proponit Matth. XX, 22. *Anne poteſtis bibere poculum, quod ego bibiturus ſum?* Huc reſpiciunt ſeptem *phialæ*

 excan-

excandeſcentiæ Dei in terram effundendæ, Apoc. XVI, 1. quæ vocantur *ſeptem phialæ, repletæ plagis ultimis*, Cap. XXI, 9. Hoc emblema profanis ſcriptoribus non eſſe ignotum ex *Plauto & Ariſtophane* docuit doctiſſ. LYD. *in flor. ſparſ. ad paſſ. p. 11.* & D. G. WERNER *in diſſ. de poculo benedict. p. 6.* & Judæis כוסות *pocula* plagas deſignare ex gemariſtis apud WAGENS. demonſtrat Cel. LAMP. *in Joh. l. c. p. 514. not. (n).* conf. & BUXTORF. *Synag. Jud. Cap. 18. p. m. 416.* Cauſas hujus rei varii varias reddunt. Plerique derivant a more veterum, qui in conviviis *arbitrum* & modimperatorem conſtituebant, & poculi infuſi potum urgebant, vid. BUCHER *antiquitat. Bibl.* p. 382. DOUGT. *Anal. P. II. p. 58.* AMELIUS *in N. T. P. II.* p. 870. *Cel. Hamburgenſium Philologus* WOLF. *in cur. phil. in Matth. p. 293.* Alii a poculis *veneno* repletis, quæ reis atque damnatis propinabantur, vid. PIERII *Hierogl. Lib. LVI. p. m. 595.* SCHOTTI *adag. Sacr. N. T. p. 51.* Et quoad poculum paſſionis Chriſti, alludi cenſent ad poculum aureum, quod aqua plenum agno ad ſacrificium iuge deſtinato porrigebatur bibendum. vid. Cl. DEYLING. *Obſ. S. Part. III. p. 328.* BUCHER *l. c. p. 668.* et ex hoc Doct. SCHLICHTER *in Obſ. Sacr. p. 210.*

III. b) Senſum tamen etiam *bonum* admittit emblema *poculi*, quo denotat

1) *victum* ordinarium, & ea quæ ad vitæ ſuſtentationem requiruntur. Huc reſpicit Servator Matth. X, 42. *Et quicunque cuidam ex his parvulis ſolùm frigidæ poculum præbuerit, nomine diſcipuli, amen dico vobis, mercedem non perdet ſuam.* conf. Marc. IX, 41. Huc refero locum egregium Nathanis 2. Sam. XII, 3. ubi de agna illa, quæ Bathſebam pingebat, teſtatur: *alebat eam, ut ſecum educaretur & cum filiis ſuis, de pane ipſius comedebat, & de poculo ejus bibebat, & in gremio ejus accumbebat.*

2) *Venter* vel *umbilicus* ſponſæ cœleſtis ſive Eccleſiæ comparatur *cum cratere rotundo, cui non deficit mixtio; Umbilicus* cum ventre Symb. eſt *cordis & exitus* ejus. *Cor* enim fidelium ſæpius in ſcriptis ſacris ut vas conſideratur & vocatur *venter*, Joh. VII, 38. *ex cujus ventre flumina profluent aquæ viventis*, ubi Servator alludit ad urceos ventre

ventre quaſi rotundo præditos, quibus aquas in feſto tabernaculorum hauriebant ex fonte Siloah & coram Domino effundebant; intelligit autem ſenſu myſtico dona Spiritus S. quæ ex cordibus fidelium ad aliorum convictionem & ſalutem quaſi promanatura eſſent. Ita hoc loco *umbilicus* ventris rotundi Eccleſiæ, ſymbolum eſſe poſſet *exitus cordis*. Quo reſpicit ſapientiſſimus Doctor Prov. IV, 23. *Cuſtodi cor tuum ſupra omnem obſervationem, nam ex illo exeunt actiones vitæ.* Comparatur autem cum *cratere*, cui non deficit *mixtio*, id eſt vinum aromaticum, variis aromatum odoribus conditum, de quo infra latius videbimus.

3.) Præcipue autem *poculum* Symbolum eſt *omniſufficientiæ* ac *meritorum* Mediatoris noſtri largiſſimorum. Huc refero locum Cant. II, 5. ubi Eccleſia, ægra amore & deſiderio ſponſi cœleſtis, petit: סמכוני באשישות *Fulcite me lagenis.* Uti enim אשישי ענבים Hoſ. III, 1. voluptates & concupiſcentias carnales deſignant; ita hoc loco אשישות ſponſæ myſticæ, delicias amoris ac voluptates animæ cœleſtes, quas in communione ſponſi ſui percipit, & quibus recreatur, optime depingere poſſunt; quibus inebriatur ceu poculo vini aromatici & torrente deliciarum Pſ. XXXVI, 9. Huc pertinet locus egregius *Pſ. CXVI, 13.* כוס ישועות אשא *Calicem ſalutum elevabo.* Ubi Pſaltes vel alludit ad *calicem* paſchalem qui *μνημόσυνον* erat liberationis ex Ægypto & ſalutis a Deo præſtitæ, teſte CAPELLO *in diatr. de lit. Hebr. p. 213.* utpote poculum quartum *poculum ſalutis* vocare ſolebant, teſte DASSOV. *in diſſ. ad tit. Celim.* §. 20. Vel ad *calicem euchariſticorum* ſacrificiorum & conviviorum, quem offerentes cum celebratione Dei ebibebant; Imo in omnibus conviviis calice euchariſtico utebantur. Recte *Conſt.* L'EMPEREUR *in Middoth Cap. II. 6. Calix, cujus Pſaltes meminit, erat Calix gratiarum actionis, uſitatiſſimus apud Judæos, ſiquidem moris fuit inter eos ut in quotidianis etiam menſis benedicentes biberent, quanto magis ubi euchariſticis ſacrificiis veſcerentur.* Vid. AMELIUM *in V. T. P. I. p. 695.* Vel denique alludit ad morem gentium, quæ *poculum gratulationis*, libertatis & grati animi ſignum, poſt exantlata pericula, adhibebant. Quod & Judæis in uſu fuiſſe, docet ex nummis Simeonis, in quibus poculum cernitur cum inſcrip-

ſcriptione Samaritana ࠋࠇࠓࠅࠕ ࠑࠉࠅࠍ *Propter memoriam liberationis Zionis*, Cl. RELAND. in *diſſ. I. de num. Samar. p.38. & diſſ. IV. p. 133.* & ex profanis ſcriptoribus illuſtrat D. WERNER *diſſ. ſ. cit.* p. 17. Ad merita Servatoris noſtri reſpicit quoque Paulus 1. Cor. X, 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio ſanguinis Chriſti eſt?* Calix enim æque paſchalis ac Euchariſtiæ ſ. N. T. ſymbolum ac pignus meritorum *paſſionis* Servatoris noſtri ſunt, quæ proinde ipſa *calicis* nomine inſignitur Matth. XXVI, 39. Ita Mediator ipſe teſtatur Pſ. XVI, 5. quod Jehova ſit *portio calicis ipſius*, quæ phraſis vel ad morem veterum in conviviis, ubi cuilibet certa calicis portio infundebatur, vel ad portiones & reditus Sacerdotum reſpicit, uti docet *Vir ſumme Rever.* A. SCHUMACHER *in Diſſ. IX. in Pſ. XVI.* Brem. 1732. additque Vir doctiſſ. p. 205. *Id indubium eſt, Chriſtum, qui Jehovam CALICIS SUI partem celebrat, jucundiſſimi, abundantiſſimique boni poſſeſſione beatum lætari, & immenſa quadam voluptate perfundi atque exſatiari.* Eodem plane ſenſu Servator poculum paſchalem propinans diſcipulis dicebat, *Matth. XXVI, 29. Dico vobis: Non bibam in poſterum ex fructu hoc vitis, usque ad diem illum, quando novum illum vobiscum bibam in regno patris mei:* ubi ſimul delicias & voluptates cœleſtes intendit.

De POCULO denique *conſolationum* legimus *Ier. XVI, 7. neque bibendum dabunt ipſis ex poculo conſolationum.* Alluditur ad morem Judæorum, qui in funeribus poculum conſolationis bibebant. Ita legimus in *Berach. Hieroſ. fol. 6.* תני עשרה כוסות שותין בבית האבל שלי לפני המזון וחמישה בתוך המזון ושלושה אחר המזון אלו שלושה שלאחר המזון אחד לברכת המזון ואחד לגמילות חסדים ואחד לתנחומי אבלים *Trad: Decem POCULA bibunt in domo funeſta; duo ante epulas funebres, quinque inter epulas, & denique tria illis jam finitis. Horum trium autem unum deſtinatum eſt gratiis agendis, alterum humanitatis officio, tertium denique CONSOLATIONI lugentium.* Quem morem etiam apud Romanos aliasque gentes obtinuiſſe, docet *Doctiſſ.* SPENCER *de Leg. Hebr. Lib. IV. cap. 9. p. m. 1150. ſq.*

Gentes

Gentes quoque pocula *benedictionum* & boni ominis ſymbola habuiſſe, conſtat ex more illo, quo pocula Iovis Σωτῆρος, ἀγαθȣ̃ Δαίμονος, ὑγιείας, hauriebant, eum in finem, ut docetur apud ATHEN. *Deipnoſ. Lib. II.* διὰ οἰωνȣ̃, καὶ μνήμης ἕνεκα τῶν πινόντων, ὅτι ȣ̃τω πίνοντες ἀσφαλῶς σωθήσονται. *Ominis cauſa, & ut memores eſſent bibentes, eos qui biberent, certo incolumes fore.* Ita apud *eundem fol. 36.* Bacchus loquens introducitur:

> Τρεῖς γὰρ μόνȣς κρατῆρας ἐγκεραννύω
> Τοῖς εὐφρονȣ̃σι· τὸν μὲν ὑγιείας ἕνα,
> Ὃν πρῶτον ἐκπίνȣσι· Τὸν δὲ δεύτερον
> Ἔρωτος, ἡδονῆς τε· &c.

Tria ego tantum pocula miſceo illis qui ſapiunt; unum bonæ valetudinis, quod omnium primum bibunt, deinde alterum (poculum) amoris & voluptatis. De quo poculo conf. PFEIFFER *antiq. Græc. Lib. IV. cap. 36. p. 709.* BUCHER *antiq. Bibl. p. 382.* STUCK. *antiquit. Conviv. p. 357.* SCHOTT. *adag. II. T. apud Cren. faſc. III. p. 551.* OLEAR. *Diſſ. de* κοινωνίᾳ *cum Chriſto & dæmon. p. 10. ſq.* URSIN. *Sylv. Theol. Symb. p. 155.* CLEMENT. ALEXANDR. *Opp. p. m. 26. alios.* In nummis quoque *poculum* abundantiæ bonorum emblema eſt. Ita SEGUINUS, *vir profundæ eruditionis* exhibet nummum Hebr. egregium, cujus tibi copiam fecimus in *Tabul. præfixa noſtra.* n. I. in quo apparet *calix* quidam cum literis Samaritanis, quæ ſignificant *anno quarto.* In altera parte ſpectatur *manipulus* frumenti cum duabus oleis, & characteribus Samaritanis, qui ſignificant: *Redemtionis Job.* quo nummo abundantia bonorum, qua Job fuit cumulatus; ſive etiam allegorice per annum 4. Job annus quartus a perſecutione Antiochi indicatur. conf. eum in SEGUIN. *Numiſm. antiq. ſelect. p. m. 332.* Ita RELANDUS *Diſſ. cit.* ac DEYLING. *Obſ. S. P. III. p. 235. in Tab. III. n. 4.* exhibent nummum antiq. Hebr. ubi amphora ſ. *calix* cernitur cum epigraphe - - אחת שנת לגא quod ſupplet Cel. RELANDUS: *anno primo liberationis Zionis*, quo pacis fertilitatem ac fructus abundantiſſimos indicare dubio procul ſolebant. Quare & ſcyphos Diis dicabant in ſymbolum fortunæ ac proſperitatis amicorum. Ita apud GRUTER. *pag. 25. num. II. legitur:*

B IVNO-

IVNONI. PLACIDÆ
CONSERVATRICI. AVGVSTÆ
CLAVDIA. GABBATIS. BVLLAM. D.D.
ADDIDIT. ET SCYPHVM. ET
TRIPODEM. FORTVNÆ. AVG.

Judæi quoque diſcipulum ſapientis conferunt cum *poculo* in *Gem. Sanhedr. Cap. VII. §. 3.* אמר ר׳ אלעזר למה תלמיד חכם דומה לפני עם הארץ בתחילה דומה לו לקיתון של זהב סיפר עמו דומה לו לקיתון כסף *Dicit R. Eleaſar; cui rei ſimilis eſt legis ſtudioſus coram plebe? Initio quidem poculo aureo, dein quum allocutus eſt, poculo argenteo &c.*

IV. Ut autem emblema calicis propius excutiamus, & quam eleganter Meſſias cum meritis paſſionis ſuæ ſub hoc cortice deſcribatur, poculorum apud veteres qualitates, uſus & accidentia propius examinabimus. Quod ad *qualitatem* poculorum attinet,

a) MATERIA ipſorum maxime diverſa ac varia fuit, quæ tamen in duas claſſes diſtingui apte poteſt; vel enim erant ex materia vili & ſimplici, vel ex pretioſa conflata. Ad priorem materiam refer pocula *lignea* ac *fictitia* veterum, item *cornea*. *Lignea* vel ex therebinto vel buxo conſtabant, præcipue ex fago, unde OVID. *Lib. V. Faſtor.*

Terra rubens crater, pocula fagus erant.

imo ex *hedera*, quæ Baccho ſacra, quod poculum *κισσόβιον* dicebatur, vid. STUCK. *antiq. conviv. Lib. III. p. m. 350.* ita EURIPID. *in Andromeda:*

ὁ μὲν γάλακτος κίσσινον φέρων σκύφον.
Cum lacte hederaceum ferens ſcyphum.

Fictilia e luto cocta memorat TIBULL. *eleg. 1. lib. 1.*

Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis,
Pocula de facili compoſuitque luto.

Ex *cornu* pocula fabricata docet XENOPH. *Lib. VI. Expedit. Cyri* in principio: *κατακείμενοι δὲ ἐν ϛιβάσιν ἐδειπνοῦν, καὶ ἔπινον ἐκ κερατινῶν ποτηρίων. Quum in grabatis inter cœnandum diſcumberent, ac biberent è poculis cornu factis.* Et NONN. *Dionyſ. Lib. XI. v. 200.*

Καὶ

Καὶ δέπας ἄγκυλον εἶχε βοὸς κέρας.
Et poculum curvum habuit bovis cornu.

Verum & *pretioſa* magis pocula habebant veteres, nimirum *cryſtallina*, *argentea*, *aurea*, quibus ſuperbiebant. *Cryſtallina* invenies apud PLIN. *in præfat. Lib. XXXIII.* de illis MARTIAL. *Lib. III. epigr. 82.*

Opimianum morionibus nectar
Cryſtallinisque murrhinisque propinas.

De poculis *aureis* & *argenteis* legimus in ſcriptis ſacris. Joſephi ſcyphus *argenteus* erat Gen, XLIV, 2. Et inter vaſa ſanctuarii referuntur crateres *aurei* triginta & crateres *argentei* ſecundarii quadringenti decem, Eſr. I, 10. & *crateres aurei* viginti Cap. VIII, 27. conf. Jer. LII, 19. Huc refer VIRGIL. *lib. I. Æneid.*

Ingens argentum menſis cælataque in auro
Fortia facta Patrum.

Et in antiquo marmore apud ROSIN. *antiqu. Lib. V. p. m. 554.* inſcriptio legitur:

PARTHENIVS. CÆSARIS. N.
AB. ARGENTO. POTORIO.

Judæis, ad quorum pocula Pſaltes hoc loco maxime alludit, præcipue in uſu erant pocula cryſtallina, argentea & aurea. Ita R. JOCHANAN *Cholin. fol. 84.* זכוכית, ex qua materia pocula facta fuiſſe docetur in Gemara, explicat per זגיתא היורתא *vitrum ſplendidum*, i. e. *cryſtallum*. In *Cod. Talmud. Cap. III.* כוס של זהב *calix aureus* quoque memoratur. conf. MAIMON. *in Hilc. Tamid. c. I. §. 9.* Latius de materia poculorum conf. STUCK. *antiqu. conviv. Lib. III. cap. XII.* ROSIN. *antiquit. Rom. Lib. V. cum not. Demſt. p. m. 531. ſq.* PIERII *Hierogl. S. p. m. 597.* RHODIG. *Lect. antiqu. p. m. 1063.* SAUBERT. *de ſacrif. p. m. 404.* KIPPING. *antiq. Rom. p. m. 722.* PFEIFFER *antiq. Græc. Lib. IV. cap. 33. p. 694.* JUL. POLLUC. *onomaſt. Lib. X. cap. 19. & Lib. VI. cap. 12.* ATHENÆ. *Deipnoſ. Lib. XI. cap. 2. & 3. p. m. 464. &c.*

Hoc ſi Mediatori noſtro applices, utramque eius naturam apte hoc deſignare poteſt; ille eſt *lignum* illud viride, quod per iram divinam aliquando exareſceret, Luc. XXIII, 31. ſed qui ſimul lignum vitæ

eſt factus, Apoc. II, 7. XXII, 2. 14. Eſt ſurculus ille tenuis ex terra exſurgens, Jeſ. XI, 1. & fructus *terræ*, Jeſ. IV, 1. Eſt quoque *cornu* elatum, & cornu uncti Domini, 1. Sam. II, 1. 10. cornu illud Davidis, Pſ. CXXXII, 17. cornu ſalutis erectum in domo Davidis, Luc. I, 69. Sed ſi divinam ejus naturam ſpectas, eſt quoque *aureus* quaſi & *argenteus*, ob ſplendorem majeſtatis divinæ, quæ ceu imago Dei inviſibilis radiat, Hebr. I, 3. Eſt fulgor ille Dei, ex Zione prorumpens, Pſ. L, 1. gloria Jehovæ, quæ ſuper Eccleſiam erat oritura, Jeſ. LX, 1. 2. Ezech. X, 4. I, 4. 28. Zach. VI, 12. id quod eleganter erat depictum per *aurum* illud ſolidum & pretioſum, quo ligna Sittim erant obducta, quæ materiam arcæ fœderis conſtituebant, & aurum purum, ex quo conflatum erat operculum, Exod. XXV, 10. 17. Et merita Mediatoris noſtri comparantur cum fluvio *cryſtallino*, qui ex throno Dei & agni profluebat, Apoc. XXII, 1.

V. b) FORMA poculorum apud veteres plerumque erat *rotunda*. Ita Cant. VII, 2. אגן סהר *crater rotundus* memoratur, quod *Chaldæus* vertit אגנא דסיהרא *circulus lunæ*, & ABARBANEL *in Leg. fol. 186* deſcribit אגנות quod ſint כלים עגולים *vaſa rotunda*, ut docet Doct. WERNER *diſſ. de pocul. bened. §. 8.* quem ſequitur *Rev.* JACOBS *diſſ. de Aſperſ. Hebr. §. 6. p. 17. ſq.* & ex eo annotat *Doctiſſ.* SCHLICHTER *in Decimis Sacr. p. 296. in not.* Unde quidam nomen כוס a forma rotunda, quam manus artificis impreſſit, derivant; uti Græcorum *κύλιξ* apud ATHENÆ. *Lib. XI. Deipn. cap. 8.* dicitur *ἀπὸ τȣ͂ κυλίεσθαι τῷ τροχῷ, quia ſuper rota volvitur.* Et PEROTTUS *in cornu cop. ad Martial.* docet: *Calix eſt rotunda ſpecie, quod vocabulum à Græcis mutuati ſumus, apud quos κύλιξ vocatur ἀπὸ τȣ͂ κυλίω, quod eſt volvo, roto.* Vid. Doct. WERNER. *diſſ. cit. p. 6. in not.* Huc refero locum MARTIAL. *epigr. lib. XIV. ep. 102.*

Accipe non vili calices de pulvere natos:
Sed Surrentinæ leve toreuma rotæ.

Nec non HOMER. *Odyſſ. Lib. III. opp. T. II. p. m. 27.*

Δῶκε δὲ Τηλεμάχῳ καλὸν δέπας ἀμφικύπελλον.
Dedit vero Telemacho pulcrius poculum rotundum.

Apud veteres Chriſtianos in ſacra cœna quoque pocula rotunda uſus fuiſſe frequentis docuit *Doct.* HILDEBRAND *in diſſ. de Veterum Euchariſt.*

chariſt. p. m. 31. De aliis poculorum apud veteres formis lege STUCK. *Lib. III. c. 12. p. m. 354.* DEMST. ad ROSIN. *antiq. Lib. V. cap. 30. p. m. 537. ſq.* Rotundos calices quoque in nummis Græcorum antiquis deprehendes, apud GOLZ. *in Num. Græc. Tab. ult. n. 13.* & *Inſul. græc. Tab. I. n. 10. & 11.* nec non *Tab. IX. XIII. XVI. XXII. &c.* Et apud Hebræos tales in uſu fuiſſe patet ex nummis Samaritanis, quas *Doctiſſ. Viri* RELANDUS *in diſſ. c.* WASER *de num. Hebr.* & DEYLING. *Obſ. S. Lib. III. l. c.* exhibent.

Rotunda figura ſymb. eſt *perfectionis, univerſalitatis* atque *æternitatis*, veluti docuimus in *Emblem. ſacris Lib. I. Exerc. I. §. 5.* Meſſias quoque crateri rotundo conferri meretur ob abſolutam ipſius *æternitatem*, qua *primus* & *ultimus* eſt. Jeſ. XLI, 4. XLIV, 6. XLVIII, 12. Eſt qua Mediator quoque Sacerdos in æternum, Pſ. CX, 4. cujus juſtitia & merita quoque æterna ſunt, Dan. IX, 24. Merita ipſius ſunt *univerſalia*, pro omnibus electis acquiſita, Joh. I, 29. 1. Ioh. I, 7. & quæ omnes noſtros defectus ſupplent, quare & ſumme ſunt *perfecta* & adæquata. *Omnia opera ejus ſunt perfecta*, Deut. XXXII, 4. Eſt dux Salutis noſtræ *conſummatus* Hebr. II, 10. *perfectam* nobis lætitiam procreat, Ioh. XV, 11. XVI, 24. XVII, 13. Et *ſermo juramenti poſt legem Filium Dei conſtituit in æternum conſummatum*, Heb. VII, 28. utpote qui *unico ſacrificio conſummavit in æternum omnes, qui ſanctificantur*, Heb. X, 14. Merita & bona quæ in illius communione exhibentur, non tranſeunt inſtar umbræ & vaporis, uti bona & voluptates hujus mundi, ſed æterna ſunt, Pſ. XVI, 11. non deficiunt in calore & æſtu tentationum, ſed quo mage inde per fidem hauris, eo mage accreſcunt & augentur, Pſ. XXXVI, 9. Joh. IV, 10. Eſ. LVIII, 11.

VI. c) PARTES calicis formales apud veteres erant *baſis* ſeu pes, *venter*, interdum quoque *operculum*, & una vel binæ *anſæ*. *Baſis* erat pes affabre opere toreumatis fabricatus, cui innitebatur *venter* poculi, & ope cujus menſæ inſiſtebat poculum immotum. Ita HORAT. *Serm. lib. 1.* canit:

Cœna miniſtratur pueris tribus, & lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet, adſtat echinus
Vilis cum patera.

 Apud

Apud GRUTER. *Inſcript. p. XLVIII. n. 1.* legimus de baſi crateris:

SANCTISSIMO. HERCVLI. INVICTO
&c. &c.
CRATERAM. ARGYROCORINTHAM
CVM. BASI. SVA. ET HYPOBASI
MARMOREA
SVA. PECVNIA. DONVM DEDERVNT.

Quædam quoque *operculo* inſtructa erant pocula; unde MERÆRVS ſcribit: כוס *calix habens operculum, phiala rotunda in modum roſæ germinantis ſeu lilii expanſi.* Et BAYFIVS *de re Vaſcul. veter. p. m. 289.* exhibet figuram calicis Corinthiaci cum operculo pretioſe ornato. Licet de Hebræorum calicibus, eos opercula habuiſſe, non conſtet. Plerique ſaltem loco operculi *labium* inſtar lilii efformatum habebant, uti colligimus ex 1. Reg. VII, 26. & 2. Par. IV, 5. ubi de mari æneo dicitur: *Labium ejus ſimile erat operi labii calicis, aut floribus lilii;* quare & nummi Hebræorum apud WASER. RELANDUM & alios, ſine operculo calices exhibent. De Græcis notum eſt, eos habuiſſe calices cum operculis, uti ex nummis conſtat, GOLZ. *in num. Græc.* præcipue *in Tab. I. num. Inſul. Gr. n. 10.* cujus ectypon in *Tabul. noſtra n. 2.* apparet. Ita & pocula quædam anſas habebant binas, alia unicam, alia nullas. *Doctiſſ.* WERNER equidem *in diſſ.* ſæpius cit. aſſerit, Hebræorum calathos plane anſis caruiſſe, nec in nummis apparere anſatos; verum nummus antiquiſſimus Samaritanorum, quem DEYLING. *Cel. in Obſ. S. L. III. Tab. III. n. 4.* ex Cl. RELANDO exhibet, amphoram ſeu calicem utrinque anſatum ſiſtit. Græcorum pocula anſata memorat JUL. POLLUX. *Onomaſt. Lib. VI. cap. 18.* ἀμφίθετον δὲ φιάλην ὡς Ὅμηρος καὶ χρύσεον ἄμφωτον ἀπὸ τοῦ σχήματος, τὸ δὲ μόνωτον κοτυλίσκος ὠνομάζετο· *Phialam vero ancipitem, & aureum poculum utrinque anſatum* HOMERUS *a forma appellat, ſed unicam anſam habens, cotyliſcus nominabatur.* Tales quoque apud Romanos erant, unde VIRGIL. *Eclog. VI.*

Serta procul tantum capiti delapſa jacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus anſa.

Conf. & DEMST *ad ROSIN. antiq. Lib. V. p. m. 538. ſeq.* anſatos quoque

quoque in nummis ſupra citatis apud GOLZIUM calices videbis, conf. eundem in *Num. Græc. Tab. XVI. n. 5. 9. 12. Tab. XVII. n. 2. &c.*

Hæc omnia ſenſu ſublimiori & myſtico in Mediatore ſalutis noſtræ conſpicis. *Baſin* muneris ipſius mediatorii, ut ita dicam, & omnium meritorum ejus ponimus in ſupremo pacis conſilio & teſtamento æterno, vi cujus ille nobis ſe tanquam mediatorem certum & infallibilem ſiſtit. In hoc enim teſtamento omnia regni Dei bona nobis delegata ſunt, Matth. XXV, 34. Eleganter hoc exprimit Apoſtolus Eph. I, 3--10. ubi dicit in Chriſto patrem cœleſtem nobis *benedixiſſe omni benedictione ſpirituali in cœlis* v. 3. *in quo & nos elegit ante mundi jacta fundamenta* v. 4. in quo habemus redemtionem per ſanguinem ipſius ex *divite ipſius gratia*, qua *exundavit* in nos v. 7. 8. Teſtamenti enim æterni executor ipſe eſt conſtitutus per mortem ſuam Heb. VII, 21. *Venter* hujus poculi eſt omniſufficientia mediatoris noſtri, quæ eſt abyſſus, in qua omnia gratiæ beneficia recondita ſunt, & ex cujus *plenitudine haurimus* gratiam pro gratia Ioh. I, 16. quare eſt fons vitæ, Pſ. XXXVI, 10. uti etiam ex *ventre* ejus *ſanguis & aqua* in cruce profluebat, quo ſigno omniſufficientia Mediatoris noſtri nobis recluſa deſignabatur, Ioh. XIX, 34. *Operculum* hujus poculi myſtici ſi quæres, illud invenimus in *umbris* V. T. quibus beneficia ac merita Servatoris noſtri quaſi tecta latebant, & non niſi oculis fidei, *εἰς τὰ μὴ βλεπόμενα* penetrantibus patebant. Nam lex non niſi *σκιὰν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν* habebat Heb. X, 1. Myſterium hoc ſalutis *abſconditum quaſi fuit per ſecula* & ætates, ſub V. T. nunc autem, ſc. ſub N. T. *factum eſt manifeſtum ſanctis*, teſte Apoſtolo Col. I, 26. *Anſæ* hujus poculi deſignant *verbum* Dei & quidem V. & N. T. cujus ope omniſufficientiam Mediatoris noſtri non agnoſcimus ſolum, ſed & modum diſcimus, quo in illius communionem pervenire poſſumus. Illius ope *elevamus* hoc ſalutis poculum, Mediatorem noſtrum tanquam ducem ſalutis ex verbo Dei & per illius præconium proponentes, celebrantes & laudibus extollentes Pſ. CXVI, 13.

VII. d) Si *menſuram* poculorum apud antiquos indagamus, deprehendimus, ea non ſolum fuiſſe certæ profunditatis atque capacitatis, ſed & proportionis admodum concinnæ. Ita calices paſchales Judæorum certam menſuram habebant, unde RASCHI *ad Berach. fol. 51.* הו״א

כל

כל יין שבחבית בכוס של ברכה הוא שתי ממנו *Erat omne vinum, quod continebatur vaſe majori, cujus quisque tantum bibebat, quantum ſatis erat pro menſura poculi benedictionis.* Et Judæi in *Maſſech. Schabb. fol. 11.* dicunt: ארבעה כוסות שאמרו ישנן רביעית יין באיטלקי *Quatuor pocula, ut dicunt Veteres, continent quartanam vini Italicam.* De menſura digitorum & pollicum poculorum paſchalium conf. *Doct.* SAUBERT. *in diſſ. de Paſchate, Helmſt. 1662. §. 6. quæ recuſa in palæſt. Theol. Philol.* exſtat; nec non *Doct.* WERNER *diſſ. laud. §. 5.* & de menſura poculorum apud Græcos & Roman. STUCK. *l. c. p. m. 360. ſq.* Quare & *calix* pro certa *portione* ſumitur, unde Hebr. כוס & חלק conjunguntur; ſic Pſ. XVI, 5. מנת חלקי וכוסי Jehova *portio partis & calicis mei*, & Pſ. XI, 6. *& procella vehemens erit* מנת כוסם *portio calicis eorum.* Conf. ad priorem locum VATABLUM, ad poſteriorem CLARIUM *in not. Bibl. Crit. Tom. III.* Præcipue autem pocula veterum in conviviis lautiſſimis erant *ampla & profunda.* Id quod Hebr. כוס innuit, quæ vox de re qualicunque *profunda* uſurpatur, uti ex lexic. *Aruch* probat *Cel.* DEYLING *Obſ. S. L. III. Obſ. 35. p. 328.* id quod ex voce מזרק quæ de calathis vini Amos VI, 6. occurrit, & quam cum Græcor. ἐκπέταλα confert, deducit STUCK. *l. c. p. 359.* qualia pocula ampla Græcis quoque πέλλαι dicta, teſte Commentatore *Homeri*, EUSTATH. *Iliad.* λ. & Latinis *amphoræ*, vel conchæ. Unde PLAUTUS convivium lautum deſcribens, *magna pocula* memorat in *Rudente.* Et IUVENAL. *Sat. XII, 45.* canit:

- - *urnæ cratera capacem.*

Et ſane Mediator noſter cum meritis ſuis conſiderari poteſt ut poculum amplum, certam habens menſuram. Utpote non ſolum in æterno pacis pacto delineatus eſt tanquam Dux conſummatus ſalutis, qui perfectam ex norma juſtitiæ divinæ obedientiam præſtiturus erat; ſed & a prophetis per certa criteria eſt deſignatus. Hæc *menſura* Mediatoris præfigurabatur per menſuram & proportionem arcæ Noæ, arcæ fœderis & propitiatorii, reliquorumque Sanctuarii V. T. vaſorum, quæ mediatoris noſtri typus exſtitere; præcipue altaris, Ezech. XLIII, 13. Et donis ſeu meritis Chriſti μέτρον ſ. *menſuram* tribuit Apoſtolus Eph. IV, 7. Hæc meritorum

rumChriſti menſura ſub V.T. parca admodum erat & exigua, Ioh. VII,39. ſed ſub N.T. largior & ampliſſima futura erat. Pſ. LXVIII, 10. Ieſ. XXXII, 15. Joel. II, 28. cap. III, 1. *plenus* calix infundendus, ut infra videbimus.

VIII. e) Varie quoque *ornata* erant pocula apud Veteres, Hebræos æque ac alias gentes. Apud Hebræos labia poculorum ἀνώτων erant opus liliorum, ut ſupra ex 1. Reg. VII, 26. probavimus, vel aliud opus artificis quaſi margaritarum, veluti apparet ex nummo, quem *Tabul. noſtra n.1.* exhibemus. Quemadmodum bibentes convivæ apud antiquos corollas in capite gerebant, ita & pocula *coronabant*, veluti docet CLEM. ALEXANDR. *Pædag. Lib. II. p. m. 154.* Ita VIRGIL. *Lib. III. æneid.*

Tum pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit, implevitque mero, Divosque vocavit.

TIBULL. *Lib. II. eleg. 5.*

- - *umbracula ſertis*
Vincta, coronatus ſtabat & ipſe calix.

Conf. SAUBERT. *de Sacrif. cap. 17. p. m. 403.* KIPPING. *antiquit. Rom. Lib. V. C. 3. p. m. 717.* nec non *Cel. Viri* G. LAKEMACH. *Obſerv. S. Part. VI. p. 333.* Judæi quoque in *Berachot fol. 51.* inter requiſita poculorum paſchalium עיטור *coronationem* referunt, quam alii ex moribus gentium deducunt, ſed melius de corona ſapientum, qui benedicentem cingebant, vel de reliquis poculis calicem benedictionis circumdantibus exponitur. Conf. RASCHI ad *Berach. l. c.* *Figuris* quoque variisque *imaginibus* & cruſtis exornabant calices. R. MOSES *in lib. Akom c. 7.* apud SAUBERT. *l. c.* docet, *vaſa gentium imagine ſolis, lunæ vel draconis* inſignita eſſe. Ejuſmodi poculum egregie figuris exornatum deſcribit HOMER. *Iliad lib. XI. Opp. T. I. p. m. 216.* Recte quoque SCYLAX CARYANDÆUS *Peripl. p. 52.* οἱ Αἰθίοπες χρῶνται κοσμοστίκτοις καὶ ἐκ πώμασι τοῦ Ἐλέφαντος φιάλαις. *Æthiopes utuntur pro ornatu poculis variegatis, eburneisque phialis.* Varie *cælabant* eos & ſignabant, unde vaſa ſigillata dicta. Ita CICERO *Lib. VI. in Verr.* *Adpoſuit patellam, in qua ſigilla erant egregia; iſte continuo ut vidit, non dubitavit illud inſigne penatium, hoſpitaliumque*

 deorum

deorum ex hoſpitali menſa tollere. Vocabantur quoque vaſa Corinthiaca. Craterem ejusmodi cælaturis & cruſtis inſignem exhibet ex antiquo marmore BAYF. *de re vaſcul. p. m. 288.* In nummis quoque Græcis ejusmodi pocula obſervamus, veluti in GOLZ. *numiſm. Græc. Tab. XVII n. 5. & 8.* apparent; uti & apud Chriſtianos veteres calices Euchariſticos imagine paſtoris exornabant, quod docet Doct. HILDEBR. *in diſſ. de Euchariſt. S. p. m. 30.* & Cel. J. LYD. *in cœna Domin. literat. in GEN. Opuſc. T. X. p. 478.* *LITERIS* quoque & *inſcriptionibus* pocula inſigniebant, quæ γραμματικὰ dicebantur, vid. ATHENÆ. *Deipnoſ. Lib. XI. cap. 4.* STUCK. *antiq. l. c. p. m. 354.* BUCHER *antiq. bibl. p. 382.* RHODIG. *Lect. antiq. p. m. 385.* Ita poculum Joſephi, ex quo divinaſſe dicitur, Gen. XLIV, 5. literis Ægyptiis ſacris inſignitum, quidam ſuſpicantur, vide de hoc URSINI *Analect. Sacr. Lib. VI. c. 30. p. m. 391. ſq.* GEMMIS denique & margaritis ornatus cauſa diſtincta erant. Quare ſcribit PLINIUS *in præfat. Lib. XXXIII. hiſt. natur: Nec hoc fuit ſatis, turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices.* Et JUVENAL. *Sat. X. init:*

- - *ſed nulla aconita bibuntur*
Fictilibus; tunc illa time, cum pocula ſumes
Gemmata.

nec non VIRGIL. *Lib. II. Georg.*

Ut gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro.

Plura vide apud DEMSTER. *ad ROSIN. Lib. V. cit. p. m. 536.* & KIPPING. *l. c. p. m. 725.*

Judæi inprimis *puritatem* poculorum urgebant; quo reſpicit Salvator, Matth. XXIII, 25. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ! qui purgatis exteriora poculi, interiora autem plena ſunt rapinâ & intemperantiâ,* conf. Luc. XI, 39. unde in *Berachot fol. 51.* עשרה דברים נאמרו בכוס של ברכה טעון הדחה ושטיפה חי ומלא וגו׳ *Decem res præcipiuntur de poculo benedictionis, quod neceſſe habeat ſc. intra lavari, extra ablui, purum eſſe & plenum &c.* quod proinde poculum pulcrum כוס יפה vocant *in Peſach. fol. 108.* conf. LIGTHFOOTH *ad h. l. Matth.*

Haec omnia myſtice in Mediatore noſtræ ſalutis deprehendimus,

mus. Mirum in modum ille eſt ornatus decore & majeſtate a Patre ſuo, *pulchrior eſt factus filiis hominum, infuſa eſt gratia labiis ejus. Decore ſuo proſpere equitat cum verbo veritatis, proloquitur juſtitiam & edit documenta terribilibus factis dextræ ſuæ*, Pſ. XLV, 3--5. Ille qui minor factus erat angelis, *coronatus* eſt a Patre *gloria & majeſtate*, Pſ. VIII, 6. *Prævenit eum benedictionibus boni, imponit capiti ejus* coronam *auri purgatiſſimi. Ita ut magna ejus ſit gloria per ſalutem Dei, qui decus & majeſtatem in eo poſuit.* Pſ. XXI, 4. 6. Ille eſt *lapis, coram Joſua poſitus, in quo ſeptem oculi appoſiti. Ecce ego, inquit Jehova exercituum, ſculpturus ſum ſculpturam ejus.* Zach. III, 9. Omnes hic *cælaturas* poſſidet, omnia illa criteria ac requiſita Mediatoris, quæ per omnes V. T. umbras & delineationem Prophetarum erant præſcripta; de eo enim omnes teſtantur Prophetæ, Act. X, 43. *Literis* ipſe ſacris eſt inſignitus, tanquam ſummus Pontifex fronti inſcriptum gerit קדש ליהוה eſt enim *ſanctus ille Iſraëlis*, Jeſ. XII, 6. in cujus medio eſt *nomen Dei.* Qui nomen femori inſculptum gerit: *Βασιλεὺς βασιλέων, καὶ κύριος κυρίων*, Apoc. XIX, 16. *Gemmæ*, quibus ornatur, ſunt perfectiones divinæ & virtutes ac majeſtas Regia, quæ ex Mediatore, in opere ſalutis exantlato undique elucebant. Recte ergo Pater e cœlo ipſum pronuntiabat Filium dilectum, in quo *beneplacitum haberet*, Matth. III, 17.

IX. Tranſimus *ſecundo* loco ad varios poculorum apud antiquos USUS, eosque tum domeſticos tum ſacros.

I. *Domeſticos* uſus quod attinet,

a) Pocula neceſſaria erant *menſarum* in inſtruendis conviviis *ſupellectilia.* Unde VALER. *Lib. IV. cap. 3. cui Conſulatum gerenti, cum Ætolorum gens omnis uſus vaſa argentea magno pondere, exquiſita arte fabricata, per legatos miſiſſet, qui ſuperiori tempore gratulandi cauſa ad eum profecti retulerant, fictilia ſe in ejus menſa vidiſſe &c.* Ita MARTIAL. *Lib. VIII. ep. 6.*

Laomedonteæ fuerant hæc pocula menſæ.

Huc quoque refer TIBULL. *Lib. I. eleg. 1.*

Adſitis divi, nec nos e paupere menſa
Dona, nec e puris ſpernite fictilibus.

Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis
Pocula, de facili compoſuitque luto.

nec non MARTIAL. *lib. VI. epigr.*

Ponuntur ſemper Chryſendela Calperiano,
Sive foris, ſeu cum cœnat in urbe domi.

Præcipue paſchale poculum in convivio paſchali requirebatur, de quo Matth. XXIV, 27. Marc. XIV, 23. 36. Luc. XXII, 17. 20. & ARBA THURIM *in Orach. Chaim cap. 182. fol. 33.* וכיון שטען כוס צריך לחזר אחריו ולא יאכל אלא אם כן יהיה לו כוס לברך עליו ברכת המזון *Cum itaque poculum abſolute requiratur, neceſſe eſt acquirere illud & comparare; neque quis comedat, niſi poculum habeat, ſuper quod effundere poſſit preces poſt cibum captum.*

Et in *convivio* myſtico, quod Eccleſiæ N. T. erat parandum, ſumme neceſſarium erat hoc *poculum* ſalutis & meritorum Meſſiæ. Uti in hoc Pſalmo non ſolum menſæ inſtructæ ſed & poculi inebriantis mentio occurrit. Ita Prov. IX, 5. Sapientia æterna ad convivium mediorum gratiæ invitans animas famelicas dicit: *Venite veſcimini cibo meo & bibite vinum, quod miſcui.* Recte ergo Salvator Joh. VI, 53: *Amen, amen dico vobis, niſi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ſanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Ita Sponſa teſtatur Cant. II, 4. 5. *Introduxit me in locum* convivii, *habens vexillum amoris ſuper me. Fulcite me* lagenis, ſc. vini, *fulcite malis.* Et Cant. V, 2. *comedite amici, bibite & inebriamini dilecti!* Absque hoc ſalutis & meritorum Chriſti poculo fruſtranea eſſet menſæ mediorum gratiæ inſtructio & absque illo anima noſtra ſiti tabeſceret, Pſ. LXIII, 1. Joh. VI, 57.

X. b) Poculis vinum *infunditur* & ex iis *effunditur* in potum aliorum. Ita MARTIAL. *Lib. V. ep. LXVI.*

Sextantes Calliſte duos infunde falerni,
Tu ſuper æſtivas Alcine funde nives.

Et Lib. I. ep. 72.

Nævia ſex cyathis, ſeptem Iuſtina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuſo numeretur amica falerno.

Et

Et *Nicoſtrates* apud ATHEN. *Deipn. Lib. XV.* ἀλλ' ἐγχέασα θᾶττον ἀγαθȣ̃ δαίμονος, ἀπενεγκάτω μοὶ τὴν τράπεζαν ἐκ ποδῶν. *Verum* infundens *ocyus poculum boni dæmonis, tolle menſam a pedibus meis.* Ita & de poculo paſchali RASCHI ad *Berach. l. c.* שמזגו במים לאחר שנתנו בכוס חי *Infundatur aqua, poſteaquam purum vinum in poculum benedictionis fuerit immiſſum.* Uti infunditur vinum, ita ex eo *funditur* in uſum convivarum: Sic OVID. *Lib. II. de arte.*

Quid properant, nova muſta bibant; mihi fundat *avitum*
Conſulibus priſcis condita teſta merum.

Et ſane Mediator noſter eſt, in quem ſpiritus dona quaſi infuſa ſunt absque menſura, Joh. III, 34. accepit dona, ſed diſtribuenda hominibus, Pſ. LXVIII, 19. omnia quæ qua Mediator acquiſivit & accepit a patre, in nos denuo effundit. Unde phraſis *effundere* ſæpiſſime de meritis Salvatoris occurrit, Act. X, 45. in gentes donum ſpiritus *effuſum* eſſe, Jeſ. XXXII, 15. *donec effundatur ſuper nos ſpiritus excelſi.* Et Zach. XII, 10. *effundam ſuper domum Davidis & ſuper habitatores Hieroſolymæ ſpiritum gratiæ atque precum.* Conf. Tit. III, 6. Joel II, 28. Act. II, 33. *effudit hoc, quod nunc videtis.* Et Rom. V, 5. de charitate teſtatur, quod *effuſa ſit in cordibus noſtris per Spiritum S.* Quare Matth. XXVI, 28. Salvator cum alluſione ad poculum paſchale ejusque vinum dicit: *Hoc eſt ſanguis meus, quod eſt teſtamenti novi,* effuſum *in remiſſionem peccatorum pro multis.* Ex ejus plenitudine nos ſatiamur & haurimus abunde Joh. I, 16. & unicuique conceditur gratia, κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τȣ̃ Χριςȣ̃, Eph. IV, 7.

XI. c) Pocula infuſa ori admovebantur, *exhauriebantur* & aliis *propinabantur* vel in *ſalutem Deorum* vel aliorum amicorum. Sic Amos VI, 6. השתים במזרקי יין *bibentes e crateribus vinum,* Jer. XXV, 15. *Sume poculum illud vini, poculum excandeſcentiæ e manu mea & bibendum da* ſ. propina *iſtud gentibus.* Ita & HOMER. *lib. XIV. odyſſ. v. 112.*

Καί οἱ πλησάμενος δῶκε σκύφος, ἔπινεν.
Et impletum ei ſcyphum dedit, quo bibebat.

Et MARTIAL. *Lib. IX. ep. 23.*

Nec labris niſi magna meis cryſtalla terantur,
Et faciant nigras noſtra falerna nives.

De modo *propinandi* audi MARTIAL. *Lib. X. epigr. 49.*

Propinas modo conditum Sabinum
Et dicis mihi, Cotta, vis in auro?

Et *Lib. VIII. epigr. 6.*

Hic ſcyphus eſt, in quo miſceri juſſit amicis
Largius Æacides, & bibit ipſe merum.
Hac propinavit Pythiæ pulcerrima Dido.

Idque in *ſalutem* vel *Deorum* vel *amicorum*; Denuo MARTIAL. *Lib. IX. ep. 95.*

Nunc mihi dic, quis erit, cui Te, Calatiſſe, Deorum
Sex jubeo cyathos fundere? Cæſar erit.

Et PLAUT. *in Perſ. 5. 1.*

Pægnium tarde cyathos mihi das, cedò
Sane. Bene mihi, bene vobis, bene amicæ.

Vide plura apud SAUBERT. *de ſacrif. c. 26. p. m. 691.* STUCK *antiq. conviv. Lib. III. c. 11. & 13.* Hiſce propinationibus fœdus amicitiæ ſanciebant inter ſe, uti *Doctiſſ.* OLEAR. *diſſ. de κοινωνίᾳ Δαιμον. l. c.* & TH. AMELIUS *in V. T. Tom. I. p. 701.* docent:

Per *fidem* quoque applicamus nobis & aliis merita & dona omniſufficientiæ Mediatoris noſtri. *Bibere* enim in ſcriptis ſacris *fidem* deſignat. Explicat ita Salvator, Joh. VII, 37. 38. *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, &c.* Confer quoque Prov. IX, 5. Cant. V, 2. Jeſ. LXV, 13. Ezech. XXXIV, 18. Obad. v. 16. Zach. IX, 15. Matth. XXVI, 27. Ioh. IV, 10-13. Cap. VI, 53. 1. Cor. III, 2. 1. Cor. X, 4. in quibus locis eodem ſenſu occurrit. Per fidem enim haurimus ex ejus plenitudine, Ioh. I, 16. labiis cordis noſtri ſuſcipimus amorem ejus effuſum, Rom. V, 5. hæc eſt apertio & *dilatatio oris*, ut impleri queat, Pſ. LXXXI, 11. ita *guſtamus* bonitatem ac benignitatem Jehovæ, Pſ. XXXIV, 9. Bibimus vero poculum hoc myſticum in *honorem* & *gloriam* Dei, a quo omnia accepimus, & ad quem omnia quoque grata referimus, Rom. XI, 36. Cant. V, 1. in *ſalutem* noſtram, quæ per beneficia hæc ſalutis admodum promovetur. Hoc etenim poculum recreat, ſanat,

ſanat, exhilarat corda noſtra & apta ea reddit ad cultum & celebrationem Dei, 1. Pet. IV, 11. Eph. I, 3. 17. 18. Tit. II, 11. III, 5. Phil. II, 13. 15. Apoc. III, 18. ***Propinamus*** hoc poculum ſalutis quoque aliis, dum dono illo quod accepimus, etiam aliis inſervimus, tanquam ***boni diſpenſatores variæ gratiæ Dei***, 1. Pet. IV, 10. quando alios ad plenitudinem Mediatoris noſtri invitamus: ***Venite, ut aſcendamus in montem Jehovæ, in domum Dei Jacobi, ut doceat nos de viis ſuis, & ambulemus in ejus ſemitis; e Zione enim prodibit doctrina, & verbum Jehovæ ex Hieroſolymis***, Ieſ. II, 3. &c. quando cum Eccleſia alios vocamus, dicentes: ***agite, audite vos timentes Deum, ut enarrem omnia*** (illa bona) ***quæ exhibuit ille animæ meæ***, Pſ. LXVI, 16. atque ita omnes ***eundem potum ſpiritualem*** bibimus, 1. Cor. X, 4.

XII. Supereſt II. uſus duplex, isque *ſacer*.

a) Inter vaſa præcipua *ſanctuarii* referuntur quoque pocula, eaque ſacro uſui deſtinata. Ita inter inſtrumenta domus ſanctæ referuntur ***crateres aurei*** triginta, ***crateres argentei*** ſecundarii quadringenti decem, Eſræ I, 10. Et David præſcribit pondera auri, quæ pro menſis, item pro fuſcinis & ***crateribus*** ac ſcutellis aureis erant colligenda in exſtructione templi, 1. Par. XXVIII, 17. Uti & Nebuzar-Adan ex templo pelves & trullas cum *crateribus* & ollis, lychnuchis & acerris, quæ aurea erant atque ænea, ſuſtulit in excidio urbis, Jer. LII, 18. 19. In menſa panum propoſitionis Tabernaculi ſimiliter *vaſa aurea* memorantur, præcipue מנקיות LXX. *κυάθους*, *cyathos*, vertunt, conf. Exod. XXV, 29. Num. IV, 7. in quo poſteriori loco קשות הנסך *pateræ* ſeu ***canthari*** libaminis adduntur, veluti vertit magnus noſter COCCEJUS ***in Lexico h. v.*** Et inter ***donaria*** præcipua referenda quoque pocula erant. Ptolomæus inter reliqua donaria pretioſa ſanctuarii etiam teſte JOSEPH. *antiq. Jud. Lib. XII. c. 2. §. 9.* ***crateres*** dedit: Ita ille: Τῶν δὲ κρατήρων χρύσεοι μὲν ἦσαν δύο· φολιδωτὴν δὲ εἶχον ἀπὸ τῆς βάσεως μέχρι τοῦ διαζώματος τὴν τορείαν, λίθων ταῖς σπείραις ποικίλων ἐνδεδεμένων, &c. περιεστέφατο δὲ τὰ χείλη τοῦ κρατῆρος κρίνων σμίλαξι καὶ ἀνθέμισι καὶ βοτρύων σχοινίαις εἰς κύκλον περιηγμέναις. *Crateres autem duo quidem aurei erant, ſquamas habentes torno exſculptas ab imo usque ad præcincturam, variis lapidibus ſpiris inſertis.*

Crateris

Crateris autem labia cincta erant liliorum foliis & authemidibus & vitium capreolis in orbem circumductis. Ita gentes Diis *crateres* ſtatuebant donaria. HOMER. *Iliad. VI. in fin.*

- - ἐπȣρανίοισι Θεοῖς αἰειγενέτῃσι
Κρητῆρα ςήσαϑαι ἐλεύϑερον ἐν μεγάροισιν.
- - *cœleſtibus Diis ſempiternis*
Craterem ſtatuere liberum in domibus.

Ita VARRO *Lib. IV. de LL. In ſacrificando hoc poculo Magiſtratus dat Deo vinum.* Talis eſt crater ſeu cantharus, qui apparet in nummo XXXVIII. quem exhibet Cel. HAVERCAMP. *in Tab. II. præfixa* F. JOSEPH. *Opp.* ubi Caput Herculis apparet in una, & in altera parte cantharus ſerpente circumvolutus cum epigraphe ΜΑΣΑΝΙΣΣΑ, conf. eundem Vir. *Cel. in not. p. 25.* veluti in antiquo marmore quod HERCVLI INVICTO eſt inſcriptum apud GRUTER. *p. L. n. 3.* apparet amphora quoque, quæ hedera veſtitur. Figuram quoque crateris ſacri ex antiquo marmore exhibet Cl. CHOUL. *in tract. de la relig. des anc. Rom. p. m. 308.* Crateres ejusmodi ſacros in nummis variis deprehendimus. Sic in H. GOLZ. *Faſtis Magiſtr. & Triumph. p. 200.* in nummo ultimo apparet menſa ſacra cum cratere, *p. 190.* crater cum ſympuvio & lituo ſacro, *num. 6. & 10.* nec non *p. 176. num. XI. p. 222. num. 3. &c.* Similiter apud OISEL. *in Numiſm. antiq. Tab. CX. n.* 7. lituus, *crater* & gallus, *& n. 9. crater,* lituus, ſympuvium, ſeceſpita, cum epigraphe PIETAS AVG. S. C. Ad *donaria* ſcyphorum ſacra refero inſcriptionem, quæ apud eundem GRUTER. *p. XXV. n. 2.* legitur:

IVNONI. PLACIDÆ
CONSERVATRICI AVGVSTÆ
CLAVDIA. SABBATIS. BVLLAM. D. D.
ADDIDIT. ET. SCYPHVM. ET. TRIPODEM
FORTVNÆ. AVG.

Conf. *pag. XLVIII. n. 1. & pag. XLIX. n.* 5. aliasque.

Omnia hæc ſenſu myſtico applicare poſſumus ſalutis noſtræ Mediatori ejusque meritis. Merita ejus inter præcipua cordis noſtri, quod eſt Dei ſanctuarium, vaſa & ornatus referenda ſunt, præcipue ſpiritus ille, quem

quem nobis acquiſivit, ille eſt arrhabo & pignus amoris ejus æternum, quo corda noſtra obſignantur, 2. Cor. I, 27. Eph. IV, 38. Vel quemadmodum *menſa panum propoſitionis* depingebat omnia illa bona & panem vitæ, quo fames animæ noſtræ ſatiari poterat, ita pocula & crateres illa ſpiritus Chriſti pro nobis acquiſiti dona, quæ animam noſtram ſiti quaſi arefactam recreare poterant. conf. Jeſ. LV, 1-2. Apoc. XXII, 17. Joh. VII, 37. 38. Hæc bona ſunt domus Jehovæ, & ſancta templi ipſius, quibus ſatiamur, Pſ. LXV, 5. Hæc eſt pinguedo domus Jehovæ, & torrens deliciarum ejus, quo inebriamur, Pſ. XXXVI, 9. Verum & merita & dona, quæ ex omniſufficientia Mediatoris noſtri haurimus, tanquam *donaria* ſoli Deo ſunt dedicanda; Omnia ad ipſum per uſum eorum ſalutarem & gratum animum redire oportet, Rom. XI, 36. *Edimusve bibimusve, omnia ad gloriam Dei noſtri tendant*, 1. Cor. X, 31. In ſanctuario cordis noſtri omnia dona, tanquam fructus ſalutares Spiritus S. Gal. V, 22. quaſi perpetua benignitatis divinæ monumenta ſuſpendi debent, Pſ. LXVI, 16. LXXVII, 12. CXLIII, 4. 5.

XIII. b) Alter uſus poculorum ſacer erat in *libationibus*. Vinum enim libaminis crateribus infuſum adducebant. Ita legimus de matre Samuelis, quod *huncce filium ſuum adduxerit cum juvencis tribus & epha farinæ*, ונבל יין & *utre vini*, *& introduxerit eum in domum Jehovæ*, libatura ſcilicet, 1. Sam. I, 24. Vini enim libamina in ſacrificiis ſecundum legem divinam requirebantur, Num. XV, 5. 7. 10. Cap. XXVIII, 7. vinum hoc Sacerdos ad altare deferebat, ſimpulo argenteo inter tubas inflatas infundebat, & in cavitatem ſubterraneam ad altare effundebat. Conf. OTTO *Lex. Rabb. v. Sacrif.* & præ aliis *Celeb. Bremenſium Philologus*, C. IKEN. ſtudiorum olim Director maxime colendus, in *Compend. antiq. Hebr. p. m. 204.* Gentibus quoque poculorum in libaminibus uſus erat frequentiſſimus. Ita VIRG. *Lib. VIII. Æneid. p. 278.*

Et ſacer implevit dextram ſcyphus, ocyus omnes
In menſam læti libant.

Huc reſpicit OVID. *Lib. IX. metam.*

Vinaque marmoreas paterâ fundebat in aras.

HOMER. *Lib. VII. odyſſ. v. 137.*

> Σπενδόντας δαπάεσσιν ἐυσκόπῳ Αργενφυότῃ
> Οἱ πυμάτῳ σπένδεσκον.
> *Libantes poculis Speculatori Mercurio*
> *Cui ultimo libabant.*

Idem Iliad. XVI.

> Ἦτοι ὁ μὲν, σπείσας τε καὶ ἐυξάμενος Διῒ πατρὶ,
> Ἂψ κλισίην εἰσῆλθε· Δέπας δ᾽ ἀπέθηκ᾽ ἐνὶ χηλῷ.
> *Certe hic quidem quum libaſſet ac ſupplicaſſet Jovi Patri,*
> *Rurſus tentorium ingreſſus eſt: poculum repoſuit in arca.*

Huc refer quoque *Jeſ. LXV, 11. Vos autem, qui deſerentes Jehovam & montis ſanctitatis mei obliti, inſtruitis menſam Godæ & impletis τῇ Meni libamen,* ad quem locum vide quæ adfert Doct. SAUBERT. *de ſacrif. cap. 26. p. 695.* Cel. LAKEMACH. *Obſ. philol. p. IV. obſ. 2. p. 18. ſq.* & *magni Ultrajectenſium Philologi* D. MILLII *diſſ. ſelect. d. 4.* MEINHARD. *diſſ. de Selenolatria, Witt. 1680.* FRISCHMUTH. *diſſ. de Melechet cœli, Jen. 1663.* alios.

Et quando Deo noſtro libamen illud ſpirituale ſub N. T. offerimus, absque meritis Servatoris noſtri nullum erit, nec Deo gratum. *Libamina* V. T. typi erant non ſolum ſacrificii Chriſti, qui animam ſuam tanquam libamen erat effuſurus in mortem pro ſalute populi ſui, Jeſ. LIII, 10. *Qui tradidit ſe ipſum in oblationem pro nobis, ac victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ*, Epheſ. V, 2. ſed & cultus rationalis fidelium N. T. quatenus participant de libamine Chriſti per fidem, & animam ſuam quoque vel per ſtudium ſanctitatis vel per martyrium in Dei manus quaſi effundunt. Hoc ſenſu dicit Apoſtolus Phil. II, 17. *Si quoque libamen exiſtam ſuper ſacrificio & miniſterio fidei veſtræ, gaudeo & omnibus vobis gratulor.* Nec non 2. Tim. IV, 6. *Ego enim jam libor, & tempus diſſolutionis meæ inſtat.* Verum nulla noſtra erunt libamina, niſi libamine Chriſti per fidem nobis applicato, grata Deo reddantur. Quare ingentem Judæis denuntiat pœnam, quando Pſ. XVI, 4. comminatur: *Non ſum libaturus ego libamina ipſorum ex ſanguine, neque aſſumturus nomina eorum in labiis meis.* Quamdiu per fidem nondum uniti ſumus cum Chriſto, atque ita ipſius libamen

unicum pro ſalute nondum noſtrum fecimus, tamdiu libamina Diis alienis, mundo, *φιλαυτίᾳ*, Satanæ &c. offerimus, veluti Deus ſæpius de peccatoribus conqueritur, Jeſ. LVII, 6. Jer. VII, 18. Jeſ. XLIV, 17. 18. XIX, 13. XXXII, 29. Chriſti autem ejusque paſſionis animæ merita ſunt libamen illud Deo gratum, quod per fidem ipſi offerimus, idque cum laude & celebratione nominis divini & mediatoris ſalutis noſtræ, quæ eſt ſpiritualis illa *muſica* cordis & oris fidelium N. T. Col. III, 16. Rom. XV, 9. Epheſ. V, 19. Apoc. XIV, 3. Pſalm. CV, 2. CI, 1. XCVI, 2. &c.

XIV. Tranſimus ultimo loco ad *accidentia* quædam poculorum apud Veteres, & quidem

a) *Calices vino* pretioſo & ſæpe *aromatico* repleti gratum undique convivis *odorem* præbebant, quo ſpiritus recreati in lætitiam effuſi quaſi ruebant. Huc alludit Eccleſia, Cant. VIII, 2. (vel VII, 6.) *bibendum tibi darem* de vino aromatico, *de ſucco malogranatorum. Doctiſſimus* enim SCACHUS *in Myrothec. Lib. I. cap. 42.* late ex antiquitatum monumentis docet, veteres vina vario aromatum & oleorum grati odoris apparatu præparaſſe. Recte gloſſæ Heſychianæ ad voc. Μυῤῥ. Μυῤῥίνην, ἔνιοι μὲν οἶνον μυῤῥίνον καλῦσιν· οἱ δὲ ποτὸν ἐσκευασμένον· οἱ δὲ πόσιν φασὶν, ᾗ ἐπεχεῖτο μύρον. *Myrrhinam alii vinum aromaticum dixere: alii potum factitium, alii denique potionem, cui affuſum eſt unguentum.* Locus huc ſpectat egregius *Hermippi* ap. ATHEN. *Deipn. Lib. I. c. 23.*

> Ἔςι δὲ τις οἶνος, ὃν δὴ σαπρίαν καλέυσι
> Οὗ καὶ ἀπὸ ςόματος ςάμνων ὑπανοιγομενάων
> Ὄζει ἴων, ὄζει δὲ ῥόδων, ὄζει δ᾽ ὑακίνθυ,
> Ὀσμὴ θεσπεσία· κατὰ πᾶν δ᾽ ἔχει ὑψιρεφὲς δῶ
> Ἀμβροσία καὶ νέκταρ ὁμῶ· τῦτ᾽ ἐςὶ τὸ νέκταρ.

Quod latine vertitur:

> *Eſt aliud vinum, Saprian quod nomine dicunt:*
> *Hujus, aperta cadi leviter cum labra pateſcunt,*
> Admirandus odor, *ſpirans violasque roſasque*
> *Purpureosque hyacinthos: quin ſimul omnia replet*
> *Ambroſia cum nectare. Nectar hoc arbitror ipſum.*

 PLINIUS

PLINIUS *Lib. XIV. cap. 13. Lautiſſima apud priſcos vina erant, myrrha odore condita.* Nec non HOMER. *odyſſ. ι.*

- - *ὀδμὴ δ' ἡδεῖ ἀπὸ κρητῆρος ὀδώδει*
Θεσπέσιη.

Dulcis autem odor a cratere ſpirabat divinus.

Huc ſpectat locus auctoris *Aſif-eddin*, quem citat J. A. QUAS. *in diſſ. procem. in Obad. Ebrii quidem ſunt amici Dei, ſed non irrigantur vino naturali, irrigantur enim tantum amore pulchritudinis divinæ, ſc. amici ſui Dei, qui magnus, illuſtris, eminens & majeſtate pollens eſt, juxta deſcriptionem laudantis eum, quod illis propinat de vino illo, quod non eſt corruptum odorifero aliquo, more Orientalium.* Huc etiam referunt quidam *vina foliata* apud MARTIAL. *Lib. XIV. ep. 110.* foliis nardi aliorumque aromatum grati odoris condita. conf. etiam J. A. *van der* LINDEN *exercit. in Act. II, 13. §. 178. ſq.* & Doct. VOGLER *Phyſiol. Paſſ. p. 15. 19. &c.*

Et quis neſcit maximas delicias capere populum Dei in meritis Salvatoris ipſorum. His veluti generoſo & aromatico vino ſpiritus ipſorum excitatur, confortatur, exhilaratur. Sic teſtantur cum Davide, Pſ. IV, 8. *Majori animum meum lætitia perfundis, præ illa quam percipiunt ii, quorum frumentum & muſtum multiplicatur.* Hiſce recreat animas ipſorum, Pſ. XXIII, 3. Ita gloriatur Eccleſia Cant. II, 5. *Fulcite me lagenis iſtis, ſuſtentate me malis.* & v. 4. dixerat: *Introduxit me in locum convivii, vexillum conſtituens amorem erga me.* Ideo reſurrexit Mediator ex mortuis, vt meritis ſuis animas defeſſas recrearet & egenas expleret, Jer. XXXI, 25. 26. Merita hæc ſunt ריח ניחוח odor gratus, non ſolum in naribus Dei, Eph. V, 2. ſed & fidelium; quare teſtatur Sponſa, Cant. II, 2. 3. *Amores tui meliores ſunt vino. Ad odoratum unguentorum tuorum optimorum velut unguentum diffunditur nomen tuum, ideo amant te puellæ.* Et *v. 4. Quum introduxerit me Rex in conclave, exſultabimus & lætabimur in te, memorabimus amores tuos, meliores vino,* conf. Cap. IV, 10. 11. Odor hic meritorum Chriſti per Apoſtolos manifeſtatur, *aliis exiſtens odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem*, 2. Cor. II, 14. 15.

XV. b)

XV. b) Cuilibet convivarum certa *poculi communis portio* erat exhaurienda, vel cuilibet etiam *peculiare poculum* tradebatur apud Veteres. Ita *Pharao* peculiarem ſibi calicem ſervabat, Gen. XL, 11. 12. & *Joſepho* peculiaris erat cyathus argenteus, Gen. XLIV, 2. *Judæi* in Paſchali convivio poculum habebant, ex quo poſt benedictionem omnes certam potus ſ. vini quantitatem hauriebant. Sic in *Orach Chaiim cap. 190. f. 35.* legimus præceptum de eo: ויטעום המברך ואחר כך יטעמו האחרים *Et guſtet poculum, qui benedictionem recitat, & poſtea cæteri guſtent ex ordine.* Sic Judæi נבג״ דברכתא״ *poculum benedictionis* majus memorant in *Berach. fol. 51.* ex quo quisque convivarum pro menſura calicis benedictionis ordinaria bibit, veluti ex RASCHI *ad h. l.* conſtat. Et de *circuitu poculi* memorant, quem explicat BAAL ARUCH in נבג *fol. 142.* מ״דורא דכסא עד ששותין כל המסוכין אחר הברכה ורגילין העם לקרות מחזור כל כוס ברכת *Eſt circuitus poculi, donec ſinguli, qui una accumbunt, biberint: Solet vulgo vocari circulus totius poculi benedictionis*, vide plura apud Doct. WERNER *in diſſ. cit. p. 14* Ita MARTIAL. *Lib. VIII. ep. 6.*

Hic ſcyphus eſt, in quo miſceri iuſſit amicis
Largius Æacides, & bibit ipſe merum.

conf. eundem *Lib. II. ep. 15.* & RAMIREZ de PRADO *Comment. ad h. Lib. II. ep. 15. p. m. 155. ſeq.* Recte ad rhombum noſtrum ſcribit STUCK. *antiq. conviv. Lib. & cap. c. p. m. 359.* „Notandum porro aliquando „convivis *ſingula* fuiſſe appoſita *pocula*, ut Homerus tradit in heroum „illorum veterum epulis fuiſſe uſitatum. Apponitur, inquit ATHE„NÆUS *Lib. I. cap. 1.* ſingulis Homeri convivis caniſter, menſa & po„culum, ut bibant, quando volunt. Et hic ferme mos eſt apud Germa„nos, ſingulis enim convivis ſingula apponuntur pocula in ipſa menſa. „Aliquando autem *ex uno & eodem poculo omnes bibebant.* Ita de Lacedæm. teſtatur CRITIAS apud MEURS *in Miſcell. Lacon. Lib. I. cap. 14. p. m. 65.*

Καὶ τό δ' ἔθος Σπάρτῃ μελέτημά τε κείμενον ἐστι,
πίνειν τὴν αὐτὴν οἰνοφόρον κύλικα.

Hic mos Spartæ & inſtitutum poſitum eſt,
Bibere ex eodem calice, vino repleto.

Unusquisque etiam ſenſu myſtico ſuum habet poculum, non ſolum certam paſſionum ac calamitatum hujus vitæ portionem, quæ ipſis in hoc orbe contingit, Pſ. XXXIV, 20. verum etiam partem meritorum Salvatoris, quæ fidelibus ex mera gratia unicuique ſecundum beneplacitum divinum diſtribuitur; hanc portionem elegit Maria, Luc. X, 42. hæc ſunt dona, quæ diſtribuit Meſſias inter homines, Pſ. LXVIII, 19. Unde anima ſæpius teſtatur fidelis, *Jehova eſt portio mea*, Thren. III, 24. Pſ. LXXIII, 26. CXLII, 6. Omnes de eadem parte participant, quaſi ex uno poculo bibentes; quare teſtatur Apoſtolus, 1. Cor. XII, 13. *Per unum ſpiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus, & Judæi & Græci, & ſervi & liberi: & omnes potati ſumus in unum ſpiritum.* Eleganter hoc præfigurabatur per *veſtes* Salvatoris noſtri, quas milites in quatuor partes æquales dividebant, unicuique militum partem unam, Joh. XIX, 23. qua notabili paſſionis dominicæ circumſtantia innuebatur meriti & in ſpecie veſtium ſalutis Meſſiæ inter omnes fideles per quatuor mundi plagas diſperſas diſtributio. Sic omnium Sacerdotum V. T. portio unica Jehova erat & hæreditas ipſorum, Num. XVIII, 20. Deut. X, 9.

XVI. c) Ultimo denique loco obſervamus, apud veteres in conviviis non ſolum fuiſſe *Magiſtrum* & arbitrum poculorum ſed & *miniſtros*, qui poculis infundendis atque porrigendis inſerviebant. Quod ad *magiſtrum*, ſeu dictatorem & regem, uti veteribus appellabatur, ille eligebatur ex convivis, vel Patrifamilias quoque munus hoc deferebatur. Præſcribebat hic leges convivii obſervandas, ut docet PLUTARCH. *in ſympoſ. Lib. I. quæſt.* 4. & CICERO *in Verr. Act. III.* conf. DEMSTER *ad Roſin. Lib. V. c. 30. p. m. 544.* Varia ejus nomina exprimit STUCK. *antiq. Conv. Lib. II. Cap. VII.* in convivio Ahasveri Eſth. I, 8. vocatur רב ביתו *Magiſter domus*, & referunt quidam nomen מלצר recte quoque ad hunc cenſum, Dan. I, 11. quod *diſpenſatorem* notat. Varii autem *miniſtri* poculis infundendis præerant; talis erat, qui Pharaoni poculum porrigebat, Gen. XLII, 12. 21. dicuntur משרתים miniſtri in convivio Ahasveri, Eſth. I, 10. Græcis dicuntur διάκονοι uti ex Luc. X, 20. cap. XXII, 27. vel δοῦλοι, Luc. XIV, 17. in ſpecie qui pocula

cula miſcebant, *οἰνοχόοι, οἰνόπται, pincernæ* dicebantur. De hiſce miniſtris loquitur HORAT. *Serm. Lib. I.*

Cœna miniſtratur pueris tribus, & lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet.

SILIUS ITAL. *Lib. X.*

- - non una miniſtri
Turba gregis, poſuiſſe dapes his addita cura,
His adolere focos, his ordine pocula ferre.

Et MARTIAL. *Lib. XI. ep. 12.*

Tolle puer calices, lepidique toreumata Nili,
Et mihi ſecura pocula trade manu.

nec non illud *poëtæ Maphæi*

- - Tum læta fronte miniſtri
Innumeri magno diſtinguunt ordine curas.
Pars dapibus reficit menſas, pars pocula miſcet,
Craterasque replet.

Plura de miniſtris & eorum officiis vid. apud STUCK. *l. c. Cap. 22. ſq.*

In convivio myſtico bonorum N. T. & meritorum Mediatoris noſtri obſervamus Architriclinum ſeu *Magiſtrum*, qui communes convivii leges præſcribit: *Qui ſitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*, Apoc. XXII, 17. Vel, *qui vicerit, ei dabo, ut edat de Manna illo occulto*, Apoc. II, 17. Ille erat, qui tanquam רב בית dicebat in convivio paſchali & Euchariſtico, Matth. XXVI, 27. accepto poculo: *bibite ex eo omnes;* vel ex Prov. IX, 5. *Bibite de vino, quod ego miſcui.* nec non Joh. VI, 53. *Amen, amen dico vobis, niſi biberitis ſanguinem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* conf. etiam cap. IV, 10. 14. Adſunt & *miniſtri* & ſervæ, qui emittuntur a Patrefamilias ad invitandos convivas, ſc. *puellæ* ſummæ ſapientiæ, Prov. IX, 3. ſervi, qui dicunt: *venite, omnia ſunt parata*, Luc. XIV, 17. Matth. XXII, 3. nimirum *doctores* & miniſtri Evangelii, qui per præconium ejus animas ſitientes invitant ad torrentes deliciarum Jehovæ. Illi ſunt *diſpenſatores* variorum Dei donorum, 1. Cor. IV, 1. qui porrigunt animabus ſiti fidei vel tentationum preſſis poculum meritorum ſalutis ac conſolationis, 2. Cor. V, 20. illi convivis acclamant: *Exploret quisque ſe ipſum, & ita de pa-*

ne

ne illo edat, & de poculo illo bibat, 1. Cor. XI, 28. id quod toties in adminiſtratione poculi Sacramentalis, quod eadem nobis merita ob oculos ponit, repetunt. Et uti porrigunt, ita *tollunt* quoque hoc poculum myſticum ab illis, qui indigne accedunt ad delicias haſce cœleſtes, illis omnem ejus partem denegantes, ac tanquam convivis indignis iram atque judicia divina denuntiantes, 1. Cor. X, 29. Act. VIII, 21.

XVII. Supereſt, ut attributum hujus poculi, quod memorat Pſaltes, conſideremus; vocat enim רויה *exuberans* ſ. *inebrians*, ſ. *abundantiæ*, ſ. *irrigationis*, ſ. *plenum* & redundans. Ex uſu vocis & derivatione duplicem ergo heic ſenſum eruimus, quod ſc. poculum ſit *plenum* & abundans, quod ſimul ſit *inebrians* & vino generoſo repletum

I. Poculum *plenum* vertimus, utpote quod apud Hebræos æque ac gentes in conviviis celebratur. Recte BUXTORF. in *Synag. Jud. Cap. XII. p. m. 262. Poculum debet eſſe integrum, non ruptum, vinum ei infundendum eſt merum, non aqua dilutum &c. Et poculum totum quantum eſt, replendum, quia ſcribitur: PLENUS erit benedictione Domini, Deut. XXXIII, 23.* h. e. *ſcyphus, qui benedictione conſecratur, PLENUS eſſe debet.* Et in convivio paſchali *plenum* poculum commendatur in *Berach. fol. 51.* אמר רבי יוחנן כל המברך על כוס מלא נותנין לו נחלה בלא מצרים שנאמר ומלא ברכת יהוה *Dicit R. Jochanan: qui recitat benedictionem in poculo PLENO, illi dabitur poſſeſſio ſine terminis, quia ſcriptum, Deut. XXXIII, 23. plena benedictione Domini.* Apud gentes quoque poculum *plenum* in conviviis requirebatur. Ita HOMER. ILIAD. *L. IV. Opp. T. I. p. m. 69.* canit:

- - σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ
Ἕστηχ᾽ ὥσπερ ἐμοὶ· πίειν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.

Tuum autem plenum poculum *ſemper ſtat*
Sicut mihi; ut bibas, quando animus jubeat.

Et *Lib. XIV. Odyſſ.*

Καί οἱ πλησάμενος δῶκε σκύφος ἔπινεν.
Et ei plenum *dedit* ſcyphum, *quo bibebat:*

Huc

Huc refer locum Poëtæ *Haphis* apud WARNER. *in proverb. Perſ. p. 38.*

شاقي بسراب كبر لاست بر كن قدحي كه
مي پرستم

Heus pocillator, cedo vinum, imple poculum; *nam vinum adoro.*

conf. RAMIREZ de PRADO *in Comment. ad Lib. I. ep. 72.* & *L. II. ep. 1.* MARTIAL. DEMSTER *ad Roſin. Lib. V. p. m. 540.*

2. Pocula quoque *vino inebriante* & generoſo impleta ſpiritus recreabant, mentem maxima lætitia perfundebant, & corpus ad ſomnum invitabant. *Exhilarabant* pocula vini. Ita Judæi teſtantur *Cod. Babyl. Peſach. f. 109.* תנו רבנן חייב אדם לשמח בניו ובני ביתו ברגל שנאמר ושמחת בחגך במה משמחים ביין *Tradunt doctores noſtri, quilibet EXHILARARE debet filios & domeſticos ſuos ſingulis feſtis ſolennioribus, quoniam ſcriptum eſt Deut. XVII, 14, et lætaberis in feſto Tuo. Quomodo vero exhilarant?* R. VINO. utrumque conjunctum legis in *Gemar. Sanhedr. Cap. XI. §. 60.* וצרצור של יין עמוני מונח אצלה ועד יין לא נאמר יין של גוים אמרה לו רצונך שתשתה כוס של יין כיון ששתה בער בו *Adſtabat cantharus vino ammonitico plenus, (nec dum prohibitum erat vinum gentile) Vin', inquit poculum vini bibere? & quum bibiſſet, ſtatim ardebat.* Similiter HORAT. *Lib. I. od. 17.*

Natis in uſum LAETITIÆ Scyphis
Pugnare Thracum eſt.

Somnum enim accerſit poculum plenum, ſæpius exhauſtum, & curas omnes ſepelit; unde ultimum poculum ſomno quoque deſtinatum erat, ut docet KIPPING. *antiq. Rom. Lib. IV. c. 3. §. 12. p. m. 728.* Sopit enim omnes moleſtias vinum, ut ATHENÆUS *L. XI. c. 12.* ex *Socrate* & aliis probat. Exprimit hoc OVIDIUS verſ. notiſſ.

Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos,
Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit,
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.

 conf.

conf. STUCK. *antiq. Lib. III. cap. 13. p. m. 359. ſq.* Eleganter TIBULLUS *Lib. I. el. 12.*

Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet durâ compede preſſa ſonent.
Non tibi ſunt triſtes curæ, nec luctus, &c.

Tale quoque eſt poculum noſtrum myſticum. *Plenum* 1) eſt; ingens enim meritorum Salvatoris eſt abyſſus, & menſura adimpleta, pleni ſunt deliciarum torrentes, Pſ. XXXVI, 9. plena fluenta ſuper aridam terram ſunt effundenda, Jeſ. XLIV, 3. exprimit hoc egregie Joel. c. III, 18 *Erit autem die illo, ſtillabunt montes ipſi muſtum & colles diffluunt lacte & omnes alvei Judæ diffluent aquis, & fons e domo Jehovæ prodibit, qui irrigabit vallem Sittim,* nec non Jeſ. XXV, 6. *Faciet autem Jehova exercituum omnibus populis in monte hoc convivium ex pinguedinibus, convivium ex vino defæcato, pinguium inquam, ſaginariorum & vini fæcibus expurgati.*

Inebrians 2) hoc poculum eſt; effectus enim habet maxime mirabiles, Cant. V, 1. *edite amici, bibite & inebriamini dilecti* ſeu amoribus, Pſ. XXXVI, 9. *inebriantur pinguedine domus tuæ.* Jer. XXXI, 14. *inebriabo animas ſacerdotum pinguedinibus.* Hoc eſt vinum illud generoſum & muſtum, quod *facundas facit virgines,* Zach. IX, 17. i. e. Doctoribus Evangelii gratiam concedit, ut cum παῤῥησίᾳ loquantur τὰ Θεȣ̃ μεγαλεῖα, conf. Act. II, 15--17. quod exhilarat corda ipſorum magis quam frumenti & vini in hac terra multiplicatio, Pſ. IV, 8. Claudimus hoc ſymbolum egregia promiſſione quæ huc reſpicit, Zach. IX, 15. *Jehova exercituum proteget illos, ut comedant & lapides fundæ ſubigant, & bibant* חמו כמו יין *ſtrepentes quaſi vino, & impleti inſtar poculorum & angulorum altaris.*

XVIII. Beatus ergo populus! cujus Jehova eſt paſtor. O beatam animam, quæ fide dicit: *Meum poculum eſt inebrians.* Pudore ſuffundantur omnes, qui heroës exiſtunt in potando, qui lectis incumbentes eburneis, vinum pateris aureis evacuant & incaleſcunt, Amos VI, 6. quorum poculum in conviviis terrenis eſt exuberans, & cum divite epulone quotidie voluptatibus & deliciis perfunduntur. Veniet enim tempus, quando ipſis acclamabitur, Jac. V, 1--5. *Agite nunc divites, flete, ejulate*

ſuper

ſuper calamitatibus vos obruentibus. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, veſtes veſtræ a tineis conſumtæ, &c. theſaurum condidiſtis in ultimos dies; in luxu vixiſtis ſuper terra & laſciviæ indulſiſtis; impinguaſtis corda veſtra, ut in die epuli. Quid juvabit, heic pocula evacuaſſe dulcia, heic vino perfuſum eſſe generoſo, heic deliciarum carnalium torrente eſſe inebriatum, quando poculum veſtrum in futura vita vobis propinandum, erit repletum furore & excandeſcentia Omnipotentis, quod ad fæces usque exhauriendum vobis erit. Evigila ergo mortalis! reſpue pocula veneno dulci repleta, deliciarum mundi carnisque! arripe poculum gratiæ ac meritorum Salvatoris, quod adhuc per miniſtros Dei tibi propinatur. Guſta primis labiis dulcedinem hujus poculi, & tædium omnium mundi voluptatum ocyus occupabit animam tuam. Sordent, vileſcunt, fœtent omnes mundi cupediæ, quando deliciis cœleſtibus frueris. Beatas ergo animas, his epulis cœleſtibus inhiantes! hoc ſalutis poculum manu fidei arripientes & pleno ore haurientes! Si poculum paſſionis amarum tibi porrigit Pater tuus, o anima, ebibe cum patientia, implebit illud idem ille fauore ac benevolentia, imo gaudio ac conſolatione æterna. Illic ſaltem, quando ad convivium cœleſte ſupra lunam per mortem, pacis nuntium, invitaberis, cum Abrahamo reliquisque Patriarchis accumbes, ubi erit ſatietas lætitiæ & amœnitatum in conſpectu Dei in ſecula. Pſalm. XVI, 11.

EXERCITATIO II.
DE
LOTIONE MANUUM
SYMBOLICA.
PSALM. XXVI, 6.

ARGUMENTUM.

§. I. Scopus hujus loci & alluſio indicatur. §. II. Ad propiorem ſymbolicae manuum lotionis explicationem, materia ablutionis inquiritur,

 §. III.

§.III. inſtrumenta ſeu vaſa, ex quibus peragebatur, §.IV. objectum circa quod verſabatur hæc lotio indicatur & myſtice exponitur. §.V. Lotio ipſa excutitur, eamque ſymbolum eſſe in genere innocentiæ probatur, §.VI. porro & initiationis, §.VII. expiationis quoque, §.VIII. denique & ſanctificationis. §. IX. Ad ſpeciales ablutionis hujus circumſtantias tranſimus. Fiebat illa ſingulo mane §. X. ante preces peragendas §. XI. Sacerdotum ante opera ſacra, §. XII. omnium tum ante tum poſt cibum captum, §. XIII. poſt omnes actus ſordidos & tactum mortui. §. XIV. Sic denique modus & §. XV. ſumma neceſſitas hujus ritus indicatur, & myſtice exponitur. §. XVI. Epilogus practicus additur.

I.

Mirum ſinceræ fidei ſpecimen exhibet Vir ſecundum cor Dei, David, quando teſtatur Pſ. XXVI, 6. ארחץ בנקיון כפי ואסבבה את מזבחך יהוה *LAVO IN INNOCENTIA MANUS MEAS, & circumdo altare tuum, Jehova.* Scopus totius cantici eo redit, ut David variis calumniis ab adverſariis ſuis oneratus innocentiam ſuam proderet & ſinceritatem cordis erga Deum. Neque abſonum eſt cum doctiſſimis quibusdam Interpretibus ſtatuere, odam hanc ſacram illo tempore a Davide eſſe compoſitam, quo ſub perſecutione Saulis degeret. Dum autem de *Lotione manuum* mentionem injicit, GROTIUS reſpici putat ad ritum illum veterum, quo per ablutionem manuum a crimine quodam ſe innocentes declarabant, Deut. XXI, 29. Matth. XXVII, 24. Alii veluti COCCEJUS noſter ad lotionem manuum ante preces ad altare fuſas reſpici contendunt. Doctiſſ. ZORNIUS ſ. AMELIUS *in loca V.T. Tom. I. ad h. l. p. 764.* ſpecialius refert ad lotionem palmarum, quæ ante quam ſacrificio adducendo imponerentur, fiebat, quod ex *Philone* & *Spencero* probat. Verum cum in ſequenti commate τῆς תודה confeſſionis meminit, melius ad lotionem manuum ante *ſacrificia laudis* peragi ſolitam alludi cum aliis cenſemus, quæ cum confeſſione beneficiorum a Jehova præſtitorum ad altare ejus adducebantur.

II. Ut

II. Ut autem emblematis hujus ſignificatum ampliſſimum exhauriamus, *primo* loco *materiam* hujus ablutionis indagabimus, quæ plerumque & ex lege Dei *aqua* erat, Exod. XXX, 18. Qualitates hujus aquæ erant, ut eſſet pura ac munda atque viva; corrupta enim aqua inepta habebatur ad lavandum, docente MAIMONIDE *ex Jadaim Cap.* 1. *§. 3.* quo reſpicit Jobus, cap. IX, 30. אם התרחצתי במי שלג והסכותי בבור כפי *Si me abluero aquis niveis*, i. e. me niveum ſeu album atque purum reddentibus, *& manus meas purgavero fonte* ſeu aqua viva, nec non Ezech. XXXVI, 25. וזרקתי עליכם מים טהורים *Spargam ſuper vos aquas puras.* Idem de Mahumetanis ex *Al-Gazalii* tract. de الطهارة ubi teſtatur: *non tollitur immundities aliquo liquore excepta aqua & quidem pura;* docet Cel. POCOCK. *in Not. Miſc. phil. p. m. 347.* Gentiles quoque aqua pura & viva præcipue utebantur, unde VIRGIL. loco notiſſimo

- - *donec me flumine vivo*
Abluero.

EURIPIDES *in Jon. v. 94.*

Τὰς Κασαλίας ἀργυροειδεῖς
Βαίνετε δίνας. Καθαραῖς δὲ δρόσοις
Αφυδρανάμενοι.
Ad limpidos Caſtaliæ fontes ite, pura vero
Aqua abluti.

conf. DOUGT. *anal. S. P. I. p. m. 218.* BUCHER. *antiq. bibl. p. m. 502. ſq.* SAUBERT. *de ſacrif. p. m. 251.* Aquam etiam *marinam* ſæpe adhibebant, quæ ſingulari purificandi virtute prædita credebatur. De Judæis teſtatur ARISTEAS *hiſtor. LXXII. p. 890.* ἔθος ἐςὶ πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις ἀπονιψαμένοις τῇ θαλάσσῃ τὰς χεῖρας. *Mos invaluit apud omnes Judæos, aqua marina lavare manus.* ARISTOPH. *Plut. act. 3. ſc. 2.*

Πρῶτον μὲν αὐτὸν ἐπὶ θάλατταν ἤγομεν,
Ἔπειτ᾽ ἐλοῦμεν.
Primo quidem ipſum ad mare produximus, mox & lavimus.

Rationem reddit *Scholiaſt. Graveus* HOMER. *ad Il. α.* φύσει δὲ τὸ ὕδωρ

 τῆς

τῆς θαλάσσης καθάρτικόν ἐςιν. *Natura enim aqua marina purificans eſt.* conf. etiam RHODIUS *Lect. antiq. Lib. XI. cap. 22.*

Aqua autem commune meritorum Salvatoris noſtri ſymbolum eſt, tum verbi tum Spiritus ipſius purificantis. conf. loca plurima ſacra, Pſ. XXIII, 1. 2. XLII, 2. LXIII, 2. LXV, 10. Cant. IV, 15. Jeſ. XII, 3. Jeſ. XXX, 20. XXXIII, 16. XXXV, 6. XLIV, 3. LV, 1. LVIII, 11. Jer. II, 13. Ezech. XVI, 9. XXXVI, 25. XLVII, 1--5. Joel. III, 18. Zach. XIV, 8. Joh. IV, 11. 13. 14. VII, 38. 1. Joh. V, 6. Heb. X, 22. Apoc. XXI, 6. XXII, 17. Quare & aquam heic myſtice explicat Pſaltes per נקיון *puritatem* ſeu *innocentiam* & *juſtitiam.* Recte CHRYSOSTOM. *in 2. Tim. II. hom. 6.* cujus verba latine verſa ita ſonant: *Quum ſordidis manibus orare non audeas, manus ipſas non ſinis impleri immunditia, & certe illæ ſordes crimine carent. Sint mundæ manus; non eas aqua ſolum diluamus, ſed* juſtitia *prius emendare ſtudeamus.* Et quoniam juſtitia Mediatoris noſtra unica eſt juſtitia, illa commode per aquam hanc purgatricem deſignatur; hæc eſt *fons* ille *apertus* domui Davidis contra omnes impuritates, Zach. XIII, 1. *fons ſalutis* noſtræ, cum alluſione ad fontem Siloah, qui typus Chriſti, Jeſ. XII, 3. Hæc eſt torrens & fluvius iſte cryſtallinus atque purus, qui Hieroſolymas novas irrigaturus erat, Apoc. XXII, 1. Hæc eſt *oceanus* ille profundus, *in quem peccata noſtra abjicienda* erant, MICH. VII, 19. in quo loco vel alluditur ad morem gentium, quæ εἰς ἅλα λύματ᾽ ἔβαλλον, *in mare omnes ſordes abjiciebant,* & credebant teſte PLATONE, quod θάλασσα κλύζει πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά, *mare omnia mortalium mala abluat.* Vel etiam ad *mare æneum,* ex quo Sacerdotes manuum atque pedum ſordes abluebant, cujus aquæ ſecundum eruditos ex fonte Etham derivabantur.

III. Inſtrumenta ſeu *vaſa ſecundo* loco conſideremus, ex quibus lotio hæc peragebatur. De iis in *Miſchn. Jadaim. c. I. §. 2.* legimus אין נוטלין לידים אלא מכלי *Non lavant manus, niſi e vaſe.* & denuo: כל הכלים כשרים אחד כלי אבנים וכלי גללים וכלי אדמה *Omnia vaſa idonea ſunt, ſive ſint e lapide, ſive e ſtercore bovino, ſive e terra confecta fuerint.* Eum in finem ſub tabernaculo in atrio conſtitutum erat *labrum æneum* inter altare exterius & ædem ad abluendas ſacerdotum manus & pedes, Exod. XXX, 18. 19. XL, 30. 31.

quod

quod duobus epiſtomiis erat inſtructum ex mente Judæorum, ex quibus aqua fluebat. Ita in *Lebuſh. p. 1. §. 7.* הכיור אינו מקלח תמיד אלא היו בו ברזאות וכל כהן שרצה לקדש ידיו ורגליו היה פותח לו חברזא ומקדש *Labium non emittebat continuo aquam, ſed fuerunt illi ſiphones; quivis autem ſacerdos, qui manus & pedes ſuos lavare volebat, aperto ſibi ſiphone lavabat.* Ad hanc ſacerdotum ex hoc labro manuum lotionem reſpicit præciſe hoc loco David. In templo Salomonis *mare æneum* ex ære ſolido fuſo ex eodem fundamento aqua plenum conſtitutum erat inter pronaon & altare, 1. Reg. VII, 23. addidit & Salomo inſuper labra ſeu ahena ænea, 1. Reg. VII, 27. 2. Chron. IV, 6. quæ tamen maximam partem carnibus lavandis inſerviebant. Præterea in domibus etiam *hydrias* conſtitutas habebant Judæi, ex quibus pedes & manus lavabant, de quibus Joh. II, 6. *Ησαν δὲ ἐκεῖ ὑδρίαι ἓξ κείμεναι κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ιȣδαίων. Erant autem ibi poſitæ ſex hydriæ ſecundum purificationem Judæorum.* Apud Gentes quoque vaſa aquam continentia ante & in templis collocabantur. Ita Scipio Africanus ante fornicem in Capitolio *duo labra marmorea* poſuit, teſte LIVIO, *Lib. 37. Cap. 3.* & Athenis in Eleuſinio *χέρνιβα ἱερὰν* malluvium ſacrum fuiſſe, teſtis eſt MEURSIUS apud LOMEIER. *de luſtr. Veter. Cap. 16.* unde delubra dicta ea templa, in quibus labra conſtituta, veluti late docet Doct. SAUBERT. *de ſacrific. Cap. XI, p. m. 256.* apud Romanos *faviſſæ* dicebantur. Exprimit ejusmodi labri figuram, CHOUL. *de la relig. des anc. Rom. p. 156.*

Quemadmodum aqua juſtitiam & merita Salvatoris noſtri pingit, ita *labra* illa ac *vaſa* commode deſignabunt, tum *Mediatorem* ipſum, cujus typus erat *mare* & *labrum* æneum ſub V. T. uti fuſius docuere viri Celebb. & Doctiſſ. F. A. LAMPE in *fœd. grat. T. III. part. II.* BIERMANN. in *Moſe & Chriſto*, & alii; utpote qui poſſidet in plenitudine ſua aquas veræ juſtitiæ, quæ peccata noſtra abluit, Jeſ. IV, 4. Zach. XIII, 1. tanquam fons apertus, ex cujus gratiæ abyſſo quotidie haurire poſſumus, Joh. I, 16. Materia *ænea* firmitatem ac conſtantiam muneris ejus mediatorii, ejusque perfectionem deſignare apte poteſt; non autem niſi in communione *templi* ac *domus* Dei, i. e. veræ Eccleſiæ aditus ad hoc mare purificationis patet. Tum *labrum* quoque typum *præconii*

Evan-

Evangelii apte gerit, quod medium eſt, quo offeruntur aquæ juſtitiæ mediatoris noſtri animabus, ſordibus peccati inquinatis; conf. 2. Cor. V, 19. 20. quo annuntiant pacem per Ieſum Chriſtum partam, Act. X, 36. viam ſalutis, Act. XVI, 17. imo offertur gratia patefacta in Chriſto, 1. Pet. I, 13. & remiſſio peccatorum in ſanguine Chriſti, Act. XIII, 28. 1. Joh. I, 28.

IV. Objectum *tertio*, circa quod verſabatur hic ritus, erat MANUS. Solebant totum *corpus* ſæpe abluere Judæi, conf. Exod. XXIX, 4. Lev. VIII, 6. 2. Sam. XII, 20. 2. Reg. V, 10. 12. vel etiam *faciem*, Gen. XLIII, 31. præcipue *veſtes*, qui ritus erat ſacer. Exod. XIX, 10. 14. Lev. XI, 25. XIII, 6. XIV, 8. XVI, 26. Num. XIX, 7. XXXI, 24. & *pedes* quoque vel ritu civili ſive etiam ſacro, conf. Gen. XVIII, 4. XIX, 2. XXIV, 32. XLIII, 24. Exod. XXX, 19. XL, 31. Jud. XIX, 21. 2. Sam. XI, 8. Joh. XIII, 5-8. 1. Tim. V, 10. Præprimis & frequentiſſima erat *manuum* lotio, Exod. XXX, 19. Lev. XV, 11. Deut. XXI, 6. Marc. VII, 3. &c. Cauſa cur *manuum* præcipue lotio erat frequentiſſima, redditur in *Chagigah. Cap. II. §. 5.* אם נטמאו ידיו נטמא גופו *Si pollutæ fuerint manus cujuſpiam, totum corpus pollui cenſetur.* R. ISAAC GABBAI apud POCOCK. *l. c. p. 378.* ſimiliter dicit, אם נטמאו ידיו וכל הגוף צריך הטבילה *Si pollutæ fuerint munus, etiam toti corpori immerſione opus eſt.* Et hujus denuo ratio fundata eſt in illa quam adfert ARISTEAS *hiſt. translat.* τῶν LXX. ὅτι πᾶσα ἐνέργεια διὰ τῶν χειρῶν γίνεται. *Quia per manus omnis operatio inſtituitur.* Quare HESYCHIUS τὴν χεῖρα deſcribit μέλος καὶ μέρος ὠφελιςαἶον *membrum & partem corporis maximi uſus.*

Ex his liquet manuum lotionem, puritatem omnium *actionum* vitæ humanæ deſignare. *Manus* enim ſymb. ſunt actionis humanæ. Unde *opera manuum* dicuntur peccata, Deut. XXXI, 29. & actiones reliquæ hominum, Hiob I, 10. Pſ. XC, 17. puræ manus ſymb. actionum ſanctarum, Hiob IX, 30. XXII, 30. XVIII, 21. 1. Tim. II, 8. manus injuſtæ, Pſ. VII, 4. & manus ſanguine plenæ, Jeſ. I, 15. i. e. reatus ingens; & denique manus innocentes, Pſ. XXIV, 4. quæ notant actiones reatu minime oneratas. Eodem ſenſu apud profanos ſcriptores *manus* occurrit. Sic HERODIANUS *homicidam* deſcribens vocat, *Lib. I. hiſt.* ἄνδρα μὴ καθαρὸν ἔαν τὰς χεῖρας, *hominem impuris manibus inſtructum.* SENEC-

NEC. *Herc. Fur. act. V.* ait: *Nullum mare, nulla flumina dextram abluere poſſe ſcelere ſanguineque contaminatam.* EURIPID. in *Oreſt.* dicit ἁγνὸς γάρ εἰμι χεῖρας, *puris ego ſum manibus.*

V. Quod porro ad *LOTIONEM manuum* ipſam attinet, illa in genere *innocentiæ conteſtandæ* ſymbolum erat. Dicit enim Pſaltes, *lavi in innocentia* manus meas. Et Pſ. LXXIII, 13. *An fruſtra purificavi cor meum, & in innocentia lavo manus meas?* Recte proinde SUIDAS inter adagia hanc phraſin refert & explicat *profiteri ſe innocentem & alienum à malo*, in voce ἀθῶος, ut docet SCHOTT. *in adag. N. T. ad Matth. XXVII, 24.* Et PHILO *de vita Moſis Lib. III.* teſtatur, quod apud Hebræos λȣτὴρ σύμβολον ἀνυπαιτίȣ ζωῆς *lotio vitæ innocentis ſignum fuerit.* Unde & ERASMUS *in adagiis obſervat* phraſin *lavi manus*, nihil aliud denotare quam, *ego ſum innocens.* Ita ARISTEAS quoque refert LXXII. Interpretes græcos ſemper manus lavare ſolitos fuiſſe, hancque reddidiſſe cauſam, ὅτι μαρτύριόν ἐϛι τȣ͂ μηδὲν εἰργάσθαι κακόν. *Quod hoc indicium ſit, nihil a ſe mali perpetratum eſſe.* Huc refer quoque exemplum *Pilati, Matth. XXVII, 24.* qui videns majorem ingraveſcere tumultum, *accepta aqua abluit manus* coram turba, dicens: Ἀθῶός εἰμι ἀπὸ τȣ͂ αἵματος τȣ͂ δικαίȣ τȣ́τȣ. *Innocens ſum a ſanguine hujus juſti.* Ubi quidam cum BUXTORFIO putant Pilatum reſpexiſſe ritum, Deut. XXI, 67. injunctum. Ubi jubet Legislator, vt omnes ſeniores civitatis illius, qui ſunt proximi ad confoſſum inuentum, *lavarent manus* ſuper vitulam decollatam in valle, & proteſtantes dicerent; *Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc.* Verum tutius eſt aſſerere, Pilatum heic communem gentium ritum imitatum eſſe, quo ſe innocentem declarabat, ſimul tamen reatum ſanguinis, quem in ſe morte hujus juſti excitabat, a ſe declinare in Judæos volebat, unde addit: *Videte vos.* Et illi: *Sanguis ejus ſit ſuper nos & filios noſtros.* v. 25. conf. quæ ſingulari judicio ad hujus loci illuſtrationem adfert Celeberr. Hamburgenſium Philologus, WOLF. *in cur. Philol. ad* h. l. SPENCERI autem ſententiam, qui ritum Judæorum ex gentium moribus deducit, late refutatam dedit Cel. WICHMANSHAUS. *Diſſ. de lotione manuum §. 8. ſq. Witt. 1716.*

Ita & Eccleſia *lavabat manus*, tanquam publico ſymbolo *innocen-*

 tiam

tiam ſuam a ſceleribus ipſi ab adverſariis imputatis conteſtatura. Quare v. 1. *judicem* Deum compellat, ut res ſuas ageret, quia in *integritate* ambularet, v. 2. renes cor & animum huic *καρδιογνώστῃ* examinanda ſiſtit, v. 4. 5. ſe omni ſtudio commercium cum ſceleſtis & malis hominibus, ne eorum reatum ſimul contraheret atque ſuſciperet, vitare teſtatur. Diſtinguit ſe v. 9. 10. a peccatoribus, viris ſanguinariis, quorum *in manibus ſcelus* erat. Sic *manus* lotas, i. e. cor purum, ſincerum atque *integrum* Deo ſiſtebat.

VI. Ut autem ſpecialius ritum *lotionis manuum* indagemus, illum *initiationis*, *expiationis* atque *ſanctificationis* figuram gerere docebimus.

a) *Initiationis* ſymbolum erat *lotio*. Quare CLEMENS ALEX. *Strom. lib. VI.* ait *τῶν μυστηρίων τῶν παρ᾽ ἕλλησιν ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρόν. Luſtrationes inchoant myſteria apud Græcos, ſicut lavacrum apud barbaros.* Quare omnes ante *ingreſſum templi* vel *aræ tactum* manus lavare oportebat, ut initiati ad ſacra accederent. De Judæis conſtat ex Exod. XXX, 18-20. ubi jubet Deus *labrum æneum* aqua implere, ut lavent Aaron & filii ejus ex eo manus & pedes. *Quum ingreſſuri ſunt tentorium conventus, ut laventur aqua, ne moriantur.* Id quod Judæi in *Talmud. Jad. C. 3. §. 3.* loco a variis citato, teſtantur quoque: אין אדם נכנס לעזרה לעבודה אעייפי טהור עד שיטבול *Nemo atrium intrabat ad cultum ſacrum, licet purus eſſet, antequam laviſſet.* Huc refero quoque locum, quem lego in *Cod. Celim. Cap. I. §. 9.* בחמשה דברים בין האולם ולמזבח שוה להיכל שאין בעלי מומין ופרועי ראש ושתויי יין ושלא רחוץ ידים ורגלים נכנסים לשם *Quoad quinque res ſpatium inter porticum & altare ſimile eſt ſancto, quod videlicet his qui corpore ſunt vitiati, capite nudati aut vino poti, aut manibus pedibusque non loti, eo ingredi integrum non ſit.* Probat hoc quoque SHERINGHAM *ad Jom. Cap. III. §. 3.* Idem apud gentes obſervabatur. Huc reſpicit OVID. *Faſt. Lib. IV.*

- - tu converſus ad aras
Dic quater & vivo perlue rore manus.

Nec non PRUDENT. *in Euph.* apud DOUGT. *Anal. S. P. I. p. 219.*

De

De rore fontano abluam
Manus & os & lumina,
Pateatque fac ſacrarium.

EURIPIDES *in Jon.*

- - καθαραῖς δὲ δρόσοις
Ἀφυδρανάμενοι, στείχετε ναούς.
Pura vero aqua abluti ite in templum.

Quare & LITGOVIVS *Itiner. p. I.* narrat in Creta ruinas templi reperiri, in cujus oſtio legatur inſcriptio : PURGA PEDES, LAVA MANUS, ET INGREDERE. vid. LOMEIER *de luſtr. Vet. cap. 16. p. m. 198.* Eam ob cauſam ante aditum templi λουτῆρας habebant, vide C. SUICER. *Obſerv. Cap. VI. p. 159.* Ex hoc ritu Pontificiorum quoque labra cum aquis luſtralibus in aditu templorum conſtituta, derivat BUCHER *antiq. Bibl. p. 509. ſq.*

Hoc ſenſu myſtico ob oculos nobis ponit, nulli aditum ad communionem veræ Eccleſiæ, quæ eſt domus & templum Dei vivi, patere, niſi aquis hiſce myſticis pedes manusque, imo cor interius lotus ſit, adeoque per Spiritum Dei *regeneratus.* Recte hunc in finem Salvator pronuntiat, Joh. III, 5. *Amen, amen dico vobis, niſi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* Eleganter hoc quoque per baptiſmum præfiguratur, per quem initiamur Eccleſiæ. Quemadmodum enim gentes olim per *baptiſma proſelytorum* טבילה גרים tanquam alienigenæ ad Judæorum ſacra & religionem initiabantur: Ita & ſub N. T. ex inſtituto Dei per baptiſma externum tanquam ſymbolo & pignore juſtitiæ Chriſti purgatricis, initiamur ad cultum veri Dei. Sic hortatur ap. Hebr. X, 22. 23. *Accedamus ergo* (ſc. in domum Dei vivam) *cum corde ſincero per fidem certam, aſperſione purgatis cordibus a conſcientia mala, & abluto corpore aquâ mundâ, retineamus profeſſionem ſpei.* Huc quoque alludit Apoſtolus, Jac. IV, 8. *approquinquate Deo, & appropinquabit ille vobis, purgate manus veſtras, peccatores* καὶ ἁγνίσατε καρδίας *& purgate corda, duplices animo.*

VII. b) *Expiationis* quoque ſymbolum habebatur manuum lotio apud veteres. Refert enim EPIPHANIAS *Lib. I. adu. hæreſ. 17.*

 p. 37.

p. 37. Judæorum Hemerobaptiſtas ſtatuiſſe ἄλλως πῶς μὴ εἶναι ζῆν ἀνθρώπῳ, ἐι μή τι ἄρα καθ᾽ ἑκάϛην ἡμέραν βαπτίζοιτό τις ἐν ὕδατι, ἀπολȣόμενός τε καὶ ἁγνιζόμενος ἀπὸ πάσης ἀιτίας· *Vivere hominem aliter non poſſe, niſi aquis quotidie abluatur, atque ea ratione ab omni crimine purgatus evadat atque expiatus:* Et TERTULLIANUS *lib. de baptiſm. cap.* 5. *Penes veteres, quisquis homicidio ſe infecerat, purgatrice aqua ſe expiabat.* Ita Triclinius in SOPHOCLIS *Ajace*: Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ὅτε φόνον ἀνθρώπȣ, ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίȣν, ὕδατι ἀπονίπτειν τᾶς χεῖρας εἰς κάθαρσιν τȣ̃ μιάσματος. *Apud veteres in more erat poſitum, cum homicidium aut aliam quamcunque caedam peregiſſent, aqua manus ad pollutionem expiandam abluere.* Notum eſt illud OVID. *in faſt. II. v.* 45.

Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua!

SENEC. *Herc. fur. act. IV. ſc.* 1.

- - *Nate manantes prius*
Manus cruenta cæde & hoſtili expia. ſc. aqua.

SOPHOCL. *in Oed. Tyranno.*

Οἶμαι γὰρ ȣ̉́τ᾽ ἂν Ἴϛρον, ȣ̉́τε Φᾶσιν ἂν
Νίψαι καθαρμῷ, τὴνδε τὴν ϛέγην ὅσα
κέντει.
Exiſtimo enim neque Iſtrum nec Phaſin
Abluere & expiare poſſe facinora, quæ
in hac domo latent.

Plura hanc in rem coacervare poſſemus teſtimonia, niſi jam plurimi ea congeſſiſſent, conf. PFEIFF. *Antiq. Græc. p. m.* 36. & 90. *Lib. I. cap.* 24. & 39. SPENCER *de Leg. Hebr. Lib. IV. cap. XIII.* LOMEIER *de luſtr. cap. XVI. p. m.* 210. *ſq.* BUCHER *antiq. Ev. p.* 491. *ſq.* ADAM. *Obſ. Sacr. Theol. Phil. p. m.* 193. J. G. LEO *Diſſert. de balneis animarum* §. 23. Doctiſſ. WICHMANSHAUS. *diſſ. cit. p.* 8. *ſq.* G. ARNOLDI *Diſſ. de lotione manuum, Witt.* 1689. §. 8. *ſq.* CLERIC. *quæſt. S. p.* 270. & C. Æ. RüBKEN *de decollatione vitulæ.* §. 10. Hanc vero gentium fidem ex ritu Judæorum, Deut. XXI, 6. 7. præſcripto, quo ſeniores urbis manus, ob cædem viri in confiniis ipſorum perpetratam, lavare tene-

tenebantur, derivandam eſſe, facile contra *Spencerum* probari poſſet, ſi huius loci eſſet; fecit id ex parte Doctiſſ. & Cel. WICHMANSHAUSEN *diſſ. cit. §. 8. ſq.*

Quare eleganter ſub hoc ritu *juſtificationem* peccatoris cujus *manus ſanguine pollutæ* ſunt, Jeſ. I, 15. 16. depictam cernimus. Peccator enim manus cæde ſui ipſius i. e. animæ ſuæ pollutas natura gerit, tot ſanguineos reatus per peccata ſua proterva in ſe ſuſcepit. Crimina ejus ſunt inſtar *dibaphi* & ſcelera ejus *rubra* velut *coccineum*, Jeſ. I, 18. Sed aqua juſtitiæ Chriſti eſt medium expians, hæc eſt ſanguis ille, qui expiat omnia noſtra peccata, 1. Joh. I, 7. Hæc eſt Spiritus ille judicii & exuſtionis, quo *lavat* Deus excrementa filiarum Zion & *cædes Hieroſolymæ abluit*, Jeſ. IV, 4. Eum in finem petit David Pſ. LI, 9. *expia me hyſſopo, vt ſim mundus, ablue me, vt præ nive albeſcam.* Et v. 4. *ablue me a perverſitate mea & a peccatis purga me.* Huc reſpicit Jehova, Ez. XVI, 9. *Itaque lavi te aqua, vt ſanguinem tuum eluerem a te.* Sine hac aqua expiationis nulla datur animæ juſtificatio, Jer. I, 22. *abluas te nitro, & plurimum adhibeas ſmegmatis; iniquitas tamen ecce tua inſigni ſe prodet nitore.*

VIII. c) SANCTIFICATIONIS denique ſymb. erat *lotio manuum.* Quare Judæi hanc lotionem קידוש ידים ורגלים *Sanctificationem manuum & pedum vocant.* Ita lego in *Miſhn. Jom. c. III. §. 3.* חמשׁ טבילות ועשרה קדושין טובל כהן גדול ומקדש בו ביום וכולן בקדש על בית הפרוה: *Sacerdos quinquies in eo* lavabat, *& decies manus & pedes* ſanctificabat *in die, omnesque iſtas* lotiones & ſanctificationes *loco ſancto ſuper domum Happarve abſolvebat*; ad quem locum SHERINGHAMIUS doctiſſimus docet lotionem pedum & manuum plerumque קדוש ſanctificationem vocari. conf. etiam MAIMON. *hilc. biath hammikd. cap. V.* ABARBANEL *ad Exod. XIX.* קדוש *ſanctificationem* populi ibi præceptam per *lotionem* explicat, uti docet Doctiſſ. & Cel. HAS. *ad Gal. III, 27. in Bibl. Brem. Cl. IV. p. 1019.* Et inter præcepta *Juris hebr. leg. CVI.* apud HOTTING. *p. 135.* refertur: מצות קדוש ידים ורגלים בשעת עבודה: *Præceptum de ſanctificatione manuum & pedum tempore cultus.* Et in formula precum Judæi orant: ברוך אתה יי״ אלוהינו מלך העולם

העולם אשר קדשנו במצותיו וצונו על טבילת ידים *Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex mundi, qui ſanctificaſti nos praeceptis tuis, & aquam manibus noſtris affundendam injunxiſti.* Non vero hoc ita accipias, ac ſi ſanctificatio ipſa in lotione peracta eſſet, ſed quia ſymb. erat ſanctificationis. Imitantur hac in re Judæos gentes quoque. Ita EURIPID. *in Electr.*

> Ἀλλ᾽ εἶπ᾽ Ὀρέςης, ἀρτίως ἡγνίσμεθα
> Λουτροῖσι καθαροῖς ποταμίων ῥείθρων ἀπό.
> *Sed ait Oreſtes, modo purificati ſumus,*
> *Lavacris puris ex fontibus fluvialibus.*

Inter Pythagoræ dogmata etiam refertur illud: ἁγνείαν εἶναι διὰ καθαρμῶν, καὶ λουτρῶν, καὶ περιῤῥαντηρίων, *puritatem purificationibus, lotionibus & aſperſionibus acquirendam eſſe.* Notum quoque eſt EURIPIDIS effatum *in Iphig. v. 193.*

> Θάλασσα κλύζει πάντα τ᾽ ἀνθρώπων κακά·
> *Mare abluit mortalium mala omnia.*

Commode ergo ſub hoc ſymbolo ſanctificatio peccatoris proponi poterat, quæ ſæpius in ſcriptura tanquam *ablutio ſordium* animæ conſideratur. Egregius hanc in rem locus eſt, I. Cor. VI, 11. *Sed ABLUTI eſtis, SANCTIFICATI & juſtificati eſtis in nomine Jeſu* & *per Spiritum Dei noſtri.* Jeſ. I, 16. *Lavate vos, purificate vos, amovete malignitatem actionum veſtrarum a facie mea, reſiſtite a malo.* Jer. IV, 14. *Ablue a malo cor tuum Hieroſolyma, ut ſerueris! quousque pernoctabunt in animo tuo cogitationes vanitatis?* Huc quoque alluditur, Pſ. XXIV, 3. 4. *Quis ſtabit in loco ſanctitatis ejus? Innocens manibus & purus animo.* Similiter de baptiſmo per fidem vivam applicato loquitur Apoſtolus Act. XXII, 16. *Surgens baptizator & abluitor a peccatis tuis, invocato nomine Domini.* conf. Apoc. I, 5. &c. Omnes enim V. T. ablutiones nihil aliud præfigurabant, quam *ſanctificationem* Eccleſiæ, quæ eſt totum domus Dei decus, Pſ. XCIII, 5. veluti clare docet Apoſtolus, Heb. X, 22. 23. myſterium ſparſionum & ablutionum veteris fœderis exponens. Et ea propter fideles N. T. admonet 2. Cor. VII, 1. *Tantas igitur cum habeamus promiſſiones, dilecti,* purificemus *nos ab omni*

omni inquinamento carnis & ſpiritus, ad finem perducentes ſanctificationem *in timore Dei.*

IX. Pergimus porro ad ſpeciales ablutionis manuum apud veteres Judæos ac gentes *circumſtantias.* Obſervamus eum in finem factam eſſe

I. Singulis *horis matutinis,* quovis mane, quando ſurgebant, antequam operibus ullis vacarent. Egregie ſcribit de ritu hoc Judæorum BUXTORF *in Synagog. Jud. cap. VIII. p. 156.* „Sophi illi & Coriphæi Rabbinorum ſcribunt, neminem debere mane, antequam laverit, „manibus ſuis nudum corpus tangere, niſi graviſſimum velit ſubire pe-„riculum. Impura enim & venenata admodum res eſt manus matuti-„no tempore, propter impuros & noxios ſpiritus, qui in manibus „quieſcunt, donec abluantur. Docet etiam POCOCK. in *not. miſcell. p. m. 376. & ex* eo SPENCER *de Leg. Hebr. Lib. III. d. 3. ſect. 2. p. m. 788.* communem Judæorum legem eſſe, quod quisque, quam primum e lecto mane ſurrexerit, aqua ſe abluere debeat, neque ante hominem טהור purum dici poſſe, antequam יביא ידים במים *manus perfuderit aqua,* conf. *Jad. Tephill. cap. 4. §. 2.* & R. MORDECHAI in *lebuſh. part. I. n. 4.* cauſam cur *mane* lavandæ manus, reddit MAIMONID. *tract. Berach. Cap. VI. §. 17.* נוטל אדם ידיו שחרית ומתנה עליהם כל היום: *Lavabit quivis manus ſuas tempore matutino eum in finem, ut ſufficiat ipſi ad totum diem.* Simili ratione de gentibus teſtatur poëta antiquus, quem ex *Clem. Alexandr.* adducit SPENCER. l. c.

> Ὄρθριοι ἐξ εὐνῆς ἀεὶ χρόα ἁγνίζοντες
> ὕδασι.
> *Mane ubi de lecto ſurgunt, ſe virgine lympha*
> *Semper mundantes.*

Huc refer VIRGIL. *Lib. VIII. æneid.*

> *Surgit, & ætherei ſpectans orientia ſolis*
> *Lumina, rite cavis undam de flumine palmis*
> *Suſtulit.*

Rationem hujus ritus apud gentes duplicem reddit Doctiſſ. LOMEIER *de luſtr. p. m. 218.* tum quia nox & tenebræ apud veteres polluere credebantur, a qua immunditie ſtatim tempore matutino ſurgentes aqua purga-

purgari debebant, tum quia ſomnus quoque tanquam mortis conſanguineus inquinabat.

Sapientiores ſane inter Judæos & gentes hac matutina lotione manuum nihil aliud quam ſanctitatis ſtudium primo mane jam inchoandum eſſe, ſignificare volebant, id quod hoc ſymbolo confirmabant. Et ſane peccatori ſtudium ſanctitatis incumbit a primo nativitatis ſuæ mane, id quod per ſacrum baptiſmatis pignus, quod infantibus recens natis conceditur, egregie quoque confirmatur. Quamprimum lucem mundi aſpicimus, impuri ſumus, & puritatis ſtudium curæ cordique eſſe debet, hinc Eccl. XII, 3. *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ.* Et ſapientia ſumma *mature* quærentibus inveniendam ſe exhibebit Prov. VIII, 17. Inſuper & quovis *mane* manus ſeu potius cor noſtrum lavandum eſt nobis Chriſtianis, ut præparetur cor ad ſanctificationem totius diei. Et antequam opera muneris publici aggrediamur, de puritate cordis noſtri nos ſolicitos eſſe debere, monemur hocce ritu.

X. Lotio hæc manuum 2. *ante preces* ſingulari ſtudio erat obſervanda, tum *publicas* tum *privatas.* Illotis enim manibus ad Deum accedere, nefas habebant. Elegans hanc in rem ſimilitudo ab ipſis adhibetur, quam citat BUXTORF. *in Syn. Jud. Cap. 8. Nobilis & politus artifex egregie a ſe fabrefactum poculum amico ſuo donat; quum ille poſtea artificem ad ſe venientem conſpicit, poculum probe lavat & abſtergit, ne artifex iraſcatur, ſi forte opus ſuum ſqualidum & ſordidum jacere conſpexerit. Ita oportet etiam Judæum ſingulis matutinis ſcholam petere & ſe coram Deo creatore ſuo ſiſtere, illi ſupplicare, illum colere, & per conſequens faciem ſimul cum ore pure abluere, ne omnium artificum artifex, ſi creaturam ſuam inquinatam conſpexerit, iraſcatur.* conf. etiam SAUBERT. *Palæſtr. diſſ. de precib. Hebr. Cap. 1. §. 3.* Turcis quoque idem mos obſervatur, ita in *Alcor. Sarat. V. 4.* legimus:

يا ايها الذين امنوا اذا قمتم الي الصلوة فاغسلوا
وايديكم الي المرفق ومسحوا بروسكم وارجلكم
الي الكعبين *O vos qui creditis, quando acceditis ad preces, lavate*

lavate facies veſtras & manus usque ad cubitos. Dein ducite manum per ſuperficiem capitis & pedum veſtrorum usque ad talos. Vid. Cl. RELAND. *Diſſ. de conſenſu Mahumedan. & Judaiſmi Sect. II. §. 2. p. 41.* Gentibus quoque manus lotæ in *precibus* erant elevandæ. EURIPIDES *in Alceſt. v. 157.*

- - *ὕδασι ποταμίοις λευκὸν χρόα*
Ἐλούσατ᾽.
Καὶ στᾶσα πρόσθεν ἑστίας, κατηύξατο.
Aquis fluvialibus albam cutim lavit,
Et ſtans coram Veſta ita precabatur.

Similiter HOMER. *Odyſſ. B.* v. *34.*

Τηλέμαχος δ᾽ ἀπάνευθεν ἰὼν ἐπὶ θῖνα θαλάσσης,
Χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς εὔχετ᾽ Ἀθήνῃ.
Telemachus autem ſeorſum profectus ad littus maris,
Manus lavans ex æquore cano, ſupplicavit Palladi.

Nec non *Odyſſ. M. v. 336.*

Χεῖρας νιψάμενος ὅθ᾽ ἐπὶ σκέπας ἦν ἀνέμοιο,
Ἠρώμην πάντεσσι θεοῖς οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν.
Manibus lotis ubi placidus a vento locus erat,
Supplicavi omnibus diis, qui cælum incolunt.

Unde *puras manus attollere* pro precari, veluti apud CLEMENT. ALEX. in *προτρεπ. p. 60.* poëta canit:

- - *αἴρουσιν πρὸς οὐρανὸν ὠλένας ἁγνάς.*
- - *tollunt puras in cælum palmas.*

Et PHILO *Opp. p. m. 669.* καὶ τὰς καθαρὰς, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις τροπικώτερον, παρθένους χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἀνατείνας ηὔξατο. *Et tollens puras & ut tropice loquar, virgineas manus in cælum precatus eſt.* Conf. LOMEIER *de luſtr. l. c. p. 200.* SPENCER *l. c. p. 788.* SAUBERT. *de ſacrif. Cap. XI. p. m. 254.* alios.

Egregie huc alludit Apoſtolus *1. Tim. II, 8.* Βούλομαι οὖν προσεύχεσθαι τοὺς ἄνδρας ἐν παντὶ τόπῳ, ἐπαίροντες ὁσίους χεῖρας. *Volo autem, ut viri preces fundant in quovis loco, tollentes ſanctas manus.* Et ſane in precibus ſanctitati quoque ſtudendum eſt, nam peccatores non exaudit Dominus, ſed illum qui Deum colit, ejusque voluntatem

perfi-

perficit, Joh. IX, 31. clamores hypocritarum non attendit, Hiob XXVII, 9. & preces impiorum peccatum ſunt, Pſ. CIX, 7. impii preces ſunt abominatio coram Deo, Prov. XXVIII, 9. quare Spiritus, qui eſt auctor ſanctitatis, requiritur ad preces Deo placentes, Rom. VIII, 15. 16. 26. Id quod Apoſtolus quoque docet egregie, Heb. X, 19-22. Sancta requiritur cordis diſpoſitio atque præparatio, quare Job. XI, 13. *ſi cor tuum præparaſti, extende manus tuas.* conf. Pſ. CVIII, 1. mens avocanda a ſordibus vanis hujus mundi; deſideria per ſpiritum convictionis ſanctificata ad ſummum illud bonum dirigenda ſunt, cujus communio non niſi ſtudio ſanctitatis acquiritur, Heb. XII, 14. Pſ. XVII, 15.

XI. 3. *Sacerdotibus* quoque, antequam munus obirent ſacrum, lotio manuum incumbebat, præcipue quando ſacrificia adducebant ad aras ſacras. Eum in finem labrum æneum in atrio Tabernaculi a Deo conſtitutum legimus, ut ſcilicet inde ſacerdotes manus ac pedes lavarent ſacra peracturi, Exod. XXX, 18. 19. Ita præceptum קידוש ידים ורגלים de ſanctificatione manuum & pedum legitur apud Judæos לרחוץ הידים ורגלים בכל עת הכנס להיכל והבא לעבוד עבודה וזאת היא קידוש ידים ורגלים שנ׳ ורחצו אהרן ובניו ידיהם ואת רגליהם בבואם אל אוהל מועד או בגשתם אל המזבח *Abluendas manus & pedes omni tempore* (Sacerdoti) *quo ingreditur templum & venit ad obeunda ſacra; atque hæc eſt conſecratio manuum & pedum, ſicut dicitur: Quum erunt ingreſſuri tentorium conventus, lavanto aqua, ut non moriantur, aut cum erunt acceſſuri ad altare.* Vid. HOTTING. *de Jur. Hebr. Leg. CVI. p. 135.* Quare ut plures ſacerdotes una lavare ex labro manus poſſent, epiſtomiis erat præditum, uti probat OTTO in *Lex. Rabb. v. Labr.* conf. & de hac lotione ſacerdotum Hebr. LUND. in *antiq. Jud. Lib. I. Cap. 31. p. 168.* Idem mos apud gentes quoque invaluit, Ita DIODORUS SICUL. *bibl. hiſt. L. I. p. 63.* ἔπειτα λουσάμενον, θῦσαι τοῖς Θεοῖς. *Poſtea cum aqua ſe abluiſſet, Diis ſacrificatum ibat.* HOMERUS *Iliad. ζ. v. 266.* Hectorem loquentem introducit:

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισιν Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι.

Illotis

Illotis ego manibus Jovi libare ardens vinum
Vereor.

PLAUTUS in *Aulular. Ego, niſi quid me vis, eo lavatum, ut ſacrificem.* Denuo HOMER. *Iliad. A. v. 29.*

Χερνίψαντες δ᾽ ἔπειτα, καὶ οὐλοχύτας ἀνέλοντο.
Manus lavarunt deinde, & fruges ſalſas ſuſceperunt.

ad quæ verba *Euſtathius* παραφράζει· *Δεῖ γὰρ καθαροὺς τῶν Θείων γενέσθαι. Non enim niſi mundis, operari ſacris licet*, vt obſervat Doct. WICHMANSH. *in diſſ. cit. p. 7.* conf. & LOMEIER. de *Luſtr. l. c. p. m. 203.* PFEIFF. *antiq. Græc. Lib. I. cap. 6. p. m. 36.*

Et quidnam eſt, quod Deus a Sacerdotibus ſpiritualibus poſtulat præter ſtudium ſanctitatis? Ipſe ſummus noſter Pontifex ſe ſanctificavit, Joh. XVII, 19. tanquam antitypus Summi Sacerdotis ſub V. T. Multo magis reliqui Sacerdotes & Levitæ, tum Doctores N. T. tum ſinguli fideles, qui ſacerdotium ſpirituale conſtituunt, 1. Pet. II, 9. Apoc. I, 5. His omnibus τρὶς ἅγιον illud Seraphinorum Jeſ. VI, 3. in ore & corde perpetuo verſari oportet. Nemo cultum Deo gratum exhibere poteſt, qui inquinatus eſt cor atque conſcientiam; ad ipſum enim purgatos conſcientia accedere oportet, Heb. X, 21. Omnia noſtra ſacrificia Deo erunt abominationi, quamdiu Spiritus Dei ſordes noſtras non abluit, 1. Cor. VI, 11. 2. Cor. VII, 1. Heb. XII, 14. Jeſ. LVI, 7. Hi ſacerdotes ſpirituales & manus & pedes lavare tenentur, i. e. tum in actionibus & meditationibus cordis, tum in converſatione externa ſtudium ſanctitatis exſerere.

XII. 4. Omnium porro Judæorum mos erat, *ante* ſimul & *poſt cibum* captum manus aqua abluere. Unde Marc. VII, 3. Phariſæi & omnes Judæi nunquam *illotis manibus edere* dicuntur. Et Matth. XV, 2. conqueruntur Phariſæi de diſcipulis Chriſti, quod illotis manibus edant. Et Phariſæus ille Luc. XI, 38. mirabatur Chriſtum *illotis manibus accumbere. Ante cibum* requiri lotionem docet RAMBAM in *præfat. ad tract.* ידים *Si immundæ ſunt manus quavis immunditia, quæ manus reddit immundas. Aut ſi hominem lateat, isque ignoret, quod polluatur, isque tamen tenetur ad lavandum manus ad comeſtionem victus communis.* Ita Auctor *Sculchan Aruch* ex סדר *Orach*

 Chaim:

Chaim: כשיבא לאכול פת שמברכים עליו המוציא יטול ידיו אכילו אינו יודע להם שום טומאת ויברך על נטילת ידיכם *Qui cibum comedere vult, cuius gratia dicenda eſt precatio* המוציא *qui educis &c. ille manibus aquam affundat, etiamſi impuritatis nullius ſibi conſcius ſit, & ſimul benedictionem in aqua manibus affundenda conſuetam recitet.* Plura loca vide apud BUCHER. *antiq. Bibl. p. 585. & 590.* LIGHTFOOTH *in Matth. XV. Opp. T. II. p. 331.* BUXTORF. *Synag. Jud. Cap. VI. p. m. 235. ſqq.* POCOCK. *Not. miſcell. phil. p. m. 343. &c.* ante cibos quoque ſacros id moris fuiſſe docet OTTO *in Lex. Rabb. p. 335.* Et ante convivia nuptialia LIGHTFOOTH *Opp. T. II. p. m. 445.* & OTTO *l. c. p. 334.* Quod & gentibus in uſu fuiſſe patet ex PLAUT. *in Perſ. act. 1. ſc. 5.*

- - Hoc age, accumbe,
Date aquam manibus, apparate menſam.

ATHENÆO *Lib. V.* Δειπνοσ. *c. 8.* ἀπρεπὲς εἶναί φησιν, ἄλουτον καὶ κονιορτοῦ ἥκειν πλήρη τινα εἰς τὸ συμπόσιον. *Minime enim decet illotum & pulvere plenum accedere ad convivium.* Unde accumbentium conſueta formula, *aquam manibus, aquam pedibus*, vide BARTH. *aduerſ. Lib. VI. cap. XI.* & conf. DOUGT. *anal. S. P. II. p. 37.* nec non STUCK. *antiq. conviv. Lib. II. cap. 33. p. m. 262. ſq.*

Poſt cibum captum etiam lotio peragenda, unde MAIMONID. *in tract. Berach. c. VI.* diſtinguit inter נטילת בתחילה *lotionem ab initio* & נטילת בסוף *lotionem in fine cibi.* Et §. 3. rationem reddit poſterioris lotionis: *Omnis enim*, inquit, *offa, in qua ſal eſt, requirit ablutionem manuum ultimam, ne forte ſit ſal Sodomiticum, aut ſal, cujus natura eſt ut ſalis Sodomitici, & quis manus ſuas oculis admoveat & excœcetur. Ideoque omnes obligantur manus lavare in fine cibationis propter ſalem.* Vide etiam BUXTORF. *Syn. l. c. p. 261.* Et Gentium conſuetudinem diſcimus e PLATONE comico apud ATHENÆ. *Deipn. L. XV. cap. 1.*

- - σὺ τὰς τραπέζας ἐκφέρεις
Ἐγὼ δὲ λουτρὸν παραχέων εἰσέρχομαι.
- - menſas tu quidem removes:
Ego vero aquam lavandis manibus ut affundam, venio.

Alium

Alium locum ex eodem & ex ARISTOPHANE adducit D. DOUGTÆUS *in anal. l. c. p. 38.* conf. & SPENCER *de Leg. Hebr. Lib. IV. Sect. II. cap. XII. p. m. 1176.* STUCK. *antiq. conv. Lib. III. Cap. 23. p. m. 407. b.*

Hoc denuo ritu nihil aliud ſapientiores inter Judæos æque ac gentes ſignificare volebant, quam dona etiam corporalia a Deo conceſſa, *tum* non ſine grato animo, quod per benedictionem ciborum innuebatur, *tum* non ſine animo puro & ſancto, eſſe accipienda. Congruit ethica Apoſtoli 1. Cor. X, 31. *Sive editis, ſive bibitis, ſive quid facitis, omnia ad gloriam Dei agite.* Peccata enim nos indignos reddiderunt, & jure in creaturas privarunt, quare illa prius abluenda ſunt per juſtificationem, antequam jus in dona illa corporalia recipiamus. Et *poſt uſum* illorum denuo lotio inſtituenda, ut moneatur conviva de frequenti creaturæ & donorum Dei abuſu, quo ſe coram Deo polluit, qui denuo per juſtitiam Chriſti Mediatoris eſt quaſi abluendus. Nam amiſſa imagine Dei, amiſſum eſt jus & dominium in creaturas. Quæ cum per Chriſtum reſtituitur, etiam redit jus in creaturas, conf. Pſalm. VIII, 7--9. 1. Cor. III, 21--23. alias ob peccata noſtra maledictio creaturis incumbit, Deut. XXVIII, 18.

XIII. 5. Obſervamus denique & Judæorum conſuetudinem perpetuam, qua poſt omnes *actus ſordidos*, poſt *tactum* rerum impurarum, poſt *converſationem* cum hominibus impuris, imo poſt tactum mortuorum ocyus *manus lavarent.* Ita Phariſæi e foro redeuntes, ubi hominum plebis conſortio interfuerant, actutum lavabant, Marc. VII, 4. vid. LIGHTFOOT. *hor. hebr. ad h. l.* Quando quis *actiones ſordidas* peregiſſet, lotione manuum opus habebat, ut dicitur in *Joma C. III. §. 2.* conf. SHERINGHAM. *in not. ad h. l.* & qui varias claſſes actionum impurarum recenſet Cel. BUXTORF. in *Synag. C. 8. p. 158.* ex *tactu* rerum impurarum polluti lotione manuum purgandi erant. Ita MAIMONIDES *in lib. Jad. tract. Aboth hattumaot. cap. 8.* כל הניגע בידיו בראשין לטמאה בין שהיה אותו ראשון אדם או כלי או אוכל או משקין טמאין נטמאו ידיו &c. *Si quis tetigerit manibus ſuis aliquid, quod eſt primum ad immunditiem, ſive primum illud fuerit homo, aut vas, aut eſculentum, aut liquores immun-*

 di,

di, polluuntur ipſi manus &c. Præprimis tactus *mortuorum* polluebat, quare aqua purgandus. Vide POCOCK. *not. miſc. Phil. p. 378.* ARNOLD. *in diſſ. cit. §. 5.* SAUBERT. *de ſacrific. Cap. XI. p. 258.* GEIER *de luctu Hebræor. Cap. 21.* alios. Ita apud Gentes quoque præcipue Græcos moris erat, ut ad ædes funeſtas, in quibus mortuus erat, vas magnum ſtatueretur aqua plenum, qua aqua quisque exiens ſe aſpergebat, atque abluebat; unde POLLUX *onom. lib. 1.* *καὶ οἱ ἐπὶ τὴν οἰκίαν τοῦ πενθοῦντος ἀφικνούμενοι, ἐξιόντες ἐκαθαίροντο, ὕδατι περιῤῥαινόμενοι. Qui lugentis domum intraverint, egreſſi aqua adſperſa luſtrabantur.* Plura vide in hanc rem notata apud LOMEIER *in tract. de luſtr. Vet. Cap. 16. p. m. 221. ſq.*

His omnibus lotionibus homo totius impuritatis & corporis atque animæ poſt peccatum, convincebatur ſimulque monebatur, ſtudium ſanctitatis in juſtitia mediatoris quærendæ in *tota vita* & omnibus actionibus requiri. Si *conſortio* hominum impiorum fueris abreptus & in ſedilibus irriſorum conſederis, animam tuam pollutam & in meritis Chriſti purgandam ſcias. Si peccata & *acta impura* commiſiſti, purgationis tibi maxime neceſſariæ memor eſto. Si ſpirituali modo *mortuorum* operibus & conſortio fueris inquinatus, in hoc fonte purificationem quæres, qui domui Davidis apertus eſt, ad eluenda peccata & impuritates Zach. XIII, 1. Sic monitum Apoſtoli perpetuo tibi ob oculos verſetur, 2. Cor. VII, 1. *Purificemus nos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, & perducamus ad finem ſanctificationem in timore Dei.* Si enim ſanguis taurorum aſpergens inquinatos, ſanctificat ad carnis puritatem; quanto magis *ſanguis Chriſti* (aqua illa pura) *emundabit* conſcientiam veſtram *a mortuis operibus*, Hebr. IX, 13. 14.

XIV. Supereſt ut paucis *modum* atque ſummam harum lotionum *neceſſitatem* addamus.

a) Quod ad *modum* attinet, ille variis circumſtantiis a Judæis deſcribitur. In genere obſervamus ut ex ſupra dictis etiam liquet, illas peractas fuiſſe quam *ſæpiſſime* totiesque *repetitas*. Hinc Marc. VII, 3. phraſin *νίπτεσθαι πυγμῇ* Luth. vertit, **manchmal waſchen**, ubi & quidam Interpretes *crebro* vertunt. De varia autem hujus vocis *πυγμῇ* ſignificatione præter citatos à Cel. AMELIO *in N. T. Tom. II. p. m. 89.*

ad

ad h. loc. auctores conf. POCOCK. *not. miſc. cit. p. m. 344. ſq.* Et Cl. BUCHER *in antiq. bibl. p. 591. ſq.* DRUS. *de ſect. Jud. p. m. 258.* LIGHTFOOT. *Opp. Tom. II. p. m. 445.* Cel. OSTERMANN *poſit. philol. in N. T. in* CRENII *faſc. II. p. 506. ſq.* OTTON. *Lex. Rabb. p. m. 336.* nec non Cel. & Doctiſſ. WOLF. *cur. philol. in h. l.* & quos ibi Vir ſumme Reverendus adducit. Inſuper & נטילה & טבילה gradibus diſtinctæ erant, *illa* ſc. *ablutio*, *hæc* magis *immerſio* manus erat. Conf. de modo lotionis etiam Cel. POCOCK. BUXTORF. ll. cc. nec non Cel. WAGENSEIL *in Sot. p. 94.* Denique ſæpe & per *miniſtros* aqua manibus lavandis malluvio ſeu gutturnio exhibebatur, uti pluribus docet STUCKIUS *in antiq. conviv. p. m. 263. ſq.* Quo reſpicit VIRGIL. *æneid. I.*

Dant manibus famuli lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt.

Quemadmodum Eliſa 2. Reg. III, 11. deſcribitur, אשר יצק מים על ידי אליהו *qui aquam fuderit in manus Eliæ.*

Toties & *ſæpius repetita* manuum lotio de ſæpius renovanda ſanctificatione nos monet. Ad eundem purificationis fontem, ex quo ſemel per veram animæ juſtificationem a peccatis noſtris abluti ſumus, ſæpius *redeundum* eſt, Thren. III, 40. quoties novis inquinamentis pollutos nos deprehendimus; ad finem enim perducenda eſt ſanctificatio noſtra, 2. Cor. VII, 1. Imo *major* ſanctificationis *gradus* meta ſtudii noſtri eſto. Qui purus eſt, purificetur amplius, & *qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*, Apoc. XXII, 11. ita ut *toti ſanctificemur*, & integer noſter ſpiritus cum anima & corpore in adventum Domini noſtri ſerventur, 1. Theſſ. V, 23. Sanctos nos eſſe decet in *omni noſtra converſatione* 1. Pet. I, 15. 16. Sæpius quoque *miniſtri* Evangelii operam ſuam collocant in promovenda fidelium purificatione. Illi per præconium gratiæ offerunt fontem purificationis atque expiationis, 2. Cor. V, 20. media gratiæ & ſanctificationis quaſi infundunt adjuvante Spiritu in aures & corda auditorum, atque ita multos ad hanc Chriſti juſtitiam adducunt, Dan. XII, 3. offerunt remiſſionem peccatorum in juſtitia & meritis Chriſti, Matth. XI, 28. 29. Act. II, 38. & applicant, Joh. XX, 22. 23.

XV. b)

XV. b) Ultimo loco ſumma harum lotionum *neceſſitas* ex mente & placitis Judæorum conſideranda eſt, quam abſolutam definiunt. Ita in *Maſſechet Sota* dicitur כל המזלזל נטילת ידים נעקר מן העולם *Quicunque vilipendit lotionem manuum, exſtirpatur ex hoc mundo*, apud BUXTORF. in *Lex. v.* נטל Congruit Talmudicorum effatum in לבוש *part. I. n. 158.* כל המזלזל בנטילות ידים חייב נדוי ובא לידי עניות ונעקר מן העולם *Quicunque negligit manuum lotionem, excommunicatione dignus eſt, pauper fit, atque tollitur ex hoc mundo. in Talm. Bab. Taanith. fol. 20.* teſte OTTONE *Lex. Rabb. p. 336.* dicunt שיבתא quendam eſſe ex dæmonibus, qui iis nocent, qui lotionem manuum vilipendunt. Et in *Babyl. Berach. f. 46.* legitur Eleazarum ben Hazar ideo excommunicatum eſſe, quia negligeret lotiones manuum, teſte LIGHTFOOTH *hor. hebr. ad Matth. XV.* Plura hanc in rem teſtimonia leges apud BUXTORF. *in Synag. cap. XI. p. m. 236. ſq.* POCOCK. *l. cit. p. 374.* WAGENSEIL. *in Sota p. m. 91.* Notabilis eſt locus quem ex Talmude citat Cel. HOTTINGER. *de Jur. Hebr. p. 136.* ועובר עליה ולא קדש ידיו ורגליו שחרית או שיצא מן המקדש והסיח דעתו וחזר ועבר בלא קידוש חייב מיתה בידי שמים ועבודתו פסולה בין כהן גדול או הדיוט *Qui vero transgreſſus illud, manus & pedes mane non abluerit, aut qui egreſſus ſanctuario, mente alio abreptus redierit, ſicque ſanctificationem prætermiſerit; reus fit ſupplicii capitalis θεηλάτȣ, ejusque cultus redditur irritus, ſive ſummus fuerit ſacerdos, ſive vulgaris.* Ipſæ gentes illotis manibus ſacra tractare ſummum nefas morte luendum habebant, uti Cl. PFEIFFER. *in antiq. Græc. p. m. 90.* ex his Poëtæ verbis probat:

Χερσὶν ἀνίπτοισιν ῥέξων Διὸς ἥψατο βωμȣ͂·
Τȣ́νεκα μὲν πυρόεντι πατὴρ κατέφλεξε κεραυνῷ·
Ἔξοχα γὰρ καθαρὸν χρὴ θνητὸν θεῖα σέβεσθαι.
Illotis manibus libans Jovis attigit aram,
Quo Pater hunc uſſit flagrantis fulminis igne.
Egregie purum fas eſt contingere ſacra.

Hoc denuo ſanctitatis ſtudium ſumme eſſe neceſſarium nos admonet, id quod ubique inculcat ſcriptura ſacra. *Sine ſanctificatione*

non

non datur aſpectus Domini, Heb. XII, 14. utpote cujus facies in juſtitia datur ſolum intueri, Pſ. XVII, 15. Qui Deum cupit intueri, eique aliquando ſimilis eſſe et hac ſpe lactari vult, *caſtum & purum ſe ſervet, quemadmodum ipſe Deus purus eſt*, 1. Joh. III, 2. 3. Nemo enim ad montem ſanctitatis & gloriæ adſcendet, nemo conſiſtet in loco ſanctitatis Jehovæ, niſi cui *manus ſunt innocentes & cor purum*, Pſ. XXIV, 3. 4. Nemo communionem cum Deo, tanquam Luce æterna colere poteſt, niſi ipſe in luce ſanctitatis ambulet, 1. Joh. I, 6. 7. Quare impuris, corde illotis pars adſignatur extra portas novæ Hieroſolymæ, Apoc. XXII, 15. & extra regnum Dei, 1. Cor. VI, 9. Imo Deus igne & flammis excandeſcentiæ ſuæ conſumet impuro corde ad ipſum accedentes, uti docuit exemplo filiorum Aharonis, utpote *ſanctificari vult ab accedentibus ad ipſum*, Lev. X, 3. Oculi ejus tanta puritatis luce inſtructi ſunt, ut ne malum quidem intueri valeant, Hab. I, 13. Quare ſeria Dei voluntas eſt ſanctificatio noſtra, 1. Theſſ. IV, 3. 7.

XVI. Quum ergo *ſanctitas* decus ſit *domus Dei* in ſecula, Pſalm. XCIII, 5. proh triſtem Eccleſiarum Proteſtantium hujus ſeculi, faciem! quum plurimi veſtes ſuas candidas inquinarunt, ut jure exclamare queamus: *Succurre Domine, ſancti defecerunt & fideles pauci reperiuntur*, Pſ. XII, 1. Lux equidem veritatis late radios ſuos diffudit; ſed tenebræ errorum & vitiorum undique irrumpunt & nox triſtis premit Eccleſiam. Proh aurum illud purum obſuſcatum eſt, cujus fulgor oculos illorum, qui procul adhuc ſunt, perſtringere jure merito deberet! Offeruntur media ſanctificationis per præconium Evangelii, aperitur fons purificationis; ſed quis accedit cum ſeria impuritatis ſuæ agnitione ac ſenſu? Commune ſeculi noſtri præjudicium eſt: Si quis externo ſacri baptiſmatis lavacro a primis vitæ annis imbutus externa & graviora vitia ac ſcelera, quæ mundus honeſtus averſatur, odio habet ac vitat, ille ſanctus eſt & juſtificatus, illi atria cœleſtia ſponte patent. Sed falleris mi Phariſæe, decipis te ipſum miſere hypocrita. Quid juvat externe lavari, quum cor tibi abominationibus ſcateat? Quid juvat graviora vitare ſcelera, & τῃ φιλαυτίᾳ tanquam idolo abominabili viribus litare? Cor purum & aquis juſtitiæ Mediatoris ablutum ad aram Jehovæ adduces, Prov. XXIII, 6. Ablutio vera a corde incipit & per

omnes actiones ſe extendit. Evigila ergo Zion, indue veſtes tuas puras, o Hieroſolyma! An virgo obliviſcitur pepli & ſponſa ornatus? Cur tu ornamenti tui, quæ eſt *ſanctitas*, obliviſceris? Vos qui *Sacerdotes* N.T. eſtis, Apoc. I,5. 6. non niſi puro corde & manibus ad aram Jehovæ accedite, nec niſi loti per ſanguinem Mediatoris in atria ejus venite. *Sanctitas* inſcripta maneat ſculpturis æternis tum frontibus tum manibus veſtris, Apoc. XXII, 4. Hæc vobis meta laborum; hæc objectum omnium deſideriorum, Hebr. XII, 14. In via enim ſanctitatis tendimus ad palatia ſanctiſſimi Numinis, in cujus communione ſanctiſſima æternum aliquando beati eritis, ſatiati ejus imagine, Pſ. XVII, 15.

EXERCITATIO III.
DE
VIRGINIBUS TYMPANISTRIIS,
SYMB. DOCTORUM N. T.
PSALM. LXVIII, 26.

ARGUMENTUM.

§. I. Loci hujus Pſalm. LXVIII. ſcopus, nexus & alluſio breviter indicatur. §. II. VIRGINES in Scriptis Sacris vario ſenſu occurrere, præcipue Eccleſiæ & in ſpecie Doctorum illius figuram eſſe, docetur. §. III. Analogiæ exhibentur, ſc. quatenus ſunt ſexus debilioris, §. IV. virginum celebrata apud antiquos caſtitas, §. V. & puritas, unde lotionis admodum ſtudioſæ erant, §. VI. & pulchritudo, quæ potiſſimum ex facie & oculis elucebat, quibus aliorum animos abripiebant. §. VII. Singularis porro earum apud Veteres continentia demonſtratur, quum plerumque eſſent ſecluſæ in thalamis. §. VIII. Suavis earum lingua deprædicatur. §. IX. labores & exercitia earum, §. X. ornatus varius

varius illarum & unctio inquiritur. §. XI. Veſtes ipſarum, & inprimis peplum ipſis proprium deſcribitur. §. XII. Illas violaſſe ſummum nefas habebatur. §. XIII. In ſacris quoque adhibitæ virgines. §. XIV. In nuptiis faces Sponſæ præferebant, eamque comitabantur. §. XV. Tympaniſtriæ quoque celebrantur, quæ & hoc loco memorantur. Hæc omnia applicantur ſuo loco Doctoribus N. T. §. XVI. Epilogus practicus additur.

I.

QUando pompam triumphalem Meſſiæ poſt victoriam de morte & inferno reportatam deſcribit Pſaltes Regius, *Pſ. LXVIII, 26.* canit קדמו שרים אחר נגנים בתוך עלמות תופפות *Præcedunt cantores*, tanquam chorum ducentes, *ſequuntur fidicines*, tanquam chorum claudentes, *in medio VIRGINES TYMPANISTRIÆ*, tanquam chorum cingentes. De vario hujus Pſalmi ſcopo & occaſione ab interpretibus variis adſignata conferri poſſunt, Cel. VAN TIL *in Comm. h. Pſ.* & Doct. M. PLESKEN. *in diſſ. de Benjamine parvo Witt. 1711. Sect. 2. § 2. ſq.* Ab aliis enim ad exitum Iſraëlis ex Ægypto & legis in Sinai promulgationem, vel ad victorias de hoſtibus terræ Canaanis vicinis, Ammonitis, Philiſtæis, & in ſpecie ad hiſtoriam 2. Sam. XXI. refertur. Fateor illam mihi præ omnibus ſententiam placere, quæ ſtatuit Davidem in deſcriptione *pompæ triumphalis Meſſiæ* alludere ad pompam inſignem, qua *arca fœderis* in Zionem adducta eſt a Davide. Deſcribit autem fructus glorioſos victoriæ Meſſiæ, quibus Eccleſia N. T. exhilaranda erat. Heic autem cum quibusdam interpretibus, præprimis H. DEUSINGIO in *Bibl. Brem. Cl. I. f. 2.* ſucceſſivas N. T. periodos invenire nondum potuimus, quum commata quædam non niſi coacta eo referre poteris. In commate autem 25. 26. in ſpecie triumphum Meſſiæ deſcribi phraſibus à pompa triumphantium deſumtis, ex explicatione ipſa patebit ultro.

II. Memorantur ergo hoc in loco *VIRGINES* עלמות. Vocem עלמה à עלם ortum ſuum trahere, quæ notat *abſcondere* vel *occultare*, quia virgines apud Veteres in gynæceo cuſtoditæ ſecludebantur à converſatione virorum, & notat proinde virginem puram & illibatam,

veluti præter auctores à *Doctiſſ.* SCHLICHTERO *in orat. de 4. rebus Salom. intellectu difficil. p. 42.* citatos docuere BUXTORF. in *Lex. v.* עלמה BUCHER *antiq. Bibl. p. 18.* PFEIFF. *dub. vex. in Jeſ. VII, 14. p. m. 651.* BYNÆ. *natal. p. 207.* HUET. *demonſtr. Evang. p. m. 463.* Cel. FRISCHMUTH. *Diſſ. in Jeſ. VII, 14. p. m. 6. ſq.* alios.

VIRGINES autem in ſcriptis ſacris emblema ſunt 1.) Eccleſiæ externæ ſive *veræ* ſive *falſæ*. Pro vera & interna Eccleſia occurrit hoc ſymbolum, 2. Cor. XI, 2. *Aptavi vos, ut ſiſtam uni viro* virginem *caſtam ſc. Chriſto.* Zach. IX, 11. inter beneficia populi Dei recenſetur *muſtum, quod* virgines *facundas reddit.* Ita membra veræ Eccleſiæ, quæ idololatriæ Antichriſtianæ abominationes odio habebant, vocantur *Virgines*, quæ agnum ſequuntur, Apoc. XIV, 4. ubi ſimul Doctores N. T. includuntur. Denique Cant. I, 3. ubi dicitur; *Nomen eſt tuum inſtar odorati unguenti, quod diffunditur; idcirco diligunt te* virgines. In genere autem pro *Eccleſia externa* ſive vera ſive falſa, occurrit Matth. XXV, 1. ſq. ubi *decem virgines* memorantur, quarum *quinque fatuæ* depingunt membra externa Eccleſiæ, ſeu hypocritas; *quinque prudentes* autem genuina Eccleſiæ membra. Ita Eccleſia externa Judaica vocatur *Virgo Iſraëlis*, filia averſa, Jer. XXXI. 21. 22. conf. Jer. XVIII, 13. & Jeſ. XXXVII, 22. ad quem locum HIERONYMUS ita commentatur: *Zion & Jeruſalem ideo VIRGO appellatur & filia, quia cunctis Gentibus ſimulacra adorantibus hominum mortuorum, hæc ſola conſervet caſtitatem religionis Dei & unicæ divinitatis cultum. Vera Eccleſia* per *virginem* quæ Pontifici & Sacerdotibus ſub V. T. nubenda erat, præfigurabatur, Lev. XXI, 13. 14. Ezech. XLIV, 22. Eandem intelligunt quidam interpretes per *virginem, in qua via viri admiranda erat*, & tum per virum vel Chriſtum vel Conſtantinum Magnum intelligunt. Vide HULS. *Jthiel, Uchal & Lemuel ſ. Comm. in ultima Salom. p. m. 47.* *Doctiſſ.* SCHLICHTERI *Orat. cit. p. 42.* Ita etiam Epigraphen Pſ. XLVI, 1. על עלמות *de virginibus*, i. e. populo fœderato Dei, explicat Rev. IRHOF. *Conject. in titul. Pſ. p. 78.* Eccleſiæ quoque ſymb. eſſe virginem docet CLEM. ALEX. *Opp. p. m. 742. c.* & Cel. LAMP. *Comm. in Pſ. XLV. p. 527.*

2) *Virgines* quoque emblema ſunt *gentium* nondum cum Chriſto

capite

capite deſponſatarum, absque lege, absque marito & Deo fœderato. Eo ſenſu capimus עלמות אין מספר *virgines innumeras*, Cant. VI, 5. ubi ſponſus teſtatur, *ſexaginta eſſe Reginas, octoginta concubinas, virgines vero innumeras.* Per *60. Reginas* intelligimus Eccleſiam externam Antichriſtianam, Reginam Babelis, quæ conſcientiæ dominatur, quæ gloriatur: *Regina exiſto*, Apoc. XVIII, 7. Per *80. concubinas* cœtum Mahumedanorum ex Iſmaële adeoque & Abrahami concubina, ortum trahentium, quorum major eſt numerus quam membrorum cœtus Antichriſti. Per *puellas ſine numero*, reliquas omnes gentes, per totum terrarum orbem diſperſas, quarum plenitudo ingredietur ultimis temporibus in regnum Dei. Omnibus opponitur *unica columba, dilecta matris*, vera ſc. Eccleſia interna. Aliter hunc locum exponit Cel. LAMPE in *Pſ. XLV. p.334.*

3) *Virgines* quoque ſymb. ſunt *civitatum* inſignium, quæ non ſolum *filiæ* dicuntur, ſed & *virgines*, ut docet Cel. VITRINGA *in Comm. Jeſ. Tom. II. p. m. 322. 524.* conf. loca varia, 2. Reg. XIX, 21. Jeſ. XXXVII, 22. Jeſ. XLVII, 1. Jer. XIV, 17. Jer. XLVI, 11. Thren. I, 4. II, 10. Nah. II, 7. Unde & plurimæ urbes ſub figura matronali aut virginea in nummis apparent, uti aliquando in *Exerc. de filia Zion* docebimus.

4) Denique & *Doctorum* N. T. emblema eſſe virgines conſtat ex *Proverb. IX, 3.* ubi per puellas ſive *virgines ſummæ ſapientiæ* (quæ conſideratur inſtar Reginæ puellas ſuas habens pediſſequas) invitantes fatuos ad convivium paratum, præcones Evangelii, ad beneficia N. T. animas reſipiſcentes invitantes intelliguntur; conf. Matth. XXII, 3. Et hoc ſenſu in loco noſtro *Pſ. LXVIII, 26.* commodiſſime *Virgines* intelligi poſſe cenſemus. *Præcedunt cantores*, שרים qui & *principes* dici poſſunt, per quos ſpeciatim *Apoſtolos*, duces præconum Evangelii reliquorum intelligimus. *Sequuntur fidicines*, ſeu potius citharœdi, per quo commode LXX. diſcipulos vel etiam viros Apoſtolicos intendi exiſtimamus, qui veſtigia Apoſtolorum ſecuti. Per *virgines* autem *tympaniſtrias* in medio eorum, tanquam præcones é ſexu debiliori, reliquos Eccleſiæ N.T. doctores, qui minori ſpiritus menſura præ Apoſtolis & LXX. diſcipulis præditi erant, depingi autumamus. Uti ſtatim *Benjamin parvus*,

vus, qui ſecundum interpretes eruditos Paulum Apoſtolum deſignat, memoratur inter principes, v. 28. quare v. 12. ſimul per illas מבשרות *annuntiatrices* læti illius nuntii, deſcripti erant, uti pluribus docet Cel. J. G. PFEIFFER *in Comm. exeg. Pſ. LXVIII. Lipſ. 1723. p. 28.* Cæterum *virgines* Doctorum in ſcriptis ſacris eſſe ſymb. probat quoque Cel. LAMP. in *Pſ. XLV. l. c.* RUPERTUS in *Gen. L. VI. Cap.* 44. dicit *Virgines tympanizantes* deſignare *prædicantes, docentes ex ſcripturis, quæ in pellibus ſcribi ſolebat.*

III. Ut autem emblematis hujus rationes curatius examinemus, analogias primarias inter *VIRGINES* & *MINISTROS Evangelii* indagabimus ex ſcriptis ſacris & profanis deductas.

1. Virgines ſunt *ſexus debilioris*, ut vocari ſolet, adeoque *imbelles* ac *infirmæ*, in oppoſitione τῶν בני איש & גבר *filiorum Viri* & *hominis robuſti*, quare Apoſtolus 1. Pet. III, 7. γυναικεῖον vocat σκεῦος ἀσθενέστερον *vas infirmius.* Similiter ARISTOTELES *polit. Lib. III.* ἀσθενέστερον ἀνδρὶ ὄργανον *inſtrumentum viro debilius* appellat fœminas. QUINTILIANUS quoque *Declamat. 308. Imbecilla res eſt fœmina; & adfert infirmitati naturali non leve pondus, quod vidua eſt.* Quare & NONNUS in *Dionyſ.* vocat παρθένον ἀπτόλεμον *virginem imbellem.* Et toties poëtis *tenera* vocatur, veluti apud MARTIAL. *Ep. L. I. ep. 110.*

> *Dignum tam tenera virum puella.*
> *Hanc ne lux rapiat ſuprema totam,*
> *Picta Publius exprimit tabella.*

Exprimit eandem earum imbecillitatem, quæ naturæ ipſarum propria eſt, Eleazar apud Ariſtæam de LXXII. Interpr. hiſt. dicens: *Eſt mulierum genus ſuorum affectuum ſequax, atque in lapſum proclive, propter impotentiam & naturam ejus imbecillem.*

Eccleſia quoque ſimul cum *miniſtris* ſeu Doctoribus *infirma* certo reſpectu dici poteſt, unde plerumque per virgines, mulierem, fœminam, ſponſam &c. exprimitur in ſcriptis ſacris. Ita Eccleſia *debilis* conſideratur, quando vocatur *grex parvus* & tenuis, Luc. XII, 32. & Joel. III, 10. dicitur, *qui debilis eſt, dicat potens ſum.* Rom. V, 6. *Chriſtus mortuus pro nobis, quum nullis adhuc viribus eſſemus.* Quare

re teſtatur Apoſtolus 1.Cor. I, 27. Deum elegiſſe *τὰ ἀσθενῆ τȣ̃ κόσμȣ.* Et 2.Cor. XIII, 4. *nos infirmos* eſſe in Chriſto & vivos futuros cum eo ex potentia Dei. Præcipue & Doctores Eccleſiæ *infirmi* ſunt. Egregie hoc teſtatur Apoſtolus, 2.Cor. IV, 7. *Gerimus autem theſaurum hunc in vaſculis teſtaceis, ut eminentia potentiæ hujus ſit Dei & non ex nobis.* Et 1. Cor. IX. 22. de ſe docet: *factus ſum infirmis* infirmus, *ut infirmos lucrifacerem.* 2. Cor. XI, 30. *Si gloriari oporteat, de iis quæ* infirmitatis *meæ ſunt, gloriabor.* Et v. 29. *quis* infirmus *eſt, nonne ego?* Et cap. XII, 9.10. gloriatur de *infirmitate* ſua, per quam conſummaretur potentia Dei. Regnum enim Dei non potentia carnali & exercitu copioſo, robore excellenti, ſed per Spiritum Dei, qui in infirmis operatur, erat propagandum, Zach. IV, 6.

IV. 2. Altera virginum & priſcis celebrata qualitas eſt *Caſtitas*, quæ mentis earum decus eſt egregium, 1. Tim. II, 9. Tit. II, 5. Quare jubet Apoſtolus 1. Cor. VII, 34. *virgo quæ cœlebs eſt, ſolicita ſit de iis, quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta cum corpore, tum ſpiritu.* Quare LUCIAN. *in Dear. judic. Opp. T. II. p. m. 25.* ἔςι μὲν ἴδιον τὸ αἰδεῖσθαι ὑμῶν τῶν παρθένων. *Eſt enim peculiare vobis virginibus, verecundia affici.* Huc refer MARTIAL. *ep. VI. Lib. IV.*

> *Credi virgine* caſtior *pudica*
> *Et frontis teneræ cupis videri.*

Et *Lib. IX. ep. 92.*

> *Sic uni tibi ſit puer cinædus*
> *Et* caſtiſſima *pruriat puella.*

OVID. *Lib. III. amor.*

> *Si qua metu demto* caſta *eſt, ea denique* caſta *eſt.*
> *Nec cuſtodiri, ni velit, ulla poteſt.*

Huc quoque reſpicit XENOPH. *de Rep. Laced. f. 679.* Ἐκείνων γὰρ οὖν ἧττον μὲν ἂν φωνὴν ἀκȣ́σαις, ἢ τῶν λιθίνων, ἧττον δ᾽ ἂν ὄμματα μεταςρέψαις, ἢ τῶν χαλκῶν, αἰδημονεςέρȣς δ᾽ ἂν αὐτȣ̀ς ἡγήσαιο καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς θαλάμοις παρθένων. *Sane vocem illorum minus audias, quam ſi lapides, minus oculos flexeris, quam ſi eſſent ahenei: Denique verecundiores eſſe duxeris, quam ſint eæ, quæ in thalamis degunt virgines.* Quare virgines apud antiquos, quando virginitas ipſa-

rum

rum in periculo verſaretur, ab hoſtibus expugnanda, turpitudinem morte declinaſſe refert RHODIGIN. *Lect. ant. Lib. XIV. c. 1. p. m. 731.* & de virgine Thebana refert, illius *menti pudicæ pluris virginitatem fuiſſe, quam oblatum regnum, & morte eandem vindicaſſe*, ibidem l. c.

Caſtitas mentis quoque qualitas eſt primaria tum Eccleſiæ, tum Doctorum ejus. Eccleſia ea propter *unica Chriſti columba* dicitur Cant. VI, 6. columba enim commune caſtitatis ſymb. eſt, ut docet PIER. *Hierogl. Lib. XXII.* quæ *cor ſuum caſtum* reddidit Domino Jac. IV, 8. & nulli niſi ſoli Deo amorem pectoris ſervat, quæ hanc ob cauſam *hortus clauſus, obſignatus fons* dicitur Cant. IV, 12. Caſtitas eſt fructus Spiritus, qui Eccleſiæ competit, Gal. V, 23. quæ animam auſcultando veritati per Spiritum caſtam reddit, 1. Pet. I, 22. *Doctoribus* quoque N. T. hoc attributum eſt proprium, præcipue in munere illo arduo, quo funguntur, in quo caſtum ſemper & ab omnibus mundi voluptatibus alienum animum Deo ſiſtere oportet. Recte monet Timotheum Apoſtolus, 1. Tim. V, 22. *Ne communicato peccatis alienis, temet ipſum* caſtum *conſerva;* & Tit. I, 7. 8. inter requiſita Epiſcopi continentiam & animum inculpatum refert; nec non 1. Tim. IV, 12. *eſto exemplar fidelium in ſermone, in converſatione, in charitate, ſpiritu, fide, & in* caſtitate. Deus enim caſtus eſt, & caſta mente præditos miniſtros deſiderat, quemadmodum gentes ipſæ id agnovere, in illo:

Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquas.

V. 3. Pergimus ad *puritatem*, quæ virginibus magni olim habita, cujusque maxime erant ſtudioſæ. Unde *candidas* vocat MARTIAL. *Lib. I. ep. 116.*

Toto candidior *puella cygno,*
Argento, nive, lilio, liguſtro.

Lacteam ſeu γλαγόφρονα vocat ORPHEUS in λίθ. & πελαργόχρωτα *ciconiam cuti imitantem* deſcribit. HOMER. Odyſſ. η. *inculpatam* vocat:

Ἥρως μή μοι τοὔνεκ' ἀμύμονα νείκεε κούρην.

Recte

Recte OVID. *Amor. lib. I. el. V.* in hanc rem :

Ut ſtetit ante oculos poſito velamine noſtros,
In toto nusquam corpore menda fuit.

Et hanc ob cauſam Judæi קרקע בתולה *terram virginem* in *Nazir fol. 65. c. 1.* explicant de *terra pura & impolluta* apud BUXTORF. in *Lex. ad v.* בתולה Quare & *lotionis* admodum erant ſtudioſæ, qua ornatum ſuum promovebant. Ita mandatum, quod Noomia Ruthæ dabat, legitur Ruth. III, 3. ורחצת וסכת ושמתי שמלתיך עליך *Te ergo ablues, inunges, induesque veſtes tuas.* Simili ratione Suſanna in horto ſe lavabat, in fragmento Dan. cap. XIII, 17. nec non filia Pharaonis lavatum ibat ad fluvium, conſiſtentibus ipſius puellis ad litora, Exod. II, 5. Quare balneis ſæpe utebantur, quo reſpicit MARTIAL. *Lib. XI. ep. 48.*

Omnia fœmineis quare dilecta catervis
Balnea devitat Blatera.

Et CLAUDIAN. *epigr. de concha.*

Transferat huc liquidos fontes Heliconia Nais
Et patulo conchæ divitis orbe fluat.
Namque latex doctæ quæ laverit ora Serenæ
Ultra Pegaſeas numen habebit aquas.

Quare ULPIAN. *Lib. XXV.* inter mundum muliebrem refert *unctionem, lavationem, riſcum &c.* Ita quoque ingenioſe hoc exprimit ANACREON *ep. XX.*

Ὕδωρ θέλω γενέθαι,
Ὅπως σε χρῶτα λέσω·
Μύρον, γύναι, γενοίμην,
Ὅπως ἐγὼ σ' ἀλείφω.
Optarem eſſe aqua,
Ut lavem tuam cutim;
Unguentum &, puella, eſſe
Vellem, ut te ungerem.

Et HESIOD. *Op. & dies p. m. 37.*

Εὖ τε λοεσσαμένη τέρενα χρόα.
Beneque lota tenerum corpus.

I *Pura*

Pura quoque eſt Eccleſia Dei, *puros* decet eſſe *Miniſtros* ejus; *puri ſunt corde*, Matth. V, 8. Pſ. LXXIII, 1. quibus *purum* in interioribus creavit cor Deus, Pſ. LI, 12. qui omne in eo ſtudium collocant, ut ab omni ſe inquinamento mundi carniſque concupiſcentiarum puros ſervent. Puram in pectore mentem gerentes accedant ad montem ſanctitatis, Pſ. XXIV, 4. Miniſtri Evangelii ſint Nazaræi, *puriores nive & candidiores lacte*, Thren. IV, 7. Præfiguratum id erat per Joſuam Pontificem, cui peſtes puræ & pileus purus concedebantur, Zach. III, 45. Puros ſe ſervent a ſanguine reatus, Act. XX, 26. colant Deum cum Apoſtolo a majoribus cum *munda conſcientia*, 2. Tim. I, 3. Eum in finem accedunt ad fontem apertum domui Davidis pro peccato & ſeparatione ex immunditie, Zach. XIII, 1. & purgant ſe ab omni inquinatione, ut perducant ſanctificationem, 2. Cor. VII, 1. venientes ex magna calamitate veſtes abluerunt & dealbarunt in ſanguine agni, Apoc. VII, 14. Exprimit idem Spiritus prophetiæ, Apoc. XIV, 4. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt inquinati, virgines ſunt.* & v. 5. *in quorum ore non eſt inventus dolus. Sunt enim inculpati ante thronum Dei.*

VI. *Pulchritudo* 4. celebratur virginea apud antiquos, quam in decenti membrorum ſitu ac compoſitione, præcipue in *facie decora* & *oculis* clara luce radiantibus ponebant, quibus aliorum animos ad ſui ardorem rapiebant. In ſcriptis ſacris legimus de filiabus hominum, quod *pulchræ* eſſent, Gen. VI, 2. & de Sarah, quod יפת מראה *pulchra aſpectu* exiſteret, Cap. XII, 11. ſimiliter de Rebecca, Geneſ. XXIV, 16. XXVI, 7. de Abigaile, 2. Sam. XXV, 3. Thamare, 2. Sam. XIV, 27. Abiſag, 1. Reg. I, 4. Ahasverus quoque varias forma excellentes puellas conquirebat, inter quas præ ceteris eminebat Eſther, Cap. II, 23. Ad pulchritudinem & efficaciam *oculorum* virginum reſpicit Sponſus, Cant. IV, 9. exclamans: *Rapis animum meum, ſoror ſponſa, rapis animum meum uno oculorum tuorum* ſc. ictu, conf. Cant. I, 15. *pulchra es, pulchra es*, oculi *tui ſunt columbarum.* Huc refer locum OVID. *in Epiſt. XX.*

Aut eſſes formoſa *minus, peteretre modeſte;*
Audaces facie *cogimur eſſe tua.*
Tu facis hoc, oculi*que tui, quibus ignea cedunt*

Side-

Sidera, qui flammæ cauſa fuere meæ.

Et *Amor. eleg. 17. Lib. II.*

Non tibi ſi facies nimium dat in omnia regnum,
O facies oculos nata tenere meos!

Et *Lib. III. amor. el. 11.*

Perque tuam faciem, magni mihi numinis inſtar,
Perque tuos oculos, qui rapuere meos.

CATULL. *ep. 87.*

Lesbia formoſa eſt, quæ cum pulcerrima *tota eſt,*
Tum omnibus una omnis ſurripuit veneres.

Ita apud ALCIPHRON. *Epiſt. Lib. III. ep. 67.* Ἰδὼν παρθένον καλλίπηχυν καὶ εὐδάκτυλον, ταῖς βολαῖς τῶν ὀφθαλμῶν ἀστράπτουσαν, εὐμήκη καὶ εὔχρουν, ἧς αἱ παρειαὶ μαρμαίρουσιν, οὕτως ἐξεκαύθην εἰς ἔρωτα. *Conſpiciens virginem pulchris ulnis præditam pulchrisque digitis, acie oculorum coruſcantem, proceram & boni coloris, cujus genæ radiabant, adeo amore exarſi.* Quare puellæ liliis & roſis comparantur ob pulchritudinem; quod latius perſequitur BARTHIUS *ad CLAUD. in nupt. Honor. p. m. 841.* & *pulchritudinis* laus monumenta ipſarum poſt mortem exornabat, uti patet ex variis GRUTERI inſcriptionibus, præcipue f. DCXC. n. 4. DCLXXIV. n. 6.

Pulchra quoque eſt Eccleſia cum Doctoribus. Eleganter Eccleſiæ pulchritudinem myſticam deſcribit CLEM. ALEX. *Pædag. Lib. III. Cap. II.* Κάλλος ἄριστον τὸ ψυχικὸν, ὅταν ἡ κεκοσμημένη ψυχὴ ἁγίῳ πνεύματι, καὶ τοῖς ἐκ τούτου ἐμπνεομένη φαιδρύμασι, δικαιοσύνῃ, φρονήσει, ἀνδρίᾳ, σωφροσύνῃ, φιλαγαθίᾳ τε καὶ αἰδοῖ, ἧς οὐδὲν εὐανθέστερον χρῶμα ἑώραται πώποτε. *Pulchritudo optima animæ pulchritudo eſt, quando fuerit ornata ſancto Spiritu & iis quæ ab eo oriuntur ornamentis, juſtitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore & pudore, quo nullus color nitidior unquam viſus eſt.* De Eccleſia teſtatur vates, Pſ. XLV, 11. *Rex* beneplacitum habebit ſeu *deſiderabit pulchritudinem tuam.* Cant. I, 8. pulcherrima fœminarum dicitur. Cap. II, 10. 13. amica ſponſi & pulchra ejus. Cap. IV, 7. Sponſus dicit: *tota pulchra es amica mea, & non eſt vitium in te ullum,* Cap. VI, 1. *Pulchra es, amica mea, ut Thirza, deco-*

ra inſtar Hieroſolymæ. Decus ejus futurum erat inſtar olivæ, Hoſ. XIV, 7. Egregius hanc in rem locus eſt Jeſ. LXII, 6. 7. *Vocaberis deliciae meæ, quia Jehova delectabitur te. Ut quum juvenis ducit virginem, gaudio ſponſi cum ſponſa gaudebit tecum Deus tuus.* Doctores quoque *pulchri* ſunt. Eleganter id præfigurabatur per *Reges, Duces, Sacerdotes* & *Sponſos*, quorum omnium apud antiquos pulchritudo celebratur, veluti doctiſſime ex antiquis monumentis hæc omnia illuſtrat *Vir Celeb.* LAMPE *in Pſ. XLV. p. 102. ſq.* Doctores enim N. T. ſint *Reges* ſpirituales & *Principes*, Pſ. LXVIII, 27. 28. Apoc. I, 5. principes populi Dei, Pſ. CXIII, 7. 8. conf. Matth. XIX, 28. Jeſ. XXXII, 1. Apoc. V, 10. illi ſunt *duces* & heroës ſpirituales, qui in acie pugnæ ſpiritualis conſtituti alios excitant ad certamen illud bonum decertandum, 2. Tim. II, 12. IV, 7. 8. Sunt *ſacerdotes* myſtici, in quibus nullum vitium apparet; *inculpatos* eſſe oportet eos, tanquam Dei diſpenſatores, Tit. I, 7. tanquam vaſa ad decus ſanctificata in uſum Domini, 2. Tim. II, 21. ſunt *ſponſi* myſtici, qui animas ambiunt nondum Deo deſponſatas, illarum amorem verbo veritatis ad ſe & Deum rapere ſtudent; illorum enim anima quaſi alligata eſt animabus, ipſis concreditis. Quare *pulchri* ſunt, quia imagine Dei ornatos eſſe illos oportet; Hi ſunt illa *tintinnabula*, in quibus קודש יהוה inſcriptum, Zach. XIV, 20. nomen Dei in fronte gerunt tanquam ſervi ejus, Apoc. XXII, 4. *pulchri* ſunt, utpote in quibus requieſcunt *pulcherrima dona Spiritus S.* Zach. IX, 17. *pulchri* in præconio Evangelii, Jeſ. LII, 7. Geneſ. XLIX, 21. *pulchri* oculis i. e. fide viva & ſcopo puro gloriæ divinæ, quibus amorem Dei ſibi conciliant, qui in illis delectatur, Act. IX, 15. Jer. III, 10. & amorem Eccleſiæ Dei omniumque fidelium. Quare *patres* Eccleſiæ vocantur, ejusque membra illorum ſunt ſoboles, 1. Cor. IV, 14. 2. Cor. VI, 13. Gal. III, 19. Eph. V, 1. 1. Theſſ. II, 7. 11. 1. Joh. II, 18. 19.

VII. 5. Singularis Virginum apud Veteres erat *continentia; CONCLUSÆ* enim in thalamis ſuis manebant, usque dum nuberent. De hebræis puellis hoc conſtat ex variis ſcripturæ locis, in quibus ad hunc morem alluditur. Inprimis Cant. III, 4. *Inveni eum, quem diligit anima mea, prehendi eum, nec dimittam, usque dum introduxero eum in domum*

mum matris meæ, & in conclave genetricis meæ; ubi בית אם ad thalamum reſpicit. Simili ratione בית הנשים memoratur Eſth. II, 11. 14. & intelligitur gynæceum, in quo virgines ad Regem ducendæ adſervabantur. Recte ergo PFEIFFER. *in dub. vexat. pag. m. 650.* ait: *Virgines apud Hebræos & Orientales quoque ſtudioſe ſe domi continebant.* Ipſa vox עלמה quam à עלם *abſcondere*, derivandam ſupra diximus, id confirmat; notat enim eam, quæ a virorum conſpectu & converſatione occultatur. Imo בתולה virgo à Syr. ܒܬܠ i. e. *ſecludere* nonnullis ortum traxiſſe dicitur: Et ſcortum Jonathani נפקת ברא *evagatrix* dicitur. Plura hanc in rem vide apud DIETERIC. in *antiq. bibl. p. 762. ſq.* HUET. *demonſtr. Evang. p. m. 462. ſq.* BYNÆI *Natal. J. C. p. m. 23.* & qui hæc omnia late perſequitur, Cl. BUCHER *in concluſo Hebr. gynæceo, Witt. 1716. p. 4. ſq.* nec non *in Antiq. bibl. p. 18. ſq.* Apud alias gentes eandem conſuetudinem fuiſſe obſervatam, conſtat ex ſcriptoribus Græcis & Romanis. Græcis *Θάλαμος* dicebatur domus ſeu conclave, in quo puellæ ſecludebantur usque dum nuberent, ut ait *Scholiaſtes* PINDARI. & EUSTATHIUS *comm. in IX. Iliad. v. 468.* Huc refer locum HOMERI *Iliad. ζ*

> *Κεραίων δ' ἑτέρωθεν ἐναντίοι ἔνδοθεν αὐλῆς*
> *Δώδεκ' ἔσαν τέγεσι θάλαμοι ξεστοῖο λίθοιο.*
> *Filiarum ſ. puellarum è regione oppoſiti intra atrium*
> *Duodecim erant excelſi thalami ex lapide cæſo.*

PHOCYLIDES in *ſentent. v. 203.*

> *Παρθενικὴν φυλάσσε πολυκλείστοις θαλάμοισι*
> *Μηδέ μιν ἄχρι γάμων πρὸ δόμων ὀφθῆναι ἐάσῃς.*
> *Virginem cuſtodi bene clauſis thalamis,*
> *Nec eam usque ad nuptias ante domum proſpici ſiveris.*

Plura loca vide in PFEIFFER. *Antiq. Græc. p. m. 347. 474.* BUCHER *antiq. Bibl. p. 24. ſq.* inprimis I. P. PFEIFFER *de cura virg. apud Veter. §. 1. ſq.* Conf. etiam de Lacedæmoniis MEURS. *in Miſcell. Lacon. Lib. II. cap. 3.* & DOUGT. *anal. S. P. II. p. m. 186. ſq.* PIERII *Hierogl. T. I. p. m. 114.* alios

Elegans hac in cauſa virgines emblema ſunt Eccleſiæ & Miniſtro-

rum ejus. Eccleſia enim eſt abſcondita illa & ſecluſa, quare Pſ. LXXXIII, 4. vocatur *abſcondita Dei* & Cant. IV, 12. *hortus clauſus, ſcaturigo ſecluſa, fons obſignatus.* Abſconditus eſt ſtatus fidelium intimus coram mundo, ſoli Deo cognitus, Rom. II, 29. 1. Pet. II, 4. corda occluſa ſervant coram mundo, a quo ſe ſeparant, Deo ſoli aperta patent, Pſ. LXXIII, 25. 26. claudunt fores, introëuntes in conclave ſuum, & in occulto vota Deo faciunt, Matth. VI, 6. abſconduntur quoque ſub umbone & tutela Altiſſimi, tuti a mundi Satanæque inſidiis, Pſ. XXVII, 5. Pſ. XCI, 1. 2. abſcondunt ſe in ſpeluncis petrarum inſtar palumbis, Cant. II, 14. Conf. Jeſ. XXVI, 20. Pſ. XXXI, 21. Doctores quoque occulti ſunt, gerunt enim theſaurum in occulto cordis pretioſum, & in vaſis teſtaceis, 2. Cor. IV, 7. Hinc petit Davides: *abſconde me ab arcano conſilio impiorum, & ab impetu iniquorum,* Pſ. LXIV, 3. Illis quoque injungitur, Jeſ. LII, 11. *Diſcedite, diſcedite, exite illinc, immundum ne attingatis, exite e medio ejus, purgate vos portantes vaſa Jehovæ.* Cor enim ab omni commercio mundi ejusque concupiſcentiarum alienum habere eos oportet, 2. Tim. II, 22 boni amans, juſtum, pium, continens, Tit. II, 7. 8.

VIII. 6. Suavis & *blanda* virginibus *lingua* tribuitur, qua animos mortalium inprimis procorum occupant & movere ſecundum lubitum ſciunt. Recte in genere ſcribit BASILIUS *M. lib. de Virg: Blanda valde fœminæ natura eſt, ad omnem maſculam naturam ad ſe ipſam alliciendam.* Huc reſpicit MARTIAL. *lib. VI. epigr. 23.*

Tu licet & manibus blandis & vocibus inſtes;
Contra te facies imperioſa tua eſt.

OVIDIUS quoque *Lib. II. amor. el. 4.*

Hæc quia dulce canit, flectitque facillima vocem,
Oſcula cantanti rapta dediſſe velim.

Et *Lib. III. amor. el. XI.*

Deſine blanditias & verba potentia quondam
Perdere; non ego ſum ſtultus, ut ante fui.

Huc reſpicit HOMER. *Odyſſ. Θ. Opp. T. II. p. m. 110.*

\- Ναυσίκαα δὲ Θεῶν ἄπο κάλλος ἔχουσα,
Θαύμαζεν δ' Ὀδυσσῆα ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσα,
Καί μιν φωνήσασ' ἔπεα πτερόεντα προσηύδα.

Nauſi-

Nauſicaa autem à Diis pulchritudinem habens
Admirata eſt Ulyſſem oculis adſpiciens,
Et ipſum allocuta, verba alata proferebat.

Huc reſpicit TACIT. *hiſt. lib. I. C. 74. Crebræ interim & muliebribus* blandimentis *infectæ ad Vitellium ab Ottone epiſtolæ offerebant pecuniam & gratiam.*

Eleganter hoc exprimit linguam ſuavem ſimul atque ad cor mortalium loquentem Doctorum N. T. Quare comparantur Apoſtoli cum *cerva emiſſa, quæ loquitur verba pulchra*, Gen. XLIX, 21. uti docet Doctiſſ. & Cel. HASÆUS *in diſſ. ad h. l.* nec non Cel. LOERS. *in diſſ. ad Jeſ. LII*, 7. hæc ſunt *ſermo bonus*, de quo ſæpius legimus, Pſ. XLV, 2. Jeſ. LII, 7. Jer. XXXIII, 14. Unde primorum Eccleſiæ præconum lingua conſideratur ut *calamus ſcribæ velocis*, ut docet Cel. LAMP. in *Pſ. XLV. p. 94.* proferunt illi verba πάσης ἀποδοχῆς ἄξια, 1. Tim. I, 15. ἐυαγγέλιον illud ſuaviſſimum, quo corda fidelium recreantur atque alliciuntur, Matth. XI, 5. 1. Tim. I, 11. Eph. VI, 15. Eph. I, 13. Sunt illi, qui labiis puris & ſuavibus populum Dei allocuturi erant, Zeph. III, 9. qui loquuntur ad cor Hieroſolymæ, Jeſ. XL, 2. precibus ſuavibus hominibus perſuadentes, ut cum Deo concilientur, 2. Cor. V, 19. Illi ſunt, de quibus Jeſ. XL, 9. vates loquitur: *Montem altum conſcende, quæ evangelizas Zioni, attolle cum virtute vocem tuam, quæ evangelizas Hieroſolymæ, attolle vocem absque metu; dic civitatibus Judæ, ecce Deus veſter!*

IX. 7. Pergimus ad *labores* & *exercitia* virginum apud antiquos. Hebræorum virgines *oves paſcere* ſolebant, quemadmodum de Rahele dicitur, Gen. XXIX, 9. quæ patris oves ad fontes ducebat. Quare CLEMENS ALEX. *Strom. lib. IV.* dicit: Καὶ βασιλικαὶ κόραι παρὰ τοῖς Ἑβραίοις τὰ πρόβατα ἔνεμον. *Et puellæ regiæ paſcebant oves apud Hebræos. Aquas* quoque *hauriebant* ex fontibus extra urbem. Quemadmodum Eleazar de filiabus incolarum urbis teſtatur, Gen. XXIV, 13. tales quoque puellas ὑδροφόρους inveniebat Saul, 1. Sam. IX, 11. *Exercitia* varia illarum erant apud Græcos in gymnaſiis & palæſtris, præprimis apud Lacedæmones, ut docet PLUTARCH. *in Lycurgo.* in agone & certaminibus in ſtadio Olympico exercebant corpora, ut docet RHODIG. *Lect. antiq. Lib. XIII. C. 34. p. m. 722.* præcipue in honorem

rem Minervæ certamen inſtitutum frequentabant, teſte *eodem Lib. XVIII. c. 38 p. m. 1037.* Communia vero & maxime uſitata opera erant *veſtium* aliorumque ex *lana* præparandorum ornamentorum texturæ, & acupicturæ. Ita Exod. XXXV, 25. legimus: *Singulæ mulieres induſtriæ neverunt manibus ſuis & attulerunt netum hyacinthinum & purpureum.* Et v. 26. *Omnes etiam mulieres neverunt lanam caprarum.* 2. Reg. XXIII, 27. mulieres texiſſe ad lucum dicuntur ædiculas. Tabitha tunicas & veſtimenta texerat in vita ſua, Act. IX, 39. Similiter HOMER. *Iliad. XXII. v. 510.* canit:

- - ἀτάρ τὸ εἵματ᾽ ἐνὶ μεγάροισι κέονται,
Λεπτά δε καὶ χαρίεντα, τετυγμένα χερσὶ γυναικῶν.
Atque tibi tot veſtes in domo jacent
Tenues & venuſtæ, manibus mulierum textæ.

Huc refer OVID. *Lib. I. amor. el. 13.*

Tu, ne fœminei poſſint ceſſare lacerti,
Lanificam revocas ad ſua penſa manum.

Conf. MARTIAL. *Lib. IV. ep. 54.* HOMER. *Odyſſ. II. v. 95. ſq.* & plura loca apud BUCHER. *in tract. de velatis Hebr. & Græc. fœminis p. 132. ſq.* Quare & CLEMENS ALEX. *Lib. III. Pædag. cap. X. p. m. 242.* Ὀυδὲ ἐνταῦθα δὲ ὑπεξαιρετέον τῆς κατὰ τὸ σῶμα διαπονήσεως τὰς γυναῖκας. Αλλ᾽ οὐκ ἐπὶ πάλην καὶ δρόμους παρακλητέον αὐτάς. Ταλασιουργία δε γυμναστέον, καὶ ἱστουργία καὶ τῷ παραστῆναι τῇ πεττούσῃ, ἐι δέον. *Neque vero hinc abducendæ mulieres à labore corporis, ſed non ad luctam & curſum exhortandæ ſunt; verum in lana & tela ſunt exercendæ & ut piſtrici adſint, ſi opus eſt.*

Nec Eccleſiæ præprimis Doctores otioſi ſint, ſed paſcant oves Domini ac heri ſui, qui ſimul pater eſt ipſorum. Hinc Petro demandat Dominus, Joh. XXI, 16. *paſce oves meas. Paſcunt* gregem animarum ipſis concreditarum doctrina & ſapientia, Jer. III, 15. à Deo conſtituti, ut populum ejus *paſcant,* ne timeat, Jer. XXIII, 4. qui attendunt ad gregem ſanguine Dei emtum, in quo conſtituti epiſcopi ad *paſcendam* Eccleſiam Dei, Act. XX, 28. conf. 1. Pet. V, 2. *Exercent* quoque corpus

corpus & animam in certamine propoſito præcipue pietatis, tanquam exemplar reliquorum Eccleſiæ membrorum, 1. Tim. IV, 7. Act. XXIV, 16. exercent animam in lucta illa bona, retinentes fidem & puram conſcientiam, 1. Tim. I, 18. 19. veluti Paulus bonum decertaverat certamen, 2. Tim. IV, 8. *Opera* quoque & *labores* ipſis ſunt exantlanda quotidie, conf. 2. Cor. VI, 5. X, 15. XI, 27. 1. Theſſ. II, 9. III, 5. 2. Theſſ. III, 8. opus præconis Evangelici ſtudioſe expediunt, 2. Tim. IV, 5. *Veſtes* quoque juſtitiæ texunt animabus nudis imagine divina, quas offerunt per præconium Evangelii, Apoc. III, 18. perſuadent illis, ut eas induant & applicent easdem de nuditate ſua convictis, etiam per pignus baptiſmatis *Gal. III,* 27. quemadmodum olim in Eccleſia prima *baptizatis albas* veſtes ſymb. juſtitiæ Chriſti induebant, ad quas hoc loco alluditur ſecundum quosdam Interpretes.

X. 8. Porro *ornatus* virginum apud antiquos varius conſiderandus eſt, qui conſummatur *unctione. Ornatum* filiarum & puellarum Hebræarum deſcriptum legis Jeſ. III, 19--24. *Tempore illo removebit Dominus ornatum periſcelidum, ocellata opera, lunulas, monilia, catenulas & vela faciei; ornamenta capitis, armillarum cruralium & ligaminum, olfactoriolorum & amuletorum; annulorum & diſcriminalium, & ſpeculorum & ſindonum, vittarum & theriſtrorum.* de quibus omnibus egregie diſſerit *Cel. & Doctiſſ.* VITRINGA *in Comm. h. l.* Huc reſpicitur Jer. II, 32. *an obliviſcitur virgo ornatus ſui, & ſponſa ligamentorum?* Thren. I, 6. *receſſit a filia Zionis totum ejus ornamentum.* nec non Ezech. XVI, 10. 13. *Veſtiens te verſicoloribus, calceavi te melinis & accingens te xylino, operui te ſerico* & ornavi te ornatu, *armillis in manibus* & *monile collo tuo* &c. conf. Jeſ. LXI, 10. & quando *pedibus tinnire* dicuntur *Jeſ. III,* 17. reſpicitur ad ornatum compedum in pedibus, vide quæ ad hujus phraſis illuſtrationem adfert SAUBERT *in palæſtr. p. m.* 147. De *unctione* lege Ezech. XVI, 9. *Lavi te aqua ad abluendum ſanguinem, & unxi te unguento.* uti puellæ Ahasveri oleo myrrhino & aromatibus *unctæ* leguntur Eſth. II, 12. conf. C. L. HOHEISEL. *diſſ. de Rutha Boaſum inviſente, Ged. 1729. p. 15.* ubi idem de Rutha probat. Ad *ornatum* virginum apud gentes reſpicit OVID. *Lib. III. amor. el. 13.*

Virginei crines auro gemmaque premuntur,
Et tegit auratos palla ſuperba pedes.

Et latius perſequitur in lib. de *medicam. facie v. 19.*

Vultis odoratos poſitu variare capillos,
Conſpicuam gemmis vultis habere manum;
Induitis collo lapides oriente petitos,
Et quantos onus eſt aure tuliſſe, duos.

Apud Græcos quoque fas erat virgines ornatas incedere, unde præfecti erant, *γυναικόκοσμοι* dicti, qui proſpiciebant ornatui muliebri, teſte JUL. POLLUC. *Onom. Lib. VIII. cap. 9.* Ornatum hunc, cujus eximium decus erat *zona virginum*, exprimit quoque CLAUDIAN. *de Conſ. Hon. VI.*

- - mater ſolertior ornat,
Adveniente proco, veſtesque & CINGULA comit,
Sæpe manu viridique auguſtat jaſpide pectus,
Subſtringitque comam gemmis & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures.

De *zona* quoque canit OVIDIUS *Epiſt. 2.*

Cui mea virginitas avibus libata ſiniſtris
Caſtaque fallaci zona *recincta manu.*

De *unctione* virginum apud gentes conf. P. LOTICHII *Comm. in PETRON. Satyr. L. III. p. m. 365.* C. ADAMI *in Obſ. Theol. Philol. p. m. 35.* adde locum ANACREONTIS ſupra cit. & HESIOD. *Oper. & dies. v. 522.*

Εὖ τε λοεσσαμένη τέρενα χρόα καὶ λίπ᾽ ἐλαίῳ
Χρισαμένη, νυχίη καταλέξεται ἔνδοθεν οἴκου.
Beneque lota tenerum corpus, & pingui oleo
Uncta, *noctu cubat intra domum* (puella).

Eccleſia quoque ſimili modo ornata eſt & uncta. *Ornatus* ejus virgineus deſcribitur Ezech. XVI. cit. ex profeſſo. Huc quoque alluditur Cant. I, 13. quando ſponſa de *faſciculo myrrhæ* memorat, quo pectus exornatum gerat, & merita paſſionis Salvatoris intelligit, quæ decus ipſius & levamen dulce erant, quorum meditatio & applicatio nocturna erat & diurna apud ſponſam, conf. quæ hoc de ritu diſſerit Vir Doctiſſ.

Doctiſſ. & Celeb. AMEL. *in V. T. T. II. p. m. 262.* Quare *filiæ Regum* ביקרותיך *in pretioſitatibus ſuis* coram Rege conſiſtere dicuntur, Pſ. XLV, 10. & Jeſ. LXI, 10. teſtatur Eccleſia: *Gaudeo in Jehova, exultat anima mea in Deo meo, quia induit me veſtibus ſalutis & pallio juſtitiæ cinxit me, tanquam ſponſum in ornatu, & ſponſam* ornantem *ſe inſtrumentis ſuis.* Quot diverſa ornamentorum genera virgines geſtabant, tot tamque diverſæ virtutes atque qualitates ſunt, quibus Eccleſia exornatur. In ſpecie *Doctores* ejus non *uncti* ſolum ſunt *oleo lætitiæ*, Spiritus S. donis largiſſimis, tanquam *conſortes Meſſiæ*, Pſ. XLV, 8. oleum illud pretioſum, quo ſummus noſter pontifex fuit unctus, deſtillavit quoque in *barbam* ejus & *veſtes*, i. e. Apoſtolos & Doctores, atque in fideles reliquos, Pſ. CXXXIII, 2. *Ornati* quoque ſunt tanquam σκεύη ἐκλογῆς Act. IX, 15. Sanctitas Jehovæ, quam in frontibus gerunt, eſt decus ipſorum, Pſ. XCIII. 5. Apoc. XIV, 4. cap. XXII, 4. præcipue ornati *cingulo* veritatis puræ, Eph. VI, 14. quare comparantur cum 7. angelis, indutis ſindone puriſſimo & pectora cinctis *baltheis aureis*, ut infra *Lib. IV.* latius videbimus.

XI. 9. VESTES quoque virginum ſilentio non ſunt prætereundæ, quas apud Veteres gerebant, inprimis autem velum ſeu PEPLUM ipſis proprium. Quod ad veſtes attinet, Hebræarum virgines *ſtolas* longas geſtabant. Ita teſtatur JOSEPH. *antiq. Jud. Lib. VII. C. 8. p. m. 384. Edit. Haverc.* Ἡ δὲ περιαλγὴς ἐπὶ τῇ ὕβρει καὶ τῇ βίᾳ γενομένῃ, περιῤῥήξασα τὸν χιτωνίσκον. Ἐφόρουν γὰρ αἱ τῶν ἀρχαίων παρθένοι χειροδέτους ἄχρι τῶν σφυρῶν πρὸς τὸ μηδὲ βλέπεσθαι χιτῶνας. *Illa vero (Thamar) ob injuriam & vim gravi dolore percita cum tunicam laceraſſet (virgines enim tunicas antiquitus ferebant manuleatas & ad talos usque demiſſas, ne facile conſpicerentur) &c.* aliter parum codex ſacer de eadem Thamare, 2. Sam. XIII, 18. *Erat autem induta tunica verſicolore; ſic enim veſtiebantur virgines regiæ palliis.* De *pallio muliebri* quoque HOMER. *odyſſ.* θ canit:

> πορφύρεον μέγα φᾶρος ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσι
> Κὰκ κεφαλῆς εἴρυσσε, κάλυψε δὲ καλὰ πρόσωπα.
> *Purpureum magnum pallium prehenſum manibus gravibus*
> *In caput traxit, obtexitque pulchram faciem.*

Veſtes *inauratas* gerebant, teſte OVID. *de medic. faciei:*

Vultis (o puellæ) *inaurata corpora veſte tegi.*

Plura de veſtibus mulierum apud Græcos & Romanos leges apud *Demſter.* in ROSIN. *antiq. Rom. Lib. V. cap. 35.* FERRAR. *de re veſt. P. II. Lib. IV.* RUBEN. *de re veſtiaria, Lib. I. cap. XVI & XVII.* alios. PEPLO quoque caput velabant, quemadmodum Rebecca videns Iſaacum, *accepto peplo* ſe operuit, Gen. XXIV, 65. Jeſ. III, 23. etiam רדידים *pepla* memorantur. Cant. V, 7. *rapuerunt peplum meum*, conqueritur ſponſa. Et DIETERICUS in *antiq. Bibl. p. 725.* dicit *virgines hebræas & orientales caput peplo & faciem reticulo operuiſſe.* R. NATHAN. *in Aruch. v.* רד. ait: רדיד בלשון ישמעאל רדא והוא צעיף רק האשה על לאש *Vox* רדיד. *in lingua Arabica* רדא *nihil aliud ſignificat quam velum tenue, quo fœminarum caput obtegi ſolebat.* conf. plura in hanc rem loca congeſta à Doct. BUCHER. *in antiq. bibl. p. 58. ſq.* Græcarum virgines teſte PFEIFFERO αἰόπεπλοι erant, unde APOLLON. RHOD. *argon. Lib. IV. p. 1189.*

Αἱ δὲ πολυκμήτους ἑανοὺς φέρον, οἷα γυναῖκες.
Illæ autem geſtabant pepla bene elaborata, qualia gerunt mulieres.

HOMER. *Iliad.* ζ. *p. 226.*

Ἡ δ᾽ ἄρα πέπλον ἑλοῦσα Θεανὼ καλλιπάρῃος
Θῆκεν Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠϋκόμοιο.
Hæc autem accipiens peplum Theano formoſa,
Poſuit Minervæ ad genua pulchricoma.

Plura vide apud BUCHER. *de velat. Hebr. & Gr. fœm. p. Lib. II. Cap. I. §. 2. Cap. II, §. 65. Cap. III. §. 6. ſq.* P. ZORN. *diſſ. de antiq. ænigm. in cœnis nupt. uſu p. 10. ſq.* & quos ibi citat auctores. ROSIN. *antiq. Rom. p. m. 585.* *Velum* enim pudicitiæ ſymbolum erat, unde nummus, in quo *virgo ſedens peplo ornata*, cum epigraphe: PUDICITIA, apparet apud BEGER. *in Theſ. Imp. Rom. Tab. XL. n. 8.* nec non *Tab. XLVIII. n. 23.* Et *virgo ſtans cum peplo Tab. L n. 22 Tab. LVIII. n. 19. Tab. LXI. n. 12.* cum inſcriptione, PUDICITIA AUG. Exhibemus tibi ejusmodi nummum in *Tab. noſtra n. 3.* Et *pietatis* ſymbolum erat, ita

in

in nummis virgo cum peplo atque ara apparet, addita epigraphe, PIETAS, apud BEGER. *l. c. Tab. L. n. 18. 19.* &c.

Veſtes quoque ſuas & *peplum* ſenſu myſtico habet Eccleſia cum Doctoribus. Induta eſt *veſtibus ſalutis & pallio juſtitiæ,* Jeſ. LXI, 10. veſtes gerunt heroës fidei in ſanguine agni dealbatos, Apoc. VII, 14. veſtes ipſis diligenter ſunt cuſtodiendæ, ne auferantur, Apoc. XVI, 15. Repete heic typum Joſuæ pontificis, qui *veſtibus* indutus *mutatitiis, cidarim* in capite *mundam* gerebat, Zach. III, 5. veſtes gerit hæc ſponſa regia acupictas, Pſ. XLV, 15. ornatus ipſius eſt juſtitia Chriſti & ſanctitas, quæ eſt veſtis *variegata* (qualis virginum) *& verſicolor* ob varios fructus & dona Spiritus S. Gal. V, 22. 2. Pet. I, 5-7. quibus in aliorum oculis quoque ornantur, 1. Pet. II, 12. & tanquam dilecti Dei agnoſcuntur à mundo Apoc. III, 9. *Peplus pudicitiæ & pietatis* ſymb. Eccleſiæ convenit & Doctoribus ejus genuinis. Hæc eſt *corona* illa quam ſedulo ſervant, ne abripiatur ipſis, Apoc. III, 11. caſta mente Deo ſerviunt, ut ſupra vidimus, & *pietas* eſt virtus ipſorum cardinalis, qua dignoſcuntur à meretricibus Antichriſtianiſmi & falſis doctoribus, 2. Cor. II, 17. Apoc. XXII, 4. XVIII, 2. 3.

XII. 10. Quoniam *pudicitia* ſummum virginum decus erat, ſedulo eam ſervabant, & virginem *violaſſe* ſummum habebatur *nefas.* Ita filii Jacobi dolore affecti ſunt & accenſa eſt ira eorum, quum audiviſſent, quod *Sichem flagitium commiſiſſet, violando ſororem ipſorum,* Gen. XXXIV, 7. ſimiliter Thamar Ammoni inceſtum tentanti reſpondebat, 2. Sam. XXIII, 12. 13. *Ne comprimas me, frater, hoc enim nefas eſt in Iſraële. Ne tantum flagitium committas. Quomodo ego opproprium hoc declinarem? & tu eſſes tanquam flagitioſiſſimus in Iſraële.* quare Ammon morte hoc ſcelus luebat, v. 32. Severa quoque lege meretrices ex populo Dei proſcribebantur, Deut. XXIII, 17. & violata ſeu *deflorata virgo* nomen eſt maximi dedecoris, conf. Thren. V, 11. Jeſ. XXIII, 12. Simili ratione Lacedæmonum Magiſtratus pudicitiæ virginum ita caverat, ut qui virginem violaſſet, mortis reus eſſet. MARCELLINUS *ad Hermogenem:* Νόμος ἐν Λακεδαίμονι, τὸν βιασάμενον (τὴν κόρην) θανάτῳ ζημιοῦσθαι. *Lex eſt Lacedæmone, qui* (virginem) *violaverit, ut morte mulctetur.* Vid. MEURS. *in Lacon. Lib.*

II. cap. 3. RHODIGIN. *Lect. antiqu. Lib. XIV. cap. 1.* & virgo deflorata omnibus eſt contemtui expoſita; unde CATULL. *in Epithal.*

Sic virgo, dum intacta manet, tum cara ſuis; ſed
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.

Eccleſia quoque cum doctoribus eſt inviolabilis. Quare dictum Domini, Pſ. CV, 15. *Ne attingitote unctos meos, & prophetas meos ne lædite.* Nam hos qui tangit & lædit, *tangit pupillam oculi ejus,* Zach. II, 8. Quando pueri petulantes Prophetæ Eliſæ honorem negligentes, inclamabant: *Calve aſcende, calve aſcende,* à duabus urſis rapacibus dilacerati pœnas luebant, 2. Reg. II, 23. 24. Judæi quoque in *Pirke aboth* paſſim & in aliis locis, quæ apud CARTHWRIGHTUM *in Mellif. Hebr.* ubique obvia ſunt, *violationem doctoris* inter ipſos ſummum nefas & capitale ſæpe pronuntiant. Et violatio ſummi Prophetæ, Meſſiæ, quem deceptorem & pſeudoprophetam populo deprædicabant, Phariſæis peſſime ceſſit, viamque ſalutis præcluſit, Matth. XII, 24. 32. Qui vero ſuam non tuetur coronam, nec ſervat veſtes, decus illud virgineum, væ illi denuntiatum eſt. Apoc. III, 22. qui cum meretrice illa Babylonis myſticæ vel etiam mundi ejusque voluptatum ſcortati ſunt & decus virginitatis ſuæ negligunt, plagas ejus non effugient, Apoc. XVIII, 3. 4. Jac. IV, 4.

XIII. II. In *ſacris* quoque adhibitas fuiſſe virgines apud antiquas gentes, legimus. Inter *ſacerdotes* enim Bonæ Deæ, Dianæ, Junonis & Veſtæ apud Romanos, *virgines* erant. Huc reſpicit HORATIUS:

Dianam teneræ diſcite virgines.

Ita PAUSAN. *in Laconicis:* Πλησιὸν δέ Ιλαέιρας καὶ Φοίβης ἐςὶν ἱερὸν. Ὁ ποιήσας τὰ ἔπη τὰ κύπρια, θυγατέρας αὐτὰς Απόλλωνος φησὶν εἶναι. Κόραι δὲ ἱερῶνται σφισι παρθένοι. *In propinquo, Hilairæ & Phœbes fanum eſt. Qui carmina cypria fecit, filias Apollinis eſſe ipſas dicit. Sacerdotes earum virgines ſunt.* De Sacerdotibus *virginibus bonæ Deæ* binas inſcriptiones exhibet DEMSTER. *ad Roſin. Lib. II. p. m. 249.* quarum altera eſt:

ÆLIA.

ÆLIA. NICE. SACERDOS.
BONÆ. DEÆ.
SE. BIBA. COMPARAVIT.
SIBI. ET. ALUMNÆ. SVÆ.

De *virginibus Veſtalibus* quam maxime apud omnes Mythologos conſtat, eas Deæ Matris ſ. Veſtæ ſacra curaſſe & ignem æternum in ara cuſtodiviſſe, & coronas ſeu vittas in capite geſtantes inviolabiles fuiſſe. Huc refer LUCAN. *Lib. I. Pharſ. v. 596.*

Veſtalemque chorum ducit vittata ſacerdos,
Trojanam ſoli cui fas vidiſſe Minervam.

Et quando talis ſacerdos virgo ſe polluerat, viva defodiebatur; quo reſpicit SIL. ITAL. *Lib. XIII.*

Nec par pœna tamen ſceleri, ſacraria Veſtæ
Polluit exuta ſibi virginitate ſacerdos.

Unde & in nummis apud BEGER. *l. c. Tab. XIX. n. 11.* apparet virgo cum vitta & ſympuvio ſ. lampade, addita inſcriptione, VESTALIS S. C. ſimiliter *Tab. L. n. 23. & Tab. LIII. n. 23.* apparent quatuor Veſtales ad aram ſtantes, in qua ignis æternus adſervabatur, indutæ ſtolis & vittis, adſtantibus duobus Camillis; cum epigraphe, VESTA S. C.

Eccleſia quoque Deo ſacra eſt & conſecrata. Eſt enim ἐκκλησία cœtus evocatus ex reliqua mundi multitudine, & ſancta Deo. Doctores ejus inprimis Deo ejusque miniſterio ſunt conſecratæ virgines & ſacerdotes. Hi ſunt coëmti ex hominibus *primitiæ* Deo & agno *conſecratæ*, Apoc. XIV, 5. Præfigurati hac in re erant per *primogenitos*, qui Deo ſacri erant, de quibus Exod. XIII, 2. *conſecra mihi omne primogenitum. Sacerdotes* ſunt Dei altiſſimi, qui caſta & virginea mente, i. e. pura conſcientia & corde purificato accedunt ad aram & ſanctuarium Jehovæ, Hebr. X, 21. 22. qui *ſacrum ignem* Spiritus S. qui ſacrificia fidelium in cineres vertit & Deo grata reddit, perpetuo non in ſe ſolum ſed in aliis quoque conſervare ſedulo ſtudent, 1. Theſſ. V, 19. Apoc. III, 2. Ipſi tanquam Seraphim igne amoris ac zeli gloriæ divinæ ardent, acti hoc Spiritu. *Vittas* gerunt inſtar *Veſtalium*, ſunt enim ſpirituales ςεφανηφοροι, quibus *tuenda eſt corona* ipſis conceſſa, Apoc. III, 11. Puritatis & caſtitatis eosdem inſtar

ſtar virginum Veſtalium oportet eſſe ſtudioſiſſimos; impuri enim & conſcientiam polluti, grave referent ſupplicium. Ezech. XXXIII, 6. 8. Matth. XXIII, 14. cap. XXII, 12. 13. Et quemadmodum olim virgines diis tanquam victimæ offerebantur, conf. ex locis ſacris, Pſ. CVI, 37. 38. 2. Reg. XXIII, 10. Jer. VII, 31. & profanis ſcriptoribus MEURS. *Lacon. Miſcell. Lib. II. cap. XV.* GEUS. *de victim. hum. p. II. p. 210. ſq.* Ita ſe ipſos Deo victimam ſacram ſiſtunt, Phil. I, 20. II, 17.

XIV. 12. In *nuptiis* virgines *ſociæ* erant ſponſæ, eamque comitantes præibant *facibus* in manu, ſeu *lampadibus* accenſis nuptialibus, & canentes *hymnum* nuptialem. Quum noctu celebrarentur nuptiæ, & ſponſa ad domum ſponſi eſſet deducenda, *facibus* opus erat, quas gerebant *innuptæ puellæ*, ut canit AUSONIUS. Huc reſpicit quoque JUVENAL. *Sat. 3.*

- - comitum longiſſimus ordo;
Multum præterea flammarum atque ænea lampas,
Me quem luna ſolet deducere &c.

HOMER. *Il. VI. 491.*

Νύμφας δ' ἐκ θαλάμων, δαΐδων ὑπολαμπομενάων
Ἠγίνεον ἀνὰ ἄςυ.
Sponſas autem e thalamis tædis ſubaccenſis
Ducebant per urbem.

Et STATIUS in *epithalam. Stellæ.*

- - quatiuntque novena
Lampade ſolemnem thalamis coëuntibus ignem.

Et alibi

Fronde virent poſtes & fervent compita flammæ.

Huc refer inſcriptionem, quam ex GRUTERO adfert KIPPING, *antiq. Rom. p. 699.* COS. AUG. PUBL. CLAUD. QUÆST. ÆR. ANTONIN. VOLUMIAM. VIRGINEM. VOLENT. AUSP. E. PARENT. SUO. IS. COEMIT. ET IV. FACIB. IN DOM. DUXIT. Plura lege apud Cel. LAMP. in *Pſ. XLV. p. 826.* STUCK. *antiq. conviv. Lib. III. c. 24. f. 412.* BARTH. *in Claudian. Comm. p. 834.* & a variis citatus de ROA. *in Sing. Lib. II. cap. 21.* ZORN. Diſſ. *de antiq.*

antiq. ænigm. in cœn. nupt. uſu p. 3. in not. Quod autem cecinerint carmina nuptialia lætosque *hymnos*, egregie docemur ex THEOCRIT. *Idyll. 18. v. 2. 3. 7. 8.*

Παρθενικαὶ θάλλοντα κόμαις ὑάκινθον ἔχουσαι,
Πρόσθε νεογράπτω θαλάμω χορὸν ἐστάσαντο.
Ἄειδον δ᾽ ἄρα πᾶσαι ἐς ἓν μέλος ἐγκροτέοισαι
Ποσσὶ περιπλέκτοις, περὶ δ᾽ ἴαχε δῶμ᾽ ὑμεναίῳ.
Virgines virenti coronatæ hyacintho,
Ante recens depictum thalamum chorum inſtituere.
Concinebant omnes carmen unum applaudentes
Pedibus connexis, atque domus inſonuit hymenæo.

& CATULLO in *epithalam. Juliæ:*

Vos item ſimul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite.

nec non *ep. 63.*

Surgere jam tempus, jam pingues linquere menſas,
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.

Conf. etiam Cel. LAMP. *l. c. p. 525.*

Huc alluditur non ſolum Pſ. XLV, 15. 16. *Virgines amicæ ejus poſt eam ad te adducentur. Deportantur cum ſumma lætitia & exultatione, ingrediuntur palatium Regis.* ſed & Matth. XXV, 1. *Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus, quæ ſumtis facibus ſeu lampadibus ſuis, exierunt in occurſum ſponſi.* nec non *Luc. XII, 35. 36. Succincti ſint lumbi veſtri, ardentesque lampades. Et ſimiles eſtote exſpectantibus Dominum a nuptiis ſurgentem.* Tales ſunt Doctores Evangelii, qui ſponſam, i. e. Eccleſiam veram comitantur tanquam ſocii, & præeunt tanquam ductores, *ἡγούμενοι*, Heb. XIII, 17. geſtantes *faces* ſeu lampades non ſolum *veritatis* atque Evangelii, quibus viam ad cœleſte palatium, in quod Eccleſia Dei eſt domiducenda, oſtendunt; ſed & face & lampade *ſanctitatis* vitæ & fidei, quæ ſemper oleo Spiritus inſtructa ardet. Heb. XIII, 7. quare *Lampadis* inſtar ſunt in obſcura & perverſa hujus mundi progenie, 1. Pet. II, 12. & tanquam Lux mundi aliis ſplendore operum bonorum prælucent, Matth. V, 14-16. Præeunt

quoque *hymnis* nuptialibus, occupati in decantanda laude ſponſæ cœleſtis atque inprimis ſponſi, cujus amabilitatem, pulchritudinem deprædicant coram mundo & animabus adhuc alienis ab ejus communione. Acclamant ex Cant. III, 11. *Prodite, & ſpectate puellæ Zionis, Regem Salomonem, cum corona, qua cinctus eſt a matre in die nuptiarum, die læti animi ejus.*

XV. 13. Supereſt ut prædicatum, quod virginibus noſtris in Pſ. noſtro tribuitur, paucis illuſtremus. Vocantur enim *TYMPANISTRIÆ*, תופפות à voce תוף quæ tympanum deſignat: Ex ſupra dictis conſtat virgines Hebræas æque ac Græcas Romanasque perpetuo in thalamis ſuis fuiſſe operoſas & incluſas; in publicis tamen occaſionibus majoris momenti prodibant. Sc. 1) in *luctu publico*, ubi ſæpe per choros exibant e thalamis. Veluti filiæ Iſraëlitarum quotannis procedebant ad deflendam filiam Jephthæ in montibus, Jud. XI, 42. ita David in lamentatione ſua de Saule occiſo, 2. Sam. I, 24. *Filiæ Iſraëlis, plangite de Saule, qui veſtiebat vos dibapho cum deliciis.* 2) Similiter *in nuptiis chori virginei* apparebant, veluti §. *præced.* de puellis lampadas ferentibus vidimus. Ita HESIOD. *ſcut. Herc. v. 276.*

- - Ταὶ δ' ἀγλαΐῃ τεθαλυῖαι
Πρόσθ' ἔκιον. Τοῖσιν δὲ χοροὶ παίζοντες ἕποντο.
Mulieres autem venuſtate florentes
Præibant, quas chori ludentes ſequebantur.

Et quidem adhibitis *tympanis* prodibant, uti docet MART. CAPELLA *Lib. XI. de nuptiis Phil. & Mercur: Sed ecce magno* tympani *crepitu crotalorumque tinnitu univerſa diſſultant, eousque ut Muſarum cantus aliquando bombis* tympani *obſcurior redderetur,* &c. *quæ mos fuerat nubentes Deas in cœleſtis thalami venire conſortia.* Quare DOLSCIUS quoque canit:

- - τέρενες κόπτουσαι τύμπανα κοῦραι
- - *teneræ pulſabant* tympana *puellæ.*

Conf. etiam PFEIFF. *antiq. Græc. Lib. IV. C. 15. p. m. 643.* 3) in *feſtis* & ſacris publicis *chori* virginum conſpiciebantur prodeuntium, Judic. XXI, 19. 21. *Feſtum Jehovæ eſt Schilunte quotannis. Ecce quum exiverint puellæ Schiluntis ad choreis ſaltandum.* & JUL. *obſ. c. LII.* ait:

ait: *Virgines viginti ſeptem carmen canentes urbem luſtrarunt*, ſc. in pompa luſtratoria: conf. Cl. LOMEIER. *de Luſtr. Cap. XIII. p.* 157. In *ſacris Bacchi* & publica lætitia tympana adhibebant ſimul, veluti docemur ex EURIPID. *in Bacch.*

> Μέλπετε τὸν Διόνυσον βαρυβρόμων ὑπὸ τυμπάνων.
> *Canite Bacchum* tympanis *graviſonis.*

Et OVID. *Metam. Lib. IV.*

> *Quacunque ingrederis, clamor juvenilis & una*
> *Fœmineæ voces, impulſaque* tympana *palmis*
> *Concavaque æra ſonant.*

GOLZIUS *in numiſm. Græc. Tab. XXVI. n.* 1. exhibet nummum, ubi apparet Bacchus cum inſcriptione ΣΟΤΗΡΟΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ. SERVATORIS BACCHI. ab adverſa parte Bacchus ſtans in curru hedera ornatus; currum triumphalem trahit tygris & lynx; adeſt Satyrus, qui manu *tympanum* gerit. Vide nummum expreſſum *in Tab. noſtra n.* 4. 4) in *triumphis* ſolennibus prodibant virgines, cum inſtrumentis muſicis, & carmina læta canentes. Egregius eſt locus in hanc rem, Exod. XV, 20. ותקח מרים הנביאה אחות אהרן את התף בידה ותצאן כל הנשים אחריה בתפים ובמחלת *Accepit ergo Mirjam, Prophetiſſa, ſoror Aaronis*, tympanum *in manu ſua & egreſſæ ſunt omnes mulieres poſt eam cum* tympanis & *tibiis.* Ita Jephthæ *triumphanti* occurſum ibat filia *cum tympanis* & choreis, Judic. XI, 36. Similiter de triumpho Davidis legimus, 1. Sam. XVIII, 5. *Quum reverteretur David a prælio cum Philiſtæis, prodibant fœminæ ex omnibus civitatibus Iſraëlis ad cantandum, & earum choreæ obviam Schauli Regi*, cum tympanis *præ lætitia & cum panduris. Tympana* quoque audiuntur in triumphali arcæ Dei adductione, 2. Sam. VI, 5. Huc quoque alluditur Jer. XXXI, 4. *Adbuc exſtruam te, ut ædificeris, virgo Iſraëlis*, עוד תעדי תפיך ויצאת במחול משחקים *Et adhuc te ornabis* tympanis, *& egredieris cum choro ludentium.* conf. v. 13. Nec non Jeſ. XXX, 32. Gen. XXXI, 27. Hiob XXI, 12. Jeſ. XXIV, 8. & alibi. De cytharœdis, tubicinibus, tityriſtis in triumphis Romanorum vid. *Jul. Cæſ.* BULENG. *Comm. de triumph. p. m.* 71. *cap.* 28. Et ad hunc ritum ultimum *triumphalem* reſpici in Pſalmo

noſtro potiſſimum cenſemus, quia Meſſias v. 19. ut heros triumphator proponitur.

Tympaniſtriæ myſticæ ſunt Doctores Evangelii, utpote qui ſunt *citharistæ* illi, *qui pulſant citharas* & canebant canticum novum ante thronum Dei, Apoc. XIV, 2. 3. Hi ſunt XXIV Seniores, qui procidebant in conſpectu agni triumphantis, ſinguli ***habentes citharas** & **phialas aureas. Et cecinerunt canticum novum***, Apoc. V, 8. 9. ***citharæ***, lyræ, tubæ, aliaque inſtrumenta muſica, imo ***tympana*** quoque emblema ſunt præconii Evangelii, Pſ. LXXXI, 3. Recte ergo virginibus hiſce myſticis tribuitur, quæ ***pulſant*** tympana prodeuntes. Mox ea pulſant in ***luctu*** publico, quando θρῆνον ebuccinant & ad reſipiſcentiam invitant, veluti Jeſ. LVIII, 1. mandatum legitur: ***Exclama toto gutture, nec cohibeto, vocem tuam tubæ inſtar tolle, & indica populo meo defectiones & domui Jacob peccata ipſorum.*** Conf. Ezech. XXXIII, 1-10. ***Lætis*** quoque temporibus, præcipue in triumphis tum Meſſiæ, tum Eccleſiæ militantis tympana quaſi pulſant, quando hymnos gratiarum Deo perſolvunt. Sic agno mactato & triumphanti ***accinunt hallelujah***, deponentes coronas illi acclamant, Apoc. IV, 11. ***Dignus es Domine, qui accipias gloriam & honorem & virtutem. Quia tu condidiſti omnia, & per voluntatem tuam ſunt & creata ſunt.*** Et canticum illud novum Apoc. V, 9. ***Dignus es qui accipias librum & aperias ejus ſigilla. Quoniam mactatus es, & redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum.*** quare triumphum ſuum agere Meſſias dicitur cum clangore, & cum ſono buccinæ, Pſ. XLVII, 6. Præëunt hi reliqua membra Eccleſiæ deprædicatione & celebratione virtutum Meſſiæ, Ducis ſalutis, in quo fideles ipſi victores evadunt, Rom. VIII, 37. & de triumpho ejus participant, Rom. VIII, 17. 2. Tim. II, 12.

XVI. Beati ergo qui tanquam virgines tympaniſtriæ chorum Apoſtolorum ſecuti, nocte dieque in decantatione perfectionum Ducis ſui perſeverant. Beati illi, de quibus dici poteſt: ***Hi ſunt virgines, non inquinati cum mulieribus***, Apoc. XIV, 4. Vivimus in medio Antichriſti; meretrix hæc Babylonis variis artibus & blanditiis corda credentium ad impuras ſuas voluptates idololatriæ ſpirituales allicere ſatagit, quibus varias inebriat gentes atque nationes. Tyrus hæcce myſtica dulce

ce melos pſallit, Jeſ. XXII, 15. beatus qui aures ſuas occludit. Gratulamur nobis de puro Evangelicæ veritatis theſauro; ſed & a nobis tanquam a virginibus in puro cordis vaſe adſervandus eſt. Nobis acclamat ſponſus cœleſtis: Jeſ. LII, 11. *Recedite, recedite, impurum ne attingitote, vaſa ſacra Jehovæ geſtantes.* Eccleſia *virgo* ſit oportet *pura, caſta, pulchra, ornata.* Sed proh dolor quam pauca harum qualitatum veſtigia ſuperſunt in hodierna Proteſtantium Eccleſia! virgines ſunt, puræ veritatis ſtudioſæ, ſed quam miſere puram veritatis confeſſionem impuro vitæ genere polluunt. Pauci in ſordibus noſtri ævi ſuperſunt, qui *veſtes ſuas non inquinarunt*, Apoc. III, 4. Voluptates mundi & ipſius carnis in externa Eccleſia & proh dolor in haud paucis pſeudodoctoribus tanti fiunt, ut anima, quæ ſolius Dei amori conſecrata eſſe deberet, mundi amore & carnis deliciis ſæpe tota abripiatur. O ſi Numen illud, cujus oculi ſunt flammæ inſtar, corda multorum ſcrutaretur, quot abominationum & ſcortationum ſpiritualium abyſſi nonne detegerentur? Ubi ſunt, qui virginea & pura cum conſcientia ad Deum ejusque aram accedunt? Evigila ergo Zion! fatuæ cum prudentibus virgines ſomnum excutite, præparate lampades veſtras, inſtruite per preces oleo ſpiritus, reſpuite omnes extra ſponſi veſtri cœleſtis communionem delicias a mundo vel carne oblatas. Neglecto omni mundano ornatu, imagine divina ceu pretioſiſſimis gemmis & veſtibus acupictis cum filia Regis ornari deſiderate, quærite, ſtudete. Coronam & peplum libertatis conſcientiæ ac pacis animæ ſemel conceſſum diligenter & curate cuſtodite, tuemini, æſtimate, Jer. II, 32. Purum Deo animum ſiſtite, purum quoque corpus offerte in ſacrificium vivum, Rom. XII, 1. Caſta Deum mente adite. Virginum inſtar ſecluſæ a mundi conſortio vano & periculoſo vivite; cum Lotho exite e Sodoma hac. Veſtrum eſto ſymbolum perpetuo obſervandum: MALO MORI, QUAM FOEDARI.

EXERCITATIO IV.
DE
HABITANTE SUPER CHERUBIM SYMBOLICIS.
PSALM. LXXX, 2.

ARGUMENTUM.

§. I. Scopus, nexus & alluſio hujus Cantici S. breviter proponitur. §. II. Onomatologia τῶν CHERUBIM inquiritur. §. III. Cujus in ſcriptis ſacris ſymb. ſint, indagatur. Eos fuiſſe ſymbolum, *non Chriſti, non virtutum divinarum, nec nubium & venti, ut quidam volunt. §. IV. Sed angelorum, quod demonſtratur ex loco Gen. III, 24. qui explicatur, nec non ex variis alluſionibus ſcripturæ & teſtimonio Judæorum. §. V. Locus Ezech. XXVIII, 14. illuſtratur. §. VI.* Typos *quoque fuiſſe docetur Apoſtolorum & Doctorum. §. VII. Et omnium fidelium, quod contra Cl. Witſium probatur. §. VIII. Analogiæ exhibentur, ſc. quoad cauſam eorum efficientem. §. IX. quoad materiam. §. X. quoad formam, ubi variæ virorum Doctiſſ. ſententiæ recenſentur & noſtra ſubjungitur, forma Cherub. ex Sphingibus Ægypt. illuſtratur & differentia formæ Cherubinorum explicatur. §. XI. Forma juvenilis Cherubim myſtice exponitur. §. XII.* Alæ *eorum explicantur & alluſiones ſcripturæ ad eas adducuntur. §. XIII. Quadruplex eorum forma, & cur* quatuor animalia *vocentur, inquiritur & ſenſus hieroglyphicus eruitur. §. XIV.* Situs *varius Cherubinorum indagatur cum myſterio illius. §. XV. Phraſis* habitare *vel* ſedere *ſuper Cherubim illuſtratur Deoque vindicatur. §. XVI. Epilogus practicus additur.*

Inter

I.

INter egregia illa, quæ Meſſiæ Pſalm. LXXX, 2. attributa tribuit Spiritus S. etiam illud eſt, quod conſideretur tanquam ישב הכרובים SEDENS ſive HABITANS (inter vel ſuper) CHERUBIM. Phraſin hanc ſæpius in ſcriptis ſacris memoratam deprehendimus, veluti 1. Sam. IV, 4. 2. Reg. XIX, 15. 1. Par. XIV, 6. Pſ. XCIX, 1. Jeſ. XXXVII, 16. 2. Sam. V, 2. Dan. III, 54. uti & Pſ. LXXX, 2. Quilibet facile animadvertit, alludi haece deſcriptione ad modum illum externæ apparitionis & revelationis, qua Deus ſub V. T. ſe conſpiciendum præbebat & voluntatem ſuam populo manifeſtabat. Symbolum enim externæ præſentiæ Majeſtatis divinæ erat *columna nubis & ignis*, quæ primum Dux itineris Iſraëlis per Arabiæ deſerta exiſtebat, & dein exſtructo Tabernaculo, in ipſius adyto, in ſpecie ſuper alis Cherubinorum in propitiatorio utrinque conſtitutorum, reſidebat, Exod. XL, 34. quod & fiebat in adyto templi, illius ſtructura ad finem perducta, 1. Reg. VIII, 10. Et quoniam per hoc columnæ ſymb. ſe manifeſtabat Jehova, in ſpecie Filius Dei; & illud incumbens concipiendum eſt Cherubinorum alis, recte *ſedere* vel *habitare ſuper Cherubim* dicitur, præcipue cum Deum in columna nubis & ignis in forma viſibili Angeli apparuiſſe, cum Viro Doctiſſimo & Cel. LAMPIO in Diſſ. de Spiritus S. apparitionibus quæ eſt ſeptima, §. *XI. & XII.* ſtatuamus. Adeoque & ſæpius in forma viſibili ſuper propitiatorio apparuiſſe in nube, non eſt dubium. Eam ob cauſam *in caligine habitare*, 1. Reg. VIII, 17. cum reſpectu ad nubem, & alibi *in luce habitare*, 1. Tim. VI, 16. & quidem *inacceſſa* dicitur, quia aditus ad SS. prohibebatur velo. *Lux veſtis* ejus dicitur, Pſ. CIV, 2. Huc quoque reſpicit viſio Jeſ. VI, 1--3. quam infra excutimus. Ex voce הופיע *illuceſce* apertam ad ignem ſplendidum columnæ, & ex titulo præcedente, *Paſtor Iſraelis, qui Joſephum ducis inſtar gregis*, manifeſtam alluſionem ad uſum hujus columnæ in deſerto, quæ Iſraëlem ducebat, deprehendimus.

II. Quod vero vocem כרובים *CHERUBIM* concernit, unde illa derivanda ſit, tot ſunt Interpretum divortia, ut vix recenſere omnia queamus. Plerique Rabbinorum idem eſſe volunt ac כרביא *ſicut puer*, quoniam forma eorum puerorum ſimilitudinem maxime habue-

habuerit. Alii cum CORN. à LAPIDE a רב דכר *multum ſcientiæ*, quia denotant Spiritus inſigni ſapientia præditos. Alii cum MORINO a כרוב *ſicut multitudo*, quia ingens eorum multitudo & integri exercitus memorantur. Plura lege apud Cl. LIEBENTANZ *Diſſ. de Cherubim c. I. §. 2. 3. ſq.* PFEIFFER. *dub. vexat. Cent. I. Loc. X. p. m. 32. ſq.* HULS. *de vall. Proph. p. 7. ſq.* GRELLOT. *in Prodr. apoc. p. 64.* alios. Doctiſſ. HILLER in *Synt. Herm. p. m. 292.* derivat a voce antiqua כרב quod ipſi *tegere* notat, quia Cherubim tegebant propitiatorium. Cel. HULS. l. c. voci כרב tribuit ſignificatum *arandi*, quoniam ſc. Syrorum ܟܪܰܒ & Arabum كَرَبَ *arare* ſignificat, vid. GOL. *Lex. Arab. ad h. v.* Exinde autem deducit ſignificationem *pingendi*, quia *Cherubim picturæ* erant & ſymbola aliarum rerum. Alii autem ex ſignificatione *arandi* formam *bovis* aut vitulinam eliciunt. Duæ tamen ſuperſunt virorum Doctiſſimorum ſententiæ, quæ majori probabilitatis ſpecie ſe commendant. Prima eſt CASTELLI in *Lex. Heptagl. col. 1705.* Doct. SPENCER. *Lib. III. de Leg. Hebr. Diſſ. V. ſect. 1. p. 845.* Cel. DEYLING. *Obſ. S. Part. II. p. 582.* & Celeb. Doctiſſimique Franeq. Theologi A. W. MELCHIORIS *in diſſ. de Cherub. gloriæ*, quæ defendit ſignificationem τȣ̃ כרב, qua *robur & fortitudinem* deſignat, veluti apud Syros ܟܪܘܒܐ *potentiam* denotat. Huc reſpicit dubio procul PHILO quando *Opp. p. 465.* Cherubim explicat τὰς τȣ̃ Ὄντος δυνάμεις *potentias Summi Entis.* Et in ſcriptura *angelis*, quorum primarium erant ſymb. robur & potentia tribuitur, Pſ. CIII, 20. ſufficiat ad hoc probandum: *Benedicite Jehovæ angeli ejus, VALENTISSIMI ROBORE.* Altera quæ ſuum quoque pondus habet, ſententia eſt MERCERI, VILLALPANDI, RIVETI, LUD. de DIEU, LIEBENTANZII & aliorum, quæ voci כרב ſignificationem τȣ̃ רכב tribuit, ut denotet *vectus* eſt. Chaldæis enim כרובא סוסיא *clitellæ* ſeu *ephippia* equorum vocantur, & כרוב 2. Reg. V, 19. ipſis eſt *milliare.* Apud Arabes كريب eſt *navis vectoria*, & كَرَبَ *preſſit*, velut inſidens equum *premit.* Et hac ratione optime figuræ illæ ſanctuarii vocantur כרובים quia Deus illis quaſi *inſidebat*, ut

ex

ex locis ſupra citatis apparet. Imo Cherubim מרכבה *currus* vocantur, quæ vox 2.Chron. I, 17. de equis vectoriis Salomonis occurrit, & Pſ. LXVIII, 18. angeli tanquam *currus Dei* conſiderantur. Quamcunque ex his binis elegeris ſententiam, ſignificationem ex hac derivatione commodam Cherubinis aſſignare poteris.

III. *CHERUBIM* ergo figuræ erant, juſſu Dei & ejus inſtinctu fabricatæ, incerta ac ignota forma præditæ, quæ non ſolum in oculis Iſraëlis ſymbolum, ſed & typus erant rerum ſpiritualium; quod præcipue de Cherubinis propitiatorii, ad quos in loco noſtro oculus intenditur a Pſalte, dici poteſt.

A. Dicimus fuiſſe *Symbolum*, & quidem *Angelorum*, ſeu ſpirituum inviſibilium, quorum miniſterio Deus in œconomia V. T. regenda ſæpius uſus eſt.

α. Rejicimus ergo illorum ſententiam, quæ ſtatuit, illos ipſius *Chriſti* & *Spiritus S.* ſymb. fuiſſe, veluti ORIGENES *hom. in Rom. III.* Verbum & Spiritum intelligit. Eundem ſequitur Cel. olim Duisb. Acad. Theologus H. HULSIUS, ita enim in *Diſſ. de Schechinah §. 43. p. 25.* (quæ recuſa in *Prærogat. Iſr. p. 597.*) loquitur vir doctus: *Definio igitur Cherubim binos hos eſſe Filium & Spiritum S. in œconomia ac miſſione occupatos; neque enim eſt quid majus duos hos Cherubim quam angelos Dei appellare, qui & revera a Patre procedunt & miſſionem & functionem in terris peragendam habent.* conf. *eundem de Vallib. Proph. Exerc. I. p. 8. ſq.* Verum pace Tanti Viri liceat mihi obniti, *tum* quia nullibi in ſcriptis ſacris veſtigia quædam alluſionis invenimus, qua Cherubim filii Dei ſymb. eſſe perſuadeamur; *tum* quia *propitiatorium* cui innitebantur hi duo Cherubim, typum Chriſti Mediatoris fuiſſe, aperte docet Apoſtolus, Rom. III, 25. jam vero non idem per Cherubim deſignari poterit. Et *Columna* nubis *Spiritus Dei* typus fuit, ut pluribus evicit Doctiſſ. olim Bremenſ. Theol. T. HASæus in diſſ. doct. *de Spiritu S. gloriam templi II. ſua præſentia aucturo, Brem. 1724. §. 3. ſq.* & ipſius *Mediatoris* quoque alio reſpectu, uti ex Joh. I, 14. & alibi, conſtat. Late argumenta contraria quoque refutat Cel. LAMP. in *Pſ. XLV. p. 122. ſq.* Quare nec eorum probare poſ-

M ſumus

ſumus hypotheſin, qui duplicem Chriſti naturam depictam heic quærunt, veluti GEORG. VENET. *in harm. mundi cap. 21.*

β. Ἄγραφα quoque ſunt, & nullo ſcripturæ teſtimonio confirmanda, quæ de ſymbolo τῶν Cherubim adducit PHILO, qui duarum Dei virtutum & potentiarum ſymbolum eos eſſe aſſerit. Ita *Opp. p. m. 517. de Vita Moſis Lib. III.* ſcribit, refutans ſimul eorum ſententiam, qui utrumque orbis hemiſphærium intelligunt: Χερȣβὶμ, ὡς δ᾽ ἂν ἕλληνες εἴποιεν ἐπίγνωσις καὶ ἐπιστήμη πολλή. Ταῦτα δέ τινες μὲν φασὶν εἶναι σύμβολα τῶν ἡμισφαιρίων ἀμφοῖν, κατὰ τὴν ἀντιπρόσωπον θέσιν, τȣ̃το ὑπὸ γῆς καὶ ὑπὲρ γῆν. πτηνῶν γὰρ ὁ σύμπας ȣ̓ρανός. Ἐγὼ δ᾽ ἂν εἴποιμι δηλȣ̃σθαι δι᾽ ὑπονοιῶν τὰς πρεσβυτάτας, καὶ ἀνωτάτω δύο τȣ̃ Ὄντος δυνάμεις. τὴν δε ποιητικὴν καὶ βασιλικήν. *Cherubim, hæc eſt multa ſcientia. Per has quidem ajunt ſignificari utrumque orbis hemiſphærium, quod opponatur ſubterraneis, quæ ſupra terras eminent. Nam totum cœlum eſt volucre. Ipſe per has figuras intelligo duas antiquiſſimas ſupremasque Entis Summi potentias, alteram conditricem, alteram rectricem.* Nec non *in lib. Quis rerum div. hæres ſit. Opp. p. m. 393. in fin.* Λαλήσω γάρ σοι, φησὶν, ἄνωθεν τȣ̃ ἱλαστηρίȣ ἀνὰ μέσον τῶν δυοῖν χερȣβὶμ, ἵνα ἐπιδείξῃ, ὅτι αἱ πρεσβύταται τȣ̃ Ὄντος δυνάμεις ἰσάζȣσιν, ἡ δὲ δωρητικὴ, καὶ ἡ κολαστήριος. *Loquar tibi, inquit, ſupra propitiatorium inter duo Cherubim: ut oſtenderet, quod antiquiſſimæ Entis ſummi potentiæ pares ſint, benefica & ultrix.*

γ. Sunt etiam qui *Cherubim* ſymb. *nubium* & *ventorum* conſtituunt, veluti Cel. HULS. *de Vall. p. 8.* quoniam 2. Sam. XXII, 11. Pſ. XVIII, 11. de Jehova dicitur. וירכב על כרוב ייעפ וידא על כנפי רוח *Et vectus eſt ſuper cherub, & volat ac movet ſe ſuper alas venti.* Verum alluſionem, ni fallimur, heic deprehendimus ad *columnam nubis & ignis*, quia verſ. ſeq. dicitur Deus *tenebras* conſtituiſſe *tentorium ſuum*, cum qua phraſi confer. Exod. XX, 21. 1. Reg. VIII, 12. 2. Chron. VI, 1. & angeli, quorum ſymb. erant Cherubini, *ventis* comparantur Pſ. CIV, 4. quare deſcriptionem hanc ſenſu myſtico de glorioſo imperio Dei in Eccleſia N. T. intelligimus, & phraſes a veteri Dei in tabernaculo inhabitatione deſumtas cenſemus.

IV. Po-

IV. Potius ergo aſſerimus, ſcriptura facem nobis præferente, CHERUBIM ſymbolum fuiſſe

A. ſub V.T. ANGELORUM. Hoc ut demonſtremus

a) Confugimus ad locum, ubi prima eorum mentio occurrit *Gen. III, 24.* ubi Deus poſt expulſum hominem, paradiſi cuſtodes conſtituit הכרובים ואת לחט החרב המתהפכת *Cherubim & flammam gladii ſeſe vibrantis.* Ubi non cum Patribus quibusdam *zonam torridam*, vel cum GROTIO & HOTTINGERO lacum ſulphureum atque igneum, paradiſum abſorbentem, nec cum PROCOPIO, MUSCULO & aliis aves quasdam terribiles & beſtias horrendæ formæ, nec cum LYRANO & ABULENSI murum quendam igneum paradiſum cingentem, nec cum R. SALOMONE & BAAL HATTURIM nocturnos & impuros dæmones, nec cum aliis *igneam* Dei *legem* intelligimus; ſed potius ANGELOS, quos Moſes heic כרובים nominat. Cum enim hæc ſcriberet, uſurpabat vocem, cujus ſignificatio Iſraëlitis notiſſima erat, utpote in quorum ſanctuario tales conſpiciebantur, qui Angelos ipſis in memoriam vocabant. Angelos enim hoc loco intelligi diſcimus ex eorum apparitione alias memorata, quæ cum noſtra congruit. Ita Bileamo in via apparebat *angelus*, *gladium* eductum manu tenens & vibrans Num. XXII, 23. qui viam Bileamo præcludebat. Alluſionem autem hic invenimus ad *eurum Palæſtinæ* maxime *noxium & igneum*, qui cum *gladio igneo* ob vim devaſtantem commode conferri poteſt, uti & VIRGILIUS loquitur, *fulmineum rotat enſem;* & quo cum ſæpiſſime angeli junguntur, quando judicia Dei exercentur, ut docuit Vir laude noſtra major, Celeb. & Doctiſſ. N. NONNEN in politiſſima Exerc. de *euri effectibus in Palæſt. ad illuſt. Matth. III. 11.* quæ legitur in MUS. BREM. *Vol. I. P. III. p. 511.* Quum ergo Angelos Moſes vocet Cherubim, apertum exhibet teſtimonium, angelos ſymbolice per Cherubim Sanctuarii fuiſſe exhibitos; veluti plerique quoque Interpretes ad h. l. angelos intelligunt. conf. quæ late de his cherubim, paradiſi cuſtodibus ex Patribus & Interpretibus excerpſit Cel. CHEMNIT. *in diſſ. de arbore vitæ*, recuſ. in CREN. *faſcic. II. p. 454. ſq.*

b) Probamus ex variis *alluſionibus* Scriptorum ſacrorum ad Cherubim

rubim V. T. quando de angelis loquuntur. Primarius locus eſt 1. Pet I, 12. εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι, *in quæ* ſc. myſteria paſſionum & gloriæ Chriſti, *angeli quoque cupiunt introſpicere*, ſe quaſi *incurvantes.* ubi manifeſte Apoſtolus reſpicit *Cherubim* binos, qui in propitiatorio incurvata verſus illud facie erant conſtituti, cupidi quaſi introſpicere myſteria propitiatorii. Ita *Apoc. VIII, 13.* occurrit *Angelus VOLANS* per medium cœli, qua deſcriptione dubio procul ad *alas* Cherubinorum & Seraphim, quibus volabant, alluditur, uti alæ τοῖς Seraphim tribuuntur, Jeſ. VI, 6. conf. Ezech. X, 5. ſimili ratione Apoc. XIV, 6. *angelus volans* per medium cœli cum Evangelio æterno, memoratur, uti & Gabriel Dan. IX, 21.

c) Plerique inter Judæos quoque per *Cherubim angelos* intellexerunt. Ita de IV. animalibus & Seraphim, quæ eadem cum Cherubinis erant, loquitur R. JEHUDA in *Chagig. c. 2.* (ברקיע) אתה כוננת השם אופנים שרפים וחיות הקדש ומלאכי השרת: *Diſpoſuiſti tibi (in expanſo) Ophanim ſ. rotas, Seraphim, animalia ſanctitatis & angelos miniſterii*, & MAIMON. *in More Neboch. p. III. cap. 3.* מהם שהעתיקנו ממלת חיות למלת כרובים והודיעני שהחיות הנזכרות תחלה הם גם כן מלכים רוצה לומר הכרובים אמר ובלכת הכרובים ילכו האופנים אצלם *Ex illis eſt, quod pro voce, Animalia, uſus eſt voce Cherubim, ſignificans nobis animalia illa, quorum primo mentionem fecerat, eſſe quoque angelos, hoc eſt Cherubinos. Sic enim ait: Et cum ambularent Cherubim, ambulabant rotæ juxta eos.*

V. β. Improprie vero vox כרוב quoque de Rege Tyri tum literalis tum myſticæ occurrit Ezech. XXVIII, 14. qui locus notabilis eſt. את כרוב ממשח הסוכך ונתתיך בהר קדש אלהים היית בתוך אבני אש התהלכת *Tu es Cherub, unctus protegens* (vel ex quo unxi te protectorem); *& poſui te, in monte ſanctitatis Dei eras, ambulans perpetuo inter lapides ignitos.* Quæ verba GLASSIUS interpretatur, ac ſi Rex Tyri ſe ipſum pro Cherub i. e. Angelo Dei haberet, & de præſtantia ac robore ſuo gloriaretur; & ad angelum cuſtodem paradiſi heic alludi cenſet *Tremellius*, ut obſervat Doct. LIEBENTANZ. in *diſſ. cit. §. V.* Deſcribitur autem heic gloria Regis Tyri. Si ſenſum litera-

literalem ſpectas, hic eſt ex noſtra ſententia: *Tu es Cherub*, i. e. inſtar angeli Dei & Cherub, qui alas ſuas in ſanctuario late expandit, alludendo ad magnos illos Cherubim cum alis magnitudinis miræ, a Salomone in ſanctuario poſitos 1. Reg. VI, 24. *ex quo te tanquam Regem Tyri inunxi & conſtitui, exſtitiſti in ſancto Dei monte.* Non ut plerique interpretes volunt, ac ſi proſelytus fuiſſet factus, ſed cum alluſione ad montem Zion, ſibi ipſi pretioſum ſanctuarium erat erecturus, atque ita *ambulaturus inter lapides ignitos.* Sunt qui myſtice hæc verba de Iſraëlitis vel fidelibus explicant, ſive etiam de divitiis Regis Tyri. Potius ſalvo aliorum judicio alludi cenſemus ad pavimenta tum palatiorum regiorum tum ſanctuariorum, quæ plerumque erant ex lapidibus pretioſis, præcipue *ſapphiro, pyropo,* qui *ignei coloris* erant, & ſtellulis quaſi igneis inſignitæ, quales me vidiſſe memini; huc alluditur Jeſ. LIV, 11. *Ecce ego diſponam lapides tuos cum ornatu, & fundamenta tua ponam ſapphiris, diſponam pyropo ſpecularia tua & portas tuas lapidibus carbunculi* &c. Hæc omnia ſenſu myſtico jam facile myſtico Tyri regi ſc. Antichriſto applicari quoque poterunt; id quod facit Cel. HULS. *de vall. proph. p. 31. ſq.*

VI. B. Inſuper & *Cherubim typos* fuiſſe aſſerimus, & quidem duplices; primario ſenſu Doctores N. T. Apoſtolos, Evangeliſtas, Paſtores, ſecundario vero omnes in genere fideles N. T. depingentes. Eodem modo, uti Sacerdotes V. T. non doctorum ſolum ſed & fidelium typum gerebant.

α. Typi erant *Apoſtolorum* reliquorumque N. T. Doctorum. *Tum* quia illi ſæpe *angeli* vocantur, quorum ſymbolum fuiſſe cherubim, probavimus. Sic angeli Jehovæ Zebaoth dicuntur, Mal. II, 5. veluti Johannes quoque Præcurſor Chriſti, angelus dicitur Mal. III, 1. & toties *angeli Eccleſiæ* vocantur Apoc. II, 1. 8. III, 1. 7. &c. *Tum* quia in deſcribendis Doctoribus N. T. variæ ad Cherubim V. T. alluſiones in ſcriptis ſacris occurrunt, uti in analogiis ipſis pluribus demonſtrabimus. Sufficiat jam locus *2. Cor. V, 18-20.* Qui reconciliavit nos per Jeſum Chriſtum (tanquam verum illud propitiatorium Rom. III, 25.) & *dedit nobis miniſterium reconciliationis*, & v. 19. *poſuit in nobis ſermonem reconciliationis* (tanquam typis *Cherubinorum*, qui perpetuo myſterium hujus

reconciliationis per propitiatorium non ſolum meditantur, ſed & aliis exponunt). & v. 20. *Itaque nomine Chriſti legatione fungimur* (tanquam angeli Dei, quorum ſymb. erant Cherubim) & *velut Deo rogante per nos, oramus Chriſti nomine*, (ſc. cum Chriſto, propitiatorio, arcte uniti inſtar Cherubim, ejus nomine rogamus) *reconciliamini Deo* (per propitiatorium quod vobis oſtendimus per præconium Evangelii). ita *Jeſ. VI, 6. Seraphim* (quorum analogia cum cherubim conſtat) conſiderantur tanquam ſacerdotes ad aram Dei miniſtrantes, quod doctores N. T. concernit. *Tum* denique accedit omnium fere Interpretum conſenſus, & inprimis Eccleſiæ antiquæ fides, quæ Evangeliſtis 4. & Apoſtolis emblema cherubinorum (ſc. *animalium quatuor*) tribuit, formam nempe *leonis*, *vituli*, *hominis* atque *aquilæ*. vid. IRENÆ. *Lib. III. cap. 11.* HIERON. *Lib. I. adv. Jovin.* & *in Ezech. c. I.* conf. J. THOMAS. *Diſp. in inſignia IV. Evangeliſt. Lipſ. 1667.* G. LUDOVICI *Comment. de Chaſmal p. m. 52.* AMEL. *in N. T. T. II. p. 468.* Cel. LAMP. *in Comm. in Job. Tom. I. p. 242.* GOERE *kerk. en wereltl. Geſch. p. 283.* &c.

VII. β. Inſuper ſenſu ſecundario typi erant omnium N. T. *fidelium.* Id quidem negat Cel. WITS. *in Oecon. fœd. p. m. 658.* Contra vero prolixe ſatis aſſerit Doctiſſ. & Cel. COCCEJUS in *Comm. ad Ezech. X. & cap. I.* Primarium Cel. *Witſii* argumentum eſt, quod ex nullo ſcripturæ loco id evinci queat. Sed licet nullum locum habeamus, ubi expreſſe hoc dicatur, varia tamen loca adducere poſſumus, in quibus de fidelibus cum alluſione ad *animalia* illa 4 *Ezech.* æque ac ad *Cherubim* ſanctuarii alluditur. Claram, niſi admodum fallor, ad *binos* ſanctuarii *cherubinos* alluſionem deprehendo *Col. I, 19-23. Libuit Patri*, ut *omnis plenitudo in eo habitaret* (veluti olim columna nubis in propitiatorio & arca, typo Chriſti, habitabat); *& ut pace per ſanguinem crucis facta, per eum reconciliaret omnia ſibi* (tanquam verum illud propitiatorium, quod ſanguine expiationis olim adſpergebatur), *tum quæ in terra, tum quæ in cœlis* (i. e. totam Eccleſiam militantem æque ac triumphantem, eleganter hac ratione per binos cherubim, cum propitiatorio ad ſiniſtram & dextram arcte unitos, præfiguratam); *ut ſiſtat vos ſanctos & inculpatos & irreprehenſos in conſpectu ſuo* (tanquam cherubim

rubim illos parietibus & velis ſanctuarii inſculptos, perpetuo coram facie Dei in columna nubis ſuper arcam, conſtituti). Adde locum Eph. II, 15-18. ubi *bini* illi *reconciliati* per *ſanguinem Chriſti* qui *concives ſanctorum & domeſtici* Dei facti egregie reſpiciunt *binos* Cherubim ſuper propitiatorium, qui in adyto Dei, *domeſtici* Deique inhabitantis quaſi *concives* cenſeri poterant. Et quando Apoſtolus Gal. II,20. *viventem* ſe vocat, ſed non per ſe, verum *in quo vivat* Chriſtus; neſcio an non ad חיות illa Ezech. *viventia*, in quibus *ſpiritus vivens* erat, Ezech. X, 17. alludatur.

Convincimur de hac veritate etiam ex Apoc. V, 9. ubi *quatuor animalia* (i. e. Cherubim) dicunt & canunt, qui *redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum;* hoc ſane fideles concernit, non angelos. Infringere quidem hoc argumentum ex eo ſatagit Cel. WITS. *l. c.* & hoc aſſertum ad 24 *ſeniores* ſolum pertinere aſſerit. Verum non video cur eo deveniamus, cum ſi ponatur, Cherubim fidelium quoque typum geſſiſſe, omnia ſponte fluant, præcipue quum & alia loca ſint, in quibus hæc veritas pro fundamento explicationis ponatur, ut vidimus; adeoque non opus eſt nexum horum prædicatorum infringere.

VIII. His demonſtratis tranſeamus ad analogias inter *Cherubim* & Eccleſiam militantem atque triumphantem, ſive angelos, doctores, atque fideles.

I. Inquirendus eſt *Auctor* horum cherubinorum; quia enim, ut deinceps docebimus, figuræ erant plane extraordinariæ, auctorem eos ſapientiſſimum habuiſſe oportet. Solus proinde *Deus* pro ſapientia ſua ſumma illorum primus auctor eſt conſtituendus. Omnia enim, quæ Moſes in tabernaculo fabricari juſſit, ſecundum *typum* in monte & nube ipſi exhibitum, accurate erant perficienda. Ita enim injungitur Moſi Exod. XXV, 40. *Vide igitur & fac*, ſeu perfice omnia *ſecundum ſtructuram, quæ tibi videnda exhibita eſt in monte.* Quare deinceps quoque Seraphim æque ac IV. animalia, quæ cherubinos eſſe agnoſcebat Ezech. cap. X. a Deo ipſo per viſionem cœleſtem Prophetis fuere repræſentata. Cauſæ vero *miniſteriales* τῶν Cherubim ſanctuarii erant *Moſes* atque *Salomo*, qui uterque a Deo ad opus hoc vocatus & ſpiritu ſapientiæ impletus fuit. Rejicimus ergo SPENCERI & aliorum ſententiam

tiam, qui opus hoc Cherubinorum ab Ægyptiorum geniis derivandum cenſent, quod docte ſatis & prolixe refutat Cel. WITS. *in Ægypt. Lib. II. cap. 13.* nec non Judæorum deliria, qui inter ſeptem res pretioſiſſimas ante mundum creatas etiam referunt *arcam gloriæ* cum Cherubinis, ut docet BANG. *in cœl. Orient. Exerc. I. p. 4.*

Docetur ergo hac ratione, ſolum Deum cauſam efficientem & creatorem eſſe angelorum, & utriusque Eccleſiæ tum creatorem tum redemtorem. Recte ergo quatuor animalia & viginti ſimul ſeniores adorantes hunc, qui eſt, erat & venturus eſt, coronas coram throno ipſius deponunt, exclamantes: *Dignus es Domine, qui accipias gloriam & honorem & potentiam, quia tu creaſti omnia, & per voluntatem tuam exiſtunt, & creata ſunt,* Apoc. IV, 11. Deus eſt, qui acquiſivit ſibi Eccleſiam hanc ſuo ſanguine, Act. XX, 28. Dilexit ille nos & lavit nos a peccatis per ſanguinem ſuum, & *conſtituit* nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri ſuo. Apoc. I, 5. 6. Ille dedit ſemetipſum pro nobis, ut *redimeret* nos ab omni iniquitate & *purificaret ſibi ipſi* populum peculiarem, accenſum ſtudio bonorum operum, Tit. II, 14. idque mediante *Spiritu S.* qui operatur tum in doctoribus, eosque ad templum Deo ſpirituale erigendum aptos reddit, tum in ſingulis fidelibus, & ex eodem capite ſc. Chriſto deſcendit, veluti docemur ex Pſalm. CXXXIII, 1. 2.

IX. 2. Si *materiam Cherubinorum* ſpectes, illa diverſa fuit diverſorum. Illorum ſane binorum, qui in propitiatorio conſtituti erant, materia erat *aurea*, Exod. XXV, 18. ועשית שנים כרובים זהב מקשה תעשה אתם בשני קצות הכפרת *Et facies duos Cherubim ex auro, opere continente facito eos, ex duabus extremitatibus propitiatorii.* Et quod vocem מקשה concernit, non cum quibusdam per opus *criſpatum*, ſed potius opus *continens* vertimus vel *ductile* נגיד ut Rabbini contendunt, getriebene Arbeit; Innuitur ergo hac voce, Cherubinos ex ſolida auri maſſa, & quidem eadem, quæ materiam propitiatorii conſtituebat, malleorum ope ductos & paratos fuiſſe, ut ex teſtimoniis Rabbinorum pluribus evicit Cel. BUXTORF. in *Exerc. de arca fœd. p. 102.* quare & LXX vertunt χρυσοτόρευτα. Cherubinos *Salomonis* JOSEPH. *antiq. Lib. VIII. cap. 3. p. m. 424.* δύο χερουβεὶς ὁλο-

ὁλοχρύσους, *duos Cherubinos totos aureos*, vel ut alii vertunt, ex auro ſolido vel puriſſimo, deſcribit. Verum ſi ſcripturam conſulimus, erraſſe Joſephum liquet, ut obſervat Doct. SPANHEMIUS *in not. ad eundem;* Salomonis enim Cherubim erant ex שמן *ligno olei*, ſeu materia *cypariſſina*, ut alii vertunt, & *auro* obducti, 1. Reg. VI, 23. 28. Cherubini quoque Ezechielis tanquam *ignei* deſcribuntur, quorum ſpecies erat *inſtar carbonum ignis, ardentium in ſpeciem lampadum.* Ezech. I, 13.

Ad hanc ex eodem auro *propitiatorii* Cherubinorum materiam niſi fallor, alludit Paulus, ſenſum hujus myſticum eruens, 2. Cor. III, 18. *Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini in ſpeculo quaſi intuentes* (tanquam cherubini, qui oculis defixis aurum propitiatorii fulgidiſſimum intuebantur) *in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam* (uti Cherubim ex eadem cum propitiatorio materia erant conflati). *Aurum* enim præcipuas Angelorum, Doctorum & Eccleſiæ perfectiones & virtutes deſignat, ſcilicet lumen inſigne cognitionis & ſapientiæ, gloriam miram & conſtantiam perpetuam Angelorum lucis, qui in ſanctitate & gloria ſunt confirmati, perpetuo inſtar Cherubinorum *faciem Dei intuentes*, Matth. XVIII, 10. & in laudes majeſtatis & gloriæ divinæ erumpunt, ejus majeſtate quaſi colluſtrati. Pſ. CIII, 20. CXLVIII, 2. Apoc. V, 9. 1. Theſſ. IV, 15. 16. Doctores N. T. erant inſtar Cherubinorum rutilantes *auro* juſtitiæ Mediatoris ſui, quam ipſi ſibi per fidem applicant & aliis ſimul offerunt; rutilant ſanctitate doctrinæ & vitæ. Sunt equidem qua homines mortales *ſurculi oleagini;* ſed ſpiritu Dei acti & auro juſtitiæ Chriſti exornati, ita ut lux ſanctitatis & gloriæ eos inculpatos coram throno Dei conſtituat; Sunt inſtar *Seraphim & animalium* Ezechielis, *ardentes* flammis amoris divini ac zeli gloriæ Archangeli ſui. Imitantur quoque eos omnes fideles, qui *aurum* juſtitiæ ſibi applicant fide Apoc. III, 18. & rutilant ſanctitate in hac, & præcipue rutilabunt gloria poſt hanc vitam Matth. XIII, 43. eruntque non ſolum ἰσάγγελοι Luc. XX, 36. ſed & ſimiles Chriſto ipſi, quando apparebit in gloria, 1. Joh. III, 2. & conſtanter absque fine, in ejus communione confirmati Deum celebrabunt. Apoc. V, 9-11.

X. 3. Pergimus ad FORMAM Cherubinorum, quæ crux eſt Interpretum, & varias virorum doctiſſimorum cenſuras ſubiit. De illa conferri merentur Cel. WITSIUS *in Ægypt. p. m. 155. ſq.* Cel. & Doctiſſ. MELCHIORIS *in diſſ. cit.* PFEIFFER *in dub. vexat. p. m. 238. & 768.* Cel. DEYLING *Obſ. S. P. II. p. 682.* LUNDII Jüd. Heiligth. *p. 13. ſq.* SPENCER *de Leg. Hebr. l. c. p. 850. ſq.* AMEL. *in N. T. Tom. II. p. 29. ſq.* BOCHART. *Hieroz. P. I. p. m. 358.* GRELLOT. *prodrom. Apoc. p. 51. 60.* J. FROMME *diſſ. de Cherub. & gladio flamm. Witt. 1661. §. 6. ſq.* Cl. FRISCHM. *diſſ. de arca fœd. p. 25. 30.* & Doct. LIEBENTANZ. *diſſ. cit. cap. III. §. 4. alios.* Ut aliorum minus probabiles conjecturas ſicco pede tranſeamus, obſervamus tantum tres potiſſimum Interpretum conjecturas prævalere. *Sunt*, qui μοσχομόρφους fuiſſe Cherubim cenſent, quia vox כרוב Ezech. X, 14. bovinam formam Cherubinis aſſignare videtur, quia forma bovis omiſſa in h. l. per כרוב exprimitur, id quod urgent GROTIUS, MONCEJUS, GAFFARELLUS, BOCHARTUS, SPENCERUS aliique viri doctiſſimi. *Sunt* qui quadruplicem iis ex Ezech. X. formam adſcribunt, leoninam in pectore, aquilinam in alis, bovinam in pedibus, humanam in vultu, quemadmodum Duumviri Cel. PRADUS & VILLALPANDUS *in Ezech.* cum aliis contendunt, quod pleniorem eorum formam a Spiritu S. per Ezech. depictam haberemus, aſſerentes. *Sunt* denique qui cum Cel. WITSIO Cherubinos deſcribunt tanquam *animantia inſolita, bovini corporis ſpeciem quoad maximam partem repræſentantia, inſtructa grandibus alis, incertum quot, & binis ad minimum faciebus, leonina & humana.* Vid. WITS. *Æg. Lib. II. cap. XIII. §. 15.*

Verum ut quid nos hac de re ſentiamus, dicamus, contendimus *Cherubim* fuiſſe *formas hieroglyphicas, Deum ſapientiſſimum auctorem habentes, qui pro ſapientia ſumma mox hac mox illa figura eos populo Dei & Prophetis repræſentavit.* Et quia certam formam non habebant, ſed pro lubitu Dei variabant, hinc optime procedemus, ſi in unoque loco, ubi memorantur, illam ipſis figuram adſcribamus, quam ſolummodo ex verbis ipſis textus eruere licet. Et hac ratione Cherubinorum formas in propitiatorio *humanas cum alis* ſolum definimus, quas excudi curavimus in *Titulo fig. I.* Hoc ut demonſtremus

a) Con-

a) Confugimus ad teſtimonia Judæorum, qui docent eos fuiſſe forma plane *inuſitata & mirifica*, adeoque non perpetuo eadem, quia illius ſimilitudo nec in cœlo nec terra reperiatur. Ita R. ISAAC BEN ARAMÆ *in Akedath Ziſchak fol. 149. c. 1.* אין מעשה כרובים בכל שחרי אין צורתם נמצאת בשום אחר מחמרורים *Non comprehenditur opus Cherubinorum in generali, quia eorum forma non reperitur in ullo mundi habitaculo.* Nec non JOSEPH. *Antiq. Jud. Lib. III. cap. 6. p. 110.* Cherubim erant, ait, ζῶα πετεινὰ, μορφὴν ἐδενὶ τῶν ὑπ' ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια. *Animalia volucria, nulli eorum, quæ ab hominibus viſa ſunt, ſimilia.*

b) Niſi admodum fallor, ſimile quid obſervamus in *Sphingibus* Ægyptiorum & Græcorum hieroglyphicis, quas ex Cherubinorum forma fictas eſſe nulli dubitamus. Earum figuram in nummis paſſim obſervamus, quæ triplex eſt, virginea, volucris & leonina, uti AUSONIO dicitur:

- - *volucris, leo, virgo, triformis*
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Differunt quoque figura, ſunt qui ſine alis memorantur ap. SPANHEM. *de uſu & præſt. num. p. m. 213.* Sunt qui mammas in corpore varias, ſunt qui nullas in corpore gerunt, ut ex collatione morum apud BEGER. *Theſ. Imp. Rom. Tab XII. n. 17.* & apud GOLZ. *Græc. Inſul. Tab. XV. n. 16. 17. 20.* apparet. Ita inprimis ingentem differentiam deprehendes inter eas ſphingum formas, quas ex GOLZIO & SPANHEMIO ac HAVERCAMPIO deſcriptas dedimus in *Titulo fig. 2. 3. 4. 5.* prior nummus ſiſtit formam ſæpiſſime obviam in plerisque nummis Græcorum & Ægypt. præcipue Chiorum apud GOLZ. *l. c.* alter ſiſtit ſphingem ſigilli Auguſti, & tertius ſphingem in altera parte nummi Sibyllam referens; quartus exhibet quatuor ſphinges, figuras quatuor Monarchiarum, ut docet Cel. HAVERCAMP. *in diſſ. de Alex. M. numiſm. p. 19.* Sphinges quoque *potentiæ* ac *fortitudinis* imo *ſapientiæ* ſymbola fuiſſe docet Ill. SPANHEM. *lib. c. p. 217.* quod congruit cum ſententia Judæorum de Cherubim.

c) Optime ex hiſce obſervatis jam explicare poterimus viſiones de Cherubinis adeo diverſas, quia formæ illorum incertæ variabant pro ſapientia Dei. Sic Cherubim Ezechielis maxime differebant à *Cherubim*

propitiatorii, differebant quoque à *Seraphim* Jeſ. VI, 1-6. qui tamen inter ſpecies Cherubinorum etiam referendi; illorum enim ſex, horum quatuor alæ memorantur; Cherubinorum autem propitiatorii binæ tantum. Jeſ. VI. Ez. I. Exod. XXV. Ita Cherubim *Propitiatorii* & *Seraphim* facie tantum humana, Cherubim autem Ezechielis quadruplici facie, leonis, aquilæ, hominis & vituli, ſeu forma quadruplici præditos eſſe ex locis cit. docemur. Quod autem *Cherubim* propitiatorii humana forma & quidem juvenili præditi fuerint, non ſolum plerique Judæi ſed & Patres docuere: vide latius hac de re diſſerentem Cl. LIEBENTANZ. *in diſſ. de Cherub. Cap. III. §. 9.* *Primarium* hujus ſententiæ noſtræ argumentum deſumtum eſt ex ſimplicitate hiſtoriæ, formam eorum deſcribentis, Exod. XXV. 1. Reg. VI. quod robur & illuſtrationem nanciſcitur ex theſi ſupra demonſtrata, Cherubim ſymbola fuiſſe angelorum, qui facie juvenili & forma humana apparebant ſub V. T. & initio N. T. *Alterum* argumentum, idque non minus firmum ex loco *1. Reg. VII, 28 29.* depromimus, ubi in mari æneo figuras *leonum*, *boum* & *Cherubinorum* ſculptas legimus. Quem locum ſi absque præjudicio inſpicimus, perſuademur, per Cherubinos heic humanas formas, alatas aquilarum pennis intelligi.

Objicient autem Viri docti *tum* locum Ezech. X, 14. vocem כרוב *κατ' ἐξοχὴν* שור ſ. *bovem* deſignare, *tum* quod Jeroboam imitaturus *Cherubinos, vitulos* in Dan & Bethel poſuerit.

Quod ad locum Ezech. X, 14. ſatis eum refutatum dedere Cel. PFEIFFER *in dub. vexat. p. m. 768.* & Cl. LIEBENTANZ. *in diſſ. cit.* ſi enim vox כרוב ex rad. Chald. כרב *arare, bovem aratorem* ſignificaret, non ſequitur quod כרובים formas bovinas deſignet. אביר robuſtum animal denotat; ergo אבירים quæ vox de angelis adhibetur, bovinas formas denotat? hoc nemo aſſeret.

Quod ad alteram objectionem, urſit eam quoque nuper Doctiſſimus mihique amiciſſimus Vir Rev. I. H. A DORJEN in *Exercit.* perquam erudita de מעשה צעצעים *Cherubim.* in MUS. BREM. *Vol. II. f. 4. p. 591.* Sed unde probabimus Jeroboamum imitatum eſſe Cherubinos? ſane quando fabricatis vitulis dicebat 1. Reg. XII, 28. *Ecce Dii tui, o Iſraël, qui eduxerunt te e terra Ægypti*, idem facit, quod Aaron,

ron, qui fuſo vitulo aureo, eadem verba proferebat, & populum ad idololatriam ſeducebat, Iam vero Aaron fabrica hujus vituli non Cherubinos, qui nondum exſtabant, ſed potius Serapidem Ægyptiorum imitatus fuiſſe videtur. Idem ergo de Jeroboamo, in Ægypto hanc idololatriam edocto, ſtatuamus neceſſe eſt. Experientia quoque docuit, ſcopum ejus non fuiſſe verum Dei cultum introducendi, ſed idololatriam, quare nec ſacerdotes ex conſtitutione divina, ſed pro genio ſuo inſtituebat & excelſa idololatrica erigebat.

XI. Sed vela contrahamus nimis forte vento conceſſa, & FORMAM hanc quoad partes conſiderantes angelis, doctoribus & Eccleſiæ ſenſu myſtico applicemus.

a. Forma ergo *Cherubinorum* propitiatorii erat *humana*, & quidem *maſculina* & *juvenilis*, ſive *ætatis plenioris* ac robuſtæ. Talis enim forma eſt, quæ angelis in ſcriptis ſacris tribuitur, uti vel ex Joh. XX, 12. Luc. XXIV, 4. Marc. XVI, 5. collatis apparet, ubi *angeli*, *viri* & *juvenes* alternant, & voces hæ tres angelos deſignant. Quare & Judæi teſtantur in *Talm. Chagig. fol. 13. col. 2.* מאי כרוב אמר ר״ אבהו כרביא שכן בבבל קורין לינוקא רביא *Quid eſt Cherub? R. Abhu dicit, quaſi adoleſcentes; ſic enim in Babylonia* רביא *vocant puerum.* R. LEVI b. GERSON. dicit: הם כצורות בן אדם צעיר הימים *ſunt inſtar hominum juniorum.* & MAIMONID. *in Mor. Nebuch. P. III. cap. 1.* varia Talmudis loca citans addit: ודי במקום הזה לדעת שהיו הכרובים כצורות ילדים קטנים עם כנפים *Sufficit hoc in loco ſcire, quod Cherubini habuerint formam puerorum cum alis.* Conf. GRELLOT. *prodr, Apocal. p. 64.* & latius id demonſtrantem Cl. PFEIFFER in *dub. vex. Cent. I. Loc. 98. p. 239. ſq.* BUXTORF. *Lex. in v.* כרב & *in hiſt. arc. fœd. Cap. IX.*

Hoc in angelis *robur* eorum & *alacritatem* deſignat, quare vocantur *exercitus* ejus, *valentiſſimi robore*, Pſ. CIII, 20. 21. Facit enim Deus angelos ſuos *ventos*, & hoſce ſuos miniſtros *ignes flammantes.* Pſ. CIV, 3. 4. *Miniſtros* quoque Evangelii æque ac *fideles* oportet eſſe viros *roboris* ac fortitudinis; illis, veluti olim Joſuæ, acclamat Deus חזק ואמץ *confirmare & eſto fortis*, vel ut alibi חזקת והיית לאיש *confirmare & eſto vir.* Robore enim & fortitudine animi opus eſt ad

opus illud grande ſalutis perficiendum, Phil. II, 12. ad certamen illud propoſitum decertandum, 2. Tim. II, 12. ita Paulus apprecatur Timotheo, 1. Tim. II, 1. 3. *Tu igitur, mi fili, fortis eſto per gratiam quæ eſt in Chriſto Jeſu. Eſto tolerans afflictionum, inſtar boni militis Jeſu Chriſti.*

XII. b. Inprimis autem ALÆ horum Cherubinorum notabiles exiſtunt. Ezechielis animalibus *quatuor* tribuuntur Ezech. I, 8. Seraphinis Jeſaiæ ſex alas tribuit vates in viſione ipſi exhibita Cap. VI, 2. binis enim faciem, binis pedes tegebant, & binis volabant. Cherubinis autem propitiatorii *duas* tantum ſcriptor ſacer adſcribit alas ſed ſatis magnas. Ita de Cherubim Moſes Exod. XXV, 20. והיו הכרובים פרשי כנפים למעלה סככים בכנפיהם על הכפרת *Et expandant alas ſuas Cherubim ſurſum, obtegentes alis ſuis propitiatorium.* De Salomonis Cherubim 1. Reg. VI, 24. *Quinque cubitorum erat ala Cherubini una, ſimiliter quinque cubitorum ala Cherubini altera, decem cubiti erant ab extremitate alæ cujusvis ad extremitatem alæ ſuæ alterius.* Ad has Cherubinorum *alas*, quibus *obumbrabant* propitiatorium aureum, illudque tegebant, in quibus Deus Iſraëlis cum Schechina reſidebat & quaſi volare videbatur, ſæpius in ſcriptis ſacris alluditur. *2. Sam. XXII, 10. 11. Deſcendit cum caligine ſub pedibus ſuis* (quo alluditur ad columnam nubis tenebricoſam) *& inſidet Cherubinis, & volat, & conſpicuus eſt ſuper alas venti.* conf. Pſ. XVIII, 11. Quare 2. Par. V, 7. dicitur quod *arcam* Dei ſub *alas* Cherubinorum intulerint ſacerdotes. Uti & Ezech. X, 5. *ſonus alarum* animalium quatuor memoratur. Sunt quoque haud pauci interpretes qui per כנפי שקוצים *alas abominationum* Cherubim reſpici cenſent, qui per Romanos erant inquinandi & profanandi, licet commodam magis interpretationem patiatur, vide doctiſſ. diſſert. B. LAMPII in *Bibl. Brem. Tom. III. p. 990. ſq.* Melius ad hos Cherubinos alis ſuis columnam nubis portantes reſpici cenſemus Zach. V, 9. *Ecce duæ mulieres* (quæ reſpondent duobus Cherubinis) *prodeuntes habebant ventum ſub alis ſuis* (cum alluſione ad alas Cherubinorum Ezechielis cum ſono motarum Ezech. X, 5.) *efferebantque Epha inter terram & cœlum* (uti alis ſuis ferebant Cherubini nubem gloriæ). Hæc jam commode ſenſu myſtico de Antichriſto in templo

Dei

Dei ſedente, tanquam Deo & vicario ejus, 2. Theſſ. II, 2. explicari poſſunt, conf. inprimis v. 11. ſeq. Hinc gentes diis ſuis *alas* tribuere antiquæ, inprimis Ægyptii atque Græci, ut prolixe docuit CUPER. *apoth. Hom p. 34. & 169. ſq.* quod præcipue de Cneph. Ægyptiorum conſtat, de quo Cel. LAMP. *diſſ. cit. in B. B. p. 1018. ſq.* agit. Et niſi admodum fallor, ex alis Cherubinorum, qui *aquilarum* erant alæ vel iis ſimiles, antiquitas aquilam non Jovis ſolum miniſtrum adſtantem, ejusque tela gerentem finxit; ſed & alis ſuis Deos ac illos qui in Deorum numerum relati erant, portantem aquilam pingebant, uti ex nummis paſſim obviis videre licet. Vide BEGER. *Theſ. Imp. Rom. Tab. XLIV, n. 19. Tab. XLVII. n. 24.* & OISEL. *in num. Imp. Tab. CIII. n. 6. CII. n. 12.* &c. Eodem modo uti Cherubim tanquam *currus* Dei conſiderantur, quibus vehi dicitur, uti in Ezechielis Cherubinis *quatuor rotas* obſervamus, Ezech. X, 9. i. e. quadrigas, quas Jarchi כסא כבוד השכינה *thronum gloriæ majeſtatis* vocat. Quare cum alluſione ad alas Cherubim, quibus nubes vehebatur, angeli vocantur *currus Jehovæ*, Pſ. LXVIII, 18.

Alæ ergo Cherubinorum ſenſu myſtico deſignant *tum* in genere *promtitudinem & zelum* in cultu Dei ejusque celebratione, quare de *ſono* alarum celerrimo motu agitatarum mentio legitur Ezech. l. c. quo incenſi agitantur non ſolum angeli, qui inſtar ventorum voluntatem Dei exequuntur Pſ. CIV, 4. Heb. I, 7. ſunt enim ſpiritus miniſtratorii, Heb. I, 14. ſed & doctores Evangelii, qui tanquam 24 ſeniores eodem cum angelis zelo ardent Deum celebrandi Apoc. IV, 10. 11. nec non omnes fideles, qui alis velut aquilarum aſcendunt renovatis viribus, Jeſ. XL. ult. qui noctu dieque irrequieti *τρισάγιον* illud perpetuo in celebratione nominis Dei ebuccinant, Apoc. IV, 8. *Sex alas* Seraphinis tribuit Vates ſacer, binis enim *volabant*, in zelo gloriæ divinæ perpetuo operoſi, *binis* tegebant *facies*, in ſignum ſubmiſſæ venerationis, qua erga majeſtatem divinam afficiebantur, *binis pedes* tegebant, ut agnitionem indignitatis, & macularum ipſis in hac vita adhuc adhærentium proderent, Jeſ. VI, 2. In ſpecie autem quoniam alis *obumbrabant* propitiatorium & *illis* quaſi *portabant* nubem gloriæ, atque hac ratione quaſi thronum erigebant, hoc deſignabat ſtudium illud perpetuum tum angelorum tum Doctorum & omnium fidelium, quo majeſtatem & glo-

riam

riam Jehovæ elevare ipſamque quaſi in throno excelſo conſpiciendam exhibere ſatagunt; hoc in ſtudio vires 4 animalium, 24 ſeniorum & multorum millium angelorum conjunctas videmus, Apoc. V, 12-fin. Sunt quaſi *currus* ille עמינדב cui invehitur Jehova Cant. VI, 11. conf. Pſalm XLV, 5.

XIII. c. Ad formam τῶν Cherubim in genere quoque ſpectat, quod *IV. animalia* vocentur ארבע חיות Ezech. I, 5. *τέσσαρα ζῶα.* Apoc. IV, 8. Sunt quidem qui alludi cenſent ad *quatuor inſignia caſtrorum* Iſraëlis in deſerto & in vexillo Judæ leonem, in vexillo Rubenis hominem, in vexillo Danis aquilam, in vexillo Ephraim bovem fuiſſe contendunt, ut late probare annifus eſt JOS. MEDUS in *Clav. Apocal.* quem ſequitur Doctiſſ. SPENCERUS *de Leg. hebr. Lib. III. Sect. II. Diſſ. V. p. m. 854.* Refutantur autem a BOCHART. in *Hieroz. P. I. p. 773.* LAUNÆO in *Apoc. IV.* & WITSIO in *Ægypt. Lib. II. c. 13. p. 160.* & merum hoc eſſe Judæorum figmentum de quatuor animalibus in ſignis Judæorum docent viri eruditi. Aſt concedimus, alludi ad quatuor caſtra Iſraëlitarum in deſerto poſſe, utpote quæ ex Num. II. cap. facile diſtingui poterant, quorum duces erant Juda, Ruben, Ephraim & Dan, ſed animalia in ſignis habuiſſe quatuor, ſubleſtæ fidei eſſe cenſemus, quia nec Philo nec Joſephus nec Talmudici quicquam de iis memorant. *Quatuor* autem erant animalia, quorum forma præditi erant Cherubini Ezech. id quod potiſſimum ad *quatuor* mundi partes referri cenſemus, ex quibus fideles N. T. erant colligendi, & quorum Duces futuri Doctores N. T. ſimili ratione quatuor mundi partes per *quatuor ſphinges* antiqui repræſentabant (quas ex Cherubinis effictas ſupra docuimus) uti ex nummo egregio apparet, quem exhibemus tibi in *Titulo noſtro fig. 5.* quem exſculpi curavit Cel. PATINUS in *Theſaur. Numiſm. p. 100.* & ex eo Doct. & Cl. HAVERCAMP. *in diſſ. de Alex. M. numiſmate Tab. I.* ubi mulier ſedens habitu Reginæ quæ ſummam poteſtatem deſignat & *quatuor ſphinges* infra eam, *quatuor* mundi *partes* referunt, conf. ea quæ erudite ſatis de hoc nummo commentatur Cel. HAVERCAMP. *l. c. p. 19. ſq.* Ita duo ſphingum capita ex noſtra conjectura obſervamus in nummo, quem idem Vir Clar. exhibet *p. 102. n. 40.* ubi triumphus Bacchi exhibetur & infra apparet uva

inſigne

inſigne Bacchi inter *duo capita*, a quorum tergo *ornamenta* apparent vel *larvæ*, ut Vir Cel. exiſtimat; ſed ſi curatius inſpiciamus, alas eſſe deprehendemus, & recte per duas haſce ſphinges utrumque orbem, qui vini inventione, quæ Baccho tribuitur, fruitur, deſignari commode exiſtimamus. *Formæ* ipſæ quatuor *hieroglyphicæ* ſunt. Non cum GROTIO heic *hominem* bonitatis, *leonem* vindictæ, *aquilam* celeritatis, *bovem* tarditatis ſymb. conſtituimus, ac ſi Deus ad bonitatem pronus & ad vindictam tardus deſignaretur, uti docet in Exod. XXV. Vir magnus.

Sed ex noſtra ſententia Angelorum, doctorum & omnium fidelium qualitates quadruplici hacce forma deſignari contendimus. Facies & forma *leonis* depingit robur & animum heroicum, quo *Angeli* tanquam robuſtiſſimi Dei heroës, Pſ. CIII, 20. & *doctores* N. T. tanquam 60 illi heroës, qui gladiis ad femora accinctis Eccleſiam Dei contra hoſtes defendunt, Cant. III, 7. *omnesque fideles*, qui fortes in Domino & in robore potentiæ ipſius exiſtunt, Epheſ. VI, 10. firmi & inconcuſſi, 1. Cor. XV, 58. præditi ſunt. Facies & forma *bovis* laborem & operoſum eorum animum pingit. *Angeli* enim nocte dieque parati & promtiſſimi ad exequenda Dei mandata deprehenduntur, Pſalm. CIV, 4. Heb. I, 7. 14. & in celebratione nominis divini indefeſſi, uti ex Apoc. IV. ſupra docuimus. *Doctores* Evang. Paulus ipſe ob labores ingentes in Domini opere ac agro Dei exantlandos comparat cum *bobus triturantibus* atque arantibus 1. Cor. IX, 9--11. 1. Cor. III, 8. 9. 1. Tim. V, 18. Omnes quoque *fideles* opus ſalutis ſuæ indefeſſo labore expediunt, abundantes in opere Domini, 1. Cor. XV, 58. Phil. II, 12. Matth. XX, 1-11. Facies & forma *aquilæ* animum cœleſtia quærentem ob oculos ſiſtit. *Angeli* enim in cœlis præcipue operoſi exiſtunt coram throno Dei, Dan. VII, 10. 11. & faciem Dei continuo intuentur, Matth. XVIII, 10. *Doctores* N. T. una cum *fidelibus* reliquis *renovatis viribus adſcendunt pennis velut aquilæ, currunt, neque delaſſantur, pergunt, nec defatigantur*, Jeſ. XL, 31. ea quæ ſuperius ſunt, quærunt Col. III, 1. 2. utpote quorum πολίτευμα in cœlis eſt, Phil. III, 20. Facies denique & forma *hominis*, *ſapientiæ* hieroglyphicon eſt; hæc in *angelis* maxime elucet, uti ex phraſi viſionis faciei Dei, Matth. XVIII, 10.

nec non ex deſiderio illorum myſteria ſalutis hominum intuendi, 1. Pet. I, 12. conſtat, confer etiam 1. Cor. XIII, 1. *Doctoribus* quoque ſapientia & prudentia convenit, utpote qui populum Dei paſcunt *ſcientia & ſapientia*, Jer. III, 10. qui loquuntur *ſapientiam Dei in myſterio occultam*, quam nemo principum hujus ſeculi cognovit, 1. Cor. II, 7. 8. uti Stephanus plenus erat Spiritu Dei & ſapientia Act. VI, 3. 10. conf. 1. Cor. XII, 8. 2. Pet. III, 15. Et *fidelibus* Spiritum Dei, qui eſt ſpiritus ſapientiæ, prudentiæ & conſilii, poſſidentibus, ſingularis ſapientia competit, conf. loca Prov. III, 13. X, 31. Eph. I, 17. III, 10. Col. III, 16. Jac. I, 5. cap. III, 15. 17.

XIV. 4. Tranſimus ad varium cherubinorum SITUM. Formam enim Cherubinorum non ſolum in *velis* & *parietibus* tabernaculi & templi fuiſſe conſtat, Exod. XXVI, 1. cap. XXXVI, 7. 8. 1. Reg. VI, 29-31. 2. Chron. III, 14. & in maris ænei Zophoris ſculptas fuiſſe formas leonum, vitulorum & Cherubinorum docetur 1. Reg. VII, 29. ſed &, quod præcipue hoc loco notandum eſt, *bini* apparebant *ſuper arca* & quidem ſuperficie ejus ſc. in propitiatorio operculo. *Stabant* autem pedibus ſuis in propitiatorio, uti ex 2. Chron. III, 13. & JOSEPH. *Lib. III. cap. 17. antiq. Jud.* liquet; ita tamen ut *facie* & *dorſo inclinarent* ſeſe verſus propitiatorium, Exod. XXV, 20. XXXVII, 9. 1. Reg. VI, 13. quaſi adoraturi. Male ergo a quibusdam quaſi in aëre ſuper propitiatorium ſuſpenſi & volantes concipiuntur. *Alis* autem ſurſum *elevatis* & junctis quaſi *thronum ſuperiorem* conſtituentes, arcam *obumbrabant*; uti diſcimus ex 1. Reg. VIII, 7. 2. Chron. V, 7. Heb. IX, 5. Exod. XXV, 20. XXXVII, 8. 9.

Sæpius ad Cherubinorum *ſitum*, quo aciem oculorum inclinata cervice in propitiatorium intendebant, alluditur in ſcriptis ſacris, veluti Apoſtolus Petrus, 1. Ep. I, 12. de angelis teſtatur, quod ἐπιθυμῦσι παρακύψαι *deſiderent inclinata cervice introſpicere* myſteria ſalutis. Et *2. Cor. III, 18.* de fidelibus N. T: Nos autem omnes *retecta facie gloriam Domini quaſi in ſpeculo intuemur* (ceu Cherubinorum typus, qui facie ſua verſus propitiatorium auro puro ceu ſpeculum ſplendens, directa, imaginem gloriæ divinæ ſeu columnæ in eo repercuſſam quaſi intuebantur, & ſimul fulgore auri operculi aurei, quod gloriæ Chriſti Mediato-

diatoris ſymbolum erat, quaſi illuſtrabantur) & *transformamur in eandem imaginem ex gloria in gloriam ſicut a Domini ſpiritu* (eodem modo uti typice Cherubini ex eodem auri pretioſi, quod gloriæ ſymbolum eſt, materia conſtabant, & ex eodem ſolido malleis formati, per *Spiritum* Dei in Bezaleele reſidentem producti erant). Forte & eodem alludit Eccleſia Mich. VII, 7. *Ego autem oculos dirigam in Jehovam, præſtolabor Deum ſalutis meæ, exaudiet me Deus meus* (uti Cherubini oculos in propitiatorium, quod ſymb. erat Mediatoris ſeu Dei ſalutis, dirigebant, a quo loco etiam, utpote throno Dei, precum exauditio exſpectabatur). Idem intenditur quando de 4. animalibus & angelis legimus, quod facie *inclinata & proſtrata coram throno Dei adoraverint*, Apoc. VII, 11. Ergo ſitus hic Cherubinorum in propitiatorio commode ſenſum myſticum exhibet. *Bini* erant Cherubini, deſignantes tum *Angelorum* exercitum binum, qui מחנים audiunt, & Jacobo apparebant, Gen. XXXII, 2. quo & alluditur Cant. VI, 12. *Quid ſpectatis in Sulamitide? Chorum Mahanaim. Tum* doctorum numerum & chorum duplicem, ſc. *Prophetas* & *Apoſtolos*, qui per 24 ſeniores, XII. Vet. & XII. N.T. Doctores inſignes deſignantur Apoc. IV. V. *Tum* fidelium chorum binarium, colligendorum ex Judæis & gentibus. Apoc. VII, 1-10. Epheſ. II, 14-16; quum & inſuper Eccleſia in chorum militantem & triumphantem diſpeſci commode queat.

Quod *facie* in propitiatorium *inclinata* ſtarent, & cum ipſo arctiſſime *uniti* eſſent, in memoriam nobis revocat, primo *angelorum* deſiderium in myſteria expiationis mundi introſpiciendi, quod ex 1. Pet. I, 12. vidimus, & illorum ſtudium Archangelo ſuo, Mediatori, unice placendi ejusque quaſi nutum obſervandi, quum & omnem ſuam operam in executione ſalutis humanæ, quantum in iis eſt, ponant, ut ex Hebr. I, 14. diſcimus; dein depingit *doctorum* atque *electorum* omnium perpetuam in myſterio ſalutis perveſtigando meditationem; cum Apoſtolo nihil deſiderant *ſcire præter Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum*, (qualis per operculum illud ſanguine aſperſum præfiguratus erat) 1. Cor. II, 2. nec gloriantur quam de cruce Chriſti & ejus expiatione, Gal. VI, 14. Doctores in Evangelio proponunt *Jeſum*, illis qui credunt, *po-*

tentiam & ſapientiam divinam,(ut loquitur Apoſt. 1. Cor. I, 23. 24: ſine dubio ad propitiatorium reſpiciens,) *delectantur* unice in hoc obiecto ſalutis Pſ. LXX, 5. CXIX, 123. Quod *alis elevatis* thronum quaſi Deo pararent & *columnam* nubis elevarent, id angelorum ac doctorum ſtudium regnum Dei promovendi intenſiſſimum & perpetuam gloriæ divinæ celebrationem atque elevationem deſignat, ut ſupra docuimus, quando de myſterio alarum egimus. Quod autem & *Cherubim in velis & parietibus* ſanctuarii conſpicerentur, ſacerdotes monebat, exemplum angelorum eſſe imitandum in puritate & zelo gloriæ divinæ, & ſanctorum memoriam per fidei & ſanctitatis monumenta ſupereſſe in Eccleſia, quæ nos ad eorum exemplar ſequendum incendit. conf. Heb. XIII, 7. XII, 1.

XV. Supereſt ut phraſin יושב *HABITANTIS* ſeu *SEDENTIS ſuper Cherubim* propius examinemus. Vox יושב tum *ſedere* notat, tum *habitare*, & utraque phraſis ſenſum commodum fundit. *Habitare* dicitur Deus ibi, ubi ſe manifeſtat propius per ſigna præſentiæ ſuæ; quare in columna nubis & ignis *habitare* dicitur, & in templo, ubi illa erat, Exod. XXV, 8. conf. loca quam plurima huc referenda, Exod. XXIX, 46. Deut. XII, 5. XIV, 24. 2. Sam. VI, 2. VII, 5. 1. Reg. VIII, 12. 39. Eſr. VI, 12. Pſ. II, 4. IX, 12. XXVI, 8. LXVIII, 17. LXXXV, 10. CXXXII, 13 14. Jeſ. VIII, 18. Joel. III, 17. Joſ. XXII, 29. Jeſ. LXIII, 15. ubi ſemper ad columnam nubis in templo reſidentem reſpicitur. In ſpecie ad *habitationem Dei* ſuper Cherubim alluditur Jeſ. XXXIII, 5. *Elevatus eſt Jehova, nam habitat altum, implet Zionem juſtitia & judicio.* nec non Jeſ. LVII, 15. *Qui in ſublimi & Sancto habito.* Huc quoque refer locum Pauli 2. Cor. XII, 9. *gloriabor de infirmitatibus, ut potentia Chriſti in me tanquam tabernaculo inhabitet* (ſe conſiderans ut Cherubinum, qui alis tugurium propitiatorio conſtituebant, vel uti Cherubim, quibus inhabitabat columna nubis). nec non *Apoc. VII, 15. Ideo ſunt ante thronum Dei, & colunt eum noctu diuque in templo ejus; & qui inſidet throno, proteget eos umbraculo ſuo.*

Inſidere etiam dicitur Cherubinis, ut Ezech. IX, 3. *Gloria autem Dei extulit ſe a Cherubinis, quibus inſidebat.* conf. cap. X, 19. & ſupra cit. loc. ſive etiam *ſtare* ſuper iis, Ezech. X, 18. *Egreſſa ergo gloria Jehovæ*

hovæ a limine domus, & ſtans ſuper Cherubim. Quare *Antichriſtus*, qui in templo Dei ſedet, tanquam antitypum Schechinæ ſe fingens, comparatur mulieri *inſidenti beſtiæ, habenti capita ſeptem & cornua decem*, plenæ autem *nominibus blaſphemiæ* Apoc. XVII, 2. adeoque plane opponitur Deo inſidenti Cherubinis, animalibus hieroglyphicis.

Quando ergo *habitare* dicitur Deus *ſuper Cherubim* arcæ propitiatorii, conſiderantur illi ut *domus* ejus; quemadmodum *Judæi* in *Sepher Rabb. ad Exod. XXV.* de Sancto Sanctorum dicunt: עשו סוכה לשומר עשו בית לאב שיבא וישכן אצל בניו *Struite tentorium Vigili Iſraëlis, exſtruite domum Patri, ut veniens* habitet *apud filios ſuos.* Adeoque φιλανθρωπίαν Summi Numinis erga populum ſuum deſignat; uti cum alluſione ad hanc inhabitationem Dei Salvator promittit Joh. XIV, 23. *Si quis diliget me, ſermonem meum obſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & apud eum* habitabimus.

Quando *ſedere* dicitur ſuper Cherubim, illi inſtar *throni* conſiderantur, unde Ezech. I, 26. X, 1. דמות כסא Vati ſacro oſtenſa legitur. Hanc ob cauſam Lutherus τὸ ἱλαστήριον Rom. III, 25. vertit Gnaden-Stuhl. Ipſa urbs Hieroſolymæ ob inſidentem Cherubinis nubem vocatur כסא כבוד יהוה *thronus gloriæ divinæ* Jer. XIV, 21. quare Pſ. XCIX, 1. dicitur, *Jehova* regnat, *inſidens Cherubinis.* Huc etiam ni fallor pertinet locus inſignis *Jeſ. VI, 1-3. Vidi Dominum* inſidentem *throno excelſo & elato* (qualis erat in templo & tabernaculo ſuper Cherubim); *Ejus fimbriæ implebant ipſum templum* (uti columna nubis & ignis, quæ inſtar veſtis regiæ conſideratur, late more orientalium fimbrias expandentis; ſanctuarium enim totum replebat nubes 1. Reg. VIII, 10). *Seraphim adſtantes ſuperne alis ſenis inſtructi* (uti Cherubini ſuper propitiatorium alis expanſis conſtituti erant). *Tunc impleta eſt tota illa terra gloria ejus*, ſc. totum templum, quod typus Eccleſiæ N. T. Similiter in viſione Michæ 1. Reg. XXII, 19. apparet Jehova *inſidens ſolio*, & totus *cœli exercitus adſtans* ei a dextra & ſiniſtra (cum alluſione ad Cherubim binos in Salomonis templo ad arcam conſtitutos, ut ſupra vidimus). *Sedens* ergo ſeu *inſidens* Cherubim, *re-*

giam æque ac *judicialem* dignitatem exſerit, utriusque enim ſymbolum eſt τὸ *ſedere* in ſcriptis ſacris; *regiæ* quidem Zach. VI, 12. ſedens *dominaturus eſt in ſolio ſuo.* Apoc. XVIII, 7. ſedeo *Regina, nec luctum videbo.* Pſ. CX, 1. ſede *ad dextram meam, usque dum poſuero omnes inimicos ſcabellum pedum tuorum.* Pſ. XXXIX, 10. Sedet *Jehova Rex.* XLVII, 9. ſedet *in throno ſanctitatis. Judicum* quoque ſedere eſt in thronis; ſic Moſes judicans populum *conſidebat* in ſolio, Exod. XVII, 13. Judex ille ſenior conſidebat in throno judicii Dan. VII, 9. & Pilatus Chriſtum judicaturus conſidebat in tribunali Matth. XXVII, 19. ſimiliter Herodes Act. XII, 21. Ex profanis auctoribus hoc illuſtratum vide apud BYN. *de morte J. C. Lib. III. cap. 4. p. 208.* LAMB. BOS. *exercit. philol. ad Act. XXIII, 3.* conf. etiam *Doctiſſ.* SCHLICHTER *obſerv. S. p. 97. ſq.* Ex hoc *throno* Deus *reſponſa* dabat Moſi, ita enim legimus *Num. VII, 89. Quum ingrederetur Moſche in tentorium conventus, ut loqueretur cum Deo, tunc audiebat vocem ſermocinantem ſecum e ſuperiori parte operculi propitiatorii, quod erat ſuper arcam teſtimonii, e medio duorum Cherubinorum.* Id quod gentes imitati quoque ſunt circa *ſphinges* ſuas, quas ex Cherubinis ſupra derivavimus. Ita Ill. FURER. *in Itin. Ægypti, Arabiæ &c. p. m. 27.* refert in regione Cairi *ſphingem* rupi inciſam apparere, in cujus medio ſacerdotes latebant occultati, quando ex ſphingibus *reſponſa* interrogantibus inſtar oraculi dabant.

XVI. En lector amice, inſigne tibi ſanctitatis exemplar imitandum, quod in Cherubinorum forma repræſentatum cernis. Non angelos ſolum imitari decet, & eorum zelum quo gloriam Dei ejusque voluntatem exequuntur, ſibi in exemplum ponere, Matth. VI, 10. ſed & ipſi qualitates Cherubinorum myſticorum manifeſtare in vita debemus. Nos decet eſſe *roboris* juvenilis, in exantlando opere ſalutis nobis demandato, pulſa omni ſocordia ac inertia ex animo. Nos decet eſſe *alatos*, nocte dieque promtiſſimos ad laudes Dei celebrandas; terrena relinquere & cœleſtia quærere oportet, Col. III, 1. 2. Nos oportet eſſe *currum Dei*, præcipue doctores N. T. qui gloriam Chriſti mediatoris ejusque nomen portent coram hominibus, Act. IX, 15. qui regnum & thronum Salvatoris ubique inter animas erigant & ſtabiliant. Nos decet incedere

cedere *pedibus* firmis in tramite veritatis æterno, nullis tentationum aut errorum ventis commotos, ſed ambulantes absque delaſſatione, Jeſ. XL, 31. Nos *quadruplici* decet eſſe *facie* & *forma* inſtar Cherubinorum; *leonum* inſtar animo heroico pugnemus contra inſultus Satanæ, minas & perſecutiones mundi. *Juſtus* enim teſte ſapientiſſimo mortalium, *confidit tutus* inſtar *catuli leonis;* radiet ex vita & documentis fidei noſtræ animoſitas, & majeſtas imaginis divinæ, ad convictionem aliorum, qui majeſtate hac noſtra percellantur, Apoc. III, 9. *Vitulorum* ſeu *boum* inſtar agrum cordis noſtri & aliorum perpetuo vomere legis & evangelii ſecemus, examinemus & per Spiritum Dei in arvum frugiferum præparemus. Quo majus eſt opus, quod exantlandum nobis eſt, eo major induſtria ac indefeſſa opera eſt impendenda, memores dicti Jer. XLVIII, 10. *Aquilarum* inſtar oculis fidei in ſolem juſtitiæ directis corda noſtra ſurſum ultra nubes & viſibilia mundi elevemus, Jeſ. XL, 31. renovemus vires noſtras vi ſolis hujus ſalutis inſtar aquilarum, Pſ. CIII, 20. & nidum fiduciæ noſtræ in petram ſalutis & inter ſtellas ponamus, ne vacillemus. *Hominum* inſtar manſuetudine, φιλανθρωπίᾳ, inprimis ſapientia & prudentia præluceamus aliis. Cætera cum ſpectent animantia terram, nobis os ſublime dedit & cœlum tueri juſſit numen ſupremum, ergo caute & provide in fide ambulemus in hoc orbe perverſo, Eph. V, 15. 1. Pet. II, 12. Si cum Cherubinis *ejusdem* cum Chriſto per imaginis ejus impreſſionem, naturæ divinæ participes facti ſumus, 2. Pet. I, 3. auro quoque juſtitiæ & ſanctitatis rutilemus, ambulantes in Spiritu per Chriſtum, Rom. VIII, 1. Gal. II, 20. oculos fidei in ſolum Salvatorem, qui eſt expiatio noſtra, dirigamus, ſic *habitabit quoque gloria* divina in nobis æternum, Apoc. VII, 15. Joh. XIV, 23.

EXERCI-

EXERCITATIO V.
DE
BOTRO COPHER,
SYMBOLO MESSIÆ.

ARGUMENTUM.

§. I. Vocem אשכל *botrum vini ſeu uvam deſignare docetur. §. II. Variarum rerum ſymbolum eſſe uvam ex ſcriptis ſacris & profanis oſtenditur, §. III. Meſſiæ quoque emblema eſſe probatur. §. IV. Id quod per analogias oſtenditur. Quatenus ſc. eſt fructus vitis, quæ Eccleſiæ Judaicæ ſymbolum eſt in ſacris. §. V. Botrus ex variis & innumeris ſæpe baccis conſtat. §. VI. Inſignis uvarum præcipue in Palæſtina magnitudo & pondus probatur. §. VII. In eadem tellure maxime erant ſucco turgentes, quare* generoſæ *dictæ, ubi illuſtratur locus Gen. XLIX, 11. §. VIII. Coloris erant diverſi, præcipue tamen in Canaane rubicundi. §. IX. Plantari ſolebant vites & optime creſcere botri in collibus & montibus, §. X. ubi etiam ſolis calore excoquebantur ad maturitatem. §. XI. Quibus opponuntur uvæ immaturæ ſeu labruſcæ vitis ſylveſtris. §. XII. Quando maturæ erant uvæ, tempore meſſis reſecabantur per vinitores, §. XIII. maximaque cum lætitia collectæ portabantur vel à pueris vel a jumentis, ubi denuo locus Gen. XLIX, 11. illuſtratur. §. XIV. In torculari ſuccus exprimebatur, qui dulce mortalibus muſtum præbebat, ubi ſimul ἐν παρόδῳ locorum Gen. XLIX, 11. Jeſ. LXIII, 1--6. Apoc. XIX, 13--15. harmonia & ſenſus indagatur. §. XV. Uſus uvarum triplex notatur, tum in œconomia; cibum ſimul atque potum exhibentes in convivio, quare & ſervatæ & exarefactæ. §. XVI. tum in medicina, ad ſtabiliendam valetudinem, §. XVII. tum denique in cultu ſacro, diis inter primitias & libamina offere-*

ferebantur. Quæ omnia ſuo loco applicantur Meſſiæ. §. XVIII. In ſpecie cauſa redditur cur botrus COPHER in vinea Engeddi *dicatur. §. XIX. Epilogus practicus, exercitationis finis, adjicitur.*

I.

Myſterii plena ſuaviſſimo ore producit verba cœleſtis Sponſa, quando exclamat Cant. I, 14. אשכול הכופר דודי לי בכרמי עין גדי *BOTRUS COPHER mihi eſt amicus meus in vineis Engeddi.* Vox אשכול quibusdam derivatur à שכל *orbatus* eſt, ita ut denotet racemum, quo vitis orbatur, & qui ab eodem decerpitur; aliis ab אש כל *totus ignis*, ob ardorem igneum vini; melius ab Arab. radice شكل *matureſcere cœpit*, uti & radix ሰከለ סכל Æthiop. notat *uvas tulit.* Vox ipſa denotat *uvas* vitis & quidem integrum botrum, complectentem varias & innumeras baccas, uti ex Num. XIII, 23. diſcimus, ubi אשכול ענבים *botrus uvarum* memoratur; ענבים ergo baccas, אשכול autem racemum baccas comprehendentem denotat. Sunt quidem viri docti, qui in loco noſtro non uvas ſed *grana cypri* intelligunt, vel uti Cl. COCCEJUS *in Lex.* in loco noſtro per אשכול כפר *radices cyperi*, quæ ſunt *βοτρυοειδεῖς*, & conferunt quæ PLINIUS *hiſt. nat. Lib. XII. c. 24.* de baccis cypri ſcribit. *Balſami* ſpeciem eſſe ex eo quidam probare annituntur, quia in vineis Engaddi non vina ſed balſama naſci veteres ſcribant atque recentiores auctores. confer BOCHART. *Hieroz. P. II. Lib. V. cap. 9.* & Doctiſſ. ZORN. *in Opuſc. Sacr. Tom. II. p. 456.* nec non eundem AMEL. *in V.T. II. p. 885.* de quo infra; intelligimus autem per אשכל *botrum uvarum*, quia hæc notiſſima & conſueta vocis אשכל in ſcriptis ſacris notio eſt, uti diſcimus ex Num. XIII, 23. Jeſ. LXV, 8. Gen. XL, 10. Deut. XXXII, 32. I, 24. quare cum hæc conſtantiſſima vocis hujus in ſacris ſignificatio ſit, absque prægnanti ratione diſcedere vix licebit.

II. BOTRUS autem ſive *racemus* uvarum vario ſenſu gaudet hieroglyphico. In ſcriptis ſacris ſymb. eſt

a) *Bonorum operum;* ita Jehova plantaverat vitem generoſam,

 quæ

quæ quum edere debuiſſet *uvas*, edidit *labruſcas*, Jeſ. V, 2. ubi Iſraëli, tot beneficiis a Deo mactato, opera ingrati animi exprobrantur, & neglectus operum bonorum reprehenditur. Quare & Salvator Matth. VII, 16. rogat, *num colligunt ex ſpinis uvas?* qua proverbiali locutione docetur, ex homine impio nulla opera bona exſpectari poſſe, uti ex Patribus & aliis ſcriptoribus abunde docet Doctiſſ. SCHOTTUS *in adag. N. T. ad h. l. Matth.* Simili ratione canit VIRGIL. *Eclog. IV. v. 29.*

Incultisque rubens pendebit ſentibus uva.

Adde phraſin parallelam Luc. VI, 44. *non ex rubo vindemiabis uvam.*

b) *Voluptatum* quoque in genere emblema ſunt uvæ. Ita *caſti amores* Sponſæ conſiderantur tanquam *botri vitis* אשכלות הגפן quibus ceu deliciis voluptatum ſpiritualium delectatur ſponſus cœleſtis, Cant. VII, 8. Sive etiam per שדיך ibi *mammas*, quæ ſenſu myſtico *verbi divini* tum V. tum N. T. hieroglyphicon ſunt, intelligas, cujus veritates Eccleſia tum in aliorum convictionem tum in recreationem Sponſi cœleſtis, exprimit. Verum & *voluptates* carnales per *lagenas uvarum* deſignari ex *Hoſ. III, 1.* ſupra jam docuimus in *Exercit. I. de Calice inebriante §. II.* & in nummis *botrum* uvarum ſæpe voluptatum & ebrietatis ſymbolum eſſe, docet Celeb. HAVERCAMP. *in diſſ. de Alex. M. numiſm. p. 40.* & in feſto Bacchi etiam uva apparet, quæ ſymb. voluptatis, uti apparet ex nummo inſigni quem *Tab. XII. n. 46.* idem Vir Celeb. exhibet.

c) *Abundantiæ* quoque bonorum & divitiarum præcipue in Palæſtina & regionibus viniferis *uva* ſymb. fuit, & *felicitatis* regionum illarum ſignum notiſſimum. Romanis id in uſu fuiſſe ut abundantiam regionis per botrum deſignarent, docuit VAILLANT. *Celeb.* in *præfat. ad numiſm. Imp. & Cæſ.* Ita apud Græcos plurimi occurrunt nummi in quibus *botri* hieroglyphicon cernitur, veluti apud GOLZ. in *num. Græc. Tab. II. n. 5. Tab. XVI. n. 5. & 13.* apparet calix cum botro in nummis ΘΗΒΑΙΩΝ & ex calice quaſi creſcente *Tab. XVIII. n. 11.* Imo integrus racemus cum botro uvarum & pampino in nummis ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ exſtat *Tab. XXVII. n. 1. & 4.* & ſæpius in Inſulis

Græciæ

Græciæ uvas in nummis cernes, vide *Tab. I. n. 5. 12. Tab. XI. XII. XV. XVI. XVIII. XXII. XXV.* conf. & L. NONNI *Comment. ad hos nummos pag. 6. 238. 245. & 251. ſq.* Quare & *uvæ* paſſim in cornu copiæ apparent, ad abundantiam bonorum deſignandam; inprimis notandi hanc in rem nummi, in quibus uvæ utrinque ſolæ ex cornu copiæ eminentes apparent. vid. OISELII *Numiſm. Imp. Tab. LVII. n. 10. 11.* PIERIUS eapropter *felicitatis* ſymb. fuiſſe botrum docet in *Hierogl. P. I. p. m. 566.* Imo in ipſa Palæſtina *botrus fertilitatis* ac *felicitatis* ſymb. fuit, uti ex nummis, in quibus racemus apparet, conſtat, vide Cl. DEYLING *Obſ. Lib. III. p. 236.* & Doct. J. C. KLEM. *in numm. Hebr. p. 32. 34. ſq.* Inſignis quoque nummus eſt, quem exhibet SEQVINUS *in Numiſm. antiq. ſel. p. 333.* ubi apparet ab una parte racemus cum inſcript. ΗΡΩΔΟΥ, & ab altera galea & inſcript. ΕΘΝΑΡ, qui vel reſpicit *botrum* Canaanis ab exploratoribus geſtatum, uti Cl. SEQVINUS exiſtimat, vel felicitatem & abundantiam bonorum Judææ ſub Ethnarcha Herode. Exhibemus illum Tibi in *Tabul. noſtra præfixa num. 5.*

III. d. *Botrus* quoque ſymb. eſt *Meſſiæ.* Servator equidem Joh. XV, 1. Ἐγώ, inquit, εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή. *Ego ſum vitis* & quidem *vera*, ubi ſine dubio alludit ad *vitem auream* in templo II. Judæis maxime celebrem, de quo vide STEPH. le MOYNE in *diſſ. ad Jer. XXIII. p. 55. & 168.* & TACIT. *Hiſt. Lib. V. cap. 5.* nihil tamen impedit, quo minus idem Salvator ſub ſymb. *botri* occurrat, uti expreſſe in loco noſtro Cant. I, 14. docetur. Non adeo alienum eſt à phraſi ſcriptorum Sacrorum æque ac profanorum, *homines illuſtres* ſub ſymb. *uvarum* proponere. Ita *veri fideles* audiunt *botri*, Mich. VII, 1. 2. 4. ubi dicitur, *non eſt botrus*, quod v. 2. explicatur, *periit benignus e terra & rectus non eſt in hominibus*, & v. 4. illuſtratur: *Optimus ipſorum ſimilis eſt ſpinæ.* conf. etiam locum *Jer. VIII, 13.* parallelum. *Iſraël* quoque, qui & viti comparatur Jeſ. V, 1. ſub ſymb. botri depingitur Hoſ. IX, 10. *tanquam* uvas *in deſerto inveni Iſraëlem. Hoſtes* Eccleſiæ *inſignes* ſub eodem emblemate proponit Vates S. Apoc. XIV, 18. *Mitte falcem tuam & vindemia botros vineæ terræ, nam maturæ ſunt uvæ ejus.* Imo veros Prophetas & *Servos* ejus per idem

 ſymb.

ſymb. denotari docemur ex Jeſ. LXV, 8. *Sic ait Jehova: Ut cui præſto eſt muſtum in* botro, *is dicit, ne perdito illum, quia benedictio ineſt. Ita facturus ſum propter* ſervos meos, *ne perdam eos omnes.* Imo profanis ſcriptoribus *uva* tanquam decus vitis, ſymb. eſt perſonarum illuſtrium, ita canit VIRGIL. *Eclog. V. v. 32.*

Vitis ut arboribus decori eſt, ut vitibus UVÆ
Ut gregibus tauri, ſegetes ut pinguibus arvis:
Tu decus *omne tuis.*

Et apud Talmudicos in SOTA *fol. 47. col 1.* משם שכב יוסה בן יועזר ויוסה בן יוחנן בטלו אשכלות. *Ex quo mortuus eſt Joſe filius Joëſer & Joſe filius Jochananis, ceſſarunt BOTRI,* i. e. uti explicant, viri virtutibus divinis referti. Et in *Temur. fol. 15. c. 2.* מה אשכול איש שהכל בו תורה ויראה וענוה *Quid eſt botrus? Vir in quo omnia ſunt, lex, timor & ſcientia.* Imo Judæi ipſi *botrum* Meſſiam vocant. Egregius eſt locus quem legimus in TARGUM *Hieroſol. ad Gen. XLIX.* qui latine hunc in modum vertitur: *Quam formoſus eſt Rex Meſſias, qui ſurrecturus eſt de domo Juda! Ligabit lumbos ſuos, & exibit in prœlium adverſus hoſtes ſuos. Occidentur reges cum principibus. Rubefaciet fluvios ſanguine & dealbabit colles ſuos pinguedine fortium illorum; veſtimenta ejus imbuentur ſanguine. Ipſe autem ſimilis erit formæ BOTRORUM.*

IV. Elegantem heic analogiarum ſeriem inter *Meſſiam* & *Botrum* detegemus, & potiora tantum momenta attingemus.

1. *Botrus* fructus eſt *vitis*, ex qua procreatur, ex qua pendet, & quam decoris inſignis inſtar ornat, ut ex VIRG. loco vidimus. Varia hanc in rem veterum teſtimonia proſtant. Eum in finem plantantur vites, ut uvæ inde decerpi queant, uti ex Jeſ. V, 2. patet. Deus enim quum plantaſſet vineam, *uvas inde exſpectaſſe dicitur.* Quare ABARBANEL in תורה *fol. 48.* עם היות שקודם המבול היו שם גפנים לאכול הענבים הזה לא היה כרם מסודר שורות שורות לעשות יין עד שבא נח במזמרות הגפנים שהכניר סו עמו בתיבה נטע כרם מסוצר שורות שורות כדי להודיא יין מהגפנים *Etſi ante diluvium ibi non deerant* vites, ut uvæ inde poſſent comedi; *Non erat tamen vinea ſerie*

rie lineata diſpoſita, ut vinum inde confici poſſet, donec Noachus venit cum ſuis falcibus, quas in arcam ſecum detulit, plantavitque vineam ſtrie lineata, vt ex uvis vinum exprimeret. Huc refer locum HOMER. *odyſſ. lib. IX. v. 111.*

> Ἀλλὰ τά γ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται,
> Πυροὶ καὶ κρῖθαι, ἠδ' ἄμπελοι αἵτε φέρουσιν
> Οἶνον ἐριστάφυλον.
> *Hæc ſine ſeminio tellus inarata ferebat*
> *Hordea, frumenta & vites, quæ grandibus uvis*
> *Dulcia vina ferunt.*

& MARTIAL. *Lib. I. ep. 44.*

> *Non quæ de tardis ſervantur vitibus uvæ,*
> *Dulcibus aut certant quæ melimela favis.*

& denuo HOMER. *Iliad. XVIII.*

> Ἐν δ' ἐτίθει σταφυλῇσι μέγα βρίθουσαν ἀλωὴν
> Καλὴν χρυσείην.
> *In eo etiam ponebat uvis valde oneratam*
> *Vineam, pulchram auream.*

Hoc Meſſiæ ortum atque nativitatem nobis ob oculos ſiſtit, utpote qui non ſolum eſt fructus terræ, Jeſ. IV, 1. ſed & vitis myſticæ, quæ deſignat populum Judaicum, qui eſt vitis quem ex Ægypto Deus adduxerat, Pſ. LXXX, 9. & quem viſitaverat v. 15. viſurus an floreſceret, Cant. VI, 10. Explicat hoc Dominus ipſe Ez. XV, 6. *Quemadmodum lignum vitis inter ligna ſylvæ, quod trado igni in eſcam: Ita traditurus ſum habitatores Hieroſolymæ.* Conf. Ezech. XVII, 6. 7. 8. & inprimis Hoſ. X, 1. *Vitis vacua eſt Iſraël.* Adeoque hujus *vitis fructus* eſt Meſſias, ex Judæis enim ſalus hæc oritura erat, Joh. IV, 22. & ex patribus Judæorum, quod ad carnem attinet, futurus erat Meſſias, Rom. IX, 5. Semen eſt Abrahami, in quo benedicendæ erant omnes gentes, Gen. XVII, 7. Rom. IX, 7. quare ſub lege naſciturus erat, tanquam Judæus, Gal. IV, 4. Inprimis autem obſervari meretur, *vitem* perſonarum illuſtrium & *regiæ* ſtirpis ſymb. eſſe, ex parabola illa Jothami de *viti*, quam arbores agri regem conſtituebant, liquet, Jud. IX, 12. adeoque ſimul indicatur hoc ſymbolo, Meſſiam ex regia ſtirpe ortum ſuum trahere

here, ſc. ex regia Davidis familia, 2. Sam. VII, 12. quare vocatur filius Dei, *factus ex ſemine David ſecundum carnem*, Rom. I, 3. eleganterque hoc ſub ſymbolo *cedri proceræ* (quæ ſtirpem Davidis pingit) ex qua *ſurculus tener plantandus ſuper monte celſitudinis Iſraël*, in cedrum proceram & magnificam excreſcens depingitur Ezech. XVII, 22. 23. Quod egregium eſt de Meſſia ex regia Davidis ſtirpe orituri, gloria & regno vaticinium.

V. 2. Botrus integer ſive racemus ex plurimis *baccis* conſtituitur, quæ omnes grato nexu & concinno *cohærent*, & hac ratione decus & formam botri eminentem promovent. Huc refero locum OVID. *de Ponto Lib. IV. el. 15.*

Africa quot ſegetes, quot Tmolia terra racemos,
Quot Sicyon baccas, *quot parit Hybla favos.*

De hiſce acinis ſeu baccis etiam loquitur PLIN. *Hiſt. natur. Lib. XIV. cap. X. p.m. 242. Namque genera magnitudine, colore, ſaporibus, acinis innumera, etiamnum multiplicantur vino. Heic purpureo lucent colore, illic fulgent roſeo. Eſt & illa naturæ laſcivia, ut prægrandibus adhæreant pergulis parvi, mites & ſuavitate certantes.* Ita & in *Schevüth. cap.* 4. memorantur vites, in quibus apparebant גרעינין בתוך הענבים *plurima grana in uvis.* uti & botrus ille Canaanis ab exploratoribus exciſus אשכול הענבים *racemus acinorum* & baccarum *plenus* dicitur Num. XIII, 23. uti recte explicat *R. Salamo* BEN MELECH. ad Gen. XLIX, 10. Et in *Peah cap.* 7. כתפא vocant Rabbini *racemos uvarum*, denſe, ſpiſſe e ſcapo uvæ pendentes, & oneris inſtar ſibi invicem incumbentes, teſte BUXTORF. *in Lex. Talm.* h. v. Ad *ornatum* & decus quod pariunt uvæ viti, reſpicit AUSON. *ep. 3.* init:

Vel qui lucentes *rapuit de vitibus uvas.*

Et *Edyll. X.*

- - vitreis vindemia turget in undis.

Hoc ſi Meſſiæ applices, varia & quamplurima ſalutis dona, quæ acquiſivit nobis & largitur qua mediator & ſalvator noſter, depicta cernes. Qua *botrus* eſt fons ille omniſufficientiæ pro peccatore inexhauſtus, ex cujus abyſſo haurimus gratiam pro gratia, Joh. I, 16. Omnia in ipſo unico veluti in plenitudine divina, quæ in ipſo habitat, recluſa

nobis

nobis ſunt ſalutis media. Factus ille eſt nobis *in ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem, imo plenariam redemtionem*, 1. Cor. I, 30. nativitas ejus, paſſio, mors, reſurrectio, aſcenſio, &c. omnia ſunt media felicitatis noſtræ. Omnia nobis in illo donavit Pater, Rom. VIII, 32. in ipſo Pater nos accumulat benedictionibus ſpiritualibus & ſupra cœleſtibus, Eph. I, 3. Omnia, quæ in eo ſunt, jucunda & amœna ſunt, Cant. V, 16. In ipſo replentur fideles omni plenitudine Dei Eph. III, 19. Uti ſupra ex nummis docuimus, uvam baccis plurimis onuſtam ſymb. apud antiquos *abundantiæ* fuiſſe; hoc ſummo jure Meſſiæ tribui poteſt, qui fons & ſcaturigo eſt omnium bonorum, Pſ. XXXVI, 9. Joh. IV, 10. Joh. VII, 37. 38. Pſ. LXVIII, 19. Eph. III, 20. in ipſo ſecundum beneplacitum Dei κατοικεῖ πᾶν πλήρωμα, Col. I, 19.

VI. 3. *Uvæ* apud Veteres præcipue quoque in Palæſtina *ingentis* erant *magnitudinis* & *ponderis* plane admirandi. Ita STRABO in *Geogr. Lib. XV. p. m. 481.* tradit vitem Carmanicam *bicubitales* ſæpe *uvas* ferre, maximis ac denſiſſimis acinis imprægnatas. & *Lib. II. p. m. 44.* de vite Margiana idem teſtatur. Denique *Lib. XVII.* dicit in Mauritania, ὅτι ἄμπελος φύεται δυσὶν ἀνδράσι τὸ πάχος δυσπερίληπτος, βότρυν πηχυαῖον πως ἀποδιδοῦσα. *vitem naſci tam craſſi caudicis, ut eam duo homines vix amplectantur, racemos cubitales producentem.* Imo PIER. *Hierogl. Lib. LIII. c. 26.* teſtatur in Eucarpia, Phrygiæ minoris urbe naſci tantæ magnitudinis racemos, quorum ſinguli ſingulos expleant currus. Plura ejusmodi teſtimonia adducit Doct. F. CALENUS *in diſſ. de viticulturæ ortu, Jen. 1679. §. 3.* nec non CORNEL. *a* LAPIDE *ad Gen. XLIX. Mich.* BECK. *in diſſ. de uva magna Cananæa. in præfat. 1679.* In Oriente quoque uvas naſci tres partes ulnæ noſtræ adæquantes, & baccis prunorum noſtrorum magnitudine præditis inſtructas, docet OLEAR. *Itin. Perſ. Lib. V. cap. 9. & part. III. p. 484.* Ex hodiernis quoque exemplis id comprobat *Cl.* SACHS A LEUWENH. in *viti vinif. p. 100. ſq.* In *Palæſtina* quoque uvas inſignis fuiſſe magnitudinis & ponderis, convincimur ex *uva* illa, quam exploratores in valle Eſcol exſciderant, & duabus vectibus, humeris impoſitis, adducebant, Num. XIII, 22. 23. de qua ſingularis Doctiſſ. BECKII *diſſ. cit.* conferri meretur. & Cl. WAGENSEIL *in ſot. p. 706. ſq.* Talmudiſtæ

quoque

quoque in *Ketuvot fol. III. col. 2.* דלית אחת הניח לי אבא ובצרתי ממנה יום ראשון שלוש מאות אשכולות אשכול לגרב יום שני בצרתי ש״ש אשכולות שני אשכול לגרב: *Vitem reliquit mihi Pater meus, ex qua primo die vindemiavi uvas trecentas, ex quarum ſingulis uter plenus eſt expreſſus. Altero die vindemiavi uvas trecentas, quarum binæ utrem muſto replebant.* Imo Judæi locum *Gen. XLIX, 11.* huc referunt, ubi dicitur: *aſellum alligabit viti*, quod explicant: nullam in Palæſtina tempore Meſſiæ futuram vitem, ad cujus uvas portandas aſello non opus ſit. Plura hanc in rem teſtimonia leges apud Cl. WAGENSEIL in *ſota p. 710. ſq.*

Hoc denuo in Meſſia, mediatore noſtro, ſuum pondus nanciſcitur; meritorum ejus *pondus & magnitudo* eſt inæſtimabilis. *Adeo enim Deus dilexit mundum, ut filium traderet pro illo.* Joh. III, 16. *Quantus ergo ille amor eſt Patris!* 1. Joh. III, 2. Quare toties Deus *maximus bonitate* dicitur, Exod. XXXIV, 8. Pſ. LXIX, 14. LXXXVI, 5. Recte ergo de eo angelus Luc. I, 32. Hic erit *μέγας magnus, & filius altiſſimi vocabitur.* Dives eſt miſericordia propter maximam charitatem, qua nos amplectitur, Eph. II, 4. *Magnus* eſt Sacerdos noſter, Hebr. IV, 14. *maximus* Paſtor ovium Heb. XIII, 20. *Benignitas ejus ad cœlos extenſa, & fides ejus ad nubes ſuperiores. Juſtitia ejus inſtar montium maximorum, & judicia ejus inſtar abyſſi, conſervat enim homines & jumenta.* Pſalm. XXXVI, 6. 7. In illo *pondus* divinæ vitæ æternum reſidet, Coloſſ. II, 9. & virtutum divinarum pondus immenſum, Heb. I, 3. quarum complexus a *gravitate* כבוד vocatur in ſacris. Et bona illa, quæ poſſidet, peccatoribus concedenda, Pſ. LXVIII, 19. ſunt ponderis immenſi oppoſita levioris momenti bonis hujus mundi, 2. Cor. IV, 17. 18. ubi Apoſtolus illa vocat *βάϱος δόξης αἰώνιον καθ᾽ ὑπεϱβολὴν εἰς ὑπεϱβολὴν.* Eſt *gratia & gloria ſupereminens,* 2. Cor. III, 10. IV, 15. IX, 14. *ſupereminentes opes gratiæ,* Eph. II, 7. & Phil. III, 8.

VII. 4. Inprimis notabiles erant in Palæſtina *vites generoſæ*, quarum uvæ pleno ſucco turgebant, & quidem efficaci & maxime *inebriante.* Huc refer locum Gen. XLIX, 11. *Ligans ad vitem aſellum ſuum, & ad generoſam vitem* שרקה *pullum aſinæ ſuæ.* conf. Jeſ. V, 2. Jer.

Jer. II, 21. LXX. vertunt ἄμπελον σωρήκ. *Symm.* autem ἐκλεκτήν. Belgæ *edele Wynſtocken.* uti & Lutherus vertit. KIMCHI vero explicat de uvis אשר אין בענבין חרצן *in quibus non ſunt vinacea.* Dictæ autem videntur a *torrente Sorec*, ad quem conſitas fuiſſe vites electas, fructu uberrimo & perpetuo, cujus uvæ caruerint arillis & vinum dederint rubens delicatiſſimum, teſtatur ADRICHOM. *in Theatr. terræ ſanctæ f.* 24. Huc refero locum MARTIAL. *Lib. IV. epigr.* 44.

Hic eſt pampineis viridis modo Veſuvius umbris,
Preſſerat hic madidos nobilis uva *lacus.*

Ita OVID. *remed. am. v.* 567.

Eſt tibi rure bono generoſæ fertilis uvæ
Vinea, ne naſcens uva ſit uſta, time.

Hæc eſt *uva ſtillans*, apud MARTIAL. *Lib. X. ep.* 56. Hanc exprimit quoque TIBULL. *Lib. I. el.* 1.

Præbeat & pleno pinguia muſta *lacu.*

nec non VIRGIL. *Lib. II. Georg. v.* 190.

Hic tibi prævalidas olim multoque fluentes
Sufficiet Baccho vites.

& NEMESIAN. *ecl.* 2.

- - *Turgentes ſanguine baccas.*

Id eſt uvas rubro ſucco prægnantes. conf. de vitibus generoſis, PLIN. *hiſt. nat. Lib. XIV. cap. V. p. m.* 246.

Talis quoque *uva* eſt Meſſias, quæ turget ſucco pleno & generoſo. Merita ejus ſunt generoſa illa ac pretioſa dona, Prov. III, 15. ſunt inſtar muſti generoſi utres perrumpentis, Matth. IX, 17. Marc. II, 22. Luc. V, 37. & animas zelo laudis divinæ inflammantis. Ita Jer. XXXI. dicit Vates: *Tum venientes cantabunt in excelſo Zionis, & confluent ad bonitates Jehovæ, ad frumentum, muſtum & oleum.* & muſtum inter dona illa, quæ Iſraël a marito ſuo, Deo fœderato accipit, refertur Hoſ. II, 8. quo virgines redduntur diſertæ, Zach. IX, 17. ubi enim dona Spiritus ſui mediator in pectus effundit, generoſus ille Spiritus efficaciam ſuam generoſis effectibus demonſtrat, Joh. VII, 37. 38. effluit denuo ex cordibus ipſorum in aliorum convictionem aut corroborationem, *perſtrepentes*

 tes

tes quaſi hocce uvarum ſucco Zach. IX, 15. pleni evadunt Spiritu Eph. V, 18. eoque repleti magnifica Dei opera ediſſerunt, Act. II, 4. 11.

VIII. 5. Quod *colorem* uvarum concernit, ille apud veteres & in Palæſtina maxime diverſus fuit. Sic *albas* memorat VARRO *de re ruſtic. Lib. I. c. 58.* & PLINIUS *in H. N. Lib. XIV. c. 2.* inprimis autem in Canaane erant nobiliſſimæ *rubicundi* coloris, ita Deut. XXXII, 14. αἷμα ςαφυλῆς, דם הענב *ſanguis uvarum* memoratur, ob rubrum earum colorem. ſimiliter Gen. XLIX, 11. Huc alluditur Jeſ. XXVII, 2. ubi de vinea *vini ferventis* loquitur vates, quod KIMCHI de *rubro* maxime efficaci exponit. Scriptoribus quoque profanis phraſis eſt uſitatiſſima, *ſanguis uvarum.* Ita NEMESIANUS *ecl. 2.*

- - *Turgentes* ſanguine *baccas.*

conf. etiam TAUBMANN. *in Virg. Culic. p. 78.* OVID. *L. II. de arte amandi*, purpuream vocat:

Plenaque purpureo ſubrubet uva mero.

uti & MARTIAL. *Lib. VIII. Epigr. 68.*

Invida purpureos urat ne bruma racemos.

et HORAT. *Epod. 2.*

Certantem & uvam purpuræ.

conf. & CATULL. *carm. 18.* VIRGIL. *Eclog. IV, v. 29.* & adde locum notabilem OVIDII *in metam. lib. XIII. fab. 8.*

Sunt auro ſimiles longis in vitibus uvæ,
Sunt & purpureæ.

Μέλανες βότρυες apud HOMER. *Lib. XVIII. Iliad. Opp. T. I. p. m. 343.* *uvæ nigreſcentes*, nihil aliud quam colorem illarum nigro-purpureum deſignant. Ad hunc uvarum colorem quoque loca Jeſ. LXIII, 1-6. Apoc. XIX, 13. 15. alludere infra videbimus.

Elegantiſſime color hicce *purpureus* atque *ſanguineus* Meſſiæ quoque tribui poteſt, qui eſt *albus & rubicundus*, Cant. V, 10. Dentes Meſſiæ *albent* præ lacte, & oculi *rubent* præ vino, Gen. XLIX, 12. *Purpureus* eſt color regius, maxime Meſſiæ conveniens, qui eſt Rex unctus in Zionem, Pſ. II, 6. & qua Rex quoque populo ſuo ſalutem ac redemtionem acquirit, Jeſ. XXXIII, 27. XLIX, 8. 9. purpureus in ſanguine

guine paſſionum apparebat, purpura amictus & ſpinis caput vulneratus, atque flagellis tergum dilaceratus in paſſionibus conſtituebatur coram judicio hominum. In horto Getſemane tanquam *vermis* תולעת *coccineus*, ſudorem ſanguineum a facie ſtillantem emittebat, ad peccatorum noſtrorum expiationem. *Sanguis* ejus, qui eſt pretioſus ille quo redemti ſumus, eſt potus quoque noſter, Joh. VI, 56. & medium ſalutis, 1. Joh. I, 7.

IX. 6. Plantari vites & creſcere optimæ uvæ ſolebant in *collibus* atque *montibus*, locis quippe *altioribus* & *evectis*; unde Germ. **Weinberge** dicuntur. Gen. IX, 20. Exod. XXII, 5. Num. XXII, 24. &c. Quare & ONKELOS *in Geneſ. XLIX.* ſcribit: ***Purpura optima erit veſtimentum illius, operimentum ejus erit ſericum, tinctum coccino, variisque coloribus.*** Montes ***ejus rubicundiores erunt in*** vineis ſuis, ***deſtillabunt*** colles ***ejus vinum.*** conf. Jer. XXXI, 35. Huc alluditur Joël. III, 18. & Amos IX, 13. quando ***montes muſto*** ſtillare dicuntur, in quibus vites generoſæ, ſucco turgentes plantatæ ſunt. SERVIUS ad illud VIRGIL. *lib. II. Georg.*

Bacchus amat colles,

commentatur: ***Vites longe uberiores ſunt in montibus;*** unde apud Phœnices *Arambyn* regionem quaſi הר ענבים *montem uvarum* dictam exiſtimat magnus BOCHARTUS *in Phaleg. Lib. I. cap. 37. p. m. 712.* Plurima hanc in rem veterum teſtimonio proſtant. ita MARTIAL. *Lib. I. ep. 27.*

Uva *nec in Thuſcis naſcitur iſta* jugis.

adde *Lib. X. ep. 93.* & PROPERT. *Lib. III. El. 16.*

Ipſe ſeram vites, *pangamque ex ordine* colles.

nec non AUSON. *Edyll. X.*

Qua ſublimis apex longo ſuper ardua tractu
Et rupes & aprica jugi, flexusque ſinusque
Vitibus aſſurgunt.
Jauranum ſic alma jugum vindemia veſtit.
Summis quippe jugis tendentis in ultima clivi
Conſeritur viridi fluvialis margo Lyæo:

Monteſque vitibus creſcendis aptiores eſſe quam valles docet VARRO

RO de *re ruſt. Lib. I.* nec non PLINIUS *hiſt. nat. Lib. XIV. cap. 3. & 4.*

Hoc ſi huic uvæ myſticæ applicare velis, Meſſias eſt, qui appariturus erat in *monte Zion*, ſuper quo unctus eſt, Pſ. II, 6. tanquam Legislator videbatur in *monte Sinai*, Exod. XIX, 11. tanquam Deus Iſraëlis in columna núbis & ignis habitabat in *monte ſanctitatis* ſuæ, Pſ. XLIII, 3. LXVIII, 17. qui eſt mons ille Dei frugifer, Pſ. LXVIII, 16. habitat in monte Zion, Jeſ. VIII, 18. Sæpius quoque Salvator noſter in montibus conſpicuus fuit; cum tentaretur a Satana, in *monte* fuit, Matth. IV, 8. quum populum eſſet informaturus, *montem* conſcendebat, Matth. V, 1. quum oraturus eſſet, ſolus *montem* aſcendit, Matth. XIV, 23. quum glorificandus eſſet & præparandus ad executionem operis ſalutis, *montem* ſelegit theatrum gloriæ, Matth. XVII, 1--9. quum paſſiones eſſet inchoaturus & tanquam uva prelo iræ divinæ eſſet ſubjiciendus, ad *montem* olivarum ſe contulit, Matth. XXVI, 30. Inſuper ſi *montes* & *colles* ſenſu myſtico intelligas, Meſſias quoque eſt *uva* in *montibus* creſcens & educata, quoniam in excelſis præparatus & præordinatus eſt tanquam Dux ſalutis, Act. II, 23. in regnis & rebus publicis hujus mundi exaltandus erat tanquam Mediator & medium ſalutis animarum, Jeſ. XI, 5. 10. Joh. III, 14. 15. præcipue in monte Reipublicæ Judaicæ, in quo plantatus, natus & educatus fuit, tanquam monte alto & aggeſto, Ez. XVII, 22 23.

X. 7. Uvæ in excelſis locis creſcentes *ſolis* radiis erant expoſitæ, quibus ad *maturitatem excoqui* ſolebant, & quorum virtute rubor ille ſanguineus uvarum intendebatur maximopere, præcipue quando in locis apricis & ſoli expoſitis vites eſſent plantatæ. Exprimit hoc VIRGIL. *Eclog. IX. v. 48.*

Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.

nec non HOMER. *odyſſ. Lib. VII. Opp. T. II. p. m. 91.*

Ἔνθα δὲ οἱ πολύκαρπος ἀλωὴ ἐῤῥίζωται,
Τῆς ἕτερον μὲν θειλόπεδον λευρῷ ἐνὶ χώρῳ
Τέρσεται ἠελίῳ, ἑτέρας δ᾽ ἄρα τε τρυγόωσιν,
Ἄλλας δὲ τραπέουσι· πάροιθε δέ τ᾽ ὄμφακές εἰσιν.

Ibi

Ibi autem fructuoſa vinea radicatur.
Hujus alterum quidem apricum lato in loco
Areſcit ſole, alias autem vindemiant,
Alias vero calcant. Longe autem uvæ maturæ ſunt.

Huc reſpicit quoque TIBULL. *Lib. I. eleg. IV.*

Annus in apricis maturat collibus uvas,

Et VIRGIL. *Lib. II. Georg. v. 521.*

Et varios ponit fœtus autumnus & alte
Mitis in apricis coquitur *vindemia ſaxis.*

nec non *Eclog. IX.*

Duceret apricis in collibus uva colorem.

Quare & *R. Salomo* ימי בכורי ענבים Num. XIII, 20. exponit ימים שהענבים מתבשלים בבכור *dies, quibus uvæ ad maturitatem coquuntur.*

Talis quoque uva eſt Meſſias, qui æſtu iræ divinæ tanquam botrus matureſcens fuit excoctus. Flammæ excandeſcentiæ Jehovæ in nos directæ, ab ipſo ſunt exceptæ Jeſ. LIII, 4. quare Meſſias ſæpius tanquam æſtu iræ divinæ exarefactas occurrit. Pſ. LXIX, 4. conqueritur: *Exſiccatur guttur meum, deficiunt oculi mei ſperantis in Deum meum.* & Pſ. LXXXVIII, 17. *ſuper me tranſeuntibus æſtibus tuis, conturbationes tuæ exſcindunt me.* Præcipue quum in cruce penderet, tanquam Dux ſalutis, æſtu excandeſcentiæ oſſa ejus quaſi exſugebantur, & cor ejus inſtar ceræ liquefiebat in viſceribus ipſius, ut exclamaret : *Robur meum exaruit inſtar teſtæ, & lingua mea adhæret faucibus meis, in pulvere mortis ſum collocatus*, Pſ. XXII, 15. 16. Id quod & præfigurabatur per *flammas*, quibus *agnus paſchalis* excoquebatur in cibum Iſraëlitarum; per *ignem ſacrum,* quo typice ſub V. T. omnia ſacrificia conſumebantur. Et hac ratione æſtu iræ divinæ excoctus quaſi, medium recreationis ſalutaris animarum, flammis infernalibus fere exanimatarum, exiſtere poterat Salvator noſter. Conſummatus enim hoc æſtu, factus eſt cauſa ſalutis, Heb. V, 9. Matth. XI, 28. 29.

XI. 8. Uvis hiſce maturis opponuntur *labruſcæ*, quæ ſunt immaturæ, acerbæ & noxiæ, & plerumque in viti ſylveſtri reperiuntur, quæ Græcis ὄμφακα dicuntur. De his loquitur VIRGIL. *Eclog. V. v. 6.*

 aſpice

- - aſpice ut antrum
Sylveſtris raris ſparſit labruſca racemis.

nec non in CULIC. *v. 52.*

Denſaque virgultis avide labruſca petuntur.

Quare PLIN. *Lib. XXIII. cap. I. p.m. 421. Labruſca quoque œnanthen fert, ſatis dictam, quæ a Græcis ἄμπελος ἄγρια dicitur, ſpiſſis & candicantibus foliis, geniculata, rimoſo cortice, fert uvas rubentes.* De iis in *TALMUD. HIEROS. in Jom. tof. cap. 3.* legimus: דמרמניות שבכרם הרי אילו אסורות *Omphaces quæ ſunt in vinea, ſunt prohibitæ.* Et *in Orla. cap. 1.* cit. BUXTORF. *in Lex. p. 1636.* עוקוקלות וחרצנים והזגים וכו אסורים בערלה *Uvæ immaturæ, grana & pelliculæ uvarum &c. prohibitæ ſunt ad eſum propter profanationem.*

Labruſcæ in ſcriptis ſacris ſymb. ſunt *Pſeudo-Prophetarum* & falſorum doctorum, qui vocantur *degeneres palmites peregrinæ vitis*, Jer. II, 21. & *vitis vacua* Hoſ. X, 1. uti & Antichriſtus ſub ſymb. *vitis Sodomiticæ* proponitur Deut. XXXII, 32. *Acini* vitis ſylveſtris באשים dicti a fœtore, Jeſ. V, 4. ſymb. ſunt fructuum malorum, idololatriæ, voluptatum & peccatorum enormium, quæ iram Dei concitant, uti ex Jer. XXXI, 29. 30. coll. Ez. XVIII, 2-4. liquet, conf. *Diſſert. noſtras juvenil. de Miracul. Eliſæ. D. II. p. 26. ſq.* Impium quoque & hypocritam Eliphas cum omphace a viti dejecta comparat, Hiob XV, 33. Pſeudo-Meſſiæ ergo omphaces & labruſcæ ſunt, qui veræ uvæ, Mediatori unico, oppoſiti, maxime lethales fructus, doctrinas noxias animabus porrigunt, & qui eam ob cauſam ſerio fugiendi ſunt. Analogias inter *labruſcam* & Pſeudo-Doctores dedimus prolixas in *Diſſ. noſtr. de pulte colocynthidum, cit. p. 25. ſq.*

XII. 9. Maturæ autem uvæ vitis frugiferæ tempore autumni in vindemia *reſecabantur falcibus*, per *vinitores* eo fine in vineam miſſos. Ita de exploratoribus legimus, quod palmitem cum *botro uvarum exſciderint in valle Eſcol*, Num. XIII, 23. eo reſpicit Hiob. c. XXIV, 15. nec non vates Jer. VI, 9. & alibi. Hinc NEMESIAN. *ecl. III.*

- - decerpunt vitibus uvas.

& MAR-

& MARTIAL. *Lib. III. ep. 58.*

Hic poſt Novembres, imminente jam bruma,
Seras putator horridus refert uvas.

nec non VIRGIL. *Eclog. X.*

- - aut maturæ vinitor uvæ.

Huc reſpicit HOMER. *Iliad. Lib. XVIII.*

Τῇ νίσσοντο φορῆες, ὅτε τρυγόωσιν ἀλωήν:
In qua ibant bajuli, quando reſecabant vineta.

Ita JOH. AURAT. *in ſylv. p. 169.*

- - Bacchi depopulantur opes,
- - falx falci pulſa repulſa crepant
Indeque dum plenis fervet vindemia prelis.

nec non ABARBANEL תורה *f. 48.* עד שבתא נח במזמרות הגפנים שהכנירסו עמו בתיבה נטע כרם כדי להוציא יין מהגפנים *Usque dum veniret Noachus cum ſuis* falcibus, *quas in arcam ſecum detulerat, plantaveratque vineam, ut vinum ex uvis exprimeret.* conf. & quæ de vindemia & legibus ejus ſcribit PLIN. *hiſt. nat. Lib. XVIII. cap. 31. p. m. 341.* ad *falces* vinitorum quoque reſpicit locus Jeſ. XVIII, 5.

Talis racemus per *vinitores* falce *reſectus* eſt Meſſias. Egregius ſane locus eſt Jeſ. LIII, 8. נגזר מארץ חיים *Exciſus eſt e terra viventium.* & Dan. IX, 26. משיח יכרת *exſcindetur Meſſias.* præfiguratus per *racemum* ab exploratoribus *exciſum* in Canaane, per Judæorum proceres. Ita Chriſtus per mortem exciſus ex hac vita, cauſa ſalutis noſtræ factus, Act. II, 23. *Vinitores* ſymb. ſunt hoſtium crudelium, uti ex Jer. VI, 9. cap. XLIX, 9. Obad. v. 5. diſcimus. Tales erant proceres Judæorum, Phariſæi & ſcribæ, qui *falce* poteſtatis Romanæ Chriſtum morti tradiderunt, Zach. XIII, 7. Act. IV, 10. Quare cum inſtar botri æſtui iræ divinæ expoſitus in monte oliveti degeret, ecce *vinitores cum falcibus* venientes ad uvam hancce jam ex decreto divino maturam, exſcindendam: intellige Phariſæos & ſcribas cum militibus & miniſtris ſynedrii Judæorum atque præfecti Romani cohorte, inſtructos lampadibus, enſibus & fuſtibus, ad Jeſum capiendum, illumque morti traden-

tradendum approperantes, quod ex hiſtoria paſſionis Dominicæ Matth. XXVI. Marc. XIV. &c. aperte ſatis conſtat.

XIII. 10. Quando uvas reſecuiſſent, eas *colligebant*, corbibusque à pueris atque puellis *geſtabantur*, idque maximo cum plauſu atque jubilo. Legimus de exploratoribus Num. XIII, 23. quod וישאהו במוט בשנים *duo ex ipſis vecte botrum uvarum geſtaverint;* & ABARBANEL *fol. 292. col. 4.* ad hanc pericopam ſcribit: באמרו והימים ימי בכורי ענבים רוצה לומר אל תפחדו להביא הפירות כי הימים ימי בכורי ענבים ודרך בני אדם להביא בזמן הזה פירות במאכלם: *Quando dicitur: & ecce dies hi ſunt dies primitiarum uvarum, vult dicere: ne expaveſcatis apportare fructus, quia hoc omnino tempore reliqui homines & incolæ in uſum & eſum ſuum jam uvarum fructus deportare ſolent.* Inſignis de vindemia locus eſt ANACREONTIS *Carm. LII. εἰς οἶνον*:

Τὸν μελανοχρῶτα βότρυν
Ταλάροις φέροντες ἄνδρες
Μετὰ παρθένων ἐπ᾽ ὤμων. & poſt
Μέγα τὸν θεὸν κροτοῦντες
Ἐπιληνίοισιν ὕμνοις.
Calathis nigros racemos
Juvenes viri reſectos
Humero ſuper valente
Lepidæ & ferunt puellæ &c.
Bromium viri canentes,
Lacus & repletur hymnis.

Congruit locus HOMER. *Iliad. Lib. XVIII. Opp. T. II. p. m. 343.*

\- - Ὅτε τρυγόωεν ἀλωήν,
Παρθενικαὶ δὲ καὶ ἠΐθεοι ἀταλὰ φρονέοντες.
Πλεκτοῖς ἐν ταλάροισι φέρον μελιηδέα καρπόν.
\- - Τοὶ δὲ ῥήσσοντες ὁμαρτῆ
Μολπῆτ᾽ ἰϋγμῶτε, ποσὶ σκαίροντες ἕποντο.
Quando vindemiarent vineam,
Virgines & juvenes inupti pueriliter ſapientes

Textis

Textis in calathis portabant dulcem fructum;
Hi autem pulſantes terram ſimul cantu
Sibiloque pedibus tripudiantes ſequebantur.

Ad hanc uvarum vindemiam reſpicitur, quando de Meſſia vaticinatur Jacobus, Gen. XLIX, 11. quod *ad vitem alligaturus* ſit *aſinum*, qui onerandus erat fructibus copioſis hujus vitis, ut eos ad torcular deferret, uti ex Talmudiſtis qui ita ſentiunt, refert Doctiſſ. WAGENSEIL in *Sota p. 711. ſq.* Ad *lætitiam* tempore vindemiæ exſertam reſpicit vates *Jeſ. XVI, 10. Intercepta eſt lætitia & exultatio ex arvis; nec audiuntur hymni in vineis, non agitatur clamor, vinum in lacubus non calcat vinitor & celeuſma eſſe deſiit.* conf. cap. XXIV, 11. & XXXII, 10.

Antitypum in ſpecie illius racemi Canaanis a binis viris ex duodecim exploratoribus per vices portati, deprehendimus in Meſſia noſtro, qui tanquam medium ſalutis & recreationis animarum, inter gentes erat portandus per duodecim Apoſtolos, eosque binos emiſſos, Matth. X, 2. 3. 4. Luc. X, 1. idque mediante *vecte*, in qua pendebat, quæ vel ſymb. eſt crucis, vel præconii Evangelii; Chriſtum enim crucifixum annuntiabant, 1. Cor. I, 23. Sed & in genere Salvator eſt inſtar racemi collecti & cum gaudio portati per vinitores, pueros & puellas. Quum enim exciſus eſſet e terra viventium, cum lætitia & gaudio receptus eſt hic Mediator tanquam crucifixus a Judæis ac Gentibus, Act. II. X. XVI. Rom. XV. &c. portatus a Doctoribus N. T. qui eum tanquam ſalutis cauſam ac medium omnibus offerebant, licet quibusdam eſſet ſcandalo & ſtultitiæ, credentibus tamen potentia divina ac ſapientia erat, 1. Cor. I, 23. 24. Rom. I, 16. Hæc eſt *pax* illa, quam annuntiant, & hæc ſunt *bona* illa, quæ prædicant *nuntii*, quorum in *montibus pedes jucundi* ſunt, Jeſ. LII, 7. hæc eſt lætitia illa, qua perfundendi ſunt, qui bonis hiſce Meſſiæ, tempore vindemiæ N. T. erant accumulandi, Jeſ. LI, 11. LVI, 7. Zach. IX, 17. Elegans ad lætitiam vindemiæ alluſio eſt Jer. XXXI, 12. *Tum venientes cantabunt in excelſo Zionis, & confluent ad bona Jehovæ, cum frumento, & cum muſto & oleo. Et anima eorum erit inſtar horti irrigui, neque pergent lugere. Tunc lætabuntur virgines in choro, juvenes ac ſenes pariter* (quemadmodum tempore meſſis & vindemiæ fieri ſolebat).

XIV. II. Collectis uvis, in *torculari* exprimebatur ſuccus, qui dulce mortalibus *muſtum* præbebat, quo *inebriabantur* plerumque vindemiatores reliquique amici invitati. Huc reſpicit Sapientia ſumma Prov. III, 10. *Ita implebuntur horrea tua ſaturitate & muſto lacus torcularii tui perrumpent.* ſimiliter Deut. XV, 14. XVI, 13. Hiob XXIV, 11. Jeſ. V, 2. XVI, 10. Hoſ. IX, 2. Joel II, 14. III, 13. Hagg. II, 17. Huc quoque refer NEMESIAN. *eclog. III.*

Collibus in ſummis crebro pede rumpitur uva,
Udaque purpureo ſparguntur pectora muſto.
Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit;
Pronus at ille lacu bibit & crepitantibus haurit
Muſta labris.

ANACREON *Carm. LII.*

Καλὰ ληνὸν δὲ βαλόντες
Μόνον ἄρσενες παῖδοι
Σταφυλὴν, λύοντες οἶνον.
Sed ubi in lacum dederunt,
Maribus premuntur uvæ,
Pedibus merum reſolvunt.

MARTIAL. *Lib. IV. ep. 44.*

Preſſerat hic madidos nobilis uva lacus.

VIRGIL. *Lib. II. Georg.*

- - *ſpumat plenis vindemia labris.*
Huc Pater o Lenæe veni, nudataque muſto
Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.

HORAT. *Lib. I. od. 20.*

Prælo domitam tu bibes uvam.

TIBULL. *Lib. II. eleg. I.*

Aurea tunc preſſos pedibus dedit uva liquores,
Miſtaque ſecuro eſt ſobria lympha mero.

Veteres quoque uvas in calices expreſſiſſe manibus & ita recens bibiſſe muſtum ex Gen. XL, 11. liquet, ubi pincerna Pharaonis teſtatur, in ſomnio ſe accepiſſe poculum Pharaonis in manum ſuam, & *accipiens*, ait, *uvas maturas exprimebam in poculum Pharaonis*, & porrigebam *poculum*

ipſum

ipſum in manum ejus. Locus hic egregie confirmari poteſt nummo inſigni quem in *Numiſm. Græc. Tab. XVI. n. 12.* exhibet GOLZIUS, ubi apparet poculum clauſum, in cujus operculo conſpicitur uva matura, quaſi in poculum exprimendum cum epigr. ΘΕΒΗ, quæ regio uvis dulciſſimis abundabat. huc refer VIRGIL. *Georg. Lib. I. v. 9.*

Poculaque inventis Acheloïa miſcuit uvis.

Meſſias quoque botri inſtar *torculari* iræ divinæ ſubjici ante debuit, quam nobis muſtum meritorum ſalutis fide bibendum exhibere poſſet. *Calcatio* enim *torcularis* ſymb. eſt *iræ divinæ* in ſcriptis ſacris, Thren. I, 15. & Joel III, 13. ubi Dominus jubet: *Immittite falcem, nam maturuit meſſis, venite, deſcendite, quia plenum eſt torcular, plateas perfundunt tot torcularium lacus, nam ampla eſt malitia eorum.* nec non Apoc. XIV, 18-20. *Mitte falcem tuam acutam & vindemia botros vineæ terræ, nam maturæ ſunt ejus uvæ. Miſit ergo angelus falcem ſuam acutam in terram & terræ vineam vindemiavit, & miſit in lacum magnum excandeſcentiæ divinæ, & calcatum eſt torcular extra civitatem.* Iræ ergo Divinæ ſubjici Meſſias debebat, onusque illius portare, ut nobis pacem acquireret, Jeſ. LIII, 4. 5. eum in finem morti ſuccubuit, ut animas defatigatas & egenas ſatiaret, Jer. XXXI, 25. 26. ira divina contuſus dulce animarum refrigerium exhibuit, & muſto meritorum ſitientes inebriat, Cant. V, 1. Pſ. XXXVI, 9. Zach. IX. ult. Calcatus eſt Salvator inſtar botri in *Gethſemane*, quæ vox *torcular olei* deſignat, ubi *ſanguineus* ipſi ſudor, inſtar muſti generoſi, onere iræ divinæ per peccata fidelium aggravato, fuit expreſſus. Et deinceps denuo in crucis ligno, quando ſanguis ejus muſti inſtar ex latere ipſius effluxit (muſtum enim ſanguinis ſymb. eſſe ex Jeſ. XLIX, 26. diſcimus), qui ſanguis, dulcis animæ per fidem potus eſt, Joh. VI, 53. 56. Quilibet etiam fidelis in calicem ſuum merita Salvatoris ſui velut muſtum ex botro exprimit, per ſeriam paſſionum ejus meditationem & vivam earum applicationem, Cant. II, 3. Pſ. IV, 8.

Non poſſum quin ἐν παρόδῳ heic inſignem harmoniam locorum trium illuſtrium, ſc. Gen. XLIX, 11. Jeſ. LXIII, 1--6. Apoc. XIX, 13--15. adnectam, in quibus ad vindemiam & *calcationem torcularis*

apud veteres alluditur. Prior locus eſt Gen. XLIX, 11. כבס ביין לבשו ובדם ענבים סותה *Lavabit vino veſtes ſuas & ſanguine uvarum operimentum ſuum.* Plerique Interpretes hoc in loco una cum tota Patrum cohorte, *paſſiones* Salvatoris noſtri deſcribi exiſtimant, veluti Doct. BERNH. *von* SANDEN *in diſſ. ad Gen. XLIX, 11. Reg. 1680.* late docet. Verum enim vero pace tantorum Interpretum ex collat. locorum parallel. Jeſ. LXIII. & Apoc. XIX. alludi cenſemus ad calcantes torcularia, quorum veſtes ſanguine uvarum i. e. muſto rubro in calcatione botrorum tingebantur. Ergo Meſſias heic occurrit Gen. XLIX. tanquam *inſeſſurus aſino*, quem ad vitem alligaverat; Jeſ. LXIII, 1. tanquam *veniens ex Bozra & peregre profectus*; Apoc. XIX. *inſidens equo albo*, tanquam juſte judicans & *pugnaturus*. Porro Gen. XLIX. apparet *tinctus ſtolam vino, & operimentum ſanguine uvarum*, adeoque quaſi qui calcaverat torcular & veſtes muſto conſperſerat; Jeſ. LXIII. *madefactus* veſtibus, qua *veſtes rubicundus & veſtimenta* inſtar *calcantis in lacu torcularis*, ut ibi explicatur, deſcribitur. *Calcavi irâ meâ populos & conculcavi excandeſcentiâ meâ*, inquit, *& inſperſus eſt ſanguis illorum veſtibus meis, & omnes veſtes meas inquinavi.* Apoc. XIX. tanquam *amictus veſte, ſanguine tinctâ*, qui *calcabit lacum vini excandeſcentiæ & iræ Dei omnipotentis.* Ex horum collatione ultro patet, locum æque Jeſ. LXIII. quod jam viri eruditi demonſtrarunt abunde, quam Gen. XLIX, 11. non de paſſione, ſed triumpho Chriſti ſuper hoſtes ſuos intelligendum eſſe; quando in ira ſua illos conculcabit inſtar uvarum, & pedem tinget ſanguine confoſſorum, Deut. XXXII, 42. præcipue hoc judicium *Schilo* ille, de quo vaticinatur Jacobus, executurus erat, poſtquam ſceptrum à Juda receſſiſſet, adeoque Judæi in Romanorum poteſtatem jam perveniſſent, quod impletum in cruento illo per Romanos Judæorum excidio, de quo IOSEPHUS *de bello Judaico* abunde teſtatur; ubi Hieroſolyma inſtar lacus torcularis, in quo tot millia Judæorum juſta Dei vindicta conculcabantur, & ſanguine ipſorum plateæ diffluebant.

XV. 12. Uſus *uvarum* triplex propius conſiderandus reſtat.

a. Primus domeſticus *cibum* atque *potum* reſpicit. Uvæ enim non ſolum *recentes* in conviviis proponebantur, ſed & ex illis muſtum

ſtillans

ſtillans potum mortalibus dulciſſimum præbebat; eum in finem racemos *adſervabant* atque recondebant. *Cibum* fuiſſe in Palæſtina conſtat ex Deut. XXIII, 24. *Si ingrederis vineam proximi tui, comedes uvas quantum placuerit ad ſaturitatem tuam.* quare Naziræis prohibitum erat *bibere* potum ex uvis maceratis, & *comedere* uvas *recentes* aut *ſiccas*, Num. VI, 3. *aſinis* quoque *uvas* adduxiſſe cum reliquis frugibus in forum veteres Palæſtinæ incolas, ex Nehemia XIII, 15. conſtat, unde illuſtratur locus cit. Gen. XLIX, 11. *aſinum viti alligabit.* De *potu* ex uvis ſtillante legimus in *Avod. Zar.* curante G. E. EDZARDI *p. m. 172.* ubi de *uvis deſtinatis* in *potum* ſermo eſt, & intelligitur ſuccus ex ipſis uvis ante calcationem in torculari ſtillans. Huc reſpiciunt *Talmudici* in *Ketuv. fol. 111.* בעולם הזה יש בו צער לבציר ולדרוך העולם הבא מביא ענבה אחת בקרון או בספינה ומניחה בזוית ביתו ומספק הימנו כפטם גדול *In hoc ævo eſt quædam in uvis colligendis & calcandis moleſtia; aſt in futuro,* (Meſſiæ diebus) *ſi quis afferet uvam unicam vehiculo aut navi, eamque in angulum ædium deponens, ex ea vinum ſibi depromet, tanquam ex dolio ingenti.* conf. WAGENS. *Sot. p. 710.* Ita & SIDON. *carm. 17.* canit:

Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Serapteno palmite miſſa bibas.

Adſervabant autem uvas tanquam bellaria menſæ ſecundæ, unde MARTIAL. *Lib. V. ep. 80.*

Menſæ munera ſi voles ſecundæ,
Marcentes tibi porrigentur uvæ.

OVID. *metam. Lib. XIII. fab. 8.*

Sunt auro ſimiles longis in vitibus uvæ,
Sunt & purpureæ, tibi & has ſervamus & illas.

TIBULL. *Lib. I. eleg. V.*

Aut mihi ſervabit plenis in lintribus uvas,
Preſſaque veloci candida muſta pede.

Conf. etiam prolixe hac de re differentem PLIN. *hiſt. nat. Lib. XIV. cap. 1.* & late hæc explicantem P. I. SACHS à LEUWENH. *in viti vinif. p. m. 108. ſq.* BACC. *Lib. V. de Vin. p. 256.* STUCK. *antiq. Conviv.*

viv. Lib. II. cap. 2. nec non Comm. RAMIREZII de PRADO *in Martial. Lib. I. ep. 44.* alios. Et in Perſia hoc in uſu eſſe docet Doct. KÆMPFER *amœnit. Exot. faſc. II. p. 376.* Huc reſpicit Sponſa, quando *Cant. VII, 14.* ait: מגדים חדשים גם ישנים דודי צפנתי לך *Pretioſos fructus* (vitis, de qua verſ. præced.) *tum recentes tum veteres ſervavi tibi.*

Talis racemus eſt Meſſias; ille eſt *cibus* ille cœleſtis, manna illud de cœlo deſcendens Joh. VI, 58. *Caro enim ejus vere eſt cibus, & ſanguis ejus vere eſt potus.* ibid. v. 56. eſt manna illud abſconditum, & arbor illa vitæ, de quo comedunt victores, Apoc. II, 7. 17. Summæ credentium deliciæ in ejus communione poſitæ ſunt, ita ut exclament cum ſponſa Cant. II, 3. *Sedeo ſub umbra illius, quem deſidero, nam fructus ejus dulcis eſt palato meo.* Ille ſatiat animas noſtras & irrigat in ſiccitatibus, Jeſ. LVIII, 11. poſſidet aquas vitæ, quas ſi quis biberit, non ſitiet in æternum. Joh. IV, 10. Apoc. XXI, 7. ſitientes invitat ad vinum & aquam, Jeſ. LV, 1. quam ex omniſufficientia ſua illis præbet. Cibum ſuum & potum vini præparavit & per puellas i. e. doctores invitat hæc Sapientia ſumma. Prov. IX, 5. Eſt botrus, quem adſervant fideles & reponunt in repoſitorio cordis ſui, ut inde haurire queant tempore æſtus ſolatium & recreationem, cujus utpote *fructus melior eſt auro effoſſo & purgato, & proventus ejus argento lectiſſimo.* Prov. VIII, 17--19.

XVI. b. Secundus uſus domeſticus uvarum eſt *medicus.* In medicina enim uvarum, acinorum, folliculorum & omnium racemi particularum uſus eſt frequentiſſimus. Quare PLIN. *hiſt. nat. Lib. XXII. c. 1. p. m. 420.* ait: *Quæ,* ſc. uvæ, *decerptæ diu pependere, etiam utiles fiunt ſtomacho ægrisque. Nam & refrigerant leviter & faſtidium auferunt. Saluberrimas putant medici in cœleſti aqua ſervatas, etiamſi minime jucundas, ſed voluptatem earum in ſtomachi ardore ſentiri, & in amaritudine jecoris.* Inprimis uvæ exarefactæ uſus medicos deprædicat idem ſcriptor in ſeq. h. cap. De his teſtatur etiam AVIC. *III. f. 14. tr. I. cap. 20. quod refrigerent, humectent, laxent, leniant, ſitim exſtinguant, ardorem contemperent.* In *vulneribus* curandis earum uſum commendat ORIBAS. *de Loc. aff. curat. IV. p. 103.* J. FREITAG. *auror. med. Lib. III. cap. 7.* SCHENCK. in *exot. obſ. cent. IV. §. 7.* conf. etiam præ aliis

aliis late hos uſus recenſentem D. SACHS *a* LEUWENH. *l. c. p.132. & 182. ſq.*

Meſſias quoque eſt Medicus Iſraëlis, Exod. XV, 26. Matth. IX, 17. cujus ſub alis ſanatio eſt, Mal. IV, 2. Quando anima ſiti exaruit, ille recreat interiora cordis ſolatio & gratia ſua, Jer. XXI, 25. Jeſ. LVIII, 11. corroborat oſſa defatigata, & contrita vivificat oleo Spiritus ſui, ut lætificentur, Pſ. LI, 10. balſamo Gileadis tanquam medicus plagas filiæ populi ſui curat, Jer. VIII, 6. Per noſtra delicta doloribus affectus & vulneratus eſt per iniquitates noſtras, ut *in ejus tumicibus noſtra eſſet curatio,* Jeſ. LIII, 5. ejus vibicibus ſanati ſumus, 1. Pet. II, 24. Ille eſt Samaritanus ille, qui oleum & vinum in vulnera noſtra effundit, & ulcera noſtra obligat, Luc. X, 34. *Ille eſt, ſuper quo reſidet Spiritus Jehovæ, & quem miſit Jehova ad obligandum animo fractos, ad proclamandum captivis libertatem, & vinctis aperturam carceris; imo ad conſolandum omnes lugentes.* Jeſ. LXI, 1-3.

XVII. c. Uſus denique tertius eſt *ſacer,* quo uvæ & inprimis earum *primitiæ & decimæ Deo & Levitis,* miniſtris ejus, conſecrabantur, atque oblationis loco adducebantur Hieroſolymas: *primitiæ* quidem ex lege Exod. XXXIV, 26. & præcipue Num. XVIII, 12. *Quodvis opimum oleum & quodvis opimum muſti ac frumenti, primitias eorum.* conf. Neh. X, 85. Ezech. XLVIII, 14. &c. & *Decimas* quoque ex Lev. XXVII, 30. וכל מעשר הארץ מזרע הארץ מפרי העץ ליהוה הוא קודש ליהוה *& omnis decima terræ, quæ fit de ſemine terræ & fructibus ligni, Domini eſt & ſancta Domino.* De quibus decimis Levitæ participabant, & eas quoque Domino offerebant, ut ex Num. XVIII, 26--30. liquet. conf. Neh. XIII, 5. cap. X, 38. conf. de his Cl. HOTTING. *de Decim. Exerc. III. p.30. ſq. Talmudici* quoque referunt in *Miſchn. tract. Middoth. C. III. §. 8.* de uvis ſuſpenſis in vite aurea ſub Templo II. in donaria, גפן של זהב עמדת על פתחו של היכל ומודלה על גבי כלונסות כלונסות כל מי שהוא מתנדב עלה או גרגיר או אשכול מביא ותולה בה *Vitis aurea expandebatur ſuper portam templi, erigebaturque ſuper canterios ſeu transtra. Quicunque vovebat, ſive folium ſive uvam ſive botrum addu-*

adducebat & ſuſpendebat ex hac vite. Gentes quoque *uvas* Diis offerebant & libabant. Ita HORAT. *epod. 2.*

Certantem & uvam purpuræ
Qua muneretur te Priape & te Pater
Sylvane.

TIBULL. *Lib. I. eleg. 11. v. 21.*

Hic placatus erat, ſeu quis libaverat uvam
Seu dederat ſanctæ ſpicea ſerta comæ.

CATULL. *Carm. XIX. v. 13.* Priapum loquentem introducit, qui inter alia ſibi oblata munera refert, quod ſint

- - Suaveolentia mala,
Uvaque pampinea rubens, educata ſub umbra.

conf. & *Carm. XX v. 9.* Primitias frugum Apollini Delio oblatas ſcribit PLIN. *hiſt. nat. Lib. IV. c. 12. p. m. 60.* & Sacerdotes primitias frugum & vini libaſſe *idem Lib. XVIII. cap. 2. p. 314.* teſtatur.

Eleganter hoc innuit *Meſſiam* eſſe veram illam oblationem, *primitias* mortuorum, qui per primitias & decimas Iſraëlitarum ſub V. T. depictus varie fuit, & Deo ſacer eſt. *Se ipſum dedit in oblationem ac victimam Deo in odorem fragrantiæ,* Eph. V, 2. Fructus obedientiæ ac paſſionis ſuæ Patri ſuo obtulit tanquam primitias, ut ita nos benedictionibus cœleſtibus accumularet, Eph. I, 3. Participant de hiſce fructibus omnes N. T. ſacerdotes ſpirituales, Apoc. I, 5. qui eos tanquam partem ipſis adſignatam poſſident, & quos denuo cum celebratione Deo offerunt per fructus obedientiæ & gratiarum actionis, tanquam decimas & primitias Deo conſecratas. Merita gratioſa Salvatoris noſtri pars ſunt & portio fidelium Pſ. LXXIII, 26. CXLII, 6. Thren, III, 24. Luc. X, 42. Sed illa quoque per uſum ſalutarem & per fructus fidei ſinceræ denuo in gloriam Dei ejusque celebrationem conſecrant ac impendunt. Viti, Chriſto, uniti tanquam palmites, multos ferunt fructus, per quos glorificatur Pater cœleſtis. Joh. XV, 8. Recte ergo ſponſa invitat ſponſum in hortum Eccleſiæ, ut edat *fructus ſuos pretioſos,* i. e. quos ipſe Spiritu ſuo produxit in illis, Cant. V, 1. ſive IV, 16.

XVIII. Supereſt ut paucis tantum inquiramus, cur *Botrus COPHER* dicatur Sponſus cœleſtis. Sunt Interpretum haud pauci, qui כפר vertunt

tunt per *expiationem*, quo ſignificatu ſæpius in ſcriptis ſacris gaudet, Exod. XXX, 12. Job. XXXIII, 24. Pſ. XLIX, 8. ea tamen differentia, ut plerique ad Chriſtum expiationem nobis acquirentem referant; alii vero cum Chaldæo ad uvas, quas ex Engeddi Iſraël in deſerto accerſebat, ad vinum libaminis inde conficiendum, quod expiationis ergo Domino fundebatur. Quare & Judæis nonnullis איש כל כפר explicatur i.e. *Vir omnis expiationis.* Alii vocem כפר *Cyprus* vertunt, & intelligunt racemum vitis Cypriæ, ex Inſula Cypri in vineas Engeddi plantatæ, quia Cypriæ vites maxime generoſæ fuiſſent. Sunt denique qui cum BOCHART. *P. II. Hieroz. Lib. V. cap. 9. p. m.* 724. per *vineas Engeddi* balſameta intelligunt, quia teſte PLINIO *Lib. XII. C. 25.* balſameta illa vineis ſimilia. Adeoque per *botrum Cypri* baccam arboris balſamicæ intelligunt. conf. eundem *part. I. Lib. II. C. 22. p. m. 632.* quod ex eo AMEL. *in V. T. II. p. 883.* & idem Cl. ZORN. late ex BOCHARTO & BALDO BALDO perſequitur in *opuſc. S. T. II. p. 457 ſq.* Baccas fruticis Cypri intelligit URSIN. *in Arbor. Bibl. cap. XXVIII. p. 370.* Quum vero vocis אשכול in ſcriptis ſacris conſtans ſit ſignificatio botrorum ſ. uvarum, & כרם *vinea* ſtatim memoretur, inde concludendum autumo, אשכול botrum uvarum non poſſe non denotare. Quum vero כפר in plur. כפרים Cant. IV, 13. inter aromata referatur, præcipue quum teſte PLINIO *Lib. XII. cap. 23. & 24. p. m. 226. ſq.* cyprus grati odoris balſamum ſit & vitis ſpeciem imitetur; concludo intelligi *botrum* uvæ, cujus ſuccus quando exprimitur, eſt aromaticus, odoriſque gratiſſimi, qualis eſt aromatis cypri in vineis Engeddi. Adeoque hac ratione tum *præſtantia* meritorum Meſſiæ indicatur, quæ inſtar pretioſi aromatis animas fidelium recreant, corroborant, alacres reddunt & ad celebrationem nominis divini quaſi accendunt; tum etiam *odor* ſuaviſſimus, qui ſe ad populos etiam longinquos extendit ad ſalutem eorum. Eam ob cauſam Paulus, miniſter meritorum Chriſti, teſtatur 2. Cor. II, 14. 15. 16. *Deo ſit gratia, qui triumphare nos facit in Chriſto*, & odorem *cognitionis ſui manifeſtum reddit per nos in quovis loco.* Nam *Chriſti bona* fragrantia *ſumus in iis qui ſervantur & qui pereunt.* Hoc eſt *nomen* ejus, quod *odorem* fundit inſtar *unguenti odorati*, Cant. I, 3.

S XIX.

XIX. O ergo animas terque quaterque felices, quarum pars eſt & portio *botrus Copher* in vineis hiſce Engeddinis! En ſymbola jungit ſymbolis, emblemata emblematibus, allegoriis allegorias Sponſa cœleſtis, quia præſtantiam linguis mortalium non exprimendam Sponſi ſui propius admiratur, nec feliciſſimum ſuum in ejus communione ſtatum ſatis ad vivum delineare poteſt. Pudeat ergo tantam mortalium catervam, qui deſideria in pectore gerunt, nullis hujus mundi bonis explenda; quod tantas delicias ac voluptates pretioſas faſtidiant, & in concupiſcentiis venenatis delicias capiant. Botros vineæ Sodomiticæ, carnis fœtidas cupedias, mundi recreationes lethiferas ſectantur, colocynthides amaras ex viti ſylveſtri legunt, in quibus mors eſt, 2. Reg. IV, 38. Pudeat nomine Chriſti inſignitos, quod vitem ſe jactent a Deo plantatam, Chriſtoque inſitam, & non niſi *labruſcas* fœtidas vitiorum, φιλαυτίας, concupiſcentiarum ac peccatorum ſæpe enormium gerunt, Jeſ. V, 3. 4. O inſelices animas, quibus medium ſalutis, *botrus Copher expiationis* omnium peccatorum eſt oblatus per præconium Evangelii, qui invitati ad vindemiam & meſſem hujus botri, venire renuunt, & delicias æternas pedibus conculcant. Inebrientur muſto novo mundi atque carnis; veniet tempus, quando a labiis ipſorum, vi mortis expalleſcentibus, rapietur & amovebitur, ipſique æterna ſiti excruciabuntur.

Beatas autem animas deprædicamus, quibus tanquam Levitis ſpiritualibus *decimæ* hujus *botri* conceſſæ; qui totam partem & hæreditatem ſuam in illo poſuere. Illæ ſciunt per peccata ſua hanc uvam eſſe torculari divinæ iræ immiſſam, illis ſuccus & muſtum gratiæ ac meritorum ejus dulciſſimum eſt in tentationibus aridiſſimis refrigerium. Hanc *uvam adſervent* in penetrali cordis ſui, inde depromant gratiam pro gratia, inde ceu ſcaturigine ſalutis hauriant ſolatium & robur in omnibus hujus vitæ calamitatibus; illa ſucco vitæ repleta irrigabit, inebriabit pectus ipſorum areſcens, Pſ. IV. ult. Hoc gratiæ ſucco corroborati per deſertum hujus mundi pergent, usque dum *uvas*, fidei & obedientiæ fructus, *ſuſpendent* in æternitatis paradiſo ex *aurea hac vite*, Mediatore ſuo, cui grates perſolvent æternas. Apoc. IV, 10. 11.

EXERCI-

EXERCITATIO VI.
DE
HORTO ECCLESIAE SYMBOLO.
CANTIC. IV, 16.

ARGUMENTUM.

§. 1. Locus Cant. IV, 16. cum etymologia vocis גן *&* פרדס *exhibetur. §. II. HORTUS cujus in ſcriptis ſacris ſit emblema, & in ſpecie quod Eccleſiæ ſymb. ſit, docetur. §. III. Analogiæ inter Hortum & Eccleſiam recenſentur, quatenus hortus non ſponte creſcit ſed ſpeciali cura poſſeſſoris ſui coëmtus plantatur ac præparatur. §. IV. In ſpecie hortulano ejusque curæ & cuſtodiæ committitur, quare & tempore autumnali cuſtodes hortis apponebantur; quemadmodum & gentes Deum hortorum cuſtodem Priapum conſtituiſſe leguntur. §. V. Inſuper horti veterum ſepimento vel muro cincti erant, ne a furibus aut etiam feris læderentur. §. VI. Janua quoque in ſpecie, quæ claudi & reſerari poterat, in hortis erat conſtituta, ubi ſimul locus Cant. IV, 12.* גן נעול *explicatur. §. VII. In hortis veterum non ſolum arbores egregiæ, fructiferæ & aromaticæ, ſed & olera & flores naſcebantur, unde varia hortorum genera apud antiquos Hebræos memorantur. §. VIII. Quare vento perflati odorem gratum ſpirabant, & ſolis ardore matureſcebant fructus. §. IX. Sed & imbribus ac rore cœli erant irrigandi, præcipue in ſicca Palæſtinæ regione. Sæpe eum in finem hortos ad fluvios vel mare plantabant, vel etiam fontes in iis fodiebant. §. X. Tranſimus ad varios hortorum uſus & quidem domeſticos primo ac* civiles. *Delectationis cauſa ſæpe plantabantur; quare horti regum pretioſi, & paradiſi apud Veteres memorantur. §. XI. In hortis ambulacra, tentoria, imo palatia ſæpe maxima exſtruebant. §. XII.*

convivia, choreas, cantusque & hymnos feſtivos in iis inſtituebant. §. XIII. Sepulchra quoque primatum in iisdem exſtruebantur, cujus ritus rationes indagantur. §. XIV. Porro obſervatur uſus hortorum medicus, *quatenus herbis ſalutiferis ſæpe feraces ſunt. §. XV. Denique uſus eorum* ſacer, *quatenus cultui divino interdum inſerviebant, inquiritur. Quæ omnia ſuo quæque loco Eccleſiæ Dei applicantur. §. XVI. Epilogus praxin addit hujus Exercitationis.*

I.

Dulciſſima Sponſi per Sponſam invitatio, qua cor ipſius abripiebat, proponitur *Cant. IV. 16. part. ſecund.* יבוא דודי לגנו ויאכל פרי מגדיו *Veniat amicus meus in HORTVM ſuum, & comedat fructus ipſius generoſos.* Symbolum quod heic altiori indagine ſcrutabimur, eſt *HORTUS*, Hebr. גן, quæ vox juxta plerosque derivatur à גנן *tegere, obumbrare*, quia deſignat locum *ſepimento* vel muro *tectum*, vti & Syror. ܓܢܬܐ & Arab. جناة Legitur & alia vox ſc. פרדסים Cant. VI, 11. quæ etiam *hortos* deſignat. Eam tamen inter utramque hanc vocem differentiam ponimus, ut voce גן *horti* plerumque *olerum* atque arborum frugiferarum, voce autem פרדס, *horti voluptatis* & delectationis exprimantur. XENOPH. *in lib.* ὀικον λόγ. dicit: *Παράδεισοι κῆποι πάντων καλῶντε καὶ ἀγαθῶν μεςοὶ, ὁπόσα ἂν γῆ φύειν ἐθέλει. Paradiſi vocantur horti, omnibus bonis atque voluptatibus pleni, quæcunque terra proferre poteſt.* quare Cant. IV, 13. פרדס רמונים *hortus malogranatorum* memoratur. In loco noſtro per גן intelligitur hortus arboribus & plantis frugiferis conſitus, quarum fructibus dulcibus recreari poſſumus.

II. Vario ſenſu emblema HORTI in ſcriptis ſacris & profanis adhibetur.

a) Hortus ſymbolum eſt *proſperitatis* tum *corporalis* tum *ſpiritualis. Corporalis*, quando Job. VIII, 16. felicitas filiorum hujus mundi recenſetur & additur: ועל גנתו יונקתו תצא *Et ſuper hortum*

ejus

ejus tener ramus prodeat. Ita & SIRACIDES *cap. XL*, 17. dicit: χάρις ὡς παράδεισος ἐν εὐλογίαις, καὶ ἐλεημοσύνη εἰς τὸν αἰῶνα διαμένει. *Gratia eſt inſtar horti benedictionibus confertiſſimi, & in ſeculum permanet miſericors beneficentia. Spiritualis* quoque benedictionis ſymb. eſt, uti diſcimus ex Jeſ. LI, 3. *Nam conſolabitur Jehova Zionem, conſolabitur omnes vaſtitates ejus, & diſponet deſertum ejus tanquam Eden, & ſolitudinem ejus tanquam hortum Jehovæ.*

b) Totus *orbis* terrarum, *κόσμος* hic viſibilis inſtar horti conſideratur, & principes ac reges terræ inſtar arborum procerarum, in eo plantatarum. Egregius hanc in rem locus eſt Ezech. XXXI, 8. 9. ubi de *Pharaone* rege Ægyptiorum dicitur: ארזים לא עממהו בגן אלהים ברושים לא דמו אל סעפתיו וערמנים לא היו כפראתיו כל עץ בגן אלהים לא דמה אליו ביפיו: יפה עשיתיו ברב דליותיו ויקנאהו כל עצי עדן אשר בגן האלהים *Cedri in HORTO Dei non tegebant eam, abietes non erant ſimiles ramuſculis ejus, & caſtaneæ non erant pares ramis ejus, nulla arbor in HORTO Dei ſimilis ipſi erat pulchritudine ſua. Pulchram eam conſtitueram cum multitudine ramorum ejus, adeo ut inviderent ei omnes arbores voluptatis in HORTO Dei.* Hoc ſenſu etiam TERTULL. *adv. Marc. L. IV.* explicat parabolam Luc. XIII, 19. de *grano Sinapeos* in *hortum* projecto, per quod intelligit Chriſtum, qui venit in hunc *mundum*. eodem modo Clem. ALEX. *Stromat. Lib. V.* mundum *horti* inſtar conſiderat, in quem Chriſtus tanquam *lignum vitæ* eſt plantatus per incarnationem.

c) *Dei* quoque emblema hortum eſſe ex Jeſ. LXI, 11. conſtat: *Uti terra profert germina, & ſicut HORTUS producit ſata, ita DOMINUS Jehova producturus eſt juſtitiam & laudem coram omnibus gentibus.* Eadem ratione Patres quidam Deum Patrem conſiderant ut paradiſum, in quo plantata eſt arbor vitæ, quæ eſt filius Dei, & dicitur eſſe in medio paradiſi, quia eſt media perſona in Trinitate; ſed hoc ſuo loco relinquimus.

e) Nihil frequentius eſt apud Patres, quam ſub ſymb. horti *doctrinam gratiæ* & ſcripturam depingere. Ita HIERONYMUS *ſuper Jer. XXIX.* ait: *Hortus dicitur ſacra doctrina, quæ eſt paradiſus deliciarum,*

 ubi

ubi etiam virent ſpes & bona opera. Et BERNHARD *in Cant. IV. Hortus concluſus eſt lux divina conſita omni genere arborum; quia omnis doctrina, omnisque diſciplina in divina lege ſub mirabili cortice continetur.* conf. etiam GREGOR. *in Ezech. hom. VIII.* Simili ratione MAIMON. in ה״ יסול תורה Cap. IV. ait: ועייני ארבעה פרקים אלו שבחמש מצות אלו הם שחכמים הראשונים קוראין אותן פרדס *Materiam quatuor iſtorum capitum, quæ iſtis quinque continetur præceptis, vocarunt priſci ſapientes Paradiſum,* ſeu hortum voluptatis.

f) In ſcriptis porro ſacris *HORTUS* commune & frequentiſſimum *ECCLESIÆ* ſymb. eſt, tum *externæ* tum *veræ* & genuinæ.

a. *Externæ* Eccleſiæ Judaicæ & populi fœderati carnalis ſub V. T. *hortus* eſt hieroglyphicon, Jeſ. I, 29. 30. *Erubeſcetis propter hortos, quos elegiſtis* (ſc. idololatricos). *Nam eritis ſimiles quercui, cujus folia decidua ſunt, & ſimiles HORTO, cui nulla eſt aqua.* nec non Thren. II, 6. ubi de rejectione Judæorum & excidio eorum dicitur: *Et vi abripit* (Jehova) ut *HORTI ſepem ſuam, perdit locum conventus ſui, prorſus obliviſcitur Jehova Zionis conventus ſui.*

b. Plerumque tamen *veræ* ac *internæ Eccleſiæ* emblema eſt, quæ Cant. IV, 12. *hortus vocatur concluſus.* Cant. VI, 11. *hortus nucum.* conf. Cant. VIII, 13. IV, 13. & Jeſ. LVIII, 11. eriſque inſtar *HORTI irrigui,* Jer. XXXI, 12. *ſimilis HORTO irrigato.* Patres quoque Eccleſiam conſiderant inſtar horti, qui producit flores recenter converſorum, qui ſit hortus concluſus, quia charitatis vallo circumquaque munitur, ne inter electorum numerum reprobus aliquis ingrediatur. vide HIERONYM. *Comm. in Jeſ. LI.* AUGUSTINUM *in Gen. II.* GREGOR. NAZIANZ. *in Cant. IV.* & BEDAM *ſuper Gen. II.*

Verum & *triumphantis* Eccleſiæ ſymb. eſt hortus, quæ ſæpius in ſcriptis ſacris *παράδεισος paradiſus*, cum alluſione ad paradiſum ſeu hortum a Deo in Eden plantatum, dicitur. Luc. XXIII, 43. *Hodie mecum eris in paradiſo.* 2. Cor. XII, 4. Paulus dicitur raptus fuiſſe per ecſtaſin in *paradiſum.* & Chriſtus vocatur *arbor vitæ in medio paradiſi,* Ap. II, 7. quare *cœlum,* ſedes Eccleſiæ triumphantis apud profanos quoque ſcriptores inſtar *horti voluptatis* & paradiſi conſideratur. Rabbinorum formu-

formula eſt notiſſima כשמתו תהא צרורה כגן ערן *anima ejus ſit collecta in horto voluptatis.* et R. JOSEPH. JACHIADES in Dan. XII. ואתה רניאל לך לקץ חייך בעולם הזה ואחר כך במותך תנוח במנוחות גן ערן *Tu autem Daniel perge ad vitæ tuæ terminum in hoc mundo; Poſtea vero cum fueris mortuus, quieſces quiete horti voluptatis.* Et quis neſcit apud Turcas ſæpius in *Alcorano Surat. XLIII.* & *Sur. XXXVIII.* locum beatorum جنة *hortum* imo جنة عدن *hortum voluptatis* dici. Pluribus hæc demonſtrat *Doct.* VORST. *in Diſſ. de paradiſo*, recuſa in CREN. *opuſc. T. IV. p. m. 324. ſq.* Et verſio Arab. locum Heb. XI, 5. vertit: رفع الى الفردوس *elevatus eſt* (Enochus) *in hortum, paradiſum.*

III. Elegantes, ſi hortum penitius contemplabimur, inter illum & Eccleſiam analogias deprehendemus.

(a) HORTUS eſt locus ſpeciali cura *plantatus*, non ſponte ita creſcens, ſed a poſſeſſore coëmtus, ſegregatus a terra deſerta & ſterili. Ita de horto in Eden legimus, quod a *Deo* ipſo fuerit *plantatus*, Gen. II, 8. & Salomo ſibi hortos *plantaſſe* dicitur, Eccl. II, 4. 5. & Noachus vineam *plantaſſe* legitur, Gen. IX, 21. denique Jer. XXXIX, 28. *plantate hortos, ut fructibus eorum veſci queatis.* Eadem ratione de Adamo legimus, quod in paradiſum fuerit conſtitutus לעברה ולשמרה ad *plantandum & cuſtodiendum* hortum, Gen. II, 15. quod LUTHERUS de operatione Adami in horto, voluptatis & recreationis cauſa, intelligit, MUNSTERUS autem *Coſmol. C. 30.* de labore & conſitione horti, absque ſudore tamen & moleſtia. Huc reſpicit VIRGIL. *Lib. IV. Georg.*

Forſitan & pingues hortos quæ cura colendi.

Apud antiquos reges hortis plantandis operam dediſſe, præcipue apud Perſas conſtat, uti XENOPH. *in Oecon.* refert Lyſandrum ad Cyrum veniſſe, qui ei oſtenderit τὸν ἐν Σάρδεσι παράδεισον *quem ipſe Cyrus artificioſe ac eleganter conſeverat.* Ita varia exempla ex DIODORO, PLUTARCHO, JUSTINO, MACROBIO citat URSIN. *in arbor. bibl. p. 609. cap. 48.* eorum, qui regia dignitate fruebantur, & hortorum curam ſuſceperint. conf. & CH. GRUBELI κηπολογ. *Jen. 1670. §. 7.* Huc referunt etiam quidam locum Eccl. II, 5. ubi Salomo de ſe teſta-

teſtatur: עשיתי לי גנות ופרדסים *feci ego mihi hortos & paradiſos*, qui omnis generis fruges ferunt.

Eccleſia quoque hortus eſt a deſerto hujus mundi ſegregatus, Jeſ. LII, 11. tanquam genus electum ex reliqua multitudine, 1. Petr. II, 9. quam Filius Dei, Rex æternus, proprio ſuo ſanguine coëmit & ſibi comparavit, Act. XX, 28. 1. Pet. I, 18. 19. *Plantata* eſt inſtar horti à Deo ipſo, Rege ipſius. Sunt enim ſurculus plantationis ejus & opus manuum ipſius, Jeſ. LX, 21. quare vocantur quercus juſtitiæ & plantatio Jehovæ, Jeſ. LXI, 3. Conſideratur Eccleſia inſtar vineæ, quam Deus ſtudioſe plantavit in collibus pinguibus Zionis, Pſ. LXXX, 9. Jeſ. V, 1--3. & Jer. II, 21. teſtatur Jehova: *Plantaveram te vitem generoſam, ſemen fidele, integrum.* & Jer. XI, 17. *Jehova, qui plantaverat te, elocutus eſt contra te malum.* Ipſe nos acquiſivit & conſtituit nos populum peculii, fructus multos ferentem, Tit. II, 14.

IV. (b) Ut autem hortus rite præparetur, antiqui *hortulanos* conſtituebant, & quando fruges matureſcere incipiebant, *cuſtodes* hortis apponebant, quorum præſes habebatur numen illud, quod *Priapum* vocabant, qui hortorum & agrorum cuſtos habebatur. In horto Eden homo ipſe hortum ועבד שמר Gen. II, 15. & *colebat* tanquam hortulanus, & *cuſtodiebat* tanquam cuſtos. Sic in horto Joſephi *hortulanum* fuiſſe, qui ejus curam gereret, ex Joh. XX, 15. liquet. De hortulano apud Judæos legimus in *Talmud. tract.* כתובות Cap. XIII. רבי ישמעאל ברבי יוסי הוה רגיל אריסיה דהוה מייתי ליה כל מעלי שבתא כנתא דפירי *R. Iſmaëli fil. R. Joſe hortulanus quavis ſeptimana pridie Sabbathi ſolebat afferre corbem fructuum.* Ita & in *Bava Bathra fol. 42.* memorantur האריסין *hortulani*, qui hortos curant & colunt pro aliqua parte fructuum. uti & Job. XXIX, 23. vocem אריסא Chaldæus adhibet, & in *Vajikr. rabb. ſect. 5.* לפום גנתא גננא *qualis eſt hortus, talis hortulanus.* Ita de Ulyſſe memorat HOMER. *Odyſſ. XXIV. p. m. 333.*

Τὸν δ᾽ οἶον πατέρ᾽ εὗρεν ἐϋκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ,
Λιςρεύοντα φυτὸν, ρυπόωντα δὲ ἕςο χιτῶνα.
Patrem autem ſolum invenit in horto bene culto,
Expurgantem plantas, & veſte ſordida indutum.

quem

quem dein interrogat :

Τευ δ'μῶς εἲς ἀνδρῶν, τευ δ' ὄρχατον ἀμφιπολεύσεις;
Cujus ſervus es virorum? cujus autem hortum gubernas?

Cuſtodes quoque *hortorum* & *pomariorum* שומרי גנות ופרדסות memorantur apud Rabbinos, conf. *Lex.* BUXTORF. *p. 1802. v.* פרדס. Legimus quod Aſſaph Neh. II, 15. dicatur שמר הפרדס *φύλαξ παραδείσε cuſtos* hortorum regiorum. Et quando Adam dicitur שמר את הגן Gen. II, 15. explicat illud ABENESRA *ad h. l.* להשקות הגן ולשמרה מכל החיות שלא יבוסו ויתנפוהו *ad irrigandum hortum & cuſtodiendum, ne beſtiæ ingrederentur & inquinarent*, ut docet Cel. SCHRAMM *in diſſ. de hortis Hebr. Marb. 1722.* Expulſo dein Adamo, Cherub cum gladio flammante *cuſtos paradiſi* fuit conſtitutus, de quo ſupra in *Exercit. IV. de habitante ſuper Cherub.* egimus. Tales quoque apud Græcos fuiſſe conſtat ex HOMER. *Odyſſ. IV. p. m. 61.*

Δμῶ ἐμὸν, ὅν μοὶ ἔδωκε πατὴρ ἔτι δεῦρο κιὄσῃ
Καὶ μοὶ κῆπον ἔχει πολυδένδρεον.
Servum meum, quem mihi pater dedit huc eunti,
Et mihi hortum ſervat, arboribus multis conſitum.

Procuratores & villici *hortorum* memorantur in antiquis inſcript. apud PIGNOR. *de ſerv. p. m 240.*

LOCVM. ADSIGNATVM. A. MOSCHO.
PROC. HORTORVM. MAIANOR.

Et alia:

GENIO
COSTI. HERODIAN. PRÆGVST.
DIVI. AVGVSTI
IDEM. POSTEA. VILLICVS. IN
HORTIS. SALVSTIANIS.

conf. & dicenda infra in *Exerc. IX. de Speculatoribus S.* De Priapo hortorum cuſtode vide MARTIAL. *Epigr. Lib. VI. ep. 72. & 73.* & inprimis HUET. *demonſtr. Evang. Prop. IV. p. m. 112. ſq.* de quo VIRGILIUS *Ecl. VII. v. 34.* canit :

T *cuſtos*

- - *cuſtos es pauperis horti.*

Plura loca conf. apud SAGITTAR. *de Jan. vet. p. 243.*

Hac ratione docemur ſummum horti myſtici cultorem & cuſtodem eſſe *Deum*, numen ſupremum, uti Salvator Joh. XV, 1. dicit: *ὁ πατήρ μου ὁ γεωργός ἐστι. Pater meus* eſt *agricola* ſeu hortulanus, utpote qui hortum non ſolum plantavit, ſed & ejus porro tanquam ſupremus procurator curam gerit, Pſ. LXXX, 9-12. Sunt tamen & *hortulani* inferiores, qui vocantur *ἐργάται ἐν τῷ ἀμπελῶνι operarii in vinea*, qui ſuberant *ἐπιτρόπῳ* i. e. PROCURATORI hortorum, ut in Inſcript. cit. vocatur, Matth. XX, 8. intelliguntur autem *doctores* Evangelii. Docet id eleganter Apoſtolus 1. Cor. III. 6--9. *Ego plantavi, Apollos rigavit, Deus autem creſcendi vim dedit. Is qui plantat, & is qui rigat, unum ſunt, unusquisque vero ſuam mercedem accipiet ſecundum laborem ſuum. Sumus enim Dei miniſtri, vos eſtis arvum Dei.* Quare in ſcriptis ſacris comparantur cum *ſatoribus*, exeuntibus ad conſerenda ſemina, Matth. XIII, 3. & *meſſoribus*, qui triticum colligunt in horrea, ibid. v. 30. fodiunt hortum hunc myſticum ligone legis ac verbi Dei convincentis, quo corda hominum quaſi ſulcant atque ſecant, Act. II, 37. præparantque in terram frugiferam. Conſerunt eam ſemine doctrinarum ſalutis, plantant ſurculos teneros fidei per inſtitutionem in veritate ſalutari, ut creſcant in atriis Jehovæ, Pſ. XCII, 14-15.

V. (c) *Sepibus* quoque aut *muris* cincti & muniti erant veterum horti, ne a *furibus* ſpoliarentur aut a *feris* vaſtati diruerentur. Ita de vinea Domini Jeſ. V, 2. legimus, quod dominus ויעזקהו ויסקלהו eam *circummuniverit & elapidaverit* ſc. muro lapideo. & Thren. II, 6. quod *ſepem horti ſui vi abripuerit*, & perdiderit locum conventus ſui. Nec non Pſ. LXXX, 13. quod *dilaceraverit macerias vineæ*, ut omnes eam viatores diſcerpant. quare & Eccl. X, 8. dicitur: qui *perrumpit maceriam, mordet eum ſerpens.* conf. Eſr. IX, 9. Nah. III, 17. Sirac. XXXVI, 27. Matth. XXI, 33. Luc. XIV, 23. Tales erant horti circa Hieroſolymas, de quibus IOSEPH. *de bell. Jud. Lib. V. cap. 7. Edit. Haverc. p. m. 320.* Τῷ δὲ πρόσω μὲν ἦν χωρεῖν ἀδύνατον, ἐκτετάφρευτο γὰρ ἀπὸ τοῦ τείχους περὶ τὰς κηπείας ἅπαντα, κήποις

τε

τε ἐπικαρσίοις καὶ πολλοῖς ἕρκεσι διειλημμένα. *Ille quidem* (Titus) *ulterius pergendo non erat, nam foſſa hortorum culturæ adhibitæ circumdata erant omnia a muro, hortisque obliquis & multis maceriis occupata.* Unde Hebr. גן a *protegendo*, quia muro tectus & munitus eſt hortus, dictum cenſent viri docti, & Lat. *hortum* quaſi ἕρκτον locum *munitum ſepimento.* Huc refero locum HOMER. *Odyſſ. Lib. XXIV. p. m. 333.*

> Οὐδέ τινα δμώων, οὐδ' υἱέων· ἀλλ' ἄρα τοίγε
> Αἱμασιὰς λέξοντες ἀλωῆς ἔμμεναι ἕρκος.
> *Neque aliquem* (invenit) *ſervorum, nec filiorum; hi enim*
> *Sepes collecturi ut eſſent* ſepimentum *horti*
> *Iverant* &c.

Idem Lib. VII. p. 91.

> - - περὶ δ' ἕρκος ἐλήλατο ἀμφοτέρωθεν.
> *circa autem* ſeptum *deductum eſt utrinque.*

et CATULL. *Carm. 63.*

> *Ut flos in* ſeptis *ſecretus naſcitur hortis*
> *Ignotus pecori, nullo contuſus aratro.*

Similes hortos muro ſeptos lege memoratos & deſcriptos a Celeb. KAEMPF. *Amœnit. exot. faſc. I. p. 285.*

Talis eſt hortus Eccleſia; illa circumdata eſt muro providentiæ & tutelæ divinæ. Nam Jehova ipſe eſt *igneus murus* circa populum ſuum, Zach. II, 5. cum alluſione ad columnam nubis & ignis, quæ Iſraëlem cingebat & contra hoſtium inſultus protegebat, tanquam murus ex igne & nube conflatus. Quemadmodum *Hieroſolyma cingitur montibus*, ſic Jehova cingit populum ſuum, Pſ. CXXV, 1. Ita de Eccleſia ſua promittit Dominus Jeſ. XXVII, 5. *Ego Jehova ſum cuſtoditurus eam, ſingulis momentis irrigaturus eam, ne quis inviſat eam, noctesque diesque cuſtoditurus eam.* Gloriantur eapropter Pſ. XCI, 1. 2. *Sedens ego in latibulo Excelſi, in umbra Omnipotentis pernoctans: Dico, in Jehova eſt receptus meus, & propugnaculum meum, Deus meus eſt, cui confido.* Et hac ratione omnes *feræ* prohibentur, ne lædant hortum myſticum, ſc. *vulpes* pſeudodoctorum, qui vineam

Dei corrumpunt, Cant. II, 15. & *apri* hoſtium & perſecutorum, qui hortum divaſtant, Pſ. LXXX, 14. Cuſtoditur hoc muro protectionis divinæ, ne *fures* bona ejus rapiant, Apoc. III, 11. XVI, 15.

VI. (d) Muro quoniam & ſepi cincti erant horti, *januis* quoque præditi erant & *portis*, quibus *claudi & reſerari* poterant, imo portas *annulo ſigillatorio* muniebant, ut dignoſcerentur, cujus eſſent hæreditaria poſſeſſio ſeu peculium. In *Hiſtoria Suſannæ com. 18.* *Καὶ ἐποίησαν καθὼς εἶπε, καὶ ἀπέκλεισαν τὰς θύρας τοῦ παραδείσου, καὶ ἐξῆλθον κατὰ τὰς πλαγίας θύρας, ἐνέγκαι τὰ προστεταγμένα.* & com. 20. *Ἰδοὺ αἱ θύραι τοῦ παραδείσου κέκλεινται, καὶ οὐδεὶς θεωρεῖ ἡμᾶς.* *Et fecerunt puellæ, quemadmodum dixerat illa, & occluſerunt januas horti, & exiverunt per portas occultas, ut afferrent ea, quæ in mandatis habebant.* & c. 20. *Ecce januæ horti occluſæ ſunt, & nemo nos conſpicit.* Unde & TIBULL. *Lib. I. el. 2.*

Obſera herboſos lurida porta rogos.

Clavibus autem veterum, quibus reſerebant & claudebant portas, *annuli* additi erant obſignatorii, quibus obſignabant januas clauſas; figuram earum & uſum exhibet LIPS. *Comm. in Tacit. annal. Lib. II.* conf. & SAGITTAR. *de Jan. vet. p. m. 90.* & KIRCHMANN. *de annul. cap. X. p. 80. ſq.* uti lapidem antri, in quo Daniel, Rex obſignaſſe legitur ſuo & magnatum annulo Dan. VI, 17. & Matth. XXVI. ult. lapis ſepulchralis Chriſti in horto Joſephi annulo Pilati obſignatus dicitur.

Huc alluditur *Cant. IV, 12.* גן נעול אחתי כלה גל נעול מעין חתום *Hortus clauſus es ſoror mea ſponſa, ſcaturigo clauſa, fons obſignatus.* Non hic cum Judæis virginitatem ſponſæ phraſibus verecundis expreſſam dicimus, ſed Eccleſiam heic conſiderari inſtar *horti occluſi & obſignati*, tum ob *pretium* hujus horti, cujus aditus non cuivis patet, ſed ſolis electis; impuri enim & inobedientes hinc arcendi, Apoc. XXII, 14. 15. tum ob conſtantem & jucundiſſimum *odorem*, qui ſecluſus manet in horto, qui venientem in hortum Dominum eo vividius afficit, Cant. VII, 11-13. tum denique quia *pretioſi* ejus fructus coram mundo occultati ſunt & abſconditi, qui eos non novit nec agnoſcit, Col. III, 3. *Porta* hujus horti eſt doctrina Evangelii, quæ per *portas* Hieroſol. XII. quarum unaquæque erat *margarita*,

Apoc.

Apoc. XXI, 21. (quam veritatis ſymb. eſſe infra docebimus) depicta erat; Per hanc enim aditus in Eccleſiam clauditur & reſeratur, hæc obſignatur ſigillo Spiritus S. & ita publice docetur, Eccleſiam eſſe peculium & poſſeſſionem hæreditariam Dei ipſius, cujus ſigillum gerunt, 1. Pet. II, 9. Ezech. IX, 5. 6. Apoc. XXII, 4.

VII. (e) Horti veterum non arboribus ſolum *frugiferis*, ſed & *aromaticis*, imo plantis variis & *floribus* odoris gratiſſimi maxime erant referti, unde varia non ſolum *genera* hortorum erant, ſed & varias in *areolas* & partes diviſi. In horto primo germinabant *arbores* deſiderabiles aſpectu & bonæ ad cibum, una cum *arbore vitæ* in medio horti, Gen. II, 9. in horto teneri rami propullulant, Job. VIII, 16. Quare captivis ſcribebat Jeremias Cap. XXIX, 5. *ædificate domos & inhabitate, conſerite hortos, & veſcimini fructu eorum.* et Amos IX, 14. *facient hortos, ut comedant fructus eorum.* Ita varia hortorum genera memorantur; Horti צרי ſeu opobalſami, qui circa Hierichuntem & Engeddi erant conſiti, de quibus Cl. RELAND. *in Palæſt. p. 383. & Doct.* ZORN. *in opuſc. Sacr. T. II. p. 457. ſq.* Cant. VI, 11. memoratur גנ אגוז *hortus nucum.* Cant. IV, 13. פרדס רמונים *hortus malogranatorum.* In Palæſtina *palmeta* quoque circa Hierichuntem, & *ficeta* plurima circa Hieroſolymam fuiſſe ex RELANDO & ADRICHOMIO, LIGHTFOTHO, aliis, abunde conſtat; *oliveta* quoque exſtitiſſe pinguia in eadem regione ex Deut. VIII, 8. 1. Par. XXVII, 28. & hiſtoria paſſionis dominicæ patet. *Horti olerum* quoque celebres erant, שורעין שם ירק *ubi conſerunt olera*, vide *R. S.* JARCHI ad Jeſ. LXV, 3. quem locum ARABS vertit: المتقدسون والمتطهرون في البساتين *Qui ſanctificant & mundant ſe in hortis olerum.* Tales erant *horti Adonii*, de quibus vetus *Scholiaſtes* THEOCRIT. *ad Idyll. XV. v. 112.* Εἰώθασιν ἐν Ἀδωνίοις πυροὺς καὶ κριθὰς σπείρειν ἔν τισι προαστείοις, καὶ τοὺς φυτευθέντας κήπους Ἀδωνίους προσαγορεύειν. *Solebant in Adoniis frumenta & hordea ſerere in quibusdam ſuburbiis, & conſitos hortos Adonios nuncupare.* Plura de his Adoniis vide apud POSTER. *Archæol. Græc. Lib. II. cap. 20.* et alios quos citat Cl. ZORN. *in fragm. Hecatæi Abd. p. 167. in not.* Ita παραδείσους μεστοὺς δένδρων καὶ θηρίων, *hortos arbo-*

 ribus

ribus & feris refertos memorat XENOPHON apud BRISSON. *de regio Perſ. Principatu Lib. I. p. m. 53.* Et HOMER. *odyſſ. Lib. VII. p. m. 91.*

Ἔνθα δὲ κοσμηταὶ πρασιαὶ παρὰ νείατον ὄρχον
Παντοῖαι πεφύασιν, ἐπηετανὸν γανόωσαι.
Ibi exculti horti ad extremam ſeriem
Omnis generis producuntur, toto anno florentes.

Et *Iliad. Lib. XIV. p. 263.* πολλοὶ φυτῶν ὄρχατοι. *multi plantarum horti* memorantur. Præcipue notandus eſt locus *odyſſ. Lib. VII. cit.*

Ἔνθα δὲ δένδρεα μακρὰ πεφύκει τηλεθόωντα,
Ὄγχναι, καὶ ῥοιαὶ, καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι,
Σῦκαί τε γλυκεραὶ, καὶ ἐλαῖαι τηλεθόωσαι.
Ibi vero arbores proceræ creſcebant florentes,
Pirus & malus punica & alii mali pulchrum fructum producentes
Ficusque dulces & oleæ vireſcentes &c.

OVID. *Faſt. Lib. II.*

Hortus odoratis *ſuberat cultiſſimus* herbis,
Sectus humi rivo lene ſonantis aquæ.

Et VIRGIL. qui auctor encomii horti habetur,

Hortus ſalubres corpori præbet cibos
Olus ſuave, multiplex herbæ genus:
Uvas nitentes, atque fœtus arborum.

conf. & PROPERT. *Lib. IV. eleg. II. v. 14. ſq. & v. 42. ſq.*

Talis quoque eſt hortus myſticus Eccleſiæ. Illa in varias areolas, tot cœtus Eccleſiaſticos eſt diviſus. Ibi variæ frugiferæ naſcuntur arbores & herbæ aromaticæ. Exprimit hoc Spiritus S. Cant. IV, 13. 14. *Propagines tuæ ſunt mali punicæ tanquam pomarii, cum fructu rerum pretioſarum, cypri & nardi; nardus & crocus, calamus odoratus & cinnamomum, variæque arbores thuriferæ, myrrha, ſantalum omniaque aromata præſtantiſſima.* nec non Ezech. XLVII, 7. 12. Jeſ. XLI, 19. Deſignantur varii fideles, quorum alii infirmi, alii robuſtiores fide, alii inſtar *ſurculorum*, alii inſtar *quercuum* exiſtunt, Jeſ. LX, 21. LXI, 3. Unus eſt ſpiritus, ſed varia ſunt dona, quæ idem ille operatur in fidelibus, ita ut alter alteri inſervire queat; alii ſermo ſapientiæ, alii ſermo cognitio-

nis,

nis, alii fides per eundem Spiritum, alii donum ſanationum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpiritus conceditur &c. ut pluribus docet Apoſtolus 1. Cor. XII, 4.-12. conf. 1. Pet. IV, 11. Quot aromata alit hortos, tot virtutes Chriſtianas & opera ſalutaria exſerit Eccleſia, quæ collato ſtudio *fidei addit virtutem, virtuti cognitionem, cognitioni continentiam, continentiæ patientiam, patientiæ pietatem, pietati vero amorem.* 2.Pet. I, 5.-7. Hi ſunt מגדים *fructus pretioſi*, de quibus ſponſa in Textu loquitur, quos recenſet Apoſt. Gal. V, 22. *Fructus Spiritus ſunt charitas, gaudium, pax, concordia, benignitas, bonitas, fides, lenitas, temperantia*, conf. Tit. II, 14.

VIII. (f) Hanc ob cauſam horti veterum præcipue *aromatici & floribus* conſiti gratum undique *odorem* fundebant, quo non ſolum poſſeſſores & incolæ horti, ſed & tranſeuntes alliciebantur atque recreabantur, præcipue quando calore ſolis percuſſi, vento ac *zephyro* perflante agitarentur. Odore agri vel camporum delectabatur Iſaacus ſenior, Gen. XXVII, 27. Huc etiam reſpicit Sponſus Cant. IV, 11. dicens: וריח שלמתיך כריח לבנון *odor veſtium tuarum eſt inſtar odoris Libani*, qui mons hortis & plantis aromaticis erat refertiſſimus. Et JONATHAN. ad Cant. VII, 8. וריחהון יהי נדיף כריח דתפוחין דגינתא העדן *& odor ipſorum erit fragrans ſicut odor pomorum horti voluptatis.* De hortis balſamiferis & gratum odorem fundentibus vide PLIN. *hiſt. nat. Lib. XII. cap. 25.* Huc refer quoque EURIP. *in Bacch. v. 142. ſq.*

ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον
ῥεῖ οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν
νέκταρι, Συρίας δ' ὡς λιβάνου καπνὸν
Campus lacte fluit, fluit etiam vino,
Fluit & apum nectare: Fumus autem
Inde ſpirat, tanquam thuris Syriaci.

& MARTIAL. *Lib. III. ep. 65.*

Vinea quod primis floret cum cana racemis,
Gramina quod redolent, quæ modo carpſit ovis,
Quod myrtus, quod meſſor Arabs, quod ſuccina trita,
Pallidus Eoo thure quod ignis olet;

nec

nec non *Lib. VI. ep. 80.*

Navita deriſit Pharios Memphiticus hortos,
Urbis ut intravit limina prima tuæ,
Tantus veris honos, & odoræ gratia Floræ,
Tantaque Pæſtani gloria ruris erat.

COLUMEL. *de hort. cult. Lib. X.*

Jamque Dioneis redimitur floribus hortus.

Et ex Eccleſia Dei *odor* gratus aſcendit Deo, tanquam hero ac Domino horti; uti olim ex ſacrificiis gratus odor in nares Dei aſcendere dicebatur, Gen. VIII, 21. Exod. XXIX, 18. Lev. VI, 15. Num. XV, 13. Eph. V, 2. Phil. IV, 18. quando Spiritus Dei tanquam eurus atque zephyrus hortum hunc perflat, & calore ſolis juſtitiæ vivificantur arbores myſticæ. Unde in præced. exclamaverat ſponſa: *Surge aquilo, veni zephyre, & perfla hortum meum, ut aromata ejus diffluant,* & odorem ſpargant hac ratione gratiſſimum. Doctores Evangelii tanquam arbores odoriferæ, *odorem cognitionis* manifeſtum reddunt quovis loco. *Chriſti enim,* ait Apoſtolus 1. Cor. II, 16. *bona fragrantia ſumus Deo, in iis qui ſervantur & pereunt : His quidem odor mortis ad mortem, illis vero odor vitæ ad vitam.* Summus Eccleſiæ hortulanus delectatur generoſo arborum flore & fructibus; & arbores maxime frugiferæ Angelis gratæ ſunt & deliciæ eorum. Odorem autem unguentorum ſuorum etiam in aliorum converſionem longe lateque diffundere oportet. Hoc ſenſu nomen Sponſi dicitur *unguentum odoratum,* late ſe diffundens, quare puellæ illum diligunt, Cant. I, 3. Illi qui extra Eccleſiæ pomœria adhuc degunt, odore bonorum operum & ſpei vivæ fructuum alliciuntur ad communionem Eccleſiæ & laudes Dei celebrant, Matth. V, 16.

IX. (g) Hortus præcipue fructus generoſos ac arbores frugiferas producit, quando *fimo & materia pingui* imprægnatur, *rore* cœleſti (quod in Palæſtinæ regione arida maximum erat beneficium) irrigatur, ſeu *pluvia* larga humectatur. In aridis regionibus *fontes* in hortis effodiebant, ſeu aquas per *canales* & aquæductus introducebant. Quidam vero hortos ad *fluvios* vel ad *mare* plantabant. *Fimo* eos ſtercoraſſe hortulanos, teſtatur LIGHTFOOTH. *opp. Tom. II. p. m. 186.* ubi non ſolum

lum ex R. NATHAN docet hortos non fuiſſe cultos in Hieroſolymis, ſed & rationes addit ex *Bava Kamma cap. 7. hal. ult. Non faciunt in Hieroſolyma hortos aut paradiſos,* משום סירחא *propter fœtorem.* ubi Gloſſa interpretatur: *propter fœtorem ab herbis malis quæ projiciuntur, & mos eſt hortos ſtercorare, atque inde fœtor.* & in *Joma fol. 58. C. 2.* dicitur reliquum ſanguinis per canalem in torrentem Kedron defluxiſſe, ונמכרין לגננין לזבל ומועלין בהן *& venditum eſſe hortulanis, ad ſtercorandum hortos; atque hi dato pretio utuntur illo. Imbribus & rore* irrigabantur, imo *rivulis & aquis fluvialibus* horti. Unde Perſarum eſt proverbium apud L. WARNER. *adag. XXII. in not. p. m. 12.* باران كه در لطافت طبعش

خلاف نيست در باغ لاله رويد ودر شوره بوم خس

Pluvia, quæ ratione naturæ ſuæ diverſa non eſt, in horto producit flores grati odoris, in aſpero autem loco carduos. Paradiſus ſeu hortus Edenis fluvio irrigabatur, Gen. II, 9--12. Ita DIODOR. SICUL. *Lib. III.* de Nyſa urbe. εἶναι δὲ ἐν αὐτῇ χώραν εὐδαίμονα, λειμῶσί τε μαλακοῖς διειλημμένην καὶ κήποις, ὕδασιν ἀρδευομένην διαψιλέσι, δένδρα δὲ καρποφόρα παντοῖα. *Beata illic fertilitate ſua tellus, mollibus pratis & hortis feraciſſimis qui lætis undique rivis humectantur, abundans, arbores paſſim omnis generis fructuoſæ* &c. vide DOUGT. *Anal. S. I. p. 3.* Ita CALP. SICUL. *Eclog. 2.*

Nam potes irriguos *nutrire canalibus hortos.*

CATULL. *carm. 63.*

Quem (florem in hortis) *mulcent auræ, firmat ſol, educat imber.*

& TIBULL. *Lib. II. el. 1.*

- - *tunc conſita pomus,*
Tunc bibit irriguas *fertilis hortus aquas.*

De hortis ad *fluvios & amnes* conſitis vide PLINIUM *hiſt. nat. Lib. XIX. cap. 4. p. m. 351.* KAEMPFER. *Amœnit. Exot. f. I. p. 185. 187.* ad TACIT. *Lib. VI. annal. c. 1.* LIPSIUM *in not. p. 143.* SVETON. *in*

U *Jul.*

Jul. cap. 83. FONTES quoque in hortis fuiſſe conſtat ex HORAT. *Satyr. Lib. II. ecl. 6.*

Hortus ubi & tecto vicino jugis aquæ fons.

& HOMER. *Odyſſ. Lib. VII. p. m. 91.*

Ἐν δὲ δύω κρῆναι, ἡ μὲν τ᾽ ἄνα κῆπον ἅπαντα
Σκίδναται.
Duo autem fontes aderant, alter quidem per hortum
Omnem diſpergitur.

& per *canales* aquam hortis procurabant, quod docemur ex HOMER. *Iliad. XXI. p. m 375.*

Ὡς δ᾽ ὅτε ἀνὴρ ὀχετηγὸς ἀπὸ κρήνης μελανύδρου
Ἀμφυτὰ καὶ κήπους ὕδατος ῥόον ἡγεμονεύει.
Sicut autem quando vir aquæ ductor a fonte nigro
Per plantas & hortos aquæ fluxum deducit.

Horti irrigui ſymb. ſunt ſtatus proſperrimi populi alicujus. Ita de Jacobi poſteris, ſeu Iſraële canit Bileam, Num. XXIV, 6. *Ut valles extenduntur, ut horti juxta flumen.* coll. Jeſ. I, 30. Eccleſia quoque inſtar horti impinguatur pinguedine Jehovæ, & inſtar hortorum circa Hieroſolymas *ſanguine ſacrificiorum*, ſanguine ſc. ſacrificii unici & veri Mediatoris, ejusque meritis. Irrigantur pinguedinibus domus Dei, Pſ. XXXVI, 9. Quare Eccleſia comparatur cum *horto irriguo*, cujus aquæ non fallunt, Jeſ. LVIII, 11. coll. Jer. XXXI, 12. Sunt fideles arbores ad rivulos aquarum conſitæ Pſ. I, 3. vir cujus fiducia eſt in Jehova, erit *ſimilis arbori plantatæ ſecundum aquas & ſecundum latices aquarum*, Jer. XVII, 8. Irrigatur Eccleſia pluvia & rore cœleſti mediorum gratiæ, verbi Evangelii Jeſ. LV, 10. Pſ. LXXII, 6. Jeſ. XXVI, 19. & fluvio cryſtallino donorum Spiritus S. quibus frugiferæ redduntur hæ arbores, Apoc. XXII, 1. Ezech. XLVII, 12. In medio hujus horti apparet *fons* ſalutis, Jeſ. XII, 3. ſcaturigo vitæ, mediorum ſalutis, & meritorum Meſſiæ, Pſ. XXXVI, 10. Joh. IV, 10. Apocal. XXII, 17.

X. (h) Tranſimus ad varios hortorum USUS, qui erant tum *domeſtici*, tum *medicus*, tum denique *ſacer*.

A. Ad domeſticos ſeu civiles hortorum uſus

1. Primo

1. Primo loco referimus, quod *voluptatis & recreationis* cauſa præcipue a Regibus colerentur, quare non ſolum arbores cujuscunque generis guſtum & viſum recreantes in iis conſerebant, ſed & *vivaria* recreationis cauſa in iisdem alebant. Tales horti גנות עדן *horti voluptatis* ſeu פרדסים *paradiſi* dicebantur, & juxta regum palatia plerumque conſiti erant. Teſtem habemus Salomonem, qui de ſe ſcribit Eccl. II, 5. 6. עשיתי לי גנות ופרדסים ונטעתי בהם עץ כל פרי : עשיתי לי ברכות מים להשקות מהם יער צומח עצים *Feci mihi hortos & paradiſos, in quibus plantavi arbores fructiferas. Paravi mihi piſcinas aquarum, ad irrigandum illis ſylvam floridam arborum.* Varia de *hortis Regum* pretioſis teſtimonia in ſacris adde 2. Reg. IX, 27. XXV, 4. Neh. III, 15. Jer. XXIX, 4. LII, 7. Suſanna v. 14. Ita regio Sodomæ irrigua ſimilis erat *horto Jehovæ*, ob amœnitatem aſpectus & fertilitatem. Eo quoque alluditur Jeſ. LI, 3. quando vaſtitates Zionis inſtar *paradiſi voluptatis & horti Dei* diſponendæ prædicuntur, conf. Ezech. XXXVI, 35. *Talmudici* quoque in *Eruv. fol. 25. col. 5.* memorant בוסתנא דהוא סמך לאפדנא *hortum magnificum, qui proxime ad palatium regium ſitus erat.* & in *Schabb. fol. 30. c. 2.* הוה ליה בוסתנא אחורי ביתא *Fuit ei hortus magnificus poſt domum.* vide BUXTORF. *in Lexic. p. 329.* Tales erant Perſarum κῆποι κρέμαστοι ſeu *horti penſiles*, de quibus DIOD. SICUL. *Lib. II.* teſtatur, quod juxta arcem regiam fuerint ſiti. conf. & XENOPH. *in Oecon. l. c.* ſupra. it. IOH. VORSTII *Diſſ. de Paradiſo, recuſa in Opp.* CREN. *T. IV. p. m. 309. ſq.* RAMIREZ de PRADO *in Comm. ad Mart. Lib. I. p. m. 5. ſq.* PLIN. *Hiſt. nat. Lib. XIX. cap. 5.* BUNTING. *Itinerar. p. m. 176.* BRISSON. *de regio Perſar. principatu Lib. I. p. m. 55.* KAEMPFER *Amœn. Exot. faſc. I. p. m. 181. 186. ſq.* KORTHOLT. *Diſſ. de paradiſo terreſtr. in proleg. Kil. 1668.* RHODIG. *Lect. antiq. p. m. 1279.* Tales erant horti *Luculliani*, de quibus PLUTACRH. apud LIPS. in TACIT. *Lib. XI. ann p. m. 164.* Οἱ Λουκουλλιανοὶ κῆποι, τῶν βασιλικῶν ἐν τοῖς πολυτελεστάτοις ἀριθμοῦνται. *Horti Luculliani inter ſumtuoſiſſimas res principis cenſentur.* Unde PHÆDRUS *fab. 63.* hortos regios vocat *venuſtos & delicatos hortulos. Vivaria* quoque in hortis regiis fuiſ-

ſe, ubi alebantur varia ferarum genera delectationis cauſa, late probat BRISSON. *l. c. p. 53. ſq.* XENOPH. *Lib. I. αναβασ.* ait: Καὶ παράδεισος μέγας, ἀγρίων θηρίων πλήρης. *Et ingens paradiſus, qui plenus erat ferarum ſylveſtrium.* Exprimitur voluptas hortorum in encomio horti, quod VIRGILIO tribuitur:

Non deſit hortis & voluptas maxima,
Multisque miſta commodis jucunditas;
Flores niteſcunt diſcolore gramine,
Pinguntque terras gemmeis honoribus.
Apes ſuſurro murmurant gratæ levi,
Aves canoros garrulæ fundunt ſonos.
Oblectat hortus, advocat, paſcit, tenet,
Animoque mœſto demit angores graves.

Talis quoque hortus eſt Eccleſia, quæ arcto cum palatio Regis cœleſtis nexu juncta eſt. Illa eſt inſtar *horti Dei*, i. e. pretioſi & egregii, imo regii, ubi omnis generis voluptates præparantur Regi ſupremo. Qui veniens in hortum hunc, florum odore amœniſſimo, fructibusque pretioſis, ſpe, amore, patientia, fide, caſtitate Eccleſiæ ſuæ delectatur. Quare eam חפצי בה *recreatio & voluptas mea in illa*, appellat Jeſ. LXII, 6. & ſæpius in ſcriptis ſacris Eccleſia comparatur cum *paradiſo* ſeu horto voluptatis, Apoc. II, 7 quem fluvius purus inſtar cryſtalli alluit, & a cujus latere utroque *arbores vitæ*, qui ſingulis menſibus fructus proferunt delicatos, conſitæ ſunt, & in cujus medio Jehova Deus eſt. Qualis erit ſtatus Eccleſiæ ultimi temporis, vide Apoc. XXII, 1--5. Ezech. XLVII. tot. adeoque ſponſus *paſcere* dicitur *inter lilia*, & *quieſcere* in umbra horti hujus myſtici in meridie, Cant. II, 16. & cap. I, 7. Quare & ſponſa teſtatur: *Amabiles ibi flores edunt odores* (fructus ſpei vivæ), *& juxta flores noſtras omnes pretioſi fructus leguntur* (bona opera, fructus ſinceræ fidei); *recentes ſimul & veteres, Dilecte mi, repono tibi.* Cant. VII, 13. Heic *vivaria* cernis gentium barbararum & animarum a communione Dei olim alienarum, quæ ſepoſita & domita natura fera, recreationi & delectationi Regis cœleſtis inſerviunt, ejusque potentiam ac gratiam venerantur. conf. Eph. II, 2--6.

XI. 2. Alter uſus hortorum civilis erat, ut in iis exſtruerent antiqui *palatia ac domos*, quæ incolebant, ſua in iis *ambulacra* & in regionibus calidis *lavacra* haberent. In hortis *habitabant* antiqui recreationis gratia; ita XENOPHON loco ſæpius cit. οἰκονομ. de Perſarum rege teſtatur. Ἐν ὁπόσαις τε χώραις ἐνοικεῖ, καὶ εἰς ὁπόσας ἐπιςρέφεται, ἐπιμελεῖται τέτων, ὅπως κῆποι τε ἔσονται, οἱ παράδεισοι καλέμενοι, πάντων καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν μεςοὶ, ὁπόσα ἡ γῆ φύειν ἐθέλει, καὶ ἐν τέτοις αὐτὸς τὰ πλεῖςα διατρίβει. *In quacunque vero regione habitaret, ſeu in quamcunque ſecederet, horum inprimis rationem habebat, ubi horti erant, qui vocabantur paradiſi, qui omnium bonorum & fructuum erant pleni, quos tellus proferre volebat, & in his maxime degebat.* Ita Fl. VOPISCUS de Aureliano, in vita ejus, *diſplicebat*, ait, *ei cum eſſet Romæ, habitare in palatio, ac magis placebat in hortis Salluſtiis vivere.* Simili ratione KÆMPFER loco ſupra citato *p. 186. 191. ſq.* varios hortos regios recenſet, in quibus palatia & domus æſtivæ pretioſæ exſtructæ ſunt, præcipue in خلوت *horto ſecretæ admiſſionis*, ut vocant. Idem *Vir* doctiſſimus *p. 186.* AMBULACRA hortorum regiorum memorat, ſcribens de horto jam memorato: *Ambulacra ejus lapide polito ſcite ſunt teſſelata; ornatum iis cancelli conferunt tetrapedalis altitudinis, ad margines poſiti, quia platanorum decus ubique, exceptis duobus horti lateribus exoleverat.* In hiſce ambulabant recreationis cauſa, uti de Ahasvero legimus Eſth. VII, 7. 8. quod in hortum ſeceſſerit ambulaturus, qui proxime ad palatium ſitus erat. Huc refer proverbium apud WARNER. *prov. XIV. p. 8.* پای در زنجیر پیش دوستان به که بیکان در بوستان *Pede catenato apud amicos eſſe ſatius eſt, quam apud peregrinos in horto ambulare.* *Lavacra* quoque & *balnea* in hortis fuiſſe, diſcimus ex hiſtoria Suſann. c. 15. καὶ ἐπεθύμησε λέσαϑαι ἐν τῷ παραδείσῳ, ὅτι καῦμα ἦν. *Et volebat ſe lavare in horto, quoniam æſtus erat vehemens.*

In Eccleſia quoque Dei ceu horto myſtico *palatium* & regiam ſedem Meſſiæ deprehendimus, quia eſt hortus ſecretæ admiſſionis. Heic *ambulacrum* Regis Regum conſpicimus. Quemadmodum olim in paradiſo Deus *ambulaſſe* legitur ad ventum diei, i. e. flante zephyro, ſeu

Euro Palæſtinæ nocivo, Gen. III, 8. ita in paradiſo myſtico ambulat in medio, Apoc. II, 1. Matth. XVIII, 20. c. XXVIII, 20. per Spiritum ſuum, qui nunquam e medio eorum eſt receſſurus, Jeſ. LIX, 21. venit enim, & habitat in medio amantium ipſum, Joh. XIV, 23. veluti olim in tentorio conventus per typum columnæ nubis habitavit. Inſpicit non ſolum oculo gratiæ fructus fidelium in atriis Jehovæ plantatorum inſtar palmarum, Pſ. XCII, 14. 15. ſed & delectatur iis. Heic *Lavacrum* illud regenerationis quoque invenies, quo ablui a veneno æſtuoſo tentationum Satanæ & ſordibus peccati poteris quam puriſſime, Zach. XIII, 1. Tit. III, 5. Jeſ. IV, 4. antitypum *piſcinæ* illius *Bethesdæ* Joh. V, 1--5. in quam quicunque deſcenderit ſurdus, claudus, cœcusve, ab omnibus peccati morbis & maculis ſanatur atque purgatur, 1. Cor. VI, 11. Zach. XIII, 1.

XII. 3. Tertius hortorum uſus civilis *choreas*, *convivia* ſplendida & *hymnos* in iis decantatos concernit. Huc reſpicit vates, Jeſ. LI, 3. כי נחם יהוה ציון נחם כל חרבותיה וישם מדברה כעדן וערבתה כגן יהוה ששון ושמחה ימצא בה תודה וקול זמרה *Nam conſolabitur Jehova Zionem, conſolabitur omnes ejus vaſtitates, & ponet deſertum ejus inſtar horti voluptatis, & ſolitudinem ejus inſtar horti Dei. Gaudium & lætitia invenietur in illo, gratiarum actio & vox hymnorum.* ARISTOPH. en *νεφέλ act. I. ſcen. III.* hoc exprimit:

> Εἰτ' Ὠκεανȣ͂ πατρὸς ἐν κήποις ἱερὸν χορὸν ἵστατε νύμφαις.
> *Sive Oceani Patris in* hortis *inſtituitis arte choream.*

Quare apud Rabbinos & Talmudicos vox אריסות & *hortorum culturam & exhilarationem convivalem* deſignat, teſte BUXTORF. *ad h. v.* Poſt peracta ſacra idololatrica in hortis quoque epula ſplendida inſtituiſſe gentes ex Jeſ. LXV, 3. concludimus, conf. *Doct. Th.* GRABNER *diſſ. eleg. de ſacris Judæorum peregrino in hortis ritu factis cap. IV. Witt. 1710.* Eodem modo de hortis Elyſiis canit TIBULL. eleganter

> *Hic choreæ cantusque vigent, paſſimque vagantes*
> *Dulce ſonant tenui gutture carmen aves;*
> *At juvenum ſeries teneris immiſta puellis*
> *Ludit, & aſſidue prælia miſcet amor.*

In

In Eccleſia quoque Dei,tanquam in *monte illo Jehova exercituum parabit omnibus populis convivium rerum pinguium,convivium defæcati vini,pinguium ſaginariorum, vini fæcibus expurgati,* Jeſ.XXV,6. In hocce paradiſo fructusvitæ duodeni,ſingulis menſibus producti,&latices dulciſſimi fluvii cryſtallini donorum Spiritus S. quibus cives Hieroſolymæ novæ recreantur, abundant, Apoc. XXII, 1--3. Hæc ſunt bona largiſſima domus Dei, Pſ. LXV, 5. In hocce horto myſtico *choreæ* celebrantur lætiſſimæ, lætantur coram Deo *lætitia, quæ agitatur tempore meſſis, & exultant inſtar partientium prædas,* Jeſ. IX, 3. Omnia egregie exprimit Jehova Jer. XXXI, 12--14. *Cantabunt in excelſo Zionis, & confluent ad bonitates Jehovæ, frumentum, muſtum & oleum, cum fœtibus gregis & armenti. Eritque anima eorum ſimilis* horto irriguo, *neque pergent mœrere amplius. Sed lætabitur virgo in choro, juvenes ac ſenes pariter. Et irrigabo animam ſacerdotum pinguedine, & populus meus bonitate mea ſaturabuntur, dictum Jehovæ.* Illic audiuntur *hymni* & cantus, qui ſurgunt in cœlum. Heic clangunt Deo omnes terræ fines, pſallunt gloriam nominis ejus, apponunt gloriam laudi ipſius, Pſ. LXVI, 1. 2. Reſonat heic hallelujah illud & canticum novum: *Dignus es Domine, qui accipias gloriam & honorem & virtutem; tu condidiſti omnia, per tuam voluntatem exiſtunt & creata ſunt.* Apoc. IV, 11.

XIII. 4. In hortis antiquis primatum ac *regum* erant *ſepulchra.* Talis erat *ager arborifer,* in quo ſpelunca ſepulchralis Abrahami, quem ab Hephrone coëmerat, in qua ſepulta ejus uxor Sarah fuit, Geneſ. XXIII, 19. 20. Tale erat ſepulchrum Menaſſis in horto domus ſuæ, qui erat hortus Huzzæ, 2. Reg. XXI, 18. & 26. tale erat ſepulchrum *Joſephi in Gethſemane,* in quo Salvator mundi ſepultus eſt, quod erat λελαξομημένον ἐκ πέτρας, Marc. XV, 46. conf. etiam 1. Sam. XXV, 1. 1. Reg. II, 34. Exprimit hoc NONNUS:

- - ἔην δ' ἐνὶ γείτονι κήπῳ
Τύμβος ἀδωμήτοιο βαθυνομένης ἀπὸ πέτρης.
Erat autem in horto vicino
Sepulchrum ex petra cruda excavata.

Apud *Græcos & Romanos* quoque ſepulchra in hortis fuiſſe conſtat ex HELIODOR. *Æthiop. Lib. I. cap. 2. p. 35.* de Galba teſtatur SVETON. *cap.*

cap. 20. in ejus vita. Quod in *privatis ejus hortis Aureliæ viæ ſepultus* ſit. Ad quæ verba ONUPHRIUS PANVINIUS ſcribit: *In hac via fuerunt horti privati Galbæ. Atque in eadem, ut in Flaminia, Appia, Latina & aliis viis plurimi loculi, urnæ & antiqua ſepulchra vetuſtate fere conſumta adhuc videntur.* conf. BYNÆ. *de Morte J. C. Cap. XX. p. m. 569.* Cl. LAMP. *in Joh. Tom. III. p. 645.* Cl. ZORN. *Bibl. Exeg. antiq. p. 599. ſq.* Adde locum egregium MARTIAL. *Lib. I. ep. 115.*

Hos tibi vicinos, Fauſtine, Teleſphorus hortos
Fænius & breve rus uvaque prata tenent.
Condidit hic natæ cineres, *nomenque ſacravit.*

Huc refero inſcriptionem antiquam apud GRUTERUM *pag. m. DCXXXVI. n. XII.*

HERMES
SEPLASIARIVS
MATER. GENVIT. MATER. RECEPIT
HI. HORTI. ITA. VTI. OPT. MAXIMIQ. SVNT
CINERIBUS. SERVIANT. MEIS. &c.

Et aliam quam apud ROSIN. *Antiq. Rom. in Paral. Lib. I. cap. XI. p. m. 21.* legis: LONGIUS. PATROCLUS. SECVTVS. PIETATEM: COL. CENT. HORTIS. CVM. ÆDIFICIO. HVIC. SEPVLTVRÆ. IVNCTO. VIVVS. DONAVIT.

& apud PIGNOR. *de Serv. p. m. 241.*

L. CORNEL. L. L. SASÆ
MAGNI. VIRIDARII
MONVMENTVM. &c.

Exhibet quoque Cl. KÆMPF. *Amœn. Exot. faſc. II. p. 369.* hortum ex cupreſſis maximum, in quo varia Perſarum monumenta ſepulchralia conſpicere licet ad vivum expreſſa. In *hortis* autem ſepulchra vivi exſtrui curabant, *tum* ut perpetuam mortis memoriam ſibi ob oculos ponerent, *tum* ut futuræ reſurrectionis ſymbola, arbores vere effloreſcentes, ob oculos haberent.

In Eccleſia quoque Dei ceu horto myſtico perpetua *mortis* memoria & *reſurrectionis* adſervatur. Fundamentales enim binæ hæ

doctrinæ

doctrinæ in Eccleſia Dei maximum ut *κειμήλιον* adſervantur. In hocce horto apparet *ſepulchrum* Chriſti mediatoris; ipſius enim mors, ſepultura & reſurrectio ſancta memoria perpetuo celebratur in cœtu Dei. Heic conſpicis monumenta martyrum & teſtium veritatis, quorum mors heroica & exemplaris omnibus, in horti hujus myſtici pomœria tranſeuntibus, in exemplum ob oculos ponitur, Hebr. XI. cap. & XII, 1. In horto hoc Eccleſiæ ſepulturam noſtram nos quoque conſtituere oportet. In ejus communione moriamur, nec a veritate illius aberremus ad rogum usque, Apocal. XIV, 13. Phil. I, 21. Apocal. II, 10.

XIV. B. Alter uſus hortorum generalis eſt *medicus*. Quis enim neſcit *herbis* in horto creſcentibus & eum in finem in horto plantatis inſignem vim ineſſe *medicam*, tum ad *vulnera* delinienda & curanda, cui uſui inſerviebant herbæ aromaticæ & צרי *opobalſamum* in hortis Hierichuntinis optime creſcens. Quo reſpicit vates Jer. VIII, 22. הצרי אין בגלעד כי מדוע לא עלתה ארכת בת עמי *An non eſt opobalſamum in Gilead? cur non promovetur ſanatio filiæ populi mei?* Herbis vim medicam ineſſe docet PLIN. *hiſt. nat. Lib. XXV. Cap. 3. 4 5. ſq.* late. De qua re MATTHIOLUS, DIOSCORIDES, HIPPOCRATES, AVICENNA, GALENUS & ROLFINCIUS prolixe conſuli poſſunt medicorum filii. Exprimit hoc Poëta ex recentioribus,

Magnus ineſt herbis vigor & vis inſita cœlo,
Graminibusque ſua eſt. Nihil eſt tam vile, ſacratum
Quin medicamen habent.

ex antiquis eleganter canit MARTIAL. *Lib. X. epigr. XLIX. v. 7. ſq.*

Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
Attulit & varias quas habet hortus opes:
In quibus eſt lactuca ſedens & ſectile porrum,
Nec deeſt ructatrix mentha, nec herba ſalax.

Varia quæ ad uſum hortorum medicum pertinent lege ap. *Ch.* GRÜBELII *κηπολογ. l. c. §. XX. ſq.* Ita de Circes herbis potentibus vide VIRGIL. *Lib. VII. Æneid.*

Quos hominum ex facie Dea ſæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

& HOMER. *Odyſſ. X.* & SPONDAN. *Comm. ad h. l. p. m.* 137. *ſq.*

In Eccleſia quoque Dei vera animi immortalis medicina reperitur. In illa reſidet Archangelus, qui cœcis per collyria pretioſa viſum reſtituit, Apoc. III, 18. In illa opobalſamum illud reperitur, quo vulnera Zionis curantur, Jer. VIII, 22. Poſſidet illa *herbas* ſalutares i. e. promiſſiones ſalutis, quibus religantur corda contrita & curantur, Jeſ. LXI, 1. Heic reperies arbores vitæ, quarum folia in medicamen gentium adhibentur, Ezech. XLVII, 12. Apoc. XXII, 2. Heic medicamina corroborantia in theſauro veritatis Evangelii deprehendes, *quibus anima tua ſanatur*, Pſ. CXIX. 117. Prov. XXVIII, 18. Sub alis *ſolis juſtitiæ*, qui horti hujus plantas vivificat, ſanatio reperitur, Mal. IV, 2. conf. Matth. IX, 12. 13. Luc. IV, 18.

XV. C. Uſus denique *Sacer* hortorum conſiderandus reſtat. Inſerviebant ſæpe *cultui ſacro* apud Veteres. *Preces* in hortis peragebantur, quod diſcimus ex Gen. XXIV, 63. ubi Iſaacus dicitur exiiſſe circa veſperam לשוח בשדה, quod non cum Viro doct. GUSSETIO vertimus, ad *fruticem agri* ſc. colendum, ſed ad *meditandum* ſeu *orandum in agro* ſeu horto ſuo agreſti extra urbem, ut probat Cl. MICHAELIS in *Oecon. Patriarch. Diſſ. I. p. 19. ſq.* Ita Salvator ſæpius *in horto* preces fundere ſolebat, qui in monte oliveti extra Hieroſolymas ſitus erat, Joh. XVIII, 1. 2. Matth. XXVI, 39. Solitudinem enim amabant precantes, qua in hortis extra urbem optime frui poterant. *Platonici* olim in hortis ſtudiis operam dabant & docebant, uti ipſe PLATO hortulo emto in loco ſuburbano, ſcholam aperuit. & *Pythagoram*, *Theophraſtum*, *Xenophontem*, *Plinium*, alios, eum in finem hortos coluiſſe docet *ſupra cit.* GRUBEL. *§. 20.* Præprimis gentes in hortis idololatriæ vacabant. Huc refer Jeſ. LXV, 3. זבחים בגנות ומקטרים על הלבנים *Sacrificantes in hortis & ſuffitum adolentes ſuper lateribus*, & Jeſ. LXVI, 17. parallelo, ubi ARABS المتقدسون والمتطهرون في البساتين *Qui ſanctificant & mundant ſe in hortis olerum.* qua deſcriptione cultus Hecates in hortis & lucis depingitur. vide Cl. MILL. *Ultraject. Philologi Celeb. Diſſ. ſel. D. V. p. 146. ſq.* Plura ad illuſtrationem hujus loci vide apud SPEN-

SPENCER. *Lib. II. c. 16. de Leg. Hebr.* TH. GRABNER. *in Diſſ. de ſacris Jud. in hortis cit. cap. II. & cap. III.* TH. AMEL. *in V. T. Tom. I. p. 1 & p. 656. ſq.* ZORN. *in fragm. Hecat. Abder. p. 166.* Cel. SCHNEIDERI Bibl. *Lex. ad* v. Garten. Cl. VITRING. *Comment. ad h. l.* Quo pertinet & cultus idolorum in lucis, arboribus confertiſſimis, vide J. F. MAYERI *Diſſ. de* אשרה *idolo, Witt. 1722. p. 10. ſq.* G. v. SEHNEN *de arbore non plantanda ad altare Dei, Jen. 1725. § XV. ſq.* Ad idololatriam hortorum refer quoque Jeſ. I, 29. *Pudefient propter lucos, quos deſideraſtis, & erubeſcetis propter hortos, quos elegiſtis.* in quibus cultus Veneris & Priapi, modo plane obſcœno & abominabili, apud gentes peragebatur, de quo vide Doctiſſ. AMEL. *in V. T. Tom. I. p. 6. ſq.* Præcipue autem Ægyptii in hortis olera ſua tanquam Deos venerabantur, uti ex HIPPONÆTIS *Jambo* patet:

Ὁ δ' ἐξολισθὼν ἱκέτευε τὴν κράμβην
Τὴν ἑπτάφυλλον, ἣ θύεσκε πανδώρῃ
Ταργηλίοισιν ἔγχυτον.
Elapſus ille ſupplex braſſicam adorabat
Septifoliam, aut eam ſuccoſam Pandoræ
Sacrificabat Thargeliis.

Horti tales ſacri ſeu religioſi quoque in veterum inſcriptionibus & monumentis memorantur, uti apud GRUTER. *p. m. DCCCIX. n. II.*

MINDIA. IVLIA. ET. P. ÆLIVS. PHILETVS. COMPA
RAVERUNT. SIBI. ET. LIBERTIS. LIBERTABUSQ.
POSTERISQ. EORVM. HIC. LOCUS. CVM. HOR
TVLO. SVO. RELIGIOSO. ET. ÆDIFICIOLIS
SVIS. MURO. CINCTVS. &c.

Et in Eccleſia Dei verus cultus divinus peragitur. In horto Eccleſiæ Antichriſtianæ ſuffitus idololatrici accenduntur idolis, imaginibus & ſtatuis ſanctorum; ibi adorant & venerantur Mariam tanquam Deam, ad quam preces ſuas dirigunt, quam auxiliatricem invocant. Ibi ſacrificium miſſæ celebrant, & idolo quaſi ex pane facto cultum exhibent divinum, atque ita tanquam Iſraël a cultu divino aberrantes, idololatria ſua iram Dei accendunt, Jeſ. I, 30. 31. LXV, 3. 6. 7. In Eccleſia vera Dei

ſacrificia ſpiritualia N. T. Deo offeruntur; aſcendit fumus precum ardentiſſimarum in coelum; in illa fideles corda ſua Deo conſecrant & ſanctificant, Pſ. LI, 12. 19. In hac *ſeminaria ſapientiæ* cœleſtis deprehendes, Prov. I, 7--9. II, 3--5. Jac. III, 17. 18. I, 5. In ſinu enim Eccleſiæ vera ſapientia addiſcitur, quæ mortales ſapientes reddit ad ſalutem, 2. Tim III, 15. 16. Jeſ. LIV, 12. 13. quia Spiritus ſapientiæ & prudentiæ, nunquam ab ea receſſurus eſt, Jeſ. LIX, 21.

XVI. Beatas ergo animas! o terque quaterque felices! qui corda ſua tanquam hortum frugiferum conſtituunt, & cum Sponſa invitare Dilectum ſuum poſſunt: *Veni amice in hortum tuum, & comede fructus ejus pretioſos!* Quam triſtis vero proh dolor! ſtatus Eccleſiæ hujus ævi apparet, non ſpeciem horti nec agri aut vineæ fertilis, ſed *telluris ſterilis*, non niſi ſpinas & urticas cum carduis proferentis, conſpicimus. Inſtar montium Gilboæ ſterilium apparet, qui nec rore nec pluvia cœli irrigantur. Quales in hoc horto arbores cernis? non cedros nec quercus juſtitiæ, ſed ſentes & vepres, ficus non niſi folia per hypocriſin proferentes, vites Sodomæ, non niſi acinos & labruſcas producentes. Semen Dei ſpargitur largiſſime, ſed vepres concupiſcentiarum & curarum terreſtrium ſupprimunt, vel aves cœli rapaces, infernales ſpiritus, a corde auferunt. Deus aperit valvas cœli, ac rore & pluvia mediorum gratiæ & benedictionum irrigat hortum; ſed fructus reſipiſcentiæ & grati animi ferre recuſat. O facinus horrendum! o ingratus animus populi, quod Dei nomine ſuperbit! Deus eſt, qui plantavit hortum *in loco pingui*, *muro* libertatis conſcientiæ & protectionis cinxit, ne a feris & vulpibus, pſeudo-doctoribus & perſecutoribus, lædatur. Miſit *hortulanos* & operarios, qui omnem operam impendunt, ut fructus in iis reſipiſcentia dignos proferant; ſed fruſtra! Væ horti hujus arboribus! quando triennium gratiæ effluxit, & ad radicem ſecuris poſita per manum ſupremi hortulani in earum exſtirpationem exagitabitur. Reſipiſcite ergo, & fructus proferte ſinceros ac veros, ne judicio divino eradicemini!

O utinam Deus, quando plantat Paulus & irrigat Apollos, benedictione opus eorum coronare; utinam Jeſus veniens in hortum dulces

ces ſpei, fidei & ſancti ſtudii veritatis fructus carpere, iisque delectari poſſet!

Hortum ſi conſideras, lapſum tibi ac ſtatum miſeriæ tuæ in memoriam revoca, o animi mea! in horto fructus mortis ab Adamo decerpitur. In horto quoque ſalutis acquiſitæ memor eſto. Quando deliciis horti paſceris, ne obliviſcere paſſionum Salvatoris tui acerbiſſimarum in Gethſemane. In horto mortis & reſurrectionis tuæ memor eſto. Si cum Chriſto plantaris in morte ſimili, cum eodem reſurges; Rom. VI, 4. Sic transplantaberis aliquando in paradiſum cœleſtem, ubi virebis inſtar palmæ in atriis Jehovæ, Pſalm. XCII, 13. 14. 15.

EXERCITATIO VII.
DE
CORRU AMINADAB,
SEU POPULI INGENUI,
SYMB. VERBI EVANGELII.

CANTIC. VI, 9. vel 12.

ARGUMENTUM.

§. I. Nexus & ſcopus hujus loci proponitur. §. II. & III. CURRUS in genere ſymb. eſſe Protectionis principum, exercituum, angelorum, nubium & ſtellarum docetur. §. IV. In ſpecie frequens verbi Evangelici *hieroglyphicon eſſe probatur. §. V. ad ſpeciales inter Evangelii præconium & currus antiquos analogias tranſimus. Sc. indagatur ortus curruum ſatis antiquus. §. VI. Materia eorum diverſa olim; notantur præcipue eburnei & aurei. §. VII. Forma eorum diverſa explicatur. §. VIII. Sculptura & ornamenta eorum indagantur. §. IX. Partes eorum prin-*

cipaliores, nimirum temo, §. X. & axis, §. XI. atque rotæ ipſorum recenſentur, atque myſtice exponuntur. §. XII. Jumenta, *quæ iis juncta, propius excutiuntur, quæ erant leones, mulæ, elephanti & præcipue equi. §. XIII. Aurigam curruum, equorum habenas flectentem conſideramus. §. XIV. Ad varios curruum uſus pergimus, & genera carpentorum diverſa. Memorantur enim currus onerarii, ad opes advehendas. §. XV. Eſſeda itineribus faciendis deſtinata. §. XVI. Currus recreationi & delectationi inſervientes §. XVII. Regum & Magiſtratuum ſupremorum. §. XVIII. Doctorum atque Sacerdotum. §. XIX. Nuptiales ſponſarum. §. XX. In ludis Circenſibus & certaminibus adhibiti. §. XXI. Bellici in præliis & expeditionibus. §. XXII. Triumphales Imperatorum in triumphis. §. XXIII. Sacri Deorum atque hominum conſecratorum ac in Deos relatorum. §. XXIV. Integri loci Cant. VI, 9. ſenſus enucleatur. Et §. XXV. finem hujus Exercitationis praxis conſtituit.*

I.

CRucem Interpretibus haud exiguam fixit locus difficilis *Cant. VI, 9.* vel ſecundum codic. heb. v. 12. לא ידעתי נפשי שמתני מרכבות עמי נדיב *Nondum cogitabam, & ecce anima mea impoſuit me curribus populi mei ingenui.* Plurimi Interpretes inter Judæos atque Patres antiquos cum quibusdam recentioribus ſponſam heic loqui contendunt, quæ in præced. ad hortum deſcenderit, & jam modum celerrimum, quo in illum pervenerit, deſcribat. Verum enim vero nulla nobis ratio videtur eſſe ſufficiens, ob quam loquentem v. 1. h. cap. perſonam mutemus, quum filum orationis ſponte decurrat ex eodem loquentis ore, quod in præcedentibus v. 1--7. & in ſequentibus 10--19. (vel Cap. VII, 1--9. ex aliorum ſectione) ejusdem perſonæ ſc. ſponſæ laudes & virtutes eleganti harmonia decantat. Quare Sponſum v. 8. *ad hortum deſcendentem & inſpicientem plantas* conſideramus; eundem quoque v. 9. dicentem eſſe oportet: *Nondum ſciebam,* vel *priusquam cogitaſſem, anima mea impoſuit me,* i. e. ſponte atque alacriter conſcendi *currus populi mei ingenui.* vſ. 10. pergentem eundem credimus, quaſi e curru clamantem: *Revertere, revertere o Sulamith,* &c.

II. His

II. His prælibatis quid per מרכבות ſive *CURRUS* intelligendum ſit, diſpiciamus. Hieroglyphicon τῶν מרכבות ſ. *curruum* quam latiſſime in ſcriptis ſacris & profanis ſe extendit.

a. Currus ſymb. ſunt *imperii*, *protectionis* atque *tutelæ* Principum erga populum. Hoc ſenſu exclamabat Eliſa de Elia, Propheta & Doctore Iſraëlis inſigni 2. Reg. II, 12. אבי אבי רכב ישראל ופרשיו *Pater mi, Pater mi, currus Iſraël & equites ejus.* eadem acclamatio Eliſæ ingeminabatur a Joaſo, 2. Reg. XIII, 14. Nihil aliud, ut Doctiſſimi hujus loci Interpretes obſervarunt, hac phraſi deſignatur, quam Prophetas hoſce inſignes plura in Iſraële precibus ſuis ac zelo fervidiſſimo effeciſſe, quam reges gentium curribus ſuis bellicis & equitibus in præliis efficere poterant. Hoſtes enim profligabant precibus ſuis validiſſimos. Adeoque quemadmodum gentes curruum & equitum numero confidebant, ita Iſraël hiſce Prophetis, qui columen, fulcrum & tutela Iſraëlis erant. conf. C. a LAPIDE, TIRINUM, SANCTIUM aliosque ad h. l. Pluribus id teſtimoniis confirmat Ven. & Doct. *C.* SCHULZE in *diſſ. elegantiſſima de Curribus bellicis in Oriente uſitatis, Witt. 1722. p. 50. ſq.* Huc pertinet quoque locus Ezech. XXVII, 14. cum parallelo Apoc. XVIII, 13. ubi inter merces Tyri myſticæ i. e. Antichriſtianiſmi etiam *equi & currus* recenſentur, per quos cum Cel. LAMP. in *Pſ. XLV. Exerc. X. p.* 474. intelligimus *inſtrumenta politica*, quorum auxilio errores & ſuperſtitiones idololatricæ propagantur, & quæ fulcrum & columen eorum exiſtunt. *Imperii* firmitatis, ſummæ rerum, & *magiſtratuum* ſpecioſorum ſymbolum eſſe *currum,* docet PIER. *hierogl. L. XLII. Cap XVIII. p. m. 463.* et CLAUDIAN. *de Conſ. Mall. v. 195. ſq.* moderamen imperii romani comparat currui regendo, canens:

Sic fatus tradente Dea ſuſcepit habenas
Quatuor, ingenti juris temone refuſas.

plura loca adducit BARTH. *ad h. l. Claud. p. 157.*

b. *Exercituum* robore inſignium & validiſſimorum ſymb. ſunt currus, præcipue bellici, atque in ſpecie *Ducum* & Imperatorum atque heroum. Hoc ſenſu canit Moſes Exod. XV, 4. *currus Pharaonis & copias ejus præcipitavit Jehova.* Ita 2. Reg. XVIII, 24. confidis Ægypto,

to, propter *currus & equites.* & Sennacherib dicebat 2. Reg. XIX, 23. *multitudine curruum meorum ego aſcendi ſummitatem montium, latera Libani.* Pſ. XX, 8. *hi quidem curruum & equorum, nos vero nominis Jehovæ recordamur; illi incurvant & cadunt, nos conſiſtimus.* conf. Pſ. LXXVI, 7. Jeſ. II, 7. cap. XXXI, 1. Sic Jer. L, 37. *Gladius irruet in equos ejus & in currus ipſius.* vide & Joël. II, 5. Mich. V, 10. &c.

III. e. *Exercituum* quoque *cœleſtium* Dei ſive *angelorum* emblema eſt *currus.* Diſcimus hoc ex 2. Reg. VI, 17. ubi mons circa Eliſſam, apertis oculis pueri, plenus *equis & curribus igneis* apparebat, qui opponuntur curribus & equis Syrorum, qui urbem circumdabant; & per quos exercitus cœleſtes, angelorum myriades commode intelligi poſſe cenſemus, qui Eliſæ tutela futuri erant, uti Iacobo in forma מחנים duorum exercituum apparebant, Gen. XXVIII. Ita & Pſ. LXVIII, 18. רכב אלהים רבתים אלפי שנאן *Currus Dei, myriades duæ, millia duplicata.* Per *currus Dei* autem angelos intelligi, ex eo etiam liquet, quia mentio injicitur τȣ̃ *Sinai,* in quem montem olim cum myriadibus Sanctorum i. e. angelorum deſcenderat in Legislatione, Deut. XXXIII, 2. et angelorum numerum per Legiones & myriades deſcribi, ex ſacris conſtat. Adeoque robur ac potentia angelorum, ſimulque majeſtas regia ac gloria Dei, hac phraſi indigitatur, deſumta a curribus veterum bellicis conf. *Piſcatorem, Geierum, Grotium, van Til* aliosque ad h. l. & præcipue I. G. PFEIFFER in *diſſ. in Pſ. LXVIII. Lipſ. 1723.* nec non *Doct. & Ven.* SCHULZE *l. c. p. 22. ſq.* Huc niſi admodum fallor, referri poteſt Ieſ. LXVI, 15. *Ecce Jehova venturus cum igne & curribus ſuis ſimilibus aquiloni, ad reddendum cum excandeſcentia iram ſuam.* ubi *currus ſimiles aquiloni* deſignare apte angelos poſſunt, *quos Deus ut ventos & ignem flammantem* conſtituit, Pſ. CIV, 4. Nec non Hab. III, 8. *an contra mare furor tuus o Jehova eſt accenſus? quum inſideres equis tuis, curribus tuis ſalutis.* ubi per *currus ſalutis* מרכבות ישועה *miniſterium angelorum,* qui ad deſtructionem hoſtium, & ad liberationem ac ſalutem populi Dei emittuntur, Heb. I, 14. commode intelliges. Quare *Cherubim,* qui ſymb. erant angelorum, uti ſupra in Exercit. IV. §. IV. docuimus, etiam tanquam

quam מרכבה ſeu *currus Dei* conſiderantur, Ezech. I. & X. veluti infra latius docebimus.

d. Porro *currus* ſymb. eſt *nubium* atque *ſtellarum*. *Nubium* equidem, quæ tanquam currus Dei conſiderantur, Pſ. CIV, 3. השם עבים רכובו ומהלך על כנפי רוח *Qui ponit nubes currum ſuum, & incedit ſeu inequitat alis venti.* et de Lucifero dicitur Jeſ. XIV, 14. *aſcendam ſupra excelſa nubis denſæ*, tanquam vehiculum ſupremi numinis, *& ſimilis ero Excelſo.* et Jeſ. XIX, 1. Deus deſcribitur, qui tanquam imperator belli invaſurus Ægyptum, eamque deſtructurus, vecturus ſit *nube denſa & leviſſima*, tanquam curru militari ſuo. Obſervandum tamen circa hæcce loca, ſi phraſin *nubium* ſenſu hieroglyphico capere velimus, commode quoque *angelos* intelligi poſſe. Denique certam *ſtellarum* regionem, quæ vulgo *Pleiades* vocantur, *currus* nomine inſigniebant antiqui, veluti etiam inter Arabes factum. vide Job. IX, 9. cap. XXXVIII, 32. & PIER. *hierogl. Lib. XLIII. cap. 23. p. m. 464.* & PAUSAN. *in attic. p. m. 459.* & COMMENTATORES *ad Job. l. c.*

IV. e. Currus denique commune apud antiquos *eloquentiæ & ſermonis* ſymbolum eſt. In ſcriptis ſacris *verbum veritatis & Evangelii* ſæpius ſub emblemate currus proponitur. Clare id diſcimus ex Pſ. XLV, 5. רכב על דבר אמת *Veheris ſuper veritatis verbo, tanquam curru.* Chald. vertit למרכב על סוסי מלכותא *ad vehendum ſuper equos regni.* Ita & Pſ. LXVIII, 5. introducitur Meſſias רכב בערבות *qui vehitur in campeſtribus*, tanquam curru triumphali impoſitus, cui ovanti *pſallunt* & acclamant hymnos votivos. Ita Eccleſia, præcipue doctores ejus comparantur equis in *curribus Pharaonis*, qui ejusdem verbi veritatis ſymb. ſunt, Cant. I, 9. In hunc cenſum referunt quoque Cel. VITRINGA in *Obſ. S. Lib. IV. cap. II. p. 869. ſq.* & Cl. LAMPE in *Pſ. XLV. p. 182.* *currum Ezechielis*, qui typus ac ſymbolum medii promovendi regnum gratiæ, i. e. verbi Evangelii fuerit; utpote cujus auxilio Chriſtus tanquam Rex thronum inter gentes quoque remotas erexit. Huc denique refero *IV currus* Zach. VI, 1--5. qui *quatuor venti* vocantur; *ventus* autem etiam verbi Evangelii cum Spiritu Dei commune in ſacris ſymbolum eſt. *Equi*

 ergo

ergo ſymb. Doctorum & Apoſtolorum, qui promovent verbum veritatis. Non ergo quatuor monarchias cum quibusdam Patribus & interpretibus recentioribus, nec quatuor Angelorum ordines intelligi poſſe cenſemus, conf. BIERMAN. *Comm. in Zach. ad h. l.* & Cel. HULSII *Comm. de Vallibus Proph. Exerc. VII. p. 160. ſq.*

Scriptores quoque profani *eloquentiam* & *ſermonem* decentem ſub ſymb. currus proponunt, quod ex *Lycophrone*, *Pindaro & Ovidio* probat Cel. LAMPE *l. c. p. 183.* adde loca non minus notabilia, PLATONIS *in Phæd. fol. 85.* εἰ μή τις δύναιτο ἀσφαλέστερον καὶ ἀκινδυνότερον ἐπὶ βεβαιοτέρου ὈΧΥΜΑΤΟΣ, ἢ λόγου Θείου τινὸς διαπορευθῆναι. *Niſi quis poteſt tutiore ac certiori modo, firmiore videlicet VEHICULO, id eſt divino quodam verbo transmitti.* nec non TIBULLI *Lib. III. eleg. 1. v. 12. ſq.*

Et meum in CURRU parvi vectantur amores,
Scriptorumque meas turba ſecuta rotas.
Quid fruſtra miſſis in me certatis habenis?
Non datur ad Muſas currere lata via.

& CLAUDIAN. *Lib. I. de Stilicon. v. 23.*

Ipſaque Pierios laſſant proclivia CURRUS
Laudibus innumeris.

BARTHIUS *in Comm. ad h. locum* exhibet plura loca, quæ non addimus, & quorum potiora excerpſit Cel. LAMP. *l. c.*

V. Convincemur autem eo clarius, ſi ad analogias elegantiſſimas inter *currum & verbum veritatis* attendamus, quas ordine, quantum pote, concinno primarias adjiciamus.

1. *CURRUS originis* ſunt *antiquiſſimæ*, & ortum procul dubio ab ipſis mundi incunabulis ab *Adamo*, qui ſapientia cœleſti impletus erat, adeoque ab ipſo Deo quaſi auctore, qui omnium eſt creator & conditor, traxere. Fabulis omnia immixta ſunt, quæ antiqui ſcriptores profani de ortu curruum recenſent. *Ælianus & Scholiaſtes Pindari* Erichtonio quidem tribuunt primam curruum inventionem, ſed fabulam hanc refutat VOSS. *de orig. & progreſſ. idololatr. Lib. I. cap. 13.* & O. RHODIGIN. *Lect. antiq. Lib. XXI. p. m. 685.* ÆSCHYLUS Prometheo tribuit, canens:

πρῶ-

- - πρῶτος ὑφ' ἅρματ' ἤγαγον φιλήνιες ἵππες.

Primus ad vehicula junxi frenigeros equos.

ARISTIDES vero *Neptuno* navium æque ac curruum inventionem tribuit. HOMERUS vero in hymno, *Minervæ* attribuit præcipue bellicorum curruum originem canens:

Πρώτη τέκτονας ἄνδρας ἐπιχθονίες ἐδίδαξε
Ποιῆσαι σάτινα καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ.
Prima fabros lignarios viros terreſtres docuit.
Facere ſcuta & currus varios ære.

Plura de origine curruum adducit Doctiſſ. SCHEFFER. *de re vehic. Lib. I. cap. 2.* & ex eo Ven. SCHULZE *in diſſ. cit. p. 6.* HUGO *de milit. equeſtr. Lib. I. c. 6.* Verum enim vero cum jam tempore Joſephi in Ægypto currus memorentur, Gen. XLI, 43. antiquiſſimæ originis eſſe oportet. Et cum tempore Adami ad agriculturam varia inſtrumenta neceſſaria ab Abele fuerint exhibita, ſtatim poſt lapſum currus quoque ſaltem onerarios in uſu fuiſſe probabile eſt.

Quod ad originem verbi veritatis, illam jam antiquiſſimam eſſe, ex ſacris conſtat. Statim poſt lapſum ſumma ejus in prot-evangelio fuit proclamata Gen. III, 15. Deus ipſe auctor verbi veritatis eſt, ipſe enim eſt veritas, ex qua omnia vera profluunt, Joh. XVII, 17. Per Chriſtum Θεάνθρωπον, ſemen illud mulieris promiſſum, facta eſt veritas & gratia, Joh. I, 17. Per omnia tempora, per omnia ſecula verbum hoc veritatis fuit propagatum. Poſt tempus promulgationis in paradiſo, per omnes Patriarchas, Enochum, Gen. IV, 26. Noachum, Gen. V, 29. deinceps per Abrahamum, qui poſteris ſuis & filiis poſt ſe hæc verba ſalutis inculcavit, Gen. XVIII, 19. & denique per Jacobum ejusque poſteros fuit propagatum, Gen. XLIX, 18. coll. v. 10. 11. 12. Hinc per omnes V. T. Prophetas, usque ad adventum Meſſiæ, qui voluntatem Dei clarius manifeſtabat, fuit proclamatum. Joh. I, 46. Hebr. I, 1. 2.

VI. 2. Si porro *materiam curruum* conſideramus, illa diverſa fuit apud Veteres. Plerumque ex *ligno* erant fabricati, ſecun-

dum priſcorum laudabilem humilitatem ac parſimoniam. Probat id Doctiſſ. SCHEFFER. *l. c.* ex SILIO ITAL. *Lib. XIII. v.* 441.

Lubrica roboreis aderant ſubſtramina plauſtris.

vel ex *viminibus* & cratibus contexebant currus. Ita HOMER. *Il. XXIII.*

Δίφρȣς τ᾽ ἀνςρέψειαν ἐυπλεκέας,
currusque everterent bene plexos.

ad quem locum *Scholiaſtes* commentatur. Ἰςέον δὲ καὶ ὅτι ἔυπλεκτον δίφρος φησὶν, ἐπὶ εἶχε τι πλέγματος· ὡς δεδήλωται ὅπȣ ὁ Ποιητὴς ἔφη ἐρινεὸν νέȣς ὄρπηκας. καὶ προιὼν δὲ δίφρȣς ἐυπλεκέας ἐρεῖ, ὡς μὴ γομφωτȣ̀ς ὄντας καὶ κολλητȣ̀ς, ὅ ἐςιν ἡρμοσμένȣς ἐξ ὕλης βαρυτέρας, ἀλλὰ καὶ ἐκ τίνων πλεγμάτων ἐυθετισμένȣς δι᾽ ἐλαφρότητα. Deinceps ex *ferro* fabricabantur, quare belli currus plerumque *ferrei* erant. Ita Joſ. XVII, 16. 18. Judic. I, 16. cap. IV, 3. 7. 13. רכב ברזל *currus ferrei* memorantur, quemadmodum & *Arabs* reddit: من ركبا حديد *currus ferri.* Quod vel intelligi poteſt de *curribus falcatis*, de quibus infra dicemus, uti varii Interpretes contendunt, vel de *rotis ferreis*, quæ ſonoræ & ſtrepentes toties apud Poëtas & in ſcriptis ſacris, veluti Nah. III, 2. קול רעש אופן *ſonus rotarum allidentium* memorantur; vel denique de *curribus ferramentis* bene *munitis* intelligi poteſt. Sequentibus ævis etiam *ærei* currus in uſu fuere. Unde HOMER. *Il. Lib. IV. p. m.* 69.

Ἀλλὰ μάλα σπεύδοντα μάχην ἐς κυδιάνειραν
Ἵππȣς μὲν γὰρ ἔασε, καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ.
Sed valde properantem pugnam in glorioſam,
Equos enim dimiſit, & currus varios ære.

Eburnei quoque memorantur OVID. *Lib. IV. triſt. el.* 2.

- - currus *ſpectat* eburnos.

& TIBULL. *Lib. I. eleg. VIII. v.* 7.

At te victrices lauros Meſſala gerentem
Portabat nitidis currus eburnus *equis.*

Aurei denique ſeu *inaurati* fuere currus. Eorum mentio fit apud *Talmud. in Kiddusch. fol.* 76. יושבים בקרנות של זהב *Sedent in*

curri-

curribus aureis ſeu *deauratis.* quales erant *triumphantium*, ut infra videbimus, & præcipue Deorum. PINDAR. *in Pyth. ad Od. IV.*

Ὄυτι πȣ ἐτος Ἀπόλ-
λων, ἐδὲ μὰν χαλκάρματός ἐςὶ πόσις
Ἀφροδίτας.

Neutiquam hic Apollo nec maritus Veneris, qui aureo curru vehitur. & *Od. V.* χρυσαρμάτȣ Κάςορος *aurei currus Caſtoris* meminit. & APOLLON. *Argon. Lib. III. p. 877.*

Χρυσείοις λητωΐς ἅρμασιν ἑςηυῖα
Diana in aureo curru conſiſtens.

Quid hæc multiplex materia aliud commode deſignare poterit quam varias verbi veritatis qualitates? Illud quaſi *ligneum* eſt, ſi *literam* ſpectes, quæ eſt *occidens*, ut loquitur Apoſtolus 2. Cor. III, 6. præcipue fundamentalis veritas Evangelii de crucifixa ſalute noſtra, Judæis eſt ſcandalo & Græcis offendiculo 1. Cor. I, 23. propagatur & pronuntiatur per vaſa teſtacea, quæ theſaurum hunc portant, 2. Cor. IV, 7. conf. 1. Cor. II, 3. in ſe eſt medium infirmum, ſed per Spiritum vivificatur. Ex variis veritatibus contexitur currus Evangelii, quæ arctiſſimo nexu invicem cohærent, & quaſi ἅρμα ἔυπλεκτον conſtituunt: Verbum hoc quaſi *ferreum* eſt & *æneum*, ob conſtantiam ejus immutabilem & æternam. Semen eſt incorruptibile 1. Pet. I, 25. Pſ. CXIX, 89. opprimi nunquam potuit hæc veritas, licet undique ab hoſtibus veritatis fuerit preſſa; quare gladius & enſis biceps Heb. IV, 12. vocatur, & cum aliis inſtrumentis duris ac ferreis comparatur. *Ebur puritatem* verbi veritatis deſignat, non falſata eſt hæc veritas, 2. Cor. IV, 2. Lex hæc Dei eſt *puriſſima*, illuſtrans oculos, Pſ. XIX, 9. *Aurum* denique & *pretium* inæſtimabile ac fulgorem ejus deſignat. Pretioſior hæc eſt veritas gemmis & margaritis, *præſtantior auro* & argento, theſauris optimis, Prov. III, 14. 15. cap. VIII, 11. eſt inſtar argenti depurati, Pſ. XII, 7.

VII. 3. Ad *formam* tranſimus, quæ diverſa itidem apud antiquos fuit. Quidam currus erant *rotundi*, qualem deſcribit HOMER. *odyſſ. Lib. VI. p. m. 80.*

- - ἀτάρ τοι δμῶες ἐφοπλίσσȣσιν ἀπήνην
Ὑψηλὴν ἔυκυκλον, ὑπερτερίη ἀραρυῖαν.

Cæterum Tibi famuli apparabunt currum
Altum, rotundum, contabulatione inſtructum.

memorantur quoque *curvi* & *inflexi* currus PIND. *in Iſth.*

Οὐδὲ πανaγυρίων ξυνᾶν ἀπεῖχον καμπύλον δίφρον.

& HOMER. *Iliad. V. p. 83.*

Μᾶλλον ἔφ ἡνιόχῳ εἰωθότι καμπύλον ἅρμα
Οἴσετον.
Magis ſub auriga conſueto curvum currum
Ferent.

vel *quadrati* quoque erant, HOMER. *odyſſ. VI.*

\- - - ὑπερτερίῃ ἀραρυῖαν
\- - - *capſo inſtructum*

ad quem locum EUSTATH. ὑπερτερία δὲ, τὸ ἐπικείμενον τετράγωνον πλινθίον τῷ ἄξονι, παρὰ τὸ ὑπερκεῖσθαι αὐτῷ. Ἐν δε Ἰλιάδι πείρινθαν τοῦτο εἶπεν ὁ ποιητὴς. *Hypertheria eſt impoſitum quadratum Plinthium ſuper axem, ita dictum, quod incumbat illi, in Iliade Poëta vocat* πείρινθαν.

Quædam carpenta erant *tecta*, quædam vero *aperta*. *Clauſa* vehicula in itineribus & pompis feſtivis & ſacris uſurpabant, quorum tibi ectypon ſiſtitur apud SCHEFFER. *Lib. II. cap. 17. p. 115.* Et OISEL. *in numm. Imperat. Rom. Tab. XCVIII. 4. 5. 6.* *Apertorum* vero uſus in bellis & triumphis erat frequentiſſimus, quorum tibi forma ſiſtitur apud SCHEFFER. *Lib. II. cap. 11. p. 148. 150.* et OISEL. *Tab. XCVIII. n. 1--3. Tab. XCII. n. 1. 6. 9. Tab. XCI. n. 7--12.* & paſſim. conf. plurimos nummos apud GOLZ. *in faſt. Magiſtrat. & triumph. p. 104. ſq.*

Hoc ſi myſtice interpreteris, *forma rotunda* perfectionem atque æternitatem verbi veritatis deſignabit. *Perfectum eſt*, Pſ. XIX, 8. *Doctrina Jehovæ eſt perfecta, reſtituens animam; æternum* quoque eſt; omni perfectioni finis eſt, ſed non verbo Dei, Pſ. CXIX, 96. conſiſtit in æternum, Pſ. XIX, 10. 1. Pet. I, 25. Vehitur Rex Meſſias in hoc carpento veritatis tum *tecto*, quale erat ſub V. T. quando variis obſcuris & tectis Prophetarum vaticiniis ac umbrarum ac typorum velis erat involutus, Heb. X, 1. Joh. I, 46. Luc. XXIV, 26. 27. tum *aperto*, quando impletis vaticiniis & ſublato Moſis velo, ſe palam in carne populo ut ducem ſalutis oſten-

oſtendeba', Gal. IV, 4. & verbum Evangelii publice nobis quaſi digitis ipſum Salvatorem monſtrabat Joh. I, 29 *Ecce hic eſt agnus Dei, tollens peccata mundi.* & ipſe in feſto Tabernaculi Joh. VII, 37. *exclamabat, qui ſitit, veniat ad me.* conf. 1. Tim. III, 16. Heb. I, 1--13.

VIII. 4. Vehicula veterum, præcipue triumphalia aut militaria Imperatorum ſive Regum quoque maxime erant *ornata*, auro argentoque fulgebant, maxime *polita*, variis *ſculpturis* atque *figuris* inſignita, laureis quoque ſertis & *coronis* condecorata. Ita PLUTARCH. in *Paul. Æmil. vita*: Εἶτ' αὐτὸς ἐπέβαλεν ἅρματι κεκοσμημένῳ διαπρεπῶς ἐπιβεβηκώς. *Inde ipſe curru magnifice ornato urbem invectus eſt. Auro argentoque* erant bene exornati, unde HOMER. *Iliad. X. p. 190.*

Ἅρμα δέ οἱ χρυσῷ καὶ δὲ ἀργύρῳ εὖ ἤσκηται.
Currus vero ejus auro & argento bene ornatus *erat.*

& *Iliad VIII. p. 140.*

Αὐτὸς δ' ἐκ δίφρειο χαμαὶ θόρε παμφανόωντος.
Ipſe autem ex curru deſcendit in terram undique lucente.

& *Iliad. V. p. 96.* quaſi *igneum* conſiderat ob fulgorem,

Ἐς δ' ὄχεα φλόγεα ποσὶ βήσετο,
Pedibus aſcendit in currum flammantem.

Tales erant ἅρματα ποίκιλα *currus variegati*, quales ſæpe memorantur apud HOMER. & HESIOD. uti *Iliad. Lib. XVII. p. 322.*

Ἀλλ' οὐ μὰν ὑμῖν γε καὶ ἅρμασι δαιδαλέοισιν.
Ἕκτωρ πριαμίδης ἐποχήσεται.
Sed non quidem nobis & curribus variegatis
Hector Priamides vebetur.

Cælata & affabre *ſculpta* erant vehicula antiquorum, unde HOMER. *Il. II p. 38.*

Ἱδρώσει δέ τευ ἵππος ἐΰξοον ἅρμα τιταίνων.
Sudabit & alicujus equus currum trahens eleganter expolitum.

CURTIUS *de vehiculis* Darii *Lib. III. cap. 3. Haud procul erant vehicula decem, multo auro & argento cælata. Lauro* quoque erant decorati currus præcipue triumphantium, unde canit LUCAN. *Lib. V.*

Lauriferos *nullo comitetur vulnere currus.*

CLAU-

CLAUDIAN. *de Laud. Stilic. L III.*

- - - *currumque ſecutus*

Laurigerum *feſto fremuiſſet carmine miles.*

Currus ejusmodi ornatos conſpicis in nummis apud OISEL. *Numm. Imp. Tab. XCII. n. 1. n. 3. n. 4. Tab. XCI. n. 12.* BEGER. *Theſ. Tab. XXVII. n. 18. & 19. Tab. XXIX. n. 3. & n. 9. Tab. XLVI. n. 10.* & apud GOLZ. in *faſt. Magiſtr. & triumph. p. 97. ſq.* & paſſim.

Applices hosce ornatus verbo veritatis; & illud inſtar auri argentique *lucens* atque inſtar flammæ fulgurans deprehendes. Quare toties *lux*, *lampas*, *flamma* & *aurum* purum vocatur. Hæc eſt *lux* illa, quam in luce Jehovæ intuentur, Pſ. XXXVI, 10. *Lux* & veritas, quæ Iſraëlem myſticum ad montem ſanctitatis Dei deducunt, Pſ. XLIII, 3. *Lux* in via populi Dei, Pſ. CXIX, 105. *Lux* illa, in qua ambulant, Jeſ. II, 5. quæ oritur ſedentibus in umbra mortis, illosque fulgore ſuo illuſtrat, Jeſ. IX, 2. Hæc ſunt arma lucis, quibus pugnamus contra regnum tenebrarum, Rom. XIII, 12. Quare Apoſtolus vocat *claram Evangelii lucem*, quæ ſplendidos radios in corda noſtra emittit, 2. Cor. IV, 4. 6. *Lux* eſt, quæ fulgurat inſtar lucidiſſimæ Jaſpidis, Apoc. XXI, 11. *Aurum* eſt fulgurans, Pſ. LXVIII, 14. CXIX, 127. *auri* inſtar & gemmarum rutilat veritas, Prov. XX, 15. Apoc. XXIII, 18. 21. *Sculpturis* majeſtatis divinæ inſignitur hæcce veritas tanquam *θεόπνευστος*, 2. Tim. III, 15. 16. 1. Theſſ. I, 5. 2. Pet. I, 21. *Laurifera* quaſi eſt veritas, quæ triumphat de hoſtibus veritatis & de ſcientia quacunque humana & ſuperſtitionibus gentium, longe præſtantior humana ſapientia, Jac. III, 15--17. 1. Cor. II, 6. 7. triumphat hæc veritas ubivis locorum, 2. Cor. II, 14.

IX. §. PARTES porro principaliores curruum conſiderandæ reſtant.

a. *Temo* prima & præcipua pars eſt, uti gubernaculum in navi, quare & docente SCHEFFERO *l. c. p. 30.* temo pro integro curru ponitur, temone enim totum dirigitur vehiculum, de quo POLLUX. in *Onomaſt. Lib. X. cap. 34.* *καλεῖ δὲ οὕτω (ἀκτήρια) καὶ τὸν ῥυμὸν τοῦ ἅρματος, τὸ τῆς ἁμάξης ἀνέχων ξύλον, ὅταν ἄζευκτος ᾖ, ὁ στήριγμα καλεῖ Λυσίας.* *Eodem nomine (acteria) temonem currus appellat, prominens ſc. illud lignum,*

num, cum jugatus non eſt, quod Lyſias ſterigma vocat. Et HESIOD. *Lib. II.* ἐργ. κ. ἡμερ. *de* querno temone loquitur:

- - - ὄρπηκα βοῶν ἐπὶ νῶτον ἵκηαι
"Ενδρυον ἑλκόντων μεσάβῳ.
Stimulo boum terga attigeris quernum temonem
Trahentium.

VIRGIL. *Lib. III. Georg.* ærei meminit temonis:

- - - *& junctos* temo *trahat* æreus *orbes.*

OVID. *Lib. II. metam. fab. I.* aureum memorat:

- - - temo aureus *aurea ſummæ*
Curvatura rotæ.

HOMER. *Iliad. Lib. V. p. m. 96.* argenteum vocat:

Τοῦ δ' ἐξ ἀργύρεος ῥυμὸς πέλεν· αὐτὰρ ἐπ' ἄκρῳ
Δῆσε χρύσεον καλὸν ζυγὸν.
Ex ea autem exſtabat temo argenteus, *ſed ad ſummum*
ligavit aureum pulcrum jugum.

STATIUS denique *Lib. I. Sylv.* gemmis ornatum appellat:

- - - *lætamque vehens per nubila matrem,*
Gemmato temone *ſedet.*

Temo & gubernaculum hujus currus myſtici veritatis eſt *Spiritus* S. qui arctiſſimo vinculo cum verbo veritatis in œconomia gratiæ & regimine Eccleſiæ ex decreto Supremi Numinis connectitur. Jeſ. LIX, 21. Spiritus *meus qui eſt in te,* & verba *mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ex ore tuo & ſeminis imo ſeminis ſeminis tui usque in ſecula.* Quare optime *Spiritus veritatis* vocatur Joh. XIV, 17. & *Spiritus ſapientiæ* atque cognitionis, Jeſ. XI, 2. Et quando Spiritus eſt gubernaculum & temo, ſermones largiſſime promoventur, ad annunciandum Evangelium miſeris, Jeſ. LXI, 1. Spiritus vivificat verbum veritatis & effectus per illud producit ſalutares, 2. Cor. III, 6. 7. 17. 18. Act. XI, 15. Hic Spiritus eſt quaſi *temo quernus, æreus, aureus, argenteus,* ob conſtantiam ejus & robur æternum ac minime infractum. Jeſ. XI, 2. Spiritus roboris ac potentiæ. Per *verbum* enim Dei & *Spiritum* ejus plura Jehova erat executurus, quam per exercitus & poteſtates hujus mundi validiſſimas. Zach. IV, 6. Spiritus hic eſt Spiritus *gloriæ,* 1. Pet. IV, 14. qui luce glo-

Z riæ

riæ ſuæ illuſtrat Eccleſiam, Apoc. XXI, 23. et ejusdem radiis majeſtatis divinæ radiat, qua Pater & Filius, quare & *miniſterium Spiritus* hujus eſt gloria plenum 2. Cor. III, 8. illaque *exundat* v. 9.

X. b. Altera pars non minus notabilis in curru eſt *axis* ſeu baſis cui *capſa & ſella curulis* innititur, & qua ſuſtentatur illa. Qui erat vel ex *ligno* & faginus, ut canit VIRGIL. *Lib. III. Georg.*

Poſt valido nitens ſub pondere faginus axis.

vel erat *ferreus* quoque, qualem memorat HOMER. *Jliad. 5. p. 96.*

- - - ἀμφ' ὀχέεσσι θοῶς βάλε καμπύλα κύκλα
Χάλκεα ὀκτάκνημα σιδηρέῳ ἄξονι ἀμφίς.
Circa currus autem velociter poſuit rotundas rotas
Æreas, octo radios habentes, circa ferreum axem.

ſeu ferramentis muniebantur ejus extremitates, uti docet POLLUX *Onom. Lib. I. l. c.* Τὰ τῷ ἄξονι ἐγκείμενα σιδήρια, καὶ τρεβόμενα ὑπὸ τῆ τροχῆ, ἐυραί. *Ferramenta axi impoſita, quæ teruntur à rota, nominantur euræ.* Aureos axes notat etiam PRUDENT. *in Pſychomach:*

Et ſolido ex auro *pretioſi ponderis* axem.

& OVIDIUS canit: *aureus axis erat. Axis* ergo ut ſcribit EUSTATH. ad *Homer. l. c.* eſt ὁ εἰς τὰς χοινικίδας ἐμβαλλόμενον ἑκατέρῃ τροχῆ. *Illud, cujus extremitates modiolis utriusque rotæ inſeritur.* Et ſuper quo ceu fulcro totum pilentum & ſella quaſi innititur, quare VIRGIL. *l. c.* axin *ſub validopondere nitentem* deſcribit, & JUVENAL. *Sat. III.* canit:

- - - *qui ſaxa lyguſtica* portat,
Axis.

conf. etiam SCHEFFER. *de re vehic. Lib. I. cap. V. p. 35. ſq.*

Axis ergo commode ſymb. eſſe poteſt meritorum Salvatoris noſtri, ejusque *juſtitiæ æternæ*, quæ fundamentum eſt totius veritatis Evangelicæ ejusque præconii. Juſtitia Chriſti eſt fundamentum annuntiationis ſalutis. *Si Chriſtus non reſurrexit*, adeoque juſtitiam æternam adduxit, *fruſtranea eſt fides noſtra, & omnes* in fide hujus meriti *mortui periere*, teſtatur Paulus 1. Cor. XV, 17. 18. imo præconium Apoſtolorum fruſtraneum & teſtimonium falſum fuiſſet, v. 14. 15. juſtitia fulcrum throni

throni Meſſiæ eſt & ſellæ ipſius regiæ, adeoque totius regiminis Eccleſiæ, Pſ. XLV, 8. LXXXIX, 15. XCVII, 2. Jeſ. XI, 4. XVI, 5. &c. et præcones Evangelii ideo vocantur *præcones juſtitiæ*, 2. Cor. XI, 15. 2. Petr. II, 5. et Chriſtus ipſe inſidens huic axi, vocatur Rex juſtitiæ, Hebr. VII, 2. et qui pugnat in juſtitia ſua, Apoc. XIX, 11. Hæc *juſtitia* Chriſti eſt quaſi axis *ferreus*, *æreus* & ex *auro ſolidi ponderis*, quia eſt juſtitia *æterna*, Dan. IX, 24. quæ nititur divinitate ejus infallibili & eſt juſtitia Dei, qui eſt אל גבור Deus *fortis* ac robore immenſo præditus, Jeſ. IX, 6. in quo populus ejus deprehendit *juſtitiam & robur*, Jer. XLV, 23. 24. & juſtitia hæc eſt *ponderis* ac momenti maximi, quia eſt divina filii Dei, & ſine ea nulla nobis unquam ſalus exſpectanda eſt, Act. IV, 12. Pſ. XVII, 15. 1. Timoth. VI, 11. 2. Timoth. IV, 8.

XI. C. Pars denique tertia principalis ſunt *rotæ* currus, quarum in ſacris mentio occurrit frequentiſſima. *Rotas* curruum Ægyptiorum confudit Jehova, Exod. XIV, 25. præcipue iis *ſtrepitus* tribuitur, Jer. XLVII, 3. *a commotione curruum ejus & ſtrepitu rotarum*, Nah. III, 2. *Sonus flagelli & ſonus commotionis rotæ, & equi plaudentis curruſque ſalientis.* rotis enim currus celerrime agitabatur. Huc reſpicit PLAUT. *in Perſ. Act. III. ſc. 3.*

> - - *citius jam a foro argentarii*
> *Abeunt, quam in curſu rotula circumvertitur.*

& SOPHOCL. *in Elect.*

> Ἄθλοισι πυθικοῖσιν ἐκ τροχηλάτων,
> Δίφρων κυλισθεὶς.

uti & NONN. *Dionyſ. Lib. 37.*

> Ἅρματα δ' εὐποίητα θοώτερα θυάδος ἄρκτου,
> Ἄλλοτε μὲν πεπότητο μετάρσια.
> *Currus bene fabricati celeriores furente urſa,*
> *Interdum volabant ſublimes.*

& HESIOD. *Scut. Herc. 308. v.*

> - - - τὰ δ' ἐπικρατέοντα πέτοντο,
> Ἅρματα κολλήεντ' ἐπὶ δὲ πλήμναι μέγ' ἀΰτευν.

Illi autem ſaltantes volabant currus
Compacti, rotarum*que modioli valde reſonabant.*

Unde ORPHEUS *ἅρμα ταχύδρομον currum celerrime currentem* memorat. Erant vero rotæ vel *ſex* vel etiam *octo radiorum.* Teſtatur hoc *Scholiaſtes* PINDARI *in Pyth. ad 2.* Κνήμη, inquit, *ἐςὶν ἡ τȣ̃ τροχȣ̃ ῥάβδος, ἡ διήκȣσα ἀπὸ τῆς χοινικίδος ἐπὶ τὸν κύκλον· οἱ δὲ ἁρμάτειοι τροχοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἑξάκνημοὶ εἰσιν. οἱ δὲ τῶν Θεῶν, δἰ ὑπερβολὴν κόσμȣ παρὰ τῷ Ὡμήρῳ ὀκτάκνημοι λέγονται. Cneme ſeu radius eſt rotæ baculus procedens a modiolo ad orbem. Vehicularia autem rotæ hominum habent radios ſex. Deorum vero decoris quadam excellentia ab Homero dicuntur octoradiatæ.* Erant vero rotæ vel *ligneæ,* quales memorantur apud HOM. *Iliad. IV. p. 74.*

Ἐξεταμ᾽ ὄφρα ἴτυν κάμψῃ περικαλλέϊ δίφρῳ.
Excidit (populum) *ut orbem rotæ flectendo conficiat pulcro currui.*

vel argenteis radiis præditæ i. e. argento obductis, unde OVID. *Lib. II. metam.*

- - - aurea ſummæ
Curvaturæ rotæ, radiorum argenteus ordo.

vel etiam æreas rotas ſubjiciebant currui, quare HOMER. *Lib. V. v. 96.* canit:

Ἥβη δ᾽ ἀμφ᾽ ὀχέεσσι θοῶς βάλε καμπύλα κύκλα,
Χάλκεα ὀκτάκνημα σιδηρέῳ ἄξονι ἀμφὶς.
Hebe autem circa currus velociter poſuit rotundas rotas
Æreas, octo radios habentes, ferreum axem circa.

Rotæ hujus currus myſtici ſunt *Magiſtratus* politici, qui veritatem ſuſtentant & promovent. Sunt etenim nutricii Eccleſiæ ac nutrices ejus, adeoque lac veritatis præbent liberis ac ſoboli Eccleſiæ, Jeſ. XLIX, 23. Alias quoque inſtar muri ac turris civitatis conſiderantur magiſtratus Chriſtiani, Pſ. XLVIII, 13. 14. Sunt columnæ terræ, Pſ. LXXV, 3. præfigurati per columnas 7 domus illius myſticæ à Sapientia ſuprema erectæ, Prov. IX, 2. & argenteas columnas thalami, quem ſibi paravit Salomo, Cant. III, 10. Illis utitur Jehova tanquam inſtrumentis, quibus verbum veritatis ejusque ſonus ſeu præconium

quam celerrime promovendum fulciatur; uti docuit experientia tempore Conſtantini, quando Reges gentiles Chriſtiani facti, & verbum Evangelii quam celerrime & longiſſime promoverunt. Quidam ceu rotæ ligneæ minori, quidam ceu æreæ & argenteæ majori zelo ac Spiritus S. menſura prædititi ſunt Principes terræ. Quod quidam currus eſſent *biroti*, quidam *quatuor* rotarum, vel ad Principes terræ V. & N. T. vel ad Principes quatuor orbis partium referri apte poteſt.

XII. 6. *Jumenta* ſeu *animalia*, quibus currus trahebantur apud Veteres diverſiſſima fuere. In ſcriptis ſacris frequentiſſime memorantur *equi*. Tales erant in curribus bellicis Pharaonis, Exod. XIV, 9. 23. & Regis Iſraëlis, 2. Reg. VII, 11. 12. veluti & in curru illo myſtico equi varii coloris memorantur in viſione prophetica Zach. VI, 1-5. Memorantur quoque *boves* in plauſtris, conf. Num. VII, 6. 7. & *vaccæ*, 1. Sam. VI, 7. 8. Apud veteres vero gentes curribus jungebantur præcipue bellicis *equi*. Unde HOMERUS *Iliad. Lib. X. p. 190.* canit:

> Τȣ̃ δὴ καλλίςȣς ἵππȣς ἴδον, ἠδὲ μεγίςȣς.
> *Λευκότεροι χιόνος θέειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.*
> *Hujus pulcherrimos equos vidi & maximos,*
> *Candidiores ſunt nive, ad currendum autem ventis ſimiles.*

Quales & memorat TIBULL. *L. I. el. I.*

> *Portabit niveis currus eburnus equis.*

POLLUX. *Onomaſt. Lib. I. Cap. X.* *Λίβυες δὲ καὶ ἀπὸ δίφρων καὶ ἵππων ἐπιζευγμένων, ὥσπερ οἱ Ὁμήρȣ ἥρωες, μάχονται.* *Afri vero de curribus equisque junctis, ſicut & Homeri heroës, pugnant.* *Boves* quoque illis juncti memorantur apud *eundem Lib. I. cap. X.* *χρεία δ' εἰς τȣ̀ς πολέμȣς, σκευοφόρων μὲν ὄνων, ἐπισκευαζομένων δὲ βοῶν ὑφ' ἁμάξαις.* *Ad bellum vero opus eſt arma ferentibus aſinis, bobus ad currus præparatis.* Præcipue plauſtris jungebantur, uti docet Cel. SCHEFFER. *l. c. p. 80.* & ex *L. Peto* ectypon plauſtri cum bobus exhibet *p. 77.* HELIODORUS quoque *Lib. III.* memorat boves albos, qui currum trahebant. *Muli* quoque haud raro adhibebantur apud

 Hebræos

Hebræos, ita in *Cholin fol. 79.* dicitur אי מעיילת לי כודנייתא בריסבק *Si attuleris mihi mulos ad currum.* Et apud Græcos, teſte HOMER. *odyſſ. Lib. VI.*

> Ἀλλ᾽ ἄγ᾽ ἐπότρυνον πατέρα κλυτὸν ἠῶθι πρὸ
> Ἡμιόνους καὶ ἅμαξαν ἐφοπλίσαι, ἥκεν ἄγησι.
> *Sed age incita Patrem inclytum matutino tempore*
> *Mulos & currum apparare, qui vehere queat.*

Cameli, elephantes, & leones curribus juncti memorantur apud profanos auctores, de quibus vide quæ congeſſit Doctiſſ. SCHEFF. *l. c. Lib. I. cap. IX.* Illuſtrare hæc poſſemus ex variis nummis, in quibus currus apparent, quibus juncti equi, & quidem in pluribus vide GOLZ. *Faſt. Magiſtr. & Triumph. p. 96. 115.* &c. OISEL. *Imper. Rom. Tab. XCI. n. 8. 9. 11. 12. Tab. XCII. n. 1. 2. 5. 9.* &c. BEGER. *Theſ. num. Imp. Tab. XLVI. n. 10. 14. Tab. LIII. n. 19. 22. Tab. LV. n. 16. ſq. Muli* apparent apud BEGER *l. c. Tab. XLIII. n. 21.* OISEL. *l. c. Tab. XCVIII. n. 4. 5. 6. Elephanti* conſpiciuntur apud BEGER. *Tab. XLIII. n. 22. Tab. XLIV. n. 5.* &c. OISEL. *Tab. XCII. n. 6. Tab. XCVIII. n. 1. 2. 3. Leones* obſervabis apud BEGER. *Tab. XLIII. n. 23.* &c.

Jumenta currui juncta eumque protrahentia ſuaviſſimum *Doctorum* ac *Præconum* veritatis ſymb. ſunt. Utpote qui Regem ſuum ac Ducem, Salvatorem, curru Evangelii per præconium in longiſſimas quoque telluris oras provehunt. Similes illi ſunt *bobus*, quare non ſolum Judæorum Doctores carnales comparantur cum *tauris opimis*, Pſ. XXII, 13. Pſ. LXVIII, 31. Sed & veri Doctores Evangelii, docente Apoſtolo 1. Cor. IX, 9. 1. Tim. V, 18. utpote laborioſi maxime in opere Domini & agricultura ſpirituali, 1. Cor. III, 9. Similes ſunt *equis*, quibus adducuntur primitiæ ex gentibus, Jeſ. LXVI, 20. Sunt *equi decoris* Jehovæ, quos diſpoſuit ad bellum, Zach. X, 3. *Equi illi*, quorum *tintinnabulis* inſcriptum: ליהוה קדש Zach. XIV, 20. heroico ac generoſo animo præditi, *hinnientes* zelo gloriæ divinæ, verbum veritatis celerrimo effectu & præconio ubique manifeſtant. Sunt inſtar mularum labore quaſi perpetuo defatigatarum. Præfigurati per aſini pullos, quos Meſſias alligaturus erat viti Eccleſiæ Judaicæ, Gen. XLIX, 11. Sunt inſtar *elephantum*, *leonum* atque *camelorum*, ob *robur* eorum, *majeſta-*

majeſtatem & *zelum* propagandæ veritatis, quem ubique in præconio Evangelii produnt.

XIII. 7 Addebatur autem equis *auriga*, qui vel ipſe erat ille qui currui inſidebat, eoque vehebatur, vel alius adſtans, & qui *habenas* equorum aliorumve animantium flectebat ac dirigebat in curſu. *Aurigas* in circo, quales fuerint, factiones & greges eorum, ex auctoribus plurimis & inſcriptionibus illuſtrat ONUPHR. PANVINIUS *de ludis circenſibus Lib. XI. C. XI. & XII. p. m. 58. ſq.* De aurigis in curribus bellicis HESIOD. *in Scut. Hercul.* canit:

- - - ἐυπλεκέων δ' ἐπὶ δίφρων
Ἡνίοχοι βεβαῶτες ἐφίεσαν ὠκέας ἵππες.
Bene junctis autem curribus aurigæ ſtantes
Immittebant equos veloces.

EUSTATH. ad *Iliad. III.* diſtinguit inter παραβάτην καὶ τὸν ἡνίοχον *adſcenſorem currus & aurigam*, quare & currus δίφρος dicitur, quia duos fert, uti idem obſervat Scholiaſtes. Auriga habenas flectere ſolebat equorum & currum dirigere, unde OVID. in *ep. ad Piſon.*

Sic auriga ſolet ferventia Theſſalus ora,
Mobilibus frænis in aperto flectere campo.

Et ÆLIAN. *Lib. IV. hiſt. var. cap. 18.* καὶ ἀνήγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἅρμα ὁ νέος Διονύσιος, αὐτὸς μὲν ἡνιοχῶν, παραιβάτην δὲ ποιησάμενος τὸν Αρισώνος. *Et ſuſtulit eum in currum Dionyſius junior, ipſe habenas regens, Ariſtonis vero filium faciens ſeſſorem.* Simili ratione auriga habenas flectens & ſeſſor diſtinguuntur apud HOMER. *Iliad III. p. 56.*

Ἀν δ' ἄρ' ἔβη Πρίαμος, κατὰ δ' ἡνία τεῖνεν ὀπίσσω,
Πὰρ δὲ οἱ Ἀντήνωρ περικαλλέα βήσατο δίφρον.
Et aſcendit Priamus habenasque extendebat retrorſum,
Apud ipſum autem Antenor perpulchrum currum aſcendit.

Similiter *Iliad. XI. p. m. 202. & p. 205.* nec non *odyſſ. Lib. IV. p. 38.*

Ἂν δ' ἄρα Τηλέμαχος περὶ καλλέα βήσατο δίφρον
Πὰρ δ' ἄρα Νεσορίδης Πεισίςρατος ὄρχαμος ἀνδρῶν
Ἐς δίφρον τ' ἀνέβαινε, καὶ ἡνία λάζετο χερσὶ,

Telema-

Telemachus certe perpulchrum conſcendit currum,
Juxta eum vero Neſtorides Piſiſtratus dux virorum
In currumque aſcendit, & habenas cepit manu.

Nummi quoque varii cum auriga & ſeſſore obvii ſunt, vide SCHEFFER. *l. c. p.* 73.

Auriga currus myſtici veritatis eſt *Spiritus S.* qui Ezech. X. conſideratur inſtar venti, quo agitabantur rotæ currus illius prophetici. Ille diſtingui commode poteſt a *ſeſſore*, qui eſt *Filius Dei*, Dux exercitus Jehovæ. Et ſane Spiritus S. eſt, qui equos majeſtatis i. e. Doctores N. T. Apoſtolos præcipue agebat, ad verbum veritatis celerrime promovendum. Viri enim Dei a Spiritu S. apti reddebantur ad hocce munus. Egregie huc quadrant verba Apoſtoli 2. Pet. I, 21. Οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπε ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίε φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι Θεῦ ἄνθρωποι. *Agitati homines Dei* (inſtar equorum currui Evangelii junctorum) verbum veritatis promoverunt. Ita in die Pentecoſtes omnes impleti Spiritu S. eoque agitati eloquebantur μεγαλεῖα τῦ Θεῦ cum effectu maxime ſalutari, Act. II, 4. in ſpecie Petrus ad Judæos verba veritatis producens, Act. IV, 8. et πρωτομάρτυρ ille Stephanus, Act. VI, 5. 10. VII, 51. Sæpe Spiritus S. eos rapit in alienas terras, ut & in illis veritatis curru Salvatorem mundi exhibeant, qualem rapuit olim Philippum, Act. VIII, 39. Barnabas & Paulus ſimiliter Spiritu acti verba ſalutis prædicabant, Act. XI, 24. XIII, 9. Sæpe quoque equos hoſce animoſos quaſi habenis retrahebat auriga hic myſticus, e. g. quum Paulo & Silæ currum Evangelii in Bithyniam protracturis non licebat progredi, ὅτι ὐκ εἴασεν αὐτὺς τὸ πνεῦμα, *non enim permittebat ipſis Spiritus. Scutica* quaſi & *flagello* ac *ſtimulo* conſcientiæ & convictionis interno eos agitat, incendit & propellit Spiritus S. Rom. IX, 1. XV, 13. 1. Cor. II, 4. 1. Cor. XII, 8. 2. Cor. II, 13.

XIV. 8. Sed USUS quoque quam plurimos curruum apud Veteres propius luſtremus, quorum potiores adducemus.

a. Curruum uſus primus & domeſticus fuit ad graviora onera vehenda, & opes atque bona ex diſſitis regionibus advehenda. Quod genus curruum ἅμαξα ſive *plauſtrum* dicebatur. Tales erant currus

ſeu

ſeu plauſtra ſex camerata principum Iſraëlis, quibus oblationes ſuas offerebant, Num. VII, 3. & plauſtrum quo arca Jehovæ deducebatur ex caſtris Philiſtæorum & domo Dagonis, 1. Sam. VI, 7. 10. Eo alluditur Amos II, 13. vel ex cod. Hebr. 10. *Ecce ego preſſurus ſum locum veſtrum, quemadmodum premit plauſtrum, quod plenum eſt manipulis.* ISIDORUS quoque ſcribit: *Plauſtrum vehiculum duarum rotarum, quibus onera deferunt.* AMMIAN. *Lib. XXXI.* de plauſtris Scythicis teſtatur: *Supellectiles plauſtris impoſitæ ſunt corticibus tectis, & cum placuerit, ſine obſtaculo migrant, eadem carpenta, quo libuerit, convolventes.* Huc reſpicit VIRGIL. *Lib. II. Georg.*

- - - nec ullo ex litore cernes
Plura domum tardis decedere plauſtra juvencis.

& *Lib. XI. Æneid.*

Nec plauſtris ceſſant vectare gementibus ornos.

SENECA *in Hippol. Act. I. v. 75.*

- - - fertur plauſtro
Præda gementi; tum roſtra canes
Sanguine multo rubicunda gerunt.

Currus hi vocantur קרונות apud Rabbinos. R. SALOMO ſcribit ad Jeſ. III, 17. ורחץ בקרונה של צפורי *Et lavit ſe in curribus Siporii.* i. e. tempore mercatus publico, quando accedebant omnes curribus ad mercatum. *Megill. fol. 52.* conf. BUXT. *Lex. Talm. p. 2141.* & in *Ketub. fol. 15. curruum commeantium* quoque mentio fit, teſte eodem. Currus ſeu plauſtra oneraria exhibet in effigie ſæpius laudatus SCHEFF. *p. 246. 123.* & alibi.

Simile eſt verbum veritatis *plauſtro onerato* variis bonis & divitiis. Primitiæ ex gentibus converſis tanquam munus ac oblatio curribus & pilentis hiiſce myſticis erant adducendæ ad montem ſanctitatis Jehovæ, Jeſ. LXVI, 20. id quod explicat Apoſtolus egregie Rom. XV, 16. ſcribens: *Ad hoc, ut ſim miniſter Jeſu Chriſti apud Gentes, operans Evangelio Dei, ut oblatio gentium fiat accepta, ſanctificata per Spiritum S.* Verbum Evangelii pretioſos continet theſauros meritorum Salvatoris noſtri, qui per præconium Evangelii advehuntur credentibus. Exprimit hoc idem Apoſtolus eleganter Rom. XV, 29. *No-*

vi autem, quando venero ad vos, quod ſim venturus ἐν πληρώματι εὐλογίας τοῦ εὐαγγελίου τοῦ χριστοῦ *cum plenitudine* (quaſi plauſtro onerato) *benedictionum Evangelii Chriſti.* Eſt enim Evangelium beatitudinis noſtræ Eph. I, 13. quo advehuntur nobis opes pacis ſalutares Eph. II, 17. Per præconium Evangelii theſauri omniſufficientiæ Mediatoris omnibus etiam longinquas regiones incolentibus offeruntur atque adducuntur. conf. Jeſ. XLV, 22. LV, 1. 2. Matth. XI, 28. 29. divitiæ immenſæ & imperſcrutabiles nobis exhibentur per illud, Eph. II, 7. III, 8. Col. I, 27.

XV. b. Alter uſus curruum erat in *itineribus* faciendis, quale curruum genus *eſſedum* ſeu *rheda* ſeu *carpentum* dicebatur; Græc. κάρπεντον ſ. ἀπήνη ſ. πέτοριτον. Hebr. ſ. Rabbini eos vocant צִיבִים vide BUXT. *Lex. Talm. p. 1907.* Tales erant currus, quos Jacobo ejusque familiæ obvios miſit Joſephus, Gen. XLV, 19. 27. & Eunuchi Æthiopis, Act. VIII, 28. De tali curru canit HORAT. *Lib. II. ſat. 6.*

- - - quem tollere rheda
Vellet iter faciens.

et CICERO pro *Roſc.* dicit: *Decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia paſſuum ciſiis pervolavi.* nec non AUSON. *ep. 8.*

Cornipedes rapiant impoſta petorrita mulæ,
Vel ciſio trijugi, ſi placet, inſilias.

et XIPHILINUS *in Adriano* ſcribit: Οὐδ᾽ ἔστιν ὁπότε οὔτε ὀχήματος τότε γε, οὔτε τετρακύκλου ἐπέβη. *Nunquam in illo itinere, nec currum nec rhedam conſcendit.* nec non LUCIAN. *in Dial. Sol. & Jov.* Ἀναβιβασάμενος ἐπὶ τὸ ἅρμα, ὑπεθέμην, ὅπως μὲν χρὴ βεβηκέναι αὐτόν. *In currum impoſitum monui, quo pacto oporteret inſiſtere via.* & APOLLON. *Argon. L. III.*

Δὴ τότ᾽ εὐτροχάλοιο κατ᾽ αὐτόθι βήσατ᾽ ἀπήνης,
Tunc autem conſcendit illic eſſedum quam celerrime currens.

Talis quoque currus eſt verbum veritatis, utpote quo Chriſtus Salvator mundi in longinquas & diſſitas regiones vehitur, ibique dominatur. Per præconium veritatis dominatur a mari uno ad alterum, & a flumine ad fines terræ, Pſ. LXXII, 8. In totam usque terram

prodit

prodit delineatio ſermonis hujus, imo prodit in extremitates orbis habitabilis verbum ejus, Pſ. XIX, 5. Ab ortu ſolis ad occaſum nomen hoc deferetur ad gentes, Mal. I, 11. Pſ. CXIII, 3. Egregie huc quadrat locus Jeſ. LIX, 19. *ut ab occaſu revereantur nomen Jehovæ, & ab ortu ſolis gloriam ejus, quando veniet inſtar fluvii coarctati, agitati a vento Jehovæ.* triumphat hac ratione verbum veritatis quovis loco, 2. Cor. II, 14. Et Evangelium illud, cujus Paulus factus erat miniſter, prædicandum erat omni creaturæ ſub cœlo, Col. I, 23. conf. Rom. X, 18. Verbum quoque veritatis, in ſpecie promiſſiones ejus, ſunt currus, quo devehimur per deſerta hujus mundi in patriam cœleſtem; eſt enim fulcrum cui innitimur, ambulantes per vallum umbræ mortis, Pſ. XXIII, 4. Niſi hæ fuiſſent ſolatium, periiſſemus cum Eccleſia, in deſertis hujus mundi aviisque vallibus, Pſ. CXIX, 92. Pſ. XCIV, 19. Jer. XV, 16.

XVI. c. Tertius curruum uſus *recreationi* inſerviebat, quales præcipue erant currus *camerati*, vti dicebantur, quibus vehebantur *mulieres, virgines* atque viri in *feſtis*, aut etiam temporibus lætis, ad recreandum animum & capiendas delicias tempeſtatis, qui currus maxime erant exornati. De his niſi fallor, loquitur HERODOT. *Lib. I.* Πολλαὶ καὶ ȣ̓κ ἀξιευμέναι ἀναμίσγεσθαι τῇσι ἄλλῃσι διὰ πλȣ́τῳ ὑπερφρονέȣσαι ἐπὶ ζευγέων ἐν καμαρῄσι ἐλάσασαι. Quod ex verſione Vallæ ita ſonat: *Cæterum cum pleræque ſint divitiis tumentes, quæ ſui copiam facere recuſent, hæ vehiculis cameratis vectæ.* ſimiliter ATHENÆUS *Lib. IV. cap. 7.* Τῶν δὲ παρθένων αἱ μὲν ἐπὶ κανάθρων καμαρωτῶν ξυλίνων ἁρμάτων φέρονται, πολυτελῶς κατεσκευασμένων. *Virginum vero nonnullæ canathris* (curribus Laconicis) *vectæ*, i. e. *curribus ligneis cameratis, magno ſumtu & pretioſo exornatis.* Quare & LIVIUS *Lib. V. cap. 25.* ſcribit: *Grata ea res, ut quæ maxime, Senatui fuit, honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad ſacra ludosque, carpentis feſto profeſtoque uterentur.* Quo refer etiam locum XENOPH. *Lib. III.* κυροπαιδ. ἀναβάντες ἐπὶ τὰς ἁρμαμάξας σὺν ταῖς γυναιξὶν. *Aſcendebant barmamaxas una cum uxoribus ſuis.* Talis erat currus, quo

vehebatur Naſicaa, quum ad lavacra fluvii veheretur, de quo HOMER. *Odyſſ. VII. p. m. 80.*

Οἱ μὲν ἐκτὸς ἅμαξαν ἐΰτροχον ἡμιονείην,
Ὅπλεον, ἡμιόνους δ᾽ ὕπαγον, ζεῦξάν δ᾽ ὑπ᾽ ἀπήνῃ.
Illi quidem extra currum velocem maxime agilem
Inſtruebant, mulos vero ſubegerunt, junxeruntque ſub curru.

Talis currus eſt verbum Evangelii, ſuper quo vehitur Meſſias æque ac filii ejus cum ipſo in ſolio ſedentes. Meſſias maxime delectatur, ſi celerrime curru Evangelii vehitur. Ipſe enim non ſolum qua mediator de ſe teſtatur Pſ. XL, 8. *Ecce venio, in volumine Libri de me ſcriptum eſt. Facere voluntatem tuam Deus mi delector, & lex tua in viſceribus meis eſt. Prædico juſtitiam in congregatione maxima.* Pſ. XL, 8. 9. 10. Sed & delectatur in eo, quando equis majeſtatis ſuæ vehitur, & populi ſui zelum quaſi luſtrat. Comparatur hanc ob cauſam capreæ aut *hinnulo cervorum, currenti in montibus Bether*, Cant. II, 17. eique acclamat Sponſa Cant. VIII, 7. *accurre, dilecte mi, & ſimilis eſto capreæ aut hinnulo cervorum in montibus aromatum*, ſc. in iis maxima cum lætitia exſultanti. Præfiguratus hac in re Meſſias erat per Salomonem, qui lecticas ſeu curules ſellas pretioſas confici juſſerat, in quibus delectationis cauſa veheretur; ad quas reſpicitur Cant. III, 9. 10. Fideles quoque ſummas in hujus veritatis ſcrutinio ac communione delicias capiunt, quando hoc curru quaſi vehuntur & promiſſionibus divinis elevantur ex pulvere tentationum; tunc lætantur, jubilant, exultant. Hoc eſt *ambulare in luce Jehovæ*, Jeſ. II, 5. quod fiet, quando doctrina & verbum Jehovæ inſtar currus ex Hieroſolymis & Zione prodibit v. 2. 3. h. cap.

XVII. d. Currus porro antiquis ſummæ *dignitatis* indicia erant; erant enim vehicula, quibus vehebantur *Reges* & Summi *Magiſtratus*. Diſcimus hoc exemplo Joſephi, qui proximus a Rege futurus, inſidebat *currui Regis ſecundo*, coram quo flectenda genua, quia Rex ipſum toti Ægypto præfecerat ceu ſecundum a Rege, Gen. XLI, 23. quo curru Patri obviam proficiſcebatur, cap. XLVI, 29. *Regi* Iſraëlis ex ſtatutis regiis *currus* competebat, 1. Sam. VIII, 11. qualem & Abſalon cum regnum affectaret ſibi confici juſſit, 2. Sam. XV, 1. uti Adonia quo-

que

que dicens: *ego regnaturus ſum*, paraverat ſibi *currum* & equites, 1. Reg. I, 5. Plures quoque currus Salomo habebat, 1. Reg. X, 26. Naaman quoque Princeps Syrorum curru ſplendido utebatur, 2. Reg. V, 9. nec non Joram & Achaſia, 2. Reg. IX, 21. Quo reſpicitur Jer. XVII, 25. *principes ſedentes ſuper ſolium Davidis, vecti curribus*. Cap. XXII, 4. conf. & Jer. XLVI, 9. Act. VIII, 28. nec non Jeſ. XXII, 18. ubi מרכבות כבוד *curricula gloriæ* memorantur. Et apud Rabbinos *Bereſch. Rabb. ſect. 8.* משל למלך ואיפרכים שהיו בקרונין *Similis eſt regi & Eparcho, qui vehuntur curru.* Ita AMMIANUS *Lib. XVI.* de Conſtantino: *Inſidebat aureo ſolus ipſe carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum, quo micante lux quædam miſceri videbatur alterna.* LAMPRIDIUS quoque *Cap. XXIX. gemmata vehicula & aurata* Heliogabali Imperatoris memorat. Magiſtratus Romanorum *curru* ad curias vehebantur. Ita ÆL. LAMPRIDIUS *in Alex. Severo. cap. 43. Carrucas Romæ & Senatoribus omnibus rhedas ut argentatas haberent, permiſit.* Ita apud GRUTER. *in Inſcript. antiq. f. CCLXXVII.*

QUOTIESCUNQUE. IN. SENATUM. IRET
CURRU. VEHERETUR. AD. CURIAM. &c.

Unde & *Lex Cod. Theod. de honoratorum vehiculis Lib. XIV. t. XII. Omnes honorati ſeu civilium ſeu militarium dignitatum VEHICULIS DIGNITATIS ſuæ, id eſt carrucis bijugis intra urbem ſacratiſſimi nominis ſemper utantur.* Similiter XENOPHON *Lib. VIII. Cyrop.* ἐπὶ δὲ τέτοις, ἤδη αὐτὸς ἐκ τῶν πυλῶν πρȣφαίνετο ὁ Κῦρος ἐφ ἅρματος, ὀρθὴν ἔχων τὴν τιάραν. *Poſt hæc vero ipſe Cyrus in conſpectum prodibat ex portis ſuper currum, rectam habens tiaram.* Ita & VIRGIL. de rege Latino *Lib. XII. Æn.*

- - - *ingenti mole Latinus*
Quadrijugo vehitur curru.

conf. etiam ex nummis id demonſtrantem SPANHEM. *in diſſ. de Numm. præſt. & uſu, p. m. 613. ſq.* & quæ adducit præter SCHEFFERUM Doct. SCHULZE *in diſſ. cit. p. 21. ſq.*

Verbum veritatis quoque currus eſt regius, exhibet enim *Regem Zionis* Pſ. II, 6. Quare Zach. IX, 9. 10. auditur vox: *Exulta o filia*

Zionis, clange filia Hieroſolymæ: Ecce Rex tuus appropinquabit juſtus & Salvator, pauper, aſt inſidens aſino & pullo aſinæ. Nam exſcindam currus ex Ephraim & equos ex Hieroſolymis. Exhibet illud Jehovam vindicem, Legislatorem & Regem, qui ſalvaturus eſt populum ſuum, Jeſ. XXXIII, 22. Acclamat nobis: *Ecce Deus veſter, ecce Dominus Jehova, cujus brachium eſt dominaturum,* Jeſ. XL, 9. 10. cujus ſub pedibus omnes ſubjiciendi populi, Pſ. CX, 1. cujus in femore nomen legitur inſcriptum: *Rex Regum, Dominus dominantium* Apoc. XIX, 16. Imo per verbum veritatis quoque regiam dignitatem exſerit Meſſias, illius ope veluti ſceptro ſubjiciet gentes, iisque dominabitur, Pſ. CX, 2. per illud dominatur a mari ad mare & ad fines terræ, Pſ. LXXII, 8. hoc dominatur inter gentes, Pſ. XXII, 29. brachio ſuo (quod ſymb. eſt veritatis ac ſpiritus) dominabitur, Jeſ. XL, 10. Sedens in throno ſuo, dominabitur verbo veritatis, Zach. VI, 13.

XVIII. e. *Doctorum* quoque & *Sacerdotum* currus memorantur apud antiquos. Apud Judæos Doctores honoratiores curru utebantur. Sic in *Taanith. fol. 31.* ביומא דעיבא מפקי ליה בגוהרקא דדהבא *In die nubiloſo efferebant eum in ſella aurea,* quod dein explicant de ſella in curru ſuſpenſa, quali utuntur Reginæ, teſtante BUXTORF. *in Lex. Talm. p. 397.* ubi ſimul legis ex METSIA *fol. 73.* מעייל להו בגוהרקא דרבנא *impoſuit eum in currum Doctoris;* & *fol. 85.* גוהרקא דרבי חייא *currum R. Chajæ* memorant. Similiter apud Gentes *Sacerdotes* curru vecti leguntur. Ita de Chariclia, Sacerdote Dianæ ſcribit HELIODOR. *Lib. III.* ἤγετο μὲν γὰρ ἐφ' ἁρμαμάξης ἀπὸ συνωρίδος λευκῆς βοῶν ὀχουμένη. *Vehebatur in carpento, quod jugum boum album trahebat.* Et de Matre Cleobis, Sacerdote Junonis HERODOT. *Lib. I.* ſcribit: ἔδεε πάντως τὴν μητέρα αὐτῶν ζεύγεϊ κομισθῆναι εἰς το ἱερὸν. Οἱ δὲ βόες ἐκ τοῦ ἀγροῦ οὐ παρεγίνοντο ἐν ὥρῃ. *Oportebat matrem eorum vehiculo juncto ire ad templum, boves vero ex agro in tempore non venerant.* Quare & TACIT. *Annal. Lib. XII.* ſcribit: *Suum quoque faſtigium Agrippina altius tollere, carpento Capitolium ingredi, qui mos, SACERDOTIBUS & ſacris antiquitus conceſſus, venerationem augebat fœminæ.* Et LIVIUS *Lib. I.* notat *ad Fidei ſacrarium flamines bigis, curru arcuato, vehi*

vehi juſſit conf. plura loca, quæ adducit *Doctiſſ. Criticus* LIPS. *in Tacit. Annal. L. XII. p. m. 199.* Addimus locum inſignem ex PAUSAN. *Achaic. Lib. VII. p. m. 433.* πρῶτα μὲν δὴ πομπὴν μεγαλοπρεπεστάτην τῇ Ἀρτέμιδι πομπεύουσι· καὶ ἱερουμένη παρθένος ὀχεῖται τελευταία τῆς πομπῆς ἐπὶ ἐλάφων ὑπὸ τὸ ἅρμα ἐζευγμένων. *Pompam Dianæ magnificentiſſimo apparatu transmittunt. In ea virgo, quæ* ſacerdotio *fungitur, poſtrema omnium bijugo* curru *a cervis tracto invehitur.*

Idem hicce currus myſticus Meſſiam nobis ſiſtit *Doctorem* & *Sacerdotem.* Exhibet ille nobis Prophetam illum magnum inſtar Moſis, ex fratribus Iſraëlis excitandum, Deut. XVIII, 15. In curru prophetarum demonſtratur tanquam Doctor Iſraëlis, Num. XXI, 18. Doctor ille abſconditus, Deut. XXXIII, 21. Doctor ille juſtitiæ, a Deo ipſo datus, Joël II, 23. In *curru veritatis N. T.* publice apparet tanquam Doctor inſignis, ſedens in medio Doctorum Judæorum, Luc. II, 46. tanquam Doctor ille a Deo miſſus, ſupereminens omnes reliquos, Joh. III, 2. qui viam Dei ſincere & vere docet absque προσωποληψία. Matth. XXII, 16. In eo curru V. & N. T. myſtico ſiſtitur & manifeſtatur tanquam Sacerdos Dei ſecundum ordinem Melchiſedech, Pſ. CX, 4. In ſpecie notandus eſt locus Zach. VI, 13. והיה כהן על כסאו & *erit Sacerdos in ſolio ſuo*, veluti in ſella curuli. Eſt *Sacerdos in æternum*, Hebr. V, 6. Sacerdos inſtar Melchiſedeci Dei altiſſimi, Hab. VII, 1. 3. 17. Per verbum quoque veritatis ſe *Doctorem* manifeſtat noſtrum, omnes enim filii Zionis ab ipſo erunt edocti, Jeſ. LIV, 12. Per hoc verbum ſcriptum erudimur ad ſalutem, 2. Tim. III, 15. Per hanc veritatem ſe ſacerdotem noſtrum demonſtrat, quum ſit verbum reconciliationis atque expiationis per ſanguinem ejus factæ, 2. Cor. V, 19. 20.

XIX. f. Pergimus ad currus *nuptiales*, ut ita dicam, quibus vehebantur *Sponſæ* veterum non ſine pompa eximia. Exprimit hunc ritum HESIOD. *in ſcut. Herc. v. 273.*

- - - τοὶ μὲν γὰρ ἐϋσσώτρου ἐπ᾽ ἀπήνης,
Ἦγοντ᾽ ἀνδρὶ γυναῖκα. πολὺς δ᾽ ὑμέναιος ὀρώρει.
Τῆλε δ᾽ ἀπ᾽ αἰθομένων δαΐδων σέλας εἰλύφαζε.

Alii

Alii ſiquidem fabrefacto in curru ducebant
Viro uxorem, multusque hymenæus excitabatur;
& procul ab ardentibus tædis fulgor reſplendebat.

ad quem locum ſcribit Cel. GRÆVIUS *p. m. 104. Nimirum ex more Græcorum, qui ſponſas ſellis inſidentes in currus imponebant, quibus ex parentum ædibus in mariti domum vehebantur.* vide LUCIAN. *in Lapithis*, & SUIDAM *in voc.* ζεῦγος. Eundem morem HOMER. *Odyſſ. VI. p. m. 79.* reſpicit ex parte, quando Nauſicaæ pulchrum & *contabulatum currum* tribuit, cujus nuptiæ inſtabant. Clarius exprimit LUCIAN. *in Conviv. Tom. IV. p. m. 379.* Καὶ ὁ νύμφιος δὲ ἀπήρετο εἰς τὴν οἰκίαν, ταινίαις κατειλημμένος τὴν κεφαλὴν ἐπὶ τὸ ζεῦγος ἀνατεθεὶς, ἐφ οὗ τὴν Νύμφην ἀπάξειν ἔμελλον. *At ſponſus domum revectus eſt faſciis revincto capite, eidem impoſitus vehiculo, quo ſponſam fuerat abducturus.* Quare & POLLUX *Onomaſt. Lib. III. cap. 3. p. m. 137.* ἐπὶ ζεύγοις δὲ αἱ νύμφαι, ὡς ἐπιτοπολὺ μετήεσαν. εἰ δὲ πεζῇ ἀφικνεῖται ἡ νύμφη, χαμαίποις ἐλέγετο. *Sed rheda plerumque transvehebantur Sponſæ. Si quæ autem pedibus tranſibat, humipes vocabatur.* conf. etiam DEMSTER. *ad Roſin. antiq. Lib. II. p. m. 248.* Plenius deſcribit SUIDAS *in voce* ζεῦγος, ita ſcribens: Ζεῦγος ἢ μονικὸν ἢ βοεικὸν ζεύξαντες τὴν λεγομένην κλινίδα, ἣ ἐςὶν ὁμοῖα διέυρῳ, τὴν τῆς Νύμφης μέθοδον ποιοῦνται. Παραλαβόντες δὲ αὐτὴν ἐκ τῆς πατρώας ἑςίας ἐπὶ τὴν ἅμαξαν ἄγουσιν ἐς τὲ τοῦ γαμοῦντος ἑσπέρης ἱκανῆς· κάθηνται δὲ τρεῖς ἐπὶ τῆς ἁμάξης Μέση μὲν ἡ Νύμφη ἑκατέροθεν δὲ ὅτε νύμφιος, καὶ ὁ πάροχος. *Poſtquam mulorum aut boum jugum junxerunt illi, quæ vocatur lectica, quæ ſimilis eſt biſellio, ſponſam accerſunt. Ipſam ex paterna domo curru deducunt veſperi. Tres autem in illo curru ſedent. Sponſa quidem media, utrinque & Sponſus & Parochus.* conf. plura apud PFEIFF. *in antiq. Græc. Lib. IV. cap. XV.*

Talis quoque currus eſt verbum Evangelii, utpote quo vehitur Sponſus æque ac ſponſa myſtica. Per veritatis hujus convictiones ſponſa deducitur & commovetur, ut exeat e domo paterna, & tranſeat in domum ſponſi cœleſtis, i. e. relicto ſtatu naturæ tranſeat in ſtatum gratiæ & communionis divinæ; per *fidem & in judicio* hæc deſponſatio fit

fit Hoſ. II, 19. 20. Ita in penetrale communionis interioris Jehovæ introducitur, Cant. I, 4. Huc alluditur egregie Jeſ. LXII, 7. *Ut quum ducit juvenis virginem, ita & ducent te filii tui* (tanquam parochi); *Deus tuus gaudio ſponſi cum ſponſa gaudebit tecum.* Petit quoque Eccleſia Pſ. XLIII, 3. *Mitte lucem tuam & veritatem tuam, ut illis deducar* (veluti vehiculo quodam) *ad montem ſanctitatis & tabernacula tua.* Veniet quoque ſponſus vectus verbo veritatis media nocte ultimis temporibus Matth. XXV, 6. coll. Zach. XIV, 7. In hoc curru ſponſus vectus inſignem ſuam gloriam manifeſtat. Præconio enim Evangelii maxima Sponſi majeſtas, divitiæ, gloria, amabilitas ceu in theatro ſplendidiſſimo animabus virginibus exponuntur, Cant. III, 11. Pſ. XLV, 3. Cant. I, 3. 16. Verbum ſalutis quoque medium eſt, quo aliquando ad æternam gloriam traducentur, Rom. I, 16. Pſ. CXIX, 105. Pſ. XXIII, 4.

XX. g. Curruum quoque inſignis uſus erat in *ludis circenſibus* ac certaminibus veterum, in quibus inter ingentem ſpectatorum multitudinem equis & curribus certabant; curule enim & equeſtre certamen in circo primarium fuiſſe docet ONUPHR. PANVIN. *in ſing. tract. de Lud. Circenſ. p. m. 39. cap. IX.* ubi ſimul docet, non ſolum bigis, ſed & trigis ac quadrigis uſos fuiſſe veteres in certamine circi. Ad metam præfixam vero vel equis vel curribus celerrima agitatione pergebant certantes. Sæpius horum ludorum mentionem injiciunt ſcriptores. HORAT. *Lib. I. Sat. I.*

Ut quum carceribus miſſos rapit ungula currus,
Inſtat equis auriga, ſuos vincentibus illum
Præteritum temnens extremos inter euntem.

Præcipue *Oda I.* HORAT. canit:

Sunt quos curriculo pulverem olympicum
Collegiſſe juvat, metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.

JUVENAL. *Sat. X.*

Quid ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis
Extantem, & medio ſublimem in pulvere circi?

 Unde

Unde & DIONYS. HALICARN. *Lib. VII fin.* ſcribit: *πρῶτος ἀγὼν ὁ τῶν τεθρίππων τὲ καὶ συνωρίδων καὶ τῶν ἀζεύκτων ἵππων ἐγίνετο δρόμος, ὥσπερ ἕλληνες τὸ ἀρχαῖον Ολυμπιάσι τὲ καὶ μέχρι τȣ̃ παρόντος. Primum certamen* (in circo) *erat quadrigarum & bigarum & equorum non junctorum curſus, ſicut apud Græcos olim in Olympiadibus usque ad hæc tempora.* Plura vide apud ONUPHR. *de lud. Circ. l. c.* SCHEFFER. *de re vehicul. Lib. II. cap. 13. p. 169. ſq.* PIER. *Hierogl. P. I. p. 463.* PAUSAN. *in Achaic. p. m. 366.* PASCHAL. *de Coron. p. m. 391.* Varii quoque nummi hos ludos & certamina exprimunt. Plurimos nummos cum circo & bigis ac quadrigis circenſibus exhibet OISEL. *Num. Imper. Rom. Claſſ. VI. Tab. XCVII.* tota, conf. *ejus comment.* ad hoſce nummos.

Talis quoque currus eſt verbum veritatis. Eleganter huc alludit Apoſtolus 1. Cor. IX, 23. ſq. *Hoc facio propter Evangelium: An ignoratis eos, qui in ſtadio currunt* (vel pedibus, vel equis vel curribus agitati velut in circo) *omnes quidem currere, ſed unum accipere præmium? ſic currite ut comprehendatis. Ego igitur ita curro, ut non in incertum.* Et in ſpecie notandus locus eſt inſignis, Hebr. XII, 1. 2. *Quum tanta nos circumſtet teſtium nubes,* (quaſi tot ſpectatores, nos incitantes; ſc. teſtes veritatis, qui jam curſum victores finierunt) *abjecto omni pondere & peccato ad nos circumcingendos proclivi, per tolerantiam propoſitum nobis ſtadium decurramus. Intuentes in fidei ducem ac conſummatorem Jeſum, qui loco gaudii propoſiti crucem ſuſtinuit, contemnens opprobria.* et denuo Phil. III, 12. 14. *Non quod jam* (metam. ſc.) *attigerim, aut conſummatus ſim, ſed celerrime perſequor, ut attingam, cujus rei cauſa etiam a Chriſto comprehenſus ſum. Unum autem ago, quæ a tergo ſunt obliviſcor, ad ea quæ in fronte ſunt, ſtudioſe contendens, ſcopum verſus feror, ad præmium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.* et curriculum hoc de præconio Evangelii explicat Gal. II, 2. *Aſcendi autem ex mandato divino & expoſui Evangelium, quod prædico inter gentes, ne quo modo fruſtra currerem aut cucurriſſem.* Et cap. V, 7. *currebatis bene; quis moram injecit, ne veritati obediretis?*

XXI. h.

XXI. h. Inſuper curruum uſus maxime inſignis apud veteres in *bellis* ac *expeditionibus* notandus eſt. Curruum in oriente bellicorum ſæpius in ſcriptis ſacris mentio occurrit. Primi, qui memorantur, Ægyptiorum ſunt; Pharao enim שש מאות רכב בחור וכל רכב מצרים *ſexcentus electos & omnes Ægypti currus* collegit ad Iſraëlem perſequendum; ubi plerique Interpretes per *currus omnes*, ſimplices, per *currus electos* vero *falcatos* intelligunt, de quibus infra. conf. v. 9. 17. 26. 28. XV, 1. 4. ita Deut. XX, 1. inter arma hoſtilia etiam *currus & equi* memorantur. Reges Canaanæorum Joſuæ cum curribus plurimis & equis in occurſum pugnæ cauſa veniebant, Joſ. XI, 4. 6. 9. et Cananæis *currus ferrati* i. e. falcibus ferreis inſtructi tribuuntur, Joſ. XVII, 16. 18. Jud. I, 19. cap. IV, 3. 7. 13. V, 28. currus Philiſtæorum, 1. Sam. XIII, 5. 2. Sam. I, 6. Syrorum 2. Reg. VI, 14. et Elamitarum Jeſ. XXII, 6. 7. Joſaphati & Achabi currus quoque bellici memorantur 1. Reg. XXII, 32. 35. & Jorami, 1. Reg. VIII, 21. Apud reliquas quoque gentes *currus ejusmodi* militares in uſu fuiſſe, ſcriptores ubique teſtantur. POLLUX *Onom. Lib. I. cap. X. n. IX. p. 38.* Λίβυες δὲ, καὶ ἀπὸ δίφρων καὶ ἵππων ἐπιζευγνυμένων, ὥσπερ οἱ Ὁμήρου ἥρωες, μάχονται. *Afri vero de curribus & equis junctis, ſicut & heroës Homeri, pugnant.* & DIODOR. *Lib. V.* Ἅρμασι μὲν γὰρ κατὰ τοὺς πολέμους χρῶνται, καθάπερ οἱ παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων ἐν τῷ Τρωϊκῷ πολέμῳ κεχρῆσθαι παραδέδονται. *Ad bella curribus utuntur, quemadmodum antiquos Græcorum heroës in bello Trojano belligeraſſe traduntur.* Præcipue autem *falcatis curribus* utebantur, qui & ferrei dicebantur. Recte ARRIAN. *Tactic. Cap. III.* Ἡ δὲ ἀπὸ τῶν ἁρμάτων μάχη πολυειδεστέρα ταύτης. ἢ γὰρ ψιλὰ ἦν τὰ ἅρματα, καθάπερ τὰ Τρωϊκὰ ἦν, ἢ δρεπανηφόρα, ὡς ὕστερον τὰ Περσικά. *At vero pugna, quæ vehiculis inſtituitur, plures habet ſpecies. Alia namque nudis fit vehiculis, ſicut illa ad Trojam; alia vehiculis falcatis, ſicut ſequentibus temporibus apud Perſas factum.* De hiſce curribus canit VAL. FLACCUS *Lib. VI.*

Undique falcatos deſerta per æquora currus.

LUCRET. *Lib. V.*

Et quum falciferos inventum aſcendere currus.

SILIUS *Lib. XVII.*

Agmina falcifero circumvenit acta covino.

Inprimis Duces ac Imperatores curribus vehebantur in bellis & præliis. Ita de Antonino Imperatore teſtatur HERODIAN. *Lib. IV. cap. 7.* eum ſæpius inſtar militis pedibus iviſſe, & σπανίως ἅρματος ἢ ἵππε ἐπιβαίνων, *rarius currum aut equum conſcendiſſe.* Cyrum quoque curru in prælium veniſſe teſtatur XENOPH. *Lib. IV.* Κυροπαιδ. ἐφ᾽ ἅρματος παρελαύνων cohortabatur milites. XERXEN quoque ſublimi in curru in expeditione adverſus Græcos omnia obſervaſſe, ſcribit HERODOT. *Lib. VII.* DARIUM ſimiliter ex curru pugnaſſe, teſtis eſt DIODOR. SIC. *Lib. XVII.* ſcribens: Αὐτὸς μὲν ἐφ᾽ ἅρματος ἀγωνιζόμενος, ἠκόντιζεν εἰς τὲς ἐπιφερομένες. Currus ejusmodi cum Imperatoribus inſidentibus, veluti Alexandro & Meleagro, vide apud GOLZ. *in Numm. Græc. Tab. XXXIII. 12.* & *Tab. XXXVII. n. 12.* quos exprimi curavimus in *Tab. noſtr. præfixa n. VI. VII.* Nummos, in quibus milites cum arcu apparent, vide apud SCHEFFER. *de re vehic. p. 73.* & LAMP. *in Pſ. XLV. p. 181.* expreſſos. addimus in *Tab. noſtr. præfix. n. VIII.* nummum ex GOLZ. *faſt. mag. & triumph. Rom. p. 100.* ubi Papirius in curru cum clypeo & haſta cernitur. conf. HESIOD. *Scut. Herc. v. 60.*

Τεύχεσι λαμπομένες, σέλας ὣς πυρὸς αἰθομένοιο,
Ἑςαότ᾽ ἐν δίφρῳ.
Armis fulgentes ceu fulgor ignis ardentis,
Stantes in curru.

Etiam *falcatis* utebantur, ut de Cyro ſcribit XENOPH. *Lib. VI.* Plura de curribus bellicis & falcatis conferri poſſunt apud PFEIFFER. *antiq. Græc. p. m. 484. ſq.* BRISSON. *de regio Perſ. princ. Lib. III. p. m. 307. 309.* ROSIN. *Antiq. Lib. X. p. m. 1019.* GRELLOT. *prodr. Apocal. p. m. 112.* HUGON. *de milit. Equeſt. Lib. I. c. VI. p. m. 41. 44. ſq.* RHODIG. *Lect. antiq. p. m. 1173. 1198. &c.* SCHEFFER. *de re vehic. Lib. II. cap. 15. & cap. 23. & paſſim.* nec non Doctiſſ. SCHULZE *in diſſ. cit. de currib. bellic. p. 10. ſq. p. 25. ſq.* In expeditionibus & urbium expugna-

pugnationibus quoque currus adhibitos refert RIGALT. *ad Onoſandr. Strateg. p.m. 72.* quibus muros perrumpebant. conf. etiam figuras ejusmodi curruum belli & falcatorum ap. ROB. VOLTUR. *de re milit. Lib. X. p. m. 231.*

Varias ad hos currus in ſcriptis S. alluſiones obſervamus, veluti Jer. IV, 13. *Ecce tanquam nubes aſcendit, & tanquam turbo currus ejus.* ſimiliter Zach. IX, 10. *exſcindam currus ex Ephraim.* nec non Apoc. IX, 9. ubi de cicadis myſticis dicitur, *quod ſonitus alarum ipſarum ſimilis fuerit ſono curruum equis multis currentium.* nec non Prov. XX, 26. *ventilat Rex ſapiens improbos, quum convertit in eos rotam.* Currus quoque bellicus eſt *verbum veritatis*, quo Meſſias tanquam Dux ſalutis noſtræ invehitur, ad victoriam ab hoſtibus veritatis deportandam. Quare toties veritas cum armis comparatur bellicis. Ita vocatur gladius Spiritus, quo defendimus nos ab hoſte, Eph. VI, 17. gladius anceps & acutus Heb. IV, 12. accinctus femori heroum, qui ad pugnam expediti, Cant. III, 8. & gladius oris Archangeli, Apoc. I, 16. arma certaminis noſtri, 2. Cor. X, 4. ſagittæ Ducis noſtri, quibus hoſtium corda trajicit, eosque proſternit, Pſ. XLV, 6. clypeus & parma, Pſ. XCI, 4. Commode quoque ſub *curru* bellico depingitur, utpote verbo veritatis cum robore Spiritus ejus juncto, Meſſias, omnia excelſa aggerum monumenta perrumpit & muros regni tenebrarum deſtruit, 2. Cor. X, 5. Zach. IV, 6. Illo vectus populo ſuo ſpontaneo tanquam Gideon myſticus Dux exiſtit, qui prima acie pugnat, & cujus virtute ac fortitudine ſuperiores evadunt credentes, Rom. VIII, 37.

XXII. k. Porro *triumphales* apud veteres memorantur Imperatorum *currus*, quibus ovantes ex bello redibant & in urbem vehebantur. Currus ejusmodi triumphantis erat inſtar turris & rotundus. ZONARAS *Annal. T. III. in Camillo* ſcribit: Τὸ δὲ δὴ ἅρμα οὔτ᾽ ἀγωνιστηρίῳ, οὔτε πολεμιστηρίῳ ἦν ἐμφερὲς, ἀλλ᾽ εἰς πύργου περιφεροῦς τρόπον ἐξείργαστο. *Currus hic* (triumphantis) *non erat ſimilis ei, cujus uſus, erat in certaminibus, nec cujus uſus in bello; ſed rotunda figura inſtar turriculæ conſtructus.* Aurei quoque erant, vel eburnei, gemmis vel etiam ſculpturis exornati, unde PROPERT. *Lib. I. eleg. 16.*

Cujus inaurati celebrarunt limina currus.

& TIBULL. *Lib. I. el. 7.*

At te victrices lauros Meſſala gerentem
Portabit niveis currus eburnus equis.

Laurigeri quoque erant, teſte CLAUDIAN. *in laud. Stilic. Lib. III.*

- - - currumque ſecutus
Laurigerum, feſto fremuiſſet carmine miles.

Equis niveis & quidem laurigeris vel coronatis trahebatur currus, unde PROPERT. *Lib. III. el. 1.*

- - - coronatis Muſa triumphat equis.

MARTIAL. *Lib. VII. ep. 7.*

Feſta coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros dum comes ibit equos.

Captivi & devicti reges aureis catenis vincti ante currum præcedebant; unde OVID. *Lib. IV. el. 2.*

Vinclaque captiva Reges cervice gerentes,
Ante coronatos ire videbat equos.

Pompeji triumphum deſcribit APPIAN. *bell. Mithrid.* πλῆθος αἰχμαλώτων τε καὶ ληϛῶν, ὀυδένα δὲ δεδεμένον, ἀλλ᾽ ἐς τὰ πάτρια ἐϛαλμένους· αὐτοῦ δὲ τοῦ Πομπηΐου προῆγον, ὅσοι τῶν πεπολημένων βασιλέων ἡγεμόνες, ἢ παῖδες, ἢ ϛρατηγοὶ ἦσαν, οἱ μὲν αἰχμάλωτοι ὄντες, οἱ δὲ ὁμηρείαν δεδομένοι, τριακόσιοι μάλιϛα καὶ εἴκοσι τέσσαρες. Currus ejusmodi triumphales Veſpaſiani, Lepidi, Trajani, Auguſti, Titi & aliorum exhibet OISEL. *Numm. Imp. Tab. XCI. n 7. 8. ſq. Tab. XCII. n. 1. 2. ſq.* BEGER. *Theſ. Numm. Imp. Rom. Tab. XXVI. n. 25. Tab. XIII. n. 17. ſq.* GOLZ. *in Faſt. Triumph. p. 103. 115. 123. ſq.* Currum triumph. cum equis laurigeris exhibet in nummo Cl. HAVERCAMP. *in diſſ. de numm. cotorn. p. 80. n. 16.* Exhibemus Tibi nummos binos inſignes curruum triumphalium, ornatum alterum, alterum ſimplicem in *Tabula noſtra præfixa n. IX. X.*

Currus *triumphalis* eſt Veritas; talis erat, quo Chriſtus vehebatur per deſerta gentium Pſ. XLV, 5. Clariſſime depingitur hic triumphus Chriſti ſuper curru veritatis Evangelicæ. Pſ. LXVIII, 18. 19. *Curruum Dei ſunt myriades. Aſcendens in ſublime captivam duxiſti captivantium multitudinem, accipiens dona hominibus, etiam rebelles habitan-*

bitando captivos feciſti. Talis triumphavit Meſſias, non ſolum quando aſcendit in cœlos, verum etiam quando verbo Evangelii multas gentes rebelles ſub jugum obedientiæ veritatis redegit, 2. Cor. X, 5. quando armis hiſce ſpiritualibus robur Satanæ ejusque imperii fractum, atque ejus mancipia in triumphum a Chriſto ducta fuere, liberata ex poteſtate hujus robuſti, Jeſ. XLIX, 25. 26. Tali curru triumphali Chriſtus olim redibit in nubibus cœli & ſecum electos eodem triumphali vehiculo in palatium cœleſte introducet. Talis quoque currus erat igne ſplendidus, quo Elias vehebatur in cœlum, 2. Reg. II, 11.

XXIII. I. Ultimo denique loco memorantur *currus ſacri*, qui vulgo *Thenſæ* dicebantur, quæque vel erant *Deorum* vel etiam *conſecratorum* & in numerum divinum relatorum: Ita Joſias in reformatione *ſolis currus* combuſſiſſe legitur, 2. Reg. XXIII, 11. Varii quoque aliorum Deorum currus memorantur apud Veteres. SERVIUS ſcribit, *quod thenſa currus ſit, quo Deorum portantur ſimulacra:* & PYRRHUS LIGORIUS *in antiq. fragm. de vehicul. antiq.* c. V. *Thenſa fu detta perche avanti lei la tela di lino tendevano. Accioche colle mani non la poteſſero toccare gli ducitori. Mà ſacro veramente ſideve dire thenſa da non poterſi toccare, lo paravano d'uno tela.* Id eſt. *Thenſa fuit dicta, quia linea tela ei prætendebatur, ne aurigæ manibus poſſent eam attingere. Vere ergo ſacros currus thenſas appellare oportet, quoniam eos attingere nefas, quod tela impedire voluerunt.* Sic memorat *currum ſolis* EURIPIDES *in Phœniſſ.*

Ω τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδὸν,
Καὶ χρυσοκολλήτοισιν ἐμβεβὼς δίφροις
Ἥλιε, θοαῖς ἵπποισιν ἑλίσσων φλόγας.
O ſol qui viam in aſtris cœli ſecas,
Quique ſedens in aureo curru, celerius
Equis flammam volvis.

Nummos quoque varios, in quibus ſol ſive bigis ſive quadrigis vectus apparet, ubique cernis, in ſpecie apud GOLZ. *in Num. Inſul. Græc. Tab. XVII. n. 9.* ubi ſol bigis invectus cum epigraphe, ΔΗΛΙΟΣ. & *n. 10.* quadrigæ ſolis cum inſcript. ΔΗΛΙΟΥ. nec non *Tab. XVIII. n. 1.* ΔΗΛΙΟΥ. Plura de ſolis curru vide in PAUSAN. *Achaic. p. m. 307.*

m. 307. GOERE *Kerk en werelt geſchied. p. 6.* BRISSON. *de regio Perſ. princ. p. m. 82. 317.* SCHEFF. *de re vehic. Lib. I. p. m. 244. 246.* NATAL. COMES *myth. p. m. 353.* SALMAS. *in Solin. T. II. p. 897.* D. SCHULZE *in diſſ. cit. ſupra p. 40. 41. &c. Jovis* quoque currum memoratum legimus apud HERODOTUM, *ἅρμα Διὸς ἱερὸν currum Jovis ſacrum.* et *Plutarchus ὄχημα τῷ πατρὶ τῶν Θεῶν ἱερὸν. vehiculum Deorum Patri ſacrum*, apud SPENCER. *de Leg. Hebr. Lib. III. cap. 7. p. m. 873.* narrat. Sæpius quoque apud HOMER. mentio illius occurrit, veluti *Iliad. VIII. p. m. 145.*

> *Ζεὺς δὲ πατὴρ ἤδηθεν εὔτροχον ἅρμα καὶ ἵππυς*
> *Ουλυμπὸν δ' ἐδίωκε.*
> *Jupiter autem pater ab Ida currum pulcris rotis & equos*
> *in olympum impulit.*

Similiter *Junonis* & *Veneris* ac *Dianæ* currus ubique meminere veteres ſcriptores, vide ROSIN. *antiquit. p. m. 179.* NATAL. COMIT. *l. c.* SCHEFFER. *de re vehic. Lib. I. cap. 18.* et varios nummos apud GOLZ. *l. c. Tab. XVII. & Tab. XIII. n. 8. ſq.* BEGER. *Theſ. numm. Tab. LIII. & paſſim.* In ſpecie & *Cybeles* currus ſacros ex nummis illuſtrat Doctiſſ. HAVERCAMP. *in diſſ. cit. p. 85.* et GOLZ. *in Faſt. Triumph. p. m. 136. 161. 206.* &c. eosdem in nummis paſſim exhibet. conf. & PIER. *Hierogl. S. I. p. 463.* *Currus ſacros* eorum qui in numerum Deorum relati erant atque *conſecrati* imperatores ac principes, varios Tibi exhibet OISEL. *in Numm. veluti Tab. CIII. n. 12.* Fauſtina in bigis cum epigr. SIDERIBUS RECEPTA. *Tab. CIV. n. 1.* Fauſtina & Juno in quadrigis: CONSECRATIO. Aurelius in quadrigis elephantinis. *num 2.* CONSECRATIO. & *n. 3.* Conſtantin. M. in curru, a manu cœleſti exceptus. & *Tab. XCVIII. n. 1.* Veſpaſianus in thenſa cum epigr. DIV. AUG. VESP. S. P. Q. R. & *n. 2. 3. 4. 5. 6. &c.* apud BEGER. *Tab. XLIII. & XLIV. Tab. XVIII. XXVI. &c.* nummi varii cum thenſis & inſcript. CONSECRATIO, vel ÆTERNITAS reperiuntur.

Sine dubio *currus Deorum* gentium fictus eſt ex *curru* ipſius Dei ſummi ſub V. T. cujus memoria apud illos exſtitit. Vehebatur enim Deus ſub V. T. Cherubinis, qui מרכבה יהוה audiunt, ut ſupra in *Exercit. de inſidente ſuper Cherub.* docuimus. conf. 1. Reg. VII, 33. Ezech.

Ezech. I, 15--29. X, 2--19. III, 13. 2 Sam. XXII, 11. Huc quoque ni fallor reſpicit locus egregius *Dan. VII, 9. Solium ejus inſtar ſcintillæ flammæ, & rotæ ipſius inſtar ignis ardentis.* ubi *ſolium* inſtar *ſellæ curulis* ſeu vehiculi divini conſideratur; rotæ enim ſæpius pro integro curru ponuntur, & hac ratione ad *currum* Jehovæ *Cherubinorum* reſpicitur. Meſſiæ quoque currus ſacer eſt verbum veritatis. In præconio Evangelii populis ſiſtitur non ſolum qua Dux & Rex gloriæ, ſed & qua Deus, qui aureo gloriæ curru ex cœlo deſcendit, & eodem aſcendit cum plauſu & jubilis, Pſ. XLVII, 6. Pſ. LXVIII, 19. eodem quoque aliquando cum angelis gloriæ redibit, die judicii, Act. I, 11. 12. Qua Mediator in Deorum quaſi numerum eſt relatus, nomen adeptus ſupra omne nomen, in quo omnia genua flectentur, Phil. II, 9. 10.

XXIV. Sed nimis forſan lora relaxavimus; contrahamus ergo habenas & paucis integrum loci noſtri Cant. VI, 9. ſenſum proponamus. Concipimus ergo Meſſiam currui heic impoſitum inſtar *Ducis dimicantis* atque *triumphantis*, qui curru bellico vectus populum ſuum acerrimo hoſtium prælio quaſi diſſipatum revocat ut reverteretur, & eapropter celerrime currum aſcendit, populum ſuum propugnaturus & de hoſtibus triumphaturus. Confirmamur in hac noſtra conjectura, 1) quia populus Meſſiæ vſ. ſeq. comparatur cum מחנים i. e. *exercitu* binis quaſi alis inſtructo, & duplici acie pugnante, quæ phraſis ultro nos ducit in contemplationem Meſſiæ tanquam Imperatoris & Ducis exercitus Jehovæ. 2) quia etiam *currus* hic deſcribitur tanquam currus *populi ſpontanei*, עמי נדב. Jam ſi conferamus Pſ. CX, 3. עם נדבת *populus ſpontaneus* Meſſiæ conſideratur futurus ביום חילו in *die copiarum ſuarum*, quando in prælio myſtico copiis ſuis hoſtes erat debellaturus. 3) adeoque & facilis ſenſus toties repetitæ vocis שובי שובי *revertere, revertere!* dari poterit, quia populus Meſſiæ ab hoſtibus veritatis quaſi fugatus vel diſſipatus concipi poteſt, quem Dux Meſſias currum veritatis conſcendens revocat, & novo animo ſe ipſo duce hoſtibus aciem obvertere jubet. Alias virorum doctorum ſententias paſſim apud commentatores leges.

XXV. Beata ergo tempora! quæ Meſſiam celerrime curru veritatis vectum aſpicient, quando populum ſuum jam undique diſſipatum & per hoſtes veritatis hic illic oppreſſum colliget in מחנים *caſtra duo*, quæ unitis viribus gladium veritatis contra hoſtes ejus non ſine ingenti illorum ſtrage aut converſione, ipſo Meſſia Duce, ſtringent. Beatum ergo populum! ſub hoc Duce militari pugnantem; qui *curru falcato* veritatis Evangelicæ adverſarios imperio ſuo ſubjicit, & populum ſuum ex poteſtate & perſecutione eorum liberat. Pudeat ergo tot præcones veritatis, qui ſegnes otio indulgent, nec Meſſiam currum veritatis conſcendentem, inſtar equorum generoſi animi, provehi ulterius ſtudent; qui veritatis externe docendæ ſtudioſi, ἐνέργειν illius vita ipſa mundo conformi abnegant; qui omni zelo veritatem & imperium Chriſti in animabus a Chriſto alienis promovendi deſtituuntur, ac ſtudio divitiarum aut φιλαυτίας incumbunt; licet ſtimulo Spiritus S. ſæpe agitentur, & via ipſis per lucem veritatis agnitæ aperiatur; nihilominus opus Domini remiſſe ac ſegniter urgent. Pudeat omnes veritatis confeſſores, qui *Ducem* hunc *currum ſponte aſcendentem*, in prælio ſequi recuſant. Acclamat toties per præconium Evangelii, *revertere, revertere*, per ſeriam reſipiſcentiam, deſere caſtra Satanæ & mundi! ſed ſurdas ei aures præbent, armaque tenebrarum lubentius ſuſcipiunt quàm arma lucis. Jam viam adhuc ipſis monſtrat, jam ſe Ducem offert Mediator; væ illis, qui ab ipſo recedunt rebelles! Contra illos *currum falcatum* iræ ſuæ veluti Gideon myſticus obvertet, illosque triturabit quaſi *rotis ferreis*, conculcabit eos in ira ſua. Beatum autem prædicamus populum ſub hoc Duce militantem; curru ſuo omnes eorum hoſtes proſternit; in & per ipſum victores evadunt, Rom. VIII, 37. cum ipſo pugnantes, cum ipſo quoque *triumphabunt*. 2. Tim. II, 12. mittet ipſis uti Eliæ, *currum triumphalem* nubium gloriæ, eosque fidos milites ſecum triumphantes in palatia cœli introducet cum jubilis & plauſibus, 1. Theſſ. IV, 16. 17.

EXERCI-

EXERCITATIO VIII.
DE
DESERTO
SYMBOLO GENTIUM.
JES. XXXII, 16.

ARGUMENTUM.

§. I. Locus Jeſ. XXXII, 16. proponitur, & vocis מדבר *ſignificatio eruitur. §. II. Vario ſenſu emblema deſerti adhiberi docetur, in ſpecie gentiliſmi figuram eſſe probatur. §. III. Analogiæ exhibentur; Quatenus deſertum eſt locus ſolitarius, ab hominum commercio ſecluſus, §. IV. arida eſt atque proinde maxime ſterilis regio, §. V. non niſi arbores ſylveſtres, opacas & infrugiferas, gramina & herbas cum vepribus & ſpinis producens, §. VI. petras, ſaxa & arenarum copiam difficilem in ſinu fovet, §. VII. triſte ferarum, ſtruthionum, draconum, ſerpentum & avium impurarum habitaculum exiſtit, §. VIII. montibus, collibus ac vallibus aſperis cingitur & viatoribus maxime invia eſt ſemita, §. IX. antiquis dæmonum & ſpirituum impurorum domicilium habebatur, eamque ob cauſam horrori erat maximo, §. X. præcipue quum & antra & ſpeluncæ in iis reperiantur, in quibus latitabant latrones. §. XI. Incolæ deſerti maxime inhoſpitales, horridi & barbari erant, §. XII. æſtui ſolis, fulminibus & præcipue euro nocivo & venenato ſulphureoque maxime erat expoſitum. §. XIII. Varia deſertorum genera, itemque nomina recenſentur ex ſcriptis ſacris & profanis. Quæ omnia ſenſu myſtico applicantur gentium moribus. §. XIV. Epilogus practicus finem imponit huic* διασκέψει.

I.

Inſignis eſt Jehovæ promiſſio, quando *Jeſ. XXXII, 16.* per prophetam denuntiat ישכן במדבר משפט וצדקה בכרמל תשב *Habitabit in deſerto judicium, & in Carmele ſeu arvo juſtitia reſidebit.* Ex præced. v. 15. quando *Spiritus dicitur effundendus ſuper illos de excelſo,* liquet, vaticinium hoc tempora fœderis novi reſpicere, quando Spiritus S. poſt exaltationem Meſſiæ in Apoſtolos erat effundendus, uti Act. I, 8. docetur. Tunc *deſertum erat redigendum in agrum,* quando deſertum gentium & populorum, omni Dei & veritatis cognitione deſtitutorum, præconio Evangelii ſulcandum, ſemine veritatis ſalutaris conſerendum, atque in arvum fertile, proferens fructus reſipiſcentiæ & fidei, præparandum erat. Tunc *habitabit* in hoc *deſerto judicium,* i. e. Deus ab hoc tempore regnum habiturus eſt ſtabile, fundatum in doctrina rationali, quæ canon eſt judicii & diſciplina illius regni inter gentes, ut explicat Vir Cel. VITRINGA *in Comm. h. l. T. II. p. 224.*

Vox hoc loco nobis notanda eſt מדבר *DESERTUM* Græc. ἔρημος. Vox Hebr. מדבר a variis deducitur a מן & דבר quaſi ſit locus a ſermone & commercio hominum remotiſſimus. SPANHEM. *in dub. Evang. part. II. dub. 97.* & HACKSPAN. *Not. Philol. part. III. p. 13.* cum aliis a Chald. דבר quod non ſolum *loqui* ſed & *ducere* notat & *regere*, adeoque juxta Cel. HASÆUM *in Bibl. Brem. Tom. I. p. 129.* מדבר idem eſt ac locus quo pecudes *aguntur* vel *ducuntur,* unde & דבר caulam notaret. Vel juxta Doctiſſ. VERESTOG *in diſſ. de palma ardent. p. 66.* derivatur ab *Arab.* دبر *a tergo poſitum eſſe, pone ſequi,* unde vox تدبير *regimen,* adeoque מדבר *locum paſcuum* ab urbe remotum, in quo pecora exporrecta ſerie in aperto campo paſcuntur, deſignaret. Et hac notione ſæpius gaudet, ut infra docebimus. Deſignat tamen & locum *ſolitarium, ſterilem*, vepribus & ſpinis ſeu arenis abundantem, quo ſenſu & in hoc loco noſtro occurrit.

II. Deſertum autem in ſcriptis ſacris emblema eſt & ſymbolum

a) *Populi judaici.* Hoc ſenſu vocem מדבר æque ac ערבה adhiberi

beri Jeſ. XL, 3. contendit Cl. LAMPE *ad Joh. I, 23. p. 414.* ubi vocem מדבר de deſerto ſaxis rupibus inacceſſo & ערבה de deſerta regione paludoſa ex Ezech. XLVII, 8. intelligit; et ſenſu myſtico per *deſertum* ſtatum Judæorum *Phariſaiſmo* indulgentium, qui propriam ex lege juſtitiam erigere ſatagebant, quæ juſtitiæ Chriſti contraria; & per *regionem paludoſam* ſtatum Judæorum *Sadducæiſmo* deditorum, qui in cœno voluptatum mergebantur, deſignari contendit. Saltem Johannes Baptiſta *vox clamantis in deſerto* Judæorum fuit, quum Judæos non gentes ad reſipiſcentiam vocaverit. conf. & Cel. VITRINGA *Comm. ad Jeſ. l. c.*

b. Deſertum quoque ſymbolum eſt *Antichriſtiani Imperii.* Ita Johannes in ſpiritu vidit *mulierem inſidentem beſtiæ coccineæ, quæ plena erat nominibus blaſphemiæ, habenti capita ſeptem*, eamque vidit in *deſerto.* Quum jam mulier illa absque controverſia deſignet Antichriſtum, meretricem Babylonis myſticæ, *deſertum* figura imperii & ditionis ipſius ſit oportet.

c. Sunt denique quamplurima loca, quæ confirmant *deſertum* ſymb. eſſe imperiorum ac regnorum *gentilium*, omni cognitione veritatis Evangelicæ deſtitutorum, nulloſque Deo gratos fructus proferentium. Hoc ſenſu Pſ. LXV, 13. orbitæ Jehovæ ſtillantes pinguedine, etiam *caulas deſerti* Gentium *recreare* ac impinguare dicuntur. Ita Pſ. LXVIII, 8. cum alluſione ad deſerta Arabiæ, per deſerta gentium cum excellentia gradum promoturus dicitur Meſſias. De converſione gentium loquitur vates Jeſ. XXXV, 1. *Lætitia exultabit deſertum & locus ſolitarius, exultabit ſolitudo & florebit inſtar roſæ.* & v. 6. quando aquæ in *deſerto & torrentes in ſolitudine* prorumpere dicuntur, tum largum Evangelii præconium, tum ingens Spiritus S. menſura gentibus promittitur. Idem indigitatur, quando Jeſ. XLI, 18. 19. deſertum diſponendum in torrentes & ſolitudo ponenda in ſtagnum aquarum dicitur. In hoc myſtico deſerto gentium *cedri lectiſſimæ, myrti & arbores oleoſæ* creſcent, v. 19. quod de perſonis illuſtribus veritatem Evangelii promoventibus, vel genuinis fidei confeſſoribus intelligi poterit. Præfiguratus quoque fuit ſtatus gentium per deſertum & ארץ גזרה in quam abducebatur *hircus expiationis*, ut erudite hoc exequi-

tur Cl. MOYNE *var. ſacr. p. 647.* & cum eo Cel. *B. S.* CREMER. *in proph. Typ. Exerc. p. 184.* &c.

III. Elegantiſſima ſane inter *deſertum* & *gentiliſmum* eſt analogia, cujus potiora momenta tangere ſufficiet.

1. Deſertum eſt locus *ſolitarius* a hominum conſortio ac commercio quaſi ſeparatns, adeoque ab agris & campeſtribus frugiferis remotus. Unde ἔρημος a nonnullis ab ἔραν μόνην ἔχειν derivatur, quaſi *ſolitariam terram* habens. Et *ſolitudo* a ſolus dicitur. Et SUIDAS *Tom. I. p. 1036.* ἔρημον deſcribit μονωθεῖσαν τῶν ἐνοικούντων γῆν. Recte ergo SPANHEM. *in dub. Ev. part. II. p. 655.* obſervat Judæos totum orbem in ימים *mare*, ישוב *terram habitatam*, & מדבר *deſertum*, ſolitariam, hominibus incultam regionem, diſtinguere. Hoc ſenſu regiones hominibus cultæ in deſerta ponendæ dicuntur i. e. incolis privandæ. conf. Lev. XXVI, 22. 31. Pſ. LXIX, 26. Prov. XX, 19. Jer. L, 13. & Job. XXXVIII, 26. *Deſertum, in quo non eſt homo.* Ita Iſraël feſtum Jehovæ in *deſerto* celebraturus erat, remotus ab incolis Ægypti & gentibus, Exod. V, 1. VII, 16. & Jeremias Cap. IX, 1. optat, ut fugere poſſet *in deſertum*, derelinquens populum ſuum, proculque ab eo eſſet. Unde ἐρημάζω veteribus idem ac μονάζω, uti ex *Plutarcho* liquet, conf. BUCH. *antiq. Bibl. ex Schurzfleiſchio* id docentem *p. 927. ſq.* adde quæ de eremi & ſolitudinis ſignificatu communi adfert *Doctiſſ.* TH. HASÆUS in *erudit. diſſert. ad Luc. XV, 17. Bibl. Brem. Tom. I. faſc. II. p. 126.* Deſertum quoque HORAT. *Lib. I. od. 22.* deſcribit: *terram domibus negatam*, imo *inhoſpitalem*, canens:

Sive facturus (iter) *per inhoſpitalem*
Caucaſum.

et PROPERT. *Lib. I. el. 18.*

Hæc certe deſerta loca & *taciturna querenti*,
Et vacuum zephyri poſſidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores.

i. e. nemine præſente ac ſciente. De Atalanta ſcribit ÆLIAN. *hiſt. Lib. XIII. cap. 1.* καὶ τὰς τῶν ἀνδρῶν ὁμιλίας ἔφευγε, καὶ ἐρημίαν ἐπόθει, καταλαβοῦσα τῶν ὀρῶν τῶν Ἀρκαδικῶν τὰ ὑψηλότατα. *Commercia*

mercia virorum devitabat, adeoque ſolitudinem, *conſcenſis altiſſimis Arcadiæ montibus, expetebat.* Idem *Lib. XIII. cap. XXVI.* uti & HERODIAN. *Lib. II. cap. 12.* ἔρημος καὶ μόνος conjungunt.

Gentes hac in re inſtar deſerti erant, præcipue ſub V. T. Erant enim populus ſeparatus & ſecluſus a ſeminis Abrahæ, quod ſibi in populum fœderatum elegerat Jehova, communione, Gen. XVII, 7. Exod. XIX, 5. Ezech. XVI, 6--8. Gentes permiſerat ire in viis propriis, Act. XIV, 16. & murum intergerinum erexerat Jehova, quo ſecludebantur gentes a communione populi Dei, Eph. II, 14. quare longinqui & remoti extra civitatem Iſraëlis, alieni a teſtamento gratiæ, absque ſpe & absque Deo deſcribuntur v. 12. 13. Jacobo Deus ſua manifeſtabat jura & leges, ſed nullis gentibus, Pſ. CXLVII, 19. 20. Quare Judæis nefas erat accedere ad gentes alienigenas, Act. X, 28. odio habebant gentes tanquam impuras, unde ſub ſymb. animantium impurorum Act. X, 11. 12. deſcribuntur. Sepimento legis ſecludebantur a monte Zionis, quod ſub N. T. demum per Chriſtum fuit ſublatum, adeoque tunc gentes quoque alliciendæ ad montem ſanctitatis, hactenus remotæ. conf. Hoſ. II, 18. Num. XXIV, 17. Jeſ. XLIII, 5. XLIX, 12.

IV. 2. Deſertum eſt locus *aridus, ſiccus*, absque *aquis irriguis*, adeoque maxime *ſterilis*, unde LXX. Interpretes מדבר ſæpius γῆν ἄνυδρον vertunt, *terram minime irriguam.* Ita Hagar in deſerto ſiti laborabat cum filio ſuo, Gen. XXI, 14. 15. & Iſraël aquis deſtituebatur in deſerto, Num. XXI, 5. David cum populo ſuo ſitibundus erat in deſerto, 2. Sam. XVII, 29. conf. Pſ. LXXVIII, 18 19. Jeſ. XLIV, 2. 3. Similiter de exercitu Xerxis ſcribit ÆLIAN. *hiſt. Lib. XII. cap. 40.* ἐπεὶ δ' ἔν τινι ἐρήμῳ τόπῳ ἐδίψησαν, οὐδέπω τῆς θεραπείας ἡκούσης· ἐκηρύχθη τῷ στρατοπέδῳ εἴ τις ἔχει ὕδωρ ἐκ τοῦ Χοάσπου, ἵνα δῷ βασιλεῖ πιεῖν. *Quum vero in loco DESERTO ſitirent, neque adhuc adeſſent impedimenta, proclamatum eſt in exercitu, ſi quis aquam de Choaspe haberet, ut regi eam bibendam daret.* STRABO quoque *Lib. VII. Geogr f. 353* ſcribit: μεταξὺ δὲ τῆς ποντικῆς θαλάττης ἀπ' Ἴστρου ἐπὶ Τύραν καὶ ἡ τῶν Γετῶν, ἐρημία πρόκειται, πεδιὰς πᾶσα καὶ ἄνυδρος. *Inter mare Ponticum ab Iſtro Tyram verſus, Getarum jacet* deſertum, *campeſtre totum &* aquis carens. LUCIAN.

CIAN. itidem *de Dipſad. T. II. opp. p. m. 841.* ἔρημος, ἐ χλόην, ἐ πόαν, ἐ φυτὸν, ἐχ ὕδωρ ἔχεσα, εἰπε ἄρα ἐν κοίλοις συνεστηκὸς ὑετε ὀλίγε λείψανον, παχὺ καὶ τετο καὶ δυσῶδες, ἐδὲ πάνυ διψῶντι ἀνθρώπῳ πότιμον. *Deſertum, non gramen, non fœnum, non plantam ullam nec aquam habens, niſi ubi in terræ antris conſtiterint imbris & pluviarum reliquiæ, quæ denſæ & mali odoris homini ſitibundo minime potabiles ſunt. Dolſcius* quoque canit:

- - - ἀγεωργήτῳ καὶ ἀνύδρῳ ἐρήμῳ
- - - *inculto ſimul & aquis deſtituto deſerto.*

Et proin *ſterile* eſt & minime fœcundum. Ita STRABO *Geogr. Lib. XVI. p. 522.* καὶ αὐτὴ μὲν ἐν ἡ ἀπὸ Γάζης λυπρὰ πᾶσα καὶ ἀμμώδης. *quæ Gazam ſequitur regio, ſterilis & arenoſa eſt.* Exprimit tale deſertum HOMERUS:

Ἔνθα μὲν ἔτε βοῶν ἔτ' ἀνδρῶν φαίνετο ἔργα.
Non illic videas hominumque boumve labores.

Tale deſertum erant gentes a Deo & civitate Iſraëlis alienæ. Jeſ. XXXV, 6. 7. utpote aquis doctrinæ ſalutaris & donorum Spiritus S. plane deſtitutæ. Doctrina ſalutaris quam Judæi hauriebant ex fontibus ſalutis, Jeſ. XII, 3. Jacobo ſolum innotuerat, non gentibus, Pſ. CXLVII, 19. 20. doctrina ipſorum quam proponebant, erat aqua putrida ſapientiæ carnalis & dogmatum, quæ rationale animæ pabulum eſſe non poterant. *Vani ergo facti ſunt in ratiociniis ſuis, & obtenebratum eſt cor eorum inſipidum. Sapientes quum ſe jactarent, ſtulti facti ſunt.* Rom. I, 21. 22. Et quod ad dona Spiritus S. illa ne ſciebant quidem communicari poſſe, quare hoc ſenſu *terra arida* vocantur Jeſ. XLIV, 3. Pſ. LXVIII, 7. 10. Pſ. CVII, 35. Jeſ. XXXII, 2. XXXV, 7. XLI, 18. Quare & *ſteriles* erant, populus non niſi opera impietatis mala proferens, fructus minime gratos. Jeſ. LIV, 1. Jer. XVII, 6. Eſ. XVIII, 5. Matth. XII, 33. Rom. VI, 21. VII, 5.

V. 3. Deſertum quoniam eſt ſterile, non niſi *arbores ſylveſtres* maxime ſteriles, *herbas* ſæpe *noxias* & plerumque *ſpinas ac carduos* producit. Quare Jeſ. XLI, 19. Deus præter naturæ leges quaſi promittit ſe *producturum in deſerto cedrum lectiſſimam, myrtum & arborem*

borem oleoſam, in ſolitudine abietem tædam, arboresque denſas, ut videant manum Jehovæ hæc facere. et Luc. VII, 24. in deſerto *arundinem* creſcere teſtatur Salvator. De deſerto, in quo Atalanta degebat, ſcribit ÆLIAN. *l. c. p. m.* 647. Ἔνθα ἦν καὶ αὐλὼν καὶ μεγάλαι δρῦς, ἔτι δὲ καὶ πνεῦμα καὶ βαθεῖα τις ὕλη. *Ibi erat vallis & vaſtæ quercus, item ventus atque ſylva profunda.* Quia *luci tenebroſi* erant in deſertis, ערבה *deſertum* quibusdam a ערב *veſpera* ſeu *tenebris* derivatur, vide BUTNER. *in* CREN. *faſc. V. p. m.* 362. & RAMBAM *in Demai cap. I.* apud LIGHTFOOTH. אילנות מרבריות *arbores deſerti*, quæ communis juris eſſent, memorat, unde PROPERTIUS *deſertos lucos* apellat *Lib. III. el.* 12.

At nunc deſertis ceſſant ſacraria lucis.

Ita HOMER. in *Odyſſ. de Cyclopibus* canit:

Νῆσος ἔπειτα λάχεια παρ' ἐκ λιμένος τετανύσται,
Γαίης Κυκλόπων, ὅτε σχεδὸν ὅτ' ἀποτηλοῦ
Ὑλήεσσ' ἐν δ' αἶγες ἀπειρέσιαι γεγάασιν.
Cyclopum brevis in terris videt inſula portum
Oppoſitum, quæ nec vicina, nec inde remota eſt,
Sylvis denſa, greges caprarum mille vagantur.

DIODOR. *Lib. V. p.* 216. Πολλῶν δὲ ὄντων ἐν αὐτῇ δρυμῶν καὶ πυκνῶν τοῖς δένδρεσι. *Cum inibi ſint ſaltus multi, atque arboribus maxime denſi.* & SILIUS *Lib. III. v.* 442.

Jamque per & colles & denſos abiete lucos.

Præprimis *ſpinis* atque *vepribus* ſcatebant deſerta. Unde Judic. VIII, 7. קוצי המרבר *ſpinæ & oxyacanthi deſerti* memorantur. Ita & Celeb. HASÆUS *in Syllog. diſſ. p.* 216. *ſq.* late ex *Bellonio*, *Baumgarten*, *Thevenot*, *Fürero &c.* probat in *deſertis Sinai* ſpinas & acacias bene multas creviſſe, & *p.* 275. deſertum Zin a צנים *ſpinis* dictum cenſet.

Tale erat deſertum gentium, utpote quod arbores ingenti multitudine infrugiferas nutriebat. Principes æque ac populus mortuis idololatriæ operibus dediti erant, qui *traditi cupiditatibus cordium ipſorum ad impuritatem*, Rom. I, 24. *Luci* erant inſtar tenebricoſi, ubi tenebræ ignorantiæ ac indurationis, 2. Cor. IV, 4. ſc. excœcatio

mentis dominabatur; atque impuræ idololatriæ ac operum malorum caligo undique ſe expandebat, Eph. V, 8. 11. 12. *Ager* erat maledictione divina quaſi percuſſus, qui non niſi ſpinas & vepres producebat, Gen. III, 17. 18. Quare Eccleſia in perſecutione gentium comparatur *cum lilio inter ſpinas*, Cant. II, 2. et *cardui* atque ſpinæ impiorum hominum & peccatorum induratorum ſymb. ſunt, ut ex Jeſ. V, 6. VII, 23. 24. X, 17. patet. quare in gentiliſmo converſo ad veritatem Evangelii *myrti* loco *veprium* creſcere dicuntur, Jeſ. LV, 13. et corda peccatorum comparantur cum ſpinis, inter quas conſeritur ſemen Evangelii, Matth. XIII, 7. conf. Hebr. VI, 8. Matth. VII, 16.

VI. 4. Deſertum inſuper *ſaxa*que & *petras* ardentesque in ſinu ſuo fovet *arenas*, quæ ſterilitatem ipſius haud exiguum in modum exaggerant. Tale erat deſertum Arabiæ, per quod iter faciebat Iſraël, de quo Pſ. LXXVIII, 15. *Fiderat rupes in deſerto, ut potum præberet in abyſſum.* Idem deſcribit ADRICHOM. *in Theatr. Terræ S. p. m. 78. Ipſa regio multis in locis ſterilis, arenoſa, deſerta, invia, aquæ egens, petroſa & tota aſpera eſt.* de deſerto Pharan *idem p. m. 116.* ſcribit: *Pharan deſertum ampliſſimum, vaſtiſſimum, invium & inaquoſum, cujus terra nec arari poteſt, nec ſeri, tota arida eſt & ſterilis & ſqualida. ubi nec homines videntur, nec beſtiæ, nec aves, nec arbores, nec germen aliquod, ſed non niſi RUPES & montes SAXOSI, altiſſimi, aſperrimi, undique prærupti & præcipites.* Huc reſpicit AVIAN. *fab. XXVI. v. 3.*

- - - *præruptis ardua* ſaxis
Linque, nec hirſutis paſcua quære jugis.

& PROPERT. *Lib. I. el. 18. v. penult.*

- - - *reſonant mihi Cynthia ſylvæ,*
Nec deſerta tuo nomine ſaxa vacant.

& CTESIAS apud BOCHART. in *Canaan. Lib. II. cap. XI. p. m. 822.* ſcribit: Τὸ δὲ παιδίον εἰς τινας ἐρήμους καὶ πετρώδεις τόπους ἐκθεῖναι, ἐν οἷς πολλοῦ πλῆθους περιστέρων ἐνοσσεύειν εἰωθότας. *Infantem autem expoſuiſſe in locis deſertis & petroſis, in quibus columbarum magna copia nidificare ſolebat.* & ARRIANUS *in Periplo* de

Arabia

Arabia notat: *Οὗτος Ἀραβικῆς χώρας ἠπείρȣ παράπλȣς, ἐςὶν ἐπισφαλὴς, καὶ ἀλίμενος ἡ χώρα καὶ δύσορμος καὶ ἀκάθαρτος, ῥαχίαις καὶ σπίλοις ἀπρόσιτος. Hæc præternavigatio Arabiæ continentis periculoſa eſt; Eſt enim regio importuoſa & inhoſpitalis & ſqualida, rupibus & ſcopulis inacceſſa.* Et quod *arenas* concernit, magnam copiam deſertis adſcribunt auctores. STRABO *Lib. XVI. p.522. Καὶ αὐτὴ μὲν ȣ̃ν λυπρὰ πᾶσα καὶ ἀμμώδης. Et illa quidem regio ſterilis eſt & maxime arenoſa.* Et de Libya ſcribit LUCIAN. *Opp. T. II. p. m. 841. Καὶ ἡ ψάμμος ὑπερζέȣσα, παντελῶς ἄβατον τὴν χώραν τίθησι. Præterea arena magnopere fervens regionem prorſus facit inviam & inacceſſibilem.* Hinc illud *Antiphili;*

- - - *ȣ̓δὲ γὰρ ἄυλαξ*
Αἰγύπτȣ Λιβύης ψάμμȣ ἐπιςρέφεται.
Non enim ſulcus Ægypti curat Libyæ
Arenas.

conf. quoque de arenoſis deſertis KIRCHER. *Mund. ſubterr. part. I. p. m. 84.*

Tale denuo deſertum erat gentium, *ſaxea corda* & ſteriles idololatriæ ac vanorum ratiociniorum *arenas* in ſinu ſuo foventium: *Cor ſaxeum*, ut ex vaticinio Ezech. XI, 19. loquar, gentibus competebat in malitia & peccatis plane obduratis. Terræ inſtar erant *petroſæ*, quæ fruges ſalutares reſipiſcentiæ & fidei non producebat, Matth. XIII, 5. Marc. IV, 5, 16. De illis dici poterat, quod faciem petra duriorem gerant, Jer. V, 9. quare & Baptiſta teſtatur Judæis, quod Deus ex *lapidibus* i. e. gentibus hactenus rejectis & induratis, aliquando ſemen ſibi ſanctum & electum ſit excitaturus, Matth. III, 9. Si ad *celſas rupes* deſerti reſpicis, illa quoque emblema idolorum in gentiliſmo apte eſſe poterunt, quæ toties in ſcriptis ſacris vel idola ſaxea, vel *ſaxa* vocantur, conf. Dan. V, 4. 23. Act. XVII, 29. Zach. V, 4. Ezech. XX, 32. Jer. II, 27. III, 9. Jeſ. XXXVII, 19. *Arenæ* autem pravorum ratiociniorum ſymb. ſunt, quorum ingentem copiam gentibus adſcribit Apoſtolus Rom. I, 21. ſimulque perverſarum concupiſcentiarum, quibus fervidæ calebant, & quibus a Deo per juſtum judicium tra-

ditæ erant gentes, Rom. I, 24. 26. 27. Eph. II, 3. Col. III, 5. Tit. II, 12. III, 3. 2. Petr. II, 10. &c.

VII. 5. *Ferarum* porro rapacium, *avium*que impurarum, *ſerpentum* atque *draconum* ſqualidum eſt habitaculum deſertum. Sæpius in ſcriptis ſacris huc reſpiciunt auctores. Moſes deſertum Arabiæ deſcribit tanquam *deſertum magnum & horrendum*, in quo נחש שרף ועקרב *ſerpentes, preſteres & ſcorpiones degerent*, Deut. XXXII, 10. eremum vaſtam, ילל ישמן *repletam ululatu* ſc. ferarum. conf. Thren. IV, 3. Deſertum, in quo *vulpes* libere eunt, Thren. V, 18. & Ezech. XIII, 4. in quo *onagri* prodeunt ad opus ipſorum, Job. XXIV, 5. conf. cap. XXXIX, 9. & Jer. II, 24. in quo *cervæ* pariunt, Pſ. XXIX, 8. 9. in quo *bubo* vaſtitatum latet, Pſ. CII, 7. in quo caula *draconum*, atrium *ulularum*, ubi *merulæ*, *ſtriges* cum *milvis* nidulantur, Jeſ. XXXIV, 13--15. in quo recubant *feræ* cum animalibus noxiis, habitant *ululæ* cum *ſcopibus*, & animalia cum horridis *ſerpentibus* latent, Jeſ. XIII, 21. 22. conf. Jer. L, 39. quare Mal. I, 3. *dracones* deſerti memorantur. Sic ÆLIANUS Atalantam in monte & deſerto Parthenio expoſitam, in ſpelunca petroſa, ubi *urſa* latitare ſolebat, memorat *Lib. XIII. cap. I. p. 646.* & *cap. 46.* Δράκονος ἐν ἐρημίᾳ, *Draconis in deſerto* meminit. Unde & APOLLINAR. ἔρημον vocat Θηροκόμον *feras alens*, canens:

> Θηροκόμου δονέουσα Θεοῦ διὰ γῆρυς ἐρήμου.

& AVIAN. *fab. IX. p. 66.*

> *Montibus ignotis curviſque in vallibus &c.*
> *In mediam præceps convenit* urſa *viam.*

HOMER. *Iliad. XIII. p. 252.*

> - - ὡς ὅτε τὶς σῦς οὔρεσιν ἀλκὶ πεποιθὼς
> Χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ.
> *Sicut aper in montibus robore fretus,*
> *qui in deſerto vagatur.*

De *avibus rapacibus* idem *Odyſſ. Lib. III. p. 32.*

> - - ἄγων ἐς νῆσον ἐρήμην,
> Κάλλιπεν οἰωνοῖσι ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι.

ducens

- - ducens ad inſulam deſertam,
Dereliquit avibus laceratio & rapina fieri.

& in genere de *feris* deſerti. *Odyſſ. Lib. XI. p. 167.*

Θῆρας ὁμᾶ εἰλῦντα κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα,
Τὰς αὐτὰς κατέπεφνεν ἐν οἰοπόλοισιν ὄρεσσι.
Feras ſimul venantem per campum viridem,
Quas ipſe occiderat in montibus deſerti.

De ſerpentibus ſcribit STRABO *Lib. XVI. p. 522.* in Arabiæ deſertis: Πολὺ δὲ καὶ τὸ τῶν ἑρπετῶν ἐν αὐταῖς πλῆθος, *magna autem ſerpentum multitudo* eſt. Egregius eſt locus, quem loco plurimorum ex LUCIAN. *Opp. Tom. II. p. m. 843.* adſcribimus; ubi de deſertis Lybiæ notat: Ἑρπετὰ γὰρ ποικίλα, μεγέθει τε μέγιςα, καὶ πλήθει πάμπολλα, καὶ τὰς μορφὰς ἀλλόκοτα, καὶ τὸν ἰὸν ἄμαχα ἐπινέμεται τὴν γῆν. Τά μὲν ὑπὸ βρύχια, φωλεύοντα ἐν μυχῷ τῆς ψάμμȣ. Τὰ δὲ ἄνω ἐπιπολάζοντα, φύσαλλοι, καὶ ἀσπίδες, καὶ ἔχιδναι καὶ κεράςαι καὶ βȣπρήςεις καὶ ἀκοντίαι καὶ ἀμφισβαίναι, καὶ δράκοντες, καὶ σκορπίων γένος διττόν. *Omnis enim generis is locus ſerpentes alit permagnos & varios, multitudine innumeros, forma terribiles, veneno præſentiſſimo inexpugnabiles, & partim in cavernis ſubterraneis excubantes ac arenæ ſeceſſibus; partim vero ſuperne repentes, nempe phyſallos, aſpides, viperas, ceraſtas, bupreſtes, jacula, amphisbænas, dracones & duplex genus ſcorpionum.*

Tale deſertum eſt gentium; in hujus enim populi medio dominabantur *Dracones*, & *ſerpentes*, *feræ*, & *animalia horrida* cum *avibus* impuris. Quæ omnia aptum Principum ac præſidum imperii gentium politicorum æque ac ſacrorum emblema exiſtunt. Ita *Dracones* commune tyrannorum ſymb. ſunt. Pſ. LXXIV, 13. *capita Draconum confringes.* et Pſ. XCI, 13. Eccleſiæ promittit Jehova, quod ſuper *draconibus junioribus* calcatura ſit victrix. et Jeſ. XXVII, 1. Deus *dracones in mari* i.e. tyrannos gentium interimere dicitur. Ita Ezech. XXIX, 3. rex Ægypti *draco ille magnus* vocatur. *Serpentes* vero itidem principum & in ſpecie magiſtratus eccleſiaſtici ſive ſacri emblema ſunt; unde *Deos gentium* etiam ſub ſymb. *ſerpentis* proponebant antiqui, uti ex nummis Æſculapii paſſim conſtat apud Numiſmato-

 graphos,

graphos, quod ex ſerpente Moſis baculo, ortum videtur. Exod. IV, 3. uti & Phariſæi & Scribæ comparantur cum *ſerpente & aſpide* aures obthurante Pſ. LVIII, 5. & hoſtes veritatis linguas acuere inſtar *ſerpentum* dicuntur Pſ. CXL, 4. et Pſeudoprophetæ fallaces ſub *ſerpentum* emblemate, immittendi memorantur Jer. VIII, 17. conf. Amos. V, 19. *impuræ aves* itidem ſymbolum ſunt impuram idololatriæ Antichriſtianæ doctrinam promoventium, quorum receptaculum erat Babylon myſtica, Apoc. XVIII, 2. coll. Jer. L, 39. uti *noctua* apud gentes idololatricas Palladis ſeu Minervæ, deæ ſapientiæ ac doctrinæ ſymbolum erat.

VIII. 6. Deſertum repletum eſt *montibus & vallibus* collibusque maxime *aſperis* petroſis aut ſitienti arena refertis, adeoque viatoribus *invium & difficile.* Facile in eo *errare* poſſunt iter facientes. Tale erat deſertum Arabiæ, in quo nec via nec ſemita apparebat, ſed Jehova præeunte columna nubis ac ignis viam commonſtrabat, Pſ. LXXVIII, 14. Exod. XIII, 21. XIV, 19. Pſ. CV, 39. Colles quoque & montes in deſertis notabiles ſunt. Ita collis Hagilah locus refugii Davidis erat in deſerto 1. Sam. XXVI, 1. Mons Pisga in deſerto erat Num. XXI, 20. et montana deſerti memorantur Pſ. LXXV, 7. & colles deſerti Jer. XII, 12. valles Zeboim deſerti 1. Sam. XIII, 18. Quare de Hagare Gen. XXI, 14. dicitur quod *erraverit* eundo in deſerto. Talis erat regio de qua HERODIAN. *Lib. II. cap. 11. p. m. 104.* ποταμῶν τε μεγέθεσι καὶ τάφρων, ἢ ὀρῶν προβλήμασιν, ἐρήμῳ τε γῇ καὶ δυσβάτῳ φράξας τὴν ἀρχὴν ὠχυρώσατο. *Tum fluviorum magnitudine, atque foſſarum, montibusque aſperrimis, deſertisque locis atque imperviis circumſeptos imperii limites communivit.* De deſertis Tartariæ ſcribit KIRCHER. *Mund. ſubterr. P. I. p. 84. Sunt & ibi deſerta vaſtiſſima. Quicunque itaque ex regno Chilenſi in Paraquaviam commeant, illis primo incredibilis altitudinis montes ſuperandi ſunt 40. leucarum itinere, in quorum vertice tanta dicitur eſſe aëris ſubtilitas : ut ſine periculo interclusionis ſpiritus vix conſiſtere queant.* Tales erant Alpes, de quibus SILIUS ITAL. *Lib. XV.*

Miratur domitas Alpes, ac pervia montis
Ardua, & Herculeæ quærit veſtigia plantæ.

Talis

Talis locus, de quo canit ARISTOPH. in *Bacch.*

Μελάμφυλλα τ' ὄρη δάσκια καὶ νάπαι
Πετρώδεις βρέμονται.
Et nigris foliis opaci montes & petroſi
Clivi fremunt.

& VAL. FLACC. *argon. IV. v. 52.*

- - - ibimus, inquit,
Solus & hos montes, deſertaque luſtra tenebis.

& OVID. *Metam. Lib. III. v. 24.*

Cadmus agit grates, peregrinæque oſcula terræ
Figit: & ignotos montes agrosque ſalutat.

Invium quoque deſertum eſt gentiliſmus, in eo *montes* aſperi & *colles*, qui aliquando in planitiem erant convertendi tempore Meſſiæ, ita Jeſ. XLIII, 19. vel ex Hebr. Cod. v. 6. legimus: *Ecce ego procreabo rem novam, jam exorietur vobis inſciis, in deſerto diſpoſiturus ſum ſemitas & in ſolitudine fluenta.* Quare tempore adventus Meſſiæ *vox in deſerto* audiebatur: *Adæquate in ſolitudine viam Deo noſtro. Omnis vallis attolletur, & omnis mons colliſque deprimentur,* Omnia enim regna gentium ſub jugum Meſſiæ erant redigenda, Jeſ. II, 2. In gentiliſmo colles & valles idololatriæ elati maxime apparebant, qui transeunti Meſſiæ & miniſtris ejus iter difficile & grave reddebant. conf. Jer. II, 2. Jeſ. LXV, 7. Ez. VI, 3. XX, 28. Hoſ. IV, 13. Omnia hæc regna idololatrica erant abolenda: *Colles* enim & montes regnorum & rerum publicarum emblema ſunt, vide Jeſ. II, 2. XLIX, 9. LIV, 10. LV, 12. Jer. IV, 24. XII, 12. Dan. III, 75. Joël. III, 18. Amos IX, 13. Mich. IV, 1. Hab. IV, 6. Quare facile viatores, fideles in hoc gentium deſerto confeſſores a via veritatis, niſi caute incedant & muniti baculo Dei, aberrare poſſunt, Pſ. CVII, 4. XXIII, 4.

IX. 7. *Deſertum* apud veteres omnibus horrori erat, quia in illis *impuros ſpiritus*, *dæmones* ac *faunos* horridos habitare ac vagari credebat, imo Deas quoque in illis degere ſibi perſuadebat antiqua fides. AVIAN. *fab. 29. p. m. 166.* de Satyris:

Hunc nemorum cuſtos fertur miſeratus in antro
Exceptum Satyrus continuiſſe ſuo.

& MAR-

& MARTIAL. *Lib. IV. ep. 44.*

Hæc juga quam Nyſæ colles plus Bacchus amavit,
Hoc nuper Satyri monte dedere choros.

& *Lib. IX. ep. 62. de faunis,*

Sæpe ſub hac madidi luſerunt arbore Fauni,
Sæpe ſub hac latuit ruſtica fronte dryas.
Dumque fugit ſolos nocturnum Pana per agros,
Terruit &c.

& VIRGIL. *Ecl. VI. v. 27.*

Tum vero in numerum faunos ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.

Hiſce ſacrificia offerebant vel ex fructibus agri & arborum, vel ex capris & ovibus: unde OVID. *Lib. II. Faſt.*

Cornipedi Fauno cæſa de more capella,
Venit ad exiguas turba vocata dapes.

& ibidem

Tertia poſt idus nudos aurora Lupercos
Aſpicit & Fauni ſacra bicornis erunt.

& credebantur eſſe dæmones, qui populum terrerent: unde OVID. *in Phædra:*

Nunc furor, ut Bacchi furiis Eleëides actæ,
Quæque ſub Idæo tympana colle movent,
Aut quas Semideæ Dryades, Faunique bicornes
Numine contactas attonuere ſuo.

Plura de faunis apud mythographos veteres & recentiores legere poteris. In ſcriptis ſacris quoque שדים *Dæmones* memorantur, qui ſatyri & fauni gentium erant, quibus Iſraël idololatrico cultu inſerviebat more gentium, Deut. XXXII, 17. Pſ. CVI, 37. qui שדים a שוד vel שדד *vaſtare* ortum ducunt teſte SCHINDLERO, eo quod in locis vaſtis & deſolatis habitent, vel a שדה agro, ut docet *Cel.* SPENCER. *Lib. III. de Leg. Hebr. diſſ. VIII. cap. 3. p. m. 1049.* ed. noviſſ. & ex eo Ven. VRIEMOETH. *obſ. in Matth. p. 34.* Eosdem ſpiritus per ציים intelligunt LXX. quando Δαιμόνια vertunt Jeſ. XXXIV, 14. quia in locis aridis & deſertis degunt, conf. Jer. L, 38. 39. & LXX.

Jeſ.

Jeſ. XIII, 21. ubi Deus deſolationem Babylonis deſcribit, vertunt: καὶ ἀναπαύσονται ἐκεῖ σειρῆνες, καὶ δαιμόνια ἐκεῖ ὀρχήσονται. MAIMONID. *quoque in Mor. neb. p. III. cap. 30.* de Zabiis ſcribit: *Memorant in libris ſuis, quod propter iram Martis deſerta & deſolata loca careant aquis & arboribus & dæmones horrendi loca illa incolant,* Plura adfert SPENCER. *l. c.* conf. & GROT. *in Matth. XII.*

Tale quoque deſertum gentium eſt, habitaculum *dæmonum* ac *ſpirituum impurorum.* Hi non ex captu vulgi & ſuperſtitione gentium in deſertis, ſed in deſerto gentium degunt, Ita intelligendus locus Matth. XII, 43. quando Salvator dicit: *Quum impurus ſpiritus exierit, ambulat δι᾽ ἀνύδρων τόπων, per loca arida, quærens requiem, & non invenit,* ubi non proprie loca arida & deſerta cum *Grotio, Guſſetio;* nec cum OLEARIO Doctiſſ. infernales dæmonum ſedes, ſed *gentiliſmum* intelligimus; Diabolus ſc. ex Judæis expulſus ad gentes tranſibat, in iis dominaturus, ſed quum per lucem Evangelii inde quoque expulſus nullam requiem inveniret, redibat ad Judæos occæcatos & totum ei quaſi cor aperientes. conf. de loco hoc Cl. WOLF. *Cur. Philol. part. I. p. 223.* AMEL. Erörter. *N. T. Tom. II. p. 146. ſq.* ZORN. *biblioth. antiq. exeg. p. 515. ſq.* OLEAR. *obſerv. in Matth. l. c. p. 407.* alios. Et ſane deſertum gentium ante Chriſti adventum & præconium Evangelii thronum erexerat & domicilium perpetuum Satanæ & impuris ſpiritibus, per horrendam idololatriæ ſegetem, Rom. I, 23--25. ſine Deo erant ejusque cognitione; Deus autem ipſorum erat Satanas, qui Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου appellatur, 2. Cor. IV, 4. Quare ambulabant gentes ex nutu principis cui eſt poteſtas aëris, & ſpiritus operantis in hominibus contumacibus, Epheſ. II, 2. dominabatur in gentes & terrebat eos horrenda tyrannide; quare & dæmonibus immolabant, illis viribus ſuis litabant, & horrenda idololatria ſe mancipabant. Deus autem miſit Filium ut hæc Satanæ opera & domicilium devaſtaret, etiam in gentibus, 1. Joh. III, 8. Matth. XII, 28. 29.

X. 8. Deſerta quoque montibus & collibus munita, *antris & latibulis,* in quibus *latrones* atque *fures* viatoribus inſidiabantur, ſæpe celebria erant. Talis erat ſpelunca in deſerto, in quam conji-

ciebant Joſephum fratres ejus, Gen. XXXVII, 22. Huc reſpicitur quoque Thren. IV, 19. *Leviores ſunt qui perſequuntur nos, aquilis cœli. In ipſis montibus inſectantur nos, in ipſo deſerto inſidiantur nobis.* ita & Tribunus ad Paulum dicit Act. XXI, 38. *nonne tu es Ægyptius ille, qui eduxiſti in deſertum quatuor millia ſicariorum?* ita Apoſtolus 2. Cor. XI, 26. *pericula latronum & pericula in ſolitudine* ſeu deſerto conjungit. conf. etiam Hebr. XI, 38. Tale antrum memorat AVIAN. *fab. XIII.* init:

Immenſum taurus fugeret cum forte leonem,
Tutaque deſertis quæreret antra viis,
Speluncam reperit, quam tunc hirſutus habebat &c.

Talis erat ſpelunca, quam deſcribit ÆLIAN. *hiſt. Lib. XIII. cap. 1.* σπήλαιον βαθὺ πάνυ, *antrum omnino profundum* in deſerto. In antris ejusmodi latebant Taphii latrones, de quibus APOLLON. *Lib. I. argon. v. 749.*

Οἱ μὲν ἀμειβόμενοι, ἀτὰρ οἵγ᾽ ἐθέλοντες ἀμέρσαι
Ληΐσαι Τάφιοι.
Illi obſiſtentes, aſt hi ſpoliare volentes,
Prædones Taphii.

& de *Cyclopibus* HOMER. *Odyſſ. Lib. IX. p. m. 117.*

- - - οὔτε θέμιστες,
Ἀλλ᾽ οἵγ᾽ ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα
Ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι

Illis neque jura ſunt, ſed habitant in ſpeluncis cavis, effoſſis in cacumine montium. De antiquis Luſitanis etiam teſtatur STRABO *Lib. I. p. m. 19.* quod latrociniis indulſerint in ſpeluncis. Et de ſpecubus Naupliæ vide eundem *Lib. VIII. p. m. 243.*

Deſertum quoque gentium erat *antrum ac ſpelunca latronum,* in quo tot ſicarii, latrones & hoſtes veritatis latebant, qui inſidias confeſſoribus veritatis ſtruebant. Hinc tot cruentæ martyrum in gentiliſmo cædes, præcipue primis N. T. temporibus. Quare confeſſores veritatis conqueruntur Pſ. XLIV, 23. *propter te occidimur toto die, reputamur inſtar ovium mactationis.* Egregie *Cant. III, 6.* comparantur cum *columna fumi* deſcendente *e deſerto,* quia igne & ferro in

teſtes

teſtes veritatis ſæviebatur in gentiliſmo. Hæc eſt afflictio decem dierum, Apoc. II, 10. Memorat *Euſebius*, memorat *Theodoretus* & *Sulpitius Severus* tot ſanguinum flumina in deſerto gentium effuſa, quæ paſſim in hiſtoria Eccleſiaſtica annotarunt, conf. in ſpecie BASNAGE *in Annal.* & ſing. diſſ. *contra Dodwell.* LOESCHERI, & ex ſcriptoribus profanis TACIT. *Lib. XV. cap.* 44. qui de perſecutione Neronis ſcribit: *Et pereuntibus* (Chriſtianis) *addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur. Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat.* adde SVETON *in Vita Neron. cap. XVI. p. m. 591.* ubi SCALIGER *in Comm. citat inſcript. vet.* NERONI. CLAUDIO. CÆSARI. AUG. PONTIF. MAX. OB. PROVINCIAM. LATRONIBVS. ET. HIS. QVI. NOVAM. GENERI. HVMANO. SVPERSTITIONEM. INCVLCARANT. PVRGATAM.

XI. 9. Homines incolæ deſertorum plerumque erant *horridi, truces, torvi ac inhoſpitales*, moribus cruentis ac indomitis, & ferarum magis quam hominum naturam imitabantur. Talis erat Iſmaël in deſerto habitans & jaculator efferus cum arcu, Gen. XXI, 20. Ita Meſſiæ dominaturo ad extrema marium etiam *barbari*, incolæ deſertorum, ſubjiciendi erant, Pſ. LXXII, 9. Tales quoque incolas deſcribit DIONYS. PERIEGET. *p. m. 10. v. 186.*

> Τοῖς δ᾽ ἔπι δὴ Νομάδων παραπέπτα τ᾽ ἄσπετα φῦλα,
> Ἔνθα Μασαισύλιοί τε καὶ ἀγρόνομοι Μασυλῆες
> Βόσκονται σὺν παισὶν ἀν᾽ ἤπειρόν τε καὶ ὕλην
> Μαιόμενοι βιότοιο κακὴν καὶ ἀεικέα θήρην
> Ἀλλ᾽ αὔτως, ἅτε θῆρες, ἀνὰ δρύα βουκολέονται
> Νήϊδες ἀσταχύων, καὶ ἀπευθέες ἀμήτοιο.

> *Poſt has autem Nomadum longe lateque diſperſæ ſunt nationes infinitæ,*
> *Ubi maſæſyliique & in agris degentes Maſſylenſes*
> *Paſcuntur cum liberis per continentem & ſylvam,*
> *Quærentes victus miſera & fœda venatione;*

Sed & paſſim more ferarum per ſylvas paſcuntur,
Inſ ii ſpicarum & ignari meſſis.

Similiter DIODOR. *Lib. IV.* ſcribit: Τὸν δὲ πόντον κατ᾽ ἐκείνους τοὺς χρόνους περιοικούμενον ὑπὸ ἐθνῶν βαρβάρων καὶ πολυτελῶς ἀγρίων ἄξενον προσαγορεύεσθαι, ξενοκτονούντων τῶν ἐγχωρίων τοὺς καταπλέοντας. *Pontus autem cum illis temporibus circumhabitaretur a gentibus barbaris & prorſus feris, & locorum incolæ trucidarent hoſpites adnavigantes &c.* Ita & XENOPHON de barbara gente *Moſynœcorum:* Τούτους ἔλεγον μὲν στρατευσάμενοι βαρβαρωτάτους διελθεῖν, καὶ πλεῖστον τῶν Ἑλληνικῶν νόμων κεχωρισμένους. *Hos dicebant noſtri commilitones, omnium per quorum fines tranſiiſſent, eſſe inhumaniſſimos & a Græcorum moribus maxime alienos.* De Colocynthopiratis teſtatur LUCIAN. *Ver. hiſt. Lib. II. p. m. 510.* ἄνθρωποι δέ εἰσιν οὗτοι ἄγριοι ἐκ τῶν πλησίων νήσων λῃστευόντων τοὺς περιπλέοντας *Homines autem immanes ſunt hi, ferique, qui ex vicinis Inſulis navigantes infeſtant.* Quales & erant Garamantes, de quibus idem LUCIAN. de *Dipſad. p. m. 841.*

Et gentiliſmi aſſeclæ barbaris maxime moribus erant; erant enim extra civitatem Iſraëlis, alieni a promiſſionibus, ſpe deſtituti, & absque Deo fœderato in hoc mundo, Eph. II, 12. Erant filii iræ natura ſua, v. 3. arbores erant feræ & ſylveſtres, non niſi fructus tenebrarum proferentes. Qui omni veri Dei cognitione per vana cordis ratiocinia & pravas voluptates abnegata, in tenebris & malitia perſeverabant. Talis erat gentium ſtatus ſub initio N. T. quando ad regnum Meſſiæ eſſent adducendæ. Tunc deſertum mutandum erat in arvum, Jeſ. XXXII, 15. *Lætabitur deſertum & exultabit ſolitudo, florebitque inſtar roſæ, germinando germinabit,* Jeſ. XXXV, 1. conf. Jeſ. XLIX, 6. Malach. II, 11. Tunc depoſita natura effera ac moribus neglectis barbaris, ſubditi Regis Meſſiæ futuri, *pardi cum hœdis, lupi cum agnis, vituli cum leonibus in uno agro paſcentur*, Jeſ. XI, 6. Qui inſtar ferarum ſævierant, manſuetudinem erant induituri, renovandi ad imaginem divinam, Eph. IV, 22-24. Col. III, 10. 2. Cor. V, 17.

XII. 10. Deſertum *ſolis æſtu* maxime torretur, adeoque *aëre* ſubtili & *ſulphureo* maximeque ſæpe nocivo repletur; *fulminibus* inſuper

ſuper ac *ventis ardentibus*, qui in regionibus aridis, lethales erant, expoſitum eſt. Sæpius in ſcriptis ſacris huc reſpicitur. Ita Jer. XIII, 24. *venti deſerti* mentio injicitur, & Job. I, 19. *ventus magnus a plaga deſerti* memoratur. Et de *igne* ſc. fulminis, *qui conſumſit habitacula deſerti & flamma accendente arbores agri* ſ. ſylveſtres, vide Joël. I, 19. Ita de deſerto Libyæ ſcribit LUCIAN *Opp. Tom. II. p. m. 841.* ἢ πῶς γὰρ ἂν οἰκοῖτο ἀνήμερος οὕτω καὶ ξηρὰ καὶ ἄφορος οὖσα, καὶ πολλῷ τῷ αὐχμῷ πιεζομένη, καὶ τὸ θάλπος αὐτὸ, καὶ ὁ ἀὴρ κομιδῇ πυρώδης καὶ φλογερὸς ὢν, καὶ ἡ ψάμμος ὑπερζέουσα. *Aut quo pacto inbabitari poſſet locus ita durus & implacidus, tum etiam aridus & frugibus arboribusque juxta infœcundus, quique tam moleſtis fervoribus ſit ſubjectus? cum ipſe quoque calor &* aër *nimium* ardens *ſit &* igneus, *& inſuper arena magnopere fervens.* et paulo ante γῆν διακεκαυμένην, *terram ſolis ardoribus exuſtam* vocaverat. Quare & CLAUDIAN. *III. Conſ. Honor.* canit:

Ite per ardentem Libyam, ſuperate vapores
Solis, & arcanos Nili deprendite fontes.

KIRCHER. *in Mund. ſubterran P. I. p. m. 84.* de deſertis Tartariæ ſcribit: *Tanta aëris dicitur eſſe ſubtilitas, ut ſine periculo interclusionis ſpiritus vix conſiſtere queant. Eſt & aër ita ad inflammationem diſpoſitus, ut viatores flammas eructare videantur, immenſoque ſudoris effluvio inflammati, toti ignei cernantur.* De nocivis Palæſtinæ euris conſtat apud plurimos, præcipue in Arabiæ deſertis, de quibus Doctiſſ. CALMET ad Hab. I, 6 -- 8 *Ces vents,* inquit, *qui venoient de l' Arabie deſerte, ſont brûlans & tres dangereux dans tout ce païs là, tant à cauſe de leur propre ardeur, que de la pouſſiere, & du ſable, qu'ils entrainent.* KÆMPFER. *in amœn. exot. faſcic. IV. Relat. II. p. 3.* ſcribit: *His pondus prægrave addunt ſingularis notæ venti ex Euro occidente poſt meridiem flantes, æſtuoſi adeo, ut ex orci faucibus propelli magis formidandi nequeant;* & paulo poſt: *ex eorum quippe occurſu, præſertim in turbinem ſi agantur, viatores nonnunquam proſterni & præcluſo ſpiritu ſuffocari contigit.* vide & PHILON. *de vita Moſ. p. m. 621.* Plura de ventis igneis vide apud *Cel. & Doctiſſ. Virum* N. NONNEN in *diſq.* perquam erudita *de baptiſmo ignis in*

Muſ. Brem. Vol. I. P. III. faſc. V. nec non Cl. ZORN. *opuſcul. II. p. 140. ſq.* Ita & fulminibus ſæpe obnoxia ſunt loca deſerta; uti canit HESIOD. *θεογον p. m. 151. ed. Græc. v. 861*

- - - *πολλὴ δὲ πελώρι καίετο γαῖα*
Ἀτμῇ θεσπεσίῃ, καὶ ἐτήκετο κασσίτερος ὥς.
- - - *multa autem ac vaſta ardebat terra*
Vapore ingenti & liqueſcebat inſtar ſtanni.

Hoc ſi deſerto gentium applicabis, non ſolum vapores ac fumos ſulphureos peccatorum, vitiorum ac idololatriæ fœtidos, ſed & igneos ventos ac fulmina iræ divinæ ejusque excandeſcentiæ deteges. E medio illorum aſcendebat fumus peccatorum inſtar fœtoris in naribus ſupremi Numinis, qualis ex Sodomæ & Gomorrhæ abominationibus in cœlum turgebat, Gen. XVIII, 20. 21. Jeſ. III, 10. Quare peccata graviora nebulis & vaporibus comparantur Jeſ. XLIV, 22. LXV, 5. & idololatriæ ingraveſcentis abominationes cum fumo ex abyſſo conferuntur Apoc. IX, 2. ex ore pſeudo-prophetarum orto & homines i. e. confeſſores interimente, v. 17. 18. Quare & *fulmina* & *venti ignei* graviorum Dei judiciorum, gentes vexabant; venti enim noxii ſymb. iræ & judicii divini ſunt. conf. Jer. IV, 11. Ezech. XVII, 10. XIX, 12. Hoſ. XII, 1. Pſ. XCI, 6. &c. Judicia emphatice paſſim apud prophetas præprimis Jeſaiam, in gentes denuntiantur, præcipue eas, qui populum Dei male tractaverant, & ſub N. T. in gentiliſmo judicia Deus horrenda poſt perſecutiones Chriſtianorum exſeruit, Pſ. LXVIII, 3. *Sicut fumus propellitur, illi fugabuntur, ſicut liqueſcit cera a facie ignis, peribunt impii a facie Dei.* Pſ. II, 5. 9. *alloquetur eos in ira ſua, & in æſtu iræ perturbabit eos. Confringet eos ſceptro ferreo, ut vas figuli conteret eos.* Apoc. VIII, 8. 9. *Mons magnus igne ardens*, imperii Romani, *conjectus eſt in mare, & tertia pars maris facta eſt ſanguis.* Conf. apud LACTANT. *de mortibus perſecutor.* judicia hæc divina abunde congeſta.

XIII. II. *Varia deſertorum genera* addere poſſemus & *nomina.* Sunt enim vel ad *mare* & oceanum ſita, vel in *terris* incultis ac remotis; ſunt porro vel *paſcua* vel plane *arida*; ſunt denique vel *paludoſa* vel etiam *arenoſa*. *Arenoſa* erant plerumque in continenti ſita, qualia

lia erant Libyæ deſerta & Arabiæ, de quibus *Strabonem*, *Plinium*, *Lucianum*, *Bochartum* paſſim jam citavimus; *paludoſa* plerumque ad fluvios ſeu oceanum ſita erant, quales plerumque erant inſulæ deſertæ, quarum nonnullas ſupra ex *Dionyſ. periegete*, *Homero*, *Diod. Siculo*, *Strabone* &c. memoravimus. Varia autem deſerta erant *paſcua*, VIRGIL. *Georg. Lib. III. 341.*

Paſcitur, itque pecus longa in deſerta.

LUCRET. *Lib. V.*

Avia per memora ac ſylvas, ſaltusque reperta,
Per loca paſtorum deſerta.

conf. Num. XIV, 33. Jer. IX, 10. Joël. II, 22. Pſ. LXXVIII, 52. 1. Sam. XXV, 21. Pluribus hoc demonſtrat Cl. *Th.* HASÆUS *in diſſ. de 99. juſtis Bibl. Brem. Tom. I. p. 99. faſc. II.* Cl. LAMPE in *Joh. Tom. II. p. 129. in not.* In ſcriptis ſacris varia & plurima memorantur deſerta; Berſabæ, Gen. XXI, 14. Pharan, Gen. XXI, 21. Ethan ad mare algoſum, Exod. XIII, 18--20. Sur, Exod. XV, 22. Sin, Exod. XVI, 1. Sinai, Exod. XIX, 1. Num. X, 12. Arnon, Num. XXI, 13. Kades, Num. XXVII, 14. Siph, 1. Sam. XXIII, 15. Maon, 1. Sam. XXIII, 25. Engeddi, 1. Sam. XXIV, 2. Gibeon, 2. Sam. II, 24. Edom, 2. Reg. III, 8. Maſſa, Pſ. XCV, 8.

Varius hac ratione gentium ſtatus ac conditio depingitur. Quædam gentes ſunt inſtar deſerti *aridi*, ubi nec aqua doctrinæ ſalutaris & donorum Spiritus S. nec plantæ & fructus reſipiſcentiæ deprehenduntur. Quædam *rore cœli*, mediorum gratiæ in populi Dei medio habitantes, ſæpe irrigantur & per converſionem fructus reſipiſcentiæ proferunt. Quædam gentes moribus humanioribus deditæ; quædam horrendis idololatriis & induratis malitiæ ſceleribus ſubmerſæ. Quædam cognitione morali præditæ; aliæ vero plus quam cimmeriis ignorantiæ tenebris tectæ. *Illæ* paludoſis deſertis ſimiles, utpote propria ſapientia & juſtitia ex operibus turgentes, *hæ* absque ullo ſenſu ac convictione in obdurata cordis pravitate perſeverantes. Sic Ninive reſipiſcens ab hac, & Tyrus atque Sidon obdurata ab altera parte coram judice apparebunt Matth. XI, 21. 22. Luc. XI, 32. & plurima pars incolarum orbis habitabilis olim a Deo fuit rejecta, ſolo Abrahami ſemine in po-

pulum

pulum fœderatum aſſumto, Act. XIV, 15. 16. 17. Pſalm. CXLVII, 19. ſq.

XIV. In hoc autem deſerto gentium hactenus inculto jam *habitaturum* erat *judicium*, quando ſub N. T. gentes in pomœria regni Dei alliciendæ, & in ſinum Eccleſiæ recipiendæ erant. Tunc משפט non *verbum* ſolum *veritatis*, quod ſæpius in ſpecie Pſ. CXIX. ſub hac voce deſignatum occurrit, ſed & *Spiritus S.* qui eſt ſpiritus *judicii*, Jeſ. XI, 3. 4. Spiritus, qui *judicabit* & coarguet mundum gentium de peccato, juſtitia & judicio Joh. XVI, 8. ſq. in deſerto gentium dominaturus erat. Adeoque expulſo principe tenebrarum, & perverſa idololatria ſuffocata, dominabitur in deſerto hoc gentium verbum veritatis & ſpiritus judicii.

Pudeat ergo Eccleſiam Proteſtantium externam, quæ ex gentiliſmo per præconium & miniſterium agricolarum myſticorum in arvum, rore verbi Evangelici irrigatum fuit converſa, quod magis deſerto quam agro fertili ſimilem ſe ſiſtat. Ubi ſunt fructus reſipiſcentiæ & grati animi, qui Deo debentur? In multis locis ſimilis eſt ſterilibus Gilboæ montibus, non niſi ſpinas ac vepres operum malitiæ proferentibus. Similis eſt terræ toties pluviam ac rorem cœleſtem mediorum gratiæ imbibenti, & tamen ſterili naturæ indulgenti, quæ proxima eſt maledictioni & combuſtioni excandeſcentiæ Jehovæ, Heb. VI, 7. 8.

Quot corda confeſſorum externorum deſerto ſimilia ubique apparent in agro Eccleſiæ irrigato! Remoti a communione Dei & verorum Chriſti membrorum, alienati a vita Dei, Eph. IV, 18. quorum animus aridus absque ulla Dei ſalutari cognitione & aquis meritorum gratiæ contabeſcit, nec ulla tamen ſiti hujus aquæ ſalutari prædita eſt, Apoc. III, 18. qui inſtar arborum ſylveſtrium nullo vitæ ſpiritualis ſucco ſed concupiſcentiis naturæ turgent, & inſtar vitis ſylveſtris acinos vitiorum ac operum malorum proferunt; quorum concupiſcentiæ inſtar ſpinarum omne convictionis ſemen, per præconium Evangelii ſparſum, ſupprimunt. Matth. XIII, 22. quorum corda *duriora petris* ac rupibus, ubi nec malleus convictionum Spiritus, nec pluvia mediorum gratiæ penetrat unquam; in quorum anima *impuri ſpiritus* dominantur ac concupiſcentiæ pravæ inſtar *avium impurarum* nidulantur,

tur, Rom. VI, 19. 1. Pet. II, 11. Apoc. XVIII, 2. quorum animus munitur *montibus* ac *vallibus* præjudiciorum carnalium ac peccatorum ingraveſcentium, ut omnis aditus Spiritui convincenti quaſi præcludatur, 2. Cor. X, 5. Gen. VI, 3. Princeps tenebrarum cum *dæmonibus* occupat aditum, & in *antro* hoc ſqualido nonniſi conſilia lethalia animæ immortali cuduntur, ita ut ipſa in antro corporis, peccatis ac vitiis horrido, pereat ſæpe æternum. conf. Jeſ. XLIV, 20. Jer. XLV, 5. Et ita *fulmina* iræ divinæ per *vapores ſulphureos* peccatorum ſuorum alliciunt, atque flammis æſtus Jehovæ conſumentur, 2. Theſſ. I, 9. 10.

Beatæ animæ, quarum cor olim vaſtum ac deſertum, per Spiritum Dei in arvum eſt immutatum, Jeſ. XXXII, 15. Eph. V, 8. 9. quæ inſtar palmarum virent in atriis Jehovæ Pſ. XCII, 14. 15. & inſtar telluris fertilis fructus centuplices proferunt, Matth. XIII, 23. fructus reſipiſcentia dignos, fructus Spiritus quos recenſet Apoſt. Gal. V, 22. illæ aliquando ex arvo Eccleſiæ in atria cœli, in paradiſum transplantatæ virebunt, & fruges laudis ac celebrationis gerent æternum.

EXERCITATIO IX.
DE
SPECULATORIBUS MONTIUM
SYMB. DOCTORUM N. T.
JESA. LII, 8.

ARGUMENTUM.

§. I. Vocis צפה *origo & ſignificatio eruitur, & cum Latin.* Speculator *convenire docetur. §. II. Speculatores, vigiles, cuſtodes, Deorum, §. III. & Angelorum, §. IV. nec non Regum ac Imperatorum.*

§. V. denique & Doctorum N. T. emblema eſſe probatur. §. VI. Analogiæ inter ſpeculatores & cuſtodes Jud. gentiumque, ac doctores N. T. enucleantur. Ubi A) varia cuſtodum genera memorantur. Erant cuſtodes urbium in muris aut turribus conſtituti; §. VII. cuſtodes domuum nec non palatiorum ac corporis, regum atque imperatorum; §. VIII. cuſtodes templorum ac ædium ſacrarum, quales Levitæ ſub V. T. præcipue notantur, quorum varii generis excubitores memorantur, obſervatores novilunii, auroræ, hirci azazelis &c. §. IX. cuſtodes gregum atque pecorum apud antiquos, §. X. cuſtodes hortorum atque arvorum veteres; §. XI. cuſtodes matronarum, virginum atque juvenum nobilium; §. XII. cuſtodes & vigiles in caſtris & præliis excubantes; §. XIII. cuſtodes in navibus, nec non ſpeculatores in mari; §. XIV. denique qui in loco noſtro memorantur ſpeculatores montium, quales hi fuerint. §. XV. B) pergimus ad officia & qualitates ſpeculatorum. Vigiles eſſe debebant noctu diuque; §. XVI. Igne *accenſo in montibus vel ſpecula, nec non tubæ clangore ſignum edebant. §. XVII. Armatos eſſe oportebat contra pericula; §. XVIII. à Præfecto vigilum luſtrabantur; & male excubantes puniebantur. §. XIX. Tandem avocabantur a ſpecula quando horas determinatas vigiliis incubuerant, ſubſequentibus aliis. §. XX. Epilogus practicus cum implemento prophetici loci additur.*

I.

Emphaſin ſpirant verba prophetica in ſolatium Eccleſiæ producta a vate *Jeſa. LII, 8.* קול צפיך נשאו קול יחדו ירננו *Vocem ſpeculatores tui attollunt, vocem inquam, pariterque cantant.* In ſpecie hoc loco notanda nobis vox eſt צפה quod a צפה *ſpeculari*, σκοπεύειν, ἐπόπτεσθαι ortum trahit. Significat ergo talem, qui *inſpicit & obſervat* rem aliquam. In ſpecie notat *obſervatorem* in *ſpecula* conſtitutum, uti Jeſ. XXI, 5. צפה הצפית *ſpeculator ſpeculæ*, conf. 2. Reg. IX, 17. & 2. Sam. XIII, 24. הנער צופה *puer ſpeculans.* conf. & Jer. VI, 10. unde צפית *ſpecula* & מצפה Eſ. XXI, 5. & 8. 2. Chron. XX, 24. Talmudici latinam vocem *Speculator* ſervant,

vant, & exprimunt per ספקלטור ut in *Targum Hieroſ.* legitur ספקלטוריא vid. BUXTORF. *Lex. p. 1533. ad h. v.* Vox Latina autem *SPECULATOR*, apud Romanos erat frequentiſſimi uſus. Dicebantur autem ita non ſolum ſatellites Regum ac Imperatorum, quibus etiam ſontes tradebantur occidendi; ita *Marc. VI*, 27. mittitur ΣΠΕΚΟΥΛΑΤΩΡ SPECULATOR Herodis ad caput Johannis amputandum; adeoque parum differebant a lictoribus. Sed & vox generaliori notione *Cuſtodes* & *Vigiles* denotat, uti infra de excubiis militum demonſtrabimus. Et hoc ſenſu vocem צופה quam optime *Speculatorem* vertes, etiam capimus; in priori verſu de *præconibus*, quorum pedes, in montibus grati deprædicantur, ſermo eſt, qui jam comm. ſeq. ut צפים conſiderantur ſc. in *montibus conſtituti obſervatores*.

II. Vario autem ſenſu emblematico *cuſtodes, ſpeculatores* atque *vigiles* in ſcriptis ſacris adhibentur.

a. Primo quidem ipſe *Deus* tanquam צופה populi ſui *ſpeculator* atque *cuſtos* conſideratur, veluti Hoſ. IX, 8. צפה אפרים עם אלוהי *Qui ſpeculatur Ephraimum, apud Deum meum eſt.* Prov. XV, 3. *oculi Dei* צפות רעים וטובים *ſpeculantes bonos* atque *malos* conſiderantur. quare & Pſ. CXXI, 4. שמר ישראל *cuſtos Iſraëlis* vocatur, & v. 5. יהוה שמרך *Jehova cuſtos tuus.* Job. VII, 10. נצר אדם *cuſtos hominum.* Huc refer locum Eccl. V, 7. כי גבה מעל גבה שמר וגבהים עליהם *Nam altus ſuperior alto eſt cuſtos, altiſſimus ſuperior illis.* Et שמר העיר *cuſtos urbis* vocatur, Pſ. CXXVII, 1. & שקד *vigil* Jer. XXXI, 28. In hunc cenſum quoque refer Dan. IV, 14. ubi de decreto עירים *vigilum* & קדושין *ſanctorum* mentio injicitur, per quos non cum *Judæis & Caſtellione* intelligimus *angelos*, utpote quos nunquam Deus in communionem decretorum aſſumit, ſed Deum & quidem *Trinunum* intelligendum cenſemus, qui קדושים *Sancti* vel addita voce אלהים *Sancti Dii* ſ. Deus Sanctus nominatur, Daniel. IV, 5. 6. 15. Joſ. XXIV, 19. adeoque tres perſonæ Divinitatis עירים *vigiles* apte vocantur. conf. *διάσκ.* de h. l. P. ZORNII *in Bibl. Brem. Tom. V. p. 442. ſq.* Quare & Chriſtus ΕΠΙΣΚΟΠΟΣ *τῶν ψυχῶν*, *Inſpector animarum dicitur*,

 1. Pet.

1. Petr. II, 25. adde teſtimonium Judæorum; ita in *Berach. fol. 3. col. 1.* R. ELIESER dicit: שלוש משמרות הוי הלילה ועל כל משמר ומשמר יושב הקב"ה ושואג כארי שנאמר ה' ממרום ישאג וגו': *Tres vigilias habet nox, & in unaquaque vigilia ſedet Deus Sanctus & Benedictus, ac rugit inſtar leonis, ſicut dicitur: Dominus de excelſo rugit, & de habitaculo edit vocem ſuam.* Quare & gentes *Deos* inſtar *vigilum & cuſtodum* conſiderabant, in quorum tutela omnia eſſent; ita HORAT. *Lib. III. Od. 22.* de Diana:

Montium CUSTOS, nemorumque virgo.

& de Phœbo canit THEOGNES *in ſentent. v. 779.*

- - - ἀλλὰ σὺ Φοῖβε
Ἵλαος ἡμετέρην τήνδε φύλασσε πόλιν.
Sed tu Phœbe propitius noſtram hanc civitatem
CUSTODI.

Unde & HORAT. *Ep. II. 6.* canit:

- - *utque ſoles, CUSTOS mihi maximus adſis.*

conf. & alia loca a Cl. IAC. HASÆO adducta in *Bibl. Brem. Tom. I. p. 296. &c.* Inprimis *Jupiter* quaſi Deorum ſummus hoc titulo inſignitur. Unde toties apud GRUTER. *in Inſcript. antiqu.* legitur, ut *pag. XIX. n. V.*

IOVI. CVSTODI. QVIRINO
SALVATORI
PRO. SALVTE. CÆSARIS. &c.

& *num. VII.*

IOVI. CVSTODI. SACR. EX. INDVLGENTIA
DOMINORVM. SVCCESSVS
PVBLICVS. MVNICIPIVM. &c.

& *pag. XX. n. I.*

IVPITER
CVSTOS
DOMVS AVG.

Huc

Huc refer Θεȣ̀ς πολιȣ́χȣς Gentium, uti Apollo CICERONI *de Nat. De r. Lib III. cap 23.* CUSTOS *Athenarum* dicitur.

III. b. Inſuper *angelorum* quoque cohors titulo *vigilum* ſeu *cuſtodum* inſignitur in ſcriptis ſacris, non quidem in loco Dan. IV, 14. ut Judæi perperam contendunt; melius per *vigilem ſanctum* a cœlo deſcendentem cum mandato altiſſimi, Dan. IV, 23. intelligeremus angelum ſeu legatum Dei, licet & angelus increatus intelligi commode poſſet. Huc vero refer Pſ. XCI, 11. 12. כי מלאכיו יצוה לך לשמרך בכל דרכיך *Quoniam angelis ſuis præcipiet de te, ut* CUSTODIANT *te in omnibus viis tuis.* Sunt enim πνεύματα λειτȣργικὰ, quibus Deus in cuſtodiendo populo ſuo utitur, Hebr. I, 14. Matth. XVIII, 10. Ita Abraham Eleazaro *angelum Dei cuſtodem* apprecatur, Gen. XXIV, 7. & Pſ. XXXIV, 8 dicitur: *caſtra metantur angeli Jehovæ circa timentes ejus, & conſervat eos.* conf. Dan. III, 25. VI, 22. Act. XII, 11. Ita & Judæi angelos conſiderant inſtar *vigilum Dei,* in *Tract. Talm. Berach. cap. 1.* קסבר שלוש משמרות הוי הלילה והא קא משמע לך איכא משמרות ברקיעא ואיכא משמרות בארצא *Omnino ſtatuit noctem conſtare tribus vigiliis, hoc ipſo voluit dicere, dari vigilias in cœlis* (quod explicant: quibus ſancti angeli turmatim per vices miniſteria ſua obeunt) *& dari vigilias in terris.* Sic citatur in *Aruch* ex *Jelammedenu* אסטטיונר בראתי אותך על אומות העולם אבל על בני אין אתה שולט *Dixit Deus ad angelum mortis: Cuſtodem* ſeu ſtationarium *creavi te ſuper populos mundi, ſed in filios meos nullam habebis poteſtatem.* Similiter de *dæmonibus* ſeu geniis teſtantur gentes, quod *cuſtodes* ſint. Ita HESIOD. *ἔργ. κ. ἡμέρ. v. 122.*

Τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλȣ διὰ βȣλὰς
Ἐσθλοὶ ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.
Illi quidem dæmones facti ſunt Jovis conſilio,
Boni, in terris verſantes, CUSTODES *mortalium hominum.*

& *v. 252.* clarius:

Τρὶς γὰρ μύριοι εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πȣλυβοτείρῃ
Ἀθάνατοι ζηνὸς φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων
Οἵ ῥα φυλάσσȣσίν τε δίκας καὶ σχέτλια ἔργα.

Ter enim decies mille ſunt in terra multorum altrice
Dii Jovis, CUSTODES mortalium hominum,
Qui judicia obſervant & prava opera.

HOMER. *in hymn. Mercur. Opp. T. II. p. m. 361.*

Οὐδὲ Θεῶν μακάρων ἄγε μάρτυρας, ἐδὲ κατόπτας.
Neque beatorum Deorum duxit teſtes neque ſpeculatores.

IV. c. Præterea *Regum* atque *Imperatorum* titulus quoque *Cuſtos* eſt atque *Vigil* ac ἐπόπτης. Huc refer locum Eccl. V, 7. ſupra citatum, ubi Deus tanquam *cuſtos* altiſſimus, ſuperior reliquis, hujus orbis *cuſtodibus altis* opponitur. Quare toties *paſtores* רעים *cuſtodes armenti* vocantur, uti Cyrus Perſarum Rex hoc nomine inſignitur, Ieſ. XLIV, 23. ita de Davide 2. Sam. V, 2. dicitur. *Quum Saul nobis præeſſet Rex, tu eras, qui educebas & reducebas Iſraëlem; denique Jehova tibi dixit*, tu *paſces ſeu reges populum meum Iſraëlem, & tu eris Dux Iſraëlis.* Ita reges Iſraëlem deſtruentes נצרים *Cuſtodes* e terra longinqua vocantur Ier. IV, 16. Uti apud profanos auctores Reges hoc titulo veniunt. Inſignis eſt locus CALLIMACH. *hymn. in Jov. v. 81.*

Δῶκας δὲ πτολίεϑρα φυλασσέμεν· ἵζεο δ' αὐτὸς
Ἄκρῃς ἐν πτολίεσσιν ἐπόψιος οἵτε δίκῃσι
Λαὸν ὑπὸ σκολιῇς οἵ τ' ἔμπαλιν ἰθύνεσιν.
Conſtituiſti CUSTODES urbis, tuque ipſe
Præſides in arcibus Inſpector ſ. SPECULATOR tam *eorum qui legibus*
Populum ſub iniquis, quam qui aliter gubernant.

Unde ENNIUS canit:

- - - *o Romule, Romule dic*
Qualem te Patriæ CUSTODEM DI genuerunt.

Ita HOMERO *Iliad. Lib. XI.* Neſtor ἕρος Ἀχαιῶν *CUSTOS Achivorum* audit. & *Iliad. Lib. XXIV.* de Hectore *p. m. 425.* canit:

- - - ἦ γὰρ ὄλωλας ἐπίσκοπος, ὅςε μὶν αὐτὴν
Ῥύσκευ.
Certe enim periiſti SPECULATOR, qui illam
Cuſtodiebas.

Plura

Plura addere loca poſſemus, niſi jam a *Barthio* in CLAUDIAN. *Lib. III. laud. Stilic. ad vocem* CUSTOS IMPERII, & Cel. IKEN. in *Diſſ. de excubiis Patrum ad Pſ. CXXX, 6.* §. XXVII. eſſent præoccupata, quæ ibi confer. Addimus nummos inſignes ex OISEL. in *Numm. Imp. Tab. XXXV. n. VIII. & IX.* ſc. Neronis & Veſpaſiani, ubi Jupiter cum fulmine, & in altero juvenis cum haſta ad aram ſtans cernitur cum epigr. JUPITER CUSTOS & JOVIS. CUSTOS. quo nummo Imperatores ſe *imperii cuſtodes* deſignare ſolebant, ut docetur in *Commentariis p. m. 160.* & apud GRUTER. *p. m. CLII. Num. VIII.* legitur inſcriptio:

D. GLORIOSISS. ATQ. IN
CLVTVS. REX. THEODORICVS. VICT.
AC. TRIF. SEMP. AUG. BONO. REIP.
NATVS. CVSTOS. LIBERTATIS. ET
PROPAGATOR. ROMANI. NOMINIS
DOMITOR. GENTIVM.

V. d. *Doctores* denique, *Sacerdotes* & *prophetæ* frequenter in ſcriptis ſacris *vigiles*, *cuſtodes*, *obſervatores*, *inſpectores* audiunt. Ita vocantur Cant. V, 7. שמרים הסבבים בעיר *cuſtodes urbem* ſeu civitatem *obeuntes*. & נטרים הכרם *cuſtodes vineæ* myſticæ, quæ eſt Eccleſia, Cant. VIII, 11. & Ieſ. XXI, 8. שמרי בלילה *cuſtodes noctis*. uti & Pſ. CXXX, 6. שמרי לבקר *cuſtodes* ſeu *excubantes ad matutinum*. *Cuſtodes in monte Ephraim* Ier. XXXI, 6. & falſi prophetæ צפים *Speculatores* & quidem *cœci* vocantur Ieſ. LVI, 10. Prophetæ *cuſtodes* in muris Hieroſolymæ ſunt Ieſ. LXII, 8. & de Ezechiele dicit Jehova: צפה נתתיך לבית ישראל *Speculatorem te poſui domui Iſraëlis*, Ezech. III, 17. & Jer. VI, 17. *Speculatores ſuper Iſraëlem ſe conſtituiſſe*, i. e. prophetas, teſtatur Jehova. Et doctores N. T. vocantur *vigiles* ac *cuſtodes* animarum Heb. XIII, 17. qui cuſtodiunt ac paſcunt cœtum Dei, Act. XX, 28. quare toties ἐπίσκοποι, quod idem eſt ac צפה nominantur. vide Phil. I, 1. 1. Tim. III, 2. Tit. I, 7. Act. XX, 28. & ἐπόπται dicuntur 2. Pet. I, 16. Quare apud veteres Chriſtianos Doctores quoque κατάσκοποι & σκοποὶ i. e. *Speculatores* dicebantur,

bantur, conf. pluribus id confirmantem CANGIUM in *Gloſſar. med. Græcit. & Lat.* Sacerdotes quoque gentium *cuſtodes* vocantur. VIRG. *Lib. VIII. Æneid.* huc reſpicere a quibusdam cenſetur;

Et domus Herculei CUSTOS Pinaria ſacri
Hanc aram luco ſtatuit.

Melius huc referimus veſtales *cuſtodes* ignis æterni, *aruſpices*, qui *ἐπί-σκοποι* & *ſpeculatores* ſacrificiorum erant: De quibus SENECA in *Thyeſte act. IV. ſc. 1.*

At ille fibras tractat & fata INSPICIT
Et adhuc calentes viſcerum venas notat.

Tales erant *augures*, cœli phœnomena ſpeculantes. Tales quoque duum-decemviri *cuſtodes* librorum Sibyllinorum, de quibus LUCAN. *Lib. I. pharſal*:

Qui fata Deum ſecretaque carmina ſervant.

De quibus prolixum apud antiquitatum Romanarum ſcriptores commentarium invenies. Tales & apud Judæos Nomo-phylaces erant, ut in *Zohar fol. 139. col. 3.* גרדיני נמוסין *CUSTODES legis* memorantur, & in *Sota fol. 49. c. 1.* dicitur: משמת בן עזאי בטלו השקדנים *A quo tempore mortuus fuit Ben Aſſai, ceſſarunt VIGILES in literis.* vid. BUXTORF. in *Lex Talm. Rabb. p. 2510. ad h. voc.*

VI. *Doctores* quoque N. T. elegantiſſimo titulo *τῶν* צפים SPECULATORUM ſive CUSTODUM inſigniuntur quod ex analogiarum claſſe bina manifeſto patebit. Prima claſſis exhibebit *varia* cuſtodum apud antiquos *genera*: Altera *qualitates* & attributa eorum luſtrabit.

A. Varios ac diverſos apud antiquos Judæos æque ac gentes CUSTODES ac SPECULATORES memoratos deprehendimus.

1. Primum locum occupent CUSTODES URBIS, qui in *muris*, *portis*, *arcibus* aut *turribus* conſtituti, vigilabant atque ſpeculabantur, vel etiam in urbe *circumibant*. Ita Pſ. CXXVII, 1. אם יהוה לא ישמר עיר שוא שקד שמר *Niſi Jehova cuſtodiat* urbem, *fruſtra invigilabit* cuſtos. De ſpeculatore in porta & muro legimus 2. Sam. XVIII, 24. *Conſidebat autem David inter binas portas, & conſcen-*

conſcenderat ſpeculator *in tectum* portæ, *ad ipſum* murum, *qui ſublatis oculis* ſpeculabatur, *& ecce accurrebat quidam ſolus.* De ſpeculatore in turri 2. Reg. IX, 17. Speculator *autem ſtans* in turri *Jezreel, vidit agmen Jehu.* Nehemias quoque Levitas poſuit obſervantes ſeu *cuſtodes portarum* in die Sabbathi, Neh. XIII, 22. & cap. VII, 3. *cuſtodiæ in portis* Hieroſolymæ memorantur. Cuſtodes urbis memorant *Talmudici* in *Erub. fol. 21.* ubi in Gloſſa interrogatur ומה הן בורגנין *Et quid ſunt Barganim?* & reſp. סוכות שעושין שומרי העיר ואינו דבר קבוע *Tuguria vel tabernacula, quæ faciunt CUSTODES URBIS, & non ſunt res fixæ.* & in *Bava Metzia fol. 93. col. 2.* יעקב אבינו חזן מתא הוה דאמר ליה ללבן נטרי לך נטירותא יתירתא כחזני מתא *Jacob Pater noſter SPECULATOR ſive cuſtos URBIS fuit, quod dixerit Labano: Cuſtodivi te cuſtodia ampliſſima, ut cuſtodis urbis ſolent*, ut vertit BUXTORF. in *Lex. p. 730.* & in *Bava Bathr. fol. 68.* המוכר את העיר מוכר את הסנתר *Qui vendit urbem, ſimul vendit CUSTODEM PORTARUM; Gloſſa* addit סנתר *Santhar* העבד הממונה בשער לשמור העיר *eſt ſervus conſtitutus* in porta, *ad cuſtodiendam urbem.* & *AbenEſra* Pſ. CXXX, 6. שמרי בבקר vertit שמרי החומות *cuſtodes murorum.* Huc refer HOMER. *Iliad. IX. p. m. 151.*

> \- - - φυλακτῆρες δὲ ἕκαστοι
> Λεξάσθων παρὰ τάφρον ὀρυκτὴν τείχεος ἐκτὸς,
> Κούροισιν μὲν ταῦτ᾽ ἐπιτέλλομαι.
> *CUSTODES autem ſinguli cubent ad foſſam profundam extra murum; juvenibus hæc præcipio.*

& *Iliad. XXIV. p. m. 420.*

> \- - - περὶ δόρπα φυλακτῆρες πονέοντο,
> Τοῖσι δ᾽ ἐφ᾽ ὕπνον ἔχευε Διάκτορος Ἀργειφόντης
> Πᾶσιν· ἄφαρ δ᾽ ὤϊξε πύλας, καὶ ἀπῶσεν ὀχῆας.
> *Circa cœnas laborabant* cuſtodes,
> *Illis ſomnum infudit internuncius Argicida omnibus,*
> *Moxque aperuit* portas, *& amovit vectes.*

VIRGIL. *Lib. IX. Æneid. v. 159.* canit:

> \- - - vigilum *excubiis obſidere* portas.

 nec

nec non *Lib. IV. æneid. v. 186.*

Luce ſedet Cuſtos, *aut ſummi culmine tecti,*
Turribus *aut altis, & magnas territat urbes.*

Denique THEOGNES in *ſententiis v. 1039.*

Ἔυδωμεν. Φυλακὴ δὲ πόλεις φυλάκεσσι μελήσει.
Dormiamus; cuſtodia vero urbis curæ erit cuſtodibus.

Et N.T. doctores *cuſtodes* ſunt *urbis*, quæ ſymb. eſt Eccleſiæ, urbis Dei vivi, cujus architectus ipſe Deus eſt, Heb. XII, 22. urbis illius in monte exſtructæ Matth. V, 14. præfiguratæ per Hieroſolymas antiquas, Gal. IV, 26. Quare *vigiles in muris Hieroſolymæ* myſticæ vocantur, qui nec noctu nec interdiu vocem cohibent, Jeſ. LXII, 6. *cuſtodes urbem obeuntes*, Cant. III, 3. Illi cuſtodum inſtar urbem hanc perpetua vigilantia, providentia ac precibus cingunt, ne hoſtes veritatis muros illius effringant, aut fures, pſeudodoctores, clam irrepant & theſaurum purioris doctrinæ auferant. Proſpiciunt, ne *ignis* judiciorum divinorum palatia ac domos conſumat. Quare inſtante periculo vocem elevant, & incolas hujus urbis excitant, ut armis ſpiritualibus hoſti occurrant, vel lacrymis reſipiſcentiæ ignem iræ divinæ excandeſcentem quaſi exſtinguant. conf. Ezech. III, 17. 18. Cap. XXXIII, 7-9. Inſiſtunt autem *turri* ſalutis fortiſſimæ, ſc. nomini Jehovæ, Prov. XVIII, 10. hoc eſt propugnaculum ipſorum, Pſ. XCI, 1. 2. XXVII, 1.

VII. 2. Secundo loco notandi cuſtodes *domuum*, præcipue *palatiorum* regiorum, imo ipſius *corporis* regis, qui poſteriores *ſatellites* vulgo dicebantur. Ita Eſth. II, 21. סריסי המלך משמרי הסף *Eunuchi Regis, ex cuſtodibus liminis* regii memorantur, uti *Eunuchi* plerumque apud Perſas cubicularii regii erant. Achis Philiſtæorum Rex Davidem quoque conſtituerat שמר ראשי *cuſtodem capitis ſui*, 1. Sam. XXVIII, 2. Tales erant *ſatellites Saulis*, ipſi adſtantes & limen tentorii ejus cuſtodientes, 1. Sam. XXII, 17. Quales & Abſalom ſibi quinquaginta comparabat, 2. Sam. XV, 1. uti & Adonia, 1. Reg. I, 4. Ita Rehabeam *præfectos ſatellitum*, qui *cuſtodes portæ domus* regiæ conſtituti erant, habebat, 1. Reg. XIV, 27. quales Jehojada ante portas domus Jehovæ conſtituit, ut obſervarent domum ab irruptione, quum Joaſum proclamaturus erat Regem, 2. Reg. XI, 4. & v. 19. *porta ſatellitum*, quam ſc. cuſtodie-

ſtodiebant, memoratur. Tales & ſecundum quosdam *Crethi & Plethi* fuiſſe quidam conjiciunt ex 2. Sam. VIII, 18 XX, 23. qui & ipſum Davidem fugientem comitabantur, 2. Sam. XV, 18. & tanquam fortes heroës *cuſtodes* corporis regii erant. vide Doct. CARPZOV. *Diſſ. de Crethi & Plethi cap. V.* & CLERICUM in *2. Sam. VIII, 18.* nec non H. OPIT. *diſſ. de Crethi & Plethi, Jen. 1672.* quare & Joſepho Σωματοφύλακες appellantur: Tales apud Perſas fuiſſe XENOPHON *Lib. VIII. παιδ.* docet, ſcribens: *τὺς ἐντίμες ἀεὶ παρεῖναι ἐπὶ θύρας, optimates ſemper portas* ſc. regii palatii *obſervare.* & PLUTARCH. *in Pelopida: ἔπειτα τοῖς ἐπὶ θύραις Σατράπαις καὶ Στρατηγοῖς καὶ ἡγεμόσιν ὀφθεὶς, θαῦμα καὶ λόγον παρέσχεν.* & XENOPHON. *lib. VII.* ſcribit: *Λαμβάνει ὖν τέτων μυρίυς δορυφόρυς, οἱ κύκλῳ μὲν νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐφύλαττον περὶ τὰ βασιλεῖα. Accepit horum* (ſc. Perſarum) *decem millia* Speculatorum, *qui noctu diuque regiam cuſtodirent.* & JOSEPH. *Lib. X. antiq.* Σωματοφυλάκων τῦ Βασιλέως mentionem injicit. & *Lib. XI.* eos ante fores palatii excubaſſe teſtatur. Plura de Perſarum *ſpeculatoribus* vide differentem BRISSON. *de reg. Perſ. Princ. Lib. 1. p. m. 20. & 136.* Huc refer inſcriptionem apud LIPS. *Comm. in Tacit. Lib. XIII. p. m. 220.*

HILARIUS. NERONIS. CÆSARIS
CORPORIS. CVSTOS
NATIONE. FRISO.

Ad palatiorum cuſtodes refero HOMER. *Iliad. Lib. IX. p. m. 165.*

Οἱ μὲν ἀμειβόμενοι φυλακὰς ἔχον ὐδέποτ' ἔσβη
Πῦρ', ἕτερον μὲν ὑπ' αἰθέσῃ εὐερκέος αὐλῆς
Ἄλλο δ' ἐνὶ προδρόμῳ, πρόσθεν θαλάμοιο θυράων.
Hi quidem per vices cuſtodias habebant, neque unquam exſtinguebatur
Ignis; alter quidem in porticu bene munitæ aulæ,
Alter autem in veſtibulo ante thalami fores.

Huc reſpicit CLAUDIAN. *Lib. I. de laud. Stilic.*

- - - *quæ veſtibulo foribusque potentum*
Excubat.

PROPERT. *Lib. IV. eleg. 1.*

Non mille excubiæ, nec te ſignata juvabunt
Limina.

Unde & APULEIUS *de mundo* ſcribit: *Ante fores viri fortes, ſtipatoresque regalium laterum, tutela* pervigili cuſtodiam *per vices ſortium ſuſtinebant. Erant inter eos diviſa officia; in comitatu regio armigeri quidam, at extrinſecus ſinguli* cuſtodes *locorum erant.* Plura addit PIGNORIUS *de ſervis p. m. 215. 221. ſq.*

Tales quoque cuſtodes regiæ ac palatii myſtici, quod eſt Eccleſia, ſunt Doctores N. T. Hæc eſt *palatium Regis,* in quod introducitur ſponſa cum ſuis ſodalibus, Pſ. XLV, 16. Hæc eſt *domus Dei, quæ eſt Eccleſia Dei vivi,* 1. Tim. III, 15. Hujus cuſtodes ſunt doctores, utpote qui janitores myſtici excubant ante fores, aditum non omnibus aperiunt. Quare claves hujus domus ipſis ut oſtiariis concreditæ ſunt, quarum ope reſerant reſipiſcentibus & regis cœleſtis faciem quærentibus, aliis autem induratis occludunt, Matth. XVI, 19. Sunt quoque *cuſtodes* & *ſatellites* Regis, corpus ejus quaſi cuſtodientes. Egregie tales deſcribuntur Cant. III, 7. *Circa lectum Salomonis conſtituti ſunt ſexaginta heroës ex fortibus Iſraëlis; omnes gladium ſtringentes.* quo in loco dubio procul alluditur ad *Crethi & Plethi* Davidi & Salomoni a ſatellitio corporis. Defendunt gladio verbi veritatis Regis ſui gloriam coram mundo, Matth. X, 18—20. 31. 32. Excubant perpetua vigilantia & zelo gloriæ divinæ pro ſalute populi Dei & honore regis ipſorum, Marc. XIII, 37.

VIII. 3. Tertio notamus *cuſtodes templorum* atque *ædium ſacrarum*, earumque tum *vaſorum*, tum *rerum ſacrarum.* Sub V. T. ex ordinatione Davidis & Salomonis variæ vigilum claſſes in templo erant conſtitutæ ex Levitis. Uti Eleazar jam conſtitutus erat ad *cuſtodiendam* arcam in domo Aminadabi, 1. Sam. VII, 1. Ita שֹׁמְרֵי הַסַּף *cuſtodes in limine* domus Jehovæ legimus 2. Reg XXIII, 4 *cuſtodes* Levitæ in *portis atrii,* Neh. XI, 19 *janitores oſtii ad tentorium conventus,* 1. Paral. IX, 21. & 1. Chron. XXIV, 4. *quater mille janitores* memorantur, quorum multi inſtar ſatellitum Jehovæ erant, qui palatium regis cœleſtis cingebant, & in XXIV. claſſes dividebantur, 1. Chron. XXVII, 1. ſq.

De

De *excubiis templi* legimus in *Middoth. cap. 1. ſect. 1.* בשלושה מקומות הכהנים שומרים בבית המקדש בבית אבטינס בבית הניצוץ ובבית המוקד והלוים בעשרים ואחד מקום חמישה על חמשה שערי הר הבית ארבעה על ארבע פנותיו מתוכו חמשה על חמשה שערי העזרה ארבעה על ארבע פנותיה מבחוץ ואחד לשכת הקרבן ואחד לשכת הפריכת ואחד לאחורי בית הכפורת *Tribus locis ſacerdotes excubias agunt in domo ſanctuarii. Nimirum in Aſtines, Nitzoz & loco focario. Levitæ vero locis uno & viginti. Quorum quinque manipuli ad quinque ambitus templi portas; quatuor ad quatuor angulos, idque intus. Deinde quinque ad quinque portas atrii magni, & quatuor ad quatuor ejus angulos extrinſecus. Denique unus ad receptaculum oblationum, alius ad receptaculum poſticum, tertio tandem remotius a poſtica adyti parte adſignarunt.* conf. Conſt. L'EMPEREUR *in not. ad h. l.* Quaslibet excubias ex decem Levitis conſtitiſſe teſtantur Judæi conf. R. JUDA LEO *de templo Lib. II. cap. IV.* & SAGITTAR. *de Jan. vet. cap. XVIII. p. m. 124.* teſtatur ad ſingulas januas noctu ſex, interdiu quatuor Levitas excubaſſe, quas excubias forte inter ſe diſtribuebant. conf. etiam LUND. Jud. Heiligth. im Buche vom Tempel, *Lib. II. cap. XXI. XXII. & Lib. IV. cap. VI. §. 10. 11. ſq.* De hiſce cuſtodibus diſſerit quoque MAIMONIDES ex ſcriptura, & ſacerdotes fuiſſe ex eorum numero contendit, in בית הבחירה *Cap. VIII. §. 2.* והשמרים הם הכהנים והלוים שנאמר ואתה ובניך אתך לפני אהל העדות: כלומר אתם תהיו שמרים לו והרי נאמר ושמרו את משמרת אהל מועד ונאמר והחונים קדמה לפני אהל מועד מזרחה משה ואהרן ובניו שמרי משמרת הקדש *CUSTODES erant ſacerdotes & Levitæ, quemadmodum dicitur (Num. XVIII, 21.) ſed tu & filii tui tecum eſtote coram tentorio teſtimonii, id eſt, vos eritis ipſi cuſtodes, ſic quoque dicitur (Num. XVIII, 4.) & cuſtodient cuſtodiam tentorii conventus. Item Num. III, 38. qui vero caſtra metabuntur ante habitaculum verſus ortum, ante tentorium conventus ad orientem, erunt Moſes & Aharon & filii ejus, cuſtodientes cuſtodiam ſanctuarii.* Plura de excubiis Levitarum invenies in P. F. OPITII

Comm. de Cuſtodia templi noct. Kil. 1710. Cuſtodes quoque ædium ſacrarum gentibus fuiſſe, docent ſcriptores, unde VALER. MAX. *lib. 1. cap. 2.* ſcribit. *in Jovis Opt. Max. templo, eximia facie puerum ad excubias tenendas poſuiſſe.* Quare & VIRGIL. *Lib. IV. Æneid. v. 200.* canit:

Centum aras poſuit: vigilemque ſacraverat ignem
Excubias divûm æternas.

& de Sacerdote Dianæ *Lib. XI. Æn. v. 136.*

At Triviæ cuſtos jam dudum in montibus Opis
Alta ſedet ſummis.

nec non HOMER. de Apollinis templi cuſtodibus in *hymn. Mercur.* canit:

Νηόν τε προφύλαχθε, δέδεχθε δὲ φῦλ᾽ ἀνθρώπων,
Ἐνθάδ᾽ ἀγειρομένων.
TEMPLUM cuſtodite, *ſuſcipite autem gentes hominum*
Hic congregatas

Tales vocabantur *ÆDITUI* ſacri, ut in antiquis inſcriptionibus, uti apud ONUPHR. PANVIN. *p. 551.*

SOLI. ÆTERNO. SACR.
PIO. SAL. P. VALERII. CRISPI
SEPTENTRION. SACERDOT. DEI.
INVICTI. M. ANTON. M. F. LIBER
ÆDITVVS. COLLOCAVIT.

Tales quoque *cuſtodes* templi Doctores N. T. futuri. Huc alluditur Pſ. LXXXIV, 11. *Mallem cuſtodire limen in domo Dei mei, quam habitare in tabernaculis improborum.* & Pſ. CXXXV, 1. 2. *Laudate nomen Jehovæ ſervi ejus, qui conſtituti in domo Jehovæ, in atriis domus Dei noſtri.* conf. Pſ. CXXXIV, 1. 2. nec non Pſ. CXXX, 6. *Anima mea exſpectat Dominum præ cuſtodibus ſub auroram obſervantibus auroram.* Quo in loco eleganter alluditur ad ſacerdotes non ad lampadum ſanctuarii lucem excubantes, ut *Geſnerus*, nec mane ſurgentes ad preces cum *Kimchio*, ſed ad obſervatores *auroræ* tempore matutino, de quibus MAIMONID. *ad Tamid. cap. III.* שומר עולה אל מקום גבוה וכשרואה צד המזרח התחיל בו האור אמר: ברקאי

ברקאי רוצה לומר התחילו ברקאי האור *Excubitorum aliquis in locum excelſum aſcendebat, & ſimul ac lucem a parte Orientis erupiſſe perſpexiſſet, clamabat: coruſcationes, vult dicere, coruſcationes lucis cœperunt.* Erant quoque ſpeculatores novilunii, de quibus D'OUTREIN in *clangore Evang. p. 21.* & obſervatores in ſpecula, qui de *hirco Azazeli* nuntium ferebant, de quibus SHERINGHAM *ad Jom. p. m. 76.* BUXTORF. *in Lex. Talm. p. m. 504. & 576.* Typi omnes Doctorum N. T. qui templum Dei, i. e. Eccleſiam 2. Cor. VI, 16. cuſtodiunt, ne ab impuris polluatur peccatoribus, & per diſciplinam Eccleſiaſticam omnes leproſos & impuros excludunt, Matth. XVIII, 15--18. Illi noctu diuque in atriis Jehovæ *ſtant*, miniſterio ſacro & cultui divino operantes. Illi ſunt obſervatores auroræ N. T. & orientis ſolis juſtitiæ, Mal. IV, 2. Jeſ. LX, 1. 2. cujus lucem illuminantem aliis annuntiant, ita ut per *eos lux notitiæ ac cognitionis gloriæ Dei in facie Jeſu Chriſti in aliis exiſtat*, 2. Cor. IV, 4--6. & novam *lunam gratiæ* ac miſericordiæ divinæ annuntiant ſedentibus in umbra mortis, Jeſ. IX, 1. 2. uti & expiationem peccatorum, 2. Cor. V, 19. 21.

IX. 4. Pergimus *quarto* ad *cuſtodes gregum* atque *pecorum*, præcipue *ovium*. Sic 1. Sam. XVII, 20. שמר הצאן *Cuſtos gregis* memoratur. Tales plerique fuere Patriarchæ, uti Jacob cuſtos gregis Labani erat, Gen. XXX, 33. & fratres Joſephi, Gen. XXXVII, 13. 16. Moſes ovium Jethronis cuſtos erat, Exod. III, 1. & David ipſe 1. Sam. XVII, 15. 34. conf. inſuper de *cuſtodibus gregum* Gen. XIII, 7. 8. XXVI, 20. Exod. II, 17. 1. Sam. XXV, 7. uti Luc. II, 8. de paſtoribus legimus, quod eſſent ἀγραυλȣ̃ντες καὶ φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν. *EXCUBANTES & agentes CUSTODIAS noctis ſuper gregem ſuum.* De quo loco conf. late diſſerentem BYNÆ. *de Natal. I. C. Lib. I. cap. 4. p. m. 556. ſq.* Ita & in *Bava Batbra fol. 54. 2.* כראזיל תיירא דתורי והדר *Quantum procedit cuſtos boum & redit.* & HOMER. *hymn. in Vener.*

Ὃς τότ' ἐν ἀκροπόλοις ὄρεσιν πολυπιδάκȣ Ἴδης
Βȣκολέεσκεν βȣ̃ς, δέμας ἀθανάτοισιν ἐοικώς.
Qui tum in ſummis verſabatur montibus multifontis Idæ
Cuſtodiebat boves, corpore immortalibus ſimilis.

nec

nec non *odyſſ. XVIII.*

Τὸν κ' εἴ μοι δοίης σαθμὸν ῥυτῆρα γενέσθαι
Σηκοκόρον τ' ἔμεναι, θαλλὸν τ' ἐρίφοισι φορῆναι.
Hunc mihi ſi dares Stabulorum CUSTODEM eſſe,
Et caularum curatorem, ut frondes hœdis apportaret.

& VIRGIL. in *Culic. v. 411.*

- - - PECUDUM CUSTOS tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddit.

idem *Eclog. III. v. 5.*

Hic alienus oves CUSTOS bis mulget in hora.

Præcipue gregem *cuſtodire* oportet contra lupos aliasque feras ovibus inſidiantes. unde TRYPHIODOR. *in Il. hal.*

Καρχαρέοισι λύκοισιν ἐοικότες οἵ θ' ὑπὸ νύκτα
Χειμερίην φονόωντες ἀσημάντοις ἐπὶ μήλοις
Οἴχονται,
Frendentibus lupis ſimiles, quique ſub noctem
Hybernam graſſantes in oves non cuſtoditas
abeunt.

& STATIUS *Lib. III. Thebaid.*

- - - haud aliter ſaltu devertitur orbus
Paſtor ab agreſtum nocturna ſtrage luporum.

Hoc denuo Doctoribus N. V. apte convenit. Applicat hoc egregie illis Apoſtolus Act. XX, 28. 29. προσέχετε παντὶ τῷ ποιμνίῳ *curam gerite*, ſeu cuſtodite *totum gregem*, *cujus vos Spiritus S. conſtituit* ἐπισκόπους *Speculatores, ad paſcendam Eccleſiam Dei. Hoc enim ſcio, quod poſt diſceſſum meum* λύκοι βαρεῖς, μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου *lupi graves gregi minime parcentes, vos ſint invaſuri.* Unde toties *paſtores* ſive cuſtodes gregis Dei in ſacris audiunt *paſtores ſecundum cor Dei*, qui *gregem Dei paſcunt ſapientia & intelligentia*, Jer. III, 12. vel 15. conf. Jer. II, 8. Jer. XXII, 22. Ezech. XXXIV,, 2. 7. 10. Zach. X, 2. Matth. IX, 36. Eph. IV, 11. Hi paſcunt gregem Dei, ducunt in paſcua ſalutaris doctrinæ ac ad rivos meritorum & juſtitiæ Meſſiæ, Jer. III, 15. L, 19. Joh. XXI, 15. 16. 1. Pet. V, 2. defendere oves haſce debent contra feras, hoſtes ſc. veritatis, Jer. XXIII, 4. & contra lupum inferna-

infernalem, qui rugiendo circumit fideles, ad eos deglutiendos, 1. Pet. V, 8. animasque ita quaſi ex faucibus ejus ac inferni eripiunt, Jud. v. 23. Defendere gregem oportet eos contra pſeudodoctores, qui pellibus ovinis tecti, intus rapaces lupi exiſtunt, Matth. VII, 15. Joh. X, 12. Zeph. III, 3. quare robore ac vigilantia opus eſt, ne gregem Dei negligant & grave illud judicium Dei Ezech. XXXIV. perfidis gregum cuſtodibus denuntiatum incurrant. Egregia ſane verba ſunt Apoſtoli 1. Pet. V, 2. ſq. *Paſcite Dei gregem, illius INSPECTIONI vacantes non coacte ſed lubenter, non ex deſiderio turpis lucri, ſed ex animo promto. Sic quando apparebit Paſtorum Princeps, reportabitis coronam gloriæ amarantinam.*

X. 5. Tranſimus *quinto* loco ad *cuſtodes hortorum arvorumque ſpeculatores*, quorum apud Veteres mentio occurrit. Cant. VIII, 11. occurrunt נטרים הכרם *cuſtodes vineæ* Salomonis. Sponſa ipſa Cant. I, 6. quod *cuſtos vineæ* ſit conſtituta teſtatur. conf. 1. Chron. XXVII, 27. 2. Chron. XXVI, 10. 2. Reg. XXVII, 2. Joel. I, 11. qui cuſtodes in tuguriis ſeu turribus vineæ conſtituti erant; quo reſpiciunt loca Jeſ. I, 8. quando de *tugurio vineæ* & *tentorio cucumerarii* legimus. & Job. XXVII, 18. de *tugurio* quod ſibi *cuſtos* parat. Quare & Jeſ. V, 2. *turrim* ſeu *ſpeculam* in vinea exſtructam teſtatur vates, quæ procul dubio ſpeculatoria futura erat. Unde & apud Talmudicos in *Bava Bathr. fol. 144. c. 1.* memoratur אורייני *tentorium*, quod in gloſſa explicaut de *ſpecula alta cuſtodum agrorum*, ut vertit BUXTORF. *in Lex. h. v.* Ita in *Talmud. Ohol. cap. ult.* legimus de סכות הבורגנין *tentoriis cuſtodum fructuum æſtivorum in agris.* quam vocem idem *Buxtorf.* explicat, ſcribens: *Tugurium ſ. tabernaculum, in quibus cubare ſolent, qui cuſtodiunt fructus arborum, hortorum & agrorum, vel qui aucupantur & obſervant tranſeuntes.* & in *Sanhedr. fol. 98.* de בר מחוזנייתא *cuſtode & inſpectore terminorum agri*, mentio occurrit. Et in *Maſſech. Schabb. cap. XXIII. miſchn. III. de cuſtodia agrorum in Sabbatho* licita determinatur. conf. S. SCHMIDT. *not. ad h. l.* Tales vocantur *Procuratores* hortorum, ut in inſcriptione antiqua apud PIGNOR. *de ſervis p. m. 240.*

LOCVM. ADSIGNATVM. A. MOSCHO
PROCVR. HORTORVM. MAIANORVM. &c.

Imo hi *hortorum cuſtodes SPECULATORES* quoque nominantur in antiqua inſcriptione apud GRUTER. *p. m. CCCXCI. n. II.*

D. M.
TI. CLAVDIO. SPECVLATORI
PROCVRATOR. FORM. FVNDIS
CAIETÆ. PROCVRATOR
LAVRENTO. AD. HELEPHANTOS. &c.

Quare & *Priapum* hortorum & agrorum cuſtodem conſtituebant cum falce in manu, de quo TIBULL. *Lib. I. el. I.*

Pomoſisque ruber CUSTOS ponatur in hortis,
Terreat ut ſæva falce Priapus aves.

Confer & ea, quæ ſupra in *Exerc. VI. de hortis myſticis §. IV.* diſſeruimus.

Cuſtodes quoque agrorum atque vineæ myſticæ, quæ eſt Eccleſia Dei, Doctores exiſtunt, utpote quæ non ſolum viti Pſ. LXXX, 9. 15. Jer. II, 21. ſed & *vineæ* comparatur. conf. Cant. II, 15. VIII, 11. Jeſ. V, 1-7. Luc. XIII, 6. Doctores N. T. ſunt *operarii* in vinea, a Domino ſupremo conducti, Matth. XX, 1-8. Matth. IX, 38. Qua tales *plantant* non ſolum ſurculos juſtitiæ in gloriam Domini ſui, 1. Cor. III, 6. idque per verbum veritatis, Jac. I, 21. *irrigant* tempore æſtus ac tentationum Satanæ pluvia & aquis conſolationum ac largiſſimorum mediorum gratiæ, 1. Cor. III, 6--9. Pſ. LXXII, 6. & LXVIII, 10. *ligone* legis corda indurata ſulcant & invertunt, ut conterantur ſeria reſipiſcentia, Tit. I, 13. Act. II, 37. XXVI, 28, Cultro verbi convictionis infrugiferos ramos *amputant* Heb. IV, 11. 2. Tim. III, 17. Invigilant quoque agro & vineæ huic, ne feræ illam devaſtent, in ſpecie *vulpes* pſeudo-doctorum, *quas capiunt* ſolida veritatis demonſtratione, Cant. II, 15. invigilant arboribus frugiferis ne degenerent, & in fidei ac charitatis frugibus torpeant, Heb. XIII, 17. Apoc. III, 2.

XI. 6. Porro quoque *matronarum* filiarum ſeu *virginum* & *juvenum* cuſtodes antiqua monumenta memorant. Ita legimus de שמר הנשים

הנשים *cuſtode mulierum* ab Ahasvero conſtituto, Eſth. II, 3. 14. ATHENÆUS *Lib. I. cap. 11.* & PHILOSTRAT. *Lib. I de vita Apollon.* *φυλακὰς τῶν γυναικῶν* memorant, qui regias inprimis pellices & uxores cuſtodiebant, ipſi Eunuchi exiſtentes. conf. BRISS. *de regn. perſ. Lib. I. p. 78. ſq.* *Juvenum* quoque nobiliorum *cuſtodes* erant apud Veteres. Tales apud Lacedæmones Ἄμπαιδες vocabantur, quos *Heſychius* interpretatur *οἱ τῶν παίδων ἐπιμελέμενοι, qui curam & inſpectionem puerorum habebant;* vel etiam Ἵππαρχος, i. e. eodem interprete *τῶν νέων ἐπιμελητὴς Juvenum cuſtos & curator.* Huc reſpicit HORAT. *Satyr. Lib. I. Sat. 4. v. 15.*

Accipe jam tabulas. Detur nobis locus, hora,
CUSTODES videamus uter plus ſcribere poſſit.

& *Lib. de arte poët.*

Imberbis juvenis tandem CUSTODE remoto,
Gaudet equis, canibusque & aprici gramine campi.

& *virginum* cuſtodes in antiquitate Græcorum æque ac Romanorum notiſſimi ſunt. De his OVID. *de art. amand. Lib. II.*

I nunc, claude fores, CUSTOS odioſe puellæ,
Et centum duris poſtibus adde ſeras.

& *Lib. XI. metam. v. 608.*

Janua ne verſo ſtridorem cardine reddat,
Nulla domo tota eſt, CUSTOS in limine nullus.

OVID. *Lib. II. amor. eleg. 3.* ad eunuchum cuſtodem puellæ:

Heu mihi, quod dominam nec vir nec fœmina ſervas i. e. cuſtodis.

EURIPIDES *in Danaë.*

- - - πατὴρ δέ μιν κλήσας
Ἐν παρθενῶσι σφραγῖσι δέμας φυλάσσει.
Pater vero eam includens in virginalibus conclavibus & ſigillis corpus cuſtodit.

Plura hanc in rem notavimus ſupra in *Exercit. III. de virginibus tympaniſtriis. §. VII.* ubi & auctores, qui de cuſtodia virginum egerunt, citavimus.

Tales quoque ἐπόπται ſunt doctores N. T. qui ſatellites & cuſtodes ſunt *ſponſæ* cœleſtis, quæ eſt *uxor* myſtica capitis noſtri, Eph. V, 25.

utpote conjugium corporale myſterium unionis inter Eccleſiam & Chriſtum myſticæ depingit, ut docet Apoſtolus v. 32. Doctores ſunt *ἁρμόσαι* ſpirituales, uti Paulus de ſe teſtatur: *ἡρμοσάμην ἑνὶ ἀνδρὶ* ſc. Chriſto *παρθένον ἁγνὴν* quæ eſt Eccleſia, 2. Cor. XI, 2. Cuſtodiunt quaſi pudicitiam ac caſtitatem Eccleſiæ, dum eam defendunt contra illecebras Antichriſti, qui ad ſpiritualem idololatriæ ſcortationem eam ſeducere tentat, Apoc. XVIII, 3. cap. II, 14. Defendunt eam clypeo veritatis ac monitorum ex verbo Evangelii contra tentationes *mundi*, Satanæ atque carnis, ne illecebris hiſce polluantur, atque ita caſtitati detrimentum adferant. Erudiunt eos per gratiam Evangelii illuſcentem, ut abnegata impietate & mundanis concupiſcentiis, temperanter, caſte & pie vivant, Tit. II, 11. 12. et cum Petro dicunt: *Dilecti, obſecramus, ut abſtineatis a carnis cupiditatibus, quæ arma animæ inferunt*, 1. Petr. II, 11. Cuſtodes ſunt *juvenum* in Chriſto, quos diſciplina & legibus verbi veritatis tanquam cancellis frænant, cohibent & pietati conformant. Talem ſe demonſtrat Apoſtolus Johannes in 1. Ep. cap. II, 12. 13. 14. 15. cap. III, 18. & Petrus 1. Ep. II, 2. 3.

XII. 7. Inſuper *vigiles* atque *ſpeculatores* in *caſtris & præliis* ac tempore *belli* obſervamus apud Judæos æque ac Gentes inſignis uſus fuiſſe. Tales erant *ſpeculatores* civitatis Luz, Judic. I, 24. Ita Gideon *cuſtodes* principio mediæ vigiliæ in caſtris Midianitarum adoriebatur urceis & buccinis, quibus totum exercitum fugabat, Judic. VII, 19. Uti & *Saul ſpeculatores* in caſtris ſuis conſtituerat, qui obſervabant motus in caſtris adverſariis, 1. Sam. XIV, 17. & David ſimiliter in prœlio contra Abſalomum, conf. 2. Sam. XVIII, 24--27. Huc quoque alluditur Jer. LI, 12. *Ex muris Babelis elevate vexillum, confirmate cuſtodiam*, הקימו שמרים *conſtituite cuſtodes* ſeu ſpeculatores, *comparate inſidiatores*. Unde & *milites* conſtituti *cuſtodes* vel carcerum, vel arcium, vel etiam perſonarum, conf. Matth. XXVII, 65. XXVIII, 4. Act. V, 23. XII, 6. XXIII, 31. &c. ita de Perſis ſcribit CURTIUS *Lib. IV.* Alexandrum dixiſſe: *Vigilias* (in caſtris) *agere barbaros & in armis ſtare, ut ne decipi quidem poſſint.* ſimiliter XENOPH. *Lib. III.* παιδ. Καὶ τότε μὲν δειπνοποιησάμενοι καὶ φύλακας καταστησάμενοι καὶ πυρὰ πολλὰ πρὸ τῶν φυλάκων καύσαντες.

τες. *Tunc quidem cœnam conſumentes & CUSTODES conſtituentes, & multos ignes coram vigiliis accendentes.* Præcipue & ſpeculatores mittebant ad exploranda caſtra inimicorum & ſecreta illorum expiſcanda, uti ſcribit PROCOP. *Lib. I. de bell. Perſic.* Ἐκ παλαιοῦ ἔν τε Ρωμαίοις καὶ Πέρσαις δημοσίᾳ σιτίζεσθαι νόμος. οἱ δὲ λάθρᾳ ἰέναι παρὰ τοὺς πολεμίους εἰώθασιν. ὅπως ΠΕΡΙΣΚΟΠΗΣΑΝΤΕΣ ἐς τὸ ἀκριβὲς τὰ πρασσόμενα, εἴτε ἐπανιόντες, τοῖς ἄρχουσιν ἐσαγγείλωσι. Vid. BRISSON. *l. c. p. 347.* Ita *Dio* quoque διόπτας καὶ ἐρευνητὰς memorat. Conf. SVETON. *in Salv. Ott. Lib. VII.* & CUIAC. *in not. ad h. l.* Recte ROB. VALTUR. *de re milit. Lib. VIII. Excubitores dicti pro eo quod excubias ſemper agunt, ſunt enim ex numero militum. Procubitores autem, qui noctu cuſtodiæ cauſa ante caſtra excubant, quum caſtra hoſtium in propinquo ſunt.* POLYB. *Lib. XV.* de Hannibale teſtatur, quod ἐξέπεμψε τρεῖς ΚΑΤΑΣΚΟΠΟΥΣ, βουλόμενος ἐπιγνῶναι ποῦ στρατοπεδεύουσι, *emiſerit quinque ſpeculatores, ſcire volens ubi caſtra poſuiſſent.* Ad vigiles reſpicit HOMER. *Lib. VII. Iliad. p. m. 127.*

Νῦν μὲν δόρπον ἕλεσθε κατὰ στρατὸν ὡς τὸ πάρος περ
Καὶ φυλακῆς μνήσασθε, καὶ ἐγρήγορθε ἕκαστος.
Nunc autem cœnam ſumite per exercitum, ſicut antea,
Et CUSTODIÆ mementote & excubias agite.

Huc tot pertinent inſcriptiones veteres, ubi *Speculatorum* cohortis vel Legionum mentio occurrit. Qualis eſt GRUTERI *p. m. CLXIX. num. VII.*

SCHOLA. SPECVLATORVM. LEGIONVM.
I. ET. II. ADIVTRICVM. PIARVM. FIDELIVM
SEVERIANARVM. REFECTA. &c.

nec non *p. DXVII. num. VII.*



D. M.
P. ÆL. MVCIANO
SPEC. LEG. II.
ADIVT.
VITALIANVS.
ET. VITALIS
AVVNCVLI.



 Uti

Uti & *pag. DXX. num. V.*

Q. ANNIO
APRO
SPECVLATORI
LEG. VII. GEM. FEL. IN
INTESTATO. DEFVNCT.
COLLEGÆ. EIVS. D. S. F.

plures lege *pag. CCCLXXXVI. n. IV. CCCXCI. n. 2. DXIX. n. 10. DLIII. n. 9. DXL. n. X. DXXV. n. 3. MCII. n. IV.* Alias quoque ex REINESIO exhibet Doct. C. G. SCHWARZ. in *diſſ. erudita de Speculator. vet. Rom. Altorf. 1726. p. 10. ſq.*

Ejusmodi ſpeculatores quoque ſunt Doctores N. T. præfigurati hac in re per *Gideonem*, qui urceum cum lampade & buccinam, loco armorum gerens, totum Midianitarum exercitum fugabat; uti Doctores N. T. pretioſum Evangelii theſaurum in *vaſibus fictilibus* gerentes, victores evadunt, ut virtus ipſius Dei ſit non ipſorum, veluti huc alludendo loquitur Apoſtolus 2. Cor. IV, 7. Præfigurabantur per exſtructores murorum Hieroſolymæ poſt ſolutam captivitatem Babylon: qui alteram manum operi, alteram armis applicabant. Illi ſunt *ſpeculatores, qui videntes gladium advenientem, buccina clangere & populum monere debent*, Ezech. XXXIII, 6-8. In caſtris Jehovæ excubant tanquam exploratores, qui dolos & inſidias caſtrorum Satanæ & principis tenebrarum expiſcari, & exercitum Jehovæ de iisdem monere debent. Hinc vocem elevare tenentur & pericula mortis vel etiam judicia divina ingruentia annuntiare, Ezech. III, 2--7. Jeſ. LVIII, 1. vigilare oportet ſemper, ne ab hoſte improviſo exercitus Dei obruatur. Quare Apoſtolus 2. Cor. XI, 27. vigilias ſuas quoque inter ærumnas pro Eccleſia exantlatas memorat. conf. 2. Cor. VI, 5. & Heb. XIII, 17. de ἡγεμένοις, *ducibus* exercitus Jehovæ teſtatur, quod *excubias agant pro animabus.*

XIII. 8. *Speculatores* quoque apud veteres in *navibus*, vel etiam in altis oceani *ſpeculis* atque turribus conſtituti erant, vel etiam in *malis* altiſſimis. Ita ſcribit LIVIUS *Lib. XXX. cap. 25. Annibale jam terræ appropinquante, juſſus e nautis unus aſcendere in malum, ut*

SPECU-

SPECULARETUR, quam tenerent regionem. Quare & HIERONYMUS in *Epiſt. ad Ruſtic.* ſcribit: *Navigantes rubrum mare multis difficultatibus ad urbem maximam perveniunt, latentibus ſaxis, vadisque duriſſimis, ita ut SPECULATOR doctus in ſumma mali arbore ſedeat, & inde regendæ & circumflectendæ navis dictata prædicet.* Unde HERODIAN. *hiſt. Lib. IV. cap. 2.* Φρυκτωρίοις, ἃ τοῖς λιμέσιν ἐπικείμενα, νύκτωρ διὰ τȣ͂ πυρὸς ἐς ἀσφαλεῖς διαγωγὰς τὰς ναῦς χειραγωγεῖ. Φάρȣς δὲ αὐτὰ οἱ πολλοὶ καλȣ͂σιν. *Turribus his, quæ portibus imminentes, noctu igne prælato, naves in tutas ſtationes dirigunt: Pharos vulgo appellant.* Quo reſpicit DIONYS. PERIEGET. *v. 259.*

- - - ἧχι περὶ ἄκραι
Φαίνονται σκοπιαὶ Παλληνίδος.
Ubi ſummæ cernuntur ſpeculæ *Pallenidis.*

conf. quæ egregie ad harum turrium ſpecularium illuſtrationem adducit. Doctiſſ. HILL. *in Comm. ad h. l.* Præcipue in gravioribus maris periculis excubias in navibus agebant, quo reſpicit THEOGN. in *ſent. v. 674.*

- - - ὑπερβάλλει δὲ θάλασσα
Ἀμφοτερεύων τοίχων, ἦ μάλα τὶς χαλεπῶς
Σώζεται. οἱ δ᾽ εὕδȣσι. Κυβερνήτην μὲν ἔπαυσαν
Ἐσθλὸν γ᾽, ὅς φυλακὴν εἶχεν ἐπισταμένως.

Superat autem mare utrumque latus navis, ubi quis vix ſervatur. Illi vero dormiunt, & gubernatorem quieſcere faciunt, bonum ſane, qui CUSTODIAM habebat perite. In militia *navali* præprimis ſpeculatores vel in turribus vel navibus conſtituti, qui hoſtium claſſem obſervarent, & igne ſeu face ſignum dabant. Ita canit TRYPHIODORUS apud *BOOT. in Animadv. S. Lib. II. cap. 6.*

Αὐτίκα δ᾽ Ἀργείοισιν Ἀχιλλῆος παρὰ τύμβον
Ἀγγελίην ἀνέφαινε Σίνων εὐφεγγέϊ δαλῷ.
Οἱ δὲ σέλας πυρσοῖο μετήορον ἀθρήσαντες
Νῆας ἀνεκρȣ́σαντο.
Illico Argivis juxta Achillis tumulum
Signum dedit Sinon flagranti torre,

Ipſi

Ipſi autem cernentes facis fulgorem in alto,
Naves ſolverunt.

Unde & in littoribus *turres* vel *ſpeculæ* erant, ſecundum quarum lucem accenſam naves dirigebantur, de quibus canit STAT. *Sylv. ult. Lib. III.*

- - - trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula lunæ.

conf. PLIN. *hiſt. Lib. V. cap. 31. & Lib. XXXVI. cap. 12.* Huc refer nummum quem exhibet VAILLANT *de fam. Rom. num. CIV.* & ex eodem Cl. SCHWARZ *in diſſ. cit.* ubi navis cum remigantibus in una, & in averſa parte ſigna militaria cum epigr. COHORTIS SPECULATORUM cernuntur. Ad quem nummum Doctiſſ. VAILLANT commentarius ita legitur: *SPECULATORES a ſpecula dicti, i. e. loco edito, unde aliquid eminus videri & proſpici poteſt. Ideo ab Antonio hujusmodi cohors inſtituta eſt, ut in navium excelſiori loco explorarent, & excubias agerent.* Ita PLUTARCH. *in Lyſandro* ναῦς κατασκόπες *naves ſpeculatorias emiſſas* a Lyſandro memorat, quas & memorat VEGET. *de re milit. Lib. IV. cap. 37. p. m. 144.*

Doctores quoque N. T. ſimiles ſunt ſpeculatoribus *navium* & *oceani*. *Navis enim* commune Eccleſiæ ſymbolum eſt, ut in *Emblem. Sacr. Lib. II. Exerc. IX. §. 1.* docuimus. Et *mare* ſymb. vaſti hujus orbis exiſtit, præprimis hoſtium Eccleſiam infeſtantium. *Speculatores* ergo ſunt Doctores, qui mare hujus orbis & ſaxa offenſionis illius cum fluctibus graviorum tentationum atque perſecutionum obſervant, & navim Eccleſiæ contra eos munire & ex vadis periculoſis in portum ſalutis optatum tuto deducere ſatagunt, ne ad ſaxa tentationum allidat, atque ita *fidei naufragium* patiatur, ut loquitur Apoſtolus, 1. Tim. I, 19. Si aliquando navim Eccleſiæ in ſyrtes tentationum hujus mundi, dulci earum incitamento, incidere videant, ocyus exclamant: *Hinc procul, procul hinc ſecedite, ſeparate vos, exite e medio earum*, Jeſ. LII, 11. Apoc. XVIII, 4. vel cum Apoſtolo Johanne 1. Ep. II, 15. 16. *Ne diligite mundum nec ea quæ in mundo ſunt.* Sunt quoque excubias agentes tempore pugnæ ſeu prælii ſpiritualis, ut vel Satanæ vel Antichriſti

chriſti inſidias detegant (uti & Eccleſia Antichriſti navi comparatur, quod docuimus in *Emblem. Sacr. Lib. II. l. c.*) & ſigno Evangelii, tanquam face, excitato ſocios ſuos ad prælium incendant, atque in victores evadant.

XIV. 9. Denique memorandi ſunt *cuſtodes* ſeu *ſpeculatores MONTIUM*, qui non ſolum *obſervatores* erant atque vigiles, ſed & *nuntii* & *præcones* atque legati; et ad quos hoc in loco Jeſ. LII, 8. in ſpecie alluditur, quia in præced. comm. 7. *pedes PRÆCONUM in montibus* memorantur, qui jam comm. ſeq. *SPECULATORES elevantes vocem*, deſcribuntur. Tales erant פרדסייאורין in *Talm. Bav. bathr. fol. 121.* quos Hoſeas filius Elæ poſuerat *in viis*, & quos gloſſa explicat per שמרים *cuſtodes*. Vox enim inde deſcendens פרדסקי *nuntium & legatum* denotat in *Bereſch. rabb. ſect. 94.* teſte BUXTORF. *in Lex. h. v.* et דרכיות דירכאורין *ſpeculas viarum* explicant ad *Joma Cap. VI. de lapidibus magnis, in quibus ſtabant ſpeculatores.* Huc reſpicit VIRG. *in Cir. v. 302.*

- - *aëriis ſpecula de* montibus *iſſes.*

& in *Bucolic.*

Præceps aërii ſpecula de montis *in altum*
Deferar.

& *Æneid Lib. XI.*

Hanc ſuper in ſpeculis, *ſummoque in vertice montis.*

nec non ARISTOPH. in *νεφέλ. act. I. ſcen. IV.*

Ὑψηλῶν ὀρέων κορυφὰς ἐπὶ δενδροκόμοις, ἵνα
Τηλεφανεῖς σκοπιὰς ἀφορώμεθα.
Celſorum ſuper ardua montium *& juga frondea*
Ut ſpeculas *videamus ibi eminus.*

Ita & TACITUS *Hiſt. Lib. II. c. 73.* ſcribit: *Vix credibile memoratu eſt, quantum ſuperbiæ Vitellio acceſſerit, poſtquam SPECULATORES Syria Judæaque adactum in verba ejus orientem nuntiavere.* et SVETON. *in Calig. Lib IV. cap. 44. Magnificas Romam literas miſit: monitis SPECULATORIBUS, ut vehiculo ad forum usque & curiam pertenderent.* nec non LIVIUS *Lib. XXXI. c. 24. Ni SPECULATOR (hemerodromos vocant Græci, ingens curſu eme-*

tientes ſpatium) contemplatus regium agmen e ſpecula quadam, progreſſus nocte media Athenas perveniſſet. Plura vide de his differentem Doctiſſ. SCHWARZ. *in diſſ. cit. §.3. p.7.* Similiter ſcribit auctor *lib. de mundo*, qui *Ariſtoteli* adſcribitur: Τὴν σύμπασαν Ἀρχὴν τῆς Ἀσίας διειλήφεισαν ἡμεροδρόμοι τὲ καὶ ΣΚΟΠΟΙ καὶ ἀγγελιηφόροι, καὶ φύλακες φρυκτωριῶν τε ἐποπτῆρες, τοσοῦτος τὲ ἦν ὁ κόσμος καὶ μάλιστα τῶν φρυκτωριῶν, κατὰ διαδοχὴν πυρσευουσῶν ἀλλήλοις, ἐκ περάτων τῆς Ἀρχῆς μέχρι Σούσων καὶ Ἐκβατάνων, ὥστε τὸν βασιλέα γιγνώσκειν αὐθήμερον πάντα τὰ ἐν τῇ Ἀσίᾳ καινουργούμενα. *Per totum Aſiæ imperium diſpoſiti erant curſores, SPECULATORES, tabellarii, excubitores ac ſpecularium ſignificationum obſervatores. Tantus autem ordo erat, præcipue ſpecularum, qua inde ab extremis imperii finibus adusque Suſa & Ecbatana ignes altera alteri tollebant, ut Rex intra unius diei ſpatium cognoſceret quæcunque in Aſia novabantur.* et DIOD. SICUL. *Lib. XIX.* Πᾶσαν Ἀσίαν, ἧς ἦν κύριος, διαλαβεῖν πυρσοῖς καὶ βιβλιαφόροις, δι' ὧν ἔμελλον ὀξέως ὑπηρετεῖσθαι πάντα· *Per totam Aſiam, quæ ſub ipſius ditione erat, diſpoſuiſſe ignes ſpeculares* (i.e. ſpeculas) *& tabellarios, per quos celeriter omnia adminiſtrarentur.* Vide quæ egregie de iis differit Doctiſſ. BOOT. *animadv. Sacr. Lib. II. cap. 5. §. 10.*

Tales futuri erant Doctores N. T. ſpeculatores in *montibus*, qui regnorum & rerumpublicarum emblema ſunt, veluti in *Emblem. noſtr. Sacr. Lib. II. Exerc. VIII. §. 1.* docuimus. In regnis ergo hujus mundi, hactenus gentiliſmi indurati tenebris obtectis, *nuntii ſalutis* lucem Evangelii erant accenſuri. Heic *cuſtodes* Ephraimi conſtituendi erant ſpeculatores, qui nuntium ſalutis ubique per orbem erant expoſituri. Eleganter huc alluditur Jeſ. XL, 9. *MONTEM altum conſcende, o quæ evangelizas Zioni, attolle potenter vocem tuam, quæ evangelizas Hieroſolymis, attolle (vocem tuam) nec timeto, dic civitatibus Judæ: ecce Deus veſter.* nec non Jeſ. XLII, 11. *attollant* (vocem) *deſertum & civitates ejus. Canant incolæ rupium, vociferentur e cacumine MONTIUM.* uti & Jer. XXII, 20. *Aſcende Libanon & vocem attolle, ac in Baſan vociferare, & clama ultra ſtagna.* Vox enim Evangelii,

gelii, quam nuntii ſalutis, Apoſtoli inprimis erant edituri, per omnia hujus mundi regna, erat audienda. Ita Jeſ. LXII, 13. legimus: *Ecce Jehova pronuntiat ad extremum usque terræ, dicite filiæ Zion; ecce ſalus tua advenit; Ecce merces hujus penes ipſum, & operæ pretium ipſius ante faciem ejus.*

XV. B. Ad *qualitates* & *attributa* cuſtodum atque *ſpeculatorum* in genere tranſimus, quorum potiſſima tantum notamus.

a) *Vigiles* atque *inſomnes* eſſe oportebat *noctu diuque.* Id quod Jeſ. LXII, 8. docet, ubi de cuſtodibus in muris Zionis aſſeritur quod *tota die & nocte tota* jugiter non tacituri ſint. VIRGIL. *Lib. VI.* eleganter hanc in rem canit:

Veſtibulum inſomnis *ſervat noctesque diesque.*

et TIBULL. *Lib. IV. eleg. 6.*

Nec poſſit cupidos vigilans *deprendere* cuſtos.

uti et HOMER. *Iliad. Lib. X. p. m. 177.*

Νύκτα δι' ὀρφναίην, ὅτε δ' εὕδουσι βροτοὶ ἄλλοι
Ἠὲ τὶν οὐρήων διζήμενος, ἠέ τιν' ἑταίρων.
Noctem *per obſcuram, quando dormiunt mortales,*
An aliquem cuſtodem *quærens, an ſociorum aliquem?*

et *pag. 181.* idem canit:

Ὥς τῶν νήδυμος ὕπνος ἀπὸ βλεφάροιιν ὀλώλει
Νύκτα φυλασσομένοισι κακὴν.
Sic horum dulcis ſomnus a palpebris periit,
Noctem qui cuſtodiebant triſtem.

Eleganter quoque canit OPPIAN. *ἁλιευτικ. Lib. γ. v. 45.*

Εἴη μηδ' ὕπνου φιλέων κόρον. ὀξὺ δὲ λεύσσοι
Εγρήσσων κραδίῃ, καὶ ὄμμασι πεπταμένοισιν.
Sit neque ſomni amans ſatietatem, acute *vero* videat,
Vigilans & *corde & oculis apertis.*

XENOPHON quoque in *Cyropæd. Lib. IV.* ſæpius τῶν Νυκτοφυλάκων meminit. & HORAT. *Satyr. Lib. I. v. 76.* eleganter canit:

An vigilare metu exanimem noctesque diesque
Formidare malos fures?

 nec

nec non AUSON. *in Griph. Ternar.*

- - - noctisque *per umbram*
Tergemini vigiles.

ubi ad tres noctis vigilias reſpicit, quæ veteribus notiſſimæ.

Doctores quoque N. T. noctuque diuque vigiliis incumbere decet, ut ex loco prophetico Jeſ. LXII. citato apparet, ubi Deus promittit cuſtodes, qui nec noctu nec diu tacituri eſſent, ſed vocem ſuam ſemper attollentes verba ſalutis & monita ſincera denuntiaturi erant. & Jeſ. XXI, 8. *Clamavit Leonis inſtar in ſpecula: Domine, ego conſiſtam jugiter* interdiu *& in ſpeculatione mea perſtabo ſingulis* noctibus. Talis erat Paulus, qui Act. XX, 31. Eccleſiæ Epheſinæ in memoriam revocat, quod per *triennium nocte & die non ceſſaſſet cum lacrymis unumquemque admonere.* conf. 1. Theſſ. II, 9. III, 10. & 2. Tim. III, 3. deprecationes ſuas *nocturnas* memorat atque *diurnas.* Uti & animalia quatuor cum 24. ſenioribus die atque nocte in decantanda laude Jehovæ operoſa erant, Apoc. IV, 8. Præprimis in *nocte* tentationum ſive perſecutionum vigilare oportet doctores; hinc Salvator Marc. XIII, 37. *quod vobis dico, dico omnibus: Vigilate.* Uti fideles V. T. occurrunt, hoſce doctores ſpeculatores interrogantes: *Vigil, quid de nocte?* Jeſ. XXI, 11. Beati etiam prædicantur, quos Dominus noctu veniens *vigiles* deprehendit, Luc. XII, 37. 39. & angelo Eccleſiæ Sardenſis injungitur, *ut vigilet*, Apoc, III, 3. & minime vigilantibus a Domino noctu veniente pœna denuntiatur, Apoc. XVI, 15.

XVI. 6. Speculatores Veterum in montibus vel ſpeculis *ignes* excitabant, vel etiam *buccina* clangebant, quo ſigno nova quædam nuntiabant, vel etiam in *laudes* Regis ac Ducis ſui *decantandas* deſcendebant. De *buccina* in vigiliis uſitata legimus, qua convocati milites & ad bellum accenſi excitabantur, atque monebantur de adventu hoſtium; qualis buccina in monte Ephraim audiebatur, Jud. III, 27. & a Gideone inflabatur, Jud. VI, 34. VII, 8. 16. conf. etiam 1. Sam. XIII, 3. & Neh. IV, 18. 20. Cuſtodibus in muris Hieroſolymæ etiam *tubæ* præter arma tribuuntur. Huc etiam reſpicitur Jer. IV, 19. *Sonum buccinæ, clangorem belli audis.* conf. cap. XLII, 14. Ita etiam ſcribit TACIT. *hiſt. Lib. II. cap. XXIX. Tum Alphenus Varus præfectus caſtrorum, deflagrante paulatim ſeditione,*

addit

addit conſilium, vetitis obire vigilias centurionibus, omiſſo TUBÆ ſono, quo miles ad belli munia cietur. & LIVIUS *Lib. VII. ubi ſecundæ vigiliæ* buccina *ſignum datum eſſet, armati ſilentio ad ſe venirent.* Ita & ATHENÆUS *Deipnoſ. Lib. IV. p. m. 184.*

> Ἐν δὲ φρερροῖς τὸν ἀλεκτρυόνα Ἰδαῖον εἴρηκε σύριγγα διὰ τέτων,
> Προωθεῖ δὲ τοὶ σύριγξ Ἰδαῖος ἀλέκτωρ.
> *In cuſtodibus Idæam BUCCINAM fiſtulam vocavit in his, præcurrit vero fiſtula Idæus buccinator.*

egregie quoque hoc exprimit PROPERT. *Lib. IV. el. IV.*

> *Romulus* excubias *decrevit in otia ſolvi*
> *Atque intermiſſa caſtra ſilere* tuba.

Nolis quoque vel *tintinnabulis* ſæpe utebantur vigiles, ut ex THUCYDIDE docet PFEIFF. *antiq. Græc. Lib. III. cap. 37. p. m. 596.* cui adde SCHOLIASTEN ARISTOPHAN. *in Ran. 79.* Vel etiam *carmen* recitabant in laudem principum, ut ſomnum pellerent. Unde AMMIAN. MARCELL. *Lib. XXIV. Obtruncarunt vigiles omnes, ex uſu moris gentici, juſtitiam felicitatemque Regis ſui canoris vocibus extollentes.* uti & ZOSIMUS *Lib. III.* cuſtodiam memorat τὴν μὲν τῦ σφῶν βασιλέος ἀνδρίαν ὑμνῦντα, ut docet BRISS. *de reg. Perſ. princ. Lib. III. p. 346.* quod & confirmat *Scholiaſtes Ariſtoph. Græcus in Nub. 819.*

Ignes quoque & *faces* excitabant vigiles, qui ſignum hoſtis adventantis ſeu nuntii quoque fauſti atque læti exiſtebant. Forte huc reſpicit VIRGIL. *Lib. IX. Æneid. v. 166.*

> *Collucent* ignes, *noctem cuſtodia ducit*
> *Inſomnem.*

conf. & HOMER. *Iliad. Lib. IX. & ad h. l. Scholiaſten.*

Docuimus quoque ſupra *§. XIV.* ex *Ariſtotele & Diodoro Siculo, ignes ſpeculares* in montibus accenſos a curſoribus & ſpeculatoribus ſignum nuntii vel læti vel triſtis fuiſſe; id quod ex *Itinerario Garcilaſſæ de la Vega* quoque demonſtrat BOOT. *in animadv. S. Lib. II. cap. V.* Ita & ARRIAN. *Lib. IV.* ſcribit: καὶ πτολεμαῖος καταχὼν τὸν τόπον - - - πυρσὸν αἴρει ἀπὸ τῦ ὄρυς ἔνθεν ὀφθήσεσθαι ὑπὸ τῦ Ἀλεξάνδρυ ἔμελλε: καὶ ὤφθη τε ἅμα ἡ φλὸξ καὶ ὁ Ἀλέξανδρος ἐπάγει τῇ ὑστεραίᾳ

τὴν ςρατιάν. *Et Ptolomæus quum locum occupaſſet, ignes tollit e monte, unde ab Alexandro conſpici poſſent; ſimulatque autem percepta eſſet flamma, Alexander poſtridie exercitum admovit.* Plura ad hujus ritus illuſtrationem adducit Doctiſſ. BOOT. *anim. l. c. cap. VI. §. 12. ſq.*

Tali quoque ſigno utuntur ſpeculatores ſacri, *tuba* ſc. & igne ſeu *face* myſtica; utrumque ſymbolum *verbum veritatis* ob oculos ponit. Vigiles hi *tubæ* ſono excitant ſecuros Zionis, ut evigilent, & judicia divina ingruentia obſervent. Ita Jehova teſtatur Jer. VI, 17. quod conſtituerit ſuper Iſraëlem *Speculatores*, qui dicant: *attendite ad tubæ ſonum.* & Cap. LI, 27. *attollite vexillum in terra, clangite buccina in gentibus.* Clarius hoc exprimitur Jeſ. LVIII, 1. *Exclama toto gutture, nec cohibe, attolle vocem tuam inſtar buccinæ; & indica populo meo defectionem ipſorum, & domui Jacobi peccata ipſorum.* & quando Jeſ. LII, 8. ſ. loco noſtro de ſublatione vel *elevatione vocis* Speculatorum ſermocinatur vates, ad *tubas* ſepeculatorum manifeſto alludit. Beatum quoque populum deprædicat Pſaltes, qui *clangorem buccinæ intelligit*, Pſ. LXXXIX, 16. Operoſi quoque ſunt hi vigiles in decantandis laudibus ſupremi Regis atque Ducis ipſorum, quare Apoc. V, 8. *cum citharis in dextra* occurrunt 24. ſeniores, i. e. doctores utriusque teſtamenti. & Pſ. CXXXV, 1--3. cuſtodibus in domo Jehovæ ſtantibus decantatio laudis Jehovæ injungitur. *Ignem* quoque ſ. *facem* lucis Evangelii per præconium ſalutis excitant, per eos *oritur illuminatio*, 2. Cor. IV, 6. conf. Jeſ. IX, 2. LX, 1. 2. Jeſ. II, 5. vel etiam *ignem* iræ divinæ manifeſtant, 2. Theſſ. I, 8. 9. Rom. I, 18. Rom. II, 4. etc.

XVII. c. *Armis* inſuper inſtructos eſſe oportebat ſpeculatores, quibus muniebantur contra incurſus adverſariorum et pericula. Varia illorum arma fuiſſe, ex antiquitate conſtat. *Scutatos* i. e. clypeis inſtructos eos fuiſſe docet VEGET. *de re milit. Lib. II. cap. 15. Lanceis* quoque inſtructos memorat SUETON. *Lib. V. cap. 35.* in *Claudio: Neque convivia inire auſus eſt, niſi Speculatores cum lanceis circumſtarent.* Gladium ipſis tribuit SENECA *L. I. de ira: Tum centurio, qui ſupplicio præerat, condere gladium ſpeculatorem jubet.* vide KIPPING.

KIPPING. *antiq. L. II. Cap. 4. p. m. 559.* et DOUGT. *annal. S. II. p. 34.* adde ARRIAN. *L. IV.* Δείκνυε μοὶ τὰς μαχαίρας τῶν Δορυφόρων. ἰδὲ ἡλίκαι εἰσὶ, καὶ πῶς ὀξεῖαι. *Oſtende mihi gladios iſtos ſpeculatorum. Ecce quam magni, & quam acuti ſunt.* Unde et in genere *arma* ipſis tribuuntur. uti apud HOMER. *Iliad. X. p. m. 181.*

Ἀλλ' ἐγρηγορτὶ σὺν τεύχεσιν εἵατο πάντες,
Sed vigilantes omnes (cuſtodes) *cum* armis *ſedebant.*

et *L. IX. Iliad. p. 153.*

Ἐκ δὲ φυλακτῆρες σὺν τεύχεσιν ἐσσεύοντο
Cuſtodes *vero cum* armis *exierunt.*

Huc refer SILIUM *Ital. L. I.* de Annibale

- - - *ſomnumque negabat*
Naturæ, noctemque vigil *ducebat in* armis.

nec non VIRGIL. *L. IX. æneid. v. 176.*

Niſus erat portæ cuſtos *acerrimus* armis.

Armis quoque ſpiritualibus inſtructi ſunt miniſtri Evangelii; verum ſcribit Apoſtolus 2. Cor. X, 4. *arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed divinitus robuſta ad deſtructionem munimentorum.* Quare in collo Eccleſiæ ceu turri Davidis, tot arma et ſcuta pendent, Cant. IV, 4. Hæc ſunt *arma lucis*, quæ induenda miniſtris lucis Evangelii, Rom. XIII, 12. et *arma juſtitiæ*, 2. Cor. VI, 7. ſc. *clypeo* fidei armantur contra tela et ictus principis tenebrarum ac hoſtium veritatis. *Gladio* Spiritus i. e. veritatibus cœleſtibus omnes hoſtes veritatis depellunt, abigunt, convincunt. *Lancea* adſiſtentis ipſis Spiritus S. omnia munimenta induratorum hoſtium perrumpunt, ut victi veritate procidant, Apoc. III, 9. Operantur in exſtruendis muris Hieroſolymæ myſticæ, altera manu autem arma gerunt ad hoſtes deturbandos. *Armis* quoque ſuſpiriorum atque precum ardentiſſimarum ſe et populum Dei protegunt. Uti olim Moſes *manus attollens* in cœlum Iſraëli victoriam conciliabat, Exod. XVII, 11. Ita et Doctores N. T. manus attollentes in cœlum, Pſ. CXXXIV, 3. victores evadunt, et pro grege ſibi demandato victoriam comparare ſtudent.

XVIII. d. Luſtrabantur quoque cuſtodes a *Præfecto vigilum*, et male vigilantes ſive dormientes *puniebantur*, et ingens periculum vitæ

tæ incurrebant. Ita in *Bechor. fol. 8. c. 2.* legimus : etc. אשכח דרכנאי *Invenit cuſtodes intrinſecus & cuſtodes extrinſecus : hi ſi paterentur aliquem introire, occidebantur, illi autem, ſi quem emitterent.* vide BUXTORF. *Lex. h. v. p. 573.* Apud Hebræos Præfectus Templi noctu ſingulas cuſtodias adhibita face luſtrabat, et dormientes vel percutiebat, vel face veſtes eorum comburebat. Ita ſcribitur in *Middoth* loco variis citato. איש הר בית היה מחזר על כל משמר ומשמר ואבוקות דולקות לפניו וכל משמר שאינו עומד אומר לו איש הר הבית שלום עליך ניהר שהוא ישן חונטו במקלו ורשות היה לו לשרוף את כסותו *Montis templi præfectus perluſtrabat ſingulas cuſtodias, facesque ei prælucebant, unumquemque autem cuſtodem, qui pedibus non inſiſteret, his verbis compellebat Præfectus : Pax tibi! Si eum dormire animadverteret, baculo percutiebat, eidemque illius comburere veſtimenta permiſſum erat.* conf. hanc in rem *Cel.* DEYLING. *in obſ. ſacr. T. III. obſ. XLIX. p. 489. ſq.* AMELIUM *in N. T. Tom. I. p. 83.* et eundem Doctiſſ. ZORN. *in Opuſc. ſacr. T. II. p. 172. ſq.* & apud *Gentes* præfecti vigilum erant, quod diſcimus ex HOMER. *Iliad. L. X. p. 176.*

> Κείνȣ γάρ κε μάλιϛα πυθοίατο. τοῖο γαρ ὑιὸς
> Σημαίνει φυλάκεσσι.
> *Illum potiſſimum audient, hujus enim filius*
> *Præeſt* cuſtodibus.

& paulo poſt :

> Δεῦρ' ἐς τȣ̀ς φύλακας καταβείομεν, ὄφρα ἴδωμεν
> Μὴ τοὶ μὲν καμάτῳ ἀδδηκότες, ἠδὲ καὶ ὕπνῳ
> Κοιμήσωνται, ἀτὰρ φυλακῆς ἐπὶ πάγχυ λάθωνται.
> *Eja ad cuſtodes deſcendamus, ut videamus,*
> *ne hi quidem labore defeſſi vel vigilia,*
> *dormiant, & cuſtodiæ prorſus obliviſcantur.*

Huc refer quoque VIRGIL. *Lib. IX. æneid. 221. v.*

> - - - *vigiles ſimul excitat, illi*
> *Succedunt, ſervantque vices ſtatione relicta.*

Unde in antiquis inſcriptionibus toties PRÆFECTI VIGILUM memoran-

morantur apud GRUTER. *p.m. CCCC XIII. n. VIII.* vel PRÆF. VIGIL. ROM. uti apud *eundem pag. CCCCXLVIII. n. 6.*

PAVLLINÆ. VALERIANÆ.
RARISSIMÆ. SANCTISSIMÆ.
FEMINÆ. PATRONÆ. F.
L. PAVLLINVS. VOLVSIVS
V.C. PRÆF. VIGIL. ROM.

nec non VIGIL. & ARM. *præfecti* mentionem injicit inſcriptio apud *eundem pag. CCCLXXXV. n. VI.*

D. M.
C. CASSELI. VOL.
POMPEIANI
PRÆF. FABR.
IIIII. VIR. IVRI. DICVNDO
PRÆFECT. VIGIL. ET. ARM.

Ad huncce ritum ſæpius in ſcriptis ſacris alluditur. Præprimis *Apoc. III, 3.* ubi Archangelus tanquam Præfectus angelo Sardenſi minatur: *Si non vigilaveris, veniam adverſum te tanquam fur, neque ſcies, qua hora ſuperveniam tibi.* nec non Apoc. XVI, 15. *Ecce venturus ſum uti fur. Beatus ille qui vigilat, ſervatque veſtes, ne nudus ambulet!* Doctores enim a Deo & in ſpecie a Chriſto vigiles ſunt conſtituti, qui tanquam Præfectus & Summus ἐπίσκοπος luſtrat cuſtodes, veniet quoque ad puniendos negligentes atque in ſecuritate carnis obdormiſcentes. *Rationes aliquando ipſi reddent de vigilia* ſuper animabus, Hebr. XIII, 17. Exprimit hoc emphaticis & graviſſimis verbis Dominus, Ezech. XXXIII, 6. *Ipſe* ſpeculator, *quum viderit gladium advenientem, ſi non clanxerit buccina, populusque non fuerit monitus, & adveniens gladius ſuſtulerit quendam eorum; hic propter iniquitatem ſuam exſcindetur, ſanguinem vero ejus e manu ſpeculatoris repoſcam.* Quare caute vigilandum, ut ſi Dominus, cujus oculi ſunt faces ardentes, veniat, non dormientes nos reperiat, Luc. XII, 37. atque ſi dormientes & ſecuros nos deprehendat, partem nobis cum incredulis ſtatuat, Luc. XII, 46.

XIX. e. Vigiles in certa *ſpecula* conſtituti non ſemper in eadem hærent, ſed *avocantur* aliquando, ſubſtitutis aliis, & *bene vigilantibus merces* atque *honor* tribuitur. De ſpeculis cuſtodum ſupra jam vidimus, quo reſpicit OVID. *Triſt. Lib. III. eleg. 9.*

Quem procul ut vidit tumulo ſpeculator *ab alto,*
Hoſpes, ait, noſco Colchide vela, venit.

Quod per *vices* quoque excubias egerint, his avocatis alios ſubſtituentes, docet VIRGIL. *Lib. IV. Georg. v. 165.*

Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti,
Inque vicem ſpeculantur.

& *Lib. IX. Æneid. v. 174.*

Omnis per muros legio ſortita periclum
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum eſt.

& paulo poſt *v. 221.* ut ſupra vidimus:

- - - vigiles ſimul excitat, illi
Succedunt, ſervantque vices, ſtatione relicta
Ipſe comes Niſo graditur.

Illis quoque poſt mortem monumenta erecta fuiſſe, ex variis apud *Gruterum & Reineſium* inſcriptionibus conſtat, quarum nonnullas §. præced. exhibuimus. Ipſi Judæi de *mercede* cuſtodibus conceſſa ſcribunt *in Vajikr. Rabb. ſect. 68.* סנטרך אנא ולית את יהיב לי דסנטרות Cuſtos *tuus ſum, & non das mihi* mercedem *cuſtodiæ.*

Et ſpeculatores noſtri myſtici non ſemper excubiis defatigantur, ſed aliquando avocabuntur a Præfecto ſuo, & ſtatione ſua relicta ad atria cœleſtia addducentur, ſuccedentibus ex ſorte providentiæ divinæ aliis in locum ipſorum. Fidelem eſſe oportet unumquemque & vigilantem in ſpecula & ſtatione ſua; ſic aliquando ex ærumnis & vigiliis evocatus, in palatio cœleſti coram throno agni conſtituetur, ibique mercedem nanciſcetur demeritam. Qui paſcunt gregem Dei, ipſique inſpiciunt tanquam ſpeculatores ingenui, non inviti, *reportabunt coronam illam gloriæ immarceſcibilem,* teſte Apoſtolo 1. Pet. V, 4. *Qui fidelis eſt in* ſtatione *&* certamine ſuo *ad finem, coronam vitæ adipiſcetur,* Apoc. II, 10. Qui cum Apoſtolo *curſum ſuum* tanquam in ſtadio

ſtadio currentes vel uti *hemerodromi*, perfecerunt, illi *coronam juſtitiæ* exſpectare poſſunt, 2. Tim. IV, 7. 8. Quare idem ille Præfectus vigilum omnibus acclamat cuſtodibus Apoc. XXII, 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, ut reddam unicuique, prout opus ipſius erit.*

XX. Certe ſi locum Jeſ. LII, 7. 8. jam propius inſpiciamus, egregiam de induſtria ac zelo ſingulari Doctorum N. T. & primorum ſpeculatorum ſub aurora N. Fœderis & orientis ſolis juſtitiæ, promiſſionem habemus. *Pedes* Apoſtolorum in *montibus* regnorum hujus mundi & gentium gratiſſimi futuri, utpote calceati præparatione Evangelii, Epheſ. VI, 16. Legati enim Dei altiſſimi futuri nuntium ſalutis ac gratiæ ubique erant expoſituri, 2. Cor. V, 19. 20. 2. Cor. II, 15. Joh. I, 17. Vide quæ egregie de hoc comm. 7. Jeſ. LII. diſſerit, & pro more ſuo, erudite Cel. LOERSIUS *noſter in Diſſ. de excuſſione pulveris Sect. II. §. X. ſq.* Sic tanquam *ſpeculatores vocem* inflata buccina Evangelii attollebant Apoſtoli, Judæis horrenda ipſisque imminentia judicia, gentibus vero lætum de ſalute earum nuntium ubique per orbem denuntiantes, Actor. XIII, 46. 47. & II, 17-21.

Quis vero non obſtupeſceret ſecuritatem plane carnalem & ſocordiam tot ſpeculatorum atque cuſtodum in monte Zionis! quos Dominus conſtituit vigiles & obſervatores; & qui uti Jeſ. LVI, 7. dicitur, *cæci* ſunt, corda obtenebrata ac in peccatis per ſecuritatem carnis plane indurata ſæpe gerunt, & miſero quoque gregi minime inſpiciunt. Væ illis quando Præfectus vigilum ſupremus in nubibus approperabit, & rationes vigiliarum poſtulabit! Quid conſilii, quando facibus ardentibus oculorum totam ipſorum vitam perluſtrabit & examinabit? Beati autem ſervi, quos Dominus deprehendet veniens vigilantes! ſane *accinget ſe, & faciet ut accumbant*, Luc. XII, 37. O utinam ſpeculatores noſtri temporis oculis fidei vias Dei rimarentur! utinam aſcenderent ſpeculas meditationum ſeriarum, & ex verbo veritatis prophetico judicia futura in Eccleſiam Proteſtantium alto ſomno obrutam, providerent; adeoque vocem ſuam elevarent inſtar buccinæ, & eidem peccata ſua & delicta denuntiarent, & quæ eandem aliquando excipient, judicia graviſſima. Approperat certe *hora* illa

tentationis magna, quæ terram Proteſtantium obruet. Nonne beſtia ſanguinem teſtium veritatis ſitiens, ubique caput extollit, & perſecutiones tecte jam horrendas molitur? Sane ſi oculos aperio, & externam Eccleſiæ turbam conſidero, quanto ſecuritatis ſomno, ſub largiſſimo mediorum gratiæ miniſterio, obruta jaceat, horror oſſa percurrit. Licet fideles adhuc ſuperſint ſpeculatores, qui gladium advenientem denuntiant, Ezech. XXXIII, 6. quis eſt, qui animadvertit, vel e ſomno ſuo expergiſcatur? Pax, pax alta, aſt doloſa, obſidet portas Eccleſiæ. Eſte interea fideles o vigiles Zionis! alter alterum zelo vigilantiæ incendat, ut junctis viribus opus Domini peragatur. Beati certe & felices erimus, ſi aliquando fideles nos exiſtentes a ſpecula hujus vitæ avocabit Præfectus ſupremus & æternum gloriæ ac honoris monumentum eriget!

EXERCITATIO X.
DE
LAPIDIBUS CONSECRATIONIS, ERIGENDIS IN VEXILLUM, SYMB. TESTIUM VERITATIS.
ZACHAR. IX, 16.

ARGUMENTUM.

§. I. Variæ alluſiones Interpretum in explicandis verbis אַבְנֵי נֵזֶר *exhibentur. §. II. Noſtra ſententia proponitur ac confirmatur. §. III. Lapides in genere ſymb. eſſe hominum in ſpecie credentium, docetur ex ſcriptis ſacris & profanis. §. IV. Deorum quoque eſſe emblema evincitur. §. V. Perſonarum quoque illuſtrium, Regum, Ducum & Doctorum ſeu teſtium veritatis, uti in loco*

loco noſtro. *§. VI. Memorantur lapides apud veteres erecti tanquam μνημοσύνη rerum præteritarum poſteris futura, vel in memoriam inſignis beneficii.* *§. VII. Honoris cauſa Imperatoribus atque Ducibus, ob inſignia in rempublicam merita erigebantur;* *§. VIII. uti & Diis plurimos conſecratos lapides exhibet antiquitas.* *§. IX. Quare & in locis ſacris & templis, imo ſub dio tanquam altaria proſtabant.* *§. X. Leges antiquitus lapidibus ſeu ϛήλαις lapideis inſcriptas fuiſſe;* *§. XI. imo in ſignum & confirmationem fœderis ſaxa antiquos erexiſſe, probamus.* *§. XII. Denique & lapides in monumentis mortuorum, uti & §. XIII. in ſignum triumphi victoribus erectos addimus.* *§. XIV. Lapides denique terminales in finibus regionum poſitos eſſe docetur.* *§. XV. Pergimus ad attributa horum lapidum, qui conſecrabantur oleo,* *§. XVI. certa inſcriptione inſigniebantur,* *§. XVII. coronabantur quoque apud veteres,* *§. XVIII. erigebantur in vexillum, ubi vox* מתנוססות *h. l. explicatur;* *§. XIX. inviolabiles ac firmos, conſtantesque fuiſſe hos lapides docetur.* *§. XX. Explicatio vocis* נזר *additur & applicatur.* *§. XXI. Implementum hujus vaticinii tribus verbis & epilogus practicus additur.*

I.

GRatiſſima Eccleſiæ Dei, aſt explicatu difficilis maxime eſt promiſſio, quam legimus Zach. IX, 16. *Servabit illos Jehova Deus ipſorum, tanquam gregem populi ſui* כי אבני נזר מתנוססות על אדמתו *quum LAPIDES CONSECRATI in vexillum conſtituti erunt in terra ipſius.* Quinam hacce phraſi emblematica ritus a Spiritu S. indigitetur, non conſtat inter Interpretes. Magnus GROTIUS verba אבני נזר *coronam lapidum* vertenda cenſet, atque ita alludi ad paſtores, qui lapides in orbem erigunt, quo gregem includant, quia in præced. de grege mentio fuerat injecta. JUNIUS & TREMELLIUS *tropæa coronario* opere in ſignum liberationis ac victoriæ erecta intelligunt, quod & aſſerit *Cornel â* LAPIDE. Sunt, qui ad lapides *templi* pretioſos atque ſanctos cum HIERONYMO, THEODORE-

 TO,

TO, REMIGIO & *Nic. de* LYRA reſpici autumant. Vel cum SANCHEZ. ad lapides *terminales* referunt. Plurimi tamen Interpretes ad *gemmas* ſive *lapides pretioſos* phraſin hanc referunt, veluti ipſe noſter COCCEJUS de fidelibus *gemmarum inſtar in terra ſupereminentibus*, ut vertit vocem מתנוססות, interpretatur; adeoque vel ad gemmas *coronæ regiæ* cum VATABLO, CLARIO, HOEKE & aliis, vel ad gemmas XII. τȣ̃ Ephod Pontificis Maximi ſub V. T. cum Cl. BIERMANNO in *Comm. h. l.* & aliis referunt.

II. Verum ſi nexum & analogiam phraſium hujus loci conſideremus, minime heic de *gemmis* cogitandum eſſe ultro perſuadebimur. Quare ſenſum hujus vaticinii melius aſſequemur, ſi ad *erectionem lapidum* apud Veteres uſitatam reſpici exiſtimamus, præcipue quando ex ingenti calamitate aut periculo eſſent liberati, & in ſpecie ad hiſtoriam *Joſ. IV.* Spiritum S. oculum intendere cenſemus. Phraſes enim vaticinii *Cap. IX. Zach.* præced. de *exciſione curruum & equorum* v. 10. de *vinculis* in carcere ſeu fovea arida v. 11. de *gloria* Jehovæ, die illo *conſpicua*, & prodeunte velut *fulgure* v. 14. de *protectione* populi ſui v. 15. de *liberatione* ipſius inſtar *gregis* ovium v. 16. manifeſto docent, alludi ad liberationem atque eductionem Iſraëlis ex Ægypto, uti & comma ſequens *muſti* & *frumenti* mentionem injiciens, ad Canaanis, in quam liberati ex Ægypto, introducebantur, fertilitatem reſpicit. Quumque ſecundum phoſphorum & κϱιτήϱιον illud verſ. 9. datum, vaticinium hoc N. T. tempora prima delineet; hunc verborum horum ſenſum eſſe contendimus: & *ſervabit eos Jehova Deus ipſorum* ſc. per Regem Zionis τὸν נושע v. 9. atque ex tenebris plusquam Ægyptiacis, tanquam populum in umbra mortis Jeſ. IX, 2. ſedentem educet; *tanquam gregem populi ſui*, oves ex Judæis & gentibus colligendas Matth. X, 6. Joh. X, 16. illasque ſalutari pabulo doctrinæ, *muſto* donorum Spiritus Sancti & *frumento* purioris Evangelicæ doctrinæ, ſaturabit; *Quando*, vel *quum lapides Naſiræatus* ſeu *conſecrati in vexillum conſtituentur in terra ejus* ſc. Jehovæ, i. e. quum *Apoſtoli* ac *teſtes* veritatis in Eccleſia Dei, ceu terra myſtica, inſtar *vexillorum* per præconium Evangelii *erigentur*, ut ad confeſſionem doctrinæ ipſorum confluant omnes gentes; ipſi enim ſunt quaſi vicarii & Legati Chriſti,

ſti, qui *vexillum* conſtitutus eſt inter gentes, Jeſa. XI, 10. Cant. V 10.

III. Si vero emblema *LAPIDUM* propius examinare velimus ex ſcriptis ſacris æque ac profanis, eos

a. Commune *Hominum* in genere, & in ſpecie *fidelium* emblema eſſe, diſcimus. De Ægyptiis Exod. XV, 5. 16. canit Moſes: *deſcenderunt* כמו אבן *ſicut lapis in profunda. Magnitudine brachii tui conticeſcent* כאבן *ſicut lapis.* Ita poſteri Abrahami conſiderantur tanquam *lapides* ex *petra*, i. e. parente Abrahamo, *exciſi*, Jeſ. LI, 1. *Fideles* inſuper Dei cultores *lapides* audiunt Jeſ. LIV, 11. *ponam cum ornamento lapides tuos.* Hi ſunt *lapides*, ex quibus Abrahamo proles myſtica excitanda erat, Matth. III, 9. *lapides*, qui laudem Dei expanſuri erant, quum obmutuerint Judæi, Luc. XIX, 40. quare Petrus eos vocat *lapides vivos* 1. Pet. II, 5. Et ſi ſcripta profana conſulimus, frequentiſſime homines ſub *lapidum* emblemate depictos deprehendimus. Ita TERENT. *in Heautontimor. Act. IV. ſc. 6. Hei quid ſtas LAPIS? quin accipies.* nec non ARISTOPHAN. *in Nubib. v. 1205.*

- - - *τὶ κάθησθ' ἀβέλτεροι*
Ἡμέτερα κέρδη τῶν σοφῶν, ὄντες λίθοι.
Quid hic ſedetis inſipidi, qui ſapientibus
eſtis ludibrio, quia homines rudes eſtis.

uti & OVIDIUS Ariadnen introducit:

Aut mare proſpiciens in ſaxo frigida ſedi,
Quamque lapis ſedes: tam lapis ipſe fui.

unde LUCIAN. *de ſaltat. Tom. IV. opp. p. m. 121.* homines ἐκ λίθων prognatos memorat, quod clarius exprimit VIRGIL. *Lib. I. Georg.*

Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem,
Unde homines nati, durum genus.

Ita & CLEMENS ALEX. *Opp. p. 3.* Λίθοι δὲ καὶ ξύλα οἱ ἄφρονες· πρὸς δὲ καὶ λίθων ἀναισθητότερος ἄνθρωπος, ἀγνοίᾳ βεβαπτισμένος. *Lapides autem & ligna ſunt inſipientes. Praeterea lapidibus quoque eſt inſenſilior homo, qui eſt tinctus ingnorantia.* Pluribus hoc emblema illuſtrarunt Doctiſſ. RAMIREZ de PRADO in *Pentecont. p. 274. edit. Fabrit.* Cl. J. G. ALTMANN. *in diſſ. ad Luc. XIX, 40.* in

Bibl.

Bibl. Brem. T. VII. p. 264. ſq. Cel. WITS. in *Miſcell. Lib. II. Exerc. VII. p. m. 198.* PIER. VALER. *Hieroglyph. Lib. XLIX. p. m. 525.* Ita & *R.* ALSCHECH ad *Geneſ. XXVIII. fol.* עא ſcribit, *Jacobum erexiſſe lapidem,* להקריב בה כבית המקדש לרמוז כי האבנים סימן לבניו *ad adducendum templum, ut indicet, quod lapides ſint ſignum filiorum ſuorum,* qui in templo illo futuri & miniſtraturi ſint.

IV. Inſuper b. *Deorum* quoque emblema apud Veteres *lapis* fuit. In ſcriptis ſacris nihil frequentius eſt, quam Deum ſub ſymb. *lapidis* ſeu *petræ* depingere. Ita *Paſtor & Lapis Iſraëlis* vocatur Gen. XLIX, 24. *Lapis* ab architectis *rejectus,* Pſ. CXVIII, 22. *lapis alliſionis* & *rupes offenſionis,* Jeſ. VIII, 14. *lapis probationis*, angularis, pretioſus, Jeſ. XXVIII, 16. *Lapis exciſus* ſine manibus, Dan. II, 34. *lapis* ille, in quo *ſeptem oculi* Zach. III, 9. ſeu *fontes*, ut alii vertunt; *rupes ſalutis*, Deut. XXXII, 4. unde toties *petra* & propugnaculum dicitur, 2. Sam. XXII, 2. Pſ. XVIII, 3. XXXI, 3. XLII, 10. LXII, 8. conf. Matth. XVI, 18. 1. Cor. X, 4. Rom. IX, 32. 1. Pet. II, 4. Ita *R. Sal.* JARCHI. ad *Mich. V.* ſcribit: והעמרתי מלך המשיח שיהי בציון לאבן בחן *Et conſtituam regem Meſſiam, & erit in Zione lapis probatus.* & Cabbaliſtæ אבן ראשה *lapidem capitalem,* uti & אבן סביר *Lapidem Saphireum* vocant, uti docet Cel. & Doctiſſ. olim Bremenſis Theol. Th. HASÆUS *in Diſſ. de* אבן שתיה *p. m. 114.* conf. & Doctiſſ. HARENBERG. in *Pſ. CXVIII. diſſ. Bibl. Brem. Tom. VIII. p. 614. ſq.* nec non *Steph.* COESI *Diſſ. de Voto peregrinantis Jacobi, Franeq. 1722. p. 106. ſq.* Gentes quoque Deos ſub ſymb. *lapidum* coluiſſe, omnis teſtatur antiquitas. Quare DIO CHRYSOST. *ſerm. 12.* ſcribit: *Multi e Barbaris ex artis penuria & defectu montes Deos vocant,* καὶ δένδρα ἀργὰ καὶ ἀσήμους λίθους *& arbores impolitas & informes lapides.* unde PAUSANIAS ſcriptor antiq. in *Achaic. C. 22.* τὰ δὲ παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν ἕλλησι τιμὰς Θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. *Et ſane ſeculis vetuſtioribus apud Græcos quidem univerſos, rudes LAPIDES pro ſimulacris Divinos habuere honores.* & MAXIM. TYR. *ſerm. 38.* Ἄραβες σέβουσι μὲν, ὅν τινα δὲ οὐκ οἶδα, τὸ δὲ ἄγαλμα, ὃ εἶδον, λίθος ἦν τετράγωνος. *Arabes Deum quidem colunt, qualem tamen, minime novi, ſtatua autem quam vidi, erat*

LAPIS

LAPIS quadratus. Plura videbimus infra §. VIII. ubi de lapidibus Diis erectis agemus.

V. c. Denique perſonarum inſignium, *Imperatorum, Regum* atque *Doctorum* inprimis ſymbolum ſunt *Lapides.* Huc refer Jeſ. LIV, 11. ubi *portæ* Eccleſiæ *lapidibus carbunculi* diſponendæ dicuntur. Sunt quoque interpretes, qui per *lapides ignitos* Ezech. XXVIII, 14. martyres & teſtes veritatis intelligunt cum Cel. HULS. in *Vallib. Proph. p. 30.* quem locum ſupra *Exerc. IV. §. V.* excuſſimus, Quare & cum *columnis* comparantur, quæ ex lapidibus erigi ſolebant. Ita Jacobus, Cephas & Johannes *columnæ* vocantur Gal. II, 9. & Jeremias *columna ænea* Jer. I, 18. & victores futuri *columna* in templo Dei dicuntur Apoc. III, 12. Huc niſi admodum fallor, pertinet locus Pſ. LXVIII, 28. שרי יהודה רגמתם *Principes Judæ* ſunt *lapis illorum,* i. e. robur ac fortitudo, uti VATABLUS & Cl. DE DIEU vertunt, vel *cumulus lapidum* ut Cel. ALTINGIUS cenſet; per quos Apoſtoli intelliguntur, qui principes illi myſtici ſunt, & *fundamenta* vocantur Eph. II, 20. *Targumiſtæ* quoque ad Pſ. CXVIII. de *lapide rejecto* à *ſtructoribus* ſcribunt: סליא שביקו ארדיכליא הוא בוני בניא דישי וזכאה לא תמנאה למליך ושולטן *Puerum neglexerunt architecti, ipſe erat inter filios Iſai, & quidem dignus qui conſtitueretur in Regem & Imperatorem.* Ita & Rabbini doctores ſuos ſæpius titulo *columnæ* exornant; ita in *Berach. fol. 28. col. 2.* R. Jochanan ben Zachai dicitur עמוד הימיני ונר ישראל & in *Targum Hieroſol.* Num. XX. *Aaron* עמוד צלותיה דבני ישראל *Columna precum filiorum Iſraëlis* dicitur, uti & Abraham in *Tanchuma* עמוד של עולם *Columna mundi.* Similiter *Abarbanel* & *Kimchi* in Jeſ. XXVIII. Hiskiam regem per אבן בחן *Lapidem probationis* deſignari autumant. *Hector* quoque Dux fortiſſimus cum *lapide* comparatur ab HOMER. *Iliad. L. XIII.*

Ἀντικρὺ μεμαὼς ὀλοοίτροχος ὣς ἀπὸ πέτρης
Ὅντε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάῤῥοος ὤσῃ
Ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναιδέος ἔχματα πέτρης.
Contra ruens (Hector) *veluti LAPIS rotundus a petra* (avulſus),

Ll *Quem*

Quem a ſummo montis fluvius torrens impulit,
Abruptis imbre immenſo aſperæ petræ retinaculis.

VI. Tales quoque lapides, qui Imperatorum & Doctorum Eccleſiam ſuſtentantium emblema ſunt, hoc in loco intelligendos eſſe cenſemus. Et ſane elegantiſſima inter hoſce Eccleſiæ antiſtites ac *lapides erectos* analogia proſtat.

A. 1. *LAPIDES* olim erigebantur ad memoriam poſteris rerum præteritarum, vel inſignis alicujus beneficii a Deo præſtiti, conſervandam. Eum in finem *Jacob* ampliſſimis benedictionis Jehovæ promiſſis per ſomnium in fide confirmatus, *lapidem* erigebat in *Bethel*, Gen. XXVIII, 18. ut relinqueret beneficiorum divinorum monumentum inſigne, & memoria viſionis hujus ac favoris divini in ſe & poſteris nunquam obliteraretur. vid. Doctiſſ. & Cel. VITRING. *fil. Diſſ. de Scala Jacobi, Fran. 1719. p. 54. ſq.* & J. C. BROESTEDT *Diſſ. erudit. de Lapide Jacobi uncto, Lipſ. 1731. p. 5. ſq.* Hanc ob cauſam præcepit Moſes ſenioribus Iſraëlis, ut poſt tranſitum per Jordanem erigerent lapides magnos tanquam monumenta, Deut. XXVII, 2. quod deinceps Joſua mandato divino executus eſt, Joſ. IV, 20. ſq. ubi legimus: *Et lapides duodecim, quos acceperant e Jardene, erexit Jehoſua Gilgale, edixitque filiis Iſraël, dicendo: quum interrogabunt poſthac filii veſtri, quid ſibi velint hi lapides? Inſtruetis eos, dicendo: per aridum trajecit Iſraël Jardenem iſtum; ut cognoſcant omnes populi terræ, manum Jehovæ robuſtam eſſe &c.* Adeoque in monumentum hujus miraculi, erecti hi lapides fuere; qui ſymb. & typus eſſe poterant XII. Apoſtolorum, ut plurimi Patres obſervarunt. Apud profanos quoque ſcriptores *lapides* miraculorum *memoriales* invenimus. Ita canit HESIOD. *in Θεογον. v. 498.*

Τὸν μὲν (λίθον) ζεὺς ϛήριξε κατὰ χθονὸς εὐρυοδείης
Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ, γυάλοις ὑπὸ Παρνησσοῖο,
Σῆμ᾽ ἔμεν ἐξοπίσω θαῦμα, θνητοῖσι βροτοῖσι.
Illum quidem (lapidem) *Jupiter firmiter defixit in terram ſpatioſam,*
Pytho in divina, in anfractu Parnaſſi,

Monumen-

Monumentum ut ſit in poſterum, miraculum mortalibus hominibus.

Tales erant ςῆλαι Ἡρακλέυς *columnæ Herculis*, de quibus ARRIAN. *Lib. II.* & APPIAN. *in Ibericis.* conf. BOCHART. *Phaleg Lib. III. cap. VII. p. m. 189.* Tales quoque *columnæ Sethianæ* ſine dubio fuere, quas poſteris μνήμην refert JOSEPH *antiqu. Lib. I. cap. 2.* & ex eo quamplurimi; ſunt quidem qui de veritate hujus relationis dubitant, alii tamen eam adſtruunt, vid. Doctiſſ. Ch. SCHOETGEN. in *Diſſ. I. de Inſcr. Hebr.*

Apoſtoli, reliquique teſtes veritatis cum Regibus, veritatis defenſoribus, in terra Eccleſiæ N. T. quoque erigendi quaſi erant, tanquam *lapides memoriales*, monumenta beneficiorum ac miraculorum divinorum, per Filii Dei manifeſtationem præſtitorum, Eccleſiæ futuri, ut poſteri ex illis diſcerent quanta Deus beneficia populo ſuo exhibuerit; dum opus ſalutis per unigenitum ſuum filium in terra executus eſt, Hebr. II, 10. in quo theſaurum omniſufficientiæ ſuæ recluſerat Deus, Rom. VIII, 32. & in quo ſpiritualibus ac ſupracœleſtibus nos beneficiis accumulavit, Epheſ. I, 3. per quem tot gratiæ miracula orbi manifeſtavit, quorum monumenta publica per teſtes veritatis & eorum præconium ubique patebant. Doctores enim veritatis per epiſtolas ſuas horum beneficiorum ac miraculorum gratiæ ubique memoriam expandunt; totum ſcripturæ N. T. argumentum in illis delineandis ſitum eſt, 1. Cor. II, 2. 2. Cor. V, 19. 20. quare hoc ſenſu *columna* & fulcrum ςύλος καὶ ἑδραίωμα *veritatis* vocatur Eccleſia 1. Tim. III, 15.

VII. 2. Lapides porro in *honorem Imperatoribus* ac Regibus erigebantur ob *merita* in rempublicam. Talis erat *lapis*, quem erigebat Abſalom למצבת in *ſtatuam* ſibi vivus, ut *gloriæ* ſibi famam conciliaret, de qua vide CLERIC. *ad 2. Sam. XVIII, 18.* JOSEPH. *antiq. Lib. VII. cap. 9.* ADRICHOM. *in Theatr. terræ S. f. 147.* Imperatoribus Romanorum tales quoque ſtatuæ erigebantur, vel aureæ, vel argenteæ, vel lapideæ, ut docet ARTEMIDOR. *Lib. II. cap. 44.* Ita PAUL. *JurisC. Lib. II. ff. de loc. publ. Imagines & ſtatuæ ornamenta Reipublicæ futuræ, in publicum poni debent.* PLIN. *Jun. in Lib. I.*

 epiſt.

epiſt. 17. *Ab Imperatore noſtro impetravit, ut ſibi liceret ſtatuam in foro L. Syllani ponere.* quare & AUR. CASSIODOR. *Lib. VIII. epiſt.* 2. ſcribit: *Amore principum conſtat inventum, ut ſimulacris æneis fides ſervaretur imaginis, quatenus ventura progenies auctorem videret, qui ſibi Rempublicam multis beneficiis obligaſſet.* hanc in rem SIDON. APOLLIN. *Carmin. IX.* canit:

Et charus popularitate princeps
Trajano ſtatuam *foro locavit.*

Huc refer inſcriptiones varias, quas in monumentis Palmyrenis invenies, annexis *Opuſc.* THOM. SMITH. quæ *Bernhardus* collegit: in quibus ſtatuas *honoris* cauſa poſitas memoratas leges; uti *Inſcript. IV.* quæ in columna XLII. pedum legitur:

Η. ΒΟΥΛΗ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟΣ. ΒΑΡΕΙΧΕΙΝ. ΑΜΡΙCΑΜ-CΟΥ. ΤΟΥ. ΙΑΡΙΒΩΛΕΩC. ΚΑΙ ΜΟΣΙΜΟΝ. ΥΙΟΝ. ΑΥΤΟΥ. ΕΥCΕΒΕΙC. ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΑC. ΤΕΙΜΗC. ΧΑΡΙΝ.

Senatus populusque Barichbam filium Amriſamſæ filii Jaribolis, & Moſimum filium ejus, pios patriæque amantes, honoris *cauſa poſuerunt.*

nec non *Inſcript. V.*

Η. ΒΟΥΛΗ &c. . . . . ΑΛΙΛΑΜΕΝΑ. ΚΑΙ. ΑΙΡΑ-ΝΗΝ. ΕΥCΕΒΕΙC. ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΑC. ΚΑΙ ΠΑΝΤΙ ΤΡΟΠΩ. ΕΠΙCΗΜΩC. ΑΡΕCΑΝΤΑC. ΤΗ. ΠΑΤΡΙΔΙ. ΚΑΙ ΠΑΤΡΙΟΙC. ΘΕΟΙΣ. ΤΕΙΜΗC. ΧΑΡΙΝ.

Senatus &c. . . . . Alilamena & Æranam, pios patriæque amantes & omnimodo præclare merentes de patria ac Diis patriis, honoris *cauſa poſuere.*

adde *Inſcript. X. p. 6. XI. p. 7. XIII. p. 9. XIV. p. 10. XVI. p. 11.* conf. & THOM. SMITH notas ad eaſdem. Ita OISELIUS in *Numiſm. Tab. LXII. num. V.* exhibet nummum cum epigraphe: PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI. & in *columna* erecta, cui inſidet noctua, exſtat: SAPIENTIA. quæ in honorem Conſtantini M. erecta eſt. Quem cenſum quoque ſubeunt variæ apud GRUTERUM inſcriptiones

nes, quæ ſtatuas *ob merita* poſitas memorant. Inſignis eſt, quæ *p. CCCCXLIX. num. VII.* legitur:

D. D. D. N. N. N. INVICTISSIMI. PRINCIPES &c.
CENSORES. REMVNERATORESQVE. VIRTVTVM
PETRONIO. MAXIMO. V. C. PRÆF. VRB. OB
PETITION. SENAT. AMPLISS. POPVLIQ. ROMANI
STATVAM. MERITORVM. PERENNE. MONVMENTVM
IN. FORO. VLPIO. CONSTITVI. IVSSERVNT. &c.

Plura invenies *p. MXCV. num. VIII. pag. MXCVI. num. 8. p. CCCCXVII. num. 5. p. CCCCXXXVI. num. 1. &c.*

Hoc denuo veritatis teſtibus applicari optime poteſt. Hi quaſi in honorem Summi noſtri Imperatoris atque Ducis, Jeſu Salvatoris, erecti erant lapides; quales erant in vita ſua Apoſtoli, qui de gloria, majeſtate ac inſignibus meritis Mediatoris ac Ducis ipſorum in mundum electorum, publicum teſtimonium perhibebant. Johannes Baptiſta de eo Joh. I, 29. *Hic eſt agnus ille, portans peccati mundi.* Petrus quoque Matth. XVI, 16. *Tu es Chriſtus* ſ. Meſſias promiſſus ille & exſpectatus Patribus, *filius*que *Dei viventis.* Præcipue autem poſt mortem teſtes *honoris*, *gloriæ* ac *meritorum* Meſſiæ ac Salvatoris exiſtebant. Inſigne *Petri* coram Judæis ex omni terrarum parte confluentibus teſtimonium eſt, quod legimus Act. II, 22. *Jeſum illum Nazaræum, virum a Deo approbatum apud vos factis excellentibus & miraculis atque ſignis, quæ edidit per eum Deus in medio veſtri, ſicut & ipſi noſtis.* En egregiam quaſi inſcriptionem in *Petro*, ceu petra ac monumento Salvatoris! Tale ipſi teſtimonium omnes veritatis teſtes exhibuere ſub V. æque ac N. T. qui *vaſa gloriæ* ſunt, ad *portandum nomen* ejus inter gentes, Actor. IX, 15. conf. Rom. X, 14. 15. Jeſ. LII, 7. 8. 1. Cor. I, 23. 2. Cor. I, 19. 20. etc.

VIII. 3. Lapides inſuper *Diis* conſecrari & illorum in *honorem* poni ſolebant, quo factum, ut deinceps ipſos *lapides* & ſtatuas adoraverint gentes. Quare Lev. XXVI, 1. prohibet Jehova: לא תעשו לכם אלילים ומצבה לא תקימו לכם ואבן משכית לא תתנו בארצכם

:בארצכם להשתחוות *Non facietis vobis Deos & ſtatuam non erigetis vobis, & lapidem effigiatum non ſtatuetis in terra veſtra ad incurvandum.* Joab deſtruebat *ſtatuam* Baali erectam, 2. Reg. X, 27. uti & Hiskias *ſtatuas* idolorum confregiſſe dicitur 2. Reg. XVIII, 4. & per Nebucadnezarem *ſtatuas* Heliopoleos frangendas prædicit vates Jer. XLIII, 13. & Jehova dicit Mich. V, 13. *Exſcindam ſculptilia tua & ſtatuas tuas è medio tui, ut non incurves te amplius operi manuum tuarum.* conf. 2. Reg. XVII, 10. 2. Reg. III, 2. Deut. XII, 3. XVI, 22. Unde gentes & Iſraël illarum idololatriæ deditus, toties ligno & *lapidi* ſervire dicuntur; & Dii gentium *lapides* toties audiunt in ſacris, vide Deut. IV, 28. XXVIII, 36. 64. XXIX, 17. Jeſ. XXXVII, 19. Jer. II, 27. III, 9. Ezech. XX, 32. PHOTIUS *Bibliotb. cod. CCXL. p. 1063.* eum in finem teſtatur: Τῶν δὲ βαιτύλων ἄλλων ἄλλῳ ἀνακεῖσθαι θεῷ, Κρόνῳ, Διΐ, Ἡλίῳ καὶ τοῖς ἄλλοις. *Bætylorum ſ. lapidum alium alii Deo conſecratum eſſe, Saturno ſc. Jovi, Soli & reliquis.* PAUSANIAS quoque in *Achaic. Lib. VII. p. m. 441.* ſcribit: Ἑστήκασι δὲ ἐγγύτατα τοῦ ἀγάλματος τετράγωνοι λίθοι τριάκοντα μάλιστα ἀριθμόν. Τούτους σέβουσιν οἱ Φαρεῖς ἑκάστου Θεοῦ τινος ὄνομα ἐπιλέγοντες. *Prope ipſum Dei ſignum lapides fere triginta erecti ſunt quadrata figura; ſingulos certis Deorum nominibus apellantes, venerantur.* conf. *eund. in Corinthiac. Lib. II. p. 144.* & *in Eliac. Lib. V. p. m. 308.* Lapidem *Veneri* erectum memorat EUTHIM. ZIGAB. in *Panoplia:* Ὁ δὲ ῥηθεὶς λίθος κεφαλὴ τῆς ἀφροδίτης ἐστὶν, ἣν πάλαι προσεκύνουν οἱ Ἰσμαελῖται. *Dictus autem ille lapis* (ſc. Brachtan) *eſt caput Veneris, quam Iſmaëlitæ olim adorabant.* & HERODIAN. *Lib. V. cap. 3.* de Algabalo ſcribit: Λίθος τις ἐστὶ μέγιστος, κάτωθεν περιφερὴς, λήγων εἰς ὀξύτητα. *Lapis eſt maximus, ab imo rotundus & ſenſim faſtigiatus &c.* In ſpecie vero *Mercurio* lapides ſacri erigebantur ubique, quod innumeris probare teſtimoniis antiquorum poſſemus. HOMER. *Odyſſ. π.*

Ἤδη ὑπὲρ πόλιος, Ἑρμαῖος ὅθι δὲ λόφος ἐστίν.

Jam ad locum proximum urbi, ubi Mercurii acervus eſt lapidum.

&

& in *Antholog. Epigr. IV.*

Ἱερὸν Ἑρμείῃ με παραςείκοντες ἔχευον
Ἄνθρωποι λίθινον σωρόν.
Sacram Mercurio me prætereuntes fuderunt
Homines lapidum congeriem.

Huc cenſent reſpici Interpretes Prov. XXVI, 8. כצרור אבן במרגמה כן נותן לכסיל כבוד quod vertit Vulgat: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii; ita qui tribuit inſipienti honorem.* uti in *Sanhedr. cap. VII. §. 7.* dicitur: זורק האבן למרקוליס זה עבודתו *Qui immittit lapidem in acervam Mercurii, iſte enim cultus eſt Mercurii.* Alii tamen ad *purpuram*, alii ad *fundam* vocem מרגמה referunt, vel, uti nuper Cel. J. C. HARENBERGIUS ad *Margaritas*, vide eundem in *Muſ. Brem. Vol. I. p. 1. p. 135. ſq.* conf. etiam URSIN. *Anal. Sacr. Vol. II. Lib. I c. XXVI. p. 31. ſq.* SELDEN. *de Diis Syr. Synt. II. cap. 14.* JAC. OUZELI *animadv. ad Minuc. Felic. p. m. 14. ſq.* RAMIREZ de PRADO *in Pentecont. cap. XLIX. p. m. 271. ſq.* qui & *p. 275.* varios Mercurii *lapides* in effigie exhibet. SAGITTAR. *de Jan. Veter. p. m. 250. ſq. &c.* Adde qui de Mercurialibus & ſacris lapidibus plura ediſſerunt; Cel. WITS. in *Ægyptiac Lib. II. cap. 12. p. m. 147. ſq.* J. OUZEL. *ad Minuc. Felic. p. 12. ſq.* DEMSTER. *ad Roſin. antiq. Lib. II. cap. XX. p. m. 257.* PIERII *Hieroglyph. S. P. I. p. m. 523.* SPENCER. *de Leg. Hebr. Lib. II. cap. 22. Opp. p. m. 441. ſq* C. RHODIG. *Lect. antiq. p. m. 1185.* Cl. VITRING. *Diſſ. de ſcala Jacobo viſa. p. 60. ſq.* Cel. HASÆI *Diſſ. de* אבן שתיה *p. m. 42. 47. ſq.* SAGITTAR. *de Jan. vet. p. 249. ſq.* J. C. St. KOELLING. *Diſſ. de Bætiliis Veter. Græning. 1715. p. 9. ſq.* G. SIGFR. BAYER *de Diis Vialib. Græc. Reg. 1718. p. 30. 36. ſq.* Doct. C. WEISIUS *de Numinibus vialib. Diſſ. II. Lipſ. 1725. p. 37. ſq.* ut alios, quos hic vir eruditus citat *p. 33.* auctores omittam. & denique M. G. SILLIG. *in Diſſ. de Lapidibus Deo poſitis ac dedicatis, Lipſ. 1729.*

Tales denuo lapides teſtes & præcones veritatis futuri erant, qui in *Dei* ipſius *honorem* erigendi, ipſius Legati in montibus futuri, Jeſ. LII, 7. qui *gloriam* Jehovæ Zebaoth tanquam *σκεύη ἐκλογῆς* promoturi erant in monte Zion & reliquis hujus orbis imperiis. Quare tanquam Seraphim

phim conſiderantur, qui invicem acclamant: *Sanctus, ſanctus, ſanctus eſt Jehova, gloria ejus impleat totam tellurem!* Jeſ. VI, 3. Hi quaſi *vociferantur* a *vertice montium*, erecti in vexillum, *tribuunt Jehovæ gloriam, & laudem ejus in regionibus pronuntiant.* Jeſ. XLII, 11. 12. Hi ſunt cohors Dei ad *nomen, laudem & ornatum Dei*, Jer. XIII, 11. adminiſtratur enim miniſterium Evangelii ab ipſis ad Domini gloriam, 2. Cor. VIII, 19. quare XXIV. ſeniores una cum IV. animantibus Deo laudem, gloriam & majeſtatem tribuunt in ſecula, Apoc. IV, 9. 11. V, 13. in urbe Dei glorioſa Domini ejusque μεγαλεῖα per hoſce præcones prædicantur, Pſalm. LXXXVII, 3. LXXVI, 2. Act. II, 11. Pſ. CXLV, 5. 6. atque ita in illis honoratur & glorificatur Deus, Joh. XV, 8. conf. Jeſ. XLIV, 23. 1. Tim. I, 11. Pſ. LXVIII, 35. & per eos gloria Jehovæ manifeſtatur, Jeſ. XL, 5. LIX, 19. LXVI, 18. quare & tanquam legati & vicarii quaſi Chriſti & Dei honorandi ſunt, 2. Cor. V, 20. Matth. X, 40.

IX. 4. Porro lapides quoque tanquam ARÆ ac *altaria* Deorum erigi ſolebant, in quibus libamina atque *ſacrificia* Diis offerebantur ſub dia luminis aura. Ita Exod. XX, 25. *Quod ſi* altare ex lapidibus *mihi facies, ne conſtruito ex cæſis*, Deut. XXVII, 4. 5. *Erigitote* lapides *illos; & exſtrues ibi altare Jehovæ Deo tuo, altare ex lapidibus.* conf. Joſ. VIII, 31. Elias quoque 12. *Lapides* in *aram* erexit, 1. Reg. XVIII, 31. Bethſemitæ in *lapide magno* coram arca ſacrificia offerebant, 1. Sam. VI, 14. tale erat quoque *altare Saulis* ex lapide ingenti 1. Sam. XIV, 33. 35. 36. ita & Manoah in *rupe* hœdum obtulit ſacrificium Jehovæ, Judic. XIII, 19. uti Exod. XXIV, 4. *altare* cum 12 ſtatuis *lapideis*, & Jeſ. XXVII, 11. *lapides* altaris cum ſubdialibus *ſtatuis* memorantur. Similiter PHILO de Abrahamo Iſaacum immolaturo ſcribit: *ὁ μὲν πατὴρ συνεκόμιζε λίθους, ἵνα δείμαιτο βωμόν. Ipſe pater colligebat lapides, ut altare exſtrueret.* In *Middoth cap. 1. §. 6. lapidum altaris* mentio occurrit. Ita in Sancto Sanctorum Templi II. *Lapis* erat אבן שתיה *Lapis fundamenti* dictus, de quo in *Joma Cap. V. §. 2.* משניטל הארון אבן היתה שם מימות נביאים ראשונים ושתייה הייתה נקראת גבוהה מן הארץ שלש אצבעות ועליה היה נותן etc. *Ex quo abducta eſt arca, LAPIS ibi*

ibi erat à diebus priorum Prophetarum & lapis fundationis fuit vocatus, altus e terra tribus digitis, & ſuper ipſum thuribulum collocabat S. Pontifex. vide RELAND. *antiq. hebr. part. I. cap. IX. §. 28.* SHERINGHAM. in *Comment. ad Jom. l. c. p. m. 53.* & qui materiam hanc docte excuſſit Cel. *Th.* HASÆUS in *diſſ. erudita de hoc lapide.* qui vel lapis Jacobi unctus fuiſſe creditur, de quo *Targum Onkelos* hunc in modum ſcribit : ואבנא הדא די שויתי קמה תהי דאהי פלח עלה קדם יהוה *Et lapis iſte, quem poſui in ſtatuam, erit, ſuper quem ſerviam coram Domino*, vel petræ in deſerto percuſſæ particula ab aliis habetur, vide Cl. HAS. *diſſ. cit.* Gentes quoque in *lapidibus* ceu *aris* ſacrificabant, uti PAUSAN. *L. VI. p. 382.* βωμὸν λίθου λευκοῦ *altare ex lapide candido*, memorat; & *nigrum* lapidem exhibet APOLLON. RHOD. *Argon. L. II.* de templo Martis :

- - - ἔισω δὲ μέλας λίθος ἠρήρειστο -
Ἱερὸς, ᾧ πότε πᾶσαι Ἀμάζονες ἐυχετόωντο.
- - - *erat autem intus niger defixus LAPIS*
Sacer, ad quem omnes aliquando Amazones vota faciebant.

Huc quoque reſpicit PROPERT. *L. I. el. 4.*

Nullas illa ſuis contemnet fletibus aras,
Et quicunque ſacer, qualis ubique, lapis.

Hunc in cenſum refer inſcriptionem veterem apud FULV. URSIN. in *L. III. Cic. de N. D.*

IIII ID. DEC. FRATRES. ARVAL. IN. LVCO
DEÆ. DIÆ. VIA. CAMPANA
- APVD. LAPID. V. CONVENER.

conf. etiam Cel. CRAMER. *de ara exter. Cap. 12. p. 20. ſq.*

Tales futuri veritatis teſtes, qui per præconium Evangelii & ſalutis, Deo grata conſtituenda erant altaria, in quibus tot ſacrificia myſtica Deo erant offerenda per Spiritum S. Ita Paulus de ſe teſtatur Rom. XV, 16. *ut ſim miniſter Jeſu Chriſti apud Gentes: operans Evangelio Dei, ut oblatio gentium accepta fiat ac ſanctificata per Spiritum S.* adducens ſcilicet *ad obedientiam Gentes verbis & factis* v. 18. & Cap. I, 5. teſtatur, ſe cum συνεργοῖς ſuis *accepiſſe gratiam & apoſtolatum*

ad obedientiam fidei inter omnes gentes erigendam pro nomine ipſius. Huc quoque reſpicit Apoſtolus Coloſſ. I, 28. *Quem* ſc. Chriſtum, *nos annuntiamus, admonentes quosvis, & erudientes quosvis omni ſapientia, ut quosvis παραςήσωμεν τελέιες ſiſtamus perfectos,* convenienter voci תמים quæ de ſacrificiis V. T. deſumta eſt. Licet alia in relatione altare proprie Chriſti typus ſit in emphaſi, teſte Paulo Heb. XIII, 10. ſenſu tamen ſecundario, quatenus legati & quaſi vicarii Chriſti ſunt, 2. Cor. V, 20. Apoſtoli & Doctores tanquam ara myſtica conſiderari queunt.

X. 5. Præterea *lapides* memorantur in monumentis antiquis, quibus *inſcribebantur Leges* apud veteres. Tales in ſacris memorantur. ita Deuter. XXVII, 2. 3. *Erigas tibi lapides magnos, & linias eos calce; & inſcribas eis omnia verba legis hujus.* & v. 8. *& inſcribes illis lapidibus omnia verba hujus legis bene, perſpicue. Et Joſua inſcripſit lapidibus exemplar legis Moſis, quam præſcripſerat filiis Iſraël.* Quænam vero Lex heic intelligenda, & quomodo illa inſcribenda his lapidibus ſit, pluribus inquirit Cl. *N.* KOEPPEN. *in ſing. diſſ. de inſcriptione legis Moſis in Lapides. Gryph. 1711.* & JOSEPH. *L. IV. antiq. Judaic. Cap. VIII.* ejusdem meminit. conf. etiam LUNDII Jüd. Heiligth. *p. m. 539. ſq.* Apud Gentes in curiis & locis publicis columnæ, quibus vel appendebantur leges, vel inſcribebantur, poſitæ erant, vide Cl. BAIER in *addit. ad Selden. de Diis Syr. p. m. 103.* & Cl. ZORN. *biblioth. antiq. Exeget. p. 824. in not.* Egregius hanc in rem quoque locus eſt *Lycurgi orat. in Leocrat.* apud MEURS. *de Athen. Attic. L. III. cap. 9.* Ταῦτα ὦ ἄνδρες, ἔγραψαν εἰς τὴν ςήλην, καὶ ταύτην ἔςησαν εἰς τὸ βελευτήριον, ὑπόμνημα τοῖς καθ' ἑκάςην ἡμέραν συνιέσι καὶ βελευμένοις ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ὡς δεῖ πρὸς τοιέτες ἔχειν. *Hæc o viri in columnam inſcripſere, eamque in curia poſuere, ut admonerentur ii, qui quotidie hic conveniunt, quomodo erga hos ſe gerere debeant.* Et *leges* quoque fœderis ab utraque parte contrahente obſervandas illis inſcriptas legimus. Tales erant, quas deſcribit PAUSAN. *Eliac. L. V. p. m. 310.* Στῆλαι δὲ ἄλλαι τε ἑςήκασι καὶ ἡ πρὸς Ἀθηναίες καὶ Ἀργείες τε καὶ Μαντινέας ἔχεσα ὅρκον παρὰ Ἠλείων εἰς συμμαχίαν ἐτῶν ἑκατὸν. *Erectæ vero ſunt & aliæ columnæ, & illa inter cæteras, in qua fœdus legitur, quod cum*

Eleis

Eleis in annos centum Athenienſes, Argivi & Mantinenſes fecere. Tales columnas quamplurimas cum legibus fœderis expreſſis memorant *Marmora Oxonienſia* paſſim. Similes quoque apud GRUTER. *p. D. DCVI. CCVI. ſq.* & paſſim in Lapidibus antiquis invenies.

Huc alludi quibusdam cenſetur Habac. II, 2. *ſcribe viſionem perſpicue iu tabulis iſtis, ut percurrat lecturus eam.* Teſtes ſane veritatis *columnarum* inſtar erant, quibus inſcripta lex fœderis gratiæ ac veritatis. Hoc ſenſu Eccleſia in genere ϛύλος καὶ ἑδραίωμα veritatis, 1. Tim. III, 15. & victores *columnæ templi Dei* futuri dicuntur Apoc. III, 12. In corde enim non ſolum legem Dei cum reliquis mortalibus inſcriptam gerunt, Rom. II, 15. ſed & in vita ſua externa & per præconium Evangelii, legem fidei ac fœderis omnibus legendam exhibent. Gerunt theſaurum hunc in vaſis teſtaceis, 2. Cor. IV, 7. non defraudant verbum Dei, ſed *manifeſtatione veritatis* ſe ipſos commendant apud omnem conſcientiam hominum *in conſpectu Dei,* 2. Cor. IV, 2. Ex ore enim illorum lex Dei prædicatur & manifeſtatur toti orbi, & ex vita illorum, qua illud quam clariſſime exprimere tenentur, undique quaſi conſpicua redditur atque legi poteſt, Rom. X, 14. 15. Pſ. XIX, 5. unde Mal. II, 7. *Quum labia ſacerdotum ſcientiam cuſtodiant, & lex requiratur ex ore ipſorum.*

XI. 6. Imo in *ſignum* & confirmationem *Fœderis* & pacti *Lapides* erectos apud varias gentes ex monumentis antiquis diſcimus. Veſtigia hujus ritus in ſacris deprehendimus, Geneſ. XXXI, 44--48. *Pangamus* fœdus *invicem, quod ſit teſtimonio inter me & te. Accepit ergo* lapides *Jacob, ut erigeret ex iis ſtatuam. Et dein appellavit* גלעד *Galhedem. Dixerat enim Laban, hic lapidum cumulus ſit teſtis inter nos hodie.* Alter locus æque eſt notabilis *Joſ. XXIV, 25--27. Pepigit Joſua* fœdus *cum populo die illo, & ſcripſit verba iſta in libro legis Dei, & accipiens* lapidem magnum, *erexit illum ibi ſub quercu. Et dixit Joſua populo: Ecce lapis iſte eſto inter nos teſtimonium, quia ipſe interfuit, conteſtando omnes ſermones Jehovæ.* &c. Recte R. ALSCHECH ad *Gen. XXXI. fol. 78. c 3.* לקח אבן וירימה מצבה לומר נצב באמונתו תעיד ועל שיתאחדו גם הם מבוא כברית אמר להם לקטו אבנים שגם כל אחד מתייחס לאבן וגו׳

 Accepit

Accepit lapidem, *& erexit eum ut* ſtatuam, *i. e. poſuit in ſignum perpetuum fidei ſuæ. Et quia etiam reliqui* fœdere *jungi volebant, dicebat ad eos: colligite lapides, ut quilibet ſibi* lapidem *appropriet* &c. Similiter de columnis Herculis conſultus *Apollonius* apud BOCHART. in *Phaleg. Lib. I. cap. 34. p. m. 676.* & de earum inſcriptione inquit: Γῆς καὶ ὠκεανῦ ξύνδεσμαι αἱ ςῆλαι εἰσὶν. Ἐγράψατο δὲ αὐτὰς ἐκεῖνος ἐν μοιρῶν οἴκῳ, ὡς μήτε νεῖκος τοῖς ςοιχείοις ἐγένοιτο, μήτε ἀτιμάσειν τὴν φυλότητα ἣν ἀλλήλων ἔχουσιν. *Terræ & Oceani vinculum ſunt hæ columnæ, quas in domo Parcarum inſcripſit Hercules, ne qua elementis contentio accidat, nec amicitiam disiungant, qua invicem tenentur.* Ita etiam Cl. PFEIFFER. *in antiq. Græc. Lib. II. cap. XLIX.* & THUCYDID. *Lib. V. bell. Pelop. f. 208. ſq.* probat, quod fœdera ſancientes, placita fœderalia ἐν ςύλῃ λιθίνῃ *columna lapidea* inſculpſerint, quod & ſupra jam ex *Pauſania* docuimus. *Joh.* PIERIUS quoque in *Hieroglyph. S. Lib. XLIX. cap. 3.* lapidem fœderum firmitatis hieroglyphicon fuiſſe probat, & ex POLYB. *Lib. III.* in fœdere cum Carthaginenſibus icto, demonſtrat. Inſuper ex *Demoſthene* juramenti ſpeciem per lapidem refert. Hinc poſt ſoluta vota & fœdera erectos lapides cum inſcriptionibus pluribus memorat GRUTERUS in opere *Inſcriptionum* paſſim. Qualis illa notanda:

DEO. SANCTO. APOLLINI
PACIFERO. EX. VOTO
LIBENS. SOLVIT. MIL. COHORT
X. PRÆTORIÆ.

Plures quoque adducit Doctiſſ. SAUBERT. *de Sacrific. cap. II. p. m. 38. ſq.*

Fœderalium quoque inſtar lapidum futuri erant veritatis teſtes, utpote qui non ſolum teſtes fœderis populi Dei cum Jehova erecti, ſed & formulas fœderis gratiæ populo ob oculos perpetuo poſituri erant. Teſtes erant *fœderis*, quod anima cum Deo propitio erigit, utpote cujus conditiones proponunt animabus, & petunt, quaſi Deo per illos rogante, Chriſti nomine, ut *cum Deo reconcilientur*, 2. Cor. V, 20. Illi ſunt, per quos Deus fœdus ſuum teſtatur coram populo ſuo, Pſ. XXV, 14. Illis conceſſum eſt *miniſterium reconciliationis*, 2. Cor.

V, 18.

V, 18. Chriſtus enim ſe dedit redemtionis pretium, ut teſtimonium hoc temporibus præſtitutis exhiberetur, *cujus*, ait Apoſtolus, *conſtitutus ego ſum præco, Apoſtolus & doctor gentium cum fide ac veritate*, 1. Tim. II, 6. 7. Quare *miniſtri fidei* credentium vocantur doctores 1. Cor. III, 5. et fungi *miniſterio novi fœderis* dicuntur 2. Cor. III, 6. Fœderis ſui oblitos monent, hortantur, ut memoriam eius in conſcientia pura adſervent, 2. Tim. II, 8--10. *Teſtes* quoque aliquando in die judicii futuri erunt fœderis, quod propoſuere in Evangelio, & quod vel fractum vel ſervatum fuit in hac vita, Rom. II, 16.

XII. 7. Lapides præterea in *mortuorum ſepulchris* erectos, tanquam monumenta poſteris, ex antiquitate eruimus. Mos enim veterum erat uſitatus, ut Regum, Imperatorum vel magnatum ſepulcra *tumulis, titulis, lapidibus ac ſtatuis* exornarent. In ſacris diptychis exempla deprehendimus. Jacob enim in via verſus Ephratam יצב מצבה על קברתה *ſtatuit ſtatuam ſuper ſepulchrum Rahelis, quæ ad hunc diem ſtatua ſepulchralis Rahelis vocatur*, Gen. XXXV, 20. R. PETACH. *in itinerario* memorat huic Rahelis ſepulchro undecim ſtatuas lapideas, ſecundum numerum undecim tribuum, fuiſſe impoſitas, vid. ipſum *p. m. 196. ed. Wagenſ.* Huc referunt nonnulli *ſtatuam Abſalomis*, quam JOSEPHUS *antiq. Lib. VII. cap. IX.* ςήλην λίθȣ μαρμαρίνȣ vocat, & quæ 2. Sam. XVIII, 18. memoratur, quam itidem ad locum ſepulchri futuri conſtituiſſe creditur a Cel. VITRINGA *Fil. in Diſſ. cit. de ſcala Jacob. p. 54.* & aliis. In monumentum ſepulchrale Eli Pontificis *ſtatuam* cum epigraphe ſeq. poſitam refert *Dav.* GANZ. *in Zemach. David. p. I. f. LIV.*

כתבו בעט ברזל עלי שמיר
שבר אשר היה לזכרון *&c.*
אמרו בקבר זה מקור חכמה
בקבר ועולם בא בעורון

Scribite ſtylo ferreo ſuper adamanteo ſilice fracturam hanc, quæ ſit in memoriam &c. Dicite: in ſepulchro hoc fons ſapientiæ ſepultus eſt, & mundus venit in cæcitatem &c. Unde מצבה Judæis plerumque lapidem ſepulchralem notat. Qualem BUXTORF. *in Lex.* exhibet: p. 971. האבן הזאת אשר שמתי מצבה לראש הזקן ר׳ אליקים

אליקים בר יוסף ויקבר בחול המועד ע"ל פסח Lapis *hic eſt quem poſui* monumentum *capiti venerandi ſenis R. Eliakim filii R. Joſeph, qui mortuus eſt in profeſto Paſchatis &c.* Quare R. NATHAN *in Maſſech. Schekal. c. II. miſn. ult.* inquit: מותר המת בונין לו נפש על קברו *Ultimus demortui honor eſt, quod erigant ſuper ejus tumulo monumentum.* MAIMONID. quoque in אבל *cap. IV.* ait: מציינים את קברות ובונים נפש על הקבר *Exornare ſolent ſepulchra, & ſtatuas memoriales illic reponere.* vide CARPZOV. *ad SCHICKARD. Jus Reg. Hebr. p. m. 436.* SERVIUS quoque ad *Lib. V. Æneid.* ſcribit: *Columnæ mortuis nobilibus ſuperponuntur ad oſtendendum eorum columen.* Talis erat ςήλη μνήματος Beli, apud ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. XIII. cap. 3.* atque Epaminondæ *Lib. XIII. cap. 42.* Huc quoque reſpicit TIBULL. *Lib. I. eleg. III.*

Quod ſi fatales jam nunc explevimus annos,
Fac lapis *inſcriptis ſtet ſuper oſſa notis.*

vide præterea PROPERT. *Lib. II. eleg. XIII. v. 40.* MARTIAL. *Epigr. Lib. X. ep. 61. v. 6.* nec non STRABON. *Geogr. Lib. IX. p. m. 279.* PAUSAN. *in Phocic. L. X. p. m. 617.* adde, quæ de lapidibus ſepulchralibus commentatur BAIER. *in additam ad Selden. de Diis Syr. p. m. 99. ſq.* J. MEURS. *de funere cap. 31.* in *Theſ. GRONOV. Tom. XI. p. 1130.* et quæ nos diſſeruimus in *EMBLEMAT. noſtris ſacris Lib. I Exerc. V. de ſepulchris dealbatis §. VI. p. 63. ſq.*

Hiſce lapidibus comparari quoque poſſunt veritatis teſtes, qui tanquam monumenta ſepulchri Salvatoris noſtri conſiderari poſſunt; quatenus teſtes ſunt mortis ejus & reſurrectionis, veluti Petrus de ſe & συνεργοῖς ſuis publice declarat Act. II, 22. et Salvator prædicit, quod poſt mortem ipſius teſtes futuri ſint diſcipuli, Joh. XV, 27. qualis in ſpecie Johannes, cap. XXI, 24. & Petrus Act. X, 42. nec non Paulus, teſtatus Romæ de morte & reſurrectione Chriſti, Act. XXIII, 11. cap. XXVI, 2. Ita & de omnibus legimus Act. IV, 33. *Et Apoſtoli magna virtute reddebant teſtimonium reſurrectionis Domini Jeſu ex morte, & gratia magna erat ſuper omnes.* Quemadmodum enim monumenta ſepulchralia honorem & memoriam mortuorum conſervabant

poſteris,

poſteris, & merita illorum inſculpta gerebant. Ita *veritatis teſtes* reliquit Salvator poſt mortem et aſcenſionem in terra, tanquam teſtes gloriæ ſuæ & præcones meritorum mortis ipſius, 1. Cor. XV, 14. 15. Rom. III, 25. quæ manifeſtant coram omnibus etiam gentibus & Judæis, 1. Cor. I, 23. II, 2. Act. X, 39. 40. Quare Paulus γνησίῳ ſuo in fide filio & veritatis teſti inter alia præcipit, 2. Tim. II, 8. *Memoriam conſerva Jeſu Chriſti ſuſcitati ex mortuis, nati ex ſemine David, ſecundum Evangelium meum.*

XIII. 8. Addimus *lapides* erectos tanquam tropæa *victoriæ* ac *ſtatuas triumphales*, quales non ſolum in locis victoriæ, tanquam æternum ejus monumentum, ſed & *Ducibus triumphantibus & victoribus*, uti & *athletis* apud antiquos erigi ſolebant. Inſigne hujus ritus veſtigium deprehendimus in ſacris, ſc. 1. Sam. VII, 12. ubi poſt inſignem Iſraëlis de Philiſtæis victoriam legimus: Et accipiens Samuel אבן אחת *Lapidem quendam, & poſuit illum inter Mizpa & ſcopulum illum, & vocavit nomen ejus* אבן עזר *Lapidem auxilii, dicebat enim, hucusque nos adjuvit Jehova.* Talis forte quoque fuit *Lapis ille in Gibeon magnus*, de quo 2. Sam. XX, 8. Huc refer VIRGIL. *Georg. L. III.*

Stabunt & Parii lapides *ſpirantia ſigna.*

Aras quoque lapideas in memoriam victoriæ erigebant; qualem Moſes poſuit devictis ac deletis Amalekitis Exod. XVII, 15. STRABO *Geogr. L. III.* ſcribit: ἔθος γὰρ παλαιὸν ὑπῆρξε τὸ τίθεσθαι τοιούτους ὅρους ἢ στήλας etc. *Moris enim erat apud Veteres, ut limites victorioſis ſuis progreſſibus ponerent aras ſeu columnas* etc. XENOPHON quoque de *expeditione Cyr. L. IV.* teſtatur, immenſam ſtruem lapidum a Græcis redeuntibus ab Aſiæ expugnatione fuiſſe erectam. De *aris* poſt victoriam erectis vide DOUGT. *Anal. S. L. I. Exc. 67. p. m. 126. ſq.* & qui illum excerpit Th. AMEL. *in V. T. Tom. II. p. m. 211. in not.* Audiamus denuo STRABONEM *L. III. p. m. 99.* ex verſione Xylandri ita ſcribentem: *Et in Iſthmo Corinthiaco memoratur* columna *poſita antiquitus, quam communi opera collocaverunt Iones, qui Atticam & Megaridem occupaverunt*, etc. De monumento triumphali loquitur PAUSAN. in *Attic. L. VII.* Λίθον Πάριον ἦγον, εἰς τρόπαιον ποίησιν. *Lapidem Parium*

Parium adducebant ad erigendum tropæum. & STRABO *in Geogr. Lib. IV.* de Æmiliano poſt victoriam de Gallis, quorum ducenta millia proſtraverat, refert: καὶ ἔστησε τρόπαιον αὐτόθι λευκοῦ λίθου. *Et erexit ibi tropæum ex candido lapide.* Victoribus ſtatuas poſitas eſſe egregie docet TACIT. *L. IV. annal. Triumphalia ornamenta,* inquit, & *illuſtris* ſtatuæ *honorem & quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulato decerni jubet.* conf. etiam SUETON. *L. II. Octav. Cæſar. Auguſt. cap. 31. & notas Beroald. ad h. l.* PIERIUS quoque in *Hierogl. Lib. XLIX. p. m. 531.* exhibet columnas Lacedæmone erectas, quæ tropæa exiſtunt & monumenta victoriæ Pauſaniæ. De *ſtatuis victoribus* certaminum erectis, & *athletis* in honorem poſitis conf. PASCHAL. *de Coron. Lib. VI. cap. 8. p. m. 362. ſq.* DEMSTER. *ad Roſin. antiq. Lib. IX. p. m. 932. ſq.* FABRI *Agoniſt. L. III. cap. 3.* Plurimas ſtatuas athletarum cum inſcriptionibus coacervat Doct. FALCONER. in *not. ad Inſcriptiones Athletic. in Theſaur.* GRONOV. *Tom. VIII. p. 2295--2346.* Inſignis eſt illa de Smyrnenſ.

ΑΓΑΘΗ. ΤΥΧΗ
Η ΙΕΡΑ ΞΥΣΤΙΚΗ. CΥΝΟΔΟC. ΤΩΝ. ΠΕΡΙ
ΤΟΝ. ΗΡΑΚΛΕΑ, ΑΘΛΗΤΩΝ. ΑΝΕCΤΗ-
CΑΝ. ΕΝ. ΤΗ. ΒΑCΙΛΙΔΙ. ΡΩΜΗ ΜΝΗ-
ΜΗC. ΧΑΡΙΝ. ΚΛ. ΡΟΥΦΟΝ. &c.&c.
QVOD. FELIX. FAVSTVMQVE.
SACRA. SYNODVS. XYSTICA. ATHLETARVM
AD. HERCVLEM. POSVERE. HANC. STATVAM
IN REGINA. (urbium) ROMA. MEMORIÆ. ERGO
CL. RVFO. &c. &c.

Qualis etiam eſt illa, quæ Laodiceæ legitur in antiquo lapide, apud SPON. in *Itinerar. p. m. 109.* vide & GRUTER. *Inſcript. p. m. CCCLXV. 8.* &c.

Doctores N. T. quoque monumenta *Victoriæ Meſſiæ* exſtituri erant. Qui non ſolum virtutem ejus victricem in efficaci ſua vocatione experti erant, ſed & teſtes erant victoriæ ejus atque triumphi de hoſtibus Eccleſiæ. Viderant ipſum in Gethſemane luctantem, & in cruce a dracone vulneratum; ſed & viderant caput ſerpentis ad crucem ejus quaſi

quaſi contritum, & audiverant triumphalem ipſius vocem: τετέλεςαι Joh. XIX, 30. Quare in ipſo illo loco ubi paſſus erat, ſeu certamen cum hoſtibus inierat, Apoſtolos quoque monumenta & teſtes victoriæ conſtituebat, præcipue manibus benedicens & confortans eos impoſitis, Luc. XXIV, 49. 50. et hac ratione per Spiritum Chriſti conſtituti teſtes, veritatem & magnitudinem victoriæ ubique enarrabant publice coram populo, quod Petrus inprimis exſecutus eſt cum efficacia Act. II. cap. conf. etiam 1. Cor. XV, 14. 15. Poſteris quoque memoriam victoriæ ac triumphi Meſſiæ in ſcriptis ſuis, & per mortem martyrii ſui pro veritate victoriæ Ducis ſalutis, reliquerunt. Sunt quoque triumphales ſtatuæ *Ducis* noſtri conſummati, per quos ceu monumenta gloria ipſius, laus atque honos per totam tellurem decantatur. Virtute prodigiorum, ſignorum ac Spiritus Dei ipſos induit, ut vaſa gloriæ ipſius exiſterent, Rom. XV, 18. 19.

XIV. 9. Addimus denique *Lapides Terminales*, qui in finibus agrorum, regionum atque ditionum imperii erigi ſolebant tanquam *limites* ipſorum, variaque dominia telluris diſtinguebant. Huc niſi fallor, referendus eſt *lapis Bohanis Rubenitæ*, qui *terminus* ejus dicitur Joſ. XV, 6. Huc reſpicit VIRGIL. *L. XII. Æneid.*

- - - ſaxum circumſpicit ingens,
Saxum antiquum ingens, campo qui forte jacebat
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.

et SENECA *Tragic. Hippolit.*

- - - nullus in campo ſacer
Diviſit agros arbiter populis lapis.

nec non OVID. *Lib. II. faſtor.*

Termine, ſive lapis, ſive es deſertus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.

TIBULL. *Lib. I. eleg. 3.*

Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva lapis.

Quare & SICULUS FLACCUS *Lib. de condit. agror.* ſcribit: *Cum terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram collocabant proxime ea loca, quibus foſſis factis defixuri eos erant.* Unde

 primus,

primus, ſecundus, tertius & quartus lapis, i. e. limes ſeu terminus memoratur. Sic apud MARTIAL. *Epigr. Lib. XI. ep. 80.*

Ad primum *decima* lapidem *quod venimus hora.*

et *Lib. X. ep. 79.*

Ad lapidem *Torquatus habet prætoria quartum.*
Ad quartum breve rus emit Otacilius.

huc refer inſcriptiones apud GRUTER. *p. m. CXCVIII. n. 4.*

EX. AVCTORITATE. IMP. CÆS. DIVI
NERVÆ. FILII. NERVÆ. TRAIANI &c.
TI. IVLIVS. FEROX. CVRATOR
ALVEI ET. RIPARVM. TIBERIS
TERMINAVIT. RIPAM. R. R. PROXIMO
CIPPO. P. CCCLXXXVI. S.

nec non *pag. CXCIX. n. 2.*

IMP. CÆSAR. AVG. PONTIF.
MAXIM. TRIBVN. POT. XXVIII.
COS. XIII. PATER. PATRIÆ
TERMINVS. AVGVSTAL. INTER
BLETISAM. ET. MIROBR. ET. SALM.

Plures ibi invenies *n. 1. 3. 5. 6. ſq.* De *lapidibus* terminalibus vide DEMSTER. ad *Roſin antiq. Lib. II. Cap. XX. p. m. 256. ſq.* Jac. OUZEL. *animadv. ad Minuc. Felic. Octav. p. m. 12. ſq. Doctiſſ.* WEIS. *Diſſ. II de Numin. Vial. Rom. p. 33. ſq.* JOH. NICOLAI *de Mercurio & Hermis Cap. X. ſq.*

Ad lapides hoſce terminales alluditur ſenſu myſtico Jeſ. XIX, 19. *Illo die erit altare Jehovæ in medio terræ Ægypti*, & cippus ad terminum *ejus. Et erit in ſignum & teſtimonium Jehovæ exercituum.* Ubi quidem Cel. VITRINGA ad ſtatuas ſacras memoriales, beneficii divini monumenta, in oppoſitione ſtatuarum ſolis in Heliopoli erectarum, & Doctiſſ. AMEL. ſ. *Zorn.* in *V. T. Tom. II. p. 205.* ad aras memoriales cum Grotio reſpici cenſent: Sed quum de ſtatua ſeu *cippo* ad *terminum* mentio fiat, ad terminales lapides reſpici potius contenderem, qui *ſignum* futuri dominii ac cultus Jehovæ in terra Ægypti exiſterent. Similiter *Jeſ. LIV, 12.* quando Deus poſiturus dicitur גבולה אפני חפץ *terminos* Eccleſiæ *lapides delectabiles*, ubi denuo ad hoſce lapides

des alludens vates, gratiam præconii Evangelii, quo fines & pomœria regni Meſſiæ circumſcribuntur, deſcribit. Teſtes ergo veritatis hiſce lapidibus apte comparantur, utpote ubi hi erecti per præconium conſtituuntur, ibi dominium Meſſiæ quoque viget, qui dominatur a mari ad mare & ad fines terræ, Pſ. LXXII, 8. Hi ſunt qui diſtinguunt luce veritatis inſtar cipporum pomœria regni tenebrarum ac limites regni Meſſiæ. Talis erat Paulus, qui ab Hieroſolyma usque ad Illyricum luce Evangelii regionem impleverat, Rom. XV, 19. ubi præconium Evangelii erectum conſpicitur tanquam vexillum, ibi Meſſias dominatur, Rom. X, 8. 14. 15.

XV. B. Pergimus jam ad varia *lapidum* apud veteres erectorum, ad quos in loco Zachar. alluditur, *attributa* atque *accidentia*.

a. *Conſecrari oleo* ſolebant, quod in eos effundebant. De primo *lapide μνημοσύνης* Jacobi, ex quo ritus ille ad gentes reliquas derivatus videtur, legimus Gen. XXVIII, 18. ויצק שמן על ראשה *Et effudit oleum in verticem ejus*. *AbenEſras* & alii inter Judæos cauſam infuſionis olei reddunt: להכירה בשובו *ut illum dignoſceret in reditu.* GROTIUS exiſtimat, hoc feciſſe Jacobum ex more gentium recepto. Alii libamen Patriarcham effudiſſe coram Jehova in hoc lapide veluti altari contendunt. Potius illud ex more Patriarcharum, quo res conſecratas & ſanctas olei infuſione denotabant, derivamus; quemadmodum ſequentibus temporibus legimus, res ſacro uſui deſtinatas oleo fuiſſe inunctas, quod ingenioſe docet Doctiſſ. MERCERUS *ad h. l. p. 495.* conſentit HEIDEGGERUS in *hiſt. Patriarch. Tom. II. Exerc. 16. p. 333.* qui & addit hunc ritum per unctionem aliquid conſecrandi veriſimiliter a Deo Patriarchis eſſe demandatum. conf. etiam Cel. VITRINGAM in *diſſ. cit. de ſcala Jac. p. 55.* etc. Sunt, qui cum AUGUSTINO & aliis Patribus unctionem hanc in confirmationem promiſſionis Meſſiæ factam eſſe aſſerunt. conf. quæ *ad h. l.* adducit *Doctiſſ. I. C.* BROESTEDT *in diſſ. cit. de lapide Jac. §. 5. ſq.* qui & cum aliis inquirit, unde Jacobus oleum hoc acceperit viator. adde Ch. SCHOTAN. *Bibliotb. hiſt. Eccl. V. T. Tom. II. p. 333.* & Cl. VITRING. *l. c. p. 56.* etc. Ex hoc Jacobi facto ſimiles apud gentes ritus or-

tum traxiſſe videntur, quæ lapides oleo inungere ſolebant. Ita ſcribit PAUSAN. *in Phocic.* Ἐπαναβάντι δὲ ἀπὸ τοῦ μνήματος, λίθος ἐστὶν οὐ μέγας, τοῦτο καὶ ἔλαιον ὁσημέραι καταχέουσι, καὶ κατὰ ἑορτὴν ἑκάστην ἔρια ἐπιτιθέασι ἀργά. *Ab eo monimento cum rurſus adſcendere inceperis,* lapidem *videas modice magnum. Hunc quotidie oleo perfundunt; ſingulisque feſtis lanam in eo ponunt rudem.* Conſentit CLEMENS ALEXANDRIN. *Lib. VII. Stromat. p. m. 713.* qui a variis citatur LUCIAN. quoque in *Pſeudomant. Tom. I. p. m. 555.* λίθου ἀληλειμμένου *lapidis inuncti* meminit, ſcribens: Εἰ μόνον ἀληλειμμένον τὸν λίθον, ἢ ἐστεφανωμένον θεάσαιτο, προσπίπτων ἀεὶ, καὶ προσκυνῶν, καὶ ἐπιπολὺ παρεστὼς καὶ εὐχόμενος. *Adeo ut ſicubi* lapidem *vel* inunctum *vel coronatum conſpexiſſet, continuo procideret atque adoraret, ac diutius advolutus vota faceret.* Plura loca dabunt OUZEL. *ad Min. Felic. p. m. 12.* Doctiſſ. M. G. SILLIG. in *diſſ. cit. de lapid. Deo dic. p. 14. ſq.* Cl. HOELLING. *de Bætyl. p. m. 18. ſq.* nec non PFEIFF. in *antiq. Græc. p. m. 171.*

Unctio quoque convenit veritatis teſtibus, ſed myſtica; *Unctio, quam acceperunt, manet in illis,* 1. Joh. II, 27. Spiritu enim S. qui eſt oleum ſacrum & lætitiæ, Pſ. XLV, 8. Jeſ. LXI, 3. conſecrati & muneri ſuo inaugurati ſunt. *Oleum* illud ſacrum in caput ſummi Aaronis, i. e. Meſſiæ effuſum, deſcendit a capite in *barbam,* i. e. Apoſtolos & veritatis teſtes & in *fimbriam veſtis ejus,* i. e. reliquos confeſſores, Pſ. CXXXIII, 1--3. Deus eſt, qui *unxit ipſos & obſignavit, deditque arrhabonem Spiritus in corda ipſorum,* 2. Cor. I, 21. 22. Non enim ex ſe ipſis, tanquam lapides rudes & idiotæ, idonei erant ad hoc munus teſtimonii; ſed quod *idonei eſſent, ex Deo erat. Qui aptos eos reddidit ad miniſterium novi fœderis, non literæ ſed ſpiritus,* 2. Cor. III, 5. 6. Ille per Spiritum quoque *idoneos ipſos reddidit ad participandam ſortem ſanctorum in luce,* Col. I, 12. Spiritus unctione ſua omnia edocet & eloqui ipſis dat, Act. II, 4. eſt enim Spiritus *veritatis,* qui *in ipſis* eſt & *ſuper ipſis,* Jeſ. LIX, 21. Joh. XIV, 17.

XVI. b. Inſuper & lapides hoſce certis *ſignis* & *inſcriptionibus* exornare ſolebant, ex quibus uſus ſcopusque erectorum lapidum diſcebatur.

batur. Vel enim *nomina* eorum, in quorum honorem erecti, vel etiam *Deorum* inſculpta gerebant; vel etiam *res geſtæ*, quæ memoriæ poſterorum inſerviebant, illis inſcriptæ erant. R. PETACHIAS in *Itinerar. p. m. 196.* memorat *lapidem* inſignem וחקוק על אבן שם יעקב *cui inciſum eſt nomen Jacobi.* quemadmodum & Judæi in *Jalkuth fol. 35. lapidem* memorant חקוק בו השם *cui inſculptum nomen Jehova.* quare & legimus in monumento Eli apud R. Dav. GANZ. *in Zemach David. l. c.*

כתבו בעט ברזל עלי שמיר
שבר אשר היה לזכרון

Scribite ſtylo ferreo ſuper lapide adamanteo,
Fracturam hanc, quæ ſit in memoriam.

Ita DIODOR. SICUL. *Lib. V. p. 321.* ςήλην memorat γράμματα ἔχουσαν τὰ παρ' Αἰγυπτίοις ἱερὰ καλούμενα, *literis notatam, quas Ægyptii ſacras vocant.* De his etiam ſcribit LUCIAN. *in Mortuor. dialog. p. m. 267.* Κατάλιπε δὲ καὶ γένος καὶ δόξαν. καὶ εἴ ποτέ σε ἡ πόλις ἀνεκήρυξεν ἐυεργέτην δηλόνοτι, καὶ τὰς τῶν ἀνδριάντων ἐπιγραφάς. *Relinque genus & gloriam, item civitatum, de quibus ſc. bene meritus es, publica præconia & ſtatuarum* inſcriptiones. PLUTARCHUS *in Lycurg.* Ἐπιγράψαι τοὔνομα θάψαντες οὐκ ἐξῆν τοῦ νεκροῦ, πλὴν ἀνδρὸς ἐν πολέμῳ καὶ γυναικὸς ἱερῶς ἀποθανόντων. *Qui ſuos ſepeliebant, nomen mortui* (ſtatuæ) inſcribere *non poterant, niſi viri qui in bello, vel mulieres, ſi ſancte mortui erant.* In genere quoque ſcribit DIO CHRYSOST. *in Rhodiaco.* Ἡ δὲ εἰκὼν ἐπιγέγραπται, καὶ οὐ μόνον τὸ ὄνομα, ἀλλὰ καὶ τὸν χαρακτῆρα σώζει τοῦ λαβόντος, ὥςε ἐυθὺς εἶναι προσελθόντα εἰδέναι τινός ἐςι. *Statua autem* inſcribitur, *& nomen &* characterem *eius habet, cui poſita eſt, ut ſtatim qui accedit, agnoſcat.* et POLYBIUS *pag. 139.* Διεφθείρατο ἀνδρίαντας πλὴν ὅσοι Θεῶν ἐπιγραφὰς ἢ τύπους εἶχον. *Evertit ſtatuas, niſi quæ Deorum formas aut* inſcriptionem *haberent.* conf. inſuper PIER. *hieroglyph. Lib. I. p. m. 529.* RHODIG. *Lect. antiq. p. m. 236.* ROSINI *antiq. in paral.* DEMSTER. *p. m. 937.* AMEL. Vir Doctiſſ. *in V. T. Tom. II. p. 305.* PAUSANIAS *Eliac. Lib. VI. p. 441.* Cl. BAIER *in add. ad* SELD. *de Diis Syr. p. m. 100. ſq.* Cl. ZORN.

 biblio-

bibliotb. Exeg. antiq. p. 824. in not. & p. 980. Huc pertinent ingentes *Gruteri, Reineſii, Sponii* aliorum theſauri Inſcriptionum marmorum ac lapidum antiquorum.

Nec *inſcriptione* & *ſignis* ſuis carent hi lapides myſtici, qui nomen ipſius *Dei* in fronte gerunt inſculptum, Apocal. XXII, 4. χάραγμα non beſtiæ nec Satanæ, ſed Dei vivi gerunt, per renovationem imaginis divinæ, Epheſ. IV, 23. 24. *ſtigmata Domini* Jeſu in corpore ſuo quaſi inſculpta gerunt cum Paulo, Gal. VI, 17. nomen Patris & agni frontibus inſcriptum eſt, tanquam ſtatuis triumphalibus, Apoc. XIV, 1. Quare & ſegregati a pſeudo-doctoribus *ſigno notati* ſunt per Spiritum, Ezech. IX, 4. qui tanquam arrhabo in pectora ipſorum datus eſt, 2. Cor. I, 22. Inſcribunt manui ſuæ ליהוה cujus peculium ſunt, Jeſ. XLIV, 5. Imo tintinnabulis equorum majeſtatis Meſſiæ i. e. præconio doctorum N. T. inſculptum legebatur aliquando קדש ליהוה Zach. XIV, 20. Erant enim vaſa electa τȣ̃ βαςάσαι ad *portandum* nomen Dei coram omnibus populis, Act. IX, 15. In ſpecie ad inſcriptionem lapidum alluditur 2. Tim. II, 19. Firmum Dei *fundamentum* perſtat, habens σφραγίδα *ſigillum*; ſeu notam inſcriptam: EΓΝΩ ΚΥΡΙΟϹ ΤΟΥϹ ΟΝΤΑϹ ΑΥΤΟΥ. *Dominus cognovit ſuos.* nec non *Apoc. III, 12.* ubi de ςήλοις hiſce myſticis promittit Archangelus, quod *inſculpturus ſit illis nomen Dei ſui, nomenque ſuum novum.* Ex illis atque eorum præconio, poſteri omnes fata, beneficia, merita fidei, & quæcunque fidelibus olim acciderunt, nec non fata ac merita Meſſiæ Salvatoris legere quam clariſſime poſſunt, ut ſupra jam docuimus.

XVII. c. Inprimis vero notandum eſt, veteres quoque *lapides* hoſce *coronaſſe ſertis* variisque *corollis.* Huc reſpicit LUCIAN. *in Dialog. Deorum Concil.* ἀλλὰ ἤδη πᾶς λίθος καὶ πᾶς βωμὸς χρησμωδεῖ, ὃς ἂν ἐλαίῳ περιχυθῇ καὶ ςεφάνȣς ἔχῃ. *Sed jam* lapis *omnis, omnisque ara vaticinatur, quæ eſt oleo perfuſa &* coronas *habet.* & SICULUS FLACC. *de condition. agror. Cum terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolitam terram collocabant, & unguento velaminibusque* & coronis *eos coronabant.* Huc quoque reſpicit TIBULL. *Lib. I. eleg.* 1.

Et

Et veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agro,
Seu vetus in trivia florea ſerta *lapis.*

et OVID. *Lib. II. faſtor.* de lapide termino canit:

Te duo diverſa domini de parte coronant
Binaque ſerta Tibi, binaque liba ferunt.

Quare CORNEL. TACIT. *Lib. IV. annal.* ſcribit: *Jamque tres laureatæ in urbe ſtatuæ.* & apud CLEM. ALEX. *Strom. Lib. I.* leges illud:

- - - ἡ ςέμμασι καὶ θυσάνοισι
πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.
- - - *ſertis atque corollis*
Reginæ primum eſt, a qua exornata columna.

Ita quoque SPON. *in Itiner. p. 110.* exhibet antiquam inſcriptionem lapidis in Hieropoli:

ΤΟΥΤΟ. ΤΟ. ΗΡΩΟΝ
ΣΤΕΦΑΝΟΙ
Η. ΕΡΓΑCΙΑ. ΤΩΝ
ΒΑΦΕΩΝ.

Hoc monumentum coronat *Tribus illa tinctorum.* Probamus id quoque ex numinis binis, quos ex OISELII *Tab. CVI. num. 9.* & *Tab. VII. n. 8.* exhibemus tibi in *tabula noſtra præfixa num. XI. XII.* nummus primus exhibet lapidem memorialem in forma aræ, quæ cingitur corollis cum epigraphe, MEMORIA FELIX. P. T. R. Alter ſtatuam Trajani in baſi coronatam, cum inſcriptione S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. De ſtatuis ac lapidibus coronatis vide etiam quæ loca citat OUZEL. *ad Minuc. Felic. verba lapides coronatos. p. m. 15. ſq.* PASCHAL. *de coron. Lib. IV. cap. 4. p. m. 413. & Cap. XII. p. 243.*

Optime denuó hoc teſtibus veritatis applicari poteſt; nec illis coronæ deſunt. Cingit eos *corona veritatis* evangelicæ, quæ cum vario ornamento in ſcriptis ſacris comparatur; uti Judæi ipſi de *corona legis* in ſcriptis ſuis mentionem injiciunt. Ita *torques* aureus vocatur Cant. IV, 9. et cum *corona*, quæ caput exornat, comparatur ſapientia cœleſtis Prov. IV, 19. cap. XIV, 18. doctrina veritatis pura eſt corona, tot radians cœleſtibus doctrinis, quot regum coronæ gemmis. Quare mulier

lier illa in capite *coronam 12. ſtellarum* gerens in viſione apparet, per quam doctrinam 12. Apoſtolorum, qua exornatur, intellige, *Apoc. XII, 1.* qua deſcriptione alluditur ad *coronas ſtellatas* conſecratorum, quæ XII. radiis ſeu ſtellis inſignes erant, ut alibi aliquando docendi nobis anſa dabitur. *Corona* ipſis eſt gratia divina; ac dona cœleſtia ſunt, quibus coronantur Pſ. V, 13. Pſ. LXV, 12. CIII, 4. *Fideles animæ* quas per teſtimonium veritatis fidele & præconium gratiæ lucrantur, *coronæ* ſunt ipſorum, teſte Paulo Phil. IV, 1. & *corona* gloriationis eorum, 1. Theſſ. II, 19. *Corona* quoque vitæ & gloriæ æternæ, eſt decus & pars ipſorum æterna, 2. Tim. IV, 8. 9. 1. Pet. V, 4. Jac. I, 12. Apoc. II, 10. IV, 4. Imo omnes fructus præconii ipſorum in animabus converſis, ſunt totidem gemmæ & ſerta, quæ coronam ipſorum mirifice exornabunt.

XVIII. d. *Erigebantur* autem lapides ejusmodi in *altum*, ut a quocunque tranſeunte etiam e longinquo conſpici poſſent; quo altior columna, eo dignior habebatur. Præcipue quum & *ſtatuæ* quædam *aſyli* loco fuerint apud veteres, quo confugiebant rei, tanquam ad *vexillum*, ſub quo tutelam nanciſcebantur. Huc alluditur quoque in textu noſtro *Zach. IX.* quum vates ſacer vocem מתנוססות adhibeat, quæ non ſolum lapides hoſce conſecratos in *altum erectos*, ſed & in *vexillum* conſtitutos eſſe docet; utramque enim ſignificationem vox נסס admittit, ut præ aliis KIMCHI in lexic. ad h. vocem docet. *Erigi* quoque in *altum* ſolebant *lapides* inſtar ſignorum. Quare de Græcis CLEMENS ALEXANDR. *Strom. lib. I. p. 342.* ἱϛάντες οἱ παλαιοὶ, ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ Θεοῦ. *Veteres columnas ERIGENTES, eas colebant tanquam ſtatuas Dei.* Iphicrates de ſtatua honoris ipſi erecta ait apud ARISTID. *Orat.* περὶ τοῦ παραφθεγμ. Ὑμεῖς μὲν, φησὶν, οἴεσθε, ὦ Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, παρ᾽ ὑμῶν ταῦτα μοι γράμματα καὶ τὴν Στήλην εἶναι τι σεμνὸν. Ἐμοὶ δὲ Στήλη οὐρανομήκης ἕϛηκεν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ μαρτυροῦσα τὴν ἀρετὴν. *Vos quidem, inquit, arbitramini Athenienſes, columnam iſtam & Inſcriptiones magnificum quiddam mihi a vobis contigiſſe: at mihi* columna cœlum attingens erecta *eſt in Peloponneſo, virtutis meæ teſtis.* Quare & in montibus excelſis ceu *ſigna* erecta undique conſpicua erant. PHOTIUS *ex Damaſcio*

maſcio p. 1047. memorat: καλὰ τὴν Ἡλίȣ πόλιν Συρίας εἰς ὄρος τὸ τȣ̃ λιβάνȣ τὸν Ασκληπιάδην ἀνελθεῖν φησι, καὶ ἰδεῖν πολλὰ τῶν λεγομένων Βαιτυλίων. *Juxta Heliopolin Syriæ Aſclepiadem in montem Libani aſcendiſſe & vidiſſe multa Bætylia ſeu lapides inunctos.* Accedit quod ad *ſtatuas* erectas confugerent veluti ad *aſylum* & vexillum. Ita SUETON. *lib. II. de Octav. Cæſ. Aug. cap.* 17. ſcribit: *Antonium juvenem, ſimulacro* (i. e. ſtatua ſeu columna) *D. Julii, ad quod poſt multas & irritas preces* confugerat, *abreptum interemit.* Notandus eſt porro locus inſignis apud eundem SUETON. *in Tiber. Neron. Lib. III. c.* 53. *Noviſſime calumniatus, modo ad* ſtatuam *Auguſti, modo ad exercitus* (i. e. ſigna & vexilla ejus) *confugere velle;* ubi *ſtatuas* & *vexilla* ſimul unum idemque aſylum præbere teſtatur. conf. *cap.* 58. & CASAUBON. ad h. l.

Teſtes quoque veritatis *vexilli* loco erigendi erant in terra Jehovæ, i. e. Eccleſia N. T. Quemadmodum enim ad *vexilla* confluebant milites diſſipati ab hoſtibus, & ſub eorum auſpicio quoque pugnabant in prælio; illisque ſignum ineundæ pugnæ dabatur, etc. ut pluribus docuimus in *Emblem. Sacr. miſcell. noſtris Lib. I. Exerc. VI. de vexillo Meſſiæ Symb. §. VI. ſq.* ita Apoſtoli & Doctores tanquam *vexillum* erigendi per præconium Evangelii, ſub quorum auſpicio gentes quoque longinquæ *conſcribendi* erant milites Jehovæ, Jeſ. XLIV, 5. cap. XLIX, 11. 12. 18. etc. ad quos ceu aſyla confugerent miſeri & oppreſſi in Zione & Hieroſolymis: *In monte Zion aſylum ſeu refugium erit,* Obad. v. 17. *Qui invocaverit nomen Jehovæ, eripiet ſe. Quia in* monte *Zion & Hieroſolymis erit* refugium, *quemadmodum dixit Jehova. Erigendi* erant in altum inſtar *vexilli,* ut longinquæ etiam gentes illud conſpicientes, accelerent & refugium quærant, ſubque hoc vexillo pugnare incipiant. Optime hoc exprimit vates Jeſ. XLIX, 22. *Sic ait Dominus Jehova, ecce attollam ad gentes manum meam, & ad populos efferam vexillum meum, ut afferant filios lacertis & filiæ tuæ ſuper humerum portentur.* Ubi nota *manum Dei & vexillum* conjungi, quia ſignum quoque *manus* in vexillis veterum erat, ut alibi docebimus ex nummis.

XIX. e. *Lapides* hi erecti ex duriſſima petra vel marmore ex-

ciſi *conſtantes* ac perdurantes erant, adeoque monumenta *perennia.* Sed & *inviolabiles* habebantur apud veteres. Ob duram materiam *diuturni* erant, unde SYMMACH. *Lib. X. ep. 25. Veſtrum numen precatur, ut virum noſtra aetate mirabilem* ſtatuarum diuturnitas *tradat oculis poſterorum.* Ventorum enim, pluviarum ac imbrium furores ſuſtinent illæſi hi lapides. HOMER. *Iliad. XVI.*

- - - ἠΰτε πέτρη
Ἠλίβατος, μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα,
Ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα,
Κύματά τε τροφόεντα, τά τε προσερεύγηται αὐτῇ.

Sicut petra alta, magna, cannum mare prope exiſtens, quæ ſuſtinet ſtridulorum ventorum celeres meatus undasque ingentes, quæ eructant in ipſam. Quare ſtatuæ PERENNIA MONUMENTA toties audiunt, ut apud GRUTER. *Inſcript. p. CCCCXLIX. 7.* et *conſtantiæ* ac *æternitatis* ſymb. eſſe lapidem docet PIER. VALER. *Hierogl. Lib. XLIX. p. m. 524. Inviolabiles* quoque fuiſſe hos lapides docet CICERO *Lib. II. de Leg. cap. 26. Pœna eſt apud Solonem, ſi quis monumentum aut columnam* violaverit, *dejecerit, fregerit.* conf. eundem *Orat. VII. in Verrem.* & adde PASCHALEM *de coron. Lib. X. cap. XI. p. m. 698.*

Hoc in teſtibus veritatis *conſtantiam* immutabilem, eorumque ἀσυλίαν deſignat. *Conſtantes* ſunt inſtar *petræ*, perdurantes ad finem, Matth. X, 22. ἐπιμένοντες in præconio veritatis & ſanctitate vitæ, 1. Tim. IV, 16. Non curant pluvias imbresque perſecutionum graviſſimarum, nec ventos ac procellas tentationum. Si fractus illabatur orbis, ſi montes in mare præcipites agantur & fluctibus tumeat æquor, columnæ urbis Jehovæ immobiles perdurant, Pſ. XLVI, 3. Perſuaſi ſunt, nec mortem nec vitam, nec angelos nec principatus, nec altum nec profundum ipſos à veritatis teſtimonio ac amore Dei ſeparatura, Rom. VIII, 38. Omnia martyria inſtar petræ duriſſimæ imperterrito animo ſuſtinent, Hebr. XI, 33. 34. 2. Cor. XI, 23--27. & conſtantes ſunt atque fideles ad mortem, Apoc. II, 10. *Inviolabiles* quoque exiſtunt. Quare Jehova, Pſ. CV, 15. dicit: *Ne attingitote unctos meos, & prophetas meos ne afficitote malo. Signo notati* ſunt per virum lineis

neis veſtibus indutum, i. e. Spiritum S. ne quis illis noceat, Ezech. IX, 4. Si quis illos lædit, ignis exiens iudiciorum divinorum conſumit adverſarios, Apoc. XI, 5. *Qui illos tangit, tangit pupillam oculi ſui.* Imo urbes hoſce Dei teſtes contemnentes, nec recipientes ipſorum teſtimonium, ſed ejicientes eos, majoribus adhuc judiciis obruendæ erunt quam Sodoma & Gomorrha, Matth. X, 15.

XX. Supereſt ut vocis נזר ſignificationem propius eruamus & ſenſum hujus loci excutiamus. Vox נזר radix *recedere* notat Jeſ. I, 4. Ez. XIV, 4. præcipue ſe *ſeparare*, Zach. VII, 3. Lev. XXII, 2. Hoſ. IX, 10. quare Naziræi per votum ſeparati נזירים ſe *ſeparantes*, *conſecrati* dicebantur, Num. VI, 13. 15. 21. Gen. XLIX, 26. Deut. XXXIII, 16. Jud. XIII, 5. Amos II, 11. 12. Vox autem, quæ heic ocurrit נֵזֶר deſignat 1) comam Jer. VII, 29. גזי נזרך *evelle vel tonde comam tuam*, 2) *votum ſeparationis* Naziræorum, Num. VI, 5. 9. 12. 21. adeoque *conſecrationem* & ſeparationem deſignare apte poteſt, 3) *coronam*, qualis conſideratur *lamina aurea* cidaris Pontificalis, Exod. XXIX, 6. נזר הקדש cap. XXXIX, 30. Lev. VIII, 9. cap. XXI, 12. & de *corona regia* uſurpatur, 2. Sam. I, 10. 2. Reg. XI, 12. Pſ. LXXXIX, 40. Nah. III, 17. Unde conſtat אבני נזר ſecundum datam vocis נזר ſignificationem commode verti poſſe *lapides conſecrationis* ſeu *ſeparationis*, & ſimul *lapides coronæ*, i. e. coronarios vel *coronatos*. Utrumque ad lapides hoſce memoriales referri apte poteſt. Erant enim lapides *conſecrationis* ſeu *oleo* ſacrum in uſum conſecrati, ut ſupra §. XV. docuimus. Dici quoque poterant *lapides coronati*, ſertis enim & corollis exornabantur, ut §. XVII. demonſtravimus. Heic vero ſignificationem primam prævalere cenſemus; *ſeparatio* enim, *unctio* & *conſecratio* teſtibus hiſce veritatis ſenſu emphatico convenit, veluti in ſenſu myſtico §. XV. latius docuimus.

XXI. Si jam ſcopus noſter exigeret, implementum hujus vaticinii (ſtatim poſt introductum Regem Meſſiam in Hieroſolymæ portas & ſeq. temporibus, quorſum prophetia hæc ſecundum criterium comm. 9. reſpicit) ex hiſtoria Eccleſiaſtica eruere, & demonſtrare; quot egregii veritatis teſtes ceu lapides paſſim in Canaane & aliis regionibus gentium, quæ *tellus Jehovæ* futuræ erant, memoriales ac monumenta vi-

ctoriæ ac gloriæ Meſſiæ excitati fuerint, in latum exſpatiari campum poſſemus, præcipue ſi ab Apoſtolis inciperemus, & Conſtantini usque tempora pergere liceret! Sed hoc non eſt hujus loci.

Quod reſtat, triumphat merito Eccleſia de tantis promiſſionibus, per Spiritum Dei ipſi conceſſis. O utinam & hujus implementum in noſtris diebus intueri concederetur! Beſtia Antichriſtianiſmi caput erigit & horrendis paſſim perſecutionibus inſurgit contra gregem Dei. O utinam Deus teſtes veritatis in illis quoque locis conſtitueret *lapides* conſecratos & conſtantes, quorum ſub auſpicio reliqui in veritate & fide confirmarentur! Quot *lapides* erecti ſæpe in terra Eccleſiæ externæ apparent, qui *oleo* carent, Spiritu S. deſtituti; qui faſtu ſæpe carnali turgentes, memoriam Meſſiæ ejusque ſalutis potius deturpant quam exornant! ex quorum ſuperficie, i. e. vita ac converſatione externa vix apparet *inſcriptio* Spiritus S. qua deſtituuntur. Aliis viam ſalutis monſtrant & ipſi neſciunt, ſaltem abnegant vita ſua. Contundet aliquando Jehova & confringet ſtatuas has idololatricas atque malleo iræ *inutilia* hæc *ſaxa* deturbabit.

O utinam omnes, qui *lapides vivi* eſſe volumus, monumenta beneficiorum in nos collatorum, in cordibus noſtris, per animi grati fructus, erigeremus, in honorem Ducis ſalutis noſtræ & Dei fœderati, qui tanto nos amore ac benevolentia quotidie quaſi obruit! O utinam corda noſtra tanquam *lapides ſacri & aræ* conſtituerentur, in quibus ſacer amoris divini ac zeli veritatis ignis nunquam non arderet! Cant. VIII, 6. *columnæ veritatis* eſſemus, quam non ſolum cordi inſcriptam gereremus, ſed & externa & conſtanti profeſſione publica, ac vita conveniente omnibus inter quos vivimus, demonſtraremus; *Saxum* erigeremus cor noſtrum, *τεκμήριον* æternum *fœderis gratiæ* cum Deo noſtro erecti, ne illud unquam frangamus, ſed conditiones ejus nunquam non ob oculos habeamus. Cor noſtrum eſſet monumentum *mortis* ac *gloriæ* Meſſiæ ejusque *victoriæ*. Hæc beneficia meditaremur ſerio, perpetua conſervaremus memoria; Sunt enim fulcrum ſolatii noſtri unicum. Victoriæ Salvatoris de corde noſtro monumenta exiſtamus perpetua, nec martyriis, nec procellis tentationum a teſtimonio veritatis hujus abſterreamur in ſeculum. Rom. VIII, 38. ſq.

EMBLE-

EMBLEMATUM SACRORUM
MISCELLANEORUM
LIB. IV.

EXERCITATIO I.
DE
COLUMBA,
SPIRITUS SANCTI SYMBOLO.
MATTH. III, 16.

ARGUMENTUM.

§. I. Locus Matth. III, 16. exhibetur & ſenſus ejus genuinus excutitur. §. II. Columbas in genere hominum & quidem credentium, in ſpecie Eccleſiæ N. T. §. III. Apoſtolorum, uti & regis Aſſyriorum & Hieroſolymæ; §. IV. Spiritus denique Sancti Emblema eſſe columbam pluribus docetur. §. V. Analogiæ inter columbam & Spiritum S. explicantur A) *Quoad ejus membra. Oculi earum ſimplices, pellucidi & viſu acerrimo præditi, Symb. ſapientiæ ac ſimplicitatis Spiritus S. §. VI. Alarum columbinarum decus atque color exponitur, & myſterium eruitur. §. VII. Pedes & corpus purum maxime ſervant columbæ. §. VIII.* B) *ad attributa, accidentia & uſus columbarum accedimus. Vox & gemitus iis tribuitur ſonorus.*

norus. §. IX. Caſtus erga conjuges amor, quare pacis & concordiæ apud veteres emblema fuere. §. X. Amor erga pullos, quos excubant mira ſedulitate, nidum ipſis parantes & alis tegentes. Et in his excubandis maxime fœcundæ ſunt. §. XI. In columbario degunt, a quo avolant & redeunt, alias ſecum adducentes. §. XII. Pennis in altum & cum mira celeritate per aëra ſe tollunt & in terram denuo ſe demittunt. §. XIII. Objectum ſunt, cui inſidiantur aves rapaces, præcipue accipiter, a quo fugatæ in petras confugiunt, minime ſe defendentes; quare manſuetudinis ſymb. exiſtunt. §. XIV. Uſus earum inſignis apud antiquos erat in deferendis novis relationibus & nuntiis, hinc iis literas appendebant. §. XV. Navium ſigna & vexillorum inſignia memorantur quoque columbæ. §. XVI. Cultu ſacro & divino honorabantur a gentibus. §. XVII. In ſacrificiis V. T. etiam gentium, uſus ipſarum erat frequens. §. XVIII. Epilogus adjicitur practicus.

I.

MIra & illuſtris N. T. viſio eſt, quam ad ripas Jordanis, tempore baptiſmi Salvatoris mundi obſervamus, quæ Matth. III, 16. ſq. exhibetur. Ubi quum Chriſtus baptizatus ex aqua aſcendiſſet, *ecce aperiebantur cœli*, καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τȣ͂ Θεȣ͂ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτὸν; *Et vidit SPIRITUM Dei deſcendentem inſtar COLUMBÆ, & venientem ſuper ipſum.* Scopus nec eſt, nec hujus loci ratio exigit, ut variantes Interpretum circa hujus viſionis explicationem ſententias recenſeamus atque examinemus. Pluribus hunc locum excuſſerunt viri eruditi, quos citat *Celeb. & Clariſſ. Hamburgenſium hujusque ſeculi Philologus*, I. C. WOLF. in *cur. Philol. ad Matth. III.* adde, ſi placet, AMEL. in *N. T. Tom. II. p. m. 141.* VITRINGAM in *Theol. ſymb. p. 168. C. M. de* VEIL in *Matth. III, 16.* LIGHTFOOTH. *Opp. Tom. I. p. m. 346.* BOCHART. *Hieroz. P. II. p. 35. ſq.* nec non F. CHRISTII *diſſ. eruditam de Spiritu S.* ὡσεὶ περιστερὰ *deſcendente.* Ien. 1727. & inprimis B. & Cel. LAMPII noſtri *Comment. in Joh. Tom. I. p. 439. cum notis.* & quum Lucas Spiritum

S. σω-

S. *σωματικῷ εἴδει* deſcendiſſe aſſerat, ab eorum nos parte ſtamus, non qui ſimilitudinem in *deſcenſu*, ſed in *ſpecie corporea* columbae conſtituunt; utpote quæ ſignum & ſymbolum externum Spiritus S. & largiſſimorum donorum ipſius futura erat, ad confirmationem fidei adſtantium. Spiritum enim gratiæ, libertatis, manſuetudinis ac adoptionis deſignabat columba, utpote qui cum œconomiæ novæ ratione, quæ eſt gratiæ non ſervitutis, convenit; & monebatur Johannes apparitione hac ſymbolica, de inſtauratione novæ œconomiæ ac creationis. In prima Spiritus מרחפת inſtar avium incubabat aquis, in ſecunda denuo apparebat ſuper aquis Jordanis, & ſuper Chriſto, fundamento œconomiæ gratiæ ſe *movens quaſi incubabat.*

II. Vox *περιστερὰ columbam* deſignat. Hebr. יונה dicta a ינה *opprimere*, quia avis eſt quaſi oppreſſa, & ab avibus rapacibus præcipue accipitre, perpetuas inſidias & oppreſſiones extimeſcit; græce *περιστερὰ* vel a *πέτομαι* & *στεῤῥῶς* i. e. *volatu celerrimo*, qui ipſis competit, vel ab *ἐράω* & *περισσῶς amoris abundantia*, quare amoris ſymb. habetur. Symbolum eſt in ſcriptis ſacris æque ac profanis

a. *Hominum*, in ſpecie *credentium* ac *Eccleſiæ* Dei. Ephraim vocatur *columba fatua* Hoſ. VII, 11. *Alas columbæ* ſibi optat Eccleſia, ut avolare poſſet, Pſ. LV, 7. et converſi ex gentibus convolare dicuntur *ut denſæ nubes & velut* columbæ *ad feneſtras ſuas*, Jeſ. LX, 8. Inſignis quoque locus eſt Pſ. LXVIII, 14. *Etiamſi jacueritis inter duos ordines*, שפתים quod vel de *lapidibus foci* coll. Eſ. XL, 43. vel de *ordinibus gregum* & armentorum coll. Jud. V, 16. explicatur ab Interpretibus; adeoque vel ſtatus perſecutionis vel etiam quietis ac tranquillitatis Eccleſiæ deſignatur ſecundum diverſos Interpretes. Quod ad nos attinet, cenſemus hunc locum τῷ Cant. II, 14. parallelum eſſe, & Eccleſiam conſiderari inſtar *columbæ*, quæ fugit & ſe recipit in *clauſtra & cancellos petrarum*, uti vox משפתים & שתים facile deſignare poteſt vi etymologiæ. Quid enim columbæ cum armentis *gregum*? quid illi cum lapidibus *focariis?* Adeoque ex hypotheſi hac noſtra ſenſus hujus loci hic eſt: Quando jacueritis *in fiſſura & cancellis petrarum*, ad quas in perſecutionibus vos recepiſtis, eritis inſtar *columbæ, alas tectæ argento, cujus pennæ ſunt ex auro fulvo effoſſo;* qua phraſi inſigne

inſigne confeſſionis puriſſimæ & vitæ ſanctiſſimæ decus in Eccleſia deſignatur. Addimus loca clariora, in ſpecie quem parallelum cenſemus priori, Cant. II, 14. *Columba mea degens in fiſſuris petræ, in latibulo prærupto* (en jacentem eam בשפתים) *oſtende mihi aſpectum tuum, fac, ut audiam vocem tuam; vox tua ſuavis eſt, & aſpectus tuus decorus* (en decus inſigne ex eadem rutilans). Cant. V, 1. *unica* ejus, *columba* ejus, ſc. ſponſi cœleſtis vocatur coll. Cant. VI, 6. Idem emblema adhibent Judæi veteres: Ita *Paraphr. Jonath.* ad Pſ. LVI. על כנשתא דישראל דמתילא ליונה שתוקא בערן דמתרחקין מן קרויהוו וחזרין ומשבחין למרי עלמא היך דויד מכיך ושלים: *Super cœtu Iſraëlis, qui ſimilis eſt columbæ ſilenti, eo tempore quo elongantur a civitatibus ſuis, ac revertuntur ac laudant Dominum mundi, ut David extenuatus & integer.* HORAPOLLO *Lib. II. Hierogl. 32.* de Ægyptiis teſtatur, quod γυναῖκα χήραν, quæ in ſtatu viduo ad mortem permanet, volentes deſignare, περιστερὰν μέλαιναν ζωγραφοῦσι, *columbam nigram pingere* ſoleant. *Diana* quoque HOMERO *Iliad. XXI.* cum columba comparatur, quando canit:

> Δακρυόεσσα δ' ἔπειλα Θεὰ φύγεν, ὥστε πέλεια,
> *Lacrymabunda autem Dea fugit velut* columba.

Huc refer loca illa, quæ Cel. *Jac.* HASÆUS coacervavit in *Bibl. Brem. Tom. I. p. 306. ſq.* ubi ſponſæ apud veteres toties *columbulæ, turtures, palumbulæ* vocantur, uti PLAUTUS in *aſinar. Act. III. ſc. 3.* loquitur:

> *Dic igitur me anaticulam,* columbulam *vel catellum.*

adde VALER. FLACC. *Argon. Lib. VIII. v. 32.*

> - - - *talemque exſpectat amantem;*
> *Ecce autem virgo pavidæ de more* columbæ etc.

III. b. *Apoſtolorum* quoque emblema eſt *columba.* Ipſe docet hoc Salvator Matth. X, 16. γίνεσθε ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. *Eſte ſimplices inſtar* columbarum. De Apoſtolis enim, quos veluti oves inter lupos emiſerat legatos, heic loqui Chriſtum, ex præcedentibus conſtat. *Hieronymus* in Jeſ. LX. doctores & Apoſtolos comparat cum *columbis* pullos ſuos foventibus. Veteris Eccleſiæ mos quoque fuit ſub figura XII. columbarum Apoſtolos duodecim depingere, uti pluribus docuit vir

vir Cel. I. A. SCHMID. in *diſſ. de columbis in Eccl. Græc. & Lat. uſitatis, Helmſt. 1731. recuſ. p. m. 13.* quem excerpit quoque *Doctiſſ.* SCHLICHTER in *obſ. ſacr. p. 320.* Huc refer carmen Paulini a variis citatum:

Crucem corona lucido cingit globo,
Cui coronæ ſunt corona Apoſtoli,
Quorum figura eſt in columbarum *choro.*

conf. etiam CAMERAR. in *hor. ſubciſ. P. III. cap. 73. p. m. 268. ſq.* qui idem ex nummo Conſtantini probat. Apud ATHEN. *Lib. X. p. 490.* columbæ ἀμβροσίην Διὶ πατρὶ φέροντες *ambroſiam Jovi Patri ferentes* occurrunt. & EUSTATH. in *odyſſ. XII.* teſtatur ποιητὰς πελειάδας πεποιηκέναι τῆς τροφῆς τῶν Θεῶν διακόνους *poëtas* columbas *feciſſe miniſtras cibi Deorum.* quod perſpicacis ingenii vir BOCHART. in *Can. p. m. 822.* ortum putat ex confuſione vocum חמאם & אמאם quarum illa *columbas*, hæc *ſacerdotes* deſignet, & hos poſteriores tanquam miniſtri ciborum Deorum per *columbas* eſſe intelligendos.

c. Adde *Reges Aſſyriorum* quoque ſub ſymb. *columbæ* in ſcriptis ſacris proponi. Huc refer locum Hoſ. XI, 11. *& advolabunt ut avicula ex Ægypto*, & *columba e terra Aſſyriorum.* Sic Jer. XXV, 38. a *facie iræ* columbæ, & *a facie iræ furoris Domini terra eorum facta eſt deſolatio.* & Cap. XLVI, 16. *Surge, ut revertamur ad populum noſtrum, & ad ſolum nativitatis noſtræ, a facie gladii* columbæ. Obſervat Doctiſſ. RAMIREZ DE PRADO. in *Pentecontarch. C. XLIX.* Aſſyrios in labaris, in vexillis & publicis ædificiis columbas, quæ ſignum imperii illius fuerint, effinxiſſe, adeoque *columbam* imperium Aſſyrium denotare. Unde Semiramis ἀπὸ τῶν περιστερῶν in lingua Syriaca nomen habere dicitur apud DIODOR. SICUL. *Lib. III. Cap. 4.* & nota eſt fabula de Semiramide, cujus maritus Babylonis conditor fuit, eam a columbis nutritam & denique in columbam verſam eſſe. Quare & columbæ ſanctiſſimæ habitæ in Aſſyria & ingentem multitudinem earum ibi fuiſſe, teſtatur *Philo* apud EUSEB. *de præpar. Ev. Lib. VIII.*

d. Regum quoque *Hieroſolymæ* ſymb. eſſe *columbam* ex *Zeph. III, 1.* ubi העיר היונה *urbs columbæ* memoratur, & Hieroſolyma

intelligitur, conjici poſſe exiſtimamus, R. AZARIAS in *Meor Enaim cap. 21.* apud BOCH. *Hieroz.* rationem reddit, שהיא במעשיו דומה לבבל אשר אות דגלה יונה *quod in operibus ſuis ſimilis ſit Babyloni, quæ pro militari ſigno in vexillo columbam habuit.* Verum & columbam *Regum* Iſraëlis ſymbolum fuiſſe, vel ex inſcriptione Pſalmi LVI. liquet, quæ eſt על יונת אלם רחוקים *de columba manipuli elongatorum*, uti verba hæc ab Interpretibus ſolidiſſimis vertuntur. Oda enim compoſita a Davide eſt, ut ibidem docetur in initio Pſalmi, cum a Philiſtæis, a Saule fugiens, caperetur cum viris ipſi adhærentibus 1. Sam. XXI. Quare ſe cum *columba* comparat, quæ fugiebat a Saule velut accipitre, ſed quæ ſimul vexillum erat *manipuli* eorum, qui eum ſequebantur, & *elongati* erant ab urbe & cultu divino, in exilio degentes. Præcipue confirmaretur hæc noſtra conjectura, ſi verum eſſet, quod Judæi docent in *ſceptri* Regum Iſraëlis ſummitate *columbam* fuiſſe effictam. Ita enim במדבר רבין *fol. 250. col. 1.* apud LIGHTFOOTH. *Opp. Tom. II. p. m. 503.* ſcribunt: *Sedenti Salomoni in ſolio, ſceptrum poſt eum appenſum eſt* ויונה בראשו *in cujus ſummitate* columba, ונזר זהב בפי היונה *& corona aurea in ore columbæ.* Sine dubio ex *hiſtoria Noachi* & *columbæ* ejus cum *oliva pacis* hæc deſumta eſt effigies, & potuit eſſe, quod Reges Judæorum per ſceptrum cum columba, *regnum pacificum* deſignare voluerint.

IV. Extra omnem autem dubitationis aleam poſitum eſt, *COLUMBAM* emblema eſſe *SPIRITUS S. Matth. III, 16. Marc. I, 10. 11. Luc. III, 21. 22. Joh. I, 32.* ubi *ὡσεὶ περιστερὰ* in Chriſtum deſcendit Spiritus Dei. Huc quoque refero Geneſ. I, 2. ורוח אלהים מרחפת על פני המים *Et Spiritus Dei incubabat* (inſtar avis aut columbæ) *ſuper aquis*, ad producendas creaturas. Egregie hoc explicant *Talmudici in Chag. Cap. II. fol. 15.* כיונה מרחפת על בניה ואינה נוגעת: *Sicut* columba, *quae incubat pullis, neque tangendo lædit.* conf. & S. JARCHI *ad h. l.* Præfigurabatur etiam per *columbam* Noachi ex arca dimiſſam, atque redeuntem cum *oliva* pacis ſymbolo, id quod multi iam Patres obſervarunt. Hiſtoria *columbæ Noachicæ* ad gentes quoque pervenit, qui eam fabulæ Deucalionis involve-

volverunt. Ita PLUTARCH. *de ſolert. animal.* Οἱ μὲν οὖν Μυθόλογοι τῷ Δευκαλίωνι φασὶ περιστερὰν ἐκ τῆς λάρνακος ἀφιεμένην, δήλωμα γενέσθαι, χειμῶνος μὲν εἴσω πάλιν ἐνδυομένην, ἐυδίας δ᾽ ἀποπτᾶσαν. *Sane qui fabulas narrant, ii columbam ajunt ex arca emiſſam, Deucalioni certum indicium detuliſſe, tempeſtatis, cum rurſus ingrederetur, ſerenitatis vero, cum avolaſſet.* Inſignis hanc in rem eſt *nummus Apamenſis*, quem exhibet SEGUINUS, vel potius FALCONERIUS apud eundem *in numiſm. ſelect. p. m. 226.* ubi apparet navigii genus aquæ innatans; in ſuperiore parte duæ apparent *columbæ*, altera ſedens, altera ramum oleæ ferens, cum epigraphe, ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Β. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ. & in navigio ipſo tres literæ apparent, Ν. Ω. Ε. quem nummum late & docte explicat FALCONERIUS l. c. Exhibemus eundem Tibi in *Tabula noſtra præfixa num. XIII.* conf. quæ de ſenſu literali & myſtico *columbæ Noachicæ*, inſigni eruditionis apparatu commentatur *magnus* BOCHARTUS *Hieroz. P. II. Lib. I. cap. 6. p. 27. ſq.* Veteres quoque Chriſtiani altaribus *columbas aureas* imponebant, in ſignum Spiritus S. vide J. A. SCHMID. *diſſ. de columbis in Eccl. vet. cit. l.* Præterea in baptiſteriis vel ſuper iis *columbas* aureas vel argenteas ſuſpendebant, in memoriam baptiſmi Chriſti per Spiritum S. ὡσεὶ περιστερὰν deſcendentem. vide *Job.* CABASSUT. *in Not. Eccl. diſt. XI. p. 41.* et ex eo J. H. WEDDERKAMP *de baptiſteriis vet. Cap. III. §. 19. p. 73. ſq.* Et in *annulis* ſignacula *columbæ* quoque habuiſſe veteres, ex *Clemente Alexandr.* docet J. KIRCHMANN. *de annul. p. m. 74.* Exprimit quoque hoc Spiritus S. ſymb. SEDUL. *Lib. II. carm.*

Confeſtim patuere poli, ſanctusque columbæ
Spiritus in ſpecie Chriſtum veſtivit honore.

Gentes quoque *columbas vatidicas* in *oraculis* & auguriis ſacras habebant, quas ex *columba Noæ*, quæ ſymb. Spiritus S. pacem nobis annunciantis fuit, fictas credimus. Saltem *Spiritus S.* auctor eſt omnium vaticiniorum, ſapientiæ ac prophetiarum. Ita πελειάδας *Dodoneas columbas* quas HERODOT. *Lib. II. cap. 57.* in ſylva vatidicas pronuntiat cum aliis, fœminas fuiſſe ſpiritu vatidico præditas ex MONTFAUCON. *in Antiq. Explic.* & GRONOV. *Antiq.* probat Cel. WICH-

WICHMANSHAUSEN *in Diſſ. de Prophetiſſis p.m. 40.* & DIODOR. SICUL. *Bibl. Lib. XV. p. 383.* αἱ Δωδωνίας ἱερεῖαι, *Sacerdotes Dodoneæ audiunt, quæ bellum prædixerant.* conf. Cl. CLASEN *de Orac. Gent. Lib. II. cap. IV. §. 4. p. 313. ſq.* adde PAUSAN. *Lib. X. p. 577.* & TIRAQVELL. *ad Lib. VI. Alex. ab Alex. genial. dier. cap. 2.* PIERII *Hieroglyph. P. I. p. 221. ſq.*

V. Ut ergo rationes hujus emblematis propius inquiramus, varia primum columbarum membra, dein diverſa earum attributa, qualitates, accidentia & uſus examinabimus.

A. *COLUMBA* ſymbolum *SPIRITUS Dei* nobis exhibet vivaciſſimum, ſi varia ejus *membra* conſideremus

1. *Oculi* columbarum maxime notandi ſunt, qui ſimplicitatis ac ſapientiæ emblema exiſtunt. Ita Cant. I, 15. de Sponſa, עיניך יונים *oculi tui columbarum* ſunt. conf. cap. IV. 1. imo ipſius *Sponſi oculi* cum columbinis conferuntur, quibus non ſolum amor ſincerus Meſſiæ, ſed & Spiritus ejus, qui eſt ſpiritus purus & illuminationis, deſignatur. R. SALOMO JARCHI hoſce oculos columbinos deſcribit: לא בולטות יותר מראי ולא שוקעות אלא יושבות מלאת גומא שלהם *Non plus æquo prominentes aut depreſſos, ſed ita ſitos, ut foſſam ſuam impleant.* *Caſti* ipſis atque puri ſunt *oculi*, oculos ſuos in alium non conjiciunt; unde teſtatur de iis ÆLIAN. *Hiſt. animal. Lib. III. cap. 44. p.m. 180.* ἐὰν δὲ ἐποφθαλμιάσωσιν ἑτέροις, περιέρχονται αὐτοὺς οἱ λοιποὶ, καὶ τὸν μὲν ἄῤῥενα οἱ ὁμογενεῖς διασπῶσιν, αἱ θήλειαι δὲ τὸν θῆλυν. *Si autem oculis libidinoſis reſpiciant alios, eos reliqui circumſedentes, marem quidem mares diſcerpunt, fœminam vero fœminæ.* Oculis inſuper acutis viſu præditæ ſunt, quibus accipitres & rapaces aves obſervant e longinquo, vel etiam pericula imminentia prævident. Huc reſpicit PRUDENT. *in Hamart. odr. Martion. v. 871. 879. ſq.*

Lapſa columbarum nubes deſcendat in arvum &c.
Greſſibus innocuis ſterili ſpatiantur in herba
Suſpectamque cavent oculos convertere ad eſcam &c.

Huc

Huc refero quoque SOPHOCL. *in Ajac. v. 139.*

- - - πεφόβημαι
Πτηνῆς ὡς ὄμμα πελειάς.
Timidus proſpicio, uti oculus volucris columbæ.

conf. etiam quæ de oculis columbinis diſſerit BOCHART. *Hieroz. P. II. p. 11 ſq.* & ex eo Th. AMEL. *V. T. II. p. 128.*

Spiritui quoque Dei oculi columbarum tribui poſſunt, quia ſpiritus eſt *ſapientiæ, ſcientiæ & conſilii &c.* Jeſ. XI, 2. 3. Eſt Spiritus ille, qui omnia percontatur, etiam τὰ βάθη eſſentiæ divinæ, 1. Cor. II, 10. omnia oculis perſpicacibus divini Spiritus patent, quæ in cœlo & abyſſo peraguntur, Pſ. CXXXIX, 7. quare Daniel ob cœleſtem ſapientiam, ſpiritu Deorum præditus dicitur Dan. IV, 5. Et Spiritus Dei ſpiritus *veritatis* vocatur Joh. XIV, 17. XV, 26. Auctor eſt oculorum illuminatorum intellectus, Eph. I, 17. 18. 1. Cor. XIV, 2. quare etiam miniſterium verbi veritatis & lucis Evangelii vocatur *miniſterium Spiritus*, 2 Cor. III, 6. conf. 2. Pet. I, 21. 1. Joh. V, 6. Oculi ejus *amore & gratia* amabili lucent. Unde *Spiritus gratiæ* vocatur Zach. XII, 10. qui fideles ad mutuum ſui atque Dei, inſtinctu ſuo, amorem accendit, Rom. XII, 11. 1. Petr. I, 22. cujus in œconomia ſalutis operationes, puro ſcopo gloriæ divinæ & ſalutis animarum ubique exſertæ proſtant, Joh. XVI, 13. XX, 22. Act. I, 5. 8. 1. Cor. XII, 10. 11.

VI. 2. Pergimus ad *alas & pennas* plumasque columbarum, quarum *decus, color* atque fulgor maximopere eſt mirabilis. Pertinet huc locus Pſ. LXVIII, 14. ubi כנפי נחפה בכסף *alæ* ejus *obtectæ argento, & plumæ ejus ex fulvo auro effoſſo* dicuntur, adeoque candor ac ſplendor egregius cum inſigni ipſarum decore denotatur. Egregie argenteum colorem exprimit OVID. *Lib. II. metam. fab. 7.*

- - - niveis argentea pennis
Ales, ut æquaret totas ſine labe columbas.

ÆLIANUS quoque *var. hiſt. Lib. I. cap. XV. p. m. 19.* ſcribit: Ινδοὶ δέ φασι λόγοι, περιςερὰς ἐν Ινδοῖς γίνεσθαι μηλίνας τὴν χρόαν. Χάρων δὲ ὁ Λαμψακηνὸς περὶ τῆς Ἄθω φανῆναι περιςερὰς λευκὰς λέγει. *De India dicunt, quod habeat columbas colore luteas. Charon vero*

 Lampſa-

Lampſacenus affirmat, circa Athon viſas eſſe columbas candidas. Quare & SENECA *Quæſt. nat. Lib. I. cap. V.*

Colla Cytheriacæ ſplendent agitata columbæ.

Imo *aureum* ſæpe *colorem* referunt pennis ſuis, præcipue quando *radiis ſolis* illuſtrantur. Quare ARISTOTELES *de coloribus* περιϛερῶν τραχηλὲς χρυσοειδεῖς *aurei coloris colla columbarum* memorat. KIMCHI quoque ad h. Pſ. l. ſcribit: יש בכנפי היונה נוצה שהמצהבת כזהב *Eſt in alis columbarum pluma, quæ auri inſtar flaveſcit.* Egregie hæc omnia exprimit PHILO in *libro de temulentia.* Τὸν αὐχένα τῆς περιϛερᾶς ἐν ἡλιακαῖς αὐγαῖς ἐ καῖενόησας μυρίας χρωμάτων ἀλάττοντα ἰδέας; ἢ ἐχὶ φοινικῦν, καὶ κυανῦν, πυρωπόν τε καὶ ἀνθρακοειδὲς, ἔτι δὲ ὠχρὸν καὶ ἐρυθρὸν, καὶ ἄλλα παντόδαπα ἴσχει χρώματα. *Obſervaſtine unquam columbæ cervicem ad ſolis radios in ſexcentos colores variatam? Nonne puniceum & cæruleum & pyropi & carbunculi & pallidum & rubrum & alios habet colores omnigenos?* conf. cui hoc debeo BOCHART. l. c. qui pluribus quoque locum Pſ. LXVIII. cit. illuſtrat.

Spiritui Dei hæc conveniunt quoque. *Pennæ & alæ* ſymb. ſunt perfectionum divinarum. Quemadmodum Deo alæ & plumæ tribuuntur Pſ. XCI, 4. *Te proteget plumis ſuis, & ſub alis ipſius refugium tibi exiſtet.* Innumera plumarum candidarum multitudo, immenſam perfectionum decentiſſimarum ac divinarum ſeriem depingit, Exod. XXXIV, 7. 8. quæ omnes ſub *ſanctitate* quaſi comprehenduntur; unde in laudem perfectionum divinarum τρὶς ἅγιον illud: קדוש קדוש קדוש יהוה צבאות decantabant Seraphim Jeſ. VI, 3.. Perfectiones hæ ex eſſentia divina Spiritus S. qui verus eſt Deus, effluunt quaſi, uti plumæ ex corpore columbæ. Radiant hæ luce gloriæ divinæ, majeſtatis & ſanctitatis; quare *Spiritus* non ſolum *ſanctus* ſed & *gloriæ* dicitur. Spiritus *ſanctitatis* Jeſ. LXIII, 10. & δόξης, 1. Pet. IV, 14. *Alæ*, quibus ſe quaſi movet, ſymb. ſunt inſignium duarum perfectionum Spiritus S. quas in operationibus œconomiæ ſalutis exſerit, quatenus ſc. eſt Spiritus *roboris* ac *gratiæ*; hoc reſpectu cum *Zephyro* & *Euro* comparatur Cant. IV, 16. eſt ſpiritus *convincens* mundum per operationem reſipiſcentiæ, qua corda conterit inſtar mallei Pſ. LI, 19. convincit

cit de peccato, de judicio & juſtitia Joh. XVI, 13. 14. Eſt & ſpiritus *ſolatii*, hinc παϱάκλητος dicitur Joh. XVI, 26. & oleum lætitiæ, oſſa contrita recreans, Pſ. XLV, 8. Jeſ. LXI, 1--3. uti quoque Act. IX, 31. de ſolatio Spiritus S. & Rom. XIV, 17. de pace & gaudio per & in ipſo, mentio injicitur.

VII. 3. *Corpus* & *pedes* ſuos decentes, maxime puros ſervant columbæ, eumque in finem ad *aquas* ſedere, iisque *lavari* amant, (quorſum in loco ſupra citato *Cant. V, 12.* alluditur, quando de oculis columbarum ad fontes ſeu rivulos loquitur ſponſa,) & in locis *impuris* & *fœtidis* manere nequeunt. Animal eſt purum a Deo ipſo declaratum ex lege Lev. XI. quare Deo in ſacrificium deſtinatum, ut infra videbimus. Recte ergo OVID. loc. citato ſupra, vocat:

- - - *totas* ſine labe *columbas.*

& idem *Metam. Lib. XIII. fab. 4.* niveas appellat:

- - - *pennas ſumſere, tuæque*
Conjugis in volucres niveas *abiere columbas.*

PRUDENT. *in Hamart. v. 870. lacteas* deſcribit:

Haud ſecus ac ſi olim per ſudum lactea *forte*
Lapſa columbarum nubes deſcendat in arvum
Ruris frugiferi.

loca impura fugiunt, quare OVIDIUS denuo canit:

Aſpice, ut veniant ad candida tecta columbæ,
Suſcipiat nullas ſordida turris aves.

THEOPHYLACTUS quoque ſcribit: καταϱοϊάτη ἐςι ἡ πεϱιςεϱά, καὶ ἔνθα δυσωδία ἐςὶν, ἐ παϱαμένει. *Puriſſima eſt columba, & ubi malus odor eſt, non permanet.* Ad fontes & aquas eas lubentiſſime ſedere iisque mergi, docet VARRO *Lib. III. cap. 7. de re ruſtic. Aquam puram*, inquit, *oportet eſſe, quæ influat, unde & bibere & ubi lavare poſſint; permundæ enim ſunt hæ volucres.* Huc quoque reſpicit PROPERT. *Lib. III. el. 2.*

Et Veneris dominæ volucres, mea turba, columbæ,
Tingunt Gorgoneo punica roſtra lacu.

Spiritus quoque Dei eſt, cujus *eſſentia* atque *operationes* (per *corpus* & *pedes* deſignatæ) ſunt puriſſimæ. In ſe, uti Deus ipſe, eſt ſanctiſſi-

ctiſſimus, lux pura. Quare non ſolum nomine *Jehova* inſignitur Pſ. XCV, 7. 8. coll. Heb. III, 7. 9. Jer. XXXI, 31. coll. Heb. X, 15. 16. ſed & *ſpiritus ſanctitatis* רוח הקדש vocatur, quæ phraſis maxime eſt emphatica, Jeſ. LXIII, 10. & eſſentiam ejus plane divinam innuit & ſanctiſſimam. In *operationibus* quoque ſuis eſt lux pura & ſancta, quare *ἑπἰὰ λάμπασι πυρὸς καιομένοις ἐνώπιον τῦ Θρόνυ* comparatur Apoc. IV, 5. cum alluſione ad 7 candelabri aurei in templo ſcyphos; nec non *fulgetris* ex throno prodeuntibus, Dan. VII, 10. Opus ſanctificationis quoque & purificationis in homine perficit, 1. Cor. VI, 11. Non habitat nec manet in cordibus impuris, quæ *fœtore* impurarum concupiſcentiarum replentur, ſed illa abominatur, Gen. VI, 3. Jeſ. LXIII, 10. & recedit ab illis, Pſ. LI, 13. Sed delectatur habitare in cordibus purificatis, ipſique tanquam templum ſanctum dedicatis, Jeſ. LIX, 21. 2. Cor. VI, 16. Joh. XIV, 17. præcipue ubi *rivuli* gratiæ ac veritatis ſalutaris manant, Pſ. XLVI, 5. Jeſ. LVIII, 11. Et quando Eccleſia eſt inſtar *ſcaturiginis aquarum* & fontis obſignati, cujus aquæ puræ ſunt inſtar cryſtalli, absque limo humanarum traditionum vel concupiſcentiarum; in ea morari, in ea delectari amat Spiritus S. Cant. IV, 12. coll. Jeſ. LIX, 21. 1. Joh. II, 27.

VIII. B. Tranſeamus porro ad *qualitates* & accidentia *columbarum*, quæ attributa Spiritus S. depingunt eiusque operationes.

I. Primo notamus *vocem* ſonoram atque querulam, *gemitusque* columbarum. *Graviſonam* eam deſcribit OPPIAN. *κυνηγ. γ.*

- - - *φῆναί τε, βαρύφθογγοί τε πελειαὶ*
Oſſifragæ, & graviſonæ columbæ.

et *murmur* illis tribuit *Trebellius* apud *Bochartum*. In ſacris quoque *gemitus* illis tribuitur, uti Jeſ. XXXVIII, 14. אהגה כיונה *gemebam inſtar columbæ*. Jeſ. LIX, 11. וכיונים הגה נהגה *& inſtar columbarum gemendo gemebamus.* Ita Nah. II, 7. de voce luctuoſa & lacrymabunda agitur, quæ comparatur cum *voce columbarum.* uti & *fremitum* ſ. *ſtridorem* ipſis tribuit Ezechiel cap. VII, 16. Profanis quoque ſcriptoribus *gemere* dicitur: VIRGIL. *Eclog. I.*

Nec tamen interea raucæ, *tua cura, palumbes,*
Nec gemere *aëria ceſſabit turtur ab ulmo.*

THEO-

THEOCRIT. *Idyll. VII.*

- - - καὶ ἀκανθίδες, ἔστενε τρυγών.

- - - *et cantabant carduelis*, gemebat *palumbes*.

POLLUX in *Onomaſt. Lib. V. cap. 14. p. m. 247.* Τρυγόνας τρύζειν, περιστερὰς γογγύζειν, κυρώνας κρώζειν, *gemere turtures, fremere vel murmurare columbas, frigulare graculos*, aſſerit. Clarius explicat hoc CHRYSOSTOM. in *homil. de turture apud* BOCHART. *l. c. p. 12.* Ἡ τρυγὼν ἡ φιλέρημος, ὅτε ἐν ὕλαις συγκοιλαζομένη καλεῖ τὸν ὁμόζυγον, γοεραῖς κολακείαις τὰς κοιλάδας δονήσασα. *Solitarius turtur, cum in ſylvis decumbens conjugem vocat, lugubribus adulationibus valles commovens.*

Talis eſt Spiritus Dei, qui ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις *intercedit pro nobis gemitibus* vel ſuſpiriis *inenarrabilibus*. *Gemit* ille per excitationem precum humillimarum in corde noſtro, auctor eſt *gemitus* ac ſuſpiriorum, quæ fideles in tentationibus gravioribus, ceu in fiſſura petrarum ad Dominum ſurſum mittunt, Cant. II, 14. Jeſ. XXXVIII, 14. *Gemit* ille, quando infirmitates noſtras ſublevans gratum ſpiritui noſtro, ſed ἀλάλητον præbet teſtimonium, quod ſimus filii Dei, Rom. VIII, 16. *Gemit* ille, quando *voce graviſona* convictionum acerrimarum corda convertendorum implet, & ſpiritus eſt reprehenſionis & caſtigationis propter peccata, quæ vox ingrata carni eſt, Gen. VI, 3. *Gemere* denique ac quaſi lugere dicitur Spiritus, vel quando ab impiis & obduratis repellitur & *dolore* afficitur, Jeſ. LXIII, 10. vel quando a credentibus per ſecuritatem tepidiſſimam vel novas peccatorum ac infirmitatum ſordes *triſtitia afficitur*, ut loquitur Paulus Eph. IV, 30. utpote per quas conjugium illud cum Spiritu Dei arctiſſimum, quo gaudent credentes, quaſi turbatur, ſaltem in anima dubium ac nubilum redditur, Pſ. LI, 13 14.

IX. 2. Notandus proinde etiam eſt *caſtiſſimus* columbarum erga *conjuges amor*, vinculum inter marem & fœminam arctiſſimum. Quare conſtans apud antiquos *concordiæ* ac *pacis* mutuæ emblema fuere. Huc reſpicitur in ſacris, quando ſponſus ſponſam toties *columbam ſuam, unicam, dilectam*, integram etc. vocat Cant. V, 2. VI, 8. etc. Paſſim obſervant Phyſiologi, uti & *patres* quamplurimi, GREG. NAZIANZ.

CHRYSOSTOMUS, EPIPHANIUS, BERNHARDUS, HIERONYMUS & alii, columbas vinculo connubiali caſtiſſimo jungi. CLEMENS ALEX. *Stromat. Lib. II. p. m. 384* ἃ τὴν ἐπιμιξίαν ἐ ποιεῖται πρὸς πολλὰ καὶ ἀναίδην, ἀλλὰ πρὸς ἕν καὶ ὁμόφυλον· διαι αἱ πελειάδες, καὶ αἱ φάσσαι, καὶ τὸ τρυγόνων γένος. *Quæ cum multis & impudenter non congrediuntur, ſed cum uno eodemque ejusdem generis, ut ſunt* columbæ *& palumbes & turturum genus.* Idem teſtatur ARISTOTELES *Lib. IX. Cap.* 7. Huc reſpicit PROPERT. *L. I. eleg. 9.*

Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ.

nec non *Lib. II. eleg. XV. v. 27. ſq.*

Exemplo junctæ ſic ſint in amore columbæ,
Maſculus & totum fœmina conjugium.

uti & MARTIAL. *Lib. XII. ep. 66.*

Amplexa collum, baſioque tam longo
Blandita, quam ſunt nuptiæ columbarum.

conf. eundem *Lib. XI. ep. 105.* PLAUT. in *Aſinar. Act. I. ſc. III. v. 57.* & *Comment.* TAUBMANNI ad h. l. ÆLIAN. *hiſt. animal. Lib. III. cap.* 44. et ex Horo ſupra docuimus nigram columbam Ægyptiis viduæ ad mortem caſtiſſimæ hieroglyphicon fuiſſe. Adde quæ commentatur PIER. VALER. *Hierogl. Lib. XXII. p. m. 218. ſq.* & quæ ex patribus de hac columbarum caſtitate differit Magnus BOCHART. *Hieroz. P. II. p. 24. ſq.* Eam ob cauſam Veneri ſacra fuit, quæ Dea amoris, teſte PHURNUTO: Περιςερᾷ δὲ τῶν ὀρνέων χαίρει μάλιςα, τὸ καθαρὸν εἶναι τὸ ζῶον, καὶ φιλοφρονητικὸν διὰ τῶν ὡσανεὶ φιλημάτων. *Inter aves autem nullâ æque gaudet ac columba, propter ſuam puritatem & amoris illecebras. Eſt enim admodum amabilis, verique amoris propter oſculandi morem, ſymbolum.* Unde in nummis *columba* ſymb. amoris eſt, qualis eſt apud OISEL. *in Numm. Imp. Rom. Tab. LXXXII. num. VII.* ubi avis apparet, quam *A. Rubenius* columbam eſſe aſſerit, cum epigraphe, CONCORDIA. Et *Cyprianus*, eam CONCORDIÆ PACIS ſymb. eſſe docet in loco cit. ab OISEL. *ad h. numm.* conf. eundem apud BEGER. *Theſaur. Imp. Tab. XLIX. num. XI.* Expreſſimus illum in *Tabul. noſtra num. XIV.*

Hoc

Hoc denuo Spiritui S. applicari poteſt, qui eſt Spiritus *pacis*, *concordiæ* atque *amoris*, utpote quarum auctor unicus eſt Spiritus Dei. Docet hoc Apoſtolus Gal. V, 22. *Fructus*, inquit, *Spiritus eſt* charitas, gaudium, pax, *iræ cohibitio, benignitas*, *bonitas*, *fides*, *manſuetudo*, caſtitas. Quod ad *amorem caſtum*, illum effundit Deus in corda noſtra *per Spiritum S.* qui datus eſt nobis, Rom. V, 5. Recte ergo Apoſtolus caſtitatem, lenitatem, Spiritum S. & charitatem haud ſimulatam coniungit 2. Cor. VI, 6. Hic eſt Deus *charitatis* & *pacis*, 2. Cor. XIII, 11. quare & ſpiritus roboris & *charitatis* vocatur 2. Tim. I, 7. *Pacis* & *Concordiæ* auctor idem eſt Spiritus, quare Apoſtolus hortatur Eph. IV, 3. 4. *Studentes conſervare unitatem Spiritus per vinculum pacis; unum eſt corpus, unus quoque eſt Spiritus.* Hæc eſt *pax* illa *Dei* i.e. Spiritus Dei, quæ omnem exſuperat rationem, & qua cuſtodiuntur corda noſtra, Phil. IV, 7. Regnum Dei eſt *pax in Spiritu S.* Rom. IV, 17. hic eſt *Deus pacis*, qui nos integros ſanctificat & conſervat ad diem adventus Domini, 1. Theſſ. V, 23. conf. Rom. XV, 33. 1. Cor. XIV, 33. Phil. IV, 9. 2. Theſſ. III, 16. Hebr. XIII, 20. Apocal. I, 4. etc.

X. 3. *Fœcundæ* admodum ſunt in *excubandis* pullis columbæ, quas alis fovent, tegunt, tuentur, adeoque ſingularem erga eos *amorem* teſtantur, in nido tamdiu eos ſuſtenſtantes cibo ac potu, donec volare queunt. De *fœcunditate* columbarum ſcribit ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. I. cap. 15.* Τίκτȣσι δὲ αἱ περιϛεραὶ κατὰ πᾶσαν ὥραν τȣ̃ ἔτȣς, καὶ δεκάκις τȣ̃ ἐνιαυτȣ̃ ὠδίνȣσι· λόγος δέ τις περίεισιν Αἰγύπτιος, λέγων, δωδεκάκις τὰς ἐν Αἰγύπτῳ τίκτειν. *Pariunt autem columbæ omnibus anni temporibus, unde per annum decies fœtum edunt. De Ægypto ferunt, in ea regione columbas duodecies parere.* De *incubatione* & nutritione ac amore *columbarum* erga pullos ſcribit ÆLIANUS alter *in hiſt. animal. Lib. III. cap. 45. p. m. 180.* Αριϛοτέλης τῶν περιϛερῶν καὶ τȣ̀ς ἄῤῥενας ταῖς θηλείαις ταῖς τικτȣ́σαις συνωδίνειν λέγει καὶ ἀλωμένας τῆς καλιᾶς ἔξω συνωθεῖν· καὶ ὅταν τέκωσι, ἐπῳάζειν ἐκβιάζεσθαι· θάλπειν γὰρ καὶ τȣ̀ς ἄῤῥενας τὰ νεόττια καὶ συνδιατρέφειν ταῖς θηλείαις ὁ αὐτός φησι. καὶ ὑπὲρ τȣ̃ μὴ κακοσίτȣς εἶναι τȣ̀ς νεοττȣ̀ς, πρώτην τροφὴν ἐνδιδόναι τοῖς βρέφεσι τȣ̀ς γειναμένȣς ἁλ-

μυρίδα γῆν, ὥσπερεὖν γευσάμενα, εἶσα μέν τοι καὶ τῶν λοιπῶν ἑτοίμως σιτεῖσθαι τὸ ἐντεῦθεν αὐτά. Ariſtoteles inquit fœminæ parturienti marem adeſſe & cultu omnique officio fungi. Sæpe etiam fœminam errantem & vagantem compellere ad nidum, & cum pepererit ova, eam cogere ut incubet; eundemque pariter cum fœmina pullos fovere pariterque alere; & primum nutrimentum, ne a cibis abhorreant, parentes excluſis iam pullis terram ſalſuginoſam in os indere, quam ut guſtaverint, inde facile reliquis cibis veſci queant. Similiter KIMCHI *ad Jeſ. LX.* יותר יעופו מהרה בשובם אל קניהם ממה שיעופו בצאתם מהם מפני שהם ממהרות לשוב אל גוזליהם שהניחו להאכילם מאשר בפיהם *Citius volant cum redeunt ad nidos ſuos, quam cum ex iis avolant, quia ad pullos, quos reliquerunt, redire properant, ut cibum, quem in ore habent, iis offerant.* Et DAMIR Arabs de الورشان *columbarum* genere quodam teſtatur: بالحنو على اولاده حتي انه ربما قتل نفسه اذا راها في يد القانص *Tanto affectu fervent erga pullos, ut quandoque ſe ipſos perimant, cum illos vident in manu aucupis.* vid. BOCHART. *l. c. p. 21.*

Elegantiſſime ſub hoc emblemate *opus gratiæ* & œconomia ſalutis depingitur. Spiritus enim eſt, qui *inſtar columbæ* מרחפת *incubabat aquis* in prima creatione Gen. I, 2. ut vocem hanc explicat JARCHI *ad h. l.* & qui hac ratione typum futurarum in creatione ſecunda ſeu œconomia gratiæ operationum dedit. In initiatione œconomiæ novæ, quæ per baptiſma Mediatoris fiebat, idem Spiritus tanquam *columba incubans* apparebat ſuper Jordane, *Matth. III, 16.* unde optime SEVERUS *Patriarcha Alexandrinus* in *rituali baptiſmi p. 12.* hanc formulam exhibet: ܒܪܐ ܕܐܥܡܕ ܘܐܒܐ ܕܩܥܐ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܕܡܪܚܦܐ *Filius, qui baptizatus eſt: Pater qui clamavit: Spiritus S. qui INCUBAVIT.* Vitam enim non ſolum ſpiritualem ſua virtute *producit*, ſed & conſervat, fovet, tuetur. Vitam ille

ille & novum cor *creat & producit* in nobis, Ez. XXXVI, 26. 27. In corde ille credentium habitat, illudque motu ſuo ſalutari convertit, innovat, 1. Cor. III, 16. Hic Spiritus eſt, qui vivificat, 2. Cor. III, 6. Joh. VI, 63. quare ex eodem renaſci novamque vitam haurire debemus, Joh. III, 3-5. Tit. III, 5. omnia ergo ille ſolus operatur in opere gratiæ, 1. Cor. XII, 11. *Fovet* etiam vitam ſemel productam in nobis ceu pullis ſuis, *ſuſtentat* nos, quod David a Spiritu Dei ingenuo expetit, Pſ. LI, 14. obſignamur & conſervamur per Spiritum Dei, 2. Cor. I, 21. 22. verba ſalutis & promiſſa gratiæ ceu *pabulum* animæ dulciſſimum & lac ἄδολον præbet ipſis, 1. Petr. I, 3. Jeſ. XXXVIII, 16. LIX, 21. XLIV, 3. 4. Act. II, 4. 16. 17. IV, 31. quare Paulus Spiritum vocat *vitam noſtram*, Rom. VIII, 10. qui tuetur nos contra machinas & tentationes Satanæ conſolationibus internis, Pſ. LI, 12--14. Joh. XIV, 46. Eph. IV, 18. etc.

XI. 4. Columbæ plerumque in *columbario* degunt, interdum tamen *avolant*, ſed *redeunt*, aliasque ſecum *adducunt* in idem columbarium. Huc alluditur Hoſ. XI, 11. *trepide advenient, ut avicula ex Ægypto, & ut* columba *e terra Aſſyriæ.* nec non Jeſ. LX, 8. *Qui ſunt, qui veluti nubes* convolant, *& ut* columbæ *ad feneſtras ſuas?* ubi Chald. כיונין דתיבין לגו שבכיהן *ut columbæ, quæ redeunt ad columbaria ſua:* columbaria memorant Judæi in *Maſſech. Schabb. Cap. XXIV. §. 3.* ואין נותני מים לפני דבורים ולפני יונים שבשובך *Non dant aquas ante apes, ſed ante columbas, quæ ſunt in columbario.* De reditu ad columbarium ſcribit PLIN. *Hiſt. nat. L. X. Cap. 23. Solent columbæ inprimis ad notos nidos & columbaria, quamlibet in remota loca transvectæ, pernici volatu remeare.* Quare & columba ſæpe emittebatur in ſignum & omen futuri reditus, quando Imperatores in bellum proficiſcebantur, ut docet *Scholiaſtes* APOLLON. *ad Lib. II. Argon.* quia columba avolans vel emiſſa redit. Quare & OVIDIUS canit:

Aſpice ut redeant *ad candida tecta* columbæ.

conf. etiam RHODIGIN. *Lect. antiq. p. m. 615. & 1179.* Evolantes alias ſecum ſæpe adducunt: ut hoc eo melius fieret, antiqui *unguento odorato* eos delibuere ſolebant Ita DIDY. *Geopon. Lib. XIV.* ἐὰν μύ-

ρῳ χρίσης τὰς περιςερὰς, καὶ ἔξωθεν ἄλλους ἄξουσιν. Si unguento inungas columbas, ut alias extrinſecus ſecum adducant. Huc reſpicit ANACREON *Carm. IX. p. 14.*

Ἐρασμίη πέλεια	*Amabilis columba,*
πόθεν μύρων τοσούτων	*Tot unde nunc odores,*
Πνέεις τε καὶ ψεκάζεις;	*Spirasque depluisque?*
πόθεν πόθεν πέτασαι	*Unde unde pergis aut quo*
Ἐπ᾽ ἠέρος θέουσα.	*Huc advolans per auras?*

Conf. CAUSSIN. *de ſymb. Ægypt. ſapientia p. 267.* URSIN. *Analect. S. P. l. p. 304.* unde & *Perſis* eſt adagium کند هم جنس با
هم جنس پرواز کبوتر با کبوتر باز با باز *Similes ſpecies* (avium) *una volitant. Columba cum columba, falco cum falcone.* conf. WARNER *prov. Perſ. prov. XXX.*

Spiritus quoque Dei habitat in Eccleſia velut in *columbario*, ibi *nidum* quaſi ſuum ſtruit, in quo *pullos* i. e. animas converſas excubat. In Eccleſia Dei ideo dicitur *habitare; per Spiritum S. qui in nobis habitat,* 2. Tim. I, 14. *Spiritus Dei habitat in vobis,* 1. Cor. III, 16. conf. Rom. VIII, 9. 11. quare *domus* & templum Spiritus S. vocantur electi, 1. Cor. III, 16. 2. Cor. VI, 16. Eph. II, 21. Hæc eſt domus illa, quam gloria Jehovæ, i. e. *Spiritus S.* impletura erat, Hagg. II, 9. 10. *Recedere* interdum videtur *Spiritus S.* ab Eccleſia ad tempus, quando recreationes & conſolationes illi detrahit, Pſ. LI, 13. tunc verum eſt, quod Jehova teſtatur Hoſ. IX, 12. *væ ipſis, quando diſceſſero ab ipſis!* Sed *redit,* uti ſponſus ad ſponſam, & novis gratiæ ac gaudii ſpiritualis ſignis ſe manifeſtat in corde electorum, Pſ. LI, 10. 14. Rom. V, 5. In ſpecie autem opus Spiritus S. eſt, ut alios ad communionem veræ Eccleſiæ adducat quaſi in columbarium, idque odore ſuaviſſimo unguentorum ſuorum, i. e. donorum largiſſimorum. Quando *unguentum* hoc ſuum fundit odorem, adhærent ipſi puellæ, & trahuntur ad Chriſtum, Cant. I, 3. 4. cum ſibilo alliciet gentes e longinquo, Jeſ. V, 26. Ille eſt, qui Eccleſiam pellecturus eſt, & elocuturus ea, quæ ei cordi ſunt, Hoſ. II, 14.

XII, 5.

XII. 5. *Volatus* columbarum non ſolum eſt *celerrimus*, ſed & *altiſſimus*, quaſi ſub nubibus cœli. Huc reſpicit Pſaltes Pſ. LV, 7. *O ſi quis mihi daret alas velut columbæ! evolarem, ubi habitare poſſem.* Ita & BARTENORA *ad Sanhedr. Cap. III.* אית דמפרשי מין ממיני השחוק אם תקדים יונתך ליונתי אתן לך כך וכך *Sunt qui hoc intelligunt de ludo, quo de columbarum* celeritate *pignore certabatur.* Exprimit celerem & altum volatum VIRGIL. *Lib. VI. Æneid. v. 190. 196. ſq.*

- - - geminæ quum forte columbæ
Ipſa ſub ora viri cœlo venere volantes &c.
Paſcentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie poſſent oculi ſervare ſequentum &c.
Tollunt ſe celeres, *liquidumque per* aëra *lapſæ. &c.*

adde *eundem L. V. Æneid.*

- - - mox aëre lapſa quieto,
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

quare & ANACREON *Carm. IX.* de columba:

Ἐπ' ἠέρος θέουσα. *Super æthere volans.*

et SOPHOCLES *in Oedip. Colon.*

Εἴτ' ἀελλαία ταχύῤῥωστος πελειὰς αἰθερίας νεφέλας κυρσαίμε.
Utinam ut turbinea celeri impetu columba, æthereas nubes permearem!

HOMER. *Iliad. XXIII. p. m. 410.*

Ὕψι δ' ὑπαὶ νεφέων εἶδε τρήρωνα πελειάν.
Alte autem ſub nubibus vidit timidam columbam.

Damir quoque Arabs apud BOCHART. de columba ſcribit: وهو اطير منها ومن ساير الطير كلها *Et hæc* (columba) *eos* (accipitres) *volatu ſuperat atque aves omnes, quotquot ſunt.* conf. R. S. JARCHI, KIMCHI aliosque ad Pſ. LV. cit.

Hoc denuo ſi Spiritui S. applices, denotabit tum *originem* & *ſapientiam* ejus *cæleſtem*, tum *operationes* ejus *efficaces* & captum noſtrum ſæpe

ſæpe ſuperantes. *Sublimes* ſunt ejus operationes in Eccleſia & corde fidelium, nobisque imperſcrutabiles. Docet id egregie Nicodemum Salvator Joh. III, 8. *Ventus*, inquit, *quocunque vult, ſpirat, audisque tu quidem ſibilum ejus, verum ignoras, unde veniat, & quorſum feratur: Ita eſt, quisquis ex Spiritu genitus eſt.* Hæc eſt *pax illa* i. e. Spiritus pacis, qui *καθ' ἐξοχὴν* pax dicitur, *quæ omnem rationem tranſcendit, & quæ velut in præſidio corda noſtra cuſtodit*, Phil. IV, 7. *Efficaces* quoque ſunt & irreſiſtibiles in electis operationes ejus. Quare comparatur cum *brachio* omnipotentis Jehovæ, Jeſ. LIII, 1. & *manu* vel *digito* Dei fortis, Jer. XXXI, 33. virtus ac robur altiſſimi vocatur Luc. XXIV, 49. 2. Cor. XII, 9. Eph. III, 16. Luc. I, 35. imo *igni* omnia penetranti confertur, Matth. III, 11. Act. I, 5. & *carboni* ignito, Jeſ. VI, 6. & robori exercituum *robur* Spiritus Dei opponitur Zach. IV, 6. *Celerrimæ* quoque ſunt operationes ejus in corde peccatoris, quem ſæpe unico ictu proſternit per cordis contritionem, veluti auditores Perti experti ſunt, Act. II, 37. nec non Act. X, 44. Quemadmodum & *lux hæc cœleſtis*, inſtar columbæ celerrimo motu per aëra lapſæ, in Saulum deſcendebat, ipſumque ſalutari cordis contritione afficiebat, Act. IX, 3. 4.

XIII. 6. *Manſuetudinis & patientiæ* quoque ſymb. columbæ ſunt, non *unguibus* & roſtro ſe defendunt, aut aliis nocent, ſed ab *avibus rapacibus* fugatæ in *fiſſuras petræ* confugiunt, ibique ſæpe *nidos* componunt: quo reſpicitur Cant. II, 14. quando Eccleſia *columba* בחגוי חסלע *in fiſſuris petræ* vocatur. Accipiter inprimis inſidiatur columbis, quare HOMER. *Iliad. XV. p. m. 280.*

- - - ἴρηκι ἐοικὼς
Ὠκέϊ φασσοφόνῳ, ὅς' ὤκιςος πελεηνῶν.
Accipitri ſimilis, celeri columbarum occiſori, & qui celerrimus eſt avium.

et idem *L. XXII. Iliad. p. m. 386.*

Ἠΰτε κίρκος ὄρεσφιν ἐλαφρότατος πελεηνῶν
Ρηϊδίως ὄιμησε μετὰ τρήρωνα πελειὰν
Η δὲ θ' ὕπαιθα φοβεῖται ὁ δ' ἐγγύθεν ὀξὺ λελυκὼς
Ταρφέ' ἐπαΐσσει, ἑλέειν τὲ ἐθυμὸς ἀνώγει.

Veluti

Veluti accipiter *in montibus leviſſimus volucrum*
Facile ruit in timidam columbam,
Hæc autem oblique fugit, ille vero acute ſtrepens
Crebro irruit, capereque ipſam animus jubet.

Conf. eundem HOM. in *odyſſ. L. XV. p. m. 226.* HORAT. *Carm. L. I. od. 37. v. 17.* & OVID. *L. I. Triſt. eleg. 1.* qui canit:

Terretur minimo pennæ ſtridore columba
Unguibus accipiter *ſaucia facta tuis.*

Præcipue in *petras* ſe conferre ſolebant, teſtis eſt HOMER. *Iliad. Lib. XXI. p. m. 380.*

\- - - Φύγεν, ὥϛε πέλεια
Ἡ ῥά θ' ὑπ' ἴρηκος κοίλην εἰσέπτατο πέτρην
Χηράμενον.

Fugit velut columba, *quæ quidem ab accipitre in cavam* petram *volavit, in latebram.* IDEM teſtatur SMYRNÆUS apud BOCHART. *l. c.* In *petris* quoque nidificare ſolebant columbæ, unde CTESIAS: Ἐίς τινας ἐρήμȣς καὶ πετρώδεις τόπȣς, ἐν οἷς πολλȣ̃ πλήθȣς περιϛερῶν ἐνοτσεύειν εἰωθότος. *In locis deſertis* & petroſis, *in quibus columbarum magna copia nidificare ſolebat.* Has ob cauſas quoque *manſuetudinis* & *patientiæ* ſymb. eſt; non enim roſtro nec unguibus nocet, ſed placida eſt, & ſine felle dicitur, quare Cyrillus columbam πρὸς ἄκρον ἥκειν πραότητος, *ſupremum manſuetudinis faſtigium attingere aſſerit.* vid. HORAPOLL. *Hierogl. Lib. I. cap. 54.* adde PIER. VALER. *Hierogl. P. I. p. 221.* & BOCHART. *l. c. p. 22.*

Inſidiæ *accipitris*, quas columbæ ſtruit, optime depingunt *inſidias*, quas *princeps* & tyrannus (cujus ſymb. accipiter) *tenebrarum* ſtruit operationibus Spiritus S. in œconomia gratiæ, & præcipue in corde peccatoris. Quamprimum Spiritus S. inſtar *columbæ* quaſi deſcendit in cor peccatoris, actutum Satanas omnes eius operationes irritas reddere easque enecare ſtudet. Quando ille illuminat, hic nebulas oculis mentis obtrudere ſtudet per tentationes, ne videant hanc lucem, 2. Cor. IV, 6. & alienos per inſtigationem ad nova peccata, a vita Dei eosdem reddere, Epheſ. IV, 18. omnemque exſtinguere vitam Spiritus, in

quibus vivere incepit Spiritus S. omni niſu quaerit, Gal. V, 25. & 16. 18. Gal. II, 20. Perpetuum ergo inter carnem a Satana incitatam, & Spiritum S. in ſpiritu peccatoris conuicti, certamen eſt Gal. V, 17. Eſt quoque Spiritus *manſuetudinis* & *patientiæ*, qui easdem in Chriſto & fidelibus, in eos deſcendens, operatur virtutes, conf. Matth. XI, 28. 29. quare *manſuetudo* inter fructus ſpiritus recenſetur Gal. V, 22. VI, 1. Col. III, 12. 13. 2. Cor. XI, 1. &c.

XIV. 7. *Uſus* columbarum *civilis* erat inſignis apud veteres, quando in *relationibus novis ferendis*, præcipue in expeditionibus bellicis, illas adhibebant. Quare *literas* illis appendebant, quas domum redeuntes ad nidum ſuum portabant ſecum. Ita Cl. RELANDUS *de monte Garizim §. 14.* docet in Chronico Samaritanorum mentionem fieri columbæ, quæ *literas* Joſuæ deferebat ad Nebichum Regem 2. tribuum & dimidiæ trans Jordanem. ABENESRA quoque ad Pſalm. LV, 7. ſcribit: והזכיר יונה שהיא עם בני אדם ועמה ישגרו המלכים ספריהם *Meminit* columbæ, *quia illa degit cum filiis hominum, & literas per eam mittunt Reges.* ÆLIANUS quoque *var. hiſt. Lib. IX. cap. 2.* Tauroſthenem columbæ purpureo filo literas appendiſſe & eodem die ex Piſa in Æginam advolantem dimiſiſſe, teſtatur. Imo Syris hodie adhuc in uſu eſſe *columbis internunciis* uti, docet COTOVIC. *Itiner. Hieroſ. Lib. II. c. 24.* Et Perſis كبوتردار dicitur columba, quæ ad octo paraſangas literas defert, Ill. FüRER *ab Haimendorf. in Itinerar. Ægypt. p. m. 44.* narrat in Peluſio in turri quadrata *adſervari columbas, quas ad naves ſi quæ appellunt, emittere ſolent, quarum pennis nautæ literas includunt, & ſic de nomine navis & loco unde venit & incolas certiores reddit.* et ſimilem turrim Alexandriæ eſſe contendit. Huc reſpicit ANACREON *Carm. IX. p. m. 15.*

Ἐγὼ δ' Ἀνακρέοντι	*Sic ergo Anacreon me*
Διακονῶ τοσαῦτα,	*Nunc utitur miniſtra ;*
Καὶ νῦν ὅιας ἐκείνȣ	*En, en vides ut ejus*
Ἐπιστολὰς κομίζω.	*Iſtas fero tabellas.*

conf.

conf. REINES. *ad epiſtolas Daumian. p.327.* CAMERAR. *hor. ſubciſ. C. I. p. m. 355.* BOCHART. *Hieroz. l. c.* & ex eodem Doct. SCHLICHTER *Obſ. ſacr. p. 173.* adde MEURS. *Lib. IV. rerum Belgicar.* PLIN. *hiſt. nat. Lib. X. cap. 37. &c.*

Spiritus quoque Dei quaſi *columba* Dei *nuntia* conſiderari poteſt, quæ Dei *literas* ad nos defert. Verbum enim ſalutis per ipſius *inſpirationem* ad nos delatum eſt. *Viri* quippe *ſancti*, quæ locuti ſunt, ex inſtinctu & actione Spiritus S. pronuntiarunt, φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος, 2. Petr. I, 21. quare ſcriptura Θεόπνευστος dicitur 2. Tim. III, 16. quem locum SYRUS vertit : ܟܠ ܟܬܒ ܕܒܪܘܚܐ ܐܬܟܬܒ *Omnis ſcriptura , quæ per* Spiritum *ſcripta eſt.* Operatus eſt ille in Prophetis & verbum ad nos propheticum & vaticinia cœleſtia detulit, Num. XI, 25. 29. 2. Sam. XXIII, 2. Act. I, 16. XXVIII, 15. 1. Pet. I, 11. (uti & columbas apud veteres in augurio uſurpatas & præcipue Dodonæas ſupra vidimus). Quare & Johannes 1. Joh. V, 6. ait: *Spiritus eſt, qui teſtificatur , quod Spiritus ſit veritas.* Eam ob cauſam *Spiritus veritatis* dicitur , qui nos *ducit in omnem veritatem*, Joh. XIV, 17. XVI, 13. Ille eſt *interpres* veritatis ac voluntatis divinæ in corde noſtro per illuminationem & convictionem, 2. Cor. IV, 4. Eph. I, 17. 18. Pſ. CXIX, 18. Ille adfert *nuntium pacis*, inſtar *columbæ Noachi* oleam ferentis, Rom. V, 5. ad lætum nuntium manſuetis & ſolatium contritis corde adferendum miſſus eſt ſub N. T. Spiritus, Jeſ. LXI, 1--3. literas quoque fœderis gratiæ adfert & proponit animæ, illique perſuadet, ut *ſubſcribat* illis, Jeſ. XLIV, 3. 5. 2. Cor. V, 20. 21. *Literas* quoque *pacis* & *victoriæ* adfert idem Spiritus, quando teſtimonium perhibet Spiritui noſtro, nos eſſe filios & hæredes, Rom. VIII, 16. 17. de *triumpho* & victoria fidei nos certiores reddit, 2. Tim. I, 12. IV, 7. 8. *Literas* quoque *noſtras* i. e. ſerias ac ſinceras preces, ad Deum defert, quando pro nobis intercedit & ſuſpiria ἀλάλητα in corde noſtro excitat & accendit, Rom. VIII, 26.

XV. 8. Alter uſus civilis ſeu politicus erat , quod *ſigni* loco ſæpiſſime *columbam* haberent veteres. *Navium* enim ſigna uti &

vexillorum memorantur *περιςεραὶ*, uti & in *vaſis pretioſis* ejusmodi *ſignum* columbarum deprehendimus. Supra jam docuimus, Aſſyrios *columbæ* effigiem in vexillis & ſignis militaribus habuiſſe, uti & in ædificiis publicis, adeoque Jer. XXV, 38. XLVI, 16. & Hoſ. XI, 11. illuc alludi. Inſignis quoque in hanc rem locus eſt, quem ex R. *Azar. Meor Enaim* BOCHART. *Hieroz. P. II. p. 6.* & NOLDIUS *de vita & geſtis Herod. in Faſcic. IV. Crenii p. 614.* exhibent: שהכותיים אשר הושיב מלך אשור ובבל בשומרין לאות ולעד על הכנעם באהבה אל מלכם ההוא אשר אות דגלו יונה חבבו אותה והקימוה ליראתם בראש הר גריזים *Cuthæos, quos Rex Aſſyriæ & Babyloniæ collocavit in Samaria in ſignum & TESTIMONIUM, quod ex amore ſe ſubmitterent iſti regi ſuo, cujus teſſeræ ſeu vexilli INSIGNE erat* columba, *eam dilexiſſe, atque in venerationem conſtituiſſe in cacumine montis Gerizim.* Vide & C. WORM. *antiq. corrupt. Hebr. Lib. II. p. 184.* In *navium ſignis columbam* fuiſſe *docet* PROPERT. *Lib. III. eleg. 21. v. 14. ſq.*

Qua rudis Argoa natat inter ſaxa columba
In faciem proræ pinus adacta novæ.

Unde nummus apud GORLÆUM in quo navis cum ſigno capitis columbæ in prora conſpicitur, quem ex eo depingi curavit SCHEFFER. *de milit. naval. p. 127.* In *poculis* quoque ſymboli & ſigni loco *columbas* effingebant & ſculpebant veteres, uti liquet ex HOMER. *Iliad. Lib. XI. p. m. 216.*

Πὰρ δὲ δέπας περικαλλὲς, ὃ οἴκοθεν ἦγ᾽ ὁ γεραιὸς,
Χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον, οὔατα δ᾽ αὐτοῦ
Τέσσαρ᾽ ἔσαν, δοιαὶ δὲ πελειάδες ἀμφὶς ἕκαςον.
Χρύσειαι νεμέθοντο.

Juxta etiam poculum *perpulchrum, quod domo tulerat ſenex, aureis clavis transfixum. Anſæ autem ipſius quatuor erant, binæ vero* columbæ *circum quamlibet aureæ paſcebant.*

Hæc omnia denuo ſenſu myſtico Spiritus S. *obſignationem* fidelium eleganter depingunt. Ille eſt *ſignum* militare exercitus Jehovæ, quemadmodum jam olim per *columnam nubis & ignis* quæ vexillum caſtro-

caſtrorum Iſraëlis exſtitit, præfigurabatur. *Columnam* enim typum Spiritus S. exſtitiſſe, inſignia Scholæ & Eccleſiæ Bremenſ. lumina docuere Cel. HASÆUS in *diſſ. in Hagg. II, 9. 10. de gloria Templi II.* nec non Cel. LAMPE in *diſſ. de Spiritu S. quæ eſt VII. p. 8. ſq.* Præcedit Spiritus inſtar *vexilli*, quod ſequitur exercitus Jehovæ. Huc reſpicit Pſ. CXLIII, 10. *Spiritus tuus bonus ducat me per terram planam.* conf. Pſ. XLIII, 3. 4. *Mitte lucem tuam & veritatem tuam, ut me deducant, adducant me in montem ſanctitatis tuæ & in tabernacula tua, ut accedens ad aram tuam, o Deus fortis, AUCTOR lætitiæ meæ, celebrem te cithara.* Ad illum ceu *vexillum* confugimus in tentationibus gravioribus ac certaminis æſtu, & refugium quærimus, Rom. VIII, 26. 1. Joh. III, 20. 24. Joh. XIV, 16. Rom. XIV, 13. Ille quoque *ſignum* eſt & *ſigillum* noſtrum, quo *ſignati* ſumus & obſignati. Ita Apoſt. Eph. I, 13. 14. obſignati *eſtis Spiritu promiſſionis, qui eſt* arrhabo *hæreditatis noſtræ.* nec non Cap. IV, 30. *quo* (ſc. Spiritu S.) *obſignati eſtis in diem liberationis*, 2. Cor. I, 22. *Qui* obſignavit *nos, & in cordibus noſtris poſuit* arrhabonem, *Spiritum.*

XVI. 9. Reſtant *uſus ſacri*, quorum *prior* eſt, quod apud varias gentes, præcipue *Aſſyrios* & *Samaritanos*, *divino honore* colerentur. De Syris teſtatur LUCIAN. *Opp. Tom. III. de Dea Syr. p. m. 759.* καὶ ὄρνιθας τοὺς μὲν ἄλλους σιτέονται, περιστερὴν τε μόνην οὐ σιτέονται, ἀλλὰ σφίσι ἥδε ἹΕΡΗ. *Deinde & aves alias quidem edunt*, columbam *autem ſolam non edunt, quæ ipſis SACRA eſt.* et *pag. 795.* Ὀρνίθων δὲ αὐτέοισι περιστερὴ δοκέει χρῆμα ἹΕΡΟΤΑΤΟΝ, καὶ οὐδὲ ψαύειν αὐτέων δηκαιεῦσι. Ex *avibus vero* columba *ipſis videtur res SANCTISSIMA eſſe, & ne tangere quidem ipſam fas habent.* HYGINUS in *fab. 197. Ob id Syri piſces* & columbas, *quas in Deorum numero habent, non edunt.* Noti quoque ſunt verſus TIBULL. *L. I. eleg. 7.*

Quid referam ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæſtino SANCTA columba Syro.

DIOD. SICUL. *Bibl. L. II. p. 65.* ὡς Θεὰς περιστερὰς τιμῶντες, ut *Deas colentes columbas* Syros deſcribit. Idem teſtatur XENOPHON *de expedit. Cyri L. I. p. 200.* conf. præter BOCHART. l. c. WORM. *antiq. corrupt. Hebr. p. 177. & 185. ſq.* SEGUIN. *de numm. antiq. ſel. p. m. 268.*

m. 268. RAMIREZ DE PRADO in *Pentecont. p. m. 256.* OUZEL. *in animadv.* in *Minuc. Felic. p. m. 178.* VARENII *diſſ. cit. ſupra §. 7.* SELDEN. *de Diis Syr. p. m. 274.* & BAIER *in addit. p. m. 288.* RHODIG. *Lect. antiq. p. m. 1029.* PIER. VALER. *Hierogl. P. I. p. m. 219.* In Tract. *Talmud. Cholin Cap. I. fol. 6.* de *Samaritanis* teſtatur *R. Nachman Iſacides:* דמות יונה מצאו להן בראש הר גריזים שהיו עבדין אותה *In monte Garizim invenerunt columbæ imaginem, quam colebant Chutæi* ſ. Samaritani. Quid autem de cultu columbæ apud Samaritanos ſtatuendum, vide præter BOCHART. *l. c. p. 6.* Cel. LAMPE in *Joh. Tom. I. p. 746. in not.* & Cl. RELANDUM in *diſſ. ſupra citata.* BUXTORF. *Lex. Talmad.* in *voc.* יונה & adde auctores, quos citat Doct. BAIER in *add. ad Selden. p. m 288.*

Spiritui autem ſancto majori longe jure nomen *Sancti* & *cultus divinus* competit. Utpote qui verus Deus cum Patre & filio, eodem honore divino dignus eſt. Quare non ſolum toties יהוה *κύριος* & *Θεὸς κατ᾽ ἐξοχὴν* vocatur Pſ. XCV, 7. 8. coll. Heb. III, 7. 9. & Exod. XVII, 1. 7. 2. Cor. III, 17. adde Num. VI, 26. ſed & nomen *ſancti* ipſi tribuitur in emphaſi, ſic Jeſ. LXIII, 14. רוח הקודש *Spiritus ſanctitatis* dicitur, & plerumque epitheton קדוש & *ἅγιος* additur, conf. Jeſ. LXIII, 11. Pſ. LI, 13. præcipue ſub N. T. Matth. I, 18. Luc. IV, 1. XII, 10. Joh. XIV, 26. Act. I, 2. IV, 8. VI, 3. Rom. XIV, 17. 1. Theſſ. IV, 8. etc. Divino quoque honore colendus eſt Spiritus; quare ipſi æque ac reliquis perſonis *τρισάγιον* illud ingeminatur a Seraphim Jeſ. VI, 3. conf. Act. XXIIX, 25. Quare vota benedictionum ex ipſo in fideles derivantur, uti Paulus 2. Cor. XIII, 13. & Johannes fecere, Apoc. I, 4. Quare & *templum* habet, in quo colitur 2. Cor. III, 16. VI, 12. Jeſ. LVI, 7. in ipſius nomen divinum *baptizamur*, Matth. XXVIII, 19. in ipſum *credere* debemus, Matth. XXVIII, 19. & *blaſphemia*, quæ contra Spiritum S. committitur, remiſſione poſſibili deſtituitur, Matth. XII, 31. 32.

XVII. 10. *Poſterior* uſus *ſacer* in eo obſervandus eſt, quod *ſacrificiis divinis* deſtinatæ eſſent columbæ. Sub V. T. Deus inter omnes aves has præcipue ſelegerat, ut in altari offerrentur in variis purificationibus, in ſacrificiis ſpontaneis holocauſtorum. conf. de his columbarum oblationibus Lev. I, 14. V. 7. 11. XII, 6. XIV, 22. XV, 14. 29.

Num.

Num. VI, 10. Luc. II, 24. De ritu & modo mactationis vide *Zebach. Cap. VI. fol. 64.* & MAIMONID. in הלכות זבחים Huc quoque reſpiciunt loca Matth. XXI, 12. Marc. XI, 15. Joh. II, 14. 16. ubi de *venditoribus columbarum in templo* mentio fit, ſc. ex teſtimonio *Maimonidis* in atrio templi erat הממונה על הקינים *Præfectus ſuper nidos* vel *aves*, qui columbas & turtures offerendas certo pretio vendebat offerentibus. De oblationibus columbarum vide *Cholin fol. 22. 2.* JOMA *fol. 4.* & quæ adfert Cl. LIGHTFOOTH *opp. Tom. II. p. 498.* LUND. Jüd. Heiligth. *p. 571. &c.* RELANDI *antiq. Jud. p. m. 179.* & quos citat *Doct.* SCHLICHTER *Obſ. ſacr. p. 179. in not.* Gentes quoque in ſacrificiis columbas offerre fuiſſe ſolitas, ex antiquis monumentis conſtat. OVID. *L. I. faſtor.*

Ergo ſæpe ſuo conjux abducta marito
Uritur in calidis alba columba focis.

PROPERT. *L. IV. eleg. V. in fine.*

Sed cape torquatæ, Venus o Regina, columbæ
Ob meritum ante tuos guttura ſecta focos.

Inprimis autem *Veneri ſacræ* erant. Huc refer nummum apud OISEL. in *numm. Imp. Rom. Tab. XLVIII. n.* 7. ubi Venus ſiniſtra ſceptrum, dextra *columbam* gerens cum epigraphe, VENUS. conf. *Commentar. ad h. numm.* Huc pertinent nummi inſignes Ericynorum, ubi in una parte effigies capitis Veneris, in altera columba apparet, & quos illuſtrat Ill. Ez. SPANHEM. *de præſt. & uſu num. p. m. 125. ſq.* vide etiam CAUSSIN. *de ſymb. Ægypt. ſapientia p. m. 266.* in Ericynia enim templum Veneris erat, circa quod ingentem columbarum copiam fuiſſe docuit Cl. ÆLIAN. *var. hiſt. L. I. Cap. 15. p. m. 19.*

Hoc ſi de Spiritu S. myſtice explicare velis, denotabit fructus & operationes Spiritus S. *ſacrificia* eſſe Deo gratiſſima & ſuavis odoris. Quemadmodum ſub V. T. omnia ſacrificia *ſale* condita eſſe oportebat, Lev. II, 13. Marc. IX, 49. ſine quo grata Deo eſſe non poterant: Ita ſub N. T. omnes cordis oblationes ſeu officia pietatis & virtutes Chriſtianæ, ſi absque *Spiritus S. vi* atque operatione proveniunt, Deo grata eſſe nequeunt. Si corpus noſtrum cum membris Deo in ſacrificium

ſiſtere

ſiſtere velimus, Rom. XII, 2. *igne* Spiritus S. accendi debet, ſi grati odoris in naribus Dei illud eſſe cupiamus, Matth. III, 12. Marc. IX, 49. Hic eſt *ignis ille ſacer*, qui in *ara* pectoris Deo conſecrati perpetuo eſt conſervandus, ne extinguatur, 1. Theſſ. V, 19. uti ſub V. T. ignis ille ſacer altaris Jehovæ a ſacerdotibus vigili cura obſervandus erat. *Sacrificia*, quæ Deo placent, ſunt *cor contritum* & *ſpiritus fractus*, Pſ. LI, 19: quod ſolius Spiritus ſ. ejusque virtutis efficacis opus eſt, Joh. XVI, 23. 2. Cor. VII, 10.

XVIII. En elegantiſſimam inter Spiritum S. & columbam harmoniam. Salvator ergo in hac viſione de abundantiſſima Spiritus S. menſura, quæ in caput ejus erat effundenda, per hoc ſymbolum externum confirmabatur, & hac ratione quoque publicum illius teſtimonium, omnibus adſtantibus perhibebatur. Quum vero idem illud oleum ſacrum, quod effuſum eſt in caput Aaronis noſtri cœleſtis, etiam effundendum Deus promiſerit in membra hujus capitis; beatos merito deprædicamus, in quos idem Chriſti Salvatoris Spiritus *inſtar columbæ* deſcendit. Sed proh tempora noſtra! proh triſtem Eccleſiarum Proteſtantium in multis regionibus faciem! Ubi ſigna hujus Spiritus, ubi illius operationes? Nonne ſæpius Spiritus Dei receſſiſſe videtur? Quam pauci in Sardibus ſuperſunt, qui veſtes ſuas immaculatas purasque ſervarunt! Væ illis! qui mortuorum oſſibus ſimiles, absque vita & Spiritu, deſideriis terreſtribus adſtringuntur, in tenebris hujus mundi degentes. Nubes ac nebulæ vitiorum, peccatorum turpiſſimæque ignaviæ, ſomni atque ingratiſſimi erga Deum & ejus beneficia animi, impediunt, quo minus Spiritus ille Dei in caput noſtrum, olim inſtar columbæ delapſus etiam ſuper nos deſcendat. Si *Spiritu Dei* agerentur pleraque Eccleſiæ membra, ipſius etiam naturam induerent. Si in ſpiritu viverent, in eodem quoque ambularent. Sed ubinam *columbarum qualitates* in externis Eccleſiæ membris reperies? ubi *oculi* intellectus illuminati & Dei ſalutari cognitione imbuti? ubi *pennis* deſiderii ſinceri & ardentiſſimi cœleſtia quæruntur? Ubi *corpus* & *pedes* per ſtudium ſanctitatis & converſationis puræ ac piæ immaculati ſervantur, in populo impuro? Ubi *gemitus* & ſuſpiria pro ſalute animæ & liberatione a tentationibus & inſidiis Satanæ ſurſum aſcendentes obſervamus? Ubi illæ animæ candidæ, quæ *fon-*

tes

tes puros doctrinæ ſalutaris & recreationum Spiritus S. anhelant? Apoc. XXII, 17. Si Spiritus S. *literas fœderis* & pacis ex cœlo cordi quaſi offert; ubi vera fide recipiuntur? Expergiſcere! expergiſcere Zion, indue veſtes decoris tui, ablue te in ſanguine agni, in fonte ſalutis, ut pura ac candida prodeas. Beatas ergo animas, quæ Spiritum *manſuetudinis, puritatis, ſanctitatis*, ac *patientiæ* nactæ, *columbas* imitantur, & Spiritu actæ, innovatæ, ejus naturam induunt! Etſi *avibus rapacibus* filiis hujus mundi odio ſint & ab illis perſecutiones patiantur; triumphabunt tamen de illis aliquando. Etiamſi inter *duos ordines lapidum* jaceant; tamen radiabunt pennis aureis inſtar columbarum, Pſalm. LXVIII, 14.

EXERCITATIO II.

DE

VULPIBUS IN LUSTRIS, SYMB. PSEUDODOCTORUM.

MATTH. VIII, 20.

ARGUMENTUM.

§. I. Scopus & ſenſus proverbialis locutionis in hoc loco exponitur, illamque eſſe emblematicam probatur. §. II. Emblema VULPIS propius excutitur, illasque ſymb. eſſe in genere hominum ſagacium & doloſæ fraudis, in ſpecie tum Regum ac perſecutorum Eccleſiæ, tum Pſeudoprophetarum probatur. §. III. Per analogias id confirmatur, ubi docemus, vulpem eſſe animal ferum atque impurum, §. IV. olfactum acutum viſusque aciem penetrantem poſſidere. §. V. Cauda inſigni & pelli ſpecioſa præditam eſſe. §. VI. Vocem varie flectere ſolere, gannire & rugire. §. VII. pedibus eſſe celerrimis, ſed greſſu obliquo & ambiguo uti.

uti. § VIII. Animal eſſe maxime fœtidum. §. IX. Aſtutia ſingulari præditam eſſe vulpem, cujus varia ſpecimina recenſentur. §. X. Inſidias ſtruere eandem avibus, gallinis, pullis, imo ipſis cadaveribus veſci. §. XI. Uſus earum in cibis eſſe nullos, ſed cadaver avibus cœli projici. §. XII. in Palæſtina frequentes fuiſſe, adeoque Simſonem trecentis vulpibus captis ſegetes accendiſſe legi; ubi vulpicomburium *Romanorum illuſtratur. §. XIII. vineis damna intuliſſe, & uvas decerpſiſſe in Palæſtina. §. XIV. Capi difficiliter, plerumque retibus. §. XV. Abſcondere ſeſe in latebris, lucem plerumque fugientes & noctu prædam quærentes. §. XVI. Epilogus denique additur.*

I.

VErba altiori indagine digua ſunt, quæ Salvator Scribæ illi Phariſæo reſponſoria producit *Matth. VIII, 20.* Ἁι ἀλώπεκες φωλεὺς ἔχȣσιν καὶ τὰ πετεινὰ τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃ κατασκηνώσεις, ὁ δὲ ὑιὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ ȣ̓κ ἔχει πȣ̃ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ. *VULPES habent luſtra & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Plerique quos inſpicere licuit Interpretes, nullam hic in verbis Chriſti allegoriam obſervant; quare & Cel. & Cl. WOLF. in genere heic paupertatem innui contendit in *not. Philol. ad h. l.* Sunt tamen pauci inter quos FLAC. *in clav. ſcriptur. ad v. vulpes*, nec non ARETIUS *in N. T. ad Matth. VIII.* & quem citat Doctiſſ. SCHLICHT. *Obſ. Sacr. p. 178.* ſc. *Jo. Conr.* KESLER *in Obſ. in ep. P. ad Phil. p. 16.* qui proverbium hoc allegorice explicant. Et ab eorum quoque parte nos ſtare fatemur. Verba hæc non literaliter ſed myſtice & allegorice eſſe intelligenda, demonſtramus

a) Ex ſimilibus locutionibus adagialibus N. T. quæ vel a Salvatore vel ab Apoſtolis adhibitæ & convenienter ſcopo ipſorum allegorice explicandæ ſunt. In hunc cenſum refero Matth. IX, 16. *Nemo immittit commiſſuram panni novi in veſtem veterem, nec mittunt vinum novum in utres veteres*, ubi doctrinam legis & Evangelii opponit Salvator, & diſcipulos Phariſæorum & Chriſti. Nec non Matth. XIX, 24. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem*

tem in regnum Dei ingredi. Ubi dives procul dubio elegantiſſime cum *camelo* gibboſo & luxurioſo, & via ad regnum Dei anguſta cum *foramine acus* comparatur. Matth. XXIV, 28. *ubi eſt cadaver, ibi & aquilæ*, de quo loco ſpecialem *Exercit.* vide in *Emblem. noſtr. Sacr. Miſcell. Lib. I. Exerc. VI.* Luc. IX, 62. *mittens manum ad aratrum & retrahens non aptus eſt.* ubi opus ſalutis cum opera & moleſtia arantis confertur. adde Luc. XI, 11. *lapidem pro pane, pro piſce ſerpentem dare.* & 1. Cor. IX, 9. *bovi trituranti* (ſymb. doctorum Evangelii) *os non obligabis.* Denique huc pertinet phraſis 2. Petr. II, 21. ex Proverb. XXVI, 10. de *cane reverſo ad vomitum*, qui hypocritam depingit, uti & quæ additur, *ſus lota ad volutabrum cœni reverſa.*

b) Quia Salvator υἱὸν ἀνθρώπȣ opponit *τοῖς vulpibus* & *avibus*, adeoque ſe vocans *filium hominis*, ex oppoſitione per *vulpes* & *aves* Doctores Judæorum, quorum aſſecla hic Scriba cui reſpondebat, erat, intelligere apte poterat. Præcipue quum Salvator ſciret & hunc Scribam cum *aſtutia* ſingulari inſtar *vulpis* ipſum aggredi, & cor ipſius faſtu tumere alto, inſtar *volucris* cœli, nubibus involantis; quare hoc duplex hieroglyphicon adhibet, ut convincat hunc Scribam, illum non poſſe ſequi Salvatorem, quia *aſtutia* cordis & *faſtus* animi in ſequela ipſius erat deponendus, quo ipſe adhuc turgebat, & quem abnegare nondum didicerat.

c) Inſuper id confirmatur ex more veterum, qui & *proverbia de vulpe*, myſtico & allegorico ſenſu explicare & intelligere ſolebant. Salvator ipſe Herodem in genere hoc nomine inſignit Luc. XIII, 32. εἴπατε τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ, *Dicite vulpi illi.* Unde *Adag.* ὦ πλεῖον ἵλεως αἱμύλης ἀλώπεκος. *Pellace quanto eſt blandior vulpecula!* de homine qui commodi ſui cauſa ſimulat benevolentiam. Et PLATO *Lib. II. de Repub.* Ἀρχιλόχȣ ἀλώπεκα ἑλκτέον ἐξοπιάζειν. *Archilochi vulpem a tergo trahere*, eodem ſenſu dicit. vid. ERASM. *Adag. Chil. IV. cent. II. p. m.* 704. unde & illud: γέρων ἀλώπηξ ȣ̓χ ἁλίσκεται πάγῃ. *Senex vulpes haud capitur laqueo*, de homine callido & multa experientia edocto. Nec non apud SUIDAM: ἀλώπηξ ȣ̓ δωροδοκεῖται. *Vulpes non corrumpitur muneribus*, de callido homine

blanditias alicujus non curante. Uti & *ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα. Vulpinari cum vulpe*, i. e. cum callido callide agere. Denique quod PLUTARCH. *in vita Lyſandri* memorat: *ἂν ἡ λεοντῆ μὴ ἐφικνεῖται, τὴν ἀλωπεκὴν πρόσαψον. Si leonina pellis non ſatis eſt, vulpina addenda*, i. e. ſi *potentia* & vires non ſufficiunt, *aſtutia* jungenda eſt.

II. Ex his jam ultro liquet per *vulpes* & *aves* cœli *homines* intelligi *aſtutos* & *faſtu* tumidos. VULPIUM emblema, hoc quoque ſenſu ſæpius in ſcriptis ſacris & profanis adhibetur. Eſtque Hieroglyphicon

1. *Regum* ac *perſecutorum* Eccleſiæ *politicorum*. Teſtis eſt Salvator, qui regem Herodem expreſſis verbis vocat ΑΛΩΠΕΚΑ VULPEM, Luc. XIII, 32. Hoſtes quoque Judæos devaſtaturi ſub hoc emblemate depinguntur, quando illi portio vel *praeda VULPIUM* futuri dicuntur, Pſ. LXIII, 11. & Thren. V, 18. deſolata urbs, *in qua vulpes obambulant*, vocatur Hieroſolyma. Huc refer loca illa omnia, in quibus hoſtes Eccleſiæ vel Judaicæ vel Chriſtianæ ſub ſymb. *ferarum* deſcribuntur. Hoc ſenſu etiam *feræ agreſtes* Meſſiæ ſubjiciendæ erant, i. e. omnes Reges gentium, Pſ. VIII, 8. conf. Jeſ. XXX, 6. Hoſ. II, 18. Similiter Rex Agamemnon apud HOM. *Iliad. Lib. I. κερδαλεόφρων vulpina mente præditus* dicitur. Pompejus quoque *ἀλώπεκος μᾶλλον ἢ λέοντος* potius *vulpi quam leoni aſſimilandus* dicitur, apud PLUTARCH. *in vita ejus.* unde & PERSIUS *Satyr. V.*

Aſtutum vapido ſervans ſub pectore vulpem.

et Nauplius cognatus Ulyſſis vulpes audit apud LYCOPHR. *de Naupl. v. 344.*

Τῆς Σισυφείας δ' ἀγκύλης λαμπουρίδος
Λάμψει κακὸν φρυκτωρὸν αὐτανέψιος.
Cognatus Siſyphiæ verſutæ vulpis
Malam accendet tædam.

Huc pertinet quoque adagium Hebræorum: תעלא בעדניה סגיד ליה *Vulpes eſt, in tempore ſuo procumbe coram ipſo.* vide hoc explicantem

tem BUXTORF. *Lex. p. 268.* & *milites* cum iis comparantur ap. ARISTOPH. in *ἱππ. Act. II. ſc. 2.*

Ἀλωπεκίοισι τοὺς ϛρατιώτας ἤκασεν.

Vulpeculis Deus aſſimilavit milites.

2. *Pſeudo-doctores*, qui hypocriſi ſua lethalia Eccleſiæ vulnera ſæpe infligunt, ſub eodem ſymb. depinguntur, Cant. II, 15. *Capite VULPECULAS, qui vineam corrumpunt*, per quas Pſeudoprophetas intelligi, plurimi Interpretes h. l. obſervant. Imo clare Ezech. XIII, 4. כשעלים בחרבות נביאיך ישראל *Sicut VULPES in deſertis, ita tui o Iſraël PROPHETÆ.* Huc quoque referri poſſet locus 1. Cor. XV, 32. ubi Apoſtolus ſe *cum beſtiis pugnaſſe* teſtatur, quod, ſi allegoricam admittas interpretationem, de Pſeudo-Apoſtolis & falſis doctoribus, cum quibus toties doctrinæ certamen decertaverat & ſuperior evaſerat Apoſtolus, optime explicari poterit. Huc refer Judæorum dictum in פרקי אבות Cap. IV. הוי זנב לאריות ואל תהי ראש לשועלים *Eſto cauda leonum, nec ſis caput VULPIUM*, i. e. ut explicant: præſtat eſſe diſcipulum præcellentium doctorum, quam doctorem vilium diſcipulorum. LUCIAN. *reviviſc.* de Philoſophaſtris ait: *Inuratur frons eorum, ὁ δὲ τοῦ καυτῆρος τύπος ἀλώπηξ ἔϛω. ſed effigies ſtigmatis ipſorum ſit VULPES.* & huc pertinet illud HORATII *de arte poëtica.*

Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.

Conf. de emblemate hujus vulpis præter commentatores in Luc. XIII. Cel. WOLF. in *h. l.* & quos ille citat. adde PRICÆI *annot. ad Luc. Cap. XIII.* in *Bibl. crit. p. 8633.* PIERII *Hieroglyph. L. XIII. cap. 14. p. m. 130.* *Gilb.* COGNATI *adag. cent. I. ad. 88. nec non VIII. 722.* uti & SIMONID. *ſententiæ Baſ. 1572. p. m. 205.*

III. Ex ſupra jam dictis & ſcopo Salvatoris abunde liquet, illum per *vulpes in luſtris* & *volucres in nidis ſuis Phariſæos* atque ſcribas, Pſeudo-doctores intelligere, qui carnalibus prærogativis, admodum præcellentibus, gaudebant inter Judæos; & elegantiſſima inter hos & *vulpes* analogia eſt.

1. In genere obſervamus, *vulpem* eſſe animal *ferum*, & ex lege V. T. cerimoniali *impurum*. Quare de שועלים בחרבות *vulpibus*

 in

in locis deſertis Ezech. XIII, 4. meminit vates; & Thren. V, 18. in *deſertis civitatibus* obambulare dicuntur vulpes. Ita ÆLIAN. *L. IV. cap. 26.* ἐπὶ τὰς ἀλώπεκας τὰς ἀγρίας, καὶ ἐπὶ τοὺς ὀρείους λαγὼς μεθιᾶσιν: *in montanos lepores, & in vulpes agreſtes ſeu feras immittunt.* Et quoniam animal eſt ſolivagum ἀλώπεκα ἀπὸ τοῦ ἀλᾶσθαι ab *errando* & *divagando* dictam volunt. Et non niſi in ſumma victus penuria in agris & circa urbes apparent; quod ſi accidit, mirum quoddam videtur, quare ÆLIAN. *hiſt. L. XVII. cap.* 17. teſtatur, Amyntam ſcribere vulpium Caſpiarum tantam fuiſſe copiam & miram multitudinem ὡς καὶ ἐπιφοιτᾶν οὐ μόνον τοῖς αὐλίοις τοῖς μετὰ τοὺς ἀγρούς. ἤδηγε μὴν ἐς τὰς πόλεις παριέναι, καὶ ἐν οἰκίᾳ ἀλώπηξ φανεῖται. *Ut non ſolum agreſtia ſtabula adeant, ſed urbes quoque ingrediantur, ita ut in ædibus vulpes conſpiciantur.* Hinc OPPIAN. κυνηγ. γ. *v.* 449.

Ναὶ μὴν αἰολόβουλος ἐπ ἀγραύλοισι μάλιστα
Θηρσὶ πέλει κερδώ.
Sane aſtuta inter agreſtes maxime feras eſt vulpes.

Impura autem eſſe animalia ex criteriis Lev. XI, 2. 3. datis liquet, præcipue quum ranis, cadaveribus, muſcis &c. veſcantur, & inter animalia *rapacia* pertineant, quæ quoque ab ara Jehovæ prohibebantur.

Hoc convenit Phariſæis hypocritis, qui *feris agri beſtiis* & *impuris* ſimiles erant. Naturam *efferam* retinuerant, nunquam per Dei Spiritum renovati; licet externa pietatis ſpecie ſe commendarent, nihilominus cor naturale, i. e. corruptum a Deo & vita ſpirituali alienum fovebant. Hoc eſt, quod Jeſ. XXIX, 13. dicitur: *appropinquant ad Deum ore ſuo, & honorant ipſum labiis ſuis, cor autem ipſorum alienum & procul a Deo eſt.* coll. Matth. XV, 7. 8. quod Phariſæis applicat Salvator. Solivagorum inſtar animalium in deſerto hujus mundi vagantur, mente & deſideriis a cœleſti civitate remotis. Cor ipſorum *impurum* eſt, nunquam per Spiritum Dei *a ſorde* naturali *ablutum*, & tamen mundi ſibi videntur in oculis ſuis hi hypocritæ, Prov. XXX, 12. quare egregie eos deſcribit Salvator, Matth. XXIII, 27. 28. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ! qui ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ externa cum ſpecie apparent, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, omnique immun-*

immunditia. Ita & vos extra quidem apparetis coram hominibus tanquam juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. Quare Judas Apoſtolus deſcribit falſos doctores tanquam *undas maris efferatas, deſputantes ſua ipſorum dedecora*, & incedentes in cupiditatibus ſuis impuris, Jud. v. 13. 16.

IV. 2. In vulpe quoque obſervamus *viſus* & *olfactus* acumen, quo animal hoc præcipue præditum eſt. De *viſu* conſtat, illas oculis pollere lucidis præcipue noctu, *canibus* quibusdam & *felibus* ſimiles, quare λαμπουρίδες dicuntur. unde HESYCH. λαμπουρὶς ἀλώπηξ. et PLINIUS *L. XI. cap. XXVIII.* dicit: *Lucent ignium modo noctu, laterum & clunium modo, lampurides.* Quod plerique Phyſiologi de cauda albicante earum interpretantur, aut cum *Bocharto* ad vulpium Simſonis caudas, tædas ferentes, reſpici cenſent. Sed niſi admodum fallor, ad *oculos* ejus *igneos* forte referri ſimul poſſet, adeoque *noctilucas* etiam hoc reſpectu dici poſſe. Et *Scholiaſtes Theocriti Bucoliaſtis* ſcribit: ὁ κύων καλεῖται λάμπουρος, ἐπειδὴ κύνες εἰσὶν ἀλώπηξιν ὅμοιοι. λαμπουρὶς γὰρ ἡ ἀλώπηξ, *Canis vocatur Lampuris, quia canes ſunt vulpibus ſimiles, Lampuris enim eſt vulpes. Olfactus* etiam inſignis ipſis tribuitur ab ARISTOTELE *L. V. cap. 19.* aves, pullos, gallinas & lepores odore expiſcantur, unde ÆLIAN. *hiſt. anim. L XIII. cap. 11.* ὅταν γοῦν νύκτωρ εἰς ἴχνος ἐμπέσῃ τοῦ λαγὼ καὶ αἰσθηταί τοῦ θηρίου, σιγῆτε ἐπιβαίνει, *Quum igitur noctu in leporis veſtigium inciderit vulpes, & ſenſum ex eo perceperit, tacite & pedetentim illum inſequitur.* et veſtigia quoque venatorum imo canum olfactu dignoſcere ſciunt, quas vitant, & adventantes fugiunt. Quare OPPIAN. *L. IV. Venatic. in fine v. 444. &c.*

> Κερδὼ δ᾽ οὔτε λόχοισιν ἁλώσιμος, οὐδὲ βρόχοισιν,
> Οὔτε λίνοις. δεινὴ γὰρ ἐπιφροσύνῃσι νοῆσαι.
> *Vulpes neque inſidiis* (a venatore) *capi poteſt, neque laqueis,*
> *neque retibus; nam aſtu valet, ad omnia animadvertenda.*

Tales quoque Phariſæi erant atque Pſeudo-Apoſtoli, præcipue quando cum Chriſto vel Apoſtolis in congreſſum deſcenderant. Omnia ela convictionis de veritate Evangelii corde indurato declinabant & re-

tia

tia ad captandas earum animas aſtutia ſua perverſa irrita reddebant. Expertus illud eſt Salvator in divite illo Phariſæo, qui propius ad Chriſtum accedens, ab illo ceu Doctore inſtrui cupiebat, & qui in omnibus conſilio ejus acquieſcebat; ſed quum Chriſtus ultimum quaſi rete convictionis injicere ſtudebat, triſtis abibat & ſectabatur voluptates & divitias ſuas, Matth. XIX, 16. -- 22. Expertus quoque eſt Paulus, quum Philoſophos Athenienſes in rete ſuum trahere ſtuderet, alliciebat eos ad forum usque, auſcultabantur ei, ſed tandem ſannis & riſu eum excipientes ſe extricabant, Act. XVII, 19. 20. 32. *Oculi* Pſeudo-doctorum malitia pleni ſunt, & voluptates carnis, illisque fruendi media perpetuo ſectantur. Egregie in hanc rem eos deſcribit Petrus 2. Ep. II, 12. *Illi velut animantia rationis expertia, naturali impetu feruntur.* & v. 10. *Carnem ſecuti in cupiditatibus immundis incedunt, & dominatum contemnunt, audaces & pertinaciter ſibi placentes.* nec non v. 14. *Oculos habentes plenos adulterii, & a peccando ceſſare neſcii, cor habentes ad avaritiam exercitatum.*

V. 3. *Pelli* ſpecioſa atque *cauda* inſigni externe decora præditum eſt hoc animal. *Cauda* eſt *oblonga*, unde Simſon trecentas vulpes capiens יפן זנב אל זנב *obvertit*, vel ligavit *caudam caudæ*, Judic. XV, 4. Quod Syrus itidem vertit: ܘܐܣܪ ܒܕܘܢܒܝܗܘܢ ܠܬܪܝܢ ܠܬܥܠܝܢ ܐܟܚܕܐ & *caudis ſuis duos vulpes ſimul ligavit.* Quare & THEOCRIT. *Idyll.* ε. δασυκέρκυς vocat:

Μισέω τὰς δασυκέρκυς ἀλώπεκας
Odio habeo vulpes villoſam caudam habentes.

ÆLIAN. *hiſt. anim. L. IV. Cap. 39. p. m. 228.* Καθιᾶσι δὲ τὴν ὀυρὰν δασυλάτην τε ὖσαν καὶ μηκίστην τὴν αὐλὴν, καὶ διασείουσι τὰς σφῆκας. *Immiſſa autem cauda, quæ hirſuta eſt maxime & bene prolixa in cellas veſparum, eas concutit vulpes. Vulpina pellis* quoque memoratur inſignis, unde illa pro tota vulpe, eiusque aſtutia ſumitur. Uti Arabs *Alcam.* apud BOCH. *Hieroz. I. p. 859.* هم في مسوك الثعالب اي مكرورون *Hi ſunt in pellibus vulpium i. e. pravi, ſceleſti.* Huc quoque refer Lyſandri adagium, quod ſupra jam citavimus: ὅπου

μὴ

μὴ ἐφικνεῖται ἡ λεοντῆ, προσαπτέον εἶναι τὴν ἀλωπεκῆν, *ubi leonina non ſufficit, vulpina pellis eſt aſſuenda.* Præcipue in ſenectute *pilos* mutare vulpes docent phyſici, quare vox Veſpaſiani erat: *Vulpem pilum mutare, non mores,* apud SUETON. in *Veſpaſ. Cap. XVI. p. m.* 750. et ERASMUS in *Adag. Vulpes pilum non mentem mutat.* Et præcipue *rufi coloris* pelle gaudent, ut ARISTOTEL. *Phyſiogn. C. VI.* *Οἱ πυῤῥοὶ ἄγαν πανοῦργοι, ἀναφέρεται ἐπὶ τὰς ἀλώπεκας· Rufi ſunt valde callidi, quod refertur ad vulpes.*

Pingit hoc egregie *externam* ſanctitatis *ſpeciem*, quam præ ſe ferunt pſeudo-doctores. Simili ſub emblemate hanc depingit Salvator Matth. VII, 15. *Cavete vobis*, inquit, *a pſeudo-prophetis, qui accedunt vos pellibus ovium induti, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces.* Tales erant Phariſæi & Scribæ, qui externo ſanctitatis & obſervationis dogmatum legis zelo ſe coram populo conſpicuos reddebant, quos eapropter Salvator *τάφοις κεκονιαμένοις ſepulchris dealbatis* externe ſpecioſis comparat. Qui ingentem bonorum operum catalogum pertexebant, idque ut *ſpectarentur ab hominibus*, Matth. XXIII, 5. Veſtes oblongas latisque fimbriis inſtructas gerebant, phylacteriis latiſſimis ſe exornabant, igneo proſelytos conſtituendi zelo quaſi flagrabant, prolixas in plateis & angulis viarum preces recitabant, largasque diſtribuebant eleemoſynas, ut Matth. XXIII. cap. docet Salvator. Quare Apoſtolus pſeudo-doctores deſcribit tanquam ſui amantes potius quam Dei, formam pietatis habentes, ſed vim ejus abnegantes, 2. Tim. III, 5. Cauda ſua blandiri ſolet vulpes, dolum malum ſub pectore tegens. Ita pſeudo-Apoſtolos deſcribit Paulus *operarios doloſos*, qui transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti & miniſtros juſtitiæ, 2. Cor. XI, 12. 13. blanditiis homines obruunt, 1. Theſſ. II, 5. & hac ratione credulos decipiunt atque ſeducunt a veritate, Tit. I, 10.

VI. 4. *Vocem* ſuam vulpeculæ variis modis flectere ſciunt, mox canem mox lupum imitantes, *gannire* autem vel *rugire* dicuntur. POLLUX *onomaſt. L. V. cap. XIV.* *Ἰστέον δὲ ὅτι ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀγρίων, ἐφ' ὧν ἴδιον οὐκ ἔστιν ὄνομα τῆς φωνῆς ἄρκτου, παρδάλεως καὶ πάνθηρος καὶ ἐπὶ τῶν τοιούτων βρυχᾶσθαι λέγουσιν. Ἐπὶ δὲ τῶν μικροτέρων, ἀλω-*

Tt *πέκων*

πέκων καὶ θωῶν καὶ λύκων, τὸ ὑλακτεῖν καὶ ὠρύεσθαι. Notandum porro, quod de aliis brutis, de quorum voce propria nomina non exſtant, de urſo, pardalo, panthera & aliis rugire dicant. De minoribus vero, ut vulpibus, thois & lupis, latrare & rugire. Quare & *Joh.* SPERLING. *in Zoolog. Phyſica* ſcribit: *Voces aliorum animalium vulpes imitantur, & latrant cum canibus, ululant cum lupis, murmurant cum urſis. Propria autem eorum vox gannitus eſt, p. m. 242.* OLAUS quoque *Lib. XVIII. C. 13.* apud CAUSSIN. *de ſymb. Ægypt. ſap. L. VIII. C. CXVIII.* refert: *Vulpes, ſi quando inciderint in canes, & nullum ſibi viderint effugii locum, ſimulato latratu canem effingere, ut imminens mentita voce declinent periculum.*

Optime hoc quadrat in pſeudo-prophetas & Phariſæos, utpote qui non ſolum *canes muti* ſunt & pingues, Jeſ. LVI, 10. 11. ſed & *doloſis linguis* utuntur. Sunt prophetæ illi, qui falſa docent, Jeſ. IX, 15. qui ſcelerata ineunt conſilia ad perdendum humiles ſermonibus falſitatis, Jeſ. XXXII, 7. quorum labia loquuntur falſum, et lingua perverſitatem profert, Jer. V, 31. XIV, 14. XXVII, 10. Hos deſcribit Apoſtolus 2. Pet. II, 2. 3. *qui per avaritiam fictis ſermonibus vos negotiabuntur, & per quos via veritatis blaſphematur.* Contra illos inſurgit Apoſtolus Eph. IV, 14. admonens credentes: *Ne ſimus amplius pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis doctrinæ vento, in hominum alea, per veteratoriam ad artificioſe fallendum verſutiam,* ut vertit Tremellius. Eosdem Tit. I, 10. *vaniloquos* vocat doctores; *canes* et *malos operarios* Phil. III, 2. qui ululant cum lupis, cum quibus eſſe cupiunt, ut in proverbio dicimus; cum ſanctis ſancta miſcere ſciunt colloquia, cum irriſoribus verbi divini & atheis omnia quæ divina ſunt, ſannis excipiunt, & ad inſtar Satanæ ſe in angelos lucis transformantes, miniſtros juſtitiæ & veritatis mentiuntur. Quare per hypocriſin falſiloquos & mendaces eos deſcribit ſcriptura 1. Timoth. IV, 2. Apocal. II, 2. qui per blandiloquia & aſſentationes corda credulorum ſeducunt, Rom. XVI, 18.

VII. 5. *Pedibus* vulpes eſt *celerrima*, ſed *greſſu* ob aſtutiam utitur *obliquo* & ambiguo, ne facile veſtigia ejus agnoſcantur. Huc reſpicit R. SALOMO in *Gloſſa ad Sota Gemar. C. I. §. 23.* כשצרין שועל

שועל אינו לברוח אלא חוזר עקלקלות *Cum vulpem venantur, non conjicit ſe in fugam, ſed reverſa per anfractus elabendi rimas quærit.* Recte ſcribit ISIDORUS *Orig. Lib. XII. cap. 2. Vulpes dicta quaſi volupes. Eſt enim volubilis pedibus, & nunquam rectis itineribus, ſed tortuoſis anfractibus currit.* quare ÆLIAN. *hiſt. animal. Lib. XIII. cap. XI. p. 765.* Καὶ θεῖ καὶ ὁ μὲν, ἀνύει τὸν δρόμον, καὶ μάλα ὠκέως. Ἡ δὲ ἀλώπηξ καὶ αὐτὴ κατ' ἴχνος ἐςι καὶ τȣ̃ δρόμȣ ἔχεται. *Properans* (lepus) *fugam capere & curſum ad ſummam celeritatem facit. Vulpes item veſtigiis eum inſequens ingreditur currere.* Unde Arab. راغ explicat ALCAMUS apud *Bochart. l. c.* راغ الرجل والثعلب مال وحاد عن الشي *Raga de homine aut vulpe dicitur, declinavit & deflexit a re.* & in *proverbiis* DAMIRIS Arabis legimus: اروغ من الثعلب يضرب لمن لا يقيم على حالة *Aruago i. e. obliquior vulpe de eo dicitur, qui in ſtatu ſuo non permanet.* nec non aliud ex Lexico Alcamus apud eundem: وبر الثعلب مشي في الحزونة ليخفي اثره Senſus eſt, *vulpem*, cum datur optio, *potius incedere per ſalebroſam terram, ut occultet veſtigia ſua.* Quare & KIMCHI *ad Jud. XV.* יבוא שועל שחוזר לאחוריו ויפרע מפלשתים שחזרו בשבועתם *Ibit vulpes, quæ* oblique incedit, *& pœnas ſumet de Philiſtæis, qui retroceſſerunt in juramento ſuo.*

Similes hac in re vulpibus ſunt Pſeudo-doctores & Phariſæi, quos præcipue tanquam *celeres vulpes* deſcribit Salvator Matth. XXIII, 15. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui circumcurritis mare & terram peragratis, ut faciatis unum proſelytum; & quum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis, quam vos eſtis.* Deſcribit eos Petrus, qui derelicta via recta juſtitiæ aberrarunt, ſecuti viam Balaam filii Boſor, qui amavit mercedem injuſtitiæ, 2. Petr. II, 15. Hi ſunt ambulantes in viis obliquis, quos Jehova deturbabit, Pſ. CXXV, 5.

Calliditate ſua machinas & vias cordis ſui ſemper tegere ſtudent, ſinceritate chriſtiana & ſimplicitate vera, quæ in Chriſto eſt, deſtituti, ſed cor habentes invium & a veritatis tramite alienum, Jeſ. XXIX, 13. His emphatice ſe opponit Apoſtolus vulpibus 2. Cor. IV, 2. *Sed renunciavimus pudendis* latebris, *non cum* calliditate ambulantes, *neque* falſantes *verbum Dei*, *ſed declaratione veritatis commendantes nos ipſos omni conſcientiæ hominum in* conſpectu *Dei.* Et quando per veros doctores vi veritatis conſcientiam conſtrictam ſentiunt, vulpium inſtar obliquis utuntur greſſibus & lucem fugiunt.

VIII. 6. De *vulpe* docent Phyſiologi, animal illam eſſe maxime *fœtidum*, quare & excrementa ſua ejiciens a canibus incitatus & in anguſtias redactus, *fœtore* ſuo peſſimo oculos verberat atque impatientes eos repellit. Quare MARTIAL. *Lib. X. ep. 37. olidam* vocat:

Hic olidam *clamoſus aget in retia* vulpem,
Mordebitque tuos ſordida præda canes.

Huc reſpicit *idem Lib. IV. ep. 4.*

Quod vulpis fuga, viperæ cubile,
Malles, quam quod oles, olere Baſſa.

Ubi RAMIREZ DE PRADO in Comment. *ad fugam vulpis: Per metonymiam dixit* fugam *pro ſtercore projecto a vulpe in fuga. Notiſſimum enim eſt vulpem, cum a canibus urgetur, excrementa a ſe projicere fœtida, adeo ut fœtore canes a ſe avertat.* et GESNERUS ex *Iſidoro* docet, taxam ſeu melen ex latebra ſua fœtore vulpis pelli, quæ eam proinde occupet. conf. etiam RHODIG. *Lect. antiq. Lib. XIX. cap. 1. p. m. 1047.* BOCHART. *Hieroz. Lib. III. c. 13. p. 852.* nec non C. M. de VEIL *in Matth. VIII. p. 104.* SPERLING. *Zoolog. cap. XX. p. 240.*

Pſeudo-doctores & præprimis Phariſæi *fœtidæ* quoque *vulpes* erant, qui excrementis dogmatum humanorum oculos verorum doctorum obnubilare vimque veritatis repellere ſtudebant. Fœtore *φιλαυτίας*, voluptatum carnalium, tot externorum operum vera fide deſtitutorum, nares Dei quaſi perſtringebant fœtore, qualem peccata Sodomæ

mæ excitabant Gen. XVIII, 20. Ex corrupto cordis antro prodibant *cogitationes malæ, cædes, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, convicia, quæ polluunt hominem,* Matth. XV, 19. 20. Qui fœtidis ſuis dogmatibus ex humano cerebro depromtis, legem & veritatem Dei deformabant & irritam reddebant, ut Matth. V. et XXIII. cap. Salvator illis exprobrat. Apoſtolus Judas Ep. v. 10. deſcribit illos, *qui vituperarent quæ non noverunt, & quæ naturaliter ut animantia rationis expertia, ſciunt, in iis ſe corrumpunt.* et Petrus 2. Ep. II, 14. *qui ineſcant animas inſtabiles, cor habentes ad avaritiam exercitatum, execrandi homines.* Ea etiam harum vulpium calliditas erat, ut quando a Chriſto vel Apoſtolis ſuis vi veritatis fugarentur ex Eccleſiis, *excrementis convitiorum*, calumniarum et detrectationum illos obruebant, quemadmodum Phariſæi Chriſtum apud populum depingebant *edacem* et *vini potorem, amicum publicanorum* et peccatorum Matth. XI, 19. imo qui diabolum haberet, Joh. VIII, 48. Idem experti ſunt Apoſtoli ejus, qui decipere et ſeducere populum toties dicebantur a Judæis. Et Paulus in ſpecie contra calumnias Pſeudo-doctorum ſe egregie defendit 1. Cor. IV, 1--6. 2. Cor. XI, 5--15. etc.

IX. 7. *Aſtutia* atque *calliditate* plane ſingulari inter reliqua animantia prædita eſt vulpes, cujus varia apud Phyſiologos proſtant ſpecimina. In genere ſcribit ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. I. cap. V.* Ἡ ἀλώπηξ, οὐ μόνον τὸ χερσαῖον θηρίον δολερὸν ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ ἡ θαλαττία πανοῦργος ἐστιν. *Vulpes non ſolum illa terreſtris beſtia calliditate pollet, ſed etiam marina verſutiis plena eſt.* et in *hiſt. animal. Lib. IV. cap. 39. p. m. 228.* Αἱ δὲ ἀλώπεκες ὑπερβολὴν προήκουσι κακουργίας καὶ τρόπου δολεροῦ. *Vulpes in exuperantiam infinitæ tum malitiæ, tum fraudis progreditur, nihil ut non malitioſe & doloſe agat.* conf. *Lib. VI. cap. 63.* quare vulpes OPPIANO κυνηγ. γ. dicitur αἰολόβουλος *conſilia varians v. 449.*

Ναὶ μὴν αἰολόβουλος ἐπ᾽ ἀγραύλοισι μάλιστα
Θησὶ πέλει κερδὼ, μάλ᾽ ἀρήιος ἐν πραπίδεσσι.
Certe quidem inter beſtias agreſtes vulpes maxime eſt callida
& obliqui conſilii, atque martia in pectoribus.

Tt 3 nec

nec non in *ἁλιευτικ. β. v. 108.*

Τοῖα γὰρ ἀγκυλόμητιν ἐπέκλυον ἐντύνασθαι
Κερδώ
Talia etiam callidam audivi inſtruere vulpem.

ASTRAMPSYCH. *in oneirocr. p. 5.*

Κερδοῖ συνὼν τὴν κερδοσύνην προσδόκα.
Cum vulpe ſi verſeris, aſtutiam aſpecta.

Conf. etiam MEURS. *Miſcell. Lacon. L. III. c. 2.* RHODIGIN. *Lect. antiq. p. m. 1048.* Varia aſtutiæ ipſius ſpecimina memorantur; præter ea quæ paſſim jam exhibuimus ſupra, etiam ſequentia ſunt, quod caſſibus & *retibus capta*, illas rodat atque ita effugiat, ut infra docebimus; *echinos* urina emiſſa *ſuffocet; canum* nates dilaniet, quum ipſam prehenſam teneant; *mortuam* ſeſe *ſimulet* quando eſurit, & aves advolantes tanquam ad cadaver, devoret; amicitiam cum *ſerpente* colit & cum *corvis;* imo proxime *leonis* antrum ſe abſcondit, ut prædæ ejus parte potiatur. Vide BOCHART. GESNER. ÆLIAN. ARISTOTELEM, alios, uti & FRANZ. *hiſt. animal. part. II. cap. 17.*

Tales quoque pſeudo-doctores eſſe vulpes, facile perſuadebimur. Illis Cretenſium laus ſordida competit:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.
Cretes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres otioſi.

Ubi ſine dubio per κακὰ θηρία *vulpes* intelligit poëta, Tit. I, 12. *Dolus* enim, fraus & aſtutia eſt centrum & cardo totius actionis hypocritarum. Tales Phariſæi, qui omnes machinas jungebant cum ſcribis, ut Jeſum doloſe vel caperent vel coram populo proſtituerent, ut legimus Matth. XXVI, 4. Marc. XIV, 1. Luc. XX, 23. Talis erat Simon Magus Act. VIII, 20. 21. et Elymas, quem alloquitur Paulus Act. XIII, 10. *O plene omni dolo, & ad quodvis ſcelus exercitate, fili diaboli, hoſtis omnis juſtitiæ, qui non ceſſas pervertere vias Domini juſtas.* Eosdem depingit Apoſtolus Rom. I, 29. *plenos omni injuſtitia, malitia, fornicatione, impietate, avaritia, invidia, cæde, contentione, fraude atque malignitate.* His ſe opponit Apoſtolus & ſinceritatem ſuam tanquam veri Apoſtoli demonſtrat *1. Theſſ. II, 3. 4. Exhortatio noſtra non ex impoſtura nec impuritate nec cum dolo fuit, ſed ſicut probati fuimus a Deo,*

Deo, ita loquimur, non ut hominibus placentes, ſed Deo, exploranti corda noſtra. et 2. Cor. IV. *non cum calliditate ambulantes & falſiloquiis,* ſed omni conſcientiæ ſe approbantes. Hi vulpium inſtar improvidas animas ceu prædam, *doctrina* & erroribus peſtiferis *enecant,* doctores veritatis a tergo *calumniis proſcindunt, ſimplices* ſe *ſimulant* ut alios in caſſes ſuas trahant, amicitiam cum *diabolo tenebrarum* principe & cum *ſpiritibus impuris* colunt; *leonis* e tribu Juda veſtigia legere ideo ſolummodo ſtudent, ut inde *voluptatibus* ſuis pabulum quærant; & quæ plura ad *vulpinam* eorum naturam referri poſſent.

X. 8. *Inſidias* vulpes ſtruit *avibus, columbis, gallinis, pullis, leporibus* etiam aliisque animalibus, imo ipſis *cadaveribus* veſcitur tanquam animal *rapax.* Huc reſpicit OVID. *L. IV. Faſtor.*

Is capit extremi vulpem in convalle ſalicti,
Abſtulerat multas illa cohortis aves.

et OPPIAN. *κυνηγ. γ. v. 459.*

Δὴ τότε καὶ περὶ θῆρα πικρὴν ἐπὶ μῆτιν ὑφαίνει,
Οἰωνούς τε δόλοισιν ἑλεῖν, καὶ τέκνα λαγωῶν.
Tunc ſane etiam in feram amaram verſutiam texit
Avesque dolis capit & catulos leporum.

conf. *eund. ἁλιευτικ. β. v. 108. ſq.* Piſces quoque capit, ÆLIAN. *hiſt. animal. L. VI. C. 24. Τὰ σμικρὰ δὲ ἰχθύδια θηρῶσε πάνυ σοφῶς παρὰ τὴν ὄχθυν τὴν τοῦ ποταμοῦ ἔρχονται. Tum vero ſecundum fluviorum ripas gradiens, parvulos piſciculos callide exceptat.* et *L. XIII. C. XI.* ſcribit: *Αἱροῦνται δὲ οἱ λαγῷ ὑπὸ ἀλωπέκων ἐνίοτε οὐχ ἧττον δρόμῳ, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον τέχνῃ* etc. *Lepores interdum a vulpibus non tantum curſu, ſed etiam magis aſtu capiuntur.* Huc quoque reſpicit Hebræorum adagium, qod legimus in *Aruch.* מימי לא ראיתי ארי סבל ושועל חנוני *Per dies vitæ meæ nunquam vidi leonem bajulum aut vulpem mercatorem.* vide & *Kidduſch. fol. 82. col. 2.* quoniam hæc animalia e rapinis vivunt. *Cadaveribus* vulpes veſci docemur ex Pſ. LXIII, 11. מנת שועלים יהיו *portio vulpium erunt,* ubi addit rationem *Kimchi* שאוכלים החללים *quia comedunt confoſſos.* et Arabs recte vertit: والثعالب طعاما يكونون *Et vulpibus*

bus erunt pro cibo. PAUSANIAS quoque *L. IV. in Meſſenic. p. m. 251.* Τρίτῃ δὲ ὕστερον ἡμέρᾳ, ψόφου τε αἰσθέσθαι, καὶ ἐκκαλυψάμενος (ἐδύνατο δὲ ἤδη διὰ τοῦ σκότους διορᾶν) ἀλώπεκα εἶδεν ἁπτομένην τῶν νεκρῶν. *Triduum erat ibi jam commoratus, cum audito ſtrepitu quodam, retecta facie, per ſubluſtres tenebras vulpem vidit cadavera appetentem.* Adde quæ BOCHARTUS adducit *L. III. C. XIII. p. m. 851.*

Et quis neſcit pſeudo-prophetas perpetuo veris Dei confeſſoribus inſidias ſtruxiſſe, qui in ſcriptis ſacris columbis Cant. II, 14. Matth. X, 16. avibus & aquilis Jeſ. XL, 11. Pſ. CIII, 5. gallinæ & pullis Matth. XXIII, 37. comparantur. Huc reſpicitur Pſ. LXXIV, 19. *Ne tradas vitam turturis beſtiæ illi,* ſc. ad illam deglutiendam. Quis neſcit omnibus ſeculis pſeudo-prophetas, horrendas in credentes perſecutiones excitaſſe? proſtant exempla Jeſabelis & Achabi per ſacerdotes Baalis excitatorum, qui flamma & gladiis in veros Dei ſacerdotes & confeſſores ſæviere 1. Reg. XIX. Exempla horrenda perſecutionis in libb. Maccabæorum legimus. In actis Apoſtolorum ſub N. T. ſimilia deprehendes. In ſeculis ſequentibus horrenda perſecutionis theatra, per hæreticos præcipue Arianos & alios excitatæ, aperient hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores. Quare cum *lupis rapacibus* Matth. VII, 15. *lupis horrendis,* Act. XX, 29. cum *beſtiis feris* 1. Cor. XV, 32. comparantur. *Cadaveribus* veſcuntur, i. e. non ſolum delectantur morte & ſanguine confeſſorum veritatis, uti Saulus de ſe teſtatur Act. XXII, 20. & Antichriſtus pſeudo-propheta ſanguine martyrum ebrius quaſi eſt, conf. Apoc. XVIII. ult. & Cap. XIX, 2. ſed & cupiditatibus & concupiſcentiis tanquam mortuorum operibus delectantur, 2. Pet. II, 14.

XI. 9. *Uſus* vulpium nec in cibis nec in civilibus ullus eſt, ſed *cadaver avibus* cœli aliquando projiciuntur. Quare GALENUS ait: *Canum & vulpium carnem nunquam guſtavi, nec ſane guſtare unquam fui adactus, neque in Aſia, neque in Græcia, neque in Italia.* Præcipue autem lupis infenſis præda exiſtunt, ut ÆLIAN. *hiſt. animal. L. I. C. 36.* docet. Ab avibus quoque rapacibus in India eas capi & diſcerpi, *idem Lib. IV. cap. 26.* confirmat. Imo nullus ejus in re domeſtica uſus eſt, unde proverbium: *vulpes aratro jungere,* i. e. inutilem

lem operam impendere, ut docet TAUBMANN. ad *Virgil. Eclog. III. p. m. 37. a.* Quare tamdiu in deſertis vagantur, prædis & rapinis indulgentes, donec vel capiantur vel dilacerentur a leonibus vel aliis rapacibus animantibus.

Hæc quoque ſors eſt pſeudo-doctorum; inutilia ſunt terræ pondera, *γαςέρες ἀργὰς* vocat Apoſtolus ex Poëta, & *κακὰ θηρία, ventres otioſos & inutiles, malas illas beſtias,* Tit. I, 12. Præcones vanitatis ſunt, qui mendaciis vanis animas miſeras decipiunt, & non niſi ventri ſuo litant, qui Deus ipſorum eſt, Phil. III, 19. Nullum ſalutare animæ pabulum ex illis exſpectabis, ſed animas enecant fame æterna. Quare & ipſi æterna aliquando leonis infernalis & *avium rapacium*, i. e. impurorum ſpirituum præda futuri ſunt. *Peribunt* in corruptione ſua, 2. Petr. II, 12. et ipſis tenebræ caliginis æternæ reſervatæ ſunt, v. 17. Pſeudo-propheta & beſtia conjicientur in abyſſum ſulphureum, ubi Satanæ & angelorum ipſius rapina exiſtent æterna, Apoc. XX, 10. Matth. XXV, 41.

XII. 10. In *Palæſtina* ingens *vulpium* erat *multitudo*, in locis ejus deſertis & montanis, quod ex hiſtoria *Simſonis* conſtat, qui *trecentas* capiens, caudas colligabat obverſas, & in ſegetes immittebat accenſis tædis inter caudas, Judic. XV, 4. Sunt quidem viri docti, qui hiſtoriam hanc mira metamorphoſi transformant, & vel *acervos faſciculorum*, vel *pugillos* per שועלים intelligunt, cum Celeb. HARDTIO & obſervatore *Halenſi*, ſed a Cel. B. G. GEBHARDO & Cl. J. J. SCHROEDERO aliisque refutati ſunt, in ſingg. de *vulpibus Simſonis* Diſſertatt. nec magis ſua ſe veriſimilitate commendat ſententia nova Anonymi, quæ in *Bibl. Brem. T. VIII. p. 802.* proponitur, qui per שועלים *Schualitas* intelligit, incolas terræ Schual. Quilibet enim facile animadvertit, voces heic occurrentes mire torqueri debere, ſi de Schualitis explicare velis. Quare tutius aſſerimus, heic vulpes intelligi veras, quas Simſon ſine dubio per venatores captas, mira arte ad ſegetes Philiſtæorum comburendas adhibuit. Præcipue quum vulpes in Palæſtina quamplurimas fuiſſe ex ſacris conſtet, adeo ut vineas Canaanis maxime infeſtarent, Cant. II, 15. Idem M. BOCHARTUS probat ex locis variis a vulpibus denomi-

natis, uti ארץ שועל 1. Sam. XIII, 17. *terra vulpium*, & חצר שועל *caſtrum vulpis*, Joſ. XV, 28. & XIX, 11. ובשעלבים Syr. ܪܡܬ ܬܥܠܐ *collem vulpis* vertit. Quum ergo Simſon, Judex Iſraëlis exiſtens, facile publica in Palæſtina venatione inſtituta, trecentas vulpes cogere potuerit; non video, cur a litera & genuino ſenſu heic recedendum ſit. Hæc procul dubio hiſtoria ortum dedit *Vulpicomburio* apud Romanos uſitato. In Cereris enim ſacris vulpes comburebantur, quod Carſeolis Æquorum oppido ſegetes incendiſſent. Unde OVID. *Faſt. IV. v. 679. ſq.*

Cum igitur miſſæ junctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, cauſa dicenda mihi eſt.

& dein explicat latius in ſeq. canens:

Captivam (vulpem) *ſtipula fænoque involvit & ignes*
Admovet, urentes effugit illa manus.
Qua fugit, incendit veſtitos meſſibus agros,
Damnoſis vites ignibus aura dabat.
Factum abiit, monumenta manent; nam dicere certam
Num quoque Lex vulpem Carſeolana vetat?
Utque luat pœnas, genus hoc cerealibus ardet,
Quoque modo ſegetes perdidit, ipſa perit.

vide BOCHART. *Hieroz. P. I. Lib. III. cap. 13.* FRANZ. *hiſt. animal. part. I. cap. XVII. p. m. 129.* NIEUPOORT *Rituum Roman. Sect. IV. cap. I. §. 6.* nec non TAUBMANN. *in præfat. ad Virgil. Cirim. p. m. 8.*

In Canaane quoque inter Judæos ingens pſeudo-prophetarum atque vulpium myſticarum multitudo, & præcipue tempore Meſſiæ erat. Huc pertinent hiſtoriæ tot Pſeudo-Meſſiarum apud Judæos, qui ſe Prophetam a Moſe prædictum venditabant. Et Sacerdotes Judæorum ipſi Pſeudodoctores erant, a quibus cavere oportebat Judæos. Hanc ob cauſam deſcribuntur ut lupi veſpertini, Zeph. III, 3. Sacerdos & propheta aberrantes propter ſiceram, Jeſ. XXVIII, 7. viri prævaricationum, ſacerdotes polluentes ſanctuarium, Zeph. III, 4. Pſeudoprophetæ, induti pellibus ovium, intus vero lupi rapaces exi-

ſtentes,

ſtentes, Matth. VII, 15. Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-prophetæ, qui magna ſigna erant edituri, Matth. XXIV, 24--26. Hi erant Pſeudo-prophetæ, quos in mundum exituros prædixit Johannes 1. Epiſt. II, 18. 2. Ep. v. 7. Quare & Meſſias toties cum Pſeudo-prophetis decertavit, præcipue Matth. XXIII. Si myſterium in *hiſtoria Simſonis* quærere velis; per *vulpes* pſeudo-doctores itidem intelligere poſſumus, qui ſæpe a Deo immittuntur in pœnam populi refractarii, vel etiam Antichriſti (cujus ſymb. Philiſtæi erant), cujus ſegetem i. e. doctrinam peſtiferis erroribus incendunt, ut ita fame ſpirituali animæ ipſorum enecentur: quum veros Dei Prophetas perſequantur, & verum Dei cultum abnegent.

XIII. II. *Vulpes* plerumque *corrumpunt vineas & uvas* decerpere ſolent. Huc reſpicit locus Cant. II, 15. *Prehendite nobis vulpes, vulpeculas corrumpentes vineas, dum vineæ noſtræ uvas primas proferunt.* nec non Pſ. LXXX, 14. *Ne ipſam ſuffodiat* (vitem) *aper ſylveſtris, & animal agreſte* (i. e. vulpes) *depaſcat eam.* Congruit locus PROPERTII *Lib. III. eleg. 16.*

Ipſe feram vites, *pangamque ex ordine colles,*
Quos carpant nullæ me vigilante feræ.

nec non THEOCRIT. *Idyll. X.*

Πυρναίαις ϛαφυλαῖσι καλὸν βέβριθεν ἀλωὰ
Τὰν ὀλίγος τις κῶρος ἐφ᾽ αἱμασιαῖσι φυλάσσει
Ἥμενος. Ἀμφὶ δὲ μιν δύ᾽ ἀλώπεκες· ἁ μὲν ἀν᾽ ὄρχως
Φοιτῇ, σινόμενα τὰν τρώξιμον.

quæ ita vertit HEINSIUS:

Area purpureis pulchre circumdatur uvis,
Quam puer exiguus reſidens cuſtodit in horti
Sepibus. Hunc circum vulpecula bina, racemos
Altera percurrens depaſcitur.

Nota quoque ſunt PHÆDRI verba:

Fame coacta vulpes alta in vinea
Uvam adpetebat, ſummis ſaliens viribus,
Quam tangere ut non potuit, diſcedens ait:
Nondum matura eſt, nolo acerbam ſumere.

Uu 2 quare

quare & VARRO *Ruſtic. Lib. I. cap. VIII.* ſcribit: *Unum eſt* (vineæ genus) *in quo terra cubilia præbet uvis, ut in Aſia multis locis, quæ ſæpe vulpibus & hominibus fiunt communes.* Huc reſpicit ARISTOPH. in ἱππ. *Act. II. ſcen. 2.*

Ἀλωπεκίοισι τὰς ςρατιώτας ἤκασε
Ὅτιὴ βότρυς τρώγουσιν ἐν τοῖς χωρίοις.
Vulpeculis aſſimilavit milites,
Quia botros *comedunt in villis.*

Plura vide apud BOCHART. *l. c. p. m. 851. ſq.*

Optime hoc Pſeudo-doctoribus convenit, quales ſub vulpium ſymb. Cant. II, 15. intelliguntur. *Vinea* ſymb. eſt commune Eccleſiæ Dei, Cant. VIII, 11. Jeſ. V, 1--7. Joh. XV, 1--9. *Uvæ* hujus vineæ ſunt vel media gratiæ in Eccleſia, vel convictiones primæ Spiritus S. & fructus teneri reſipiſcentiæ. Hanc vero vineam corrumpunt vulpes i. e. Pſeudo-doctores, quando veritatem Evangelii erroribus nociferis pervertunt, Eph. IV, 14. Et primas animæ reſipiſcentis convictiones irritas reddunt per ſeductiones ad concupiſcentias mundi vel φιλαυτίαν & faſtum ſpiritualem, 2. Petr. II, 18. 19. & dogmatibus humanis vim verbi ad pietatem infringunt, illudque abnegant. Imo niſi reſipiſcant animæ hæ ſeductæ per ſeriam reſipiſcentiam & denuo vi vitæ novæ effloreſcant, æterne emarceſcunt atque pereunt, 2. Petr. II, 1. 2. Theſ. I, 9. Quare *capiendæ* hæ vulpes a veris doctoribus; quod fit, quando illos detegunt vigilanti animo & pellem ipſorum ovinam dignoſcunt, Phil. III, 2. probant & explorant illos, Apoc. II, 2. illis ſe opponunt & contrariis argumentis doctrinam fallacem Pſeudo-doctorum refellunt, Tit. III, 9. 2. Tim. IV, 2. 3. atque os obthurant, Tit. I, 9. Expellunt eos vi veritatis, & animos credentium avocant a ſeductoribus illis, Gal. V, 12. Rom. XVI, 17. Tit. III, 10.

XIV. 12. Vulpes ob aſtutiam *difficillime* capitur, canibus tamen plurimis agitata tandem ſuccumbit, imo *retibus* & *laqueis* expanſis excipitur captiva, quos tamen ſæpe iterum *rodit* atque aufugit. Exprimit hoc eleganter OPPIAN. in κυνηγ. *L. IV. v. 446.* etc.

Δεινὴ δ' αὖτε κάλωα ταμεῖν, ὑπὸ δ' ἅμματα λῦσαι,
Καὶ πυκινοῖσι δόλοισιν ὀλισθῆσαι θανάτοιο.

Verſuta

Verſuta quoque eſt (vulpes) *ad laqueos diſſecandos & funes ſolvendos,*
Et vafris dolis, ad evadendum ex morte.

et *L. III. v. 454.*

- - - μή μιν θηρήτορες ἄνδρες
Ἀμφὶ θύρῃ λοχόωντες ὑπὸ βροχίδεσσιν ἀγωνται
Ne ipſam venatores circa oſtium inſidiantes in laqueos conjiciant.

Quare *dentibus* quoque *mordet* & ſe defendit; unde idem OPPIAN. *l. c.*

Ἀργαλέη γενύεσσι καὶ ἀντία δηρίσασθαι.
Aſpera (vulpes) *eſt dentibus ad pugnandum adverſa fronte.*

et MARTIAL *L. X. ep. 37.*

Hic olidam clamoſus ages in retia vulpem,
Mordebitque canes ſordida præda tuos.

Quibus & rodere ſolet retia; unde PLUTARCH. *in lib. de cauſis natural.* quærit: Διὰ τί τῶν θηρίων ἡ ἄρκτος ἥκιστα διεσθίει τὰ δίκτυα, καί τοι καὶ λύκοι, καὶ ἀλώπεκες διεσθίουσι. *Cur præ reliquis feris urſus minime caſſes rodat, cum eos rodant lupi & vulpes.* Unde et proverbium ſupra citatum legimus apud SUIDAM γέρων ἀλώπηξ οὐχ ἁλίσκεται πάγῃ. *ſenex vulpes vix capitur laqueo.* conf. etiam SPERLING. *Zoolog. phyſ. p. m. 243.* PIER. *Hierogl. P. II. p. 169.*

Similes hac in re vulpibus ſunt & erant pſeudo-doctores & Phariſæi. Quamvis ſæpe laqueis convictionis per Salvatorem vel Apoſtolos ipſius caperentur, ac nuditas, aſtutia, dolus et fraudes ipſorum detegerentur, tamen extricare omni niſu ſeſe ſtudebant, et rodentes clanculum retia injecta aufugiebant. Exemplum habemus in Phariſæis adulteram accuſantibus apud Salvatorem, quumque hac occaſione Servator eos de adulteriis et ſceleribus convincere inciperet, *ſingulatim alius poſt alium, a ſenioribus usque ad ultimos clanculum exibant*, Joh. VIII, 9. conſcientia clam angente atque murmurante. Tales quoque expertus eſt Herodianos, Scribas et Sadducæos, optimus Salvator, quum illos coram populo convincere anniteretur. Tales denique omnes ſunt pſeudo-doctores, quamvis a credentibus doli, mendacii et fraudis ſæpe convincantur, Apoc. II, 2. & argumentis veritatis capiſtrum ori injectum ſentiant,

 Tit.

Tit. I, 9. tamen novis dolis, veritati vim inferentes, jugo obedientiæ Chriſti ſe expediunt. Sed tandem propriis perniciei laqueis pereunt, celerem ſibi interitum accerſentes, 2 Pet. II, 1. Recte ergo Salvator iis denuntiat juſtum judicium, Matth. XXIII, 33. *Serpentes, progenies viperarum, quomodo effugere poteritis condemnationem gehennæ?* & v. 13. introitum in regnum cœlorum ipſis præcludit. Hi qui filios regni ſe mentiebantur fraudibus vulpinis, expellendi erant in tenebras, ubi fletus & dentium ſtridor, Matth. VIII, 12.

XV. 13. In *luſtris* denique *tenebroſis* atque *latebris* plerumque degunt *vulpes*, quas in terræ viſceribus effodiunt, plurimosque ad easdem vel *aditus* vel *exitus* habent. In genere de feris teſtatur Jobus cap. XXXVII, 7. *Tum beſtia ingreditur in latibulum & in antris ſuis degit.* De vulpe quoque legimus in *Nedar. fol. 81. 2.* לא מצינו שועל שמת בעפר פירו *Non invenimus vulpem, quæ moritur in pulvere foſſæ ſuæ.* PHÆDRUS *fab. 76.*

Vulpis, cubile fodiens, tum terram eruit,
Egitque plures altius cuniculos.

nec non OPPIAN. *κυνηγ. L. III. v. 541.*

Καὶ πινυτὴ ναίει πυμάτοις ἐνὶ φωλειοῖσιν,
Ἑπταπύλους οἴξασα δόμους, τρητὰς τε καλιάς,
Τηλόθ᾽ ἀπ᾽ ἀλλήλων.
Et callida habitat intimis in cavernis,
Septem portarum aperiens domos, perforatosque
Nidos procul a ſe invicem.

Quemadmodum & ALKAZUINUS Arabs apud BOCH. l. c. يتخذ لوجره ابوابا حتي لو سد عليه بابا يخرج من الاخر *Latibulo ſuo plura facit oſtia* (vulpes) *ut ſi unum obſtruatur, per aliud exeat.*

Huc quoque reſpicit Salvator, quando vulpibus φωλεοὺς *foveas* tribuit Matth. VIII. l. c. Foveas & latibula ſua habent pſeudo-doctores, non ſolum quia cor ipſorum eſt doloſum, invium & tectum, tenebrisque concupiſcentiarum obſitum. Id quod de Phariſæis teſtatur Salvator,

tor, Matth. XXIII, 27. *Væ vobis ſcribæ & hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ externe quidem apparent ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum omnique immunditia. Ita vos extra quidem apparetis coram hominibus juſti, intus vero pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.* Cor ipſorum invium eſt Deo, & habitaculum impurorum animalium, i. e. concupiſcentiarum atque abominationum, Matth. XV, 19. Habent ſua *latibula*, oſtiis quaſi ſeptem inſtructa, quoniam tota eorum converſatio dolis fraudibusque eſt undique circumſepta, undique rimas elabendi quærunt, ne veritatis & convictionis laqueum incurrant. Quare fundum doloſi ipſorum pectoris nunquam expiſcari poteris. *Os ipſorum eſt ſepulchrum apertum*, ob blasphemias & convitia, quæ evomunt, et *linguis ſuis doloſe agunt, & venenum aſpidum ſub lingua abſcondunt*, Rom. III, 13. Hi ſunt declinantes in *vias ſuas obliquas*, quos Jehova abiget cum operantibus iniquitatem, a conſpectu ſuo, Pſ. CXXV. ult. qui *oblectantur* viis tortuoſis et *ſeductionibus ſuis*, et derelicta via juſtitiæ aberrarunt, ſecuti tramitem Balaamis, 2. Pet. II, 13. 15.

XVI. En mores hypocritarum et pſeudo-doctorum ad vivum a Salvatore depictos! Si hoc conſideremus, ſponte convincemur, illos ineptos eſſe ad ſequelam Salvatoris, quæ *ἁπλότητα* et *εἰλικρινείαν* tanquam neceſſarium requiſitum exigit, Matth. X, 16. Pudeat ergo tot non ſolum pſeudo-doctores hujus ævi, ſed & aſſeclas Phariſæorum, turpiſſimos hypocritas, qui alieniſſimi ab hiſce qualitatibus, contrariis indulgent, *vulpibus* ſimiles. Omnem oculorum aciem intendunt ad dolos fraudesque cordis ſui executioni dandos, & tela veritatis & convictiones Spiritus Dei avertenda. Greſſibus nunquam utuntur rectis, ſed obliquis iniquitatis, ambulantes in via impiorum, & ſedentes in tramite irriſorum. Qui aſtutia ac fraude ſua omnia efficiunt, & horrendas cordis abominationes pellibus ovinis, & externa pietatis ſimulatæ ſpecie, tegere ſciunt. O miſeræ animæ, quæ maxime ſeipſas decipiunt, & alios in eandem ſecum perniciem trahunt! Quomodo coram oculis flammantibus Judicis juſtiſſimi aliquando conſiſtent? Quid clypei loco obtrudent, quando totum ipſorum cor, aſſentiente conſcientia propria, coram Deo nudum apertumque in die judicii ſiſtetur, & ita juſtam Dei vindi-

vindictam experientur? O utinam depoſita aſtutia & fraude, abnegata omni ſimulata ſpecie, tanquam genuini Chriſti diſcipuli, ſemitas ejus corde toto ac ſincero legerent omnes de Chriſto nominati! Ut vulpinam exuentes naturam, columbinam imitarentur. Quisquis ergo ſerio Salvatorem ſequi deſiderat, mundi methodum & converſationem tortuoſam fugiat, ſeipſum abneget, Deoque ſe conſecret totum inſtar ſacrificii puri ac perfecti, Matth. XVI, 24. ut, quando pſeudo-doctores & falſi Chriſtiani ſortem hypocritarum adipiſcentur, ipſi cum Salvatore introëant regnum gloriæ, Matth. VII, 21. 22.

EXERCITATIO III.
DE
PORTIS INFERORUM,
SYMB. REGNI TENEBRARUM.
MATTH. XVI, 18.

ARGUMENTUM.

§. I. Variæ interpretum ſententiæ & alluſiones de hac phraſi exhibentur. §. II. Noſtra ſententia proponitur & confirmatur. §. III. Emblema portarum in genere excutitur, portasque ſymb. eſſe docetur imperii & regum inſignium, nec non doctrinæ & præconum Evangelii, imo urbis alicujus, uti porta pro urbe ſæpius dicitur. Denique pro medio aliquo ad metam certam perveniendi, unde portæ cœli memorantur. §. IV. Variæ portæ tribuuntur urbibus, palatiis ac domibus, uti & caſtris. §. V. Materia portarum apud veteres ænea, ferrea & adamantina erat. §. VI. Altæ & ſublimes nec non latæ erant. §. VII. Claudebantur vectibus & repagulis, imo lapidibus. §. VIII. Clave vel reſerabant eas & aperiebant vel etiam claudebant. §. IX. Turres in iis ædificatæ,

tæ, quare tutela & munimentum urbium habebantur; ſuperatis portis, ſuperata erat tota urbs. §. X. Arma & cuſtodes & milites præſidiarii in portis veterum conſtituti. §. XI. Ornamentis & inſcriptionibus variis erant exornatæ portæ. §. XII. In portis quoque forum venale erat, ſc. in ejus area juxta portam, ubi & conventus hominum frequens habebatur. §. XIII. In portis judices *quoque conſidebant, & proceres primateſque populi. §. XIV. Sacra & excelſa portarum quoque memorantur. In iis ſacra votiva ſuſpendebantur. §. XV. Cur portæ INFERORUM vocentur, & quid vox* ᾅδης *&* שאול *deſignet inquiritur. §. XVI. Epilogus practicus adjicitur.*

I.

EMphaſi pollent verba, quæ Salvator in confirmationem fidei Petri producit, quando Matth. XVI, 18. dicit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc ego petram ædificabo Eccleſiam meam.* Καὶ αἱ ΠΥΛΑΙ τῆς ΑΔΟΥ ȣ̓ κατισχύσȣσιν αὐτῆν, *& PORTÆ INFERORUM non ſuperabunt eam.* Varia ſunt in explicanda hac phraſi ultima interpretum divortia, quæ ex parte recenſet Cel. Hamb. Philol. J. C. WOLF. *in cur. Phil.* ad h. l. VATABLUS præſidia & propugnacula infernalis poteſtatis, CLARIUS vero mala plurima hujus vitæ & perſecutiones; TIRINUS magiſtratus & milites in portis ſedentes vel excubantes; DRUSIUS jurisdictionem & ſatellites Satanæ, imo peccata ipſa, quæ Eccleſiæ arma inferunt, intelligunt. Magnus GROTIUS, CAMERO, nec non *Henr.* MORUS ex phraſi V. T. שערי שאול Jeſ. XXXVIII, 10. & שערי מות Job. XXXVIII, 17. deſumta hæc verba πύλαι ᾅδȣ contendunt, & non niſi *vim mortis* temporalis intelligi cenſent, quæ non dominatura eſſet in Eccleſiam, quia illa adverſus cruentas perſecutiones tuenda & per ſpem futuræ reſurrectionis erigenda erat. Ex parte conſentit Cel. WOLF. l. c. dum Eccleſiæ heic promitti contendit ſecuritatem ab omni interitu. Conf. etiam ſententiam OLEARII, JENSII, ELSNERI ibidem citatam. Plerique patres tormenta tyrannorum & perſequtorum Eccleſiæ, quæ in martyras exercuere, intelligunt. Sunt, qui varios hic hoſtes ex uſu vario portarum,

conjungunt, uti Cel. WITS. *œcon. L. III. C. XIII. p. m. 511.* nec non Cl. REIZ. *ad Goodw. Moſ. & Aaron. L. II. C. 3. p. m. 174.*

II. Ut autem & mentem noſtram de hac phraſi explicemus, contendimus *portas inferni*, ſeu *inferorum* denotare *regnum tenebrarum*, omniaque inſtrumenta illud promoventia; opponitur enim *Eccleſiæ*, quæ eſt regnum lucis, & quam Chriſtus ædificaturus erat ſuper petra juſtitiæ ſuæ æternæ: Præprimis quum in Scriptura regnum tenebrarum ſeu Satanæ ſemper opponatur regno Meſſiæ, & hæc duo nunquam non contra ſe invicem pugnent. *Belial & Chriſtus* ſibi opponuntur, tanquam duces cohortis contrariæ & adverſæ ſibi invicem, uti & *templum* Dei ac *fanum* idolorum, 2. Cor. VI, 15. 16. et *Deo* hujus ſeculi opponitur Chriſtus Jeſus *Dominus*, 2. Cor. IV, 4. 5. arma juſtitiæ & arma injuſtitiæ, lucis & tenebrarum ſemper contraria ſunt & oppoſita, Rom. XIII, 12. Quare *portæ inferni* denotabunt *regnum* Satanæ, quod exercet tum per ſpiritus malos in tentatione & ſeductione Eccleſiæ Dei, tum etiam per mundum, in ſpecie *Antichriſtum* ejusque aſſeclas, in quibus dominatur, qui per ᾅδην deſignatur Apoc. VI, 8. Commode autem *regno tenebrarum* analogam cenſemus phraſin πύλας ᾅδου, quia *portæ* ſymb. ſunt *regni* atque *imperii*, uti ſtatim docebimus §. III. nec non *portas* ſæpius pro *urbe* ipſa in ſacris et profanis ſcriptis poni, ibidem oſtendemus. Et ᾅδης, ut §. XV. demonſtrabimus, *infernum* locum damnatorum ſpirituum et hominum deſignat, qui tanquam *locus tenebrarum* et caliginis plerumque deſcribitur, quoniam ſtatus damnatorum elegantiſſime ſub ſymb. *tenebrarum* depingitur, uti in *emblem. noſtris ſacris L. I. in Exerc. de tenebris exterioribus* late vidimus. Quoniam vero plurimi interpretes, inprimis CAMERO difficultates movent circa vocem κατισχύω, quomodo hæc portis active tribui queat, quum paſſive illis tantum competat: Obſervamus in ſpecie hic reſpici poſſe ad *portas caſtrorum*, quas apud antiquos ſæpius memoratas §. IV. videbimus. Jam vero ſi *portas caſtrorum* per ſynecdochen uſitatiſſimam pro ipſis *caſtris* ſumas, omnia elegantiſſime fluent, et vocis κατισχύω ſignificationi activæ optime conſuletur, quando heic portis tribuitur. Præprimis cum *regnum tenebrarum* conſideretur in ſcriptis

ſacris

ſacris inſtar *caſtrorum* adverſariorum *exercitui* Jehovæ ſpirituali, veluti §. IV. cit. in applicatione docebimus.

III. Ut itaque emblema *PORTARUM* primo in genere excutiamus, obſervamus antiquis *portas* fuiſſe ſymbolum

a. *Regni* ac *imperii*, quemadmodum et reges ac duces inſignes, qui velut propugnacula populi erant, hoc nomine inſigniuntur. Ita Pſ. XXIV, 7. *Levate portæ* שערים *capita veſtra*, et *elevamini januæ ſeculi*, ubi procul dubio regna hujus mundi adhortatur Pſaltes, ut venientem Meſſiam vera fide reciperent. Huc quoque refer שערי מות *portas mortis* Pſ. IX, 14. ubi Eccleſia *regnum tenebrarum* itidem intelligit, e quo exaltari cupit, quum de *afflictione, quam ab adverſariis* patiatur, conquereretur eodem commate. Ita Jeſ. III, 27. *portæ lugentes* deſignant proceres, ob cladem urbis dolentes; adde cap. XIV, 31. *ejula porta* i.e. primates. et Thren II, 9. *demerguntur portæ ejus in terram*, id quod explicatur: *Principes ejus ſine lege inter gentes ſunt*. conf. etiam Pſ. CXLVII, 13. Unde et Eccleſia ex gentibus, quæ pertinet ad regnum lucis, non ſolum cum muro, ſed et *porta, munita tabulato cedrino* comparatur Cant. VIII, 2. Confirmamur hac in re quoniam *portæ inferorum* apud profanos ſcriptores ſæpe *regna inferorum* audiant. Ita VIRGILIUS *Lib. VI.*

Cerberus hæc ingens latratu regna *trifauci*
Perſonat adverſo recubans immanis in antro.

Qui HORATIO *L. III. od. janitor aulæ* vocatur, qui excubat ad *portas inferorum*. Unde & βασιλεῖς ὑποχθόνιοι, *Reges inferi* vocantur in *Legib. Sacrif.* ap. NATAL. COM. *Mythol. p.m.28.* Huc refer OVID. *metam. Lib. IV.*

- - - *ubi ſit nigri fera regia Ditis.*

Quod, ut infra dicemus, alias per πύλας ᾅδε exprimitur. Quemadmodum et *Porta Ottomannica* vulgo dicitur pro imperio Turcico, idque ex eo fundamento, quia regium palatium Turcarum *PORTA* vocari ſolet. Ita LEONCLAV. *in Pandect. Hiſt. Turc. de Muſtava Duſme Lib. XIII.* ſcribit: *Adeoque paucis rem omnem expediam, imperio ſuo totam ſubjecit Europæam Rumeliam & PORTAM ſeu regiam ſuam ad Vardarim Genizem transſtulit.* quemadmodum

olim Seniorum & Primatum conventus in portis habebatur, quod infra §. XIII. fuſius docemus.

b. *Præconum* quoque *Evangelii* ejusque miniſterii, uti & *doctrinæ* ſymb. eſt porta. Huc refer Jeſ. LIV, 12. quando *portæ* Eccleſiæ conſtituendæ dicuntur *carbunculi*, per quas Synedria ſacra & Eccleſiaſtica, quæ ſub Chriſto Jeſu exercent judicium, intelligit ſolidiſſimus Scripturæ Interpres VITRINGA *in Jeſ. Tom. II. p. m. 697.* Similiter Jeſ. LX, 11. *apertas tenebunt portas tuas, nec occludentur*, i. e. Largo Evangelii præconio tunc beaberis, & v. 18. explicatur: *prædicabitur muris tuis ſalus & portis tuis laus.* quoniam Prophetæ & Doctores quoque in portis ſedere & docere populum ſolebant, veluti Jerem. C. XXXVII, 13. Huc reſpicit locus Jeſ. XXIX, 21. quando de Propheta in *portis corripiente* legimus, et Amos V, 10. *oderunt corripientem* in porta, *& abominantur loquentem vera.* adde Pſ. IX, 15. *ut enarrem univerſam tuam laudem in portis filiæ Zion.* uti Summa Sapientia, Propheta Summus, *in portis civitatis*, i. e. per doctores Eccleſiæ, myſteria ſua *eloquitur*, Prov. I, 21. VIII, 3. conf. etiam Prov. XXXI, 31. & Nehem. XII, 31. nec non Jeſ. XXVI, 2. *aperite* portas *juſtitiæ*, coll. Pſ. CXVIII, 19. *Portæ* quoque XII. Hieroſolymæ myſticæ, Apoc. XXI. in hunc cenſum veniunt, uti infra *Exercit. IX. de Margaritis portarum Hieroſ. myſtic.* docebimus. Judæi quoque ſingulares doctrinæ articulos *portas* vocare ſolent, uti in Talmude tres libb. in quibus politica, juridica & forenſia tractant, inſigniunt בבא קמא בבא מציעא & בבא בתרא *Porta prior, porta media & porta poſterior.* & MAIMONID. *More Neboch. part. II. cap. 47.* דלתי שמים *portas cœli* per metaphoram de *revelatione doctrinæ cœleſtis* explicat. & CICERO in *Orat. pro Plancio* de exordio orationis adhibet, dicens: *Non qua volui ingreſſus ſum janua in cauſam.* et APULEJUS apolog. *Os animi veſtibulum & orationis janua.*

c. Nota quoque eſt *portæ* ſeu *januæ* ſignificatio, qua vel *cauſam* alicujus facti vel fati, vel etiam *medium* ad metam aliquam deducens deſignat. Hoc ſenſu dicit Jacob Patriarcha de ſcala ipſi in viſione exhibita: וזה שער השמים *Et hæc eſt porta cœli.* Quare Matth. VII, 13. 14. de *porta anguſta* ad vitam & *lata* ad perniciem aditum

tum pandente loquitur Servator, medium ſalutis & perniciei proponens. Adde Luc. XIII, 24. & Jer. XXXIII, 6. Chald. *portam pœnitentiæ* memorat. Pertinet etiam huc, quod in BABYL. *Berach. fol. 32.* apud LIGHTFOOTH. *Tom. II. p. 305.* legimus: *Ex quo exciſum eſt templum, occluſæ ſunt* portæ *orationis, at non occluſæ* portæ *lacrymarum.* & in *Vajikra Rabb. ſect. 30.* quæritur: אי זה פילון מפולש לחיי העולם הבא *quænam* porta *ſit aperta ad vitam æternam.* Cauſa triſtitiæ vel lætitiæ porta vel janua dicitur Poëtis. OVID. *Lib. II. de Ponto Eleg. VII.*

- - - *lætitiæ* janua *clauſa meæ.*

et *Lib. I. de remed. amor.*

- - - *artis triſtiſſima* janua *noſtræ.*

et *janua mortis* pro ejus cauſa vel medio dicitur LUCRET. *Lib. III. v. 830.*

Haut igitur Lethi præcluſa eſt janua *menti.*

et OVID. *Lib. I. metam. v. 662.*

- - - *præcluſaque* janua *lethi,*
Æternum noſtros luctus extendit in ævum.

Plura exempla coacervat Cl. SAGITTAR. *de Jan. Vet. Cap. II. p. m. 11. ſq.*

d. Nihil autem eſt frequentius in ſacris æque ac profanis diptychis, quam ut *portæ* ipſam *urbem*, *domum* vel *palatium*, cujus pars ſunt, deſignent. Huc pertinet phraſis ירש שער אויביו *poſſidere* portam *inimicorum ſuorum*, Gen. XXII, 17. XXIV, 63. & בא שער עיר *ingredi portam urbis.* Cap. XXIII, 18. ita אשר בשעריך *qui in portis tuis*, i. e. incola eſt civitatis tuæ, Exod. XX, 19. Deut. XII, 12. 15. conf. XIV, 29. XVI, 5. XVII, 2. XXIII, 16. XXVI, 12. ita Pſ LXXXVII, 2. Jehova *portas Zionis* diligere dicitur, adde Pſ. CXXII, 2. Jeſ. XXIV, 12. nec non Jer. XIV, 2. *Langueſcent* portæ *Jebudæ*, Thren. I, 4. portæ *ejus deſolatæ.* Judæi ſæpius quoque שערי קדש *portas ſanctas* vel de templo vel de Hieroſolyma intelligunt in ſcriptis ſuis, imo apud BUXT. *in Lex.* legitur שנולד בפילי מצרים *de ea quæ nata eſt in* portis *Ægypti*, i. e. in urbe vel regione ejus. Huc refer VALER. FLACC. in *Argon. Lib. I. v. 675.*

- - - *da reddere terris*
Has animas, patriæque amplecti limina portæ.

et Cel. & Doctiſſ. Philol. J. G. LAKEMACH. *in Orat. de utilitate e ſcript. Græc. Part. III. obſ. p. 331.* ex *Xenophonte* & *Henr. Stephani annotat.* ad eundem demonſtrat, vocem θύρας januæ ſeu portæ ſæpius pro *aula* ac *palatio* regio uſurpari.

IV. Hoc loco *PORTÆ inferni* ſymb. ſunt tum regni ipſius tenebrarum, tum inſtrumentorum illud defendentium ac propagantium, Satanæ & hoſtium Eccleſiæ omnium. Elegans inter portas et regnum tenebrarum analogia deprehenditur, ſi varia portarum attributa & uſus conſideres.

a. Si *attributa* portarum conſideres, varias eas obſervabis, ſunt enim portæ *urbium*, *domuum* ac *palatiorum*, *templorum*, *ſepulchrorum*, *carcerum*, *antrorum* & denique *caſtrorum*.

URBIUM portas memorat ubique Scriptura, ſæpiſſime Hieroſolymæ, Jer. XXXVII, 13. Neh. I, 3. II, 3. IV, 3. Sodomæ portas legimus Gen. XIX, 1. etc. Nomina portarum Hieroſolymæ paſſim apud Ichnographos urbis, præcipue apud LIGHTFOOTH. et ADRICHOM. *in Theatr. terræ S.* et *deſcript. Hieroſ.* deprehendes. vide et de אבולי המחוזות *urbium portis* in tract. *Eruboth. fol. 6. col. 2.* Plurimas ſæpe portas una habebat urbs apud antiquos. Unde de urbe Plutonis OVID. *Metam. Lib. IV.*

Mille capax aditus & apertas undique portas
Urbs habet.

PALATIO atque *domui* portas adſcribit ſcriptor ſacer, quando Nehem. II, 8. שערי הבירה אשר לבית *portas palatii, quod eſt ad domum*, memorat: & ſimiliter OVID. *L. III. Triſt. eleg. 1.*

Hæc fuit antiqui regia parva Numæ;
Inde petens dextram, porta *eſt, ait, illa Palati.*

Unde Perſarum reges pro *portis palatii* excubantes habebant πυλουρὸς i. e. *portæ cuſtodes*, de quibus BRISS. *de reg. Perſ. princ. L. I. p. m. 135.* ex Herodoto agit.

TEMPLI Hieroſolymitani portas apud LIGHTFOOTH, VILALPANDUM, STURMIUM, LUNDIUM aliosque antiquitatum ſcriptores

tores delineatas deprehendes. Ita Ezech. XLVII, 1. *porta orientalis* & *aquilonaris* templi memoratur. Portas templi Junonis deſcribit VIRGIL. *L. I. Æneid. v. 450.*

Ærea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Ære trabes, foribus *cardo ſtridebat ahenis.*

PAUSAN. *in Arcad. cap. 33.* memorat Jovis Beli ἱερὸν χαλκόπυλον *templum æreis portis.*

SEPULCHRORUM portas ex hiſtoria paſſionis & ſepulturæ Dominicæ diſcimus. Matth. XXVII, 60. de Joſepho legimus: *προσκυλίσας λίθον μέγαν τῇ θύρᾳ τοῦ μνημείου, ἀπῆλθεν. & advolvens lapidem ingentem ad oſtium ſepulchri, abiit.* Huc refer quoque locum OVID. *L. III. Triſt. eleg. II.*

Hei mihi quod toties noſtri pulſata ſepulchri
Janua, *ſed nullo tempore aperta fuit!*

CARCERUM quoque memoratos poſtes & portas legimus, uti Act. XII, 10. πύλην σιδηρᾶν *portam carceris ferream*, & in genere θύραν τῆς φυλακῆς *portam carceris* Act. XVI, 27. Ita & de carcere Danaës OVID. *L. III. amor. eleg. 7.*

Ferrati poſtes, ferrea turris erat.

& PRUDENT. *hymn. II.* περὶ στεφ. *v. 346.*

Tunc ipſe manceps carceris
Et vinculorum janitor etc.

conf. SAGITTAR. *de jan. vet. Cap. XVI. §. 44. p. 115.*

ANTRIS quoque, qui aditum anguſtum habent, *portas* adſcribunt ſcriptores ſacri & profani. Ita Joſ. X, 18. 22. פי המערה *oſtium ſpeluncæ* lapide clauſum, & 1. Reg. XIX, 13 פתח המערה *porta ſpeluncæ*, in qua conſtitit Elias, memoratur. Tales erant *Caſpiæ portæ;* de quibus DIONYS. *Perieget. v. 1034.* etc.

- - - ἄχρι πυλάων
Κασπιάων, αἵ εἰσι βαθυνομένας ὑπὸ πέτρας
Κληῖδες γαίης Ἀσιήτιδος.
Usque ad portas Caſpias, quæ ſunt profundis ſub rupibus, claves terræ Aſianæ.

conf. G. HILL. Anglum in *Comment. doctiſſ. ad h. l. p. m. 348.*

Et

Et quod præcipue ad loci noſtri illuſtrationem pertinet, *CASTRORUM* quoque *portæ* antiquis notiſſimæ ſunt. Ex Sacris ſufficiat locus evidens ſatis & clarus Exod. XXXII, 26. 27. *Et ſubſiſtens Moſes* בשער המחנה *in* porta caſtrorum, *dixit, quisquis eſt Jebovæ, huc ſecedat.* & v. 27. *apponite quisque gladium ſuum femori, tranſite & redite* משער לשער במחנה *de porta in portam caſtrorum.* Quare & Apoſtolus Heb. XIII, 12. 13. phraſin ἔξω τῆς πύλης *extra portam* & ἔξω τῆς παρεμβολῆς *extra caſtra* alternantem adhibet. Scriptores quoque profani portas caſtris adſcribunt. Quare ROSINUS *antiq. rom. L. X. C. XII.* ſcribit: Caſtra *Romanorum utplurimum* portas *habuiſſe quatuor, prima erat Prætoria; altera a tergo caſtrorum Decumana &c. Tertia erat principalis. Quarta poſt prætorium Quinctana dicebatur. Erat quoque extraordinaria.* vide TURNEB. *adverſ. L. XXX. C. 14.* LIVIUM *hiſt. L. XL.* et FLAV. VEGET. *de re milit. L. I Cap. XXIII. p. m. 10.* Adde STECOECH. *ad h. l. p. 46.* Sæpius caſtrorum portas memorat HERODIAN. *hiſt. L. VII. C. 11. §. 11.* εἰς ϛρατοπεδὸν καταφυγόντες, καὶ τὰς πύλας ὡς ἐδύναντο κλείσαντες, ὅπλα δὲ ἀναλαβόντες, ἔφρερεν τὸ τεῖχος τοῦ ϛρατοπέδου. *Cæterum cum ſe in* caſtra *recepiſſent, clauſis* portis, *armis arreptis, caſtrorum mœnia defenſabant.* nec non *L. V. C. 4. §. 6.* αὐτοὶ δὲ πάντες, ἀνοιχθεισῶν αὐτοῖς τῶν πυλῶν, εἰς τὸ ϛρατοπεδὸν ἐδέχθησαν. *Ipſi reſeratis* portis *univerſi in* caſtra *recipiuntur.* Conf. etiam *L. VIII. C. 8. §. 16. L. II. C. VI. §. 13. L. V. C. III. §. 22.* etc. adde VIRGIL. *L. IX. Æneid.* de Trojanorum caſtris canentem:

Portam vi multa converſo cardine torquet,
Obnixus latis humeris.

et plurima loca apud HOMER. *in Iliad. VII. X. XX. XXI.* & paſſim. Unde *portæ belli* ſymbolice memorantur VIRGIL. *L. I. Æn.*

- - - *Compagibus arctis*
Claudentur belli portæ.

Quis vero jam adeo hoſpes eſt in ſacris, qui neſciat *regnum tenebrarum* ſæpius ſub ſymb. urbis ingentis, palatii, domus, ſpeluncæ, templi, & caſtrorum deſcribi. In profanorum auctorum ſcriptis illud, urbem inferorum, domum ac palatium vocari, infra §. XVI. videbimus.

Regnum

Regnum tenebrarum ſimile eſt *urbi*, quare toties cum Sodoma & Ægypto, Babele, Tyro etc. aliis comparatur Apoc. XVIII, 2. 10. 16. 28. Apoc. XI, 8. Ezech. XXXVII. Urbs vaſta, Apoc. XVIII, 19. Mulier illa eſt *urbs vaſta* ſc. Antichriſtus, qui pars eſt regni tenebrarum. conf. Apoc. XVI, 19. XIV, 8. XI, 2. Ibi dominatur Satanas rex & princeps tenebrarum & hujus mundi, populos ſibi ſubditos, filios tenebrarum & impios, ſecundum leges injuſtitiæ & peccati regit, gubernat & laqueis ſuis ducit, 2. Tim. II, 26. prærogativæ hujus urbis ſunt deliciæ carnales, ſed in æternam perniciem Matth. IV, 8. 9. vergentes 1. Tim. VI, 9. *Palatium & domus* eſt principis tenebrarum, regia ſedes & thronus Satanæ, Apoc. II, 13. Hæc eſt domus potentis & robuſti, in qua prædam ſuam tuetur Satanas, Matth. XII, 29. Luc. XI, 21. *Carcer* quoque eſt, in quo captivi tenentur laqueis & vinculis peccati Satanæ mancipia, 2. Tim. II, 26. Jeſ. LXI, 12. Jeſ. XLIX, 24. 25. Pſ. LXVIII, 19. Carcer, in quod obdurati *ἀμετανοοῦντες* æternum conjicientur absque ſpe liberationis, Matth. V, 25. cap. XVIII, 30. *Antrum* eſt atque *ſpelunca* imo *ſepulchrum* tenebrarum regnum. Satanas cum inſtrumentis ſuis, hoſtibus veritatis, latet in *ſpelunca inſtar leonis*, ut pauperes & miſeros ceu prædam deglutiat & in poteſtatem ſuam trahat, Pſ. X, 9. Hoc eſt antrum Baſiliſcorum, Jeſ. XI, 8. quare *in infernum deſcendere, deturbari, illo cingi* etc. ſæpius in ſcriptis ſacris legimus, Num. XVI, 30. 1. Sam. II, 6. Hiob VII, 9. Cap. XXVI, 6. Pſ. XLIX, 15. LXXXVIII, 4. Prov. V, 5. de viis ad infernum Prov. VII, 27. Jeſ. XIV, 11. *Abyſſus* eſt ſulphurea, in quam æternum conjicientur, Apoc. XX, 14. Et inſtar *ſepulchri* ſcatet regnum tenebrarum mortuorum oſſibus, animabus vita ſpirituali deſtitutis, nec non operibus impuris & concupiſcentiis. conf. *Exerc. noſtr. de ſepulchris dealbatis, Matth. XXIII.* Denique & inſtar *caſtrorum* conſiderari poteſt, ubi dux exercitus infernalis ſupremus eſt Satanas, qui Michaëli, duci exercitus Jehovæ ſemper adverſatur, Dan. XII, 1. Emphaſin ſpirant verba Apoc. XII, 7. *Et oriebatur prælium in cœlo; Michaël & angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnavit una cum angelis ſuis.* Duces inferiores ſunt pſeudo-prophetæ falſique doctores, quibus utitur, ad arma populo Dei inferenda, conf. Pſ. CXX, 7 CXXV, 3. Joh. XVI, 2. Rom. VIII,

36. Semper ergo dimicandum eſt, Job. VII, 1. non ſolum cum hoſtibus veritatis, ſed & ſalutis, Eph. VI, 12. 2. Tim. II, 12. Apoc. II, 10.

V. b. Si *materiam* portarum apud veteres ſcrutemur, variam eandem fuiſſe deprehendemus. *Ligneæ, ferreæ, æreæ*, atque *adamantinæ* portæ meminere Scriptores. Pſalm. CVII, 16. legimus: *Deum fracturum valvas* chalybeas & *vectes* ferreos *ſucciſurum*, quod idem repetitur Jeſ. XLV, 2. *Ferreas* quoque portas memorat HESIODUS *Θεογον. v. 732.*

- - - πύλας δ' ἐπέθηκε Ποσειδῶν
Χαλκείας· τεῖχος περίκειται δ' ἀμφοτέρωθεν.
Portas *vero impoſuit Neptunus* ferreas, *murus etiam circumdatus eſt utrimque.*

et CLAUDIAN. *Lib. I. de raptu Proſ. v. 239.*

- - - *ſtant ardua ferro*
Mœnia, ferrati *poſtes, immenſaque nectit*
Clauſtra chalybs.

HOMERUS quoque de Tartaro canit *Iliad. VIII.* ab init.

Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός.
Ubi ferreæ*que* portæ & *æneum pavimentum.*

Æreas porro portas memorat OVID. *Faſt. Lib. II.*

Accipit ærata *juvenem Collatia* porta.

& *Metam. Lib. VIII.*

- - - *vel* æratas *hoſti recludere* portas.

Similiter de templo Beli HERODOT. *Lib. I. cap. 181.* Ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ Διὸς Βήλου ἱερὸν χαλκόπυλον· καὶ ἐς ἐμὲ τοῦτο ἔτι ἐόν. *In altero vero muro Jovis Beli templum* æreis portis, *quod mea etiam nunc ætate exiſtit.* & de templo Junonis VIRGIL. *Lib. I. Æneid. v. 452.*

Ærea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Ære trabes: foribus cardo ſtridebat ahenis.

Imo *adamantinæ* portæ meminit VIRGIL. Plutonis urbi atque palatio eam tribuens *Lib. VI. Æn. p. 552.*

Tartareus Phlegeton, torquetque ſonantia ſaxa,
Porta *adverſa ingens, ſolidoque* adamante *columnæ,*

Vis

Vis ut nulla virum, non ipſi exſcindere ferro
Cœlicolæ valeant.

Aureas quoque templorum portas fuiſſe memorat SAGITTAR. *de Jan. Cap. XXIII. §. 15.* & FüRER. *in Itinerar. Ægypt. Arab. & Palæſt. p. m. 57.* portam auream ad aream templi ducentem, a Turcis muro circumdatam deſcribit.

Hoc ſi regno tenebrarum applices, *robur* ejus ac *firmitatem* deſignabit. Utpote quod ferreum eſt palatium, quod fortis ille occupat Jeſ. XLIX, 24. Matth. XII, 29. quod non facile quis diripiet. Quare Apoſtolus de hoc regno ſcribit Eph. VI, 12. *Non pugnandum nobis eſt cum carne & ſanguine* (hoſtibus infirmis, quales ſunt homines) *ſolum, ſed & cum regnis, cum poteſtatibus, cum principibus mundi, id eſt tenebrarum ſeculi hujus, cum pravitatibus ſpiritualibus, quæ ſunt in ſublimi.* Sed & *indurationem* filiorum hujus regni innuit idem, quemadmodum de angelis malis teſtatur Petrus 2. Petr. II, 4. quod in *tartarum detruſos catenis caliginis tradiderit, damnationi ſervatos.* De inſtrumentis Principis tenebrarum ſcribit Paulus 2. Cor. IV, 4. *In quibus Deus hujus ſeculi excœcavit mentes ſc. in incredulis, ne illuſtrentur radiis Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.* Præfigurabatur hoc tenebrarum regnum per Ægyptum, tenebris & plagis horrendis a Deo percuſſam, & ſub iisdem omnibus induratam, quæ Iſraëlem Dei populum tanquam in fornace ferrea perſecutionum angebat, Rom. IX, 17. Quare de eodem ſub ſymb. Babylonis, urbis validiſſimæ, legimus Apoc. XVIII, 10. *Vah! vah magna illa urbs Babylon! urbs illa validiſſima, unâ horâ acceleravit judicium ipſius.*

VI. c. *Altiſſimæ* apud antiquos & in cœlum ſublimes & *latæ* erant portæ, præcipue urbium munitarum, ſecundum tamen certam menſuram fabricatæ. Apoc. XXI, 15. metiebatur angelus calamo aureo murum ſublimem & portas civitatis novæ. Uti & portas Templi Ezechielis dimenſas legimus Ez. XLI, 3. 4. ſecundum altitudinem & latitudinem. Ita Deut. XXVIII, 52. in *Targ. Jonath.* די יחתון אבווליכון רמיא ותליליא *Donec deſcendant portæ veſtræ excelſæ & munitæ.* Quemadmodum Tartari porta *ingens* deſcribitur apud VIRGIL. *l. c.* Huc refer locum elegantem apud HOMER. *Iliad. Lib. XII.*

Τοὶ μὲν ἄρα προπάροιθε πυλάων ὑψηλάων
Ἕστασαν, ὡς ὅτε τε δρύες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι.
Hi autem ante portas ſublimes *ſtabant,*
Sicut quando quercus ſtant in montibus *proceræ.*

& VIRGIL. *Lib. XII. Æneid.*

- - - *turres & tecta domorum*
Obſedere, alii portis ſublimibus *adſtant.*

Ita & STRABO *Geogr. Lib. XVI.* Τὰς δὲ θύρας ἀσφάλτῳ· ὑψηλαὶ δὲ καὶ αὗται, καὶ οἱ οἶκοι καμαρωτοί. Portæ *bituminatæ & altæ ſunt, tam ipſæ quam domus, fornicantur. Latiſſimas* etiam memorat HOMER. *Odyſſ. Lib. XVIII.*

Αἶψά κέ τοι τὰ θύρετρα καὶ εὐρέα περ μάλ' ἐόντα
Φεύγοντι στείνοιτο διὲκ προθύροιο θύραζε.
Statim tibi portæ & latæ *quamvis ſint,*
Fugienti arctarentur e veſtibulo foras.

Hoc denuo *faſtum* & *magnitudinem* extenſam regni tenebrarum deſignat. Faſtus Principis tenebrarum cauſa fuit, quod ἀρχὴν ſuam reliquerit & ex οἰκητηρίῳ ſuo fuerit detruſus Jud. v. 6. 2. Petr. II, 4. Faſtum hunc tumidum quotidie adhuc exercet, uti erga Creatorem ſuum ipſum exſerere non dubitabat, Matth. IV, 9. dicens : *Hæc omnia tibi dabo, ſi proſtratus me adoraveris*, cum tamen in ſua minime poteſtate eſſent; Quare & faſtum & animum elatum κρίμα διαβόλου vocat Apoſtolus 1. Tim. III, 6. Eodem turgent ejus inſtrumenta, veluti *Anti-Chriſtus, qui ſedet in templo Dei tanquam Deus, & præ ſe fert, eſſe ſe Deum*, 2. Theſſ. II, 2. Recte de eo Jeſ. XIV, 11--13. *Deducitur in ſepulchrum* faſtus *tuus. Quomodo decidiſti de cœlis Lucifer, qui progenitus es ex aurora? Dicebas in animo, aſcendam in cœlos, ſupra ſtellas Dei fortis exaltabo ſolium meum, & ſedebo in monte conventus. Aſcendam ſuper altiſſima nubium, ſimilis vel æqualis exiſtam Altiſſimo.* Hæc erat Babylon illa alta & vaſta, *gloriam ſibi tribuens excelſam atque dicens : Sedeo Regina, nec vidua ero, nec luctum videbo*, Apoc. XVIII, 7. Talia quoque ſunt reliqua hujus regni inſtrumenta, quæ confert Apoſtolus *undis maris turgentibus, ſua tamen dedecora deſpumantibus, nubibus aqua carentibus,*

ventis

ventis agitatis, & ſtellis erraticis. Jud. v. 12. 13. adde Phil. III, 19. etc. *Latæ* ſunt portæ hujus regni, Matth. VII, 13. extenſum maxime eſt regnum tenebrarum, quare Satanas in genere Princeps & Dominus hujus mundi vocatur Joh. XII, 31. Epheſ. VI, 12. qui plurimis hujus mundi nationibus dominatur, illasque ceu ſubditos ſuos gubernat, Math. VII, 12. 13.

VII. d. Portæ muniebantur *vectibus & repagulis*, ſæpe etiam ſaxis & *lapidibus*, mole haud exiguis. Sæpius in ſcriptis ſacris eorum mentionem obſervamus, Deut. III, 5. *civitates omnes munitas muro alto, portis &* vectibus. 1. Sam. XXIII, 7. *civitas munita foribus &* vecte. & 2. Paral. VIII, 5. *civitates munitas muris, portis &* vectibus. Jeſ. XLIX, 31. *Gens habitans ſecure, cui non ſunt valvæ neque* vectes. Pſ. CXLVII, 13. *confirmat* vectes *portarum tuarum.* conf. Judic. XVI, 13. Similiter HOMER. *Iliad. XII.*

> Καὶ πυλέων, πάσας γὰρ ἐπώχατο· τοὶ δὲ κατ᾽ αὐτὰς
> Ἱςάμενοι πειρῶντο βίῃ ῥήξαντες ἐσελθεῖν.
> *Et* portarum, *omnes enim* clauſtris *muniverant.*
> *Hi autem ſtantes per ipſas nitebantur vi perrumpere.*

Obices quoque memorat portarum idem *Iliad. Lib. XXI.*

> Ὣς ἔφαθ᾽ οἱ δ᾽ ἄνεσαν τε πύλας καὶ ἀπῶσαν ὀχῆας.
> *Sic dixit: Illi autem aperuerunt* portas *& amoverunt* obices.

& OVID. *Metam. Lib. XIV.*

> *Invadunt*, portas*que petunt, quas* obice *firmo*
> *Clauſerat Iliades.*

Vectes itidem legimus apud HOMER. *Iliad. XIII.*

> - - - μέγα δ᾽ ἀμφὶ πύλαι μύκον· οὐδ᾽ ἄρ᾽ ὀχῆες
> Ἐχεθέτην.
> *Valde autem circa portæ crepabant, neque* vectes
> *Tenebant.*

Egregie de iis canit VIRGIL. *Æneid. L. VII. v. 609.*

> *Centum ærei claudunt* vectes, *æternaque ferri*
> *Robora.*

Repagula quoque memorat PLAUTUS *Ciſtellar. III. v. 18.*

Ubi eſtis ſervi? occludite ædes peſſulis, repagulis.

et OVID. *L. V. metam. v. 120.*

Raptaque de dextro robuſta repagula *poſte.*

PRUDENT. *L. II. contr. Symm. v. 739.*

Poſtquam pertulerat tremefacta repagula *portæ.*

Huc reſpicit Judæorum proverbium in *Bava Kama fol. 80.* דלת הנעלת לא במהרה תפתח *janua repagulata non cito aperitur.* De Tartaro canit OVID. *L. IV. metam.*

Carceris ante fores clauſas adamante ſedebant.

Omnia conjungit EURIPID. *in Phœniſſ. v. 114.*

Ἆρα πύλαι κλείθροις	*Numquid portæ* clauſtris,
Χαλκόδετά τ᾽ ἔμβολα	*Æneique* vectes
Λαϊνέοις Ἀμφίονος ὀργάνοις	*Saxeis Amphionis inſtrumentis*
Τείχεος ἥρμοσαι.	*Juncti ſunt muris?*

Vectes ſymb. ſunt virorum fortium ſeu *heroum* belli, quare Hoſ. XI. per בדיו *vectes Iſraëlis* Aben Eſra גבורים intelligit, quia viri animo forti ac imperterrito vectes quaſi & repagula populi ſunt, quod corpora ſua veluti peſſulum quendam, hoſti urgenti objicientes, progreſſum hujus impediunt, veluti docet erudite Cel. Philologus I. G. LAKEMACH. *obſ. part. VI. obſ. III. p. 348.* Tales quoque in regno tenebrarum ſunt *inſtrumenta* principis caliginis, mancipia ejus in hac terra, quæ omnes in eo vires impendunt, ut regnum ejus promoveant. Qui heroës ſunt malitiæ, antiſtites impietatis & fulcra improbitatis, *qui trahunt iniquitatem funibus vanitatis, & veluti denſo fune plauſtri peccatum.* Jeſ. V, 18 qui *ſceptrum iniquitatis quatiunt ſuper alios,* Pſ. CXXV, 3. qui omnibus machinis irrumpentis regni Dei aditum præcludunt, per poteſtatem ipſis in hac terra conceſſam. Sed & alia inſtrumenta eccleſiaſtica ceu *vectes & repagula* adhibet Satanas, ad regnum ſuum confirmandum, quales pſeudodoctores, qui fel amariſſimum, & connexum injuſtitiæ in corde confirmatum gerunt, Act. VIII, 23. Qualis erat Elymas Paulo, præconi lucis reſiſtens, & credentes a fide avertere ſtudens, cui Apoſtolus Act. IX, 10: *O plene omni calliditate*

&

& ad quævis facinora promptiſſime, fili diaboli, hoſtis omnis juſtitiæ, non ceſſas pervertere rectas Dei vias. *Vectes & obices* quoque ſunt doli, artes & machinæ, quibus Satanas regnum ſuum corroborare ſtudet, in angelum lucis ſæpe transformatus. Hi ſunt tela ejus ignita, Eph. VI, 16. conf. 2. Cor. XI, 4.

VIII. e. Portæ vel patent vel prohibent aditum, quando *clavis* ope vel *reſerantur* vel *clauduntur*. Claudebant veteres imminente hoſte, reſerabant ducibus vel militibus ac civibus redeuntibus e pugna, Joſ. II, 5. *cum porta eſſet claudenda in tenebris.* Quare toties de *clauſis* & *patentibus* portis mentio legitur apud auctores profanos.

De *clauſa* & obſerata *porta* canit OVID. *Triſt. L. III. eleg.* 14.

Nec quo ſecedam locus eſt, cuſtodia muri
Summovet infeſtos clauſaque porta *Getas.*

nec non *metamorph. L. III.* idem:

\- - - *& Argolicas venienti* claudere portas;
Penthea terrebit cum totis advena Thebis.

conf. *L. V. triſt. eleg. X.* uti & EURIPIDES in Erechteo:

Τῇ σῃ πονηρȣ̀ς, κλεῖτρον εἰργέτω ςέγης
Eos tanquam peſſimos ante fores excludito:

Reſerabatur porta & patebat amicis, imo militibus extra portam irruentibus in hoſtes adverſarios. Eleganter hoc exprimit HOMER. *Iliad. L. II. p. m.* 47.

Πᾶσαι δ᾽ ὠΐγνυντο πύλαι, ἐκ δ᾽ ἔσσυτο λαὸς,
Πεζοί θ᾽, ἱππῆες τε πολὺς δ᾽ ὀρυμαγδὸς ὀρώρει.
Omnes autem portæ apertæ & *extra ruerunt copiæ*
Pedeſtresque equeſtresque, multus autem tumultus coortus eſt.

Idem legis in *Iliad. VIII. p.* 133. Sæpe etiam hoſti reſerabantur portæ, quando ſe ei ſubjiciebant, unde OVID. *de art. amand. L. III.*

Omnia tradentur, portas reſerabimus hoſti,
Ut ſit in infida proditione fides.

Hoc autem ope *clavium*, qui adſervabantur apud ſupremum magiſtratum urbium & arcium, fiebat. De his ſcribit HOMER. *odyſſ. II. p. m.* 23.

Κλη-

Κληισαὶ δ' ἔπεσαν σανίδες πυκινῶς ἀραρυῖαι,
Δικλίδες.
Obſeratæ vero erant fores accurate aptatæ
Duplici clave.

ſimiliter *odyſſ. L. XXI. p. m. 303.*

Σοὶ δε Φιλοίτιε δῖε θύρας ἐπιτέλλομαι αὐλῆς
Κληῖσαι κληῗδι, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλαι.
Tibi autem Philætie divine fores mando aulæ,
Claudas clavi, *cito adde vinculum.*

Cæterum de clavibus varia adfert SAGITTAR. *de jan. vet. Cap. XV. p. 85. ſq.*

Clauditur quoque & *reſeratur* diverſo modo tenebrarum regnum. *Claves* regni hujus aliquo modo princeps tenebrarum poſſidet, quatenus ille dominatur in hominibus incredulis, Eph. II, 2. Sed & ipſi clavis quaſi eſt ademta per Salvatorem, qui fortior & אל גבור robuſtum hunc vinculis conſtrixit, & catenis ad diem judicii ſervat, Jud. v. 6. Quare poſt reſurrectionem & victoriam de morte, teſtatur Salvator Apoc. I, 18. *claves gero mortis atque inferni*, ubi ſe opponit Plutoni, qui claves Tartari gerere credebatur antiquis. Egregie hoc docet PAUSAN. in *Eliac. p. m. 427.* Ἔχει γὰρ δὴ ὁ πλέτων κλεῖν, καὶ λέγεσιν ἐπ' αὐτῇ τὸν καλέμενον ᾅδην κεκλεῖσθαί τε ὑπο τε πλέτωνος, καὶ ὡς ἐπάνεισιν ἐδεὶς αὖθες ἐξ αὐτε. *Habet enim Pluto clavem, eaque ut perhibent, ab eodem Plutone ſedes inferorum ita clauſa eſt, ut nemini inde reditus pateat.* Conf. elegantiſſimam Diſſ. Cl. P. BURGER *de diis claviger. Norib. 1728.* Poteſtatem illi per mortem rapuit, penes quem erat mortis robur, Heb. II, 14. exuit illum poteſtate ſua in cruce, Col. II, 14. Poteſtatem tamen limitatam poſſidet princeps caliginis, qua ſæpe portas regni ſui occludit & defendit contra machinas doctorum veritatis, qui illud in incredulis oppugnare & deturbare ſtudent, 2. Cor. X, 5. Sæpe reſerat has portas & totam cohortem mancipiorum irruentem emittit in caſtra militum Jehovæ, quos tentationibus, minis & perſecutionum armis ſæpe repellere ſtudent, Apoc. XII, 7. Eph. VI, 12.

IX. f.

IX. f. Portæ *turribus* ſæpe inſtructæ, & ex ferro aliaque materia ſolida fabricatæ ***munimentum***, robur ac ***tutela*** urbis apud veteres habebantur. Sic Deut. III, 5. civitates ***munitas*** muro & portis legimus, conf. loca ſupra citata. Et arces ſeu turres in portis fuiſſe ex Judic. IX, 35. 52. nec non 2. Sam. XVIII, 24. conſtat, ubi de ***porta arcis*** & de ***tecto portæ***, in quo conſtituebatur ſpeculator, mentio fit. Quare & portæ gregis & turris gregis in ſacris idem ſunt, vide MONCEJ. ***de portis civit. Jud. p. 105.*** unde turres pro porta apud JUVENAL. *Sat. VI. v. 290.*

- - - proximus urbi
Hannibal, & ſtantes collina in turre mariti.

conjungit VIRGIL. *L. VII. Æneid. v. 550.* Tartari portam & turrim,

Porta *adverſa ingens, ſolidoque adamante columnæ*
- - - ſtat ferrea turris *ad auras.*

conf. etiam PROPERT. *L. IV. eleg. XI. v. 32.*

Quare hoſtes in portis expugnandis maxime ſtudium & operam locabant, usque maxime inſtabant copiis. Huc reſpiciunt loca Deut. XXVIII, 52. *prement te in omnibus portis tuis, donec corruerint mœnia.* Jud. IX, 40. *ceciderunt confoſſi multi ad fores ipſius portæ.* 2. Sam. X, 8. *inſtruxerunt aciem ad oſtium portæ;* adde loca 2. Sam. XI, 23. 1. Reg. VIII, 37. Job. V, 4. nec non Jeſ. XXII, 7. *equites ponent caſtra ad portas.* & Cap. XXVIII, 6. *reprimentibus bellum in porta*, vel ut Syrus vertit, ***avertentibus bellum a porta.*** Quare ſuperatis & effractis portis, victa erat urbs, Judic. V, 8. Deut. XXVIII, 57. conf. Cl. ZORN. *opuſc. ſacr. Tom. II. p. 345. in not.* Hoc profani quoque confirmant ſcriptores. HERODIAN. *hiſt. L. I. C. 12. §. 14.* Μέχρι μὲν οὖν τῶν τῆς Ῥώμης πυλῶν ἀκωλύτως, οἱ ἱππεῖς διώκοντες τοὺς ἐμπίπτοντας ἀφειδῶς ἀνῄρουν. *Igitur ad urbis* portas *ſine ullo impedimento urgentes, magnam populi partem interfecerunt.* HOMER. *Iliad. L. V. p. m. 89*

Ἦ εἴσοκεν ἀμφὶ πύλῃσ᾽ εὐποιητῇσι μάχωνται.
An donec circa portas *bene ſtructas pugnent?*

nec non *Iliad VI. p. m. 103.*

> Στῆτ᾽ αὐτȣ̃ καὶ λαὸν ἐρυκάκετε πρὸ πυλάων
> Πάντῃ ἐποιχόμενοι.
> *State illic, & populum inhibete ante* portas,
> *Quoquo verſum obeuntes.*

Adde eundem *Iliad. L. XII. p. m. 229.* uti & VIRGIL. *L. II. Æneid. in fin.*

> - - - *Danaique obſeſſa tenebant*
> *Limina* portarum.

Unde *effringere* portas eſt urbem ſuperare. HOMER. *Il. Lib. XII. p. 242.* de Hectore

> - - - ἀγαθὸς πολεμίζει
> Καρτερὸς, ἔῤῥηξεν δὲ πύλας καὶ μακρὸν ὀχῆα.
> *Strenuus pugnavit & fortis: Effregit vero* portas,
> *et longum vectem.*

et *Lib. eod. p. 232.*

> - - - εἴπερ δὲ πύλας καὶ τεῖχος Ἀχαιῶν
> Ῥηξόμεθα σθένει μεγάλῳ.
> *Etiamſi* portas *& murum Achivorum*
> Rupimus *robore magno.*

Portis quoque vitam tuebantur, ut canit OVID. *Triſt. L. IV. eleg. 1.*

> *Quam miſerum eſt porta vitam muroque tueri,*
> *Vixque ſui tutum viribus eſſe loci!*

Princeps quoque infernalis palatium ſuum undique confirmare ſtudet, ne fortior perrumpat, & ipſius captivam prædam ipſi eripiat, Matth. XII, 26--30. *Portæ* hujus regni, atque tutela ac munimentum illius, ſunt *tenebræ* ignorantiæ, impietatis ac idololatriæ. Quare totum regnum infernale ſub ſymb. *tenebrarum* proponitur, Jeſ. IX, 2. Eph. V, 2. 1. Cor. IV, 5. Et Satanas *κατ᾽ ἐξοχὴν πονηρὸς malus* ille vocatur Eph. VI, 13. Matth. VI, 13. quia totus pravus eſt, & regnum pravitate exercet. Per occœcationem & indurationem mentium vires ſuas exercet & regni ſui pomœria communit. *Deus enim hujus ſeculi occœcat mentes, ne videant illuſtrationem Evangelii*, 2. Cor. IV, 4. Per tenebras ignorantiæ & idololatriæ turpiſſimæ regnum ejus ſtabilitum

litum erat inter gentes, Jeſ. IX, 2. Pſ. CXLVII, 19. 20. Act. XIV, 16. erant enim absque Deo & lege in hoc mundo, Eph. II, 12. alienati a regni Dei communione *per ignorantiam & per obdurationem cordis ipſorum*, Cap. IV, 18. Quare omni tempore fidei heroës, regnum hoc expugnaturi, haſce portas & munimenta luce veritatis effringere ſtudebant, Epheſ. I, 17. 18. 2. Cor. IV, 5. 6. His oppugnandis arietes & machinas urgebant; exemplum ſit Paulus 1. Theſſ. V, 4-10. Actor. XVII, 22--30. Quemadmodum & regni hujus tenebrarum oppugnatores, Reformatores ſc. primi, in iisdem portis ac vectibus effringendis maxime laborarunt, donec lux Evangelii perruperit.

X. g. *Cuſtodes* & milites *armatos* atque *præſidiarios* in portis conſtituebant veteres, ad *hoſtis* inſidias obſervandas, hasque portas defendendas. Huc reſpicit locus Judic. XVIII, 16. *Sexcenti autem viri, accincti armis belli excubabant ad fores portæ, qui erant ex filiis Dan.* adde v. 17. Quemadmodum poſt captivitatem Babylonicam Levitæ portas obſervabant in Sabbato Neh. XIII, 2. De *ſpeculatoribus* & *cuſtodibus* in *portis* atque *janitoribus* vide 2. Reg. VII, 8. 2. Sam. XVIII, 24. 3 Eſr. VII, 9. De militibus præſidiariis ſcribit HERODIAN. *hiſt. Lib. III. cap. II. §. 21.* ἀποκλείσαντές τε τὸ ἔρυμα, ἐφύλαττον· ὁ δε Νίγρος φρουρὰν καταλιπὼν τȣ̃ ἐρύματος, ὡς ᾤετο, αὐτάρκη, *Clauſasque munitiones tuebantur. At Niger relicto ibi, quantum ſatis fore præſidii putabat &c.* adde ejusdem *Lib. VII. Cap. IX. §. 16. Pomponius* quoque MELA *de Situ Orb. Lib. I. cap. 9* de Thebarum portis ſcribit: *Thebas centum habere portas, ſolitasque ſingulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere.* Huc refer HOMER. *Iliad. Lib. XII. p. m. 227.*

- - - ἐν δὲ πύλησι δύ' ἀνέρας εὗρον ἀρίστȣς,
Υἷας ὑπερθύμȣς Λαπιθάων αἰχμητάων.
In portis *duos viros invenerunt fortiſſimos,*
Filios animoſos Lapitharum bellatorum.

De cuſtodibus portarum canit idem HOMER. *Iliad. X. p. m. 178.*

- - κείνȣς δέ κιχησόμεθα προ πυλάων
Ἐν φυλάκεσσ', ἵνα γάρ σφιν ἐπέφραδον ἠγερέεσθαι.

 illos

- - *illos autem inveniemus ante* portas
Inter cuſtodes, *ibi enim ipſis indicavi, ut congregarentur.*

Similiter *Iliad. Lib. XXI. p. 381.*

- - ὁ δ᾽ οἰμώξας ἀπὸ πύργου βαῖνε χαμᾶζε,
ὀτρυνέων παρὰ τεῖχος ἀγακλειτοὺς πυλαωρούς.
Hic autem ejulans a turri deſcendit in terram,
Adhortans apud murum inclytos cuſtodes portarum.

nec non VIRGIL. *Lib. II. Æn.*

Invadunt urbem ſomno vinoque ſepultam,
Cæduntur vigiles.

& paulo poſt:

- - *vix primi prœlia tentant*
Portarum vigiles.

Tales portarum inferni cuſtodes memorat VIRGIL. *Lib. VI. Æneid. v. 574.* canens:

Tum demum horriſono ſtridentes cardine ſacræ
Panduntur portæ, *cernis* cuſtodia *qualis*
Veſtibulo ſedeat.

nec non LUCIAN. *in Dial. de Luctu p. 300.* Πρὸς δὲ αὐτῇ τῇ καθόδῳ καὶ πύλη οὔσῃ ἀδαμαντίνῃ ἀδελφιδοῦς τοῦ βασιλέως Αἰακὸς ἐστι, τὴν φρουρὰν ἐπιτετραμμένος, καὶ παρ᾽ αὐτῷ, κύων τρικέφαλος. *In ipſo deſcenſu portaque quæ adamantina, Æacus eſt, Plutonis patruelis, cui mandata eſt* cuſtodia, *& juxta ipſum canis triceps.* De quo poſteriore TIBULL. *Lib. I. el. III.* canit:

Tum niger in porta *Serpens, tum Cerberus ore*
Stridet & æratas excubat *ante fores.*

Ipſe Satanas non ſolum excubat in aditu quaſi regni ſui, ad animas alliciendas vel capiendas, *circumit enim inſtar leonis rugientis*, ut deglutiat miſeras animas, 1. Petr. V, 8. invigilat omni arte, ut vim regno ſuo illatam per præconium Evangelii, irritam reddat, & non niſi robore divino ex arce ſua expelli poteſt, Matth. XII, 28. Sed & ſuos habet *cuſtodes & milites præſidiarios*, impuros Spiritus, qui regnum ipſius extendere ſatagunt & defendunt, pugnamque ineunt cum angelis τοῦ Michaël, ut ex Apoc. XII. ſæpius viſum eſt. Omnes quoque

que Pſeudoprophetas, per *Cerberum*, canem orci cuſtodem depictos, (audiunt enim in ſacris *canes* & *canes* muti, Phil. III, 2. canes robuſti & inſatiabiles, Jeſ. LVI, 10.) qui convitiis, criminationibus & cavillationibus veros Dei præcones proſcindunt, allatrant & abſterrere ſatagunt. conf. Act. XVII, 18 Id omnes experti ſunt Apoſtoli, quando emittebantur ad expugnandum tenebrarum regnum inter gentes ſub N. T. Quamprimum luce veritatis tenebris bellum indicebant, actutum a mancipiis Satanæ reſiſtentiam nanciſcebantur, Act. XIII, 7. 8.

XI. h. Portæ veterum variis *ſculpturis, columnis, & inſcriptionibus* exornabantur, præcipue vero *ſertis* coronabantur, quando Duces triumphantes reditum per eas parabant. Portam *cælaturis* & *figuris* diſtinctam VIRGIL. *Lib. III. Georg. v. 26.* prolixe deſcribit:

In foribus *pugnam ex auro ſolidoque elephanto*
Gangaridûm faciam, victoriſque arma Quirini
Atque hic undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac navali ſurgentes ære COLUMNAS, &c.

Opus teſtudinum Indicarum ſæpe valvæ erant, quod exprimit VIRGIL. idem *Lib. II. Georg. v. 463.*

Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſasque auro veſtes, Erythreïaque æra.

ad quem locum TAUBMANN. in Comm. citat LUCANI verba:

Et ſuffixa manu foribus teſtudinis Indæ
Terga ſedent, crebro maculas diſtincta Smaragdo.

Statuas heroum in portis poſitas conſtat ex JUVENAL. *Sat. VII.*

- - *Hujus enim ſtat currus aheneus, alti*
Quadrijuges in veſtibulis, atque ipſe feroci
Bellatore ſedens, curvatum hoſtile minatur
Eminus, & ſtatua *meditatur prœlia luſca.*

Inſcribebantur *leges* quoque portis, ut obſervat Cl. CREMER *in tract. de Summa Sapientia Prov. VIII. p. 171.* Quare poſtibus & *portis* legem Dei inſcribendam præſcribit Moſes Deut. VI, 9. XI, 20. uti *poëma poſtibus affixum* memorat RUTIL. NUMATIAN. *Lib. I. Itin. v. 268.* De Inſcriptionibus portarum varia lege apud SAGITTAR. *l. c.*

cap. 28. tot. p. 292. ſq. & varias in portis inſcriptiones apud GRUTER. in *theſ. pag. CLXVII. n. 1. 2. ſq.* & paſſim. Præprimis *triumphales portæ* exornabantur, unde OVID. *Lib. III. Triſt. eleg. 1.*

Cur tamen appoſita velatur janua lauro,
Cingit & anguſtas arbor opaca fores?
An quia perpetuos meruit domus iſta triumphos?

nec non JUVENAL. *Sat. VI. v. 79.*

Longa per anguſtos figuntur pulpita vicos,
Ornentur *poſtes & grandi janua lauro.*

Unde PORTA TRIUMPHALIS in inſcript. apud GRUTER. *p. LXXIX. 3.* memoratur. Elegans hanc in rem nummus eſt, quem exhibet OISEL. in *Numiſm. Tab. LVIII. n. 3.* ubi apparet porta lauro & frondibus ornata, per quam Imperator captivum dextra trahit, cum epigraphe: FELIX. TEMPORVM. REPARATIO. Plura de portis triumphalibus & exornatis vide apud OISEL. *in Comm. ad Tab. LV. n. 5. & 8. p. m. 334. 336. Jul. Cæſ.* BULENGER. *de triumph. Cap. XXIII. p. 60. ſq.* SAGITTAR. *l. c. cap. XXX. p. 209. ſq.* Ad portas haſce alludi cenſent interpretes docti Pſ. XXIV, 7. *elevate capita veſtra, PORTÆ hujus ſeculi, ut ingrediatur Rex gloriæ.*

Hæc omnia ſenſu ſublimi & myſtico deprehendimus quoque in regno tenebrarum. *Ornatu ſuo* & pompa externa ſuperat regnum lucis, quod non venit cum externa παρατηρήσει, teſte Salvatore, nec eſt regnum de hoc mundo Joh. XVIII, 36. ſed inviſibile & ſpirituale. Regna vero hujus mundi gloria eminent externa, quæ cum omni gloria Satanas Chriſto, ipſum adoraturo, promittit Matth. IV, 8. 9. Et hac in re diſtinguitur regnum tenebrarum a regno Meſſiæ, quoniam pompa terreſtri gaudet & gloria hujus ſeculi. Tale deſcribitur regnum Antichriſti, quod ingentem ſibi gloriam tribuit & luxuriatur ornatu, Apoc. XVIII, 7. unde vocatur v. 16. *civitas magna, quæ amicta erat byſſo & purpura & cocco, & deaurata erat auro & lapidibus pretioſis & margaritis.* conf. Ezech. XXVII. cap. In hoc mundo regnum tenebrarum ſæpe triumphum canit, per perſecutiones graviſſimas, & portas triumphales erigit, quales regnum Ethniciſmi primis Evangelii temporibus olim ſtabilivit cum inſcriptione: NOMINE CHRISTIANORUM

RUM DELETO. Sed brevis hic triumphus in fatalem ruinam convertetur, quando audietur vox: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna!* Apoc. XVIII, 2. *Inſcriptiones* ſuas habent hæ inferorum portæ, ſc. *χάραγμα* beſtiæ et numerum nominis ipſius, quem in frontibus et manibus ſubditi gerunt, Apoc. XIII, 16. 17. cap. XIX, 20. XIV, 11.

XII. B. Tranſimus ſecundo loco ad varios *portarum* apud veteres *uſus*, et notamus

1) *Domeſticum*, qualis erat, quod in portis et earum *areis forum* rerum *venalium* conſtituerent; et *conventus* populi ad eas publicus haberetur, quare in portis frequentiam hominum conſpicere licebat. Huc refer 2. Sam. XVIII, 4. *Subſtitit rex* in area portæ, et *totus populus procedebat.* adde Neh. VIII, 1. De foro venalium ad muros et portas vide Neh. XIII, 19-21. nec non 2. Reg. VII, 16. 18. *bina ſata hordei ſiclo, & ſatum ſimilæ ſiclo venale erit hoc tempore cras in porta Samariæ.* Ad conventum in portis publicum reſpicit Judæorum dictum in *Zohar. col. 183.* אזיל יומא חד בפילי טיבריא *Ambulabat die quadam in porta Tiberiadis*, ſc. in frequentia hominum. Obſervat quoque doctiſſ. REIZ. in *not. ad* GOODWIN. *p. m. 172.* ſi porta ovium, equorum et piſcium memoretur apud Judæos, non ideo dici, quia hæc bruta per easdem tranſiverint, ſed a foris ſuis ita denominatas eſſe. Varia quoque ſcripturæ loca ad frequentiam populi in portis alludunt, uti Pſ. LXIX, 13. Meſſias coram tribunali conſtitutus mundano conqueritur: ישיחו בי יושבי שער *Confabulantur de me ſedentes in portis.* Hanc ob cauſam *prophetæ* ſæpe in portis urbis prophetabant, et frequentiæ hominum verba Dei inſinuabant, uti Jeremiæ mandatum hoc contigit, Jer. XVII, 19--21. Huc quoque reſpicit HERODIAN. *hiſt. L. II. C. IX. §. 7.* ἐπεὶ δὲ κατὰ τὴν ἀρχὴν τῆς ἀγορᾶς ἐγένετο, ἔνθα ἐπὶ τῆς δημοκρατίας πρότερον ὁ δῆμος συνιὼν ἐκκλησίαζεν. *Sed ubi ad ipſum fori pervenit ingreſſum, in quem olim liber populus, frequentia maxima conveniebat.* Et de *foro* ad muros et portas idem ſcribit *L. VII. C. VI. §. 6.* προύθεσάν τε ὑπὲρ τῶν τείχων ἀγοράν, ὤνιον παρέχοντες πάντων τῶν ἐπιτηδείων, τροφῶν τε παντοδαπῶν καὶ ποτῶν ἀφθονίαν. *Sed & forum rerum venalium ſupra vel juxta mœnia expoſuerant,*

magna

magna ciborum vinique copia. Quare ARISTOPH. in *ἱππ. act. V. ſcen. 2.* ſcribit:

> Ἐπὶ ταῖς πύλαις ἀλλαντοπωλήσει μόνος
> Τὰ κύνεια μιγνὺς τοῖς ὀνείοις πράγμασιν.
> *Et ad* portas *ſolus vendat farcimina,*
> *Canina miſcens aſininis negotiis*, i. e. carnibus, ut explicat Scholiaſt. Græcus.

In portis quoque inferorum hominum deprehendes myriades quamplurimas. *Lata* enim *eſt porta & via ſpatioſa, quæ in abyſſum ducit perniciei, multique ſunt, qui per eam ingrediuntur,* Matth. VII, 13. *angeli mali,* qui portas haſce occupant, per myriades & legiones numerantur, Luc. VIII, 30. Quare Meſſias portas inferorum expugnans conqueritur Pſ. LXIX, 5. *Plures ſunt, quam capilli capitis mei, adverſarii injuſti; potentiores ſunt, qui opprimunt me, qui mihi inimici ſunt injurioſi.* Quare duces hujus frequentiæ *reges exercituum* vocantur, Pſ. LXVIII, 13. uti quoque populus hic *cœtus robuſtorum juvencorum & vituli populorum,* audit v. 31. In his portis *forum venale* apparet concupiſcentiarum hujus mundi ejusque divitiarum, quibus animas incredulas ineſcat Satanas, Matth. IV, 8. 9. 1. Tim. VI, 5. 9. Matth. XVI, 26. 1. Pet. II, 11. 12. 2. Tim. II, 26. In *Antichriſto* quoque tale forum venale erigendum erat, Apoc. XVIII, 11. 12. Ezech. XXVII, 3. ſq. Jeſ. XXIII, 3. Jeſ. XLVII, 15. Ezech. XVII, 4. Quare ſuo jam tempore MANTUANUS eſt conqueſtus:

> \- - - *venalia nobis*
> *Templa, ſacerdotes, altaria, ſacra, coronæ,*
> *Ignis, thura, preces, cœlum eſt venale, Deusque.*

Docte hæc omnia perſequitur Cel. & Cl. LAMPE in *Pſ. XLV. p. 460. ſq.*

XIII. 2) Alter uſus erat *civilis & politicus.* In portis enim erat *conſeſſus procerum* & primatum ſeniorumque populi, in illis *Synedria* ſeu conſeſſus *judiciales* habebantur, ubi populi *lites* & cauſæ dirimebantur pro *tribunalibus.* De conſeſſu *primatum* in portis vide 2. Sam. XVIII, 24. Cap. XIX, 8. Gen. XIX, 1. Ruth IV, 1. 1. Sam. IV, 18. 1. Reg. XXII, 10. Eſth. II, 19. III, 2. Huc reſpicit Job. cap. XXIX, 27.

Quum

Quum egrediebar ad portam per urbem, in platea comparabam ſedem meam; adde Prov. XXXI, 31. *laudant in portis facta ejus.* et Jer. I, 15. ubi de *ſoliis ad portas* ſermo eſt. De conſeſſu *judicum* & judiciis in portis lege Deut. XVI, 18. *Judices conſtitue in ſingulis portis*, & vide cap. XVII, 8. cap. XXI, 19. XXII, 15. 24. XXV, 7. Joſ. XX, 4. Gen. XXXIV, 20. Ruth. IV, 11. 1. Sam. IX, 18. 2. Sam. XV, 2. Huc reſpicit Job. cap. XXXI, 21. *An agitavi manum contra pupillum, quum viderem in porta auxilium meum?* i. e. an oppreſſi pupillos, quum faventes judices haberem; & Salomo Prov. XXII, 22. *ne conteras*, i. e. opprimas, *pauperem in porta*, i. e. judicii foro. & cap. XXIV, 7. *ſtultus in porta non aperit os ſuum*, i. e. coram judice obmuteſcit. necnon Thren. V, 14. *ſenes e porta ceſſant*, i. e. judicium negligitur, Amos V, 12. *pervertentes egenos in porta*, i. e. opprimentes juſtitiam pauperum in judicio; & v. 15. mandat Jehova: *Conſtituite jus in portis.* Uti & Zach. VIII, 16. *pacis jus dicite in portis veſtris.* Locus judicii Hebræis dicitur בית שער *domus portæ*, in quo erectum erat ſolium judiciale ſ. tribunal ad jus dicendum, ut docet literatiſſ. BUXTORF. in *Lex. p. 2488.* Unde MAIMONID. *Hilc. Sanhedr. Cap. I. §. 4.* מעמידין בכל עיר ישראל שיש בה קׄבׄ או יותר סנהדרי קטנה ויושבת בשער שנ״ והציגו בשער משפט ובמה יהיה מניינם כ״ג וכולי *Conſtituunt in qualibet civitate Iſraëlis, in qua ſunt 120 aut plures, Synedrium minus, ſedebatque illud* in porta *ciuitatis illius, quia dicitur: Conſtituite* in porta *judicium. Quantus vero erat numerus judicum? XXIII. &c.* Notus eſt locus HOMERI a variis citatus, *Iliad. Lib. III. p. m. 53.*

- - - πεπνυμένοι ἄμφω
Ἕιατο δημογέροντες ἐπὶ Σκαίῃσι πύλῃσι
Γήραϊ δὴ πολέμοιο πεπαυμένοι.
Prudentes ambo ſedebant populi Seniores
In Scæis portis, *ob ſenium a bello ceſſantes.*

Huc dubio procul etiam reſpicit *Iliad. VI. p. m. 103.*

- - - ὅνεκ᾽ ἄριςοι
Πᾶσαν ἐπ᾽ ἰθὺν ἔςε μάχεσθαί τε φρονέειν τε
Στῆτ᾽ αὐτȣ͂ καὶ λαὸν ἐρυκάκετε πρὸ πυλάων.

Quia praeſtantiſſimi omnem ad motum eſtis,
Et ad pugnandum & conſulendum; *ſtate illic*
Et populum inhibete ante portas.

nec non HERODIAN. *Lib. II. cap. 14. §. 4.* Ἐπεὶ τοίνυν ὅ τε δῆμος αὐτοῦ ὑποδεξάμενος εὐφήμησεν, ἥτε σύγκλητος ἐπὶ ταῖς τῆς πόλεως εἰσόδοις προσηγόρευεν. *Poſtea vero quam eum populus fauſtis acclamationibus ſuſcepit, & Senatus univerſus in* portis *urbis ſalutavit.* & de *proceribus* ad portas canit HOMER. *Iliad. III.*

Τοῖοι ἄρα Τρώων ἡγήτορες ἦν ἐπὶ πύργῳ.
Tales Trojanorum proceres ſedebant in turri. (ſc. portæ ut ex præced. patet.)

Cæterum de *judiciis Judæorum* aliarumque gentium in portis conf. LIGHTFOOTH. *Opp. Tom. II. p. m. 372.* WAGENSEIL. *in Sotah. p. 35. 36.* CARPZOV. *ad Schickard. Jus reg. p. m. 13.* SIGONIUM *de Republ. Hebr. Lib. VI. cap. VI. p. m. 461.* HULSII *Uchal ſ. in Proverb. p. 213.* HOHEISEL. *in loca Jeſ. Obſ. p. 192.* REIZ. *not. ad Goodw. Moſ. & Aaron. in not. p. 174.* DOUGT. *analect. S. P. I. Exc. 73. p. m. 125. ſq.* Cel. LAKEMACH. *Obſ. S. P. I. p. 156.* Cl. DEUTSCHMAN. *Diſſ. de Petra Eccleſ. Sect. I. cap. 2. Witt. 1679.* Et qui varias & quamplurimas hujus ritus in portis obſervati rationes & cauſas ſat graves adducit Cel. J. D. JACOBI *in Diſſ. de foro in portis, Lipſ. 1714.*

Hæc quadrant in portas inferorum ſeu regnum tenebrarum, cui *conſilia & judicia* callida, quæ contra regnum gratiæ & populum Dei quamplurima cudunt, competunt. *Siſtunt ſe Reges terræ & proceres conſultant ſimul contra Jehovam & contra unctum ejus*, Pſ. II, 2. & Eccleſia conqueritur Pſ. XXXI, 14. *conſilia cudunt contra me, cogitant de capienda anima mea.* & Pſ. LXXXIII, 3. *Adverſarii tui caput attollunt, contra populum tuum callide ineunt conſilia, & conſultant contra occultos tuos.* *Praeſes* hujus Synedrii eſt Satanas, callidus ille Draco, 2. Cor. XI, 3. 4. qui conſiliis ſuis pravis primum hominem in ſuas caſſes traxit, & omnes hominum filios eadem calliditate ſua seducere tentat, 2. Tim II. 26. Vicarios ſuos in hac terra habet *magnates & proceres* a Deo alienos, quales reges olim ethnici, qui conſilia lethalia contra Chriſtianos cudebant; anteceſſores hac in re habentes Judæos

Judæos & eorum Synedrium, vide Luc. XXII, 66. Act. IV, 15. V, 21. VI, 12. XXII, 30. XXIV, 20. Joh. XI, 53. Tales hodie reſtant in Anti-Chriſtianiſmo; quo pertinent horrenda illa Inquiſitionis infernalis ſubſellia, in quibus tot cruenta & lethalia contra Eccleſiam Dei in hac terra militantem, conſilia agitantur & executioni ſæpe dantur; & in quibus ſæpe plus quam diabolica malitia & injuſtitia exercetur. Pertinent huc tot *anathemata* ſpiritualia a Curia Romana in gregem Dei pronuntiata, ad exſtirpandos veros Dei confeſſores, quæ tamen Eccleſiæ nondum ad hunc usque diem prævaluere.

XIV. 3. Reſtat ultimus *Portarum uſus* ſc. *ſacer. Aras & excelſa* exſtruebant in *portis*, in iis *votivas* res, & conſecrata belli ſpolia ſuſpendere ſolebant. De excelſis conſtat ex 2. Reg. XXIII, 8. *polluit* excelſa, *in quibus adoleverant ſacerdotes iſti*, *& deſtruxit* במות השערים *EXCELSA PORTARUM.* Huc refer Act. XIV, 13. *Sacerdos autem Jovis ante vrbem collocati, adducens tauros vittatos ad* portæ *veſtibulum, cum turba ſacrificaturus erat.* Ad urbium portas Deorum idola quoque collocabant, uti & Imperatorum ſuorum ſtatuas, veluti docet Cl. J. NICOLAI *in tract. de ſiglis Veter. cap. XXX. p. 211.* De *ſuſpenſis* e turribus murorum & portis, rebus & armis *votivis*, vide Ezech. XXVII, 11. *Arvadæi ſuper muros & Gammadæi in turribus tuis erant, clypeos ſuos ſuſpendentes e muris tuis*, i. e. e portis vel arcibus murorum. Huc refer PROPERT. *Lib. IV.*

Armaque cum tulero portæ votiva *Capenæ.*

nec non VIRGIL. *Lib. VII. Æneid. v. 183.*

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum & portarum ingentia clauſtra,
Spicula, clypeique, ereptaque roſtra carinis.

Huc quoque reſpicit PROPERT. *Lib. IV. el. 3.*

Omnibus heu portis *pendent mea noxia* vota,
Texitur hæc caſtris quarta lacerna tuis.

vide etiam BULENGER. *de triumph. cap. XXIII. p. m. 61.* nec non SAGITTAR. *de Jan. Veter. cap. XXIX. p. m. 202.*

Portæ quoque tenebrarum non ſacris deſtituuntur. In iis *excelſa* turpiſſimæ idololatriæ deprehendimus, in quibus proles immolatur dæmoniis, Pſ. CVI, 37. Quare Apoſtolus de regno tenebrarum in his terris dicit 1. Cor. X, 20. 21. *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant & non Deo. Vos autem non poteſtis bibere poculum Domini, & poculum dæmoniorum* ſc. in libaminibus ſacris gentium. Apoc. IX, 20. dicuntur *adorare dæmonia & ſimulacra aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea.* In regno hoc φιλαυτίας idolum ab omnibus adoratur, & triceps hujus mundi Deus communi cultu honoratur, 1. Joh. II, 15. 16. Hab. I, 16. in quocunque corde excelſa erigit Satanas, quæ deſtruenda ſunt per Spiritum S. in converſione 2. Cor. X, 5. Mancipia ejus ſuſpendunt quoque arma quaſi votiva ejus in honorem a portis tenebrarum, dum omnes vires animæ corporisque in ejus ſervitudine conſumunt, eique conſecrant, Rom. VI, 12. ſiſtentes membra ſua arma injuſtitiæ, v. 13. Quare quoad corpus & animam ſpolium ipſius æternum in barathro æterno exiſtent, Rom. VI, 21. Apoc. XIV, 10. 11. XX, 10.

XV. Supereſt, ut phraſin *portarum INFERORUM* propius luſtremus; Vox ΑΔΗΣ convenit Hebr. voci שאול & πύλαι ᾅδε idem ſunt quod שערי שאול Jeſ. XXXVIII, 10, Sunt quidem viri eruditi, qui cum GROTIO vocem ᾅδης non niſi de ſtatu mortuorum explicandam eſſe cenſent in Scriptura, & unquam de inferno ſeu loco damnatorum occurrere negant. Verum ſi locus noſter cum Prov. V, 5. & Luc. XVI, 23. conferatur, ultro patet, per eam quoque τόπον βασανῶν intelligi commode poſſe. Vide quæ hanc in rem egregie diſſerit Cel. WITS. *œcon. L. III. C. XIII. p. m. 510. ſq.* & in genere de voce ᾍδης TH. CRENII *analect. p. 336. Opuſc. S. T. IV. p. 14. ſq.* ubi WINDET *de vita funct. ſtatu* late hanc vocem excutit. TH. AMELIUM in *N. T. Tom. I. p. 520.* GROTIUM ad Luc. XVI, 23. DEUTSCHMANNI *diſſ. cit. l. c.* ſupra.

1. Obſervamus vero phraſin *portas inferorum* in ſcriptis Judæorum ac gentium eſſe frequentiſſimam. Sic apud Judæos in *Erubb. C. IV. fol. 19.* אמר רבי ירמיה בן אלעזר ג׳ פתחים יש לגיהנם אחד במדבר ואחד בים אחד בירושלים *Ait R. Jeremias filius Elea-*

Elhaſaris, gehennæ ſeu inferni portæ *tres ſunt, una in deſerto, altera in mari, tertia Hieroſolymæ.* Et in *Pirke-Aboth p. 149.* legimus: שבע פתחים יש לגיהנם *Septem* portas *habet gehenna*, ſeu infernus: Conf. WAGENSEIL in *Sotah p. 220.* et SAUBERT. in *Palæſtr. p. m. 6. 7.* Similiter in *Alcoran. Surat. XV. 44.* docetur: لها سبعة ابواب لكل باب منهم جزء مقسوم *Illi* (gehennæ) *ſunt ſeptem* portæ, *& cuilibet portæ diſtinctæ ſunt partes.* Sæpius apud HOMERUM quoque memorantur portæ inferorum, veluti *Iliad. V. p. m. 94.*

> Ἀλλ' ὑπ' ἐμε̃ δμηθέντα πύλας ἀΐδαο περήσειν,
> *Sed a me interfectum* portas inferni *penetraturum.*

nec non *Iliad. L. IX. p. m. 160.*

> Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
> *Inimicus enim mihi ille æque ac* inferni portæ.

conf. *Iliad. Lib. XIII. p. m. 250.* unde OVID. *L. IX. metam.*

> *Ad Styga Tænaria auſus deſcendere* porta.

Vide VIRGIL. *Æneid. L. VI. v. 127.* HESIOD. *Θεογον. v. 773.* & adde WINDET. *de vita funct. ſtatu p. m. 59.* BARTH. *ad Claudian. p. 857.* Doctiſſ. BURGER. *diſſ. de diis clavigeris cit. p. 6. ſq.* Portas has ex antiquo marmore exhibet Cel. MONTFAUCON, & ex eo Cl. BURGER *diſſ. cit.* in titulo. Vide eas expreſſas in titulo noſtro fig. III.

2. Supra diximus, portas tribui urbi, domui vel palatio, antro, carceri etc. Et infernus ᾅδης ſæpius etiam in ſcriptis profanis tanquam *urbs* conſideratur, veluti apud OVID. *metam. L. IV.*

> - - - *ſtygiam quod ducat ad* urbem.
> *Mille capax aditus & apertas undique portas*
> Urbs *habet.*

tanquam *domus*, apud PROPERT. *L. III. el. 11.*

> *Nigranteſque* domos *animarum intraſſe ſilentum.*

VIRGIL. *L. VI. Æneid. v. 269.*

Perque domos *Ditis vacuas & inania regna.*

EURIPIDES quoque in Alceſt. ᾅδου δόμους memorat THEOGN. in *ſentent. v. 244.*

πολυκωκύτους εἰς ἀΐδαο δόμους.

Luctuoſas in Ditis ſ. inferni domos.

Sæpiſſime tamen apud HOMER. *Iliad. III.* δόμος ἀΐδος, *domus orci*, *Iliad. XI. p. m. 204.* nec non *L. XX. p. 358. 364. Il. XXIII. p. 396.* nec non *odyſſ. L. X. p. 145.* & *L. XI. p. 153.* & paſſim.

Regia quoque ſeu palatium vocatur OVID. *metam. L. IV.*

- - - *ubi ſit nigri fera* regia *Ditis.*

et *epiſt. II. heroid.* idem.

Et pulſata nigri regia *cæca Dei.*

Ex his jam liquet, per PORTAS INFERORUM πύλας ᾅδου elegantiſſimo emblemate totum deſignari tenebrarum regnum, cujus princeps eſt Satanas, & quod ceu urbs domus, palatium & regia ipſius in ſcriptis æque ſacris ac profanis conſiderari apte poteſt, ut ſupra docuimus. Quare licet Satanas totum contrahat exercitum ſuum & portis i. e. *caſtris validiſſimis* urbem Dei vivi i. e. Eccleſiam adoriatur; non tamen prævalebit, ſed recedere cum ignominia cogitur, quemadmodum ad hunc usque diem Deus Eccleſiam ſuam contra regnum hoc tenebrarum tuitus eſt, & tuebitur ad finem.

XVI. O beatam ergo ſortem populi Dei, qui ſub duce ſalutis ſuæ contra regnum hoc tenebrarum pugnat! quem in rupe æterna confirmatum *portæ inferorum* non ſuperabunt. Sed proh infelices animas, quæ ſub principe tenebrarum hactenus arma geſſerunt! Quot miſera mancipia catenis caliginis conſtricta tenentur, quæ neſciunt ſe captiva ſervari ad diem perniciei. Se ipſos proh dolor decipiunt tot hypocritæ, qui libertatem ſibi imaginantur & de eadem gloriantur, ſed ſubtiles, quibus a duce infernali conſtricti ſunt, laqueos non perſpiciunt! Turpis hypocrita! quot peccata in animo foves proterva & contumacia, tot vincu-

vinculis es irretitus. Heic ſecurus in laqueis peccati incedis, ſed quantus oſſa percurret horror! quando larva detrahetur, & velum cordis tui detegetur in die judicii. Quum triſtiſſimus ſit & maxime infelix ſtatus captivitatis; mirari tamen oportet ſecuritatem tot miſerarum in hoc ſtatu animarum. Obſecramus vos, rogamus per vulnera Mediatoris, o ſecuri Zionis! conſiderate conditiones ſtatus veſtri præſentis; ad quem finem corporis animæque vires conſumitis? qualis inde redundabit fructus? Rom. VI, 20. 21. O ſi lux cœleſtis oculos aperiret; non diutius in carcere hoc ſqualido portarum infernalium morari poſſetis. Jam hora gratioſa adeſt, excutite vincula caliginis, induite arma lucis. Deſerite caſtra Satanæ & mundi, & ſub vexillo Meſſiæ jurantes perſiſtite. Ille fortiſſimus eſt, Deus & rupes æternitatis, ſub illius umbone tuti exiſtere poteſtis adverſus omnes portarum infernalium machinas. Rugiat Satanas inſtar leonis, premant, angant, minitentur inſtrumenta ejus; Deus eſt, qui ſub alis & vexillo ſuo vos teget. Beatas ergo animas in hisce caſtris arma gerentes! Victoria ab eorum nunquam non erit parte; premi non opprimi, cingi non vinci, debellari non ſuperari poſſunt. Erigite ergo animum, quotquot in acie conſtituti pugnatis adhuc. Clypeus ornet & tegat pectus, gladius muniat & exerceat manum, thorax cingat præcordia, Eph. VI, 12--15. Furiant ergo, irruant, urgeant adverſarii; heros ille æternus, dux exercitus Jehovæ a dextra eſt conſtitutus, ille defendit, ille tuebitur nos. Flammam evomat ac fulgura mittat beſtia Antichriſtiana, conſpiret cum portis infernalium ſpirituum, ſub Salvatoris umbone tuti & victores exiſtemus, 1. Cor. XV, 57.

EXERCI-

EXERCITATIO IV.

DE

GALLI CANTU, SYMBOLO PRAECONII APOSTOLORUM.

MATTH. XXVI, 74.

ARGUMENTUM.

§. I. Difficultates loci Matth. XXVI, 74. de gallicinio Hieroſolymitano breviter ſolvuntur. §. II. Myſterium hujus circumſtantiæ attingitur, & gallicinium hoc in paſſione Salvatoris ſymb. fuiſſe futuri præconii Petri & Apoſtolorum, docetur. §. III. Propius emblema gallorum excutitur, & præconibus Evangelii applicatur. Quia galli criſtas in capite gerunt inſtar coronæ, quam tuentur. §. IV. Pennis coloribus ſplendentibus, cauda falcata & alis inſtructi ſunt, quas movent & elevant. §. V. Greſſu inprimis tardigrado & ſuperbo incedunt, erecta cervice, unguibusque armatos pedes gerunt. §. VI. Singularis gallorum erga gregem gallinarum στοργή *conſtat, quas defendunt, convocant, granis ſuſtentant collectis, ſæpe quoque ovis incumbunt his mortuis, & tenera voluptate erga eas afficiuntur. §. VII. Vox gallorum alta, diſtincta & maxime ſonora eſt, quæ late audiri ſolet. §. VIII. Cantus galli quoque certis temporibus auditur, unde gallus tempeſtates & horas diſtinguere credebatur. §. IX. Cum ſole ſympathiam ſpecialem obſervant hujus volucris, Phyſiologi. §. X. Animal eſt pugnax, unde marti ſacer gallus, & varia gallorum inter ſe pugnantium theatra apud veteres inſtituta. §. XI. Hoſtis gallorum eſt vulpes, & accipiter, ſed & illi leoni & ſcorpioni terro-*

terrorem incutere dicuntur. *§. XII. In* auguriis *&* ſacrificiis *frequens eorum uſus ſacer erat apud antiquos.* *§. XIII. Quemadmodum & uſus* domeſticus *in* cibis *&* medicus *celebratur ipſorum apud naturalium ſcrutatores.* *§. XIV. Epilogus.*

I.

INſignis in hiſtoria paſſionis Dominicæ circumſtantia eſt GALLICINIUM illud, quo Petrus Apoſtolus, ter Salvatorem ſuum *ἀπαρνησάμενος*, ad reſipiſcentiam fuit vocatus, *Matth. XXVI*, 74. 75. Noctuas certe Athenas ferre videri jure merito poſſemus, ſi quæ ad illuſtrationem hujus in genere circumſtantiæ inſervirent, prolixe recenſere vellemus, utpote a viris doctis abunde congeſta. Quare duplicem circa hujus loci collati cum aliis Evangeliſtarum teſtimoniis de gallicinio Petri, difficultatem ab interpretibus motam, digito tantum extremo attingimus. Una eſt, quod Matth. Lucas & Johannes unius ſolum *ἀλεκτροφωνίας* mentionem faciant, Marcus vero Cap. XIV, 30. duplicis, quam optime ſolutam vides apud Cel. BOCHART. *Hieroz. P. II. p. m. 118. ſq.* C. M. DE VEIL. in Matth. *p. 307.* LIGHTFOOTH. *opp. Tom. II. p. m. 660.* LYDII *flor. ſparſ. ad paſſ. p. m. 109.* BYNÆ. *de morte I. C. p. m. 235.* Cel. *Hamb. Philologum J. C.* WOLF. *in curis philol. ad h. l. p. 378.* nec non Cel. virum poſt fata viventem F. A. LAMPE in *comm. in Job. T. III. p. 90. ſq.* in not. aliosque paſſionis Domin. explanatores. Alterius difficultatis cardo in eo verſatur, quomodo Petrus Hieroſolymis gallum canentem audiverit, quum ex lege Judæorum nulli Hieroſolymis galli alendi eſſent, ne ſacra polluerentur per eosdem, uti ex *Bava Bathr.* obſervat LIGHTFOOT, atque ex eo Cel. RELANDUS aliique. Quam itidem difficultatem viri Celeb. WOLFIUS atque LAMPIUS l. c. & Cel. RELANDUS ſingulari *oratione de galli cantu Hieroſolymis audito*, notis ſuis explicuere. Per *ἀλεκτροφωνίαν* vero hancce *ſonum tubæ* improprie intelligere, *ἀύστατον* eſſe cenſemus, quare Cl. & cœteroquin doctiſſ. vir J. G. ALTMANNUS, qui hanc ſententiam tuitus eſt & ſpecioſe ſatis exornavit in *Bibl. Brem. Tom. V. p 471. ſq.* nigrum minime ſubterfugit carbonem, quo notatus eſt a Doctiſſ. J. BIEL. & ANONYMO *in Bibl. Brem. Tom. VI. p. 1057. ſq.*

 Sed

Sed quum hæc hujus loci non ſint, plura addere abhorret animus.

II. Quum ergo per *ἀλέκτορα Gallum* proprie dictum intelligendum eſſe ex virorum Cel. cit. demonſtratione conſtet, qui vel in palatio Pilati vel extra urbis mœnia, vel in urbe etiam enutritus fuit, ſupereſt, ut videamus, quod plurimi & fere omnes Interpretes ſicco pede prætereunt, quæ rationes ſapientiſſimæ Salvatori noſtro fuerint, cur hocce præciſe medio ſc. galli cantu Petrum lapſum erigere & ad reſipiſcentiam invitare voluerit. In genere quidem heic in memoriam nobis vocamus, beſtias agri, aves & volucres cœli hominem ſæpe de neglecto officio ſuo ex ſapientia divina monere debere, quæ in exemplum obedientiæ, providentiæ, ſtudii gloriæ divinæ &c. homini in ſcriptis ſacris proponuntur, uti ex Job. XII. Pſ. XIX. Jer. VIII. aliisque locis conſtat. Quoniam vero in lapſu Petri typum & exemplum Eccleſiæ in ſubſequentibus ſeculis toties lapſæ deprehendimus, ut obſervat vir laude noſtra major, F. A. LAMPE *in Comm. Joh. T. III. p. 539.* In ſpecie autem quia Petrus publicus futurus erat Doctor, qui jam quidem abnegaverat Chriſtum, ſed majori poſtea cum zelo coram Judæis & Gentibus, per præconium Evangelii eundem erat confeſſurus; *Gallus* hic Petrum voce ſua ad reſipiſcentiam vocans typus & ſymbolum elegans eſſe poterat præconum Evangelii, qui Judæos ac gentes voce Evangelii converſuri erant.

Confirmamur in hac noſtra hypotheſi, quoniam *gallus* apud antiquos Doctorum atque præconum facundorum hieroglyphicon fuit notiſſimum, ut docet PIER. *Hieroglyph. Lib. XXIV. cap. 27. p. m. 242.* In genere de galli gantu ſymbolico ſcribunt Judæi in בראשית חכמה *fol. 41. col. 1.* quæ verba Latine ex BUXTORF. *Synag. Jud. Cap. VIII. p. 150.* notamus: „Quemadmodum ſuperi excitantur ad „laudandum Deum, quando audiunt vocem præconis ſuperni; ſic „homo pius debet in ſpiritu ſuo excitari ad glorificandum creatorem „ſuum, quando media nocte audit cantum galli, & ſe cum cogitare: „Si eſſes in palatio Regis & audires PRÆCONEM legis proclamantem, ut ſervi ejus præſto & parati adſint ad ſervitium Regis; quanta „diligentia & promtitudine te accingeres, ne in ejus pœnam occurreres,

reres? Quare igitur non timeres, cum audis vocem galli, quem ſa-„ pientes dicunt canere ſeu clamare virtute præconis ſuperioris.„ Quemadmodum & Arabes ملكا في صورة ديك *angelum* ſeu præconem *galli forma* Deo tribuunt, conf. BOCHART. *Hieroz. II. p. 855.* Quare gentes gallum *Mercurii aſſeſſorem*, ipſique miniſtrum ſacrum fingebant, quia Mercurius facundiæ & eloquentiæ Præſes habebatur. Unde LUCIAN. *in Somn. S. Gall. Opp. Tom. II. p. m. 594.* loquentem gallum introducit: Ἐγὼ δὲ Ἑρμοῦ πάρεδρος ὢν, λαλιστάτου καὶ λογιωτάτου θεῶν ἁπάντων. *Ego vero quum ſim Mercurii aſſeſſor loquaciſſimi Deorum & omnium facundiſſimi.* Huc pertinet nummus quem exhibet GOLZ. *in Inſul. Græc. Tab. XII. num. 1.* ubi in averſa parte caput Mercurii alatum, & in altera gallus cum epigr. ΚΑΡΥΣΤΙΩΝ, quem vide expreſſum in *Tabul. noſtra præfixa num. XV.* Huc refer effigiem Mercurii cum gallo in ſiniſtra manu apud CHOUL. *de la relig. des anciens Rom. p. 171.* Apud antiquos etiam Chriſtianos in templorum faſtigiis ponebatur gallus, vide PLINIAN. *Exercit. in C. Jul. Solin. Polyhiſt. p. 1245.* unde in ALCIAT. *Emblem. XV.*

Inſtantis quod ſigna canens dat Gallus Eos,
Et revocet famulas ad nova penſa manus.
Turribus in ſacris effingitur ærea, mentem
Ad Superos pelvis quod revocet vigilem.

In ſepulchris & cippis quoque ſculptum gallum gallinaceum in ſymb. *vigilantiæ* docetur in PLINIAN. *l. c. p. 1221.*

III. Elegans certe inter *gallos* & *præcones* Evangelii analogia eſt, quam paucis excutiemus.

1. *Galli* præcipue *criſta* eſt memoratu digna, quam galeæ ſeu coronæ inſtar in capite gerit, & ſollicite tuetur, eaque ſuperbit. Eam ob cauſam περισκὸν ὀρνίθα eum dici exiſtimat PLIN. *in Exerc. in Solin. p. 872.* quia cydarin quaſi in capite geſtat. PAUSAN. *in Bœotic. Lib. IX. p. m. 574.* de iis: Ἔστι δὲ καὶ γένη δύο ἐνταῦτα ἀλεκτρυόνων, οἵτε μάχιμοι καὶ οἱ κόσσυφοι καλούμενοι. Τούτων γὰρ κοσσύφων μέγεθος μὲν κατὰ τοὺς Λυδοὺς ἐστὶν ὄρνιθας, χροὰ δὲ ἐμφερὴς κόρακι,

καλλαια δὲ καὶ ὁ λόφος, κατὰ ἀνεμώνην μάλιστα. Gallinaceorum genera duo ſunt, pugnaces & qui merulæ dicuntur. Hi ejusdem ſunt, cum Lydorum avibus magnitudinis, colore corvo ſimiles, palearia & criſta ad phenii ſimilitudinem. Egregie ÆLIAN. *de Gallis* orientalium *lib. XVI. hiſt. anim. cap. 2.* Ἀλεκτρυόνες δὲ γίνονται μεγέθει μέγιστοι, καὶ ἔχουσι λόφον οὐκ ἐρυθρὸν ἀλλὰ ποικιλὸν κατὰ τοὺς ἀνθινοὺς στεφάνους. *Naſcuntur & gallinacei maximi, nec rubram habent criſtam, ſed ita variam & floridam, quemadmodum coronam ex floribus contextam.* PLINIUS *Hiſt. Nat. Lib. XI. cap. 37. p. m. 202.* illam deſcribit tanquam *ſpectatiſſimum gallinacei inſigne.* unde OVID. *Lib. I. Faſt.*

Nocte Deæ noctis criſtatus *cæditur ales.*

et MARTIAL. *Lib. IX. ep. 70.*

Nondum criſtati *rupere ſilentia* galli.

et *Lib. XIV. ep. 223.*

Criſtatæ*que ſonant undique lucis aves.*

Narrant quoque de gallo quod cum limen introëat, ſe inclinet, ne criſtam, quam maxime tuetur, lædat, eam enim quaſi altiſſimam ſibi imaginatur. Ita ATHENÆUS *Lib. IX. p. 391.* Ἱστορεῖται ὅτι ἀλεκτρυὼν εἰσιὼν, ὅταν δήποτε θύραν ἐπικλίνει τὸν λόφον. et ÆLIAN *hiſt. anim. Lib. IV. cap. 29.* θύραν γὰρ ὑπιὼν, καὶ τὴν ἄγαν ὑψηλὴν, ὁ δὲ ἐπικλίνει ἀλαζονέστατα δρῶν ἐκεῖνος τοῦτο· φειδοῖ γὰρ τοῦ λόφου πράττειν ἔοικε τὰ εἰρημένα. *Quum limen intrat, tametſi ſuperum altiſſimum exiſtat, is tamen ſeſe inclinat, quod quidem ipſum ſuperbia inductus facere videtur, ne videlicet criſta uſpiam offendat.* Idem exprimit PHILE apud Cl. STEENBUCH. *in Diſſ. de Gallicinio, Hafn. 1684.*

Πάλιν δ᾽ ὅγε θύραν αὐθαδῶς ὑποτρέχων
Αὐτοκράτωρ μέγιστε, τὸν λόφον κλίνει etc.
At cum ſubit limen, ſuperbe criſtam
Dejicit, Imperator.

Egregie hoc exprimit majeſtatem præconum N. T. qui *coronam* in capite geſtant, & *galeam* ſalutis, quam ſolicite in converſatione ſua cum mundo tueri tenentur & conſervare. Quare Apoc. III, 11. Eccleſiæ

ſiæ Philadelphienſis angelo præcipitur: *Ecce venio cito, retine quod habes, ne quis auferat coronam tuam.* Eph. VI, 17. tutela galeæ ſalutis commendatur. *Coronam* gerunt in capite duodecim ſtellarum ſeu veritatum cœleſtium, Apoc. XII, 1. Animæ fideles per præconium veritatis conuerſæ, ipſis *ſunt corona*, qua ſuperbient & gloriabuntur in die judicii, Phil. IV, 1. *Corona*, quam geſtant, ſunt beneficia gratiæ & dona Spiritus S. effuſa in caput ipſorum, Act. II, 33. quemadmodum oleum ſacrum in Pontificis olim capite effuſum coronæ inſtar habebatur; ita Spiritus Chriſti in ipſos ceu oleum S. deſcendit Pſ. CXXXIII, 1. 2. illum ſervare & tueri tenentur, digne illo ambulare & converſari in hoc mundo, Gal. II, 20. 2. Tim. I, 6. retinenda eſt fides & conſcientia bona, ceu optima corona, 1. Tim. II, 19. tenendum eſt myſterium fidei in pura conſcientia, cap. III, 9. *obſeruanda eſt confeſſio veritatis* (quæ ſignum & character fidelium ſervorum Dei eſt, in fronte eorum Apoc. XXII, 4. XIV, 1.) *incontaminata & irreprehenſa ad illuſtrem adventum Domini*, 1. Tim. VI, 14. *Tenaces* eos oportet eſſe fidelis illius ſermonis, qui ad doctrinam facit, Tit. I, 9. Hæc eſt *ſertum* illud ex floribus veritatum variarum compoſitum, quo ornantur.

IV. 2. Gallus *colore vario pennarum alarumque* inſignium, quas ſingulari cum robore *vibrat* atque elevat in cantu, præditus & *ornatus* eſt, *cauda*que inſignitur maxime *falcata*. PLIN. *hiſt. Nat. Lib. X. cap. XX.* de eo: *Criſtis celſa, cœlumque ſola volucrum aſpicit crebro, in ſublime caudam quoque falcatam erigens.* De *pennis* gallinaceorum orientis ſcribit ÆLIAN. *hiſt. anim. Lib. X. cap. 2. p. m. 910.* Χρυσὰν δὲ ἔχει τὰ πτερὰ τῶν Ινδῶν ἀλεκτρυόνων χρυσωπὲς τε καὶ κυαναυγεῖς κατὰ τὴν Σμάραγδον λίθον. *Pennæ vero gallinaceorum Indiæ partim auri, partim cærulei vel Smaragdi colorem gerunt.* quemadmodum LUCIAN. *in Gall. p. m. 609.* de gallo Pythagorico: Καὶ μοὶ δοκεῖ Ὁμήρος δια τοῦτο χαρίτεσιν ὁμοίας εἰπεῖν σοῦ τὰς κόμας, ὅτι χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκοντο, *atque ob eam opinor cauſam Homerus pilos tuos gratiis ſimiles dixit, quod auro & argento revincirentur.* & *p. 632.* οὐραῖων πτερὸν μήκιστον, ὃ δι' ἁπαλότη-

λότητα ἐπικαμπὲς ἐστὶ memorat idem. Præprimis *alas* vibrat & excutit in cantu, quare LUCRETIUS *Lib. IV.*

> *Quin etiam gallum noctem explaudentibus* alis
> *Auroram clara conſuetum voce vocare.*

Uti & ÆLIAN. *l. c. Lib. VII. cap. VII.* Ἀλεκτρυόνες γε μὴν πτερυσσόμενοι καὶ φρυαττόμενοι. *Gallinacei quidem alarum percuſſione concrepantes & cucurrientes.* Et in fabula de gallo albo Dei legimus in *Chronica Eſpahan* apud BOCHART. *Hieroz. Tom. II. p. m.* 239. الله ديك ابيض جناحاه موشيا بالزبرجد والياقوت etc. *Deus habet gallum album, cujus alæ diſtinctæ ſunt ſmaragdis, carbunculis & margaritis &c.* conf. etiam RHODIGIN. *Lect. antiq. p. m. 860. 861.*

Hoc varias præconum Evangelii qualitates deſignat. Ornati hi ſunt *pennis* colore vario diſtinctis, i. e. *virtutibus* ſingularibus, quibus decus exiſtunt in oculis Dei & ſanctorum. Induti *veſtibus ſalutis*, Pſ. CXXXII, 16. rutilant ex ipſarum confeſſione & vita variæ perfectiones & dona Spiritus S. in eos collata. *In virtute modeſtiam, in modeſtia temperantiam, in temperantia patientiam, in hac amorem &* φιλαδελφίαν exhibentes, 2. Pet. I, 10. charitas, pax, manſuetudo, gratia, benignitas, fides, caſtitas, reliquique Spiritus S. fructus *pennæ* ſunt, exornantes hoſce gallos myſticos, Gal. V, 22. Sole juſtitiæ ejusque Spiritu illuſtrati, ſplendorem & lucem harum pennarum in tenebris & perverſa hujus mundi progenie, undique effundunt, Matth. V, 16. 1. Pet. II, 12. *Cauda* inſtructi quaſi ſunt *falcata*, quia converſatio ipſorum ſemper eſt decora, congrua cum præconio veritatis cœleſtis, & elata cœlum verſus, ubi ſuum habent πολίτευμα Phil. III, 20. a poſteriori vita fidei ipſorum etiam poſt mortem lucet, Heb. XIII, 7. *Alas* ſuas excutiunt plauſu & præconio Evangelii; corporis animique vires impendunt huic operi recte exſequendo. *Alas* fidei ſuæ elevant inſtar aquilarum, cœleſtia ſcrutantes, Jeſ. XL. ult. *fidei* varia documenta, & inſignis ejusdem roboris monumenta exhibent in præconio veritatis, qualia ſtupenda recenſet Apoſtolus, Heb. XI, cap. toto.

V. 3. *Greſſu elato* & firmo, *cervice* in ſublime *erecta*, & *pedibus unguibus* armatis incedunt galli. De greſſu eorum canit PHILE *περὶ ἰδιοτ. ζώων.* haud ineleganter:

Ἀλεκτρυὼν μέν τοι γε νικῶν τὴν μάχην,
Σφριγᾷ τε καθαρῶς, καὶ σοβεῖ καὶ τέρπεται.
Victor duello voce gallinaceus
Geſtuque faſtum prodit inſolentiæ.

ut vertit *Berſmannus.* et LUCILIUS *L. VIII. Satyr.*

Gallinaceus cum victor ſe gallus honeſte
Suſtulit in digitos, primoreſque erigit ungues.

Et Syrus Prov. XXX, 31. זרזיר מתנים vertit: [illegible] [illegible] *Gallus ſuperbe incedens inter gallinas*, uti & Arabs ſimili ratione tranſtulit. De eodem ſcribit ÆLIAN. *L. IV. C. XXIX. p. m.* 216. *κρατήσας δὲ γαυρός ἐστι, καὶ ὑψαυχενεῖν, καὶ κυδρουμένῳ ἔοικεν. At ſi ex certamine victor evaſit, tum oculorum eminentia, erecta cervice & cantus intentione inſolenter effertur.* Huc refer THEOCRIT. *Idyll. XVIII.*

- - - *ἔπειτα πρῶτος ἀοιδὸς,*
Ἐξ εὐνᾶς κελαδήσῃ ἀνάσχων εὖ τρίχα δειρήν.
Ubi primus cantor e cubili ſuo inſonuerit ſuſtollens *pulchre pennatam* cervicem.

Unde & NONNUS in *Job. XIII. p. m.* 155.

Χριστὸν ἀπαρνήσαιο, πρὶν αὐχένα κυρτὸν ἀείρας
Ὀξὺ μέλος κλάγξειεν ἐγερσιβόητος ἀλέκτωρ.
Chriſtum abnegabis priuſquam cervicem curvam
Attollens, *acutum cantum clanget ſua voce excitans gallus.*

Regium ejus greſſum exprimit eleganter ARISTOPH. *ὄρνιθ. p. m.* 564.

Διὰ παῦτ᾽ ἄρ᾽ ἔχων καὶ νῦν ὥσπερ βασιλεὺς ὁ μέγας διαβάσκει,
Ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὴν κυρβασίαν τῶν ὀρνίθων μόνος ὀρθήν.
Propter hæc habens, & nunc tanquam Rex magnus incedit,
In capite caſſidem avium ſolus rectam.

Unguibus

Unguibus quoque armantur galli. Ita Judæi in *Berachoth fol. 27. col. 1.* memorant: תרנגול שנסקל בירושלים *gallum qui lapidatus eſt Hieroſolymis*, quoniam unguibus ſuis cranium infantis perforaſſet, & interfeciſſet, vide BUXTORF. *Lex. p. 2654.* Unde & PLIN. *hiſt. nat. L. X. C. 20. Dimicatione patitur hoc quoque inter ipſos, velut ideo* tela *agnata* cruribus *ſuis intelligentes; Nec finis ſæpe commorientibus.*

Hoc denuo præconibus Evangelii applices. Greſſu incedunt generoſo & pleno majeſtatis in tramite veritatis, tanquam equi majeſtatis Jehovæ, Zach. XIV, 20. Quemadmodum Chriſtus incedit glorioſus, & ambulat in ſanctuario, inter ſeptem candelabra, Apoc. II, 1. illi hæc veſtigia animo generoſo legunt, eumque ſequuntur in via hac regia. utrumque leges Pſalm. LXVIII, 8. 25. 26. *Quum viderent inceſſus tuos, o Deus, inceſſus Dei fortis mei, regis mei, qui eſt in ſanctuario. Chorum ducebant cantores, ſequebantur fidicines & puellæ tympaniſtriæ.* Ambulant & incedunt in fortitudine Jehovæ, & commemorant juſtitiam Domini, Pſ. LXXI, 16. Ita Paulus Timotheum monebat: *hæc ſcribo, ut noris, quomodo oporteat in domo Dei incedere, quæ eſt Eccleſia Dei vivi*, 1. Tim. III, 15. Incedunt animoſi, non ſuis viribus ſed robore Jehovæ ſuffulti, 2. Cor. IV, 7. cap. XII, 9. Zach. IV, 6. & ita progrediuntuur ab acie ad aciem, animoſi victores, Pſ. LXXXIV, 8. Idque *erecta cervice*, animoque haud infracto, Luc. XXIV, 28. oculis fidei in cœlum ſublatis terrena quæque aſpernantur, & cœleſtia quærunt, quæ inviſibilia ſunt, 2. Cor. IV, 17. 18. rident omnia mundi & Satanæ molimina, generoſo animo deſpiciunt omnes illecebras hujus mundi, & convenienter ſemper ambulant Evangelio Chriſti, 1. Tim. VI, 10. 11. 12. *Armati* quoque ſunt armatura ſpirituali, *gladio* Spiritus S. quem ad femora accingunt, & *ocreis* Evangelii munitos pedes habent, Eph. VI, 15. 17. quibus omnia ipſis expanſa retia effugiunt, lapides ſcandalorum a mundo & Satana poſitos perrumpunt, & lethalia ſæpe Pſeudodoctoribus vulnera infligunt, Pſ. XLV, 6.

VI. 4. Singulares gallorum erga gallinas amor atque cura obſervatur a Phyſiologis, has enim *convocant* voce ſua cucurriente, *granis* collectis ſuſtentant, *defendunt* contra pericula, *ovis* ſæpe, gallinis mortuis

tuis, incumbunt, *concordiam* inter eas tuentur, & ſuaviſſimo nexu cum iisdem junguntur. Miram hanc in rem hiſtoriam narrat ÆLIAN. *var. hiſt. L. XVII. C. 46.* quod in ambitu templi Herculis & Hebæ galli & gallinæ communi ſumtu paſcantur, atque fluvio transeunte ſeparentur. Θῆλυς μὲν οὖν οὐδὲ εἰς ναὸν Ἡρακλέους πάρεισιν, οἱ δ' ἄῤῥενες ὅταν ᾖ καιρὸς ὑποθορνύμενοι ὑπερπέτονται τὴν ὄχετον. Ὁμιλήσαντες δὲ ταῖς θηλείαις, ἐπανίασιν εἰς τὰ σφέτερα αὖθις *Nulla gallinarum ad Herculis templum venit. Sed mares ſuo tempore ſtimulati inſtinctu ſuo, rivum transvolant, & poſtquam impleverint fœminas, ad ſedes ſuas redeunt.* Huc reſpicit MARTIAL. *L. III. ep. 58.*

Rhodias ſuperbi fœminas premunt galli.

Proditur quoque memoriæ Socratem Iphicrati Imperatori animum accendiſſe, quum ei oſtendiſſet gallos gallinaceos, pro grege gallinarum ſuarum pennis ac roſtro dimicantes, vide G. COGNATI *not. ad* LUCIAN. *T. II. opp. de gymn. p. m. 781.* *Oculos* ſuos celerrime dirigit in auras, & obſervans pericula accipitris, monet gallinas voce ſua, quare & hebr. סכוי vocatur, i. e. *ſpeculator, cuſtos.* Vide etiam J. SPERLING. *zool. phyſ. C. XIV. §. 4.* GESNER. & ARISTOTEL. de animalibus, alios. Mirum quoque narrat PLINIUS *hiſt. nat. l. c. p. 184.* de gallis, quod ſobolis adeo ſint amantes, ut *mortua gallina* ovis incubent, & reliqua fœtæ more faciant, abſtinentes a cantu: uti & ÆLIAN. *L. IV. C. 29. p. m. 216.* ſcribit: Τῆς δὲ ὄρνιθος ἀπολωλυίας ἐπῳάζει αὐτὸς, καὶ ἐκλέπει τὰ ἐξ ἑαυτοῦ νεόττια σιωπῶν. *Matrice Gallina exſtincta, is ipſe incubat & pullos ex ovis excludit, ſed tunc non canit.*

Hæc omnia, officia Præconum veritatis erga animas ſibi demandatas, optime depingunt. Hi ſingularem erga Eccleſiam Dei στοργὴν in pectore fovent. *Convocant* animas in communionem Eccleſiæ ſuavi voce, loquuntur ad cor peccatoris, ad illud alliciendum nomine Dei, cujus legati ſunt Hoſ. II, 14. Emittuntur enim ad oves deperditas Iſraëlis convocandas, Matth. X, 6. Arctiſſimo quoque cum Eccleſia *vinculo* conjuncti ſunt & ope ſeminis incorruptibilis verbi divini *ſobolem* ſæpe ſacram progenerant, Gal. IV, 19. 26. uti Paulus Timotheum & Titum filios ſuos germanos & dilectos in fide, appellat 2.

 Tim.

Tim.I,2. Tit.I,3. Hanc ſobolem in ſinu matris Eccleſiæ fovent & lacte ἀδόλῳ nutriunt, 1. Pet. II, 2. 3. Hebr. V, 13. 14. *Proſpiciunt* de periculo animarum conuerſarum, ne præda accipitris infernalis evadant, quare *ſpeculatores* ſunt, qui monent illas de inſidiis Satanæ & mundi, 1. Joh. II, 15. 2. Cor. XI, 3. Eph. V, 15. 16. prænuntiant judicia futura, ut illas ſeria reſipiſcentia ac precibus fervidis declinare diſcant animæ. *Defendunt* eas, pugnant & certant vigilantes pro animabus, Hebr. XIII, 17. tanquam miniſtri Regis Jeſu pugnant & dimicant pro ſubditis regni ejus Joh. XVIII, 36. Quemadmodum Paulus pro Eccleſia decertabat precibus, & ut adjuvaretur a credentibus optat, Rom. XV, 30. Cum ipſo ut pugnent pro fide ſemel agnita petit, Phil. I, 27. Et de Clemente & συνεργοῖς reliquis teſtatur cap. IV, 3. quod de Evangelio *concertaverint ipſi*, adde Jud. v. 3. 2. Tim. II, 5. IV, 7. etc.

VII. 5. *Vox* Galli *elata, acuta, diſtincta* ſono ſuo quam longiſſime penetrat, & *procul* audiri ſolet, præcipue *nocte* ſilenti. Huc reſpicitur *Eccl. XII, 4.* ubi Senex dicitur excitari *ad vocem alitis* i. e. galli, ut ſenſus ſit, eum ſummo mane cantante gallo, vel ipſius voce ſonora facile excitari ſolere. Et NONNUS *in Paraphr. Joh. p. 155.*

> Ὀξὺ μέλος κλάγξειεν ἐγερσιβόητος ἀλέκτωρ.
> Acutum *cantum clanget ſua voce excitans gallus.*

et POLITIAN. *in ruſtico* canit:

> *Quin etiam gallum noctem explaudentibus alis*
> *Auroram* clara *conſuetum* voce *vocare.*

nec non THEOGN. *ſentent. v. 862.*

> Ἦμος ἀλεκτρυόνων φθόγγος ἐγειρομένων.
> *Cum gallorum* vox penetrat *expergiſcentium.*

et ARISTOPHANES gallo τὸ φθέγγεσθαι tribuit in *Conc. v. 391.* vid. BIBL. BREM. *Cl. VI. p. 1067.* Eapropter SABINUS *in Epigramm.*

> \- - - *gallus*
> *Proſpera* vocali gutture *ſigna dabat.*

Imo memoria proditur galli cantum in diſſitas ſæpe oras penetraſſe. VOSS. *de idolol. gentium* ſcribit: *Sonus gallicinii tam eſt clarus &*

ſono-

ſonorus, ut vel ad mille paſſus imo ultra audiatur. Conſentit CARDANUS *de ſubtilit. Lib. X. Exultat voce, proculque ea exauditur, & noctu etiam ad mille & amplius paſſus.* conf. Cl. STEENBUCH. *Diſſ. cit. p. 12.* Quemadmodum Cel. quoque RELANDUS *in Orat. de Galli cantu p. m. 20. ſq.* docet, in Sicilia audiri voces Gallorum, qui in Italia canunt; Et ex *Plinio* probat gallorum cantus ab utroque Boſphori littore in Aſia & Europa audiri poſſe. Ex LIGHTFOOTHO quoque conſtat, quod Judæi mira fabulentur de gallo Hierichuntino Hieroſolymis audito.

Vox hæc canora & elata optime convenit Præconibus veritatis, qui *toto exclamant gutture, nec cohibent, inſtar buccinæ elevant vocem ſuam, & indicant populo rebellionem ejus, & domui Jacobi peccata ejus,* Jeſ. LVIII, 1. Elevant vocem ſuam in decantanda laude & perfectione divina, quemadmodum de Seraphinis legimus, quod *commoti ſint poſtes liminum a voce inclamantium,* Jeſ. VI, 4. & Johannes Baptiſta ea propter vocatur *vox clamantis in deſerto,* Jeſ. XL, 3. Vox quæ auditur in monte Zion cum robore, Jeſ. XL, 9. *Hi ſunt ſpeculatores illi, qui vocem ſuam attollunt, & pariter cantant,* Jeſ. LII, 8. Talis erat Petrus ipſe, qui per galli vocem ad præconium Evangelii vocatus eſt, quando alta voce verba ſalutis & effuſionis Spiritus S. coram auribus feſta celebrantium, proclamabat, multorumque animas lucrabatur, Act. II, 14. *Procul* hæc Evangelii vox audiebatur, *ſonus & funiculus ejus exit in omnem terram, ſermones ejus prodeunt ad extremitatem orbis habitabilis,* Pſ. XIX, 5. Ad extrema usque terræ vox illa Zionis penetratura eſt: *Ecce ſalus tua advenit.* Jeſ. LXII, 13. adeo ut Paulus de ſe teſtimonium perhibeat, quod ab Hieroſolymis usque ad Illyricum omnes regiones ſono Evangelii impleverit, Rom. XV, 19.

VIII. 6. Gallus inſuper cantu ſuo *horas* ac *tempeſtates* diſtinguere credebatur, quia certis horis cantat, præcipue prætereunte nocte, & adventante die vocem ſuam elevat. Quare *vigilantiæ* apud veteres ſymb. fuit PLINIUS *L. X. C. 21. p. m. 174.* de eo ſcribit: *Proxime gloriam ſentiunt & hi noſtri* vigiles nocturni, *quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque ſomno natura genuit, norunt ſidera &*

ternas diſtinguunt horas interdiu cantu. Unde & AUSON. canit;

> - - - *ter clara inſtantis Eoi*
> *Signa canit ſerus, deprenſo Marte, ſatelles.*

Unde *gnomon* & quaſi horologium dicitur gallus LUCIAN. *l. c. p. m.* 592. γνώμων γὰρ οὗτος ἀψευδέστατός μοι προσελαυνούσης ἡμέρας. *Certiſſimus enim hic mihi gnomon adventantis diei eſt.* Et Scholiaſtes ad h. l. obſervat, priſcos noctis deliquium & acceſſum diei, galli cantu metiri ſolitos fuiſſe, quum gnomones horarii nondum eſſent reperti. Unde Judæorum formula apud BUXTORF. legitur: בא״י אמ״ה אשר נתן לשכוי בינה להבין בין יומם ובין לילה *Benedictus tu Domine, Deus noſter, Rex ſeculi, qui gallo dediſti intelligentiam ut diem a nocte diſtingueret.* Quare *galli cantus* apud Judæos æque ac gentes certum auroræ tempus deſignat. Ita in *Joma cap. 1. fol. 20.* בכול יום תורמים את המזבח בקריאת הגבר או סמוך לו בין לפניו בין לאחריו *Quotidie decinerant altare ad galli cantum, aut proximo tempore vel antecedente vel ſubſequenti.* Et JUVENALIS *Sat. IX. v. 106.* de eodem canit:

> *Quod tamen ad* cantum galli *facit ille ſecundi*
> *Proximus ante diem caupo ſciet.*

et HORAT. *Satyr. I.*

> *Agricolam laudat juris legumque peritus,*
> *Sub* galli cantum *conſultor ubi oſtia pulſat.*

Voce ſua omnes ad labores vocat mortales, quod docet ARISTOPH. in ὄρνισ.

> - - - ὁπόταν μόνον ὄρθριον ᾄσῃ,
> Ἀναπηδῶσι πάντες ἐπ᾽ ἔργον.
> *Quamprimum ſolum mane cantat, omnes ad laborem accedunt.*

adde *eund.* εν νεφελ. *act. I. ſcen. I.* Plura oca vide apud LIGHTFOOTH. *Opp. Tom. II. p. 178. 382.* BOCHART. *Hieroz. l. c. p. 120.* BYNÆ. *de morte J. C.* BUXTORF. *Lexic. p. 384. 2116.* aliosque ſupra jam citatos. In *præliis* eum in finem Gallos loco horarii ſecum duce-

bant

bant veteres, quare *vigilantiæ* ſymb. fuit, vide PIER. *Hierogl. l. c. p. 242.* PLINIAN. *Exercit. in Solin. p. m. 1221.* & qui ibi citantur.

Hæc Gallorum *intelligentia* & *vigilantia* majori jure Præconibus N. T. competit, qui ſub auroram N. T. vocaturi eſſent: *nox præteriit, dies illuxit, abjiciamus igitur opera tenebrarum & induamur habitu lucis*, Rom. XIII, 12. ut a *Patribus* paſſim & PIERIO VALER. in *Hierogl.* l. c. eſt obſervatum. Certe præcones Evangelii tempora diſtinguunt, excitant homines ut obſervent horam gratiæ, quæ ipſis apparuit, dicentes cum Apoſt. Tit. II, 11--15. *Illuxit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus temperanter & juſte vivamus* etc. & additur v. 15. *Hæc*, (o Tite) *loquere, exhortare, & argue cum omni poteſtate.* Hi ſunt, qui acclamant ſecuris in arce Zionis: *Hodie, hodie, ſi vocem ejus audiveritis, ne obduretis corda veſtra.* Tanquam galli myſtici, & lucis præcones occurrunt, Jeſ. LX, 1. 2. clamantes: *ſurge, illuceſce, ecce Lux tua venit, & gloria Jehovæ ſuper te orta eſt, etc.* nec non Cap. LXII, 1. *Propter Zionem non tacebo, propter Hieroſolymas non quieſcam, donec prodeat ut ſplendor juſtitia ejus & ſalus ejus ut lampas ardeat.* Vigiles & cuſtodes ſunt in muris Hieroſolymorum, qui *toto die & tota nocte jugiter* non tacebunt, qui memorant de Jehova nec ſilentium illis eſt, v. 8. h. cap. Sunt *ſpeculatores* vocem attollentes, cap. LII, 8. a Deo ipſi *vigiles* conſtituti, ut nomine Dei homines admoneant de periculo ipſis imminente, Ezech. III, 2. 3. quare *vigilare* pro animabus dicuntur, Heb. XIII, 17. annuntiant *ortum auroræ*, Solis juſtitiæ, Mal. IV, 2. et excitant mortales, ut in die gratiæ opus ſalutis cum tremore & metu expediant, Phil. II, 12.

IX. 7. In ſpecie ſingularem cum *ſole* ſympathiam hujus volucris obſervant Phyſiologi, quare *Soli* quoque ſacer habebatur. Egregie de eo PLIN. *hiſt. natur. l. c. cum* ſole *eunt cubitum, quartaque caſtrenſi vigilia ad curas laboresque revocant, nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant cantu.* Unde *lucis avis* dicitur MARTIALI *L. XIV. ep. CCXXIII.*

Surgite, jam vendit pueris jentacula piſtor,
Criſtataque ſonant undique lucis aves.

Soli quoque ſacer erat gallus, uti ſcribit ATH. KIRCHERUS in *Oedip. Ægypt. Tom. II. Gallum quidem nutrias, ne tamen ſacrifices, ſoli enim & lunæ conſecratus eſt.* Et PAUSAN. *Eliac. L V. p. 338.* Ἡλίȣ δὲ ἱερόν φασιν εἶναι τὴν ὄρνιθα, καὶ ἀγγέλλειν ἀνιέναι μέλλοντος τȣ̃ ἡλίȣ. *Gallinaceum certe* ſoli *ſacram avem celebrant, quod cantu ſolis ortum nuntiet.* Unde poëtis ἠώος ἀλέκτωρ *gallus eous* appellatur *Epigr. L. VII. Solem* quoque irretortis oculis illum intueri poſſe *Plinius & Ælianus* teſtantur. Rationem phyſicam adfert *Gaſſendus* apud *Cl.* STEENBUCH. l. c. *Cum jam ſol prætergreſſus mediæ noctis articulum, & verſus auroram accedens propellit frigidam noctis auram prius quieſcentem, ſenſibiliter excitari gallum ejus frigore & expergefactione commotum cantare.*

Arctius longe eſt vinculum, quod inter *ſolem juſtitiæ* & *gallos* myſticos intercedit. Ejus ſunt legati & miniſtri, ipſi conſecrati. Coëmit ipſos tanquam peculium ſuum, & vocavit e tenebris hujus mundi, ut eſſent ſacerdotium regale, 1. Pet. II, 9. ut annuntiarent perfectiones illius, qui vocavit ipſos e tenebris *ad lucem ſuam* mirificam. Adoptavit eos tanquam miniſtros gloriæ ſuæ. Quare *ſolem* hunc juſtitiæ ſub aurora N. T. ortum ſtipabant fidi ſatellites, & dein ejus legati lucem veritatis ipſius annuntiabant omnibus gentibus, Matth. XXVIII, 19. Jeſ. IX, 1-2. Oculis fidei irretortis lucem hanc mundi intuentur, reſpiciunt illum ceu ducem ſalutis, qui exemplar ipſis reliquit, cujus ſequerentur veſtigia. Unde *miniſtri, ſatellites, ſacerdotes, conſecrati, legati* & *nuntii* Meſſiæ, lucis mundi in ſcriptis ſacris audiunt, Jeſ. LII, 7. Pſ. CIV, 3. Cant. III, 7. 8. 1. Cor. IV, 1. Ipſius virtute præcones lucis Evangelii exiſtunt, ipſius Spiritu acti, 2. Petr. I, 21. Act. II, 11. 17. 18. in ipſius luce ambulant, & alios excitant ad ambulandum in ea, Jeſ. II, 3. 5.

X. 8. Gallus animal eſt *pugnax*, quare & *Marti ſacer* habebatur, ejusque plumæ & effigies ſæpe integra in *galeis* veterum militaribus apparebat. Et *theatra* gallorum inter ſe dimicantium apud antiquos legimus. Unde ARTEMIDOR. *oneirocrit. L. III. cap. V.* Ἀλεκτρύονες δὲ οἱ μάχιμοι ϛάσεων καὶ φιλονεικιῶν μόνον εἰσὶ σημαντικοί.

κοὶ. *Galli vero pugnaces ſeditionum & diſſidiorum ſymbolum ſunt.* Unde OPPIAN. κυνηγ. β. v. 189.

> Οἷον ἀεὶ θέροισιν ἀλεκτρυόνεσσι μαχηταῖς.
> *Veluti ſemper impetuoſis gallis gallinaceis pugnacibus.*

PINDAR. *Olympic. Od. XII.*

> Ἐνδομάχας ἅτ᾽ ἀλέκτωρ.
> *Domi pugnans velut gallinaceus.*

Hanc ob cauſam ſpectacula gallorum pugnantium exhibebantur. *Plinius* tradit Pergamis annis ſingulis ſpectaculum gallorum gallinaceorum ſolenniter certantium, edi ſolitum fuiſſe, ceu gladiatorum. Et ÆLIAN. *Var. hiſt. Lib. II. cap. 18.* μετὰ τὴν κατὰ τῶν Περσῶν νίκην, Ἀθηναῖοι νόμον ἔθεντο, ἀλεκτρυόνας ἀγωνίζεσθαι δημοσίᾳ, ἐν τῷ θεάτρῳ μιᾶς ἡμέρας. *Poſt relatam de Perſis victoriam, Athenienſes legem poſuerunt, ut galli gallinacei quotannis uno die certamen in theatro inirent.* Huc reſpicit quoque HERODIAN. *Lib III. c. 10.* Πρός τε ἀλλήλους ἐστασίαζον οἱ ἀδελφοὶ, τὰ πρῶτα μὲν ὑπὸ παιδαριώδους φιλονεικίας, δι᾽ ὀρτύγων μάχας καὶ ἀλεκτρυόνων συμβολὰς πάλας τε παίδων, ἀλλήλοις ἐρίζοντες. *Interque ſe fratres diſſidebant, puerili primum certamine, edendis coturnicum pugnis, gallinaceorumque conflictibus & puerorum colluctationibus, exorta diſcordia.* Conſ. etiam LUCIAN. *Opp. Tom. II. de gymnaſ. p. 770.* PIER. *Hierogl. l. c. p. 242.* SALMAS. PLINIAN. *Exercit. p. 1286.* BRISSON. *de regno Perſ. p. m. 275.* ROSIN. *antiq. c. comm. Demſt. p. m. 287.* Quare gallus *Marti* erat ſacer, unde ejus ſatelles vocatur AUSONIO *l. c.* conf. & CAUSSIN. *Hierogl. Ægypt. p. m. 274.* & ARISTOPH. *in* Ὄρν. *p. 580.*

> - - - δεινότατος, εἶναι πανταχοῦ
> Ἄρεως νεοττὸς.
> *Graviſſimus eſſe ubique Martis pullus.*

In ſcutis & *galeis* præcipue veterum galli gallinacei, σημαντικοὶ animi heroici & pugnacis, apparebant. Ita PAUSANIAS *Eliac. Lib. VI. p. m. 394.* Πεποίηται δὲ ἀλεκτρυὼν ἐπὶ τῷ κράνει, ὅτι οὗτοι προχειρότατα ἔχουσιν ἐς μάχας οἱ ἀλεκτρυόνες. *Inſiſtit Deæ caſſidi gallus*

gallus gallinaceus, quod (opinor) hæc eſt avis omnium pugnaciſſima.

Hoc quoque præconibus veritatis applicari commode poterit, utpote qui perpetuo cum hoſtibus veritatis certamine exercentur. Paulus de ſe teſtatur 2. Tim. IV, 7. *bonum decertavi certamen, fidem ſervavi, curſum peregi.* Quare Timotheum hortatur 2. Tim. II, 3. *Eſto tolerans afflictionum, ut bonus miles Jeſu Chriſti.* & v. 4. *Si quis dimicat, non coronatur, niſi legitime certaverit.* Et Titum inſtruit tanquam militem Jehovæ Cap. I, 9. 10. *oportet eſſe tenacem ſermonis, quæ ad doctrinam facit, ut poſſit & exhortari doctrina ſana & contradicentes convincere. Quibus oportet os obthurare.* Hac manu ædificare eos oportet, altera arma gerere, qui muros Hieroſolymæ tueri volunt. Non ſolum contra Satanæ inſultus ipſis eſt pugnandum, verum & cum falſis fratribus, qui blanditiis credentium favorem captare, illosque a genuino veritatis tramite ſeducere ſtudent, 2. Theſſ. II, 9--15. Phil. III, 17--19. Gal. V, 12. 13. II, 4. contra quos heroico animo pugnant, veritatis telo eos convincentes, quibus armis nunquam non inſtructi incedunt.

XI. 9. *Hoſtis* gallorum *vulpes* eſt & *accipiter*, qui rapaces inſidiantur gallis atque pullis. Viciſſim vero galli a Phyſiologis *leoni* & *ſcorpioni* infenſi, iisque terrorem incutere dicuntur. De *vulpe* conſtat, illam inſidiari gallis & gallinis, quemadmodum ſupra in Exerc. II. de *Vulpibus* docuimus. conf. PLIN. *hiſt. nat. Lib. XXVIII. cap. 20. p. m. 523.* De *accipitre* in genere canit MARTIAL. *in Apoph. Ep. 216. Lib. XIV.*

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem
Decipit, & captas non ſibi mœret aves.

Leonibus tamen terrori ſunt, unde PLIN. *Lib. VIII. cap. XV. p. m. 133. Atque hoc tale tam ſævum animal, rotarum orbes circumacti, & gallinaceorum criſtæ cantusque etiam magis terrent.* & *Lib. X. cap. 21. Itaque terrori ſunt leonibus ferarum generoſiſſimis.* Egregie utrumque exprimit ÆLIAN. *hiſt. an. Lib. III. cap. 31.* Ἀλεκτρύονα δὲ φοβεῖται ὁ λέων καὶ βασιλίσκος δὲ τὸν αὐτὸν ὄρνιν, ὥς φασιν, ὀῤῥωδεῖ, καὶ κατιδὼν τρέμει, καὶ ἀκέων ἄδοντος σπᾶταί τε καὶ ἀποθνή-

ποθνήσκει. Leo a gallinaceo magno timore afficitur; eodem timore & baſiliſcus, quum enim eum videt, tremit animo: Quumque eundem audit, terrore concuſſus emoritur. Et in ſeq. teſtatur quod iter facientes per Africam, gallum itineris comitem ſibi adjungant, qui eos a peſtilenti malo baſiliſci prohibeat. conf. eundem *Lib. VI. cap. 22. Lib. VIII. cap. 28.*

Hoſtes fidei præconum ſunt *pſeudo-doctores* & falſi Prophetæ, qui in ſacris *vulpibus* comparantur, veluti in Exerc. II. ſupra late docuimus. Inſidiantur illi hiſce volucribus myſticis, dum non ſolum animos incredulos a veris Doctoribus avertunt, ſed & illos variis calumniis ceu *unguibus accipitrinis* proſcindunt & coram mundo contemnunt, illorumque præconii effectus enervare ſtudent; quod ſæpius experti ſunt primi Evangelii præcones a Phariſæis atque Scribis, uti etiam a Philoſophis gentium, conf. Actor. II. XIII. XVI. XXIII. &c. Verum hi animoſi & pugnaces galli, cantu ſuo & voce præconii veritatis, leoni & ſcorpioni infernali terrorem incutiunt; illum Apoſtoli virtute ſuprema expellebant, cum clamore & tremore ſpiritus mali in obſeſſis, Act. VIII, 6. Matth. X, 8. Quare Salvator hoſce præcones emittens dicebat Luc. X, 19. *Ecce concedo vobis poteſtatem calcandi ſerpentes &* ſcorpiones *& ſupra quamcunque vim adverſarii, nihilque vos lædet.* Precibus enim ſeriis, conſtanti ac ſincera confeſſione ac præconio veritatis, opera Satanæ in incredulis deſtruunt, 1. Joh. III, 8. 2. Cor. X, 5.

XII. 10. Pergimus ad uſum *gallorum ſacrum*, qui erat in *auguriis* & *ſacrificiis* veterum. De *augurio* eorum ſcribit PLIN. *l. c. p. 174. Hi* (galli) *faſces Rom. impellunt aut retinent, jubent acies aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auſpices. Habent oſtenta & præpoſteri eorum, veſpertinique cantus.* Huc reſpicit SILIUS ITAL. *Lib. V. Punic.*

Tunc ales, priſcum populis (de more) Latinis
Auſpicium cum bella parant, menteſque Deorum
Explorant ſuper eventu.

Conr. RITTERSHUSIUS notat auguria e pullis gallis deſumta eſſe apud Romanos, quod omnium ſint pugnaciſſimi. Gallorum cantus Theba-

Thebanis felix fuit augurium; cum tempore pugnæ leuctriæ galli gallinacei in eo loco ſine intermiſſione canerent, augures dixerunt, Thebanorum eſſe victoriam, ut ex CICER. *l. de Div.* probat, & alio adhuc exemplo illuſtrat Cl. LOMEIER *in Epimenid. Cap. XII. p. m. 135. ſq.* Huc pertinent nummi cum gallis; qualis apud CHOUL. *relig. des Anc. Rom. p. m. 250.* ubi *gallus* & *lituus auguralis* cum *cantharo* ſacro apparet: M. ANT. IMP. & *pag. 256. ſq.* figuram *pullarii cum gallis* auſpicii exhibet idem vir celeb. duplicem, cum inſcriptione memorabili. Huc refer etiam nummnos apud BEGER. *Theſ. Num. Imp. Tab. VI. num. 12.* ubi lituus urceus & gallus auguralis apparet cum epigr. ANTON. IMP. AUGUR. Similiter *Tab. VIII. num 3.* vide etiam CLEMENT. ALEXANDR. *Strom. lib. ult. p. m. 712.*

In *ſacrificiis* adhibebant. BUXTORFIUS *in Synagog. Jud. p. m. 509.* late recenſet Judæorum poſt excidium templi morem, quo *gallum* in Synagogis & domibus ſuis ſacrificare ſolent, additis verbis: זה חליפתי זה תחתי זה כפרתי זה הרתנגול ילך למיתה ואני אלך לחיים טובים עם כל ושראל אמן *Hic gallus erit permutatio pro me, hic in locum meum ſuccedet, hic erit expiatio mea, hic gallus ibit in mortem; ego autem ad vitam felicem ſum iturus cum toto Iſraële.* adde EZARD. *Tract. Berach. p. m. 185.* Marti in ſacrificium poſt victoriam gallum fuiſſe oblatum, docet MEURS. in *Miſcell. Lacon. Lib. II. cap. 1.* *Æſculapio* quoque ſacram fuiſſe victimam, liquet ex Onyche, quem exhibet CHOUL. *l. c. p. m. 114.* ubi Æſculapius cum baculo ſerpenti circumvoluto apparet, & *gallus gallinaceus* ad pedes ejus. adde *Cæl.* RHODIG. *Lect. antiq. Lib. XVI. cap. 12. p. 859.* PIERII *Hierogl. Part. I. p. m. 241.* nec non SAUBERT. *de ſacrif. cap. XXIII. p. m. 596.* qui etiam fragmentum inſcriptionum exhibet: PRO GALLO HOLOCAVSTO X. ILO. Herculi quoque ſacros fuiſſe gallos, inque ejus templo nutritos, Mnaſeas teſtatur apud ÆLIAN. *hiſt. anim. Lib XVII. cap. 46. p. m. 1011.* Minervæ itidem fuiſſe conſecratos, PAUSANIAS *in Eliac. Lib. VI. p. m. 394.* teſtatur.

Hoc ſi præconibus lucis Evangelii tribuere velis, illi veraces ſunt *augures;* Spiritu enim ſancto, qui eſt ſpiritus ſapientiæ & prophetiæ

phetiæ, dotati ſunt, qui ipſos in omnem ducit veritatem. Omnia, quæ primi præcones Evangelii ſc. Apoſtoli, locuti ſunt, pronuntiarunt Dei Spiritu acti, 2. Petr. I, 21. Prænuntiant victoriam illis, qui ſub vexillo Meſſiæ certamen illud bonum ineunt, 2. Tim. II, 12. *Si cum Chriſto dimicamus, etiam cum eo triumphabimus*, Rom. VIII, 17. Illis, qui ſegnes ſunt in pugna hac ſpirituali, pronuntiant fatalem ipſis ruinam & interitum, Jer. XLVIII, 10. felicem illis ſucceſſum & exitum portendunt, quando fideles ſunt in opere Domini & perſeverant ad finem, 1. Cor. XV, 58. Apoc. II, 10. *Sacri* quoque ſunt & *conſecrati*, ſeparati a mundo, & divino cultui dicati, nomen Dei ſui in frontibus gerentes, Apoc. XXII, 4. Illi ſe totos mancipant, & tanquam ſacrificium vivum ipſique gratum, corpus & animam offerunt, Phil. II, 17. Rom. XII, 1.

XIII. 11. Supereſt denique uſus gallorum *domeſticus* atque *medicus*. *Galli* a Regibus in deliciis habiti & voluptatis gratia nutriti leguntur. Vnde IUL. CÆSAR *de bello Gall. Lib. V. Leporem & gallinam & anſerem fas non putant guſtare; hæc tamen alunt voluptatis cauſa.* Perſis præcipue in deliciis fuere, unde & *περσικὸς ὄρνις* vocatur. Recte ergo SVIDAS ad h. v. *Περσικὸς ὄρνις, ὁ ἀλέκτωρ διὰ τὴν λοφίαν, ἢ ὅτι τὰ πολυτελῆ οἷς ὁ βασιλεὺς ἐχρῆτο, ἐκαλεῖτο περσικά.* Huc refer quæ notat ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. VIII. cap. 4.* *Πολίαρχον φασὶ τὸν Ἀθηναῖον εἰς τοσοῦτον προελθεῖν τρυφῆς, ὥστε καὶ κύνας καὶ ἀλεκτρύονας ἐκείνους οἷς ἔχαιρεν, ἐκκομίζειν ἀποθανόντας δημοσίᾳ. Καὶ ἐπὶ τὴν ἐκφορὰν αὐτῶν παρεκάλει τοὺς φίλους, καὶ ἔθαπτεν αὐτοὺς πολυτελῶς καὶ ἐπιστήματα αὐτοῖς ἀναστήσας, ἐπιγράμματα κατ᾽ αὐτῶν ἐνεκόλαπτεν.* *Poliarchum ferunt ad eam mollitiem perveniſſe, ut canes etiam &* gallos, *ſi quibus* delectatus *fuiſſet, mortuos efferret publice & amicos ſuos convocaret ad funus, ſplendideque eos ſepeliret atque erigeret in illorum monumentis columnas, quibus epitaphia eorum inſcriberet.* In *cibis* delicatis fuere quoque galli & pulli ſaginati, quos nonnulli per ברבורים אבוסים in menſa Salomonis regia, 1. Reg. IV, 23. intelligunt, vide BOCHART. *Hieroz. P. II. p. m. 112.* Ex gallis convivium præparandum in die Meſſiæ ſcribunt Judæi, vide BUXTORF. *Lexic. p. m. 2654.*

Ad gallorum in cibis uſum refer illud MARTIAL. *Libr. XIII. Epigr. XLV.*

Si Libycæ nobis volucres & phaſides eſſent,
Acciperes; at nunc accipe cortis aves, i.e. gallos.

De *uſu* gallorum *medico* ſcribit PLINIUS: *Carnibus gallinaceorum, ita ut tepeant avulſæ, appoſitis venena ſerpentium domantur. Jus quoque ex his potum præclare medetur, & in multis aliis uſibus mirabile.* conf. eum *hiſt. nat. L. XXIX. C. IV. p. m. 531. Cap. VI. p. m. 535. Lib. XXX. C. VI. p. m. 542.* etc. adde quæ ex *Plutarcho* & *Photio* de gallorum uſu medico adfert Cl. STEENBUCH. in *diſſ. cit. p. 23. ſq.*

Præcones quoque Evangelii maximi & nobiliſſimi in Eccleſia Dei uſus ſunt. *Delitiæ* hi ſunt Regis Regum, & Domini dominantium; ſunt, in quibus omne ſuum poſuit beneplacitum, pupilla oculi ſui, in quibus delectatur 2. Sam. XXII, 20. 1. Reg. X, 9. quos tenere amat, defendit, tuetur, Joh. XIII, 23. Apoc. III, 19. Joh. XVI, 27. Pſ. CV, 15. Qui hosce præcones Dei lædit, iram ipſius accerſit & ipſum læſiſſe reputatur, Luc. X, 16. qui vos audit, me audit, qui vos aſpernatur, me aſpernatur; adde Matth. X, 40. Exiſtunt hi præcones veritatis quoque quaſi *cibus*, non ſolum Dei ipſius, qui in fructibus obedientiae ipſorum fideliſſimæ delectatur, Cant. V, 1. ſed & credentium, quibus manna illud cœleſte exhibent præconio veritatis, Prov. IX, 1--5. Pſ. CXIX, 131. 116. 47. etc. lac illud ἄδολον præbent veritatis 1. Pet. II, 2. qui cibus eſt rationalis credentium. Sunt quoque, qui tanquam *medici* ſpiritualia remedia exhibent balſamum Gileadis, Jer. VIII, 6. vinum & oleum meritorum Jeſu, quibus vulnera animæ ſanantur. Verba eorum & admonitoria & conſolatoria, dulce animæ refrigerium & levamen ſunt, Pſ. CXIX, 92. & antidotum contra omnes draconis infernalis morſus ac tentationes venenatas, Eph. VI, 16. Jac. V, 14. 15. Hoſ. VI, 1. 2. Jer. VIII, 6. Mal. IV, 2. Matth. IX, 12.

XIV. Sic itaque gallus Petro exſtitit ſalutis & converſionis præco, quoniam ipſe Apoſtolus hicce poſt erectionem e lapſu ſuo, præco reſipiſcentiae tot Judæis erat futurus, qui per ipſius miniſterium atque vocem ad ſalutarem animi converſionem erant adducendi, qualem præ-

primis

primis in feſto Pentecoſtes, vocem attollens inſtar galli, ſe præbuit, Act. II. Succeſſores quamplurimos in Eccleſia Dei reliquit, tot lucis Evangelii & reſipiſcentiæ præcones, qui tanquam vigiles in muris Hieroſolymæ myſticæ nec diu nec noctu intermittunt voce ſua excitare dormientes & ſecuros. Sed proh dolor, quam pauci præconii ipſorum fructus apparent! Querelas coram Domino effundunt hi nuntii Dei, Jeſ. LIII, 1. *Domine, quis fidem adhibet præconio noſtro, & cui denudatur brachium Jehovæ?* Quot præcones ſalutis ſuum jam exhalaverunt ſpiritum, qui verba ſalutis toties pleno gutture nobis ingeminarunt, ſed ubi fructus? Væ illis, qui *galli* muti exiſtunt, & in tenebris & nocte tentationum atque perſecutionum tacent, qui quum vigilare deberent, ſomno obruti periculum imminens ipſi non obſervant. Sed & væ illis, qui vocem & cantum gallorum vigilum negligunt, contemnunt atque illis illudunt, qui toties cum Petro vocati, omnes voces atque monita neglexerunt, & animo minime reſipiſcenti aſpernati ſunt. Surge, evigila Zion, neſcis quando judex venturus eſt, an media nocte an circa gallicinium! neſcis, an cantus ille gallorum, quem jam adhuc audis, non ultimus ſit futurus. Auſculta o filia Zion, curæ cordique ſint voces monitoriæ gallorum tuorum myſticorum, ne in ſomno ſecuritatis obruaris. Quum audiveris gallos hoſce tibi prænuntiantes periculum futurum & judicia tempeſtatesque nubilas, attende, cor tuum præpara, ne improviſo te inveniat judex & dormientem. Beati ergo, qui cum Petro ſalutari horum gallorum voce ad reſipiſcentiam vocati, mundi tenebras effugerunt, & lucem Jehovæ in corde ſuo ortam obſervant! Hi ſemper parati, ſponſo ſuo in occurſum acceleraturi, ſive media nocte ſive tempore gallicinii venturus ſit. Excutite ergo ad vocem monitoriam præconum veſtrorum, ſecuritatis quæ ſupereſt, reliquias, oculos & corda cœlum verſus dirigentes, & memores eſtote moniti Salvatoris: Quod vobis dico, dico omnibus: VIGILATE, Marc. XIII, 37.

EXERCITATIO V.
DE
FORMA SERVI,
SYMBOLO STATUS CHRISTI EXINANITIONIS.

PHIL. II, 7.

ARGUMENTUM.

§. I. Loci Phil. II. ſenſus & vocis μορφὴ Θεȣ̃ *atque* δȣ́λȣ *ſignificatio indagatur, phraſinque hanc exinanitionis Dominicæ ſtatum exprimere docetur. §. II. SERVUS, vox variis in ſcriptura tribuitur, Iſraëli, Prophetis & Apoſtolis, Regibus, omnibus credentibus, & denique Chriſto. §. III. Variæ analogiæ inter* ſervos *veterum Judæorum gentiumque ac* Chriſtum *exhibentur, & quidem* A) *quatenus erant vel ex nativitate. §. IV. vel ex captivitate. §. V. vel ex emtione vel venditione ſervi conſtituti. §. VI.* B) *Quatenus certis inſignibus diſtinguebantur apud veteres ſervi, ſc. nomen in fronte inciſum habebant. §. VII. Aures quoque perforatas & annulis ornatas gerebant. §. VIII. Veſtibus denique ſervilibus induti erant. §. IX.* C) *Varia ſervorum accidentia conſideramus, ſc. conjugium eorum ſervile. §. X. victum quoque viliſſimum. §. XI. Inſuper pœnam & tractationem eorum duriſſimam. §. XII. Ritum denique manumiſſionis ſolennem. §. XIII.* D) *Varia ſervorum genera & diverſa illorum opera apud veteres addimus. Erant quidam miniſtri regii, maxime honorati. §. XIV. Alii erant pediſſequæ ſeu anteambulones & ſandaligeri. §. XV. Quidam janitores, oſtiarii, cubicularii cuſtodes. §. XVI. Quidam lictores & miniſtri judicii.*

§. XVII. Quemadmodum & erant muſici, tibicines, fidicines, §. XVIII. uti & medici & chirurgi, apud antiquos celebratiſſimi ſervi. §. XIX. Scribæ, notarii porro & a commentariis exiſtentes. §. XX. Hortulani, villici & ruris cultores. §. XXI. Quidam menſis inſerviebant in conviviis, linteis ſuccincti, vel œconomi, promi, pincernæ etc. §. XXII. Molere, triturare, pinſere quidam tenebantur; §. XXIII. alii in ungendis & lavandis vel dominis vel hoſpitibus adhibebantur. §. XXIV. Addimus denique mercenarios ſervos, quibus merces in fine laborum conceſſa. §. XXV. Epilogus denique practicus huic exercitationi finem imponit.

I.

INſignem emphaſin ſpirant phraſes illæ, quas gentium Doctor in deſcribendo ſtatu Salvatoris noſtri humili & exinanitionis (ut vocant) adhibet *Phil. II*, 7. *Sed ſe ipſum evacuavit*, ΜΟΡΦΗΝ ΔΟΥΛΟΥ λαβὼν, *SERVI FORMAM aſſumens, in ſimilitudine hominum factus.* In diverſa heic abeunt interpretes, phraſin μορφὴν Θεȣ̃ & μορφὴν δȣ́λȣ explicantes. Μορφὴν Θεȣ̃ explicat GROTIUS cum *Socinianis* de inſigni Chriſti poteſtate, ſanandi morbos, ejiciendi dæmones & alia patrandi miracula, qua in parte cum Arianis & Photinianis conſentiunt. Refutat autem hanc ſententiam tum Cel. *Meric.* CASAUBON. *in Diatrib. de verborum uſu* apud CREN. *in Analect. p. 130. ſq.* tum MASTRICHT *in Theol. pract. Lib. V. cap. IX. p. m. 588.* *ARTEMONIUS* μεταμόρφωσιν Chriſti corporis in raptu in cœlos intelligit; ſed quum merum ſit figmentum raptus ille Chriſti a Socin. excogitatus, ut viri docti demonſtrant, ſponte quoque corruit haec ſententia. conf. Cel. PFAFF. *in Diſſ. de exinanit. & exalt. Chriſti p. 3.* Denique alii *ipſam eſſentiam* divinam, ex vocis μορφὴ ſignificatione, ex addita voce ὑπάρχων, aliisque argumentis demonſtrant vid. MASTRICHT *l. c.* Unde CHEMNITIUS ſcribit: Per μορφὴν Θεȣ̃ ipſam naturam divinam inſigniri, accedente veterum omnium teſtimonio conſtat. Egregie hoc ex ſignificatu vocis Græc. μορφῆς & formæ Lat. demonſtrat Cl. *Dan.* HEINS. *in Ariſtarch. Sacr. p. m. 349. ſq.* conſen-

conſentit ex parte *Hieron.* KROMAYER *in Diſſert. de vita Chriſti* apud CREN. *faſc. IV. p. m. 252. §. 59.* nec non Cl. J. J. BREITHAUPT *in animadverſ. Exeg. in Ep. ad Philipp. Cap. II. §. VIII.* Quare non video cur Cel. PFAFF. *l. c.* hanc ſententiam ſolis *Reformatis* tribuat & Pontificiis. Sunt denique qui cum Cl. PFAFF. *l. c. p. 2.* uſum majeſtatis divinæ, vel cum Cl. C. A. HEUMANN. *in Bibl. Brem. Cl. II. faſc. III. p. 580.* majeſtatem Filii Dei, per μορφὴν Θεȣ̃ intelligendam cenſent. Hinc in explicanda altera phraſi μορφῆς Δȣ́λȣ itidem diſſentiunt. Sunt qui cum Grotio ſimilitudinem ſervi, quatenus nihil proprium poſſederit, vel cum Doctiſſ. WHITBY apparitionem ſervilem, oppoſitam apparitioni glorioſæ Filii Dei ſub V. T. intelligunt. Aliis μορφὴ δȣ́λȣ eſt perſona hominis abjectiſſimi, quam Chriſtus induit, & conditio ſervilis, veluti Cl. HEUMANNO *l. c.* & Cel. PFAFF. *itidem l. c.* Variisque denique *Patribus*, HEINSIO, auctori libri, qui inſcribitur: *Fortuita ſacra* p. 219. Cl. BREITHAUPTIO & ex parte Cl. KROMAYERO nec non Cel. MASTRICHTIO *ll. cc.* natura Chriſti humani humana deſignatur hac phraſi.

Nos optime difficultates ab utraque parte notas effugiemus, ſi per μορφὴν Θεȣ̃ *naturam Chriſti divinam* ejusque *majeſtatem* glorioſam ex illa relucentem, & per μορφὴν δȣ́λȣ *humanam Chriſti naturam*, atque conditionem ejus ſervilem, totumque adeo in genere ſtatum exinanitionis conjunctim intelligamus. Hoc ſenſu vocem μορφὴν ſæpius uſurpari docuit ex parte Cl. HEINS. l. c. addere poſſemus loca varia, in quibus μορφὴ non ſolum *eſſentiam* ſed & externam *formam* ac *conditionem* deſignat. Priori ſenſu occurrit, quando μορφαὶ Θεῶν apud XENOPHONTEM toties pro ipſis diis occurrunt. Apud HOMER. *od.* λ. μορφὴ ἔπεων. *forma ſermonum* de eleganter compoſita oratione dicitur. Hoc ſenſu ſæpius apud NONNUM μορφὴ ζαθέη, ἀθανάτη, θεσπεσιή pro divina Chriſti natura occurrit. Similiter de ſtatu glorioſo vel humili & abjecto adhibetur vox μορφή. Hoc ſenſu μορφὴν ἐρικυδὴν ſtatum glorioſum Chriſto tribuit G. NAZIANZ.

Χριςὸν ἔχεις μορφῆς ἐρικυδέος ἐσθλὸν ἑραςήν.

Similiter in *oraculis Sibyll.* μορφὴ πολυπενθὴς *forma triſtis* i. e. ſtatus *luctuoſus* dicitur.

II. Δȣ·

II. Δȣ̃λος, vox admodum eſt communis & cujusvis generis ſervis competit. SERVI appellantur in Scriptis ſacris varii:

a. Populum *Iſraël*, e ſervitute duriſſima Pharaonis liberatum, tanquam populum Dei ſervum conſtituit Jehova, Lev. XXV, 55. *Nam mihi ſunt filii Iſraëlis ſervi, ſervi mei ſunt, quos eduxi e terra Ægypti, ego Jehova Deus veſter.* Similiter Jeſ. XLI, 8. *At tu Iſraël, ſerve mi, Jacob, quem elegi, ſemen Abrahæ, amici mei.* conf. 1. Par. XVII, 13. Neh. I, 10. nec non Jer. II, 14. *An ſervus Iſraël, an verna eſt, quamobrem eſt præda?*

b. *Reges* inſignes V. T. toties *ſervi Dei* audiunt. David ſe ſervum Jehovæ vocat 2. Sam. VII, 25. Et a Deo ipſo per Nathanem ſervus Dei dicitur 2. Sam. V, 5. 8. 2. Reg. XIX, 34. *propter Davidem, ſervum meum.* Uti & Hiskias ſervus Jehovæ appellatur 2. Par. XXXII, 16. Similiter Nebucadnezar Rex ſervus Dei audit Jer. XXV, 9.

c. *Prophetæ*, ſacerdotesque V. T. æque ac *Apoſtoli* ac doctores N. T. nomine ſervorum Dei inſigniuntur; ita Moſes ſe ſervum Dei nuncupat Num. XI, 11. & a Deo ipſo hunc titulum nanciſcitur Num. XII, 8. *Servus meus Moſe, qui in tota mea domo fidelis eſt.* conf. v. 8. Deut. III, 24. cap. XXXIV, 5. Joſ. I, 13. Similiter Caleb hoc nomine gaudet Num. XIV, 24. nec non Joſua filius Nun, Jud. II, 8. & Samuel propheta, 1. Sam. III, 9. & Elias propheta, 2. Reg. X, 10. & Nehemias filius Chacaljæ, Neh. I, 6. De ſacerdotibus intellige Pſ. LXXIX, 1. 2. *gentes polluerunt templum ſanctitatis tuæ, dederunt cadaver* ſervorum *tuorum volucribus cœli*, nec non Pſ. CXIII, 1. CXXXV, 1. Daniel *ſervus Dei* viventis vocatur Dan. VI, 20. & Prophetæ in genere *ſervi Dei* dicuntur Dan. IX, 10. Ita & Apoſtoli, veluti Paulus *ſervum* ſe Jeſu Chriſti deſcribit, Rom. I. Phil. I, 1. & Johannes Apoc. I, 1. adde 2. Tim. II, 24. Matth. XXI, 34. cap. XXII, 3. 4. &c. Sacerdotes quoque Deorum apud gentes vocabantur *ſervi Deorum.* Apud Philiſtæos קסמים a Romanis Caſmilli, quaſi קסמי אל *miniſtri Dei* a rad. קסם *ſervire* Arabibus deſignante, ut docet BOCHART in *Phœnic. cap. XII. p. 428.* & ex eo Doctiſſ. ZORN. *in Bibl. Exeg. p. 320. in not.* Unde & EURIPIDES *in Jon. v. 309*,

Τȣ̃ Θεȣ̃ καλȣ̃μαι δȣ̃λος, εἰμὶ τ'.
Dei ego ſervus vocor, & ſum quoque.

d. ***Fideles*** quoque ſeu credentes atque pii homines, Dei ſervi & miniſtri appellantur, quemadmodum Jobus hoc titulo ornatur Job. I, 8. adde Pſ. XIX, 12. *Servus tuus commoneſit illis.* Pſ. XXXIV, 23. *redimit Jehova animam ſervorum ſuorum.* Pſ. XC, 16. *perſpicuum ſit in ſervis tuis opus tuum.* adde Jeſ. LXV, 13. 14. LXVI, 14. Actor. II, 18. Pſ. LXXXVI, 4. etc. Præcipue Judæis phraſis eſt familiaris, qua ſe ſervos & miniſtros Dei עבדי יהוה appellant, & Turcis quoque, quemadmodum *Althaalabius* apud POCOCK. *Miſcell. p. 272.* cauſam examinis in futuro judicio reddens ſcribit: تعرف الله تعالى العباد ما لهم عنده من جزا على خير وشر *Ut notum faciat* ſervis *ſuis, quamnam apud ipſum boni & mali mercedem conſecuturi ſint.*

e. Denique *Chriſtus* ipſe Filius Dei hunc ſibi titulum SERVI vendicat. vide Pſ. XXXI, 17. Pſ. LXIX, 18. Jeſ. XXII, 20. *ſervus Dei* Eliakim vocatur, cap. XLII, 1. *ſervus Dei* & electus ejus, qui judicium proferet gentibus cap. LII, 13. *ſervus Dei*, cui proſpere ſuccedet, qui extolletur & elevabitur. adde Jeſ. LIII, 11. Ezech. XXXIV, 23. XXXVII, 24. Zach. III, 8. Quare Salvator de ſe teſtatur ipſe Matth. XX, 28. ***Filius hominis non venit ut miniſtretur, ſed ut miniſtret, detque vitam ſuam in redemtionis pretium pro multis.*** Eleganter quoque Jeſ. LII. Chald. Paraphr. JONATHAN vertit & de Meſſia explicat: הא יצלח עבדי משיחא ירום ויסגי ויתקוף לחדא *Servus meus Meſſias proſperabitur, extolletur, creſcet & invaleſcet valde.* Idem teſtatur Moſes Gerundinenſis & alii apud COCCEJ. *Quæſt. & Reſponſ. Jud. Cap. IV. §. 102. 208. etc.* adde *Jac.* ALTING. *in heptad. acad. Diſp. p. 209. & 231.* & ex eo Cl. ZORN. *Biblioth. Exeg. antiq. p. 294.* nec non Cl. J. G. WALCHII *Diſſ. de ſervo Dei juſtificante §. IX ſq.* conf. etiam Celeb. *Joh. Andr.* DANZ. *Diſp. de Judæis proprio jugulatis gladio in Jeſ. LIII.*

III. Si

III. Si rationes hujus dominationis ex antiquitatibus ſacris atque profanis eruere velimus, quam plurimas detegemus.

A. *Fundamentum* ſervitutis non conſtituimus cum Socinianis & Arianis, quia *κτίσμα Θεȣ* futurus eſſet Meſſias; ipſe enim eſt character eſſentiæ divinæ, non vero *κτίσμα,* ſed per quem omnia creata ſunt, *κτιςὴς* Heb. I, 3. Joh. I, 3. Sed pactum illud æternum, quod inter Patrem & Filium interceſſit, Luc. XXII, 29. Zach. VI, 13. Jer. XXX, 21. Optime vero notionem SERVI, quæ Meſſiæ qua mediatori exinanito tribuitur, exhauriemus, ſi analogias inter ſervos Hebræorum ac gentium veterum & inter Meſſiam ſervum inſtituemus.

1. In ſervitute olim conſtituti erant, qui *ſervi naſcebantur*, vique *nativitatis* tales erant, nati ex ſervo atque ancilla haud libera, quos Hebræi ילידי בית *natos domi ſuæ* appellabant, quales Abrahamo Gen. XIV, 14. tribuuntur; vide etiam Gen. XVII, 12. uti & Exod. XI, 5. ubi *primogenitus ancillæ, qui eſt poſt molam* memoratur. Ex loco *Exod. XXI,* 4. conſtat quoque, ſi Dominus ſervo uxorem dederit, & ex ea prognati fuerint filii & filiæ, eos fuiſſe mancipia Domini. conf. etiam *Kidduſch. cap. 1. fol. 15.* de ancilla enim Cananæa heic uxorem datam intelligendam eſſe, ex *Aben-Eſra, Jalkut Schimeon* & *Mechilta* prolixe docuit J. G. ABICHT *de Servorum Hebræor. acquiſitione, Lipſ. 1704. §. XI. p. 13. ſq.* nec non Cel. CREMER *in Exerc. typ. proph. Exerc. I. p. 20. ſq.* Quare huc reſpicit regula ex jure Hebræorum, quam exhibet MAIMONID. *hal. Iſur. bia cap. 15.* apud SELDEN. *de Jur. nat. & gent. Lib. V. cap. 13. p. 643.* בן הבא מן העבר או מן השפחה או מן הגויה הרי הוא כאמו ואין משגחין על האב *Proles ſive e ſervo, ſive ex ancilla, ſive e pagana nata, ejusdem eſt cum matre conditionis, nec patris ratio omnino habetur.* Apud alias quoque gentes ſervi nati memorantur. Unde JUSTIN. *Lib. I. Inſtit. tit. 3. de jure perſon.* inquit: *Servi autem aut naſcuntur, aut fiunt. Naſcuntur ex ancillis noſtris, fiunt aut jure gentium aut jure civili.* Et qui Hebr. יליד בית Lacedæmoniis *μόθων* dicebatur, uti in *Lex. Etymolog. M.* legitur: Μόθων, ȣ̓͂τω καλȣ̃σι Λακεδαιμόνιοι τὸν οἰκογενῆ δȣ̃λον *Mothon, ita vocant Lacedæmonii ſervum domi natum.* De his late agit MEURS. *in Miſcell. Lac. Lib. II. cap. VI. p. m.*

129. ſq. Quare & TACITUS *Annal. Lib. XIV. cap.* 44. ſcribit: *Suſpecta majoribus noſtris fuere ingenia ſervorum, etiam cum in agris aut domibus iisdem naſcerentur, caritatemque Dominorum ſtatim acciperent.* Vide etiam RHODIG. *Lect. antiq. p. m. 1401. c.* nec non ROSIN. *antiq. Lib. IX. cap. III. p. m. 886.*

Meſſias quoque *ſervus* eſt natus ex ſerva ſeu ancilla ſc. *Eccleſia V.T.* legi cærimoniali & ſervitutis ſubjecta, quare vi nativitatis, huic etiam legi matris ſuæ ſubjiciebatur Meſſias filius. Gal. IV, 4. 5. teſtatur Apoſtolus quod in implemento temporis *Deus filium ſuum miſerit, natum ex muliere, ſubjectum legi, ut eos, qui legi ſubjecti erant, redimeret.* Erat enim Sponſor illorum qui ſervi peccati erant nati; quod enim ex carne natum eſt, caro eſt, Joh. III, 6. omnes natura filii iræ eramus, Tit. III, 3. Quare ut noſtrum locum occuparet, & loco noſtrum ſatisfaceret, oportebat Sponſorem naſci ex Eccleſia Judaica, ſub jugo legis ſervitutis Gal. IV, 1--4. adeoque ejusdem cum matre conditionis, eidem legi ſubjiciendus erat, Rom. VIII, 3. Matth. III, 15. Venerat enim Salvator & natus erat in hunc mundum, ut *ſerviret*, Matth. XX, 28. quare in primo infantiæ articulo, ſc. octavo die ſigillum ſervitutis ſub lege, ſc. circumciſionis cultrum in corpore ſentiebat, Luc. II, 21.

IV. 2. Servi quoque olim conſtituebantur ex *captivitate*, & quidem apud Hebræos duplicis erant generis. Vel enim erant ſervi ex *pacto & fœdere*, vel *mancipati.* Quod priores concernit, de iis legimus Deut. XX, 10. 11. *Quum acceſſeris ad urbem, ad eam expugnandum, pacem illi offeras, ſique pro pace reſponderit tibi, aperueritque eam, omnis populus, qui in ea invenietur, fiat tibi tributarius, ac SERVIAT tibi.* Quam legem MAIMON. *hilc. Melach cap. V. fol. 290.* late explicat. Tales erant Gibeonitæ, qui pacem ab Iſraëlitis per dolum nacti, duro ſervitutis jugo premebantur. conf. SELDEN. *l. c. L. VI. C. 14. p. 773. ſq.* Explicatur hoc in *Sepher Siphri col. 187.* אמרו מקבלים עלינו מסים ולא שיעבוד שיעביד ולא מסים אין שומעין להם עד שיקבלו עליהם זו וזו *Si conſentirent in tributum, non vero in obſequium ſervile, aut in hoc, non vero in illud, in fœdus non recipiebantur, niſi ſc. in utrumque ſe obligarent.* De *poſterioribus*, qui capti bello, mancipia erant, legimus Deut. XX, 13. 14.

Cum

Cum urbem Deus tuus Jehova dederit in manum tuam, percuties omnem maſculum ejus, ſolum mulieres & infantes prædaberis tibi. ubi infantes maſculos quoque conſervandos intelligi, ex *Raſchi Jalcuth. etc.* probat Doct. J. G. ABICHT. *diſſ. cit. §. 3.* adde Num. XXXI, hiſtoriam captorum Midianitarum, & SELDEN. l. c. *C. 16. p. 783. ſq.* Huc reſpicit Laban Gen. XXXI, 26. dicens Jacobo: *Abduxiſti filias meas quaſi* mancipatas *armis.* Unde *mancipia* quaſi manu capta & *ſervi* quaſi a cæde ſervati dicti. Tales apud Cretenſes dicebantur *Clarotæ.* Ita ATHEN. *L. VI. p. 236.* Καλοῦσι οἱ Κρῆτες δουλοθέντας κατὰ πόλεμον, διὰ τὸ κληρωθῆναι, κλαρώτας. *Nuncupant Cretenſes* ſervos bello *captos* ſc. *a ſortibus*, quibus diſtinguebant captivos antiqui. De his quoque *Ammonius* apud MEURS. *in Miſcell. Lac. L. II. C. VI. p. 127* πενεστὴς δὲ παρὰ Θεσσαλοῖς, ὁ κατὰ πόλεμον ζωγρηθεὶς ὡς παρὰ Λάκωσιν οἱ Εἵλωτες. *Peneſtes vero apud Theſſalos dicitur, qui in bello captus, uti apud Lacedæmonios Helotes.* Huc reſpicit TACIT. *Annal. L. XV. C. 2. Jam de Armenia conceſſum, proxima trahi: Et niſi defendant Parthi, levius* ſervitium *apud Romanos deditis quam* captis eſſe. nec non *L. IV. annal. C. XLVI. Antequam arma inciperent, miſere legatos, amicitiam obſequiumque memoraturos. Sin ut* victis ſervitium *indiceretur, eſſe ſibi ferrum & juventutem & promtum libertati, aut ad mortem animum.*

Meſſias tanquam mediator & ſponſor interceſſurus erat pro peccatoribus, qui Satanæ tenebrarum principi per peccatum traditi, ejusque captivi erant, quos inſtar prædæ & tanquam mancipia ſua ſervabat ſub ſervitute & jugo ſuo, Matth. XII, 26. Rom. VI, 12. Quare eorum loco *capiendus* erat & tanquam *captivus* jugo ſervitutis duriſſimæ, loco electorum, collum ſubjicere tenebatur. Quemadmodum Matth. XX, 28. *dicit ſe veniſſe, ut ſerviat, & vitam ſuam tradat in redemtionis pretium pro multis.* Quare non ſolum externe capiendus erat in horto per cohortem armis atque haſtis inſtructam, & vinculis conſtrictus in poteſtatem hoſtium ſuorum tradendus Matth. XXVI, 54. 55. ſed & *vinculis* mortis ac tenebrarum erat cingendus, qua ſponſor, illisque ad tempus ſuccumbebat in ſtatu exinanitionis, Pſ. XVIII, 5. 6. adeoque in ſepulchrum, tanquam carcer, captivus deducebatur, ultro ſe tradens in pugna illa multiplici paſſionis ſuæ, Joh. XVIII, 8. cap. X, 17. 18.

V. 3. Tertius *ſervitutis* modus erat *emtio* vel *venditio* in ſervitutem, vel ex *paupertate*, vel ex ſententia judicis ob *furtum*. Varios modos, quibus coëmitur ſervus, exprimunt Judæi in *Maſſech. Kidduſch. cap. 1.* עבד כנעני הרי הוא כקרקע ונקנה בכסף או בשטר או בחזקה *Servus ratione emtionis eodem ſe modo habet ac fundus, acquiritur enim aut pecunia, aut chirographo aut jure poſſeſſorio*, adde hoc explicantem MAIMON. in *Kinian. hilc. Mechir. cap. 2. fol. 61.* Huc refer locum, Gen. XII, 5. Sumſit Abraham Sarah uxorem, omnesque facultates & נפש אשר עשו *animas quas fecerat* in Haran, ubi mancipia, quæ pretio in Charane coëmerat, intelligenda eſſe, docet erudite Cl. CHR. BENED. MICHAELIS in *antiq. œconom. Patriarch. diſſ. II. §. VI. p. 6. ſq.* Ita Gen. XVII, 12. יליד בית *ſervus domi natus* & מקנת כסף *coëmtus argento* a quibusvis alienigenis conjungitur, Exod. XII, 44. *omnis ſervus pecunia emtus.* Joſephus itidem a fratribus Midianitis venditus eſt pro 20. ſiclis argenteis, Gen. XXXVII, 27. conf. Pſ. CV, 17. Eſth. VII, 4. Exod. XXI, 2. Joel. III, 3. 6. 8. & Lev. XXV, 44. legimus permiſſivam legem de acquirendo ſervo & ancilla ex gentibus vicinis. Lev. XXV, 47. legimus de ſeipſum *vendente* in ſervum ex *paupertate.* et Exod. XXII, 3. lex de fure *ob furtum vendendo* occurrit. De venditione libera ex paupertate ſcribit MAIMON. *hilc. cap. 1.* עבדים אין אדם ראשי למכור את עצמו עד שלא ישאר לו כלום ואפילו כסות לא תשאר לאחר כך ימכור את עצמו *Neque fas eſt cuiquam vendere ſe ipſum, quamdiu quicquam omnino; etiam veſtis ſuperfuerit. Sed poſtea poteſtas ei eſt vendere ſe ipſum.* Conf. plura apud SELDEN. *l. c. Lib. VI. cap. VII. p. m. 738 ſq.* ALTING. *Hept. diſſ. VI. §. 23. 25. ſq.* nec non Cel. CRAMER *l. c. p. 4. ſq.* Servi autem pretium triginta ſiclorum erat, Exod. XXI, 32. *ſi ſervum invaſerit bos aut ancillam* שלושים שקלים יתן לאדוניו *triginta ſiclos dabit Domino ejus.* et JOSEPHUS *antiq. Jud. L. XII. cap. 2.* pro captivis δραχμὰς ἑκατὸν εἴκοσι *centum & viginti drachmas*, i. e. 30 ſiclos poſtulaſſe Ptolomæum refert, vid. BYN. *de morte J. C. L. I. C. 4.* nec non Cel. WALCH. *in diſſ. ſupra cit. D. XI.* Apud Romanos quoque vendebantur & quidem ſub *corona*, quemadmodum apud LIV. *L. XIV.* in poteſtatem redactos, ſub corona

na vendiderunt; nec non apud TACIT. *annal. L. XIII. cap. 39. p. m. 228. omnesque puberes trucidati ſint, nullo milite amiſſo, paucis admodum vulneratis, & imbelle vulgus ſub corona venundatum.* Cælius quoque Sabinus ad GELL. *L. VII. cap. 4.* ſcribit: *Antiquitus mancipia jure belli capta coronis induta, veniebant, & idcirco dicebantur ſub coronis venire. Namque ea corona ſignum erat captivorum venalium.* Vide latius hæc exponentem PASCHAL. *de coron. Lib. VII. cap. 7. p. m. 479.* & alios quos citat Doctiſſ. SCHLICHTER in *obſ. ſacr. p. 116.*

Salvator quoque ac ſponſor noſter venditus eſt inſtar ſervi, ſeque ipſum vendidit ultro. Venditus eſt a Juda proditore ſuo, & quidem exacte pretio ſervili ſc. 30. ſiclorum, Matth. XXVI, 15. conf. Zach. XI, 12. 13. ubi pretium paſtoris hujus 30 ſiclis argenteis compenſatur, inſtar ſervi. Venditus quaſi ſub *corona* eſt inſtar ſervi, dum a mancipiis Satanæ, lictoribus Romanis corona e ſpinis contexta caput cinctus, populo in ſpectaculum propoſitus fuit, Matth. XXVI, 29. Joh. XIX, 5. Vendi autem ſe ultro permiſit, tum ob *paupertatem* tum ob *furtum.* Ob *paupertatem*, quam propter redimendos ſuſcipere tenebatur, erat enim pauper Zach. IX, 9. non habens, ubi caput reclinet, Matth. VIII, 20. & *pauper factus* noſtri cauſa, ut nos divites exiſteremus, teſte Apoſtolo, 2. Cor. VIII, 9. quum nos eſſemus miſeri & pauperrimi Apoc. III, 18 debitisque quamplurimis obruti. Venditus quoque ex ſententia judicis ſupremi ob *furtum* non proprium, ſed alienum, unde Meſſias ipſe conqueritur, Pſ. LXIX, 5. *quæ ego non rapui, rependere tamen cogor.* Se ipſum tradidit & vendidit quaſi pro nobis Tit. II, 14. ut nos redimeret captivos, adde Rom. IV, 25. ſanguis ejus pretioſus erat pretium redemtionis, oppoſitum argenteis ſiclis 1. Petr. I, 18. 19. quare pretio gravi emti ſumus, 1. Cor. VI, 20.

VI. B. Pergimus ad *ſigna* ſervorum, eorumque *notas* criticas, quibus diſtingui ſolebant. Heic obſervamus

1. *Notas* certas atque *literas* cum nomine illorum fronti impreſſas fuiſſe atque inuſtas. Duplicis autem generis ſtigmata ſeu notæ frontium erant, vel *honeſtæ* vel *ignominioſæ.* Servis candenti ferro vel nomen Domini vel ejus inſignia inurebant, ut diſtinguere eos poſſent, atque ita aufugere nequirent. Has vocat SENECA *Lib. I. de*

tran-

tranquill. animi, literas ſerviles, nec non *ſtigmata, Lib. IV. de beneſ.* unde Polluci *ςιγματίαι* ſervi ſunt. Servi bello capti, his libertatem amiſſam denotabant, quales apud CURT. *Lib. V. cap. V.* memorantur. Inprimis autem in ignominiam a fuga retracti ſtigmate notabantur ſervi, unde COLUMELLA *Lib. X.*

> *Dejectura quidem fronti data ſigna fugarum,*
> *Vimque ſuam idcirco profitetur nomine Grajo.*

CLAUDIAN. *Lib. II. in Eutrop.* canit:

> *Jura regunt, facies quamvis inſcripta repugnet,*
> *Seque ſuo prodat titulo.*

& *Phocylides* præcipit:

> Στίγματα μὴ γράψῃς, ἐπονειδίζων θεράποντα.

Ita PIGNORIUS *de Servis edit. Patav. 1656. p. m. 16.* lamellas æreas exhibet cum variis inciſis literis, veluti

TEN ● E ME Q
VIA FVG. ✳ ET REB
OCA ME VICTOR
I ✳ ACOLIT
O A DOMIN
I CVCLEM
ENTIS.

EVGI. O. EVP
IOGIO EXO
PRE. VRB.

& 

Huc reſpicitur Apoc. XIV, 1. Cap. XXII, 4. ubi ſervi Dei nomen Patris & agni in fronte gerere dicuntur, conf. *Emblem.* noſtr. *ſacr. miſcell. L. II. Exerc. XII. §. 2. p. 287.* & quos ibi citavimus. Adde JOH. NICOLAI *tract. de SIGLIS veter. Lugd. 1703. cap. XXV. p. m. 176. ſq.* Doct. AMEL. *in N. T. Tom. I. p. m. 371.* nec non in *V. T. Tom. I. p. 912. ſq.* Cel. HARENBERG in *Bibl. Brem. Claſſ. VIII. faſc. III. p. 398.*

Chriſtus quoque mediator ſervi inſtar nomen Dei Patris, cujus ſervus & legatus erat, in fronte gerebat inſculptum; notæ, ſigna & *τεκμήρια* omnia, quæ prophetæ de futuro Jehovæ ſervo in vaticiniis dederant, ex fronte i. e. confeſſione ac præconio ejus elucebant. Erat lapis

pis ille coram Joſua poſitus, cujus *ſculpturas* ipſe Jehova expreſſerat atque delineaverat, Zach. III, 9. tanquam ſacer Dei miniſter & antitypus ſummi pontificis, laminam auream in fronte gerebat, cui inſcribebatur: קודש יהוה quæ non ſolum ex tota vita ejus elucebat, ſed & qua ceu ſanctus ille Dei diſtinguebatur, Heb. VII, 26. *Nomen Dei* ergo erat in medio ejus, tanquam angeli Jehovæ. Legem quoque Patris ſui, ejusque voluntatem cordi impreſſam gerebat, tanquam ſervus voluntarius, Pſ. XL, 7. *Servilibus* quoque ac *ignominiæ notis* frons ipſius inſtar ſervi inurebatur a dominis hujus mundi, & inſidentibus cathedræ Moſis, ſc. Phariſæis atque Scribis; qui ipſius quaſi frontem Pſeudo-doctoris & ſeductoris, qui diabolum haberet, etc. titulo inurebant & publice coram populo declarabant. Fiebat id quoque quando falſis teſtimoniis eum impetebant, & tanquam rebellem & transfugam, qui dominio Imperatoris ſe cum ſequacibus ſubtrahere ſtuderet, publice apud Pilatum deferebant. Quemadmodum & procul dubio lamellam vel ligneam vel æneam literis ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ collo ipſius ad ſupplicium ſervile ducti vel appenſam, vel ante eum geſtatam, deinceps in cruce appendebant, Matth. XXVII, 37.

VII. 2. Inſuper & *aures perforatas* & *annulis* ſæpe ſervi ornatas habebant. In ſacris hujus ritus veſtigia deprehendimus Exod. XXI, 6. *Et adducat ſervum Dominus ejus ad Deos ſ. Magiſtratus & ponant ad oſtium vel poſtem* ורצע אדניו את אזנו במרצע ועבדו לעולם *& perforabit Dominus ejus AUREM ipſius ſubula, ſervusque ſit ejus in ſeculum. Cauſam* cur Dominus *ſervo aures* ad *poſtes* & *januas* domus perforarit ſubula, Judæorum Interpretes ad h. l. hanc reddunt; aurem fuiſſe perforatam, quia illâ audiverant Iſraëlitæ verba legis in Sinai. Et ad *poſtes* & *januas*, quia hi teſtes fuerant tranſitus angeli mortis in Ægypto. Plerique Patres, quia *aures* obedientiæ ſymb. erant, utrasque aures ad obedientiam quaſi domino apertas promtasque eſſe denotari cenſent. conf. Cel. CREMER in *Exerc. Typ. Proph. Exerc. I. §. 23. p. 26. ſq.* Huc quoque reſpicit Meſſias Pſ. XL, 7. אזנים כרית לי *aures perforaſti mihi.* Variæ circa locum hunc difficultates moventur, præprimis cur Paulus Hebr. X, 5. σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι ex LXX. Interpr. vertat. Ubi non pro אזנים vocem עצם

corpus cum quibusdam ſubſtituimus, conf. GLASS. *Philol. ſacr. p. 2067.* nec pro *ὠτία, σῶμα* per errorem ſcriptum eſſe cum *Al.* MORO conjicimus. Nec denique cum Cel. FRISCHMUTHO dicimus LXX. Interpretes pro אזנים legiſſe אזנים i. e. loco *aurium, inſtrumenta* i. e. membra. Ingenioſa eſt Cl. *ab* ALMELOVEEN. *in Amoenit. Th. Phil. p. 15.* ſententia, qui exiſtimat ſervis apud Hebræos ex lege Dei ad *poſtes aures* fuiſſe *alligatas*, quia poſtibus apud veteres leges inſcriptæ erant, adeoque hac ratione notabatur, hunc ſervum ſe ſponte ad æternam legis heri ſui obedientiam obſtringere. Quare cum Cl. ALTINGIO, van TILLIO, PFEIFFERO nec non Cel. WALCHIO in Diſſ. cit. & aliis communem ſententiam amplectimur & legem Exod. XXI. reſpici contendimus. Paulum vero ac Spiritum S. Hebr. X. & Pſ. XL. ita conciliamus, quoniam *perforatio auris ſubula* ſignum erat *ſervitutis* perpetuæ ad *mortem*, innuit Meſſias Pſ. XL. ſe in ſervum Dei perpetuum a Patre eſſe conſtitutum; Id quod Paulus Hebr. X. proprie explicat per *adaptationem corporis* ſc. ad paſſiones & ſervitutem; quia Chriſtus natus eſt ut ſerviret, Matth. XX, 28. & *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας in ſimilitudine carnis peccati*, & *ſubjectus legi* venit in mundum, Rom. VIII, 3. Gal. IV, 4. & *μορφὴν δούλου formam ſervi* a prima nativitate induit, ut in loco noſtro dicitur. Quare Jeſ. XLIX, 5. *formator meus ab utero in ſervum*, vocatur Pater a Meſſia. Ritus hic aures perforandi ad ipſas gentes tranſiit, qui non ſolum aures perforatas gerebant ſed & annulis illos exornabant. De *perforatione aurium* PETRON. ARBIT. *in Satyr. circumcide nos ut Judæi videamur, & pertunde aures, ut imitemur Arabes*, qui ſervi inter Romanos erant. Huc reſpicit JUVENAL. *Sat. 1.*

> *Natus ad Euphratem, molles quod in* aure *feneſtræ*
> *Arguerint.*

PLUTARCH. *Sympoſ. Lib. II. cap. 1.* καὶ μὴν τετρυπημένον (ἔφη) ἔχεις τὸ οὖς, *atqui aurem habes*, ait, *perforatam.* Annulis quoque ornabant aures, unde HOMER. *odyſſ. Lib. XVIII.*

> Ἕρματα δ᾽ Εὐρυδάμαντι δύω θεράποντες ἔνεικαν,
> *Inaures autem Auridamanti duo ſervi geſtabant.*

et

et *Iliad. Lib. XIV.*

Εν δ' ἄρα ἕρματα ἧκει ἐυτρήτοισι λοβοῖσι,

Et ſane inaures appoſuit auribus bene perforatis.

Plura vide apud DEMPSTER. *ad Roſin. antiq. p. m. 104. ſq.* KIRCHMANN. *de annulis antiq. p. m. 95.* Doctiſſ. ZORN. *Bibl. antiq. Exeg. p. 293. ſq.* Doctiſſ. SCHLICHTER. *Obſ. S. p. 237.* & quos ille citat. PIGNOR. *de ſervis p. m. 200.* exhibet ejusmodi annulos aurium ſerviles, quos Romæ apud Læl. Paſchalinum conſpicere ipſi datum.

Conſtat ergo ex Pſ. XL, 7. cum Hebr. X, 5. modo collatis, Meſſiæ quoque a Patre ſuo aures eſſe perforatas in ſignum ſervitutis. Præcipue *ſervitus ille* Exod. XXI. typus erat Meſſiæ, qui uxorem cum liberis ſuis i. e. Eccleſiam intime diligebat, Joh. XIV, 23. Tit. II, 14. Jeſ. LXIII, 9. et Dominum ſuum i. e. Patrem, quare noluit *exire liber*, ſponte ſuſcepit ſervitutem pro Eccleſia ſua Pſ. XL, 7--9. Quare *ſubula ad poſtes aures perforari* ſibi fecit, quod per *circumciſionem* Meſſiæ quaſi factum, quum hocce ſigno ſtatim a nativitate eum quaſi ſervum Dei, legi quoque ſubjectum eſſe conſtaret, Luc. II, 21 Et ita *poſti* domus heri ſui alligabatur, ut in illa verſari, herique voluntatem præſtare ſe lubentiſſime teſtaretur, Joh. VI, 38. Quare parentibus Luc. II, 49. dicit, *an neſcitis me in iis eſſe debere, quæ ſunt Patris mei?* In domo Patris ſui Chriſtus etiam frequentiſſime verſabatur docens, ejusque curam gerebat Joh. II, 15. 16. *Inaures* ejus ſignificare poſſunt *criteria* ſervitutis ſuæ & ſponſionis, quæ per liberrimam *obedientiam*, quam Patri obtulit, ubique demonſtravit, Hebr. X, 4. 5. Phil. II, 7. 8.

VIII. 3. Addimus denique *veſtitum ſervilem*, quo diſtinguebantur *ſervi* a liberis apud veteres præcipue Romanos atque Græcos, quare & apud Judæos ex captivitate vel mancipatu liberati, veſtes mutare ſolebant, conf. etiam Jer. L, 31--33. Ita & de ſervis loquitur APULEJ. *Lib. IX. metam. Cuncti tamen ita tunicati, ut eſſent per pannulos manifeſti.* Et Alexander Severus Imperator apud LAMPRID. *in vita* ejus, *ſervos ſuos ſemper cum ſervili veſte habuit, libertos cum ingenuorum.* conſ. J. CASAUBON. *ad h. l.* Veſtis ſervorum publicorum *limus* dicebatur. Unde ISIDOR. *Orig. Lib. XIX. cap. 22 Limus eſt veſtis, quæ ab umbilico usque ad pedes producitur, hæc autem veſtis ha-*

Fff 2 *bet*

bet in extremo ſui purpuram limam i. e. flexuoſam, unde & nomen accepit. Huc refer TACIT. *Annal. Lib. XIII. cap. 25. Veſte ſervili in diſſimulationem ſui compoſitus pererrabat, comitantibus qui raperent ad venditionem expoſita.* et *Hiſt. Lib. II. cap. 29. §. 2. Nam Valens, ſervili veſte apud Decurionem equitum tegebatur:* POLLUX *Onomaſt. Lib. VII. cap. 13.* deſcribit veſtem ſervilem: *Χιτὼν δε, ὁ μὲν ἀμφιμάσχαλος, ἐλευθέρων σχῆμα. ὁ δὲ ἑτερομάσχαλος, οἰκετῶν. Cæterum tunica, hæc quidem utrinque manicata, eſt liberorum habitus: Illa vero unicam manicam habens, ſervorum.*

Cingulo quoque ſubeincti *ſervi* erant. Petrus CHRYSOLOG. *ſerm. 24.* ſcribit: *Cingulum quidem eſt proprie indicium ſervitutis, quod & diſcurſus expeditos reddat & faciat obſequentes;* unde HORAT. *L. II. Sat. 8.*

- - - ut omnes
Præcincti recte pueri, comtique miniſtri.

et JUVENAL. *Sat. VIII.*

Et cum venali Cyane ſuccincta lagena.

Et ſervi publici ea propter LIMOCINCTI audiunt in antiqua inſcriptione

APPARITORES. ET
LIMOCINCTI
TRIBVNALIS. EIVS.

Conf. de his prolixe PIGNOR. *de ſervis p. m. 29. ſq.* præcipue vernæ convivis miniſtrantes ſuccingebantur, unde HORAT. *L. II. ſat. VI.*

- - - veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,
Continuatque dapes: nec non vernaliter ipſis
Fungitur officiis.

Vide RAMIREZ DE PRADO in *Pentecont. cap. XIII. p. 92. ſq.*

Torques & monile inſigne quoque ſervorum erat; unde in *hiſt. Tam. p. 103.* apud Cl. SCHULTENS in *not. ad Harir. Conſeſſ. p. 122.* dicitur: تقلد طوق عبوديته وانتظم في سلك عبده *Collo indidit* torquem ſervitutis *ejus, & inſertus eſt in ſeriem famu-*

famulorum ejus. Collare ejuſmodi ſervile cum inſcriptione TENE ME, QVIA FVGI, ET REVOCA ME DOMINO MEO BONIFATIO LINARIO. A ☧ ΩX. deſcribit quoque PIGNOR. *de ſervis p. m.15.* Eam ob cauſam Jeremias Cap. XXVII, 2. *vincula & catenas collares*, i. e. collaria, induere jubetur, in ſignum futuræ ſervitutis populi ſui.

Diſcalceati quoque incedebant ſervi, quod ex JUVENAL. *Sat. VII. 16.* verbis

Altera quos nudo traducit Gallia talo

demonſtrat Doct. AMEL. in *V. T. Tom. I. p. 951. in not.* & hoc in ſignum ſubmiſſionis factum teſtatur *p. 1093.*

Hoc ſi Meſſiæ, ſervo Dei juſto applices, ſervilem denuo ejus in ſtatu exinanitionis conditionem depictam invenies. *Veſtes ſerviles* gerebat, non ſolum quia more pauperrimorum veſtitus erat Servator, non *μαλακὰς* veſtes gerens, quales Regum erant, non latis fimbriis ornatas, quales Phariſæorum, ſed ſimplices, quas lictoribus in crucem ſublatus reliquit. Imo in paſſionibus ſuis *veſtimentum ſuum* conſtituit *cilicium* Pſ. LXIX, 12. Sed & quia veſtes ſymb. ſunt *confeſſionis*, Apoc. III, 4. innuitur illum ſe *ſervum* publice eſſe confeſſum, id quod ubique fecit, ſe a Patre in mundum eſſe miſſum, ut inſtar ſervi voluntatem ejus exſequeretur, affirmans Pſ. XL, 7. Joh. VI, 39. 40. Joh. IV, 34. cap. VIII, 28. 29. ſe quoque veniſſe non ut regem, qui miniſtretur, ſed ſervum qui miniſtret, profitetur Matth. XX, 28. *Cinctus* quoque erat quaſi *cingulo* ſervili, i. e. expeditus & promtus ad quævis officia peragenda in ſalutem populi & voluntatem Patris ſui. De hoc animo ſuo promto diſcipulos convicturus, pallium deponebat & linteo ſe præcingens, cœpit lavare pedes diſcipulorum, quod ſervorum erat, Joh. XIII, 4. 5. innuens ſe non ſolum eſſe ſervum Patris, ſed & miniſtrum credentium, & paratiſſimum ad quævis ipſis officia præſtanda, præcipue quæ non ad ſanctificationem ſolum, ſed & recreationem ipſorum pertinent. *Torque* ornatus eſt Meſſias ſervus, quæ ſymb. *veritatum* eſt cœleſtium, Cant. IV, 9. illas enim ſolicite ſervabat in corde non ſolum Pſ. XL, 8. ſed & publice profitebatur, ſe eſſe ſervum Dei, qui veritates

 &

& myſteria ſalutis annuntiaturus ac manifeſtaturus erat, Jeſ. LXI, 3. Joh. I, 18. An Chriſtus *nudipes* & *diſcalceatus* inceſſerit, ut Pontif. plerumque urgent, late ſententias affirmantem & negantem excutit BALDUINUS *de calc. antiq. p. m. 238. ſq.* adde BYNÆ. *de calc.* C. W. VOLLAND. *diſſ. de ſandaliger. Hebr. Witt. 1712.* aliosque. *Diſcalceatus* autem ſenſu myſtico dici poteſt, quatenus ex more veterum, qui in locis ſacris diſcalceari ex reverentia Dei ſolebant, nunquam non ſanctitatis & reverentiæ erga patrem ſuum fuit ſtudioſiſſimus in ſtatu exinanitionis, ubique non ſuam, ſed patris gloriam quærens, Joh. V, 41. cap. VIII, 50. XVII, 1. 4. 5.

IX. C. Tranſimus tertio loco ad varia ſervorum accidentia, & quidem conſiderantes eorum

1. *Conjugium*, quod conſentiente hero inibant, præcipue apud Judæos cum ſerva & Cananæa. Hanc in rem legem reperimus Exod. XXI, 4. אם אדוניו יתן לו אשה וילדה לו בנים או בנות האשה וילדה תהיה לאדוניה והוא יצא בגפו. *Si Dominus ſervo dederit uxorem, & pepererit ei filios aut filias; uxor & filii ejus erunt Domini, ipſe vero ſervus exibit cum corpore ſuo,* i. e. ſolus. ad quem locum *Raſchi* שאם לא היה נשוי מתחלה אין רבו מוסר לו שפחה כנעני להוליד ממנו עבדים *Quod ſi non fuerit uxoratus in principio ſervitutis, quo ſe Domino ſubjicit, Dominus ipſi non potuit ancillam cananæam dare, ut ſervos cum illa gigneret etc.* ſi vero uxorem hebræam habuerit, uxorem cananæam ipſi adjungere potuiſſe herum contendit. Per uxorem autem ſervo datam cananæam intelligi Exod. XXI. ex *AbenEſra*, *Jalkut Simeonis & Mechilta* prolixe docet Cl. ABICHT in *diſſ. ſ. cit. p. 13. ſq.* adde MAIMONID. *de ſervis cap. 3.* Cl. PETRI ENSI diſſ. *de jure ſervorum Moſaico D. I. §. 5. ſq.* Cel. CREMER. *l. c, p. 18. ſq.* SELDEN. *l. c. p. 740.* Inſignis eſt locus MECHILTÆ *fol. 28. col. 3.* אם אדוניו יתן לו אשה בכנענית הכתוב מדבר או אינו אלא בעברית כשהוא אומר האשה וילדיה תהיה לאדוניה הא בכנענית הכתוב מדבר *Si dominus ipſi dat fœminam: Scriptura loquitur de Cananæa; ſed poſito quod de hebræa ſermo ſit, ſecundum illud vero, quo dicitur: Uxor*

&

& nati ejus ſint Domino ejus : Ecce ex hoc liquet, quod de cananæa loquatur ſcriptura.

Typus hac in re denuo ſervus Hebræus fuit ſervi Meſſiæ voluntarii. Huic enim etiam ab hero ſuo i. e. Patre, qui Dominus eſt Chriſti, qua hominis & mediatoris, conceditur & delegatur *uxor*, & quidem *cananæa*, quæ ſymb. eſt Eccleſiæ, præfigurata per Hagarem, ſervam Ægyptiam, Gal. IV. Eccleſia enim, quam Chriſtus ſibi deſponſaturus eſſet ſub N. T. ex gentibus præcipue erat colligenda. Eccleſia ſponſa Chriſti, origine prorſus eſt peregrina, ſive Judæa, Ezech. XVI, 3. ſive Ethnica ſit, Eph. II, 12. 13. aliena a libertate & πολιτείᾳ Dei, ſed in familiam Dei traducenda, Eph. II, 19. Quare Apoſt. Eccleſiam ut uxorem conſiderat, Eph. V, 32. et pater dicitur in parabola illa filio ſuo *nuptias* parare Matth. XXII, 2. Liberi ex Eccleſia nati, heri ſunt, qui eum in finem filio ſuo uxorem i. e. Eccleſiam dedit, ut ſemen inde ſpirituale excitaret, Jeſ. LIII, 10. Pſ. CX, 3. et Meſſias tanquam ſervus voluntarius ſe cum natis ſuis patri ſiſtit Jeſ. VIII, 18.

X. 2. *Victus* ſervorum apud veteres maxime vilis erat atque ***tenuis***. Interdum quidem lautiori cibo, quo ipſe Dominus veſcebatur, excipiebantur, ut MAIMONID. *hilc.* עבדים *cap. IX. n. 8. fol. 146.* ſcribit: חכמים ראשנים היו נותנים לעבד מכל תבשיל ותבשיל שהיו איכלין ומקדימין מזון הבהמות והעבדים לסעודת עצלן *Antiquiores noſtri ſapientes dederunt ſervo de quovis cocto quod comederunt, & cibum dederunt jumentis & ſervis ante prandium ſuum.* Cæterum *demenſum* certum ſervis concedebatur cibi atque potus, quod pro clementia heri aut diſpenſatoris vel largius erat vel parcius, unde JUVENAL. *Sat. XIV.* de avaro patrefamilias:

Servorum ventres medio caſtigat iniquo,
Ipſe quoque eſuriens.

Libra farris plerumque demenſum erat ſervi, unde HORAT. *Lib. I. ſat. V.*

Denique cur unquam fugiſſet: cui ſatis una
Farris libra foret.

Cæl. AURELIANUS *Lib. III. Sic denique plurimi*, ait, *impauſabiliter*

tota

tota die atque nocte cibum ſumpſiſſe veteribus traduntur: namque Aſclepiades memorat, Praxagoræ famulum ternos bilibres panes per ſingulos dies accepiſſe, quibus comeſtis, non aliter paſſione afficeretur, quam ſi nihil acciperet. Demenſum cibi apud HOMER. *Odyſſ. XVI.* vocatur χοῖνιξ.

> ὃ γὰρ ἀεργὸν ἀνέξομαι, ὅσκεν ἐμῆσγε,
> χοίνικος ἅπτηται.
> *Namque operæ immunem haud patiar, qui meam unquam*
> *chœnica contigerit.*

PLAUTUS demenſum *in Scytho* vocat:

> *Vos meminiſtis quot (id eſt ſingulis)*
> *Kalendis petere demenſum cibum,*
> *Qui minus meminiſtis, quod opus ſit facto, facere in ædibus?*

Plura de his vide apud PIGNOR. *de Serv. p. m. 151. ſq.* STUCK. *antiq. conviv. Lib. I. cap. XXII. p. m. 64.*

Meſſiæ quoque ſervi illius juſti *demenſum* a Patre ſibi ordinatum in implemento temporis fuit conceſſum. Miſer erat atque pauper in hac terra, victus ejus proinde & quoad corpus tenuis erat; non luxum filiorum hujus mundi imitabatur. Imo cibus ejus primarius erat executio voluntatis paternæ, Joh. IV, 34. Sed & *demenſum* ipſius erat calix atque *poculum*, quod ipſi a Patre erat infuſum, de quo petit Matth. XXVI, 39. Πάτερ μου, εἰ δυνατόν ἐστι, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me poculum iſtud.* Demenſum ipſius erat panis miſeriæ & aqua afflictionum, ut de populo Dei dicitur Pſ. LXXX, 6. et ipſe Meſſias conqueritur de paſſione ſua Pſ. CII, 10. *Nam cinerem tanquam panem comedo, & potionem meam cum fletu miſceo.* et in ipſa mortis hora exclamabat Joh. XIX, 28. *ſitio!*

XI. 3. In genere porro *ſervi* duriſſime apud veteres tractabantur, & *pœnæ* ipſorum graviſſimæ diſtinctæ erant a pœnis ingenuorum. Ita ATHENÆ. *Deipnoſ. Lib. VI. p. 271.* ſcribit: Τὸ δὲ τῶν Εἱλώτων ἔθνος παντάπασιν ὠμῶς διάκειται καὶ πικρῶς· Εἰσὶ γὰρ οὗτοι καταδεδουλωμένοι πολὺν ἤδη χρόνον. *Helotum natio prorſus crudeliter & acerbe*

acerbe tractatur. Sunt autem hi per longum jam tempus ſervi facti. Compedes habebant ferreos, unde SENECA *Lib. III. de ira cap. 28. Quare ego ſervi mei hilarius reſponſum & vultum contumaciorem & non pervenientem usque ad me murmurationem, flagellis &* compedibus *expiem.* et TERENT. *Phorm. act. II. ſc. I.*

- - - herus ſi redierit,
Molendum usque in piſtrino, vapulandum, habenda compedes.

Flagellatio in ſpecie pœna erat ſervorum, uti ex locis ſacris Exod. V, 16. & cap, XXI, 20. conſtat. Huc reſpicit TACIT. *Annal. Lib. III. cap. L. §. 1. neque carcer neque laqueus, ne ſerviles quidem cruciatus in eum ſuffecerint.* SOPHOCL. quoque in *Ajac. v. 300.*

- - - τὲς δὲ δεσμίες
Ἠκίζεϑ᾽ ὥςε φῶτας.
Alios ceu captivos flagris cædebat.

HORAT. *Epod. Od. IV.*

Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad faſtidium.

ARISTOPH. *in* βατραχ. *act. IV. ſc. 1.*

Τὶ δε τονδορύζων ἡνίκ᾽ ἀν πληγὰς λαβὼν
Πολλὰς ἀπῄς θύραζε.
Etiamne cum multis ab hero acceptis flagris *foras exis obmurmurans.*

vide inſuper C. F. KRUMBHOLZ. *in Bibl. Brem. Tom. VII. p. 245. ſq.* J. C. HARENBERG *ibidem T. VIII. p. 398.* PIGNOR. *de Serv. p. m. 7. ſq.* SCHEFFER. *de torq. antiq. p. m. 3. in not.* PFEIFFER. *antiq. Græc. Lib. II. c. 51. p. m. 343.*

Patibulum, furca & crux inter ſupplicia ſervilia recenſentur apud antiquos, unde apud PLAUTUM *in Moſtellar. Act. I. ſcen. I.* legimus:

O carnificum cribrum, quod credo fore,
Ita te perforabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi huc reveniat ſervus.

Quare HERODIAN. *Lib. V. cap. 2. §. 4.* ſcribit: *Συκοφάνται δὲ ἢ δοῦλοι ὅσοι δεσπότας κατήγγελον ἀνεσκολοπίσθησαν.* *Delatores autem & ſervi omnes, quicunque dominos detulerant, patibulo ſuffixi ſunt.* TACIT. *hiſt. Lib. IV. cap. III §. 4. Solatio fuit ſervus, quem proditorem Tarracinenſium diximus, patibulo affixus in iisdem annulis, quos acceptos a Vitellio geſtabat.* Vide de cruciatibus ſervorum PIGNOR. *l. c. p. 9* ROSIN. *antiq. Rom. Lib. IX. cap. 24.* BINÆ. *de morte J. C. Lib. I. c. I. p. 78.* GRUTERI *Lampad. p. 202.* alios.

Hæc omnia egregie pingunt, quam miſere ſervus Dei juſtus a dominis in cathedra Moſis ſedentibus erat tractandus. Deut. XXXII, 15. de Iſraële dicitur, quod ינבל *rupem ſalutis ſuæ*, quæ vox non ſolum varia contumeliæ atque ignominiæ genera deſignat, ſed & ipſam Chriſti in patibulo crucis *perforationem*, ut erudite docuit J. OLPIUS *ſub præſid.* Cl. HASÆI *in diſſ. de Jeſchurune p. 43. ſq.* Tanquam viliſſimus ſervus tractatus fuit, præcipue in paſſione ſua Salvator a Judæis ac gentibus, flagris horrendis cæſus, Joh. XIX, 1. quare Jeſ. L, 6. teſtatur ipſe: *Dorſum meum expono flagellantibus & maxillas depilantibus, faciem meam non abſcondo a contumeliis & ſputis.* Accedebant flagra horrenda iræ divinæ, per ſcuticam Principis tenebrarum i. e. tentationes ejus peſtiferas, animæ ſervi hujus juſti inflictas, Pſalm. LXXXVIII, 5. 7. 8. Pſ. XVIII, 5. 6. Pœna quoque *patibuli* i. e. *crucis* ſervili affectus eſt, qua manus & pedes ejus perfoſſi ſunt, Pſ. XXII, 17. quemadmodum & Pſ. LXIX, 27. dolores *perforati* Dei memorantur. Pſ. LXXXVIII, 6. occurrit Meſſias tanquam *perforatus inter mortuos.* Jeſ. LIII, 5. *perforatus* dicitur propter defectiones noſtras. Zach. XII, 10. Judæi dicuntur intuituri illum *quem transfixerunt.* adde Apoc. I, 7. Zach. XIII, 6. Jeſ. LIII, 8. 1. Petr. II, 24. &c.

XII. 4. *Manumiſſionis* denique ritus conſiderandus reſtat, quo ſervi ex mancipio *liberti* evadebant. Apud Judæos quovis anno *ſeptimo* ſervus liber exibat. Ita Lex ſonat Exod. XXI, 2. כי תקנה עבד עברי שש שנים יעבד ובשבעת יצא לחפשי חנם *Quum acquiſiveris ſervum Ebræum, ſex annis ſerviet tibi, ſeptimo vero in libertatem exibit gratis.* quare & RASCHI ad Lev. XXV. ſcribit: שהרי כל עצמו לא קנאו אלא לעבדו עד היובל שהרי ביובל

ביובל יצא כמו שנאמר למטה ויצא בשנת היובל *Ecce enim nemo poſſidet illum ad ſervitia diutius, quam ad annum jubilæum. In jubilæo enim egreditur, ut infra dicitur: Egrediatur anno jubilæo.* Et ita גט שחרור *libellum manumiſſionis* ei ſcribebat dominus, in quo exſtabat: הרי את בן חורין *Ecce ingenuus ſis.* vide SELDEN. *de Jure N. & G. p. m.* 744. *ſq.* Modum dimiſſionis explicat Legislator Deut. XV, 13. 14. *Quum autem eum manumittes, ne dimittas eum vacuum. Liberaliter imponas collo ejus* proprie tanquam torque collari liberaliter illum exornabis, *de grege tuo* i. e. carnibus ac veſtimentis, & *de area tua* i. e. pane & frumento, & de *torculari tuo* i. e. vino. conf. hoc late & erudite exponentem Cl. ALTING. *l. cit.* & ex eo Cel. CREMER. *in Exercit. cit. p. 10.* Apud Græcos & Romanos manumiſſi civitatis jure donabantur, teſte CICERON. *orat. pro Balbo cap. IX.* Virgam Prætor capiti ejus imponebat, addita formula: *Hunc hominem liberum eſſe volo,* vide FEST. *Lib. XI. de verb. vet. ſignif.* Raſo capite *pileum* ei imponebant, qui ſignum libertatis erat; huc reſpicit *Perſ. Satyr. III.*

- - - at illum
Heſterni capite induto ſubiere Quirites.

i. e. ſervi, libertate donati & ejus in ſignum pileum geſtabant. Vid. PFEIFFER. *antiq. Græc. Lib. IV. cap. 48. p. m. 741.* unde proverb. apud ERASMUM: *ad pileum* vocare i. e. ad libertatem. conf. ROSIN. *antiq. Lib. I. cap. XX. p. m. 102.* Imo *aureum annulum* geſtandi jus ipſis conceſſum eſſe, docet PIGNOR. *de ſervis p. m. 132.* huc reſpicit DIO *Lib. III.* Καὶ διὰ τοῦτο καὶ χρήματα παρά τε τοῦ Αὐγούστου καὶ παρὰ τῆς βουλῆς πολλὰ, καὶ τὸ χρυσοῖς δακτυλίοις (ἀνελεύθερος γὰρ ἦν) χρῆσθαι. *Quam ob rem etiam pecunia ei ab Auguſto & Senatu multa, uſusque annuli aurei (libertus enim erat) datus eſt.* Pluribus hoc confirmat *Joh.* KIRCHMANN. *de annulis cap. XVI. p. m. 102. ſq.*

Nec ſervitus Meſſiæ perpetua fuit, ſed manumiſſus demum eſt per *reſurrectionem*, quando herus ipſius, i. e. Pater, angelum mittens cœli legatum, ex carcere ſepulchri eum educeret liberum, adeoque vincula mortis, quibus captivus tenebatur, ſolverentur, Act. II, 24. Quando

do juſta judicis ſupremi ſententia liber declarabatur, utpote qui juſtitiæ divinæ ſatisfecerat, & ita victor claves inferni ac mortis ipſe gerebat, quibus hactenus erat detentus, Apoc. I, 18. Sic *jus civitatis* ipſi manumiſſo Dei ſervo juſto conceſſum eſt a patre; miſit enim currum gloriæ, i. e. nubem, eumque cum clangore & jubilis in palatia cœli introduxit, tanquam legatum ſuum, qui omne ipſius in terra beneplacitum erat exſecutus, Joh. XVII, 1. 2. Luc. XXIV, 50. 51. Act. II, 33. *Pileo* quoque *raſo capite* quaſi donatus eſt, quum depoſito corpore mortali, ſputis & vulneribus conſpurcato, immortale illud recepit & glorioſum, capitique ſuo impoſitam majeſtatis *coronam* auream adeptus, Pſ. XXI, 4. 5. 6. & *libertatis* æternæ tiara exornatus eſt tanquam caput Eccleſiæ: qui nunquam iterum ſervi formam erat aſſumturus, ſed jam depoſita δούλου μορφῇ, μορφὴν τοῦ Θεοῦ demonſtraturus erat majeſtate & gloria ſua, Phil. II, 7- 10. Eph. I, 19. 20. *Aureo* denique *annulo* a Patre donandus, qua mediator conſummatus, quia *Spiritum ſuum*, qui eſt arrhabo ac ſigillum Dei vivi, in menſura copioſa, populo ac fratribus ſuis concedere, jam exaltatus, poterat Act. II, 33. 2. Cor. I, 21. Eph. IV, 30. eundem Spiritum, quem ipſe ut ſigillum a patre acceperat, dedit etiam ſuis, Joh. XIV, 26.

XIII. D. Novam analogiarum claſſem detegemus, ſi varia ſervorum GENERA atque OFFICIA ſervilia penitius inſpiciamus. Sic

I. Memorantur antiquis SERVI REGII, qui honoratiores erant, apud Judæos æque ac gentes. Horum mentio occurrit in *Midraſch Tillim fol. 19. col. 3.* מלך בשר ודם אין קראין לסגן שלו בשמו והקב״ה קורא משיח על שמו ומה שמו יהוה איש מלחמה *Regis mortalis ſervus non vocatur illius nomine. Deus S. B. vero ſuo nomine inſignivit Meſſiam: Ecquod vero nomen ejus? Jehova Vir belli.* Et in *hal.* מלכים *cap. II.* לא ישתמש בעבדיו ושבחותיו ושמשיו אלא מלך אחר *Nemo utitur alius ſervis ancillis & miniſtris regiis, quam hæres regni.* adde *Maimonidem* & quæ excerpit CARPZOV. in *not. ad* SCHICKARDI *jus regium cap. VI. Theor. XIX. p. 440.* Unde toties in ſacris de *ſervis regum* Iſraëlis, Ægypti aliorumque legimus, Gen. XX, 8. XL, 20. XLV, 16. Exod. VII, 10. IX, 20. X, 7. 1 Sam. XVI, 17. XVIII, 5. XXI, 7. XXVIII, 7. 2. Sam. II, 13. III, 38. XI, 13.

XIV, 30. etc. etc. Apud Perſas præcipue miniſtri regii δοῦλοι vocabantur. ARISTOTEL. *lib. de mundo* στρατηγοὺς καὶ Σατράπας, δούλους τοῦ μεγάλου βασιλέως. *Præfectos, Satrapas, ſervos magni regis.* Ita Darius apud JOSEPH. *Lib. XI antiq. cap. IV.* ſcribit : Βασιλεὺς Δαρεῖος Ταγγανᾷ καὶ Σαμβαβᾷ τοῖς ὑπάρχοις τῶν Σαμαριτῶν, καὶ τοῖς λοιποῖς συνδούλοις αὐτῶν, τοῖς ἐν Σαμαρείᾳ. *Rex Darius Tanganæ & Sambabæ Præfectis Samaritarum & reliquis ſervis cum ipſis in Samaria:* & HERODIAN. *Lib. VI. cap. 17.* de Antonino ſcribit: Τοῖς δὲ δούλοις αὐτοῦ - - τὰς ὑπατικὰς τῶν ἐθνῶν ἐξουσίας ἐνεχείρισε *Servisque ſuis procurationes provinciarum tradidit.* In *Etymolog. magno*, Δημόσιος, ὁ τῆς πόλεως δοῦλος, ὃς ὑπηρετεῖ τοῖς δικαστηρίοις. Δημόσιος *vocatur, qui magiſtratibus miniſtrat & publica opera curat.* Vide etiam BRISSON. *de Reg. Perſ. Princ. p. m. 23.* Cl. GEORGII *Vindic. N.T. ab Hebr. p. 45.* & quos citat Cel. WOLF. in *cur. Philol. in Evang. p. 1242.*

Servus quoque *Regius* eſt Meſſias, legatus & miniſter Regis ſupremi atque æterni. Quare Servator toties de ſe teſtatur, quod a Patre miſſus ſit, ut ejus voluntatem in terris exequeretur, Jeſ. XLVIII, 16. LXI, 1. Joh. IV, 34. Cap. V, 23. 30. VI, 29. VII, 16. VIII, 16. X, 36. XIV, 14. XVI, 5. XVII, 3. Eſt a conſiliis patris, Jeſ. IX, 6. qui nobis myſteria pacti pacis explicat, Joh. I, 18. Angelus eſt Meliz, quem pater miſit, ut interpretetur voluntatem ſuam hominibus, Job. XXXIII, 24. Qui tanquam miniſter intimæ admiſſionis in ſinu patris fuit, Joh. I, 18. & cui arcana ſua revelavit, conſtituitque principem & caput electorum atque redemtorem, Eph. I, 19. 20. Jer. XXX, 21. Mich. V, 1. Ezech. XXXIV, 24.

XIV. 2. Servi apud veteres erant vel ANTEAMBULONES atque CURSORES, vel PEDISSEQUÆ, atque inprimis notandi *ſandaligeruli.* Coram facie dominorum *ſtabant*, eosque cingebant ſervi, quales Davidis atque Salomonis etc. memorantur, 2. Sam. XIII, 31. 1. Reg. X, 8. 1. Sam. XVI, 16. XXII, 6. *Curſorum* mentio occurrit 2. Par. XXX, 6. 10. Eſth. III, 13. 15. Anteambulones & pediſſequas quam plurimos Romani habebant. ATHENÆ. *Lib. VI. cap. 7.* Ἀλλὰ Ῥωμαίων ἕκαστος, οἶδας δ' ἀκριβῶς ταῦτα, ὦ καλὲ Μασσούριε, πλείστους ὅσους

κεκτημένος οἰκέτας. -- Ἀλλ' οἱ πλεῖȣς τῶν Ῥωμαίων συμπροϊόντας ἔχȣσι τȣ̀ς πλείςȣς. At Romanorum unus aliquis quanto plures poſſideat ſervos, tu noſti optime Maſſuri. Sed plerique Romani anteambulones *eos habent comitesque maxima ex parte.* Tales memorat HERODIAN. *Lib. III. Cap. XI. §. V.* Οἵ τε προϊόντες αὐτȣ̃, ἐκήρυττον μηδένα παρεςάναι, μηδ' εἰς αὐτὸν βλέπειν, ἀλλ' ἀποςρέφεσθαι. *Quin* anteambulones *ejus ubique denuntiabant, ne quis in proximo conſiſtere neve illum contueri auderet, ſed averterent univerſi oculos.* adde eundem *Lib. VII. cap. VI. 3.* Vel erant pediſſequæ, qui dominorum veſtigia legebant. Huc refer Inſcript. apud GRUTER. *p. DC. n. 7.*

D. M.
EARINO. CÆS. SERV.
PEDISSEQVO
ZOSIMVS. FRATRI
BENE. MERENTI.

Curſores memorantur apud ÆL. SPARTIAN. *in Vero. Jam illa leviora, quod* curſoribus *ſuis exemplo Cupidinum frequenter alas addidit, eosque ventorum nomine ſæpe vocitavit.* Adde PETRON. *Satyric. p. 21.* Tales erant *Hemerodromi* apud Perſas, de quibus BRISSON. l. c. unde & CORIPP. *Lib. II.*

- - - *prænuntius ante*
Signa dedit curſor, *poſita de more lucerna.*

Conf. ROSIN. *antiq. Rom. p. m. 755.* PIGNOR. *de ſervis p. 141. 144. ſq.* Pediſſequæ plerumque dominorum ſuorum *ſandalia* ſeu calceos gerebant. De ſervis Judæorum ſcribit MAIMON. *Lib. Kinjan. hilc. Mechira cap. 1. n. 2. fol. 61. c. 1.* ומה היא החזקה בקניין עבדים שישתמש בהן כדרך שישתמשין בעבדים כפני רבו כיצד התיר לו מנעלו או שהנעיל לו מנעלו או שהוליך כליו לבית המרחץ או שהפשישו או סכו או גרדו *Sed qualis eſt apprehenſio in acquiſitione ſervorum, ut ſervire illos jubeat, uti ſervire ſolent ſervi in præſentia domini ſui, v. g. ut ſolvat ipſi calceamentum, vel ut colliget ſandalia ipſi, vel ut portet vaſa ejus in domum balnei, aut ut exuat illi veſtem, aut fricet eum* etc. Huc reſpicit Johannes Baptiſta, quando ſe indignum pronuntiat, qui Chriſto corrigias ſolvat,

ſolvat, Matth. III, 11. Luc. III, 16. Joh. I, 27. conf. LIGHTFOOTH *ad h. l.* Cel. LAMP *ad Joh. I.* & quem citat BYNÆUM, adde etiam Doct. CHR. WIL. VOLLANDI *diſſertation de Sandaligerulis Ebræorum Witt. 1712.*

Talis quoque ſervus Meſſias dici poteſt, qui non ſolum *anteambulonem* habuit Johannem Baptiſtam, *angelum* ſuum, quem præmiſit, qui erat vox clamantis in deſerto, Jeſ. XL, 3. Mal. III, 1. ſed ipſe quoque patris quaſi *hemerodromus* & *nuntius* fuit, qui ex palatio cœli deſcendit in terram, ut nobis Patris voluntatem notificaret, Joh. I, 18. Angelus ille hemerodromus, qui Iſraëli viam per Arabiæ deſerta commonſtrans, *anteambulo* erat & præcedebat, Exod. XXIII, 20. 23. XXXII, 34. XXXIII, 2. Num. XX, 16. Is erat angelus, qui Eleaſaris viam ſecundabat, & cum ipſo futurus erat in itinere, Gen. XXIV, 7. 40. qui Bileamo viam juſſu Dei præcludebat, Num. XXII, 22. *Angelus eſt faciei Dei*, qui coram facie Dei conſtitutus, perfectiones ejus manifeſtat, Jeſ. LXIII, 9. & ipſam Dei faciem qua legatus ejus repræſentat inter homines. *Anteambulo* eſt, qui nobis viam ſalutis non ſolum ore, ſed & vita ſua commonſtravit, ejus ut veſtigia tuto ſequi queamus. *Sandaligerulus* eſt ſenſu myſtico patris ſimul atque fidelium; *Patris* cujus factus eſt qua homo miniſter atque ſervus voluntarius, Pſ. XL, 7. *fidelium*, quia calceos præparationis Evangelii pacis, Eph. VI, 15. nobis adfert, & veritates haſce cœleſtes præconio ſuo ubique manifeſtavit, & per Spiritum ſuum hæc ſandalia ſuis quaſi applicat, ut viam ipſis præſcriptam, neglectis omnibus in ea ſcandalis, cum lætitia percurrant, Act. VIII, 39.

XV. 3. Notandi porro apud veteres ſervi CUSTODES, JANITORES, OSTIARII & CUBICULARII. De *cuſtodibus* & variis eorum generibus ſupra ex parte vidimus in *Exerc.* de *ſpeculatoribus* paſſim. De *ſervis cuſtodibus* & *cubiculariis* egregius eſt locus HERODIANI *hiſt. Lib. I. cap. XII §. 8.* οἰκέτης δε Βασιλικὸς γενόμενος, συναυξηθεὶς τε τῷ Κομμόδῳ, εἰς ὁσȣ̃τον ὑπ᾽ αὐτȣ̃ τιμῆς καὶ ἐξȣσίας προήχθη, ὡς τὴν τε τȣ̃ σώματος φρȣρὰν καὶ τὴν τȣ̃ θαλάμȣ ἐξȣσίαν, τὴν τε τῶν ςρατῶν ἀρχὴν ἐγχειριϑῆναι. *Servus igitur quia Regius factus, & cum ipſo Commodo accrevit, eo ſc. honoris atque auctoritatis prove-*

provectus eſt, ut & corporis cuſtodiam & cubiculi *curam & militum præfecturam ſolus obtineret.* Tales apud Perſas erant Μηλοφόροι, Αἰχμοφόροι, et præcipue Δορυφόροι *de quibus* ATHENÆUS *Lib. V.* Νῦν δὲ τὰ βασίλεια λεγȣσιν αὐλάς. Ἤτοι διὰ τὸ μεγάλȣς ἔχειν τȣ̀ς πρὸ τῶν οἴκων ὑπαιθρίȣς τόπȣς, ἢ διὰ τὸ παραυλίζεσθαι καὶ παρακοιμᾶσθαι τȣ̀ς Δορυφόρȣς τοῖς βασιλείοις. *Nunc autem Palatia regia vocantur aulæ: Non ſolum quia magna & aëria ante domus loca habent, ſed & quia ad palatia* ſervi cuſtodes ſ. *baſtiferi excubant.* Ita & Σωματοφύλακες Perſarum *corporis regii cuſtodes* erant, de quibus late conferatur BRISSON. *de Reg. Perſ. princip. Lib. I. p. m. 130. ſq.* Servi quoque *cuſtodes* conſtituti aliarum perſonarum. Ita HERODOT. *Lib. IX. cap. 24.* Τὸ μὲν δεξιὸν κέρας εἶχον Λακεδαιμονίων μύριοι. Τȣτέων δὲ τȣ̀ς πεντακισχιλίȣς ἐόντας Σπαρτιήτας ἐφύλασσον ψίλοι τῶν Εἱλωτέων πεντακισχίλιοι καὶ τρισμύριοι, περὶ ἄνδρα ἕκαστον ἕπτα τεταγμένοι. *Dextrum cornu tenebant Lacedæmoniorum decem millia, quorum quinque millia Spartiatarum, quos cuſtodiebant leviter armati Helotarum triginta quinque millia, ſeptenis ſervis circa ſingulos Spartiatas collocatis.* Erant ſervi, qui *aquas publicas* aut *caſtella* cuſtodiebant, quare aquarii & caſtellarii dicti in *Inſcript. antiq.* apud PIGNOR. *pag. 31.*

D. M.
CLEMETI. CAESAR
VM. N. SERVO. CASTE
LLARIO. AQVAE. CL
AVDIAE. &c.

Veſtium cuſtodes memorantur in illa:

DIS. MANIBVS
VENVLEIA. CLEOPATRA
FECIT. SIBI. ET
RHODANO. CAESARIS. VERNAE
A. VESTE. REGIA.

Janitores ſæpius memorantur; ita apud MARTIAL. *Lib. V. Ep. 23.*

Illud adhuc gravius, quod te poſt mille labores,
Paule negat laſſo Janitor eſſe domi.

Ita

Ita XENOPH. *Lib. VIII.* memorat ἐφοίτων ἐπὶ τὰς θύρας κύρȣ. Plura de his vide apud PIGNOR. *de ſervis p. m. 213. ſq.* BRISSON. *l. c. p. 133. ſq. 137. ſq.* AMEL. *in N. T. I. p. 8. &c.* SAGITTAR. *de Januis*, alios.

Hiſce ſervis ſimilem quoque formam induit Meſſias. *Cuſtos* ille eſt *Dei* atque *hominum*. Dei quidem, quatenus ipſius gloriam ac majeſtatem coram hominibus defendit atque tuetur, non enim ſuam ſed Patris gloriam quærit. Patris in excelſis gloria per incarnationem & ſervitutem ſuam manifeſtata fuit, teſtibus angelis Luc. II, 14. adde Luc. XIX, 38. Joh. VIII, 50. Rom. XVI, 27. *Cuſtos* quoque eſt *hominum*, pro quibus invigilat atque excubat. Quare נצר האדם vocatur Hiob. VII, 10. *Cuſtos* ille Iſraëlis, qui nunquam dormitat, Pſalm. CXXI, 4. *Cuſtos* ille ſupremus, ſuperior cuſtodibus hujus orbis, Eccl. V, 7. Eſt angelus ille *cuſtos* Exod. XXIII, 20. qui ſuos tuetur inſtar pupillæ oculi, Pſ. XVII, 8. qui exitum populi ſui & introitum cuſtodit in ſecula Pſ. CXXI, 8. qui urbem Eccleſiæ ſuæ inſtar vigilis cuſtodit, Pſ. CXXVII, 1. Jeſ. XXVII, 3. &c. *Janitor* quoque quaſi eſt conſtitutus, qui templum palatiumque Eccleſiæ cuſtodit, & aditum non niſi dignis aperit, quare comparatur cum Eliakim, qui *claves* domus Davidis ſuper humeros gerit, Jeſ. XXII, 22. et de ſe ipſo teſtatur Apoc. III, 7. *Hæc dicit Sanctus & verax ille, qui clavem Davidis habet, qui aperit ut nemo claudat, qui claudit, ut nemo aperiat.* Eam ob cauſam ſub ſymb. ſcalæ cœli proponitur Gen. XXVIII. & ſe *portam* atque *januam* appellat Joh. X, 7. quia eſt via, veritas ac vita, & non niſi per ipſum aditus ad vitam & Patrem datur, Joh. XIV, 6.

XVI. 4. *LICTORES* quoque atque miniſtri publici *judicii* apud veteres ſervi erant, maxime notandi, qui faſces & *ſecures* gerebant. Quemadmodum & memorantur *armigeri*, nec non *lychniferi*. De *armigero* canit PRUDENT. *in apoth.*

> Armiger *e numero puerorum flavicomantum;*
> *Purpurei cuſtos lateris.*

et MARTIAL. *Lib. IX. ep. 57.*

> *Splendophorus Libycas Domini petit* armiger *urbes.*

Hi δορυφόροι *haſtas gerentes* dicti apud *Herodotum.* Et arma a ſervis cuſtodita ſcribit TACIT. *de mor. Germ. cap. XLIV. §. 4. Nec arma apud cæteros germanos in promiſcuo, ſed clauſa ſub cuſtode & quidem ſervo, quia ſubitos hoſtium incurſus prohibet oceanus* *Lictores* apud Romanos ſeu limocincti (uti etiam vocabantur) *faſces* & *ſecures* gerebant, & in executione ſuppliciorum publicorum partes ipſis erant. unde LIV. *Lib. II. Miſſi lictores ad ſumendum ſupplicium, nudatos virgis cædunt, ac ſecuri feriunt.* vide KIPPING. *antiq. Rom. Lib. II. cap. IV.* PIGNOR. *p. 30.* ROSIN. *antiq. Lib. VII. cap. 3.* & quæ nos de illis ex nummis atque antiquitatibus profanis & ſacris diſſeruimus in *Emblem. Sacr. Lib. I. Exerc. XI. De Securi ad arboris radicem poſita.* Σκηπτοῦχοι *ſceptra gerentes*, quod ante Regem apud Perſas præceſſerint, ex *Xenophonte* docet BRISSON. *l. c. p. 146.* Quemadmodum etiam erant ῥαβδοφόροι & ὁπλοφόροι quos docet ATHENÆ. *Lib. XIV.* habuiſſe Aſtyagem. *Lampadophori* quoque erant, qui noctu dominis lampades præferebant & tædas. Huc reſpicit JUVENAL. *Sat. III.*

- - - *comitum longiſſimus ordo,*
Multum præterea flammarum & ahenea lampas.

et CORIPPUS *Lib. II.*

- - - *prænuncius ante*
Signa dedit curſor, poſita de more lucerna.

Horum quoque in forma apparuit ſervus Dei juſtus, utpote qui qua *filius hominis* conſtitutus a Patre *executor* judiciorum divinorum, Joh. V, 27. Quare ſe veniſſe teſtatur, ut *ignem judiciorum* in terram ex conſilio Patris immitteret, Luc. XII, 49. quod Matth. X, 34. per gladii immiſſionem exprimit. Ille quaſi *armiger* erat ſupremi judicis, gladium ſuum ad femur accinxit, cujus cingulo inſcriptum legitur nomen illud inſigne Apoc. XIX, 16. qui gladius ex ore ejus exibat Apoc. I, 16. II, 12. XIX, 15. Quoniam judicia Dei horrenda præcipue in Judæos ipſe nomine Patris in diebus exinanitionis ſuæ annuntiavit. *Securim* judiciorum ceu miniſter judiciorum Dei arboris Judaicæ radici inflixit, Luc. III, 9. Et conſtitutus a Patre *judex* viventium & mortuorum, Act. XV, 31. X, 48. Quemadmodum olim jam ſub V. T.

tanquam

tanquam angelus Dei, horrenda in hoſtes judicia fuit executus, quare Joſ. V, 15. apparet Angelus cum ſtricto gladio, hoſtes Iſraëlis deleturus. Eſt quoque Σκήπτουχος & Ραβδοφόρος, qui *ſceptro* & *virga* ferrea hoſtes Dei & populi ſui eſt percuſſurus atque contriturus Pſ. II, 9. Apoc. II, 27. cui *ſceptrum* Pater miſit e Zione, ut nomine ipſius illud gerat, Pſ. CX, 3. quod eſt *ſceptrum* juſtitiæ, Pſ. XLV, 7. Eſt denique Λαμπαδοφόρος, qui *lucem* attulit, non ſolum gloriam Patris in mediis peccatorum tenebris reſtituens & in clara luce ponens, Joh. XVII, 1. cap. VIII, 50. Sed & ſedentibus in tenebris mortis *lucem gratiæ* ac veritatis aperuit, Jeſ. IX, 1. 2. *Phoſphorus* eam ob cauſam lucidiſſimus vocatur Apoc. XXII, 16. qui lucem mundo dedit, Joh. XII, 35. 36.

XVII. 5. Inſuper *Muſici, TIBICINES, FIDICINES & TYMPANISTÆ* apud antiquos inter ſervos celebres erant. Unde PLAUTUS *in Sticho.*

Poſt ut occœpi narrare, fidicinas, tibicinas,
Sambucinas *advexit ſecum forma eximia.*

et VIRGIL. *Lib. I. Æneid.*

- - - *cithara crinitus Jopas*
Perſonat aurata.

nec non CLAUDIAN. *de bello Gildon.*

Crinitos inter famulos, pubemque canoram
Orbatas ire jubet. etc.

unde *cithariſtarum* & *buccinatorum* mentio legitur in antiquis Inſcriptionibus, qualis illa:

D. M.
AVXESI. CITHAROEDÆ
CONIVGI. OPTIMÆ
C. CORNELIVS. NERITVS. FECIT.

nec non alia, quæ Romæ legitur in via ſalaria, quam exhibet GRUTER. *p. MCXVI. n.* 4.

L. VOLVSIO. VRBANO. NOMENCLATORI
PRÆTORIO. PAPIAS. SERVOS
PVBLICVS. BVCCINATOR. NOMINVM.

Sub V. T. *muſici* erant *Sacerdotes*, qui cymbalis, tympanis, citharis etc.

 tanquam

tanquam ſervi Dei laudes ejus annuntiabant, Pſ. CL, 1--4. 2.Sam. II, 6. 1.Chron.XV, 28. In ſacris quoque gentium variis, in feſtis & ſolennibus temporibus adhibebant tibicines & cithariſtas, ut prolixe ſatis docuit Cel. LAMPIUS in tract. erudit. *de Cymb. Lib. III. tot. cap. II. ſq. p. 287. ſq.* nec non Rev. G. L. JüNGST. *in Diſſ. de puerorum ἐν ἀγορᾶις ludentium parabola. p. 13. ſq.* In bellis quoque buccinatores & tubicines erant, uti docuit BRISSON. *de Reg. Perſ. Lib. III. p. 341.*

Talis quoque *ſervus* fuit Meſſias, qui non ſolum ſuos habuit *præcentores, tubicines* & *tympaniſtrias*, Pſalm. LXVIII, 26. Sed & ipſe quaſi *buccinator* & citharista eſt, qui laudes divinas & voluntatem Patris publice coram omnibus ebuccinavit. Ita de eo tanquam ſapientia ſumma legimus Prov. I, 20. *Summa ſapientia foris recantat, in plateis edit vocem ſuam, in ſumma turbarum proclamat, ad fores portarum civitatum ſermones ſuos eloquitur.* Eſt quoque *Tibicen*, qualem ſe ipſum deſcribit egregie Salvator Matth. XI, 16. 17. & Luc. VII, 31. 32. ubi Judæi comparantur cum pueris, quibus Chriſtus cum Johanne *tibiis cecinerat* & qui non ſaltaverant. *Tibicen* erat qua *præco* ſalutis, qui miſeros & egenos dulciſſima voce in Dei communionem vocabat, Matth. XI, 28. 29. & pleno gutture lætitiam ſalutis N. T. in viis atque plateis annuntiabat, Prov. VIII, 1--3. Jeſ. LXI, 1--3. Luc. IV, 18 -21. Jeſ. XLV, 22. dulci & ſuaviſſima *cithara* uſus eſt Salvator, quia non fulmina legis, uti in monte Sinai fecit, ſed gratiſſimas fœderis gratiæ conditiones propoſuit. *Citharoedus* erat ob inſignes & ſuauiſſimas parabolas illas, quas veluti odas ſacras coram populo Dei decantavit Matth. XIII, 3. Luc. VIII. Matth. XXII. XXV. etc. *Tubas* ſalutis ebuccinavit, quando in monte illo, dulciſſimas illas beatitudines, quas Matth. V. cap. legimus, pleno gutture elocutus eſt. Quare Pſalm. XL, 4. de ſe teſtatur, quod *canticum novum* ori ipſius a Patre ſit inditum.

XVIII. 6. Inter antiquorum ſervos maxime inſignes erant MEDICI atque CHIRURGI. Veſtigia eorum in ſacris deprehendimus, Gen. L, 2. *Quumque præcepiſſet Joſeph SERVIS ſuis MEDICIS, ut aromatibus condirent patrem ſuum, medici condierunt Iſraëlem.* Et quando Col. IV, 4. *Lucas medicus* memoratur, plurimi interpretes intel-

intelligunt Evangeliſtam, unde CAVE in *vit. Apoſt. p. 632.* *Sunt qui ex ſtudio medico colligunt Lucam præclaro loco ortum eſſe, ſed boni illi viri ignorant, ſervos nobiliſſimam artem vulgo illo tempore exercuiſſe.* conf. GROT. *ad Luc. I.* nec non Cl. P. ZORNII *Epiſtol. an medici olim ſervi fuerint*, quæ exſtat in *opuſc. S. Tom. I. p. 335.* adde eundem *opuſc. Tom. II. p. 552. ſq.* Licet autem non omnes medicos ſervos fuiſſe contendamus, quod late refutat vir Cel. tamen fuiſſe quosdam *ſervos medicos* ex antiquitate conſtat, præcipue autem *Chirurgos.* Egregie hoc confirmatur teſtimonio P. OROS. *Lib. VII. cap. 3.* *Adeo dira Romanos fames conſecuta eſt, ut Cæſar Laniſtarum familias, omnesque peregrinos, ſervorum quoque maximas copias, exceptis medicis & præceptoribus, trudi urbe præceperit.* et HERODIANI *Lib. III. cap. XV. §. 4.* ἀνέπειθέ τε ἰατροὺς καὶ ὑπηρέτας κακουργῆσαί τι περὶ τὴν θεραπείαν τοῦ γέροντος. *Sic ut medicis ſervisque perſuaderet, ut male agerent circa ſanationem ſenis:* & quos heic medicos & ſervos vocat §. 9. ſolum medicos appellat. Huc refer inſcript. antiq. Romæ apud GRUTER. *p. CCCC. n. 7.*

CHRESTÆ. CONSERVÆ. ET. CONIVGI
CELADVS. ANTINOVS. DRVSI
MEDICVS. CHIRVRGVS.

nec non alia

TI. LYRIVS. TI. CÆSARIS
AVG. SERV. CELADIANVS
MEDICVS. OCVLARIVS.

et apud GRUTER. *p. CCCXXXV. n. 1.*

Θ. K.
T. AIΛIOC. ACKΛHΠIAΔHC
ΣEBACTOY
AΠEΛEYΘEPOC
IATPOC
ΛOYΔ. MAT.
XEIP.

Huc refer MARTIAL. *Lib. II. ep. 87.*

Chirurgus *fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus,*
Cœpit quo poterat Clinicus eſſe modo.

 Quales

Quales erant quoque *Balneatores* & ἰατραλῖπται, quorum in antiquis inſcriptionibus mentio occurrit, ut apud GRUTER. *p. DLXXVII. n. 13.*

DIIS. MANIBVS. S.
TITO. FLAVIO. OLENO
SERVO. ET. PROCVRAT.
BALNEI. T. FLAVI. AVG.
VIT. MEDIASTINO.

Vide hæc latius eruentem ex antiquitate PIGNORIUM *l. c. p. 34. ſq.*

Servus quoque *medicus* eſt ſervus Dei juſtus; quare ſe *medicum Iſraëlis* appellat, Exod. XV, 15. Ipſe eſt ſol juſtitiæ, ſub cujus alis *ſanatio* acquiritur, Mal. IV, 2. Tanquam animæ noſtræ *medicus* præſcribit media ſalutaria, quæ quidem carni ingrata, ſed quietem & ſanitatem animæ promovent, Matth. XVI, 24. cap. XI, 28. 29. Jeſ. XLV, 22. *ad me vos convertite & ſalvamini fines terræ*, ſuadet. Quare toties promittit ſe populum ſuum *ſanaturum* eſſe, Pſ. LXXX, 4. CXIX, 117. Deut. XXXII, 39. Hiob. V, 18. Pſ. LXX, 4. CIII, 3. CXLVII, 3. ſanat corda contrita. *Per vulnera ejus ſanamur*, Jeſ. LIII, 5. Adde Jeſ. LVII, 19. LXI, 1. Jer. III, 22. VIII, 15. Jer. XXXIII, 6. Hoſ. VI, 1. Chirurgus quoque ac *medicus oculorum* eſt Meſſias, a quo eccleſia *oculorum* apertionem expetit Pſ. CXIX, 18. Ipſe *Apoc. III, 18.* offert tanquam medicus verus *collyrium ſalutare* oculorum, quo cœcitas mentis naturalis curatur, & ſe opponit Æſculapio, cujus collyria in Aſia celebrata maxime erant. Talem ſe manifeſtavit in typo ac ſymbolo, quando *ſputo & pulvere* mixto, *oculos cœci* illinebat atque ſanabat, quo ritu ſpiritualem mentis illuminationem depingebat Salvator optimus Joh. IX, 6. 7.

XIX. 7. Inter ſervos quoque antiquorum recenſendi SCRIBÆ, *Amanuenſes*, NOTARII, & qui a *commentariis*. Reges Iſraëlis ſuos quoque סופרים ſeu γραμματεῖς habebant, qui acta publica conſcriberent; vide 2. Sam. VIII, 7. 1. Reg. IV, 3. 2. Reg. XII, 10. XVIII, 8. XXII, 3. 2. Par. XXXIV, 18. Eſr. IV, 8. Jeſ. XXXVI, 3. Jer. XXXVII, 15. quales etiam fuere Ahasvero Eſth. III, 12. VIII, 9. Unde ABEN-ESRA ad Gen. XLIX. ſcribit: מחוקק סופר שיחוק על הספר וטעמו מבין רגליו שכן דרך כל סופר להיות יושב בין רגלי הקצין.

הקצין מחקק i. e. Scriba, *qui ſcribit in libro: & ſenſus, e medio pedum ejus, quia talis eſt conſuetudo cujusvis* ſcribæ, *ut ſedeat inter pedes principis*, ſc. tanquam ſervus ejus: conf. etiam RAMIREZ de PRADO in *Pentecont. cap. XII. p. m. 87. ſq.* Perſarum reges *γραμματιςὰς βασιλήïες* habebant, i. e. *ſcribas regios*, teſte HERODOT. *Lib. III.* & JOSEPH. *antiquit. Lib. XI. cap. VI.* μεταπεμφθέντας ὖν τὺς βασιλικὺς γραμματεῖς, ἐκέλευε γράφειν τοῖς ἔθνεσιν περὶ τῶν Ιȣδαίων. *Mittens ergo* ſcribas regis, *juſſit ut gentibus de Judæis ſcriberent.* Vide BRISSON. *l. c. p. 139. ſq. Notarii* quoque dicti, uti apud AMMIAN. MARCELL. *Lib. XXX. Cæſarium antehac ejus domeſticum poſtea* notarium *principis, per cruentam quæſtionem interrogat,* & JUL. POLLUX *onom. Lib. VIII. cap. IX.* ἐπιγραφέων i. e. notariorum meminit. Huc refer antiq. inſcriptionem apud GRUTER. *p. DCXXV. n. 4.*

L. TARQVINIO L. F. POM. ETRVS
CO. SVLPICIANO. SCRIBÆ QVÆS
TORIO. EX. TESTAMENTO. D.
HS. XX.

Adde *p. CLXXIV. n. 3. CCCXLIX. n. 1. MXC. n. 15. &c.* Talem *ſcribam* ſ. notarium depingit MANIL. *Lib. IV.*

Hic & ſcriptor erat felix, cui litera verbum eſt,
Quique notis linguam ſuperet, verſumque loquentis
Excipiens.

Plura de his vide præter alios ROSIN. in *antiq.* & *not.* DEMPST. *p. m. 750. ſq.* PIGNOR *l. c. p. 109. ſq.*

Talis denuo ſervus Dei juſtus erat, qui tanquam *amanuenſis* & *notarius* Dei Patris conſiderari poteſt. Quatenus non ſolum conditiones pacti pacis æterni, ſed & totam Dei voluntatem nobis literis conſignavit per inſtinctum Spiritus S. in viris Θεοπνεύςοις, qui Spiritu ejus acti ſcripſere, 2. Pet. I, 21. Ipſe erat, qui olim *legem* in Sinai latam *digitis* ſuis *inſcripſit* tabulis lapideis, Exod. XXXI, 18. Ille quoque cordibus electorum *inſcribit* voluntatem Patris ſui & fœderis conditiones, Jer. XXXI, 33. Heb. VIII, 10. X, 16. Scripſit ille *librum vitæ* & teſtamentum gratiæ, quod eſt ab utraque pagina exaratum, Apoc. V, 1. Jeſ.

IV, 3.

IV, 3. ex quo victores nunquam exſtinguit, Apoc. III, 6. Scripſit ille *librum memorialem* Dei, in ſolamen & juſtam electorum cauſam, Mal. III, 16. Scripſit ille omnes mortalium *dies* in commentario, & delet ex eodem vita functos, Pſ. CXXXIX, 16. Exod. XXXII, 32. Scribit hicce *ſcriba cœleſtis* non *atramento* & ſtylo ferreo, ſed *Spiritu Dei vivi*, 2. Cor. III, 3. qui eſt *ſtylus ſcribæ* velocis, Pſ. XLV, 2.

XX. 8. Vilioris conditionis ſervi erant apud veteres VILLICI, HORTULANI, *ruris*que cultores. Ita Luc. XVII, 7. Servator memorat δȣλον ἀροτριῶντα ἢ ποιμαίνοντα; *ſervum arantem & paſcentem pecora*: & filius deperditus miſſus inſtar ſervi in agros, ut *paſceret* armenta & porcos, Luc. XV, 15. De ſervis *paſtoribus*, quorum princeps ſubulcus Eumæus, canit HOMER. *odyſſ. Lib. XVI. v.* 2. &c.

Ἐντύνοντο ἄριστον ἅμ᾽ ἠοῖ, καιομένοι πῦρ,
Ἔκπεμψάν τε νομῆας ἅμ᾽ ἀγρομένοισι σύεσσι.
Parabant jentaculum ſimul aurora incendentes ignem,
Emiſeruntque paſtores *cum ſuibus congregatis.*

et *Lib. XXI.* Melanthium αἰπόλον αἰγῶν *cuſtodem caprarum* memorat. uti OVID. *Lib. II. metam. armenti cuſtodes.* Servorum quoque fuiſſe agros colere, docet CORN. NEPOS in *Pauſan. cap.* 3. *Eſt genus quoddam hominum, quod Helotes vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedæmonios colit, ſervorumque munere fungitur.* Huc refer quæ JOSEPH. ſcribit *Lib. II. contr. Appion.* οἱ μὲν γε Λακεδαιμόνοι μήτε γῆν ἐργαζόμενοι μήτε περὶ τέχνας πονȣ̃ντες -- ἄλλοις δὲ ὑπηρέταις πρὸς ἅπαντα τὰ τȣ̃ βίȣ χρώμενοι. *Lacedæmonii neque operantur terram, neque circa opificia exercitium habent, -- aliis autem ſervis in omnibus vitæ neceſſariis rebus utuntur.* Vide plura apud Cl. LAKEMACH. in *diſſ. de Helot. ib. C. II. §. 2. &c.* De iisdem ATHENÆ. *Lib. XIV.* ſcribit: καὶ παραδόντες αὐτοῖς τὴν χώραν ἔταξαν μοῖραν, ἣν αὐτοῖς ἀνοίσȣσιν ἀεὶ. *Et agrum his* (ſervis) *tradentes, certum reditum imperabant, quem afferre ipſis ſemper tenerentur.* Tales apud Romanos vocabantur VILLICI SERVI in antiquis inſcriptionibus apud *Gruter. p. DCII.* 3.

D. M.

D. M.
FELICI CÆS. SER.
VILLICO HORTORVM
MAIANORVM
IVLIA. MELETINA.

nec non *pag. LXII. n. 10.*

SILVANO. SACR.
AMPLIATVS. HILARI
AVGVSTOR. LIB.
SER. VILLICVS
D. D.

Adde *p. m. LXX, n. 8. &c.*

Hortorum quoque cultores ſervi erant, uti diſcimus ex HOMER. *odyſſ. Lib. XXIV.*

Τεῦ δμῶς εἰς ἀνδρῶν, τεῦ δ' ὄρχατον ἀμφιπολεύεις;
Cujus ſervus es virorum? cujus hortum colis?

conſ. *Exercitat. noſtr. VI. Lib. III. §. 4.* & PIGNOR. *p. 239.*

Talem ſe quoque demonſtravit Meſſias, qui non ſolum *paſtor* fuit gregis, ſed & *agricola* atque horti *cultor*. *Paſtor* erat, præfiguratus hac in re per tot paſtores V. T. præcipue Patriarchas, eorumque filios, paſtores. Quare toties *paſtoris* nomine in ſacris inſignitur, Pſ. XXIII, 1. Jeſ. XL, 11. Ez. XXXIV, 23. Joh. X, 1. Ipſi *grex* certus a patre, hero ſuo, eſt demandatus, quem omni cura tueri & paſcere tenetur, Luc. XII, 32. Apoc. VII, 16. 17. Ezech. XXXIV, 14. 15. & tanquam *paſtor fidus* animam ponit pro ovibus, Joh. X, 28. *Agricola* ſpiritualis non ſolum eſt pater, Joh. XV, 1. & Apoſtoli 1. Cor. III, 6--9. ſed & Meſſias eſt, qui *hortum* & *agrum* eccleſiæ colit; eſt ſeminans ille, qui *conſerit agrum* ſemine bono, Matth. XIII, 3. 18. Luc. VIII, 5. Matth. XIII, 24. 25. qui *vineam* ſuam *plantat* in colle pingui, *munit* ipſam, *conſerit* vitibus generoſis & exſtruit turrim & torcular in ea, Jeſ. V, 1. 2. Pſ. LXXX, 9. 16. Jer. XI, 17. & fideles ſunt *plantatio manus* ipſius, Jeſ. LX, 21. irrorat ſulcos agri & horti ſui pluvia gratiæ & Spiritus ſui, Pſ. LXVIII, 10. Quare quum Apoſtolos, quos quaſi *ſubvillicos* conſtituebat, emitteret, dicebat Matth. IX, 37. 38. *Meſſis eſt ingens, operarii autem pauci; rogate Dominum meſſis, ut operarios emittat in meſſem ſuam.*

XXI. 9. Addimus *ſervos* veterum *menſis* miniſtrantes, qui cibos non ſolum *procurabant*, OECONOMI ac DISPENSATORES dicti, ſed & *pincernæ*, imo convivis inſervientes & ad *pedes* eorum ſtantes *linteo ſubcincti*. Priores vocantur in ſacris ἐπίτροποι Matth. XX, 8. & οἰκόνομοι Luc. XVI, 1. qualis & JOSEPHUS in domo Potipharis Gen. XXXIX, 4. XLIII, 16. & Eliezer in domo Abrahæ fuiſſe videtur, Gen. XXV, 2. 4. De diſpenſatore CICER. *in Hortenſ. Quid tu inquam, ſoles, cum rationem ab* diſpenſatore *accipis, ſi æra ſingula probaſti, ſummam quæ ex his confecta ſit, non probare?* In antiquis inſcriptionibus ſæpius SERVI DISPENSATORIS mentio occurrit. Sic apud GRUTER. *p. DXCVI. n.* 4.

THYRSVS. HALIS
TI. CLAVDI. CÆS. AVG.
GERMANICI. SER. DISPENS.
CONTVBERNALI. SANCTISS.

nec non *num. V.*

CLAVDIA SPYCHARIO FECIT. SIBI
ET EVTYCHO. FILIO. SVO. PIISSIMO.
IMP. DOMIT. CÆS. AVG. GERMAN.
SERVO DISPENSATORI, &c.

Pincernæ quoque erant, qui משקה dicti in ſacris Gen. XL. & Nehem. I. apud Græcos οἰνοχόοι vel uti *Heſiodo* dicuntur οἰνοχοαὶ. de his XENOPHON. *Lib. I.* κυροπ. Οἱ δὲ τῶν βασιλέων τούτων οἰνοχόοι κομψῶς δὲ οἰνοχοοῦσι καὶ καθαρῶς ἐγχέουσι, καὶ διδοῦσι τοῖς τρισὶ δακτύλοις ὀχοῦντες τὴν φιάλην. *Pincernæ vero Regii, munere hoc cum inſigni ornatu ac puritate funguntur, infundunt & porrigunt phialam tribus digitis.* De reliquis miniſtris conſtat, illos menſæ *ad pedes* convivarum *linteo ſubcinctos*, adſtitiſſe, vnde HORAT. *Lib. II. Sat. VIII.*

- - - ut omnes
Præcincti recte pueri, comtique miniſtrent.

Quare SENECA *Lib. III. de benefic.* ſcribit: *Servus, qui cœnanti Domino ad pedes ſteterat, narrat, quæ inter cœnam ebrius dixiſſet*

Ali.

Alii erant *invitatores* convivarum, apud MARTIAL. *Lib.IX.* & in antiqua inſcriptione memorati:

AGATHOPVS. AVGG. LIB.
INVITATOR.

quemadmodum Matth. XXII, 3. *ſervi invitatores* & Prov. IX, 3. *puellæ* ſ. ancillæ *invitatrices* memorantur. Plura de variis conviviorum miniſtris lege apud STVCK. *Antiquit. Conviv. Lib. II. cap. 21. p. m. 216.* L. PIGNOR. *de Servis p. m. 45. ſq. 150. ſq.* alios.

Talem ſe in typo & ſymbolo demonſtravit diſcipulis Salvator Joh. XIII, 4. 5. quando ſurgens e cœna & pallio depoſito *linteo ſe præcingens*, diſcipulis *miniſtrabat*, innuens ſe ad quævis officia etiam ſervilia, qua Mediatorem eſſe paratum; quum venerit ut miniſtraret, Matth. XX, 28. Ille certe eſt *Oeconomus* & *Diſpenſator* ille Dei fidelis, quare ſe τῷ Ἐπιτρόπῳ domus i. e. Eccleſiæ comparat, qui ſervos conducit & demenſum cibum atque mercedem porrigit, Matth. XX, 8. Ille eſt promus condus cœleſtis, qui delicias animæ, panem & aquam vitæ ſuis porrigit, ſecundum menſuram ipſis debitam, Jeſ. LV, 1. 2. Joh. VI, 50. 51. Quare dicit Apoc. XXI, 6. *Ego ſum* A *&* Ω, *ego ſitienti dabo aquam vitæ gratis.* Ille recludit theſauros omniſufficientiæ divinæ, & ex illius plenitudine porrigit gratiam pro gratia, Joh. I, 16. *Infundit* ille veluti *Pincerna* cœleſtis *calicem plenum* & exuberantem meritorum ſuorum, Pſ. XXIII, 5. *Invitat* nos nomine Dei ad delicias cœleſtes, quas præparavit populo ſuo Jeſ. LV, 1. *Heus quisquis ſitit, venite ad aquas &c.* Matth. XI, 28. 29. Jeſ. XLV, 22. & *invitabit* aliquando in die Judicii, Matth. XXV, 34. Eum in finem *ſubcinxit ſe* tanquam ſervus, humilis factus, ut nobis has delicias pararet; eſurivit & ſitivit, ut nos cibaret, Joh. XIX, 28. Matth. IV, 2. Jeſ. LXV, 13.

XXII. 10. Inter opera ſervorum maxime dura atque vilia recenſemus *trituram*, *molituram*, *piſturam* atque *torcularis calcationem.* Ita Gideon *triturabat* triticum Jud. VI, 11. quemadmodum & Arnan 1. Par. XXII, 20. Huc refer Jeſ. XXVIII, 27. 28. & præcipue ad trituram ſervilem reſpicit POLLUX *Onom. Lib. VII. cap. 20.* Τό γε μὲν τοῖς οἰκέταις τοῖς ἔνδον ἐργαζομένοις ὑπὲρ τοῦ μὴ κάπτειν τῶν ἀλφίτων

περιτιθέμενον, παυςικάπη ὀνομάζεται. *Quod vero ſervis intus laborantibus, ne farra devorent, circumponitur, pauſicape nominatur.* Quemadmodum enim bovi trituranti os obligabant, ita & ſervis, vide Deut. XXV, 4. 1.Cor. IX, 9. 1.Tim. V, 18. & R. S. JARCHI ad Deut. *l. c.* Quare & *Michaël* HEMMERSAM in *itinerar. p.* 42. ſcribit: *Maurorum in Guinea frumenta triturant tria vel quatuor mancipia, qui longas perticas manibus tenent, quibus frumenta excutiunt.* vide *Chr.* SCHOETGEN. *antiq. Tritur. p. 59. Molere* in piſtrino *ſervorum* erat; ſic filius ancillæ *ad molas ſedens*, Exod. XI, 5. memoratur, & Simſoni ſervilem pœnam, ut *moleret in carcere*, dictitarunt Philiſtæi Judic. XVI, 21. huc reſpicitur Jeſ. XLVII, 2. ubi *molere farinam* pœnam mancipiorum denotat. adde juxta interpretes quosdam Job. XXXI, 10. *molat alteri uxor mea*, tanquam mancipium. Quare *Jul.* POLLUX. *Onom. Lib. III. cap. VIII.* Καὶ ἵνα μὲν κολάζονται οἱ δοῦλοι, μύλωνες, καὶ ζητρεῖα καὶ ἀλφιτεῖα. *Loci porro ubi puniuntur ſervi, molæ, carceres, piſtrina &c.* Hinc TERENT. *Phorm. Act. II. ſc. I.*

- - - *herus ſi redierit,*
Molendum *usque in piſtrino, vapulandum.*

et in *Andria Act. I. ſc. 2.*

Verberibus cæſum te in piſtrinum
Dave dedam usque ad necem ea lege atque omine,
Ut ſi te inde exemerim, ego pro te molam.

Conf. PFEIFF. *antiq. Græc. Lib. II. cap. LI. p. m. 343.* PIGNOR. *de ſervis p. 5.* DEMPSTER. *ad Roſin. antiq. Lib. I. cap. 14. p. m. 66.* F. L. GOEZ. *de piſtrin. veter. Cap. IV. p. 158. ſq. Torcular* quoque calcare tenebantur ſervi. Huc reſpicit Job. XXIV. cap. v. 11. יקבים דרכו ויצמאו *torcularia calcantes ſitiunt*, i. e. Tyranni eos cogunt torcular calcare, ſed non inde bibere. Servi hi apud veteres PRÆLATORES dicti, vid. COLUMELLA *Lib. XII. cap. 50.* PIGNOR. *de ſerv. p. m. 265.*

Hæc omnia depingunt labores, moleſtias atque pœnas, quas ſervus Dei juſtus loco noſtrum ſuſcipere debuit. Unde ipſe conqueritur Jeſ. XLIII, 11. *Servitute premis me propter peccata tua, fatigas me iniquitatibus tuis.* Ille erat *trituraturus* tanquam ſervus, quia non

niſi

niſi poſt varios ſuſceptos labores & exantlatas moleſtias, *granum veritatis* ſalutaris nobis explicare & excutere poterat; poſt paſſiones illud demum largiſſime nobis exhibebatur, Jer. XXXI, 25. 26. *Molere* debebat tanquam ſervus, quoniam ut nobis panem cœleſtem præpararet in cibum animæ, iram Dei in ſe ſuſcipere & grave onus legis ſuſtinere ipſum oportebat, imo pondere gravi peccatorum noſtrorum premendus erat. *Contemtus factus & abjectiſſimus hominum*, tanquam ſervus, *dolores noſtros in ſe ſuſcepit, dolore affectus a defectionibus noſtris, atteritur ab iniquitatibus noſtris, caſtigatio ei imponitur, ut pacem haberemus*, Jeſ. LIII, 3--5. ac v. 9. coarctatio & anguſtia ejus exprimitur. Typus ipſius fuit *Simſon* in carcere *molens*, Judic. XVI, 21. Ipſe *torcular* iræ divinæ calcavit, uti de ſe teſtatur Jeſ. LXIII, 3. *Torcular calcavi ſolus, & nullus ex populis vir mecum eſt:* & v. 1. *veſtimenta* ejus ut *calcantis torcular* deſcribuntur ſanguine quaſi uvarum conſperſa. *Calcavit* ille *lacum* vini excandeſcentiae & iræ Dei omnipotentis Apoc. XIX, 15.

XXIII. II. Servorum denique officium erat apud veteres *ungere & lavare* dominos atque hoſpites. *Pedes* hoſpitum *lavabant*, uti ex ſacris conſtat, conf. Gen. XVIII, 4. XIX, 2. XLIII, 24. Jud. XIX, 21. Quare Abigail ſe *famulam* profitetur ad *lavandos pedes* 1. Sam. XXV, 41. Adde hiſtoriam Joh. XIII, 5. 14. & Eliſa miniſter & diſcipulus Eliæ deſcribitur, tanquam *aquam manibus* affundens 2. Reg. III, 11. quod & in conviviis fiebat, unde VIRGIL. *æneid. Lib. I.*

> *Dant manibus* famuli *lymphas, cereremque caniſtris*
> *Expediunt, tonſisque ferunt mantilia villis.*

& HOMER. *odyſſ. I.*

> Ἑξείης ἕζοντο κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε
> Τοῖσι δὲ κήρυκες μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.
> *Ordine ſedebant per ſedilia & thronos,*
> *His vero præcones* (miniſtri) *aquam manibus infundebant.*

De pedum lotione PLUTARCH. *Tom. I. p. 658.* teſtatur: Favonium more ſervorum miniſtraſſe Pompejo ad pedum lotionem. Conf. loca *Talmud.* a LIGHTFOOT. *ad Joh. XIII. adducta. Lotionem pedum & unctionem* conjunctam diſcimus ex *Talmud Tract. Menach. cap. IX.*

 fol.

fol. 85. כיון שהגיע לעירו הוציאה לו שפחתו קומקמוס של המין ורחץ בו ידיו ורגליו והוציאה לו ספל של זהב מליאה שמן וטבל בו ידיו לקיים מה שנאמר וטובל בשמן רגלו *Cum appropinquaret ad urbem, attulit ipſi famula vaſculum aquarum calidarum, lavitque iis manus & pedes, attulitque pelvim auream plenam oleo, unxitque manus & pedes ejus, ut confirmaret dictum Deut. XXXIII. & unxi oleo pedes ejus.* Conf. etiam BYNÆ. *de morte J. C. Lib. I. cap. 3. p. 257.* STUCK. *antiq. conviv. Lib. III. cap. XV. p. m. 367.* & *Lib. II. cap. 25. p. 229. ſq. &c.* Capita convivarum alioquin oleo perfuſa legimus Luc. VII, 46. quo alluditur Pſ. XXIII, 5. *inungis caput meum oleo.* Vel etiam totum *corpus*, unde HOMER. *odyſſ. Lib. IV.*

Τὰς δ᾽ ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ,
Hos poſtquam famulæ lavarunt & unxerunt.

unde HORAT. *Lib. III. od. 14.*

I pete unguentum puer & coronas,
Et cadum Marſi memorem duelli.

et VICTOR apud PIGNOR. *l. c. p. 39. Ibi per* miniſtrum ungendi *(nam forte is quoque a conſilio erat) faucibus quaſi arte exercitii, brachiorum nodo validius preſſis, exſpiravit.*

Talis erat miniſter Salvator noſter. Docuit hoc egregie in *pedilavio* illo inſigni, diſcipulis ſuis præſtito Joh. XIII, 1--17. quo non ſolum ſe tanquam ſervum diſcipulorum demonſtrans, ſummam humilitatem prodit, ſed & typum manſuetudinis & exemplar humilitatis diſcipulis dare voluit. Imo altius quoque myſterium in hoc ritu latere viri Celeb. olim in miniſterio S. collegæ junctiſſimi, Cl. LOERSIVS & F. A. LAMPIVS, ille in *ſing. diſſ.* hic in *Comment. ad h. l.* docuere ſc. ſigillum quaſi hoc *pedilavium* Chriſti fuiſſe legatis & diſcipulis ſuis *recreationis* ac *refrigerii*, quod aliquando poſt exantlatos labores in miniſterio Evangelii eſſent adepturi. Præterea Chriſtus qua mediator quoque eſt, qui nos *unxit & lavit. Lavit* nos ſanguine ſuo a peccatis noſtris, & conſecravit nos, Apoc. I, 5. 1. Joh. I, 7. 1. Cor. VI, 11. recreat nos aquis meritorum ſuorum, Jeſ. LV, 1. Apoc. XXI, 6. *Ungit* nos oleo Spiritus S. quo membra defatigata & manus delaſſatas recreat, roborat, confirmat 2. Cor. I, 21. 22. 1. Joh. II, 27. Ille eſt, qui *caput*

noſtrum

noſtrum oleo perfundit, & poculum inebrians infundit, ut pinguedine domus Jehovæ ſaturemur, Pſ. XXIII, 5. Pſ. XXXVI, 9.

XXIV. 12. Ultimo denique loco addimus ſervos MERCENARIOS, qui ex pacto & conductione ſerviebant ad certum tempus, quo miniſterio peracto *merces* ipſis porrigebatur ab hero. Unde lex Dei Lev. XIX, 13. לא תלין פעלת שכיר אתך עד בקר *Non pernoctabit tecum merces* mercenarii *usque ad mane*, adde Lev. XXII, 10. Cap. XXV, 6. 40. Deut. XV, 18. Jobus dies ſuos cum diebus *mercenarii* comparat Cap. VII, 2. & *mercenarium* exſpectare umbram diei Cap. XIV, 6. aſſerit, quia tunc merces ipſi diſtribuitur, conf. etiam Marc. I, 20. Luc. XV, 17. Matth. XX, 2. 8. 9. Lev. XXV, 50. &c. & *mercenarii annorum* memorantur, Jeſ. XVI, 14. XXI, 16. Eorum quoque meminit MAIMON. *in hilc.* עבדים *cap. I. n.* 7. אינו זוהג בו אלא בשכיר שנאמר כשכיר כתושב יהיה עמך *Non aliter cum eo agas, quam cum* mercenario, *quoniam dicitur: ſicut* mercenarius, *ſicut inquilinus erit tecum.* & in *Sepher ſiphra* exponitur: כשכיר מה שכיר ביומו תתן שכרו אף זה ביומו תתן שכרו *Sicut mercenarius. Cur dicitur ſicut mercenarius? quia de hoc dicitur, tempore ſuo dabis ipſi mercedem, Deut. XXIV, 15. ſic etiam huic tempore ſuo dabis mercedem.* Quare & HESIOD. ἐργ. κ. ἡμερ. *v. 602.* canit:

> Θῆτα ἄοικον ποιεῖσθαι, καὶ ἄτεκνον ἔριθον,
> Δίζεσθαι κέλομαι.
> *Servum domo carentem* conducere, *& ſine liberis*
> *ancillam inquirere jubeo.*

et LUCIAN. *Tom. I. Timon p. 68.* ἐναψάμενος διφθέραν ἐργάζομαι τὴν γῆν, ὑπόμισθος ὀβολῶν τεσσάρων, *rhenone indutus, terram exerceo quatuor conductus obolis;* & de *merc. cond. idem p. 463.* θητεύσεις κάτω νενευκὼς ἕωθεν ἑσπέραν, ἀεικελίῳ ἐπὶ μισθῷ, *Capite obſtipo a diluculo ad veſperam, idque vili mercede operam navabis.* ARISTOPH. ἐν ὄρν. *p. m. 595.*

> Τὶ δῆτα μισθωτὲς ἀν᾽ ἔτι μισθοῖτό τις.
> *Quid certo mercenarios item conduxit quis?*

Vide C. ADAMI *obſerv. S. p. 146. ſq.* PIGNOR. *de ſerv. p. 261.* De *merce-*

mercenariis militibus vide HERODIAN. *Lib. II. cap. XI. §. 9.* & *Lib. VI. cap. V. §. 5.* qui *μισθοφόρες ϛρατιώτας* vocat.

Hujus denique formam quoque aſſumſit Meſſias; pater ipſum quaſi *conduxit* in æterno pacis pacto, in quo ſub conditione ſervitutis ac mortis, vitam ipſi indiſſolubilem poſt reſurrectionem & ſemen ſpirituale promiſit, Jeſ. LIII, 10. 11. imo pollicitus eſt ipſum conſtituere lucem gentium, & ſalutem usque ad fines terræ, Jeſ. XLIX, 6. Promittit ipſi pater mercedem, dicens Pſ. II, 8. 9. *Pete a me, & dabo tibi gentes poſſeſſionem & fines terræ hæreditatem.* Et quum filius in implemento temporis apparuerit, ſervitutisque jugum ſuſceperit, Gal. IV, 4. Rom. VIII, 3. Pater ipſi mercedem ex pacto æterno quoque conceſſit. In eodem hoc noſtro loco id egregie exprimitur; quando Apoſtolus v. 7. 8. ſervitutem filii deſcripſerat, addit v. 9. 10. *Quapropter etiam Deus ipſum maximopere exaltavit, & nomen dedit, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, ac terreſtrium & ſubterraneorum, omnisque lingua profiteatur, J. C. eſſe Dominum.* Per paſſiones ad gloriam evehi oportebat ipſum, Luc. XXIV, 26. minor quidem fieri debebat angelis, adeoque ſervus, ſed pro *mercede* gloriæ ac majeſtatis corona ipſi concedenda erat, Pſ. VIII, 6. quare de ſe teſtatur Pſ. XVI, 5. 6. *Jehova portio hæreditatis meæ & ſors poculi mei ab ipſo ſuſtentatur. Funiculi ceciderunt mihi in locis amœniſſimis, poſſeſſio mihi contigit elegantiſſima.*

XXV. En ſtatum ſervitutis Meſſiæ ex omni antiquitate depictum! Quis non obſtupeſceret miram Filii Dei *συγκατάβασιν*, qui *μορφὴν Θεε̃*, quam eſſentialiter poſſidebat vi generationis æternæ, exuens ſponte ſua *μορφὴν Δέλε* ſibi alienam aſſumſit. Ille qui Dominus, cœli terræque creator, cujus ad thronum omnes orbis habitabilis reges atque principes genu ſumma cum humilitate flectunt, omnium fit ſervus atque miniſter. Ille cui cœlum eſt palatium atque thronus, deſcendit in terram, ubi non invenit, quo caput reclinet. En abyſſos imperſcrutabiles ſapientiæ atque amoris divini! Quum vero noſtrum cauſa factus ſit ſervus, legi divinæ ſubjectus, ut illam loco populi ſui adimpleret; quis adeo duræ mentis & cauterio reſectæ conſcientiæ eſt, qui hoc non inſtar

ſtar magni ſalutis myſterii conſideret, & ſervo huic exaltato genu flectat? Excute o anima jugum principis tenebrarum! rumpe funes mundi, te ad perniciem ſeducentis! huic ſervo Dei celſiſſimo te ſubjice! illius jugum, quod leve eſt, ſuſcipe, Matth. XI, 28. 29. Servus hujus ſervi Dei juſti exiſtere quæras, ille tibi in tota ſervitute ſua exemplar reliquit, quod imitaberis! Quum *natus* ſis ſervus peccati & mancipium Satanæ, robore hujus ſervi juſti liberari ſtude, & tranſi in ſervitutem Dei. Ne patiaris te *ſuperari* a Satana, nec te *vendas* illi per peccata proterva, nam miſera eſt atque deploranda *merces*, quam inde recipies, Rom. VI, 20. 21. Permitte Spiritui Dei cor tuum, nec reſiſte ejus operationibus, ſi *ſigillum* imaginis divinæ tibi impreſſurus eſt, quo obſignaberis ad diem redemtionis, Eph. IV, 30. Sponte *aures* Deo exhibe perforatas per obedientiam lubentiſſimam. *Veſtes* ſervitutis tuæ permutabis cum veſtibus decoris libertatis, Zach. III, 4. 5. *pileum* conſcientiæ juſtificatæ & puræ ſerva, tuere, defende, ne tibi auferatur, Apoc. III, 11. In vita ac *converſatione* tua manifeſtabis, te ex ſervitute in libertatem eſſe vocatum, 1. Pet. II, 9. Sperne hujus mundi delicias atque concupiſcentias, veſcere *pane* miſeriæ, bibe *potum* lacrymarum, ſi ſapientiſſima tibi Dei providentia illum porriget, cum hilari ac patienti animo. Premant, opprimant, excrucient animam tuam mancipia Satanæ; Deo eſto ſervus fidelis, Apoc. II, 10. Regis ſupremi te demonſtra ſervum, tuere privilegia tua, 1. Pet. II, 9. *Sequere* agnum, ſervum hunc Dei, veſtigia ejus preme; ejus ad aulam *janitor* eſſe cum Davide magis deſidera, quam tentoria impiorum incolere, Pſ. LXXXIV, 11. *Scriba* ſis peritus & *notarius* omnium actionum tuarum, de quibus rationem reddes. Studioſe excole *agrum* cordis tui, ut fructus reſipiſcentia dignos proferat. *Mole*, *tritura*, & quæcunque tibi gravia accidunt in mundo, perfer & ſuſtine. Tanquam *mercenarius* onus diei & æſtum lubentiſſime ſuſcipe, perſevera in opere tibi demandato, *labor tuus non erit fruſtraneus in Domino*, 1. *Cor. XV*, 58.

EXERCITATIO VI.
DE
PALMIS IN MANIBVS TVRBÆ ELECTÆ, SYMB. VITÆ ÆTERNÆ.
APOC. VII, 9.

ARGUMENTUM.

§. I. Loci Apoc. VII. bujusque viſionis prophetica ſcena atque ſenſus breviſſime proponitur. §. II. & III. PALMÆ onomatologia, & varia ejus in ſacris ſignificatio bieroglyphica excutitur. Illam emblema eſſe Dei, ejusque verbi Apoſtolorum & Doctorum, Judææ & Iſraëlis, & omnium credentium. In ſpecie in loco noſtro vitæ ac gloriæ æternæ ſymb. eſſe docetur. §. IV. Elegantem inter gloriam futuram & palmam analogiam detegimus. A) *Quatenus ramus palmæ ab arbore decerpitur. §. V. ſemper eſt viridis. §. VI. Flore & fructu ſæpe uberrimo turget. §. VII. Umbram gratiſſimam fundit, unde ſub eadem babitare ſolebant veteres. §. VIII. Longæva eſt, ſymb. proinde æternitatis. §. IX. Robore pollet inſigni, premitur, ſed eo altius inſurgit, quare decus etiam ſingulare ſua altitudine conſtituit. §. X. Uſus ramorum palmæ varius fuit, ſc. in coronis conſerendis. §. XI. Ornabantur iis poſtes & januæ in lætitia publica. §. XII.* B) *Præprimis notamus morem veterum, quando palmas manibus geſtabant, ad quem ritum in loco noſtro digitus intenditur a Spiritu S. quod fiebat a victoribus & triumphantibus in ſignum victoriæ. §. XIII. a ſubditis regi obviam euntibus in ſignum lætitiæ. §. XIV. in feſtis Deorum publicis præcipue Bacchi, nec non in ſupplicationi-*

bus

bus & votis publicis. §. XV. a Judæis in feſto tabernaculorum. §. XVI. Epilogus additur.

I.

INſignis maxime & myſteriis uberrimis referta eſt viſio, quæ Johanni contigit Apoc. VII, 9. ubi conſpicit *catervam ingentem & haud enumerandam, ex omni gente, lingua & populo collectam, quæ coram throno & agno induta veſtes albas* apparebat; & præcipue notandum, quod ΦΟΙΝΙΚΕΣ ἐν ταῖς ΧΕΡΣΙΝ αὐτῶν, *PALMAS in MANIBUS geſtarent.* Duplicem in hoc capite viſionem notamus, quarum una cum altera ſingulari nexu cohæret. Omiſſis enim aliorum ſententiis, in hac duplici viſione egregie nobis tum *Judæorum* tum *gentium* converſionem univerſalem, quæ ſub fine periodi ſextæ ſeu initio ſeptimæ, ſecundum prophetarum effata exſpectatur, depingi contendimus. Suadet hoc *tum* temporis ratio, quod determinatur ſexti ſigilli finis; *tum* tribuum Iſraëlis & gentium ex omni natione & lingua expreſſa diſtinctio atque coniunctio; *tum* harmonia aliorum locorum propheticorum, quæ itidem converſionem Judæorum ac gentium coniungunt. Volve Jeſ. LX. LXV. LXVI. Jer. XXXI. Zach. XII. &c. Quemadmodum & Paulus ſalutem Iſraëlis & gentium converſionem nexu arctiſſimo iungit Rom. XI, 25. 26. Hoc poſito fundamento v. 1--8. *Converſio Iſraëlis,* ſeminisque ejus electi ultimis temporibus ſalutaris collectio v. 9--fin. *Gentium* per varia Dei judicia humiliatarum reſipiſcentia, & ad fidem ſalutarem adductio depingitur. Quare quemadmodum juſtificatio & ſanctificatio ipſorum per *veſtes albas* deſcribitur, ita *lætitia, victoria, triumphus* & *ſubjectio* ſub imperio Meſſiæ per *geſtationem palmarum* deſignatur.

II. *PALMA* Hebr. תמר Græcis φοῖνιξ dicitur. תמר equidem vel ab *amaritudine* vel a רמר *admiratione* vel a מרה *reniti* vel a תמר quod *fructificare* notat juxta varios derivatur. φοῖνιξ a colore rubro ſeu πυῤῥῷ dicta cenſetur. Quæ vox non ſolum *avem* deſignat Arabicam, Phœnicis nomine celebratam, ſed & *arborem fructiferam dactylis*, quo ſenſu hoc etiam in loco noſtro occurrit.

PALMA in ſcriptis ſacris ſymb. eſt juxta quosdam

a. ipſius *Dei* & *Meſſiæ.* Huc referunt locum Pſ. XCII, 13. צדיק כתמר יפרח *Juſtus florebit inſtar palmæ.* Ubi per *juſtum* Meſſiam cum Epiphanio & interpretibus Judæis intelligit Cl. SCHLICHTER. in *Decim. ſacr. p. 368.* & citat מדרש תהילים *fol. 49.* ubi dicitur: מה התמרה הזאת נאה כמראי וכל פירותיה מתוקין וטובין כך בן דויד נאה במראה וגו׳ *Qualis eſt PALMA hæc? pulchra eſt aſpectu & univerſi fructus ejus ſunt dulces ac boni. Ita etiam filius Davidis pulcher erit aſpectu &c.* Verum an directe in loco Pſ. XCII. Meſſias per palmam indicetur, valde dubito, quia commata ſeq. 14-16. de fidelibus agunt, inque eorum deſcriptione ad qualitates palmæ & cedri alluditur, quod manifeſtum mihi indicium eſt, verſum præced. 13. etiam de fidelibus eſſe intelligendum, qui per comma 14--16. propius explicatur. v. 11. autem de Meſſia agi non nego, ſed v. 13. fructum elevati Meſſiæ ejusque cornu, in credentes redundantem, nobis ob oculos ponere contendo. Cæterum Judæi quoque *Deum* ſub ſymb. *palmæ* delineant, quando in *Rabboth. fol. 163. 4.* palmarum ramos in feſto tabernaculorum agitatos explicant: כפות תמרים זה הקבה שכתוב בו צדיק כתמר יפרח *Rami palmarum ſunt Deus S. B. de quo ſcriptum eſt Pſ. XCII, 13. juſtus ut palma germinabit.*

b. *Apoſtolorum* atque *Doctorum* emblema eſſe *palmam* diſcimus ex hiſtoria typica itineris Iſraëlis Exod. XV, 27. & Num. XXIII, 9. ubi Iſraëlitæ in Elim *duodecim fontes* & *ſeptuaginta palmas* שבעים תמרים inveniſſe dicuntur, ubi per duodecim *fontes*, *Apoſtolorum* numerum duodenarium & per ſeptuaginta *palmas* ſeptuaginta diſcipulos a Chriſto emiſſos ad prædicandum Evangelium, apte intelligi poſſe eleganter docuit amicus & condiſcipulus olim, maxime venerandus JO. CASP. HULDRICUS in ſingulari *de XII. font. & LXX. palmis diſſert.* habita Bremæ 1728. ſub præſ. Viri longe *Celeb.* C. IKENII *p. 27. ſq.* Ita & Judæi in *Rabboth. l. c. f. 163.* ſapientes cum palmis comparant. Ita enim de *palmis* in feſto tabernaculorum ſcribunt: כפות תמרים אלו תלמידי חכמים שכופין את עצמן ללמוד תורה אלו מאלו *Frondes* palmarum *ſunt ſapientes, qui ſe ipſos humiliant, ut unus ab altero legem diſcat.* Idem emblema Arabibus notum eſt, quare ſermonum

monum decurſum & eloquentiam نخل شبر يف *dulcis palmæ fructus* titulo ornare ſolent. Conf. etiam quæ docet PIER. *in hierogl. P. l. p. m. 538.*

c. Commune hominum, præcipue Judæorum ſymb. *palma* eſt, in ſpecie tamen credentium. Huc refer Pſ. XCII, 13. *juſtus* כתמר *palmæ inſtar florebit.* & Cant. VII, 7. 8. vel juxta Hebr. cod. VI, 17. 18. *Statura tua ſimilis eſt* palmæ. Palmam *conſcendam & prehendam palmites ejus.* Quare PIER. VAL. *in Hierogl. Lib. II. append. p. m. 644.* docet *palmam* commune *hominis* emblema eſſe, *tum* quia fructum non fert ſine coitu, *tum* quia in ſuperiori parte ceu capite cerebrum habet. In ſcriptis Judæorum æque ac gentium emblema hoc palmæ paſſim obvium eſt. In *nummis* Judæorum PALMA ubivis apparet, quæ ſecundum Doctiſſimos interpretes *Judææ* ſymb. eſt, unde epigraphe, IVDÆA CAPTA ubique legitur. Vide apud BEGER. GOLZ. OISEL. VAILLANT etc. Collegit eos etiam & expreſſit Doctiſſ. WAGENSEIL. *in Sota p. m. 1084.* adde SPANHEM. *Diſſ. de uſu & præſt. numiſm. p. 301. 318. 320. ſq.* & paſſim. Ita & in *Bava Bathra fol. 8. b.* apud WAGENSEIL. *in Sota cap. VII. p. 735.* juſti ſeu homines pii cum palmis & cedris comparantur. Similiter in *Rabboth.* l. ſupra cit. de ramis palmarum ſcribunt : כפות תמרים אלו ישראל מה התמרה הזו יש בו טעם ואין בו ריח כך הם ישראל יש בהם שיש בהם תורה ואין בהם מעשים טובים *Frondes* palmarum *ſunt Iſraël, nam quomodo cum hac* palma *comparatum eſt, ſaporem quidem habet, ſed nullum odorem, ſic & inter Iſraëlitas reperiuntur, qui eruditionem quidem habent, ſed nulla bona opera.* Uti & R. BECHAI in פירוש *p. 183. c. 4.* לולב רמז לאותן שיש בהם תורה ואין בהם מעשים טובים Palmæ *ramus indicat eos, qui legi operam navant, ſed interim bonis operibus deſtituuntur.* Similiter in nummis quibusdam apud SPANHEM. l. c. p. 301. & VAILLANT. *Numiſm. Imp. Rom. aur. & argent. Tom. II. p. m. 209.* apparent rami palmarum, qui ſymb. ſunt *prolis regiæ* ſeu filiorum Principum, cum epigraphe, HILARITAS TEMPORVM. Si-

militer Nauſicaa Alcinoi filia cum palma comparatur apud HOMER. *Odyſſ. VI.* a variis citato:

> *Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ*
> *Φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα.*
> *Nuper in Delo tale Apollinis juxta aram*
> Palmæ *recens germen ſuccreſcens vidi.*

Conf. etiam quæ ex variis ſcriptoribus ſymbola de palmis exaggerat J. H. URSIN. *in Arbor. bibl. cap. XLI. p. 536. ſq.*

III. d. Denique palma etiam *gloriæ*, *victoriæ* & *vitæ* æternæ ſymb. eſt. Palma ſponte enata, gloriam inſignem, eandemque facilem deſignat, ut probat CAUSSIN. *in Polyhiſt. Symb. Lib. X. c. LIV. ſq. p. 496.* nec non HADR. JUN. *in Emblem. XVI.* vide & CAMERAR. *hor. ſubciſ. Cent. I. c. 28. p. m. 139.* *Martyribus* ſanctis eum in finem apud veteres Chriſtianos *palmæ* tribuuntur in ſigillis & imaginibus, in ſignum victoriæ, quemadmodum docuit Vir Cel. J. M. HEINECCIUS *in tract. de vet. Germ. & alior. ſigillis p. 161.* & ex eodem Cl. P. ZORN. *in Opuſc. S. Tom. II. p. 677.* Apud profanos itidem Scriptores palma victoriæ ſymb. fuit, unde A. GELLIUS *in Noct. Attic. Lib. III. c. 6.* *In certaminibus* palmam *ſignum eſſe placuit* victoriæ, *quoniam ingenium ejusmodi ligni eſt, ut urgentibus opprimentibusque non cedat.* Quare *palma* pro victoria ponitur. Ita MARTIAL. *Lib. XI. ep. XXXIV.*

> *Sæpius ad* palmam *Praſinus poſt fata Neronis*
> *Pervenit, & victor præmia plura refert.*

Victoriæ quoque ſemper palma tribuitur, ita a CLAUDIANO *in laud. Stilicon.*

> - - *cum totis exurgens ardua pennis,*
> *Ipſa Duci ſacras victoria panderet ædes,*
> *Et* palma *viridi gaudens & amicta tropæis.*

Huc refer nummum apud VAILLANT *Num. Imp. aur. Tom. II. p. m. 389.* ubi Venus cum palmæ ramo & epigraphe, VENVS VICTRIX, quo loco palmam victoriæ ſymb. doctiſſ. Interpres exponit. Tales quoque nummi huc pertinent, qui victoriam alatam cum ramo palmæ in ſiniſtra exhibent, cum epigraphe, SALVS GENERIS HVMANI. vid.

BEGER.

BEGER. *Theſ. Imp. Rom. Tab. XV. n. 11. 12. XXIV. n. 8.* Quales & apud OISEL. *in Num. Tab. LXX. num. IV. IX. XI.* cum epigr. VICT. AVG. vel VICTORIA IVDAICA vel VICTORIA PARTHICA &c. Huc refer *nummum XII. Tab. LIX.* apud OISEL. qui eſt M. Aurelii, *palmam* in terram demiſſam tenens cum epigr. SECVRITAS PVBLICA; Indicans ex victoriis Aurelii Reipubl. ſecuritatem eſſe partem, veluti docet interpres cit. p. 350. Plura conf. infra §. XII.

Huc reſpiciunt dubio procul *palmæ* exſculptæ in *parietibus* & *vaſis* templi ac ſanctuarii, vide 1 Reg. VI, 29. 2. Paral. III, 5. Ezech. XL, 16. 22. 1. Reg. VII, 36. Ezech. XLI, 18. &c. ubi per palmas non Iſraëlitas & Judæos cum C. SANCTIO *in comm.* ad 1. Reg. VI. & J. U. URSIN. *arbor. bibl. p. 539.* verum per easdem victorias fidei credentium cum Cel. LAMPIO in *orat. de memoria ſanctor. p. 10. in not.* & ven. STARK. in Ezech. cap. XL. & XLI. cit. deſignari contendimus. Eam ob cauſam *palmas* & coronas, martyrum ſepulchris a veteribus Chriſtianis inſculptas eſſe, & hiſce eorum memoriam cultam fuiſſe (quæ ſymb. gloriæ & victoriæ erant) docuit ARINGH. *Rom. ſubterr. P. II. L. VI. cap. 43.* nec non Doct. P. KUNZIUS in *diſſ. de ſacr. & prof.* *ἀναθημάτων hiſtoria p. 8. §. 7.* Unde & apud veteres Romanos victorum monumenta vel palmis vel ſtatuis ſiniſtra palmas gerentibus exornabantur, veluti diſcimus ex GRUTER. *Inſcript. p. CCCXL. n. 4. DCCLXXXI. n. 5. & p. DXCVI. n. 2.* ubi vel palmarum arbores vel ramos in lapidibus vel urnis expreſſos exhibet vir diligentiſſimus.

IV. Hoc ſenſu poſtremo emblema palmæ quoque in loco noſtro Apoc. VII. occurrit, utpote victoribus & triumphantibus palma data, quorum manus exornat, gloriæ, victoriæ, & præmii vitæ æternæ aptam exhibet figuram. Elegantiſſimam analogiarum ſeriem detegemus, ſi inter *palmæ* ramum & præmium gloriæ ac victoriæ æternæ comparationem inſtituamus:

1. *Palmæ* ramus decerpitur ab *arbore*, cujus pars eſt, & ex qua ejusque ſucco producitur ſurculus ejusmodi tenellus, qualis apud Judæos vocabatur לולב De quo MAIMON. in *hilc. ſucc. cap. VII.* initio:
כפות תמרים האמורות בתורה הן הריות של דקל כשיצמחו
קודם שיתפרדו העלים שלהן לכאן ולכאן אלא כשיהיה כמו
שרביט

שרביט והוא הנקרא לולב *Rami palmarum, quorum in lege mentio eſt, ſunt qui progerminant, antequam folia hinc inde a ſe invicem ſeparentur, ſed dum adhuc ſunt inſtar virgæ, & hoc eſt, quod vocamus Lulab.* Deſcribit etiam *ramos* palmæ in oriente Doctiſſ. E. KÆMPFER in *amœnit. Exot. faſc. IV. p. 690. Eſt autem,* inquit, *frons palmea ingens & ramorum æmulæ magnitudinis ala, longitudinis circiter trium orgyiarum utrinque ex foliis arundinaceis ſecundum longitudinem pinnata, frondi arboris coccifera eminus aſpectu ſimillima &c. partes ei ſunt coſta, ſpinæ & folia*; quæ ſingula explicat vir diligentiſſimus p. 691. etc. *Securi* autem ramos abſcindere ſolebant apud veteres, quod exprimit NICANDER *in Georgic.*

Σὺν καὶ Φοίνικος παραφυάδας ἐκκόπτοντες
Εγκέφαλον Φορέουσι νέοις ἀσπαςὸν ἔδεσμα.
Et poſtquam ramos *excidit multa ſecuris*
Palmarum, *pueris dant fercula grata, cerebrum.*

Talis ex arbore vitæ decerptus ramus eſt gloria beatorum ac vita æterna, Apoc. II, 7. Creſcit in arbore excelſa, i. e. Meſſia, qui palmæ aſſimilari jure poteſt. Ille ſolus hanc nobis gloriam promeruit, ſuoque ſanguine acquiſivit, in ipſo eſt vera ſalus noſtra ſita. Quare non ſolum Salvator, ſed & *ſalus* ipſa dicitur, Gen. XLIX, 18. Luc. II, 30. Ipſe eſt via, veritas & vita, Joh. XIV, 6. ſub alis ejus ſalus noſtra acquiritur, Mal. IV, 2. *Exciſus* quoque eſt hicce ramus myſticus ex arbore hac, quando *ſecuri* judiciorum divinorum vulneratus Meſſias, nobis vitam ac ſalutem acquiſivit, Jeſ. LIII, 10. Dan. IX, 24. 1. Pet. II, 24. Quum enim per paſſiones & iram Dei eſſet conſummatus, factus eſt cauſa ſalutis, Heb. V, 9. cap. II, 10. in vulneribus ipſius hanc ob cauſam ſalus noſtra oritur, Jeſ. LIII, 5. Adeoque uti *rami a palma* toti dependent, ita vita ac gloria noſtra æterna a Chriſto, ejusque meritis, Eph. II, 8. Matth. I, 21. Act. IV, 12.

V. 2. Palmarum rami ſemper *virent* & colore *vivaciſſimo* præditi ſunt; amant enim loca *irrigua* & aquoſa, quæ virorem augent, quare & nunquam marceſcunt. Unde dubio procul per עץ שתול על פלגי מים אשר פריו יתן בעתו ועלהו לא יבול *arborem ad rivos aquarum plantatam, quæ juſto fert tempore fructus, cujusque haud*

haud unquam decidunt folia aut marceſcunt, palma intelligitur; quemadmodum etiam Pſ. XCII, 13--15. tali cum arbore juſtus comparatur. Et quando *ſtatura ſponſæ* Cant. VII. cit. *palmæ* aſſimilatur, *viriditatem* juventutis innui contendit AMBROSIUS. Recte ergo PASSERATIUS de palma canit:

Sola viret ſemper, *frondes & ſemper easdem*
Palma *tenet*, *feræ longinqua ad fata ſenectæ.*

Et JUVENAL. *Sat. VII. Lib. III. v. 118.*

Figantur virides, *ſcalarum gloria*, palmæ.

In Elim ubi *XII. fontes* irriguos invenerant Iſraëlitæ, etiam LXX. virentes palmas deprehendebant, Exod. XV, 27. quod Ezechiel poëta apud EUSEB. *Præpar. Evang. Lib. IX. §. 29.* eleganter exprimit:

Ἐνταῦθα λειμῶν εὕρομεν κατάσκιον,
Ὑγρὰς τε λίβαδας· δαψιλὴς χῶρος βαθὸς,
Πηγὰς ἀφύσσσων δώδεκ᾽ ἐκ μιᾶς πέτρας.
Στελέχη δ᾽ ἐρυμνὰ πολλὰ Φοινίκων πέλει
Ἔγκαρπα, δεκάκις ἑπτά.
Mox viride opaco cernitur pratum ſolo,
Liquidique latices. Quippe luxurians tellus
Petra ex eadem fonte duodeno ſcatet.
Septena decies palma *robuſtis* viret
Subnixa truncis, atque fœcundos agens
Sublime ramos tollit.

Irriguas quoque *palmas* ac *perennes* vocat MOLEICH Arabs in *Div. Hudeil* apud Cl. SCHULTENS *Orig. hebr. T. I. Cap. VIII.*

كدالح الشرب المجتار زينه
حمل عثاكيل فهو الواتن الركد

Velut gravidæ palmarum irriguæ, *quas exornat*
Onus dactylorum perenne & ſtabile.

Vide etiam KÆMPFER *Amœnit. Exot. l. c.* Doctiſſ. G. VERESTOI in *Diſſ. de palma ardente p. 116. ſq.*

Egregie color *viridis* & *immarceſſibilis* palmæ *vigor* gloriæ æternæ vivacitatem, perfectionem ac perennitatem deſignat. Eſt enim *corona immarceſſibilis* ἀμαράντινος ςέφανος τῆς δόξης, 1. Petr. V, 4. Eſt hæreditas *incorruptibilis & intaminabilis nec marceſcens, ſed ſervata nobis in cœlis*, 1. Petr. I, 4. Omnis hujus mundi gloria evaneſcit, perit inſtar fumi, emarceſcit inſtar graminis reſecti, Jeſ. XL, 6--8. ſed hæc gloria cœleſtis æterna eſt vita, quæ nunquam tolletur, Joh. XI, 25. 26. Jeſ. XXV, 8. Hoſ. XIII, 14. Continuo quaſi renovatur per oceanum omniſufficientiæ divinæ & latices irriguos meritorum Salvatoris. Hoc eſt bonum illud fidelium, quod nunquam perit, nec a furibus abripitur, nec a vermibus corroditur, Matth. VI, 20. Quare hæc gloria æterna ſub ſymb. aquæ & fontis vitæ, qui nunquam exſiccatur, proponitur Apoc. XXII, 1. XXI, 7. Joh. IV, 10. *Virore* ſuo ac ſpe viva ſe commendat hæc gloria, præ gloria mundi vana & flaccida, mentibus credentium, Rom. V, 4. 5. Hebr. XI, 1.

VI. 3. Rami palmarum non ſolum *floribus* ſæpe, ſed & *fructibus dulciſſimis* in cibum mortalium abundant. Ideo Joël. I, 12. annonæ caritas deſcribitur etiam per arbores exarefactas, alias frugiferas, inter quas *palma* quoque recenſetur. De *floſculis* ejus ſcribit doctiſſ. E. KÆMPFER. *l. c. p. 697. quod liliis convallium ſint minores, oblongi, tripetali, coloris albidi in luteum palleſcentis. Palmulæ* maturæ ſeu dactyli hujus arboris Perſis خرما dicuntur, Græc. δάκτυλοι, quas hunc in modum idem Vir doctiſſ. deſcribit: *Caro eis multa eſt, pinguis, pulpoſa, ſaporis vinoſi, dulciſſimi, oſſiculo ſuo laxe inhærens. Oſſiculum hoc ſolidum eſt, cornu inſtar tenax & durum, ſuperficie granis uvarum concoloro etc. vid. p. 703. ſq.* & PLIN. *hiſt. nat. Lib. XIII. cap. 14. Plinian. Exercit. in C. J. Solin. Polyhiſt.* a SALMAS. *edit. Tom. II. p. 1322.* De palmæ fructibus quoque ſcribit PAUSAN. *in Bœot. ſ. Lib. IX. p. m. 571.* Φοίνικες δὲ πρὸ τοῦ ἱεροῦ πεφύκασιν, οὐκ ἐς ἅπαν ἐδώδιμον παρεχόμενοι καρπὸν ὥσπερ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, τοῦ δὲ ἐν Ἰωνίᾳ τῶν φοινίκων καρποῦ πεπανώτερον. Palmæ *vero ante ædem ſurgunt fructum ferentes, qui non admodum eſt ſuavis edentibus, uti palmulæ ex Palæſtina, mitiorem tamen iis, quæ in Ionia leguntur.* Et QVINT. CALABER *Lib. II.*

ἀμφὶ

- - - ἀμφὶ δ᾽ ἄρ᾽ αὐτῷ
Φοίνικες θαλέθουσι, φέρουσι δ᾽ ἀπείρονα καρπὸν,
ῥίζης καιομένης ἅμα λάεσιν.
Circa ipſam autem palmæ *florent, uberemque fructum ferunt, radice licet ardente cum ſaxis.*

Quare & apud EZECH. SPANHEM. *in diſſ. de uſu & præſtant. Numiſm. Diſſ. IV. p. 313. 314. 326. &c.* nummi varii cum palmis dactyliferis occurrunt, ubi conf. quæ doctiſſime vir doctiſſ. ad hos nummos commentatur. adde OISEL. *Numm. Imp. Tab. XXXIV. n. 3.* nec non DEYLING. *Obſ. Sacr. P. II. Obſ. 47. in Tab. IV. n. 2. 3. & 4. p. 562.* conf. etiam P. ZORN. *not. ad Hecat. fragment. p. 65. in not.* Ven. J. C. HULDRIC. *in Diſſ. de XII. fontib. cit. p. 18.* alios.

Talis ramus eſt prœmium vitæ æternæ, ex quo dulciſſimos fructus legimus. Quare comparatur cum *duodenis fructibus arboris vitæ,* Apoc. XXII, 2. Exhibet hic ramus dulciſſima Salvatoris noſtri merita, quibus palatum Sponſæ myſticæ in hac jam vita exhilaratur per primitias, Cant. II, 3. *Flores* quoque myſticos hic ramus quaſi præbet, qui ſunt gratiſſimæ illæ promiſſiones de vita futura glorioſa, quibus ſuffulcimur & recreamur in omnibus hujus vitæ miſeriis, Pſalm. CXIX, 50. Dulciſſimum hæc promiſſa odorem fundunt in naribus credentium, qui falſam εὐοσμὴν hujus mundi aſpernantur, 1. Cor. II, 15. Et tota futura gloria conſiſtet in fructibus meritisque Mediatoris noſtri, quibus ceu deliciis æternis ſatiabimur, Pſ. XVI, 11. XVII, 15. LXV, 5. XXXVI, 9. 10. Jeſ. LXV, 13. 14.

VII. 4. Palmarum rami frondoſi atque virides ob multitudinem denſam eorum gratiſſimam feſſis atque ſitientibus *umbram* præbent, quare ſub iis veteres morari, hoſpitia erigere & habitare ſolebant. Ita Exod. XV. l. c. Iſraëlitæ tentoria figebant in Elim ad *LXX. palmas.* Judic. IV, 5. Debora prophetiſſa habitaſſe dicitur *ſub palma Deboræ.* In Perſia quoque ſuas ad palmeta *Kærwaanſeras* ut vocant, i. e. xenodochia habebant, ad recreandos hoſpites, difficultate itineris per arenas calidiſſimas defatigatos, ut pluribus & prolixe docuit Cl. E. KÆMPFER *in Amœnit. Exot. Faſc. IV. Relat. VIII. p. 729.* nec non *Relat. IX. p. 736. ſq.* Ex palmarum quoque frondibus *tuguria* in Perſia, Ægypto

to aliisque regionibus contexuiſſe incolas teſtatur idem Vir Cel. l. c. *Relat. X. p. 751. ſq.* Huc refer etiam Judæorum dictum in *Berach. fol. 55. c. 2.* תהי שביתתינו תותי תיקלא דסביל אחוה: *Sit requies noſtra ſabbathina ſub arbore iſta* (ſc. palma) *quæ ſuſtinet fratrem ſuum.* Et de *umbra palmæ* proverb. legitur Judæorum apud BUXT. *in Lex. p. 2607.* יום פנה בצל תמר *Dies inclinavit ut umbra palmæ.* Huc refer JUVENAL. *Satyr. XV. 76.*

Qui vicina colunt umbroſæ *tentyra* palmæ.

Et HIERON. apud URSIN. *in arboret. p. 533.*

Palma *dat adverſus rapidos* umbracula *ſoles.*

Umbram itidem gratiſſimam defatigatis in itinere hujus vitæ viatoribus exhibent rami myſtici palmæ ſalutis. Quid magis animam abripit in voluptatem & requiem cœleſtem, quam primitiæ gloriæ cœleſtis, quas Deus animabus in arena hujus vitæ ſitientibus exhibet? Quare bona gratiæ & gloriæ ſub ſymb. umbræ proponuntur. Ita Apoc. XXII, 2. 3. *arbores vitæ* in Hieroſolymis novis ad litora fluvii cryſtallini plantatæ, non fruges ſolum incolis dulces, ſed & umbram gratiſſimam recreationis offundunt. Unde Arabes credebant, *Deum* inter *ramos palmarum* hoſpitari, eumque ex formoſo ſpatharum ejus orbe ſua beneficia ad homines demittere, uti ex *Abed Ibn Arabſab in hiſt. Timur.* docet Cel. VERESTOI *Diſſ. de Palm. ardente p. 128.* Hæc eſt *umbra*, ſub qua moratur ſponſa & frugibus delectatur, Cant. II, 3. Hoc eſt *umbraculum* contra æſtum, Jeſ. IV, 5. Quare & victoribus noſtris Apoc. VII, 16. 17. promittitur, quod *nec ſol nec alius æſtus ipſos ſit infeſtaturus, ſed agnus* ipſe, tanquam palma ramis ſuis, *obumbraturus eos & ad vivæ aquæ fontes ſit deducturus*, cum alluſione partim ad itinera Iſraëlis ad XII. fontes in Elim, partim ad feſti tabernaculorum ſolennitates.

VIII. § *Longæva* eſt palma, quamplurimos in annos durans, non furores æſtus ſolis nec imbrium ac hyemis inclementiam curans, quare *perennitatis*, conſtantiæ & *æternitatis* ſymb. apud antiquos habebatur. Huc refer cum Cel. BOCHARTO *Hieroz. Part. II. p. m. 820.* & Cl. SCHULTENS *animadv. ad Job.* locum Job. XXIX, 18. וכחול ארבה ימים *Et ſicut arenam multiplicabo dies meos*, ubi LXX.

ὡς

ὡς ϛέλεχος Φοίνικος, *ut truncus palmæ.* THEOPHRASTUS enim de *Cauſ. Lib. II. cap. 16.* teſtatur, *palmam diutiſſime vivere;* cui adſtipulatur quoque ARISTOTELES μακροβ. καὶ βραχυβ. C. IV. ὅλως δὲ τὰ μακροβιώτατα ἐν τοῖς Φυτοῖς ἐϛιν, οἷος ὁ φοῖνιξ. *Longævam maxime vitam agunt inter plantas, qualis eſt palma* Nota eſt celebris in Delo palma, quæ aliquot ſeculorum orbes emenſa, ætatem Imperatoris Hadriani attigit, & plus mille quingentis annis vixit, vide PLIN. *hiſt. nat. Lib. XVI cap. 44.* quo refert etiam PASCHAL. *de coron. Lib. VI. p. m. 410.* locum ex Orpheo:

Ζῶον δ' ἶσον ἀκροκόμοισι Φοινίκων ἔρνεσι
Animal vero æquale ſummas habentibus comas palmarum ramis.

Quare palma *temporis diuturnitatem* in hieroglyphicis Ægyptiorum ſignabat, ut docet PIER. VALER. *Hierogl. Lib. L. p. m. 535.* Cel. KÆMPFER in *amœn. Exot. Faſc. IV. Relat. II. §. ult.* definit ætatem palmæ ducentos annos, *tot,* ait, *namque annis palmam vigere, gravi popularium auctoritate & temporum traditionibus perhibetur.*

Optime hæc qualitas denuo applicari poterit æternæ vitæ præmio, quod perenne eſt & immutabile, & per tot ſeculorum ordines decurrentium, nunquam perit aut marceſcit. Eſt, ut ſupra vidimus, *hæreditas immarceſſibilis & incorruptibilis,* quæ repoſita eſt, diſtribuenda ultimis diebus, 1. Pet. I. 4. *Æternum* plane eſt hoc brabeum, nec cano temporis dente conſumitur. Omnia hujus mundi bona pereunt & igne aliquando conſumentur, 2. Pet. III, 10. Omnes hujus orbis deliciæ breviſſime durant, & in anxietates cordis tranſeunt, Luc. XVI, 25. 1. Joh. II, 15 -- 17. Sed hæc bona ſunt æterna & longæva, durant in hoc, durant in futuro ſeculo, 2. Cor. IV, 18. Matth. VI, 20 XVI, 26. Nunquam deficiunt aut pereunt hæ deliciæ æternæ & voluptates perennes. Quando bonis hujus mundi privantur impii, eſurientes & ſitientes, pii edunt, bibunt, & voluptatibus abundant, Jeſ LXV, 13. 14. *ante faciem & ad dextram Dei eſt ſatietas lætitiæ, in æternum,* Pſ. XVI, 11. XVII, 15.

IX. 6. Palmarum rami *robore* inſigni præditi ſunt & *decore.* In *ardua* trunci cervice *coronæ* inſtar effulgent, & onere ac pondere *preſſi* graviſſimo, *renituntur* atque eo *altius* adſurgunt. *Decus* palmarum reſpicit

ſpicit Sponſus, quando ſtaturam ſponſæ loc. cit. Cant. VII. cum *palma* comparat. Notant in ſpecie Phyſiologi de palma, quod licet pondere gravi prematur, nunquam infringi ſe patiatur, ſed *robore* inſigni contra nitatur & aſſurgat, quod teſtatur ARISTOTEL. *Probl. Lib. VII.* & PLUTARCH. *ſymp. Lib. VIII.* Quare A. GELLIUS *Lib. III. cap. VI.* ſcribit: *Si ſuper palmæ arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris ſuſtineri non queat, non deorſum palma cedit, nec infra flectitur, ſed adverſus pondus reſurgit & ſurſum nititur.* Quod exprimit ALCIAT. *Emblem. XXXVI. p.m. 177.*

Nititur in pondus palma, & conſurgit in altum,
Quo magis & premitur, hoc mage tollit onus.

conf. Cl. MINOIS *comment. ad h. l.* nec non URSIN. *arbor. bibl. l. c. p. 535.* *Altitudo* quoque atque *decor* palmarum celebratur. Unde TACIT. *hiſt. Lib. V. cap. VI.* *Exuberant fruges noſtrum ad morem, præterque eas balſamum & palmæ. Palmetis proceritas & decor.* unde & VIRGIL. *Lib. II. Georg. v. 67.* canit:

\- - - *etiam* ardua palma
Naſcitur & caſus abies viſura marinos.

Ita DIONYS. PERIEGET. v. 1010. deſcribit palmas:

Ἀκρόκομοι φοίνικες ἐπηρεφέες πεφύασι,
In ſummo comantes palmæ *fornicatæ creſcunt.*

Improprie illud exprimit Arabs MUSA IBN GIABIR *in Hamaſa:*

فما زادني الا سناء ورفعة

Id vero me mactavit celſitudine palmæ & *elatione.*

vide plura loca apud Cl. VERESTOI *diſp. cit. P. II. p. 11. ſq.*

Et præmium vitæ æternæ *arduum* illud donum eſt, quod eſt repoſitum timentibus Deum, Pſ. XXXI, 20. in altiſſimis cœlis fulget inſtar coronæ ſplendidiſſimæ 2. Tim. IV, 8. Apoc. II, 10. in vertice arboris vitæ ſeu palmæ myſticæ, i. e. Chriſti Salvatoris conſpicitur, quia ille hanc nobis gloriam acquiſivit & ab eo ſolum conſequimur, Heb. V, 9. Eph. II, 8. Inſuper palmæ quoque inſtar hoc præmium perenne eſt, nec ullo perſecutionum, miſeriarum aut calamitatum onere ſupprimi unquam poteſt. *Novimus enim, cui credidimus, & perſuaſum nobis eſt, Deum poſſe depoſi-*

depoſitum noſtrum cuſtodire in diem illum ſupremum, 2. Tim. I, 12. Per ardua ad aſtra, per anguſta ad auguſta penetrandum eſt. Calamitates hujus vitæ & graviores ſæpe tentationes & caſtigationes ſpem gloriæ nobis obfuſcant, ſed non adimunt. Eſt hæreditas certa & infallibilis, quam nec mundus aut Satanas, nec infernus aut mors rapiet corrumpetve unquam, ſed quæ perdurabit in ſecula, Rom. VIII, 38. 39. 1. Cor. XV, 56. 1. Pet. I, 4.

X. 7. *Uſus* ramorum palmæ inſignis erat in contexendis *ſertis* & *corollis* apud veteres. Ita muſas coronas e floribus & palmis gerere docet NATAL. COM. *mythol. Lib. VII. p. m. 511.* & URSIN. *in arbor. bibl. p. 544.* quod confirmat locus Phornuti a CLAUD. MINOE *cit. in Emblem.* ALCIAT. *p. m. 178.* ϛεφανȣ͂νται δὲ φοίνικι, ὡς μέν τινες νομίζȣσι, διὰ τὴν ὁμωνυμίαν, ἀπὸ τῶν Φοινίκων δοκεῖν εὑρήματα εἶναι τὰ γράμματα. *Coronantur autem* (muſæ) palma, *quemadmodum nonnulli exiſtimant, ob ſynonymiam, quia a Phœnicibus literas inventas credunt. Similiter* ARTEMIDOR. *oneirocr. Lib I. cap. 79* coronas e palma & olea plexas memorat, quas in ſomniis viſas διὰ τὴν πλοκὴν conciliare nuptias & διὰ τὸ ἀειθαλὲς *(perpetuum florem)* liberos præſagire, vide plura apud PASCHAL. de *coron. L. VI. cap. 20. & 21. p. 409. 414.* Unde & PAUSAN. *in Arcadicis* ſcribit: ὁι δὲ ἀγῶνες Φοίνικες ἔχȣσιν ὁι πολλοὶ ϛέφανον. *Ludis quidem plerisque* palmæ corona *decernitur. Coronam* ex palma exhibet nummus ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ apud GOLZ. in *numiſm. Græc. Tab. XXII. n. IV.* & SEGUIN. *numiſm. ſel. antiq. p. 195.*

Et præmium futuræ gloriæ *coronam* illam ſplendidam conſtituit, qua caput credentium aliquando ornabitur. Hæc eſt *corona juſtitiæ*, quam juſtus judex diſtribuet aliquando ſui amantibus, 2. Tim. IV, 7. 8. Hæc eſt *corona vitæ*, quam Archangelus imponet capiti illius, qui victor ad mortem usque perſiſtit, Apoc. II, 10. & qui per tentationes probus compertus ſuſtinet, Jac. I, 12. Hæc eſt *corona illa* δόξης, quam princeps paſtorum, quum apparuerit, diſtribuet fidelibus, 1. Pet. V, 4. Hæc eſt *corona*, quæ oppoſita eſt ſertis & corollis corruptibilibus, quæ diſtribuebantur athletis, 1. Cor. IX, 25. *Corona gratiæ & miſericordiæ*, quæ cingit egenos Pſ. CIII, 4. Pſ. V, 13. Præmium enim vitæ æternæ perfectum

fectum erit inſtar coronæ, & perpetuum, nunquam deficiens. Erit quoque *decus* inſigne inſtar coronæ credentibus, illo exornati decus erunt in oculis Dei Triunius, decus in oculis ſanctorum vigilum angelorum atque reliquorum cœli incolarum, lucentes gloria ac majeſtate ſponſoris ſui, שכינה illius cœleſtis, quæ illos *obumbrabit*, Apoc. VII, 15.

XI. 8. Palmis inſuper *ornabantur januæ* atque *poſtes* veterum in ſumma lætitia, iisque eas appendebant. Huc reſpicit MARTIAL. *Lib. VII. epigr. 27. v. 5.*

Sic fora mirentur, ſic te palatia laudent
Excolat & geminas plurima palma *fores.*

nec non LUCAN. in *Panegyrico ad Piſonem:*

Hinc quoque ſervati contingit gloria civis,
Altaque victores intexunt limina palmæ.

Similiter RUTIL. NUMATIAN. *Lib. I v. 422.*

Exornent virides communia gaudia rami.

Quare & XIPHILINUS de reditu Neronis e Græcia ſcribit: ἐς τὸ καπιτώλιον ἀνέβη, καὶ ἐκεῖθεν εἰς τὸ παλάτιον, πάσης μὲν τῆς πόλεως ἐςεφανομένης. *Aſcendit in Capitolium, inde in palatium, urbe tota frondibus ornata.* & STAT. PAPIN in *ſurrent. Pollii Lib. IV. ſylvar.*

Auguſtasque fores, aſſuetaque tecta gravamus
Frondibus.

conf. etiam de hoc ritu Cl. DACHS. *ad cod. ſucc. p. 165. & p. 538.* & ex eo Doctiſſ. SCHLICHTER *obſerv. ſacr. p. 375.* adde SAGITTAR. *de januis p. m. 223.* Huc pertinent nummi, in quibus *palmarum rami* apparent, quibus poſtes exornaſſe veteres, docent ad eosdem interpretes. Vide BEGER. *Theſ. numm. Imp. Rom. ad tab. XLV. n. III.* nec non OISEL. in *numm. Imp. Rom. ad tab. LV. n. 5. 8. p. 334. ſq.*

Gaudia vitæ æternæ coronant etiam poſtes atque januas Eccleſiæ, quæ ſymb. ſunt verbi divini, quod eſt oſtium myſticum templi ac domus ſpiritualis, 1. Cor. XVI, 9. Ab eo ſuſpenduntur *rami palmarum*, quia poſtes bini V. ac N. T. hoc nobis brabeum ob oculos ponunt, ad *exhilarandum*, confortandum atque excitandum animum noſtrum. Quare

olim

olim in monte benedictiones cœleſtes in Iſraëlem pronuntiabantur, Deut. XXVIII, 1 -- 14. quemadmodum etiam in templo, populo ejus poſtibus exeunte, fiebat, Num. VI, 24. 25. Unde tot Patriarcharum, Regum atque Prophetarum de hoc præmio teſtimonia proſtant, quæ ramorum inſtar a poſtibus V. T ſuſpenſa legimus, vide Gen. XLIX, 18. Pſ. XVI, 11. XVII. ult. Pſ. XXXVI, 9. 10. LXV, 5. CXVI. Jeſ. III, 10. 11. LXV, 13. 14. XXXV, 10. XXV, 8. Hoſ. XIII, 14. Majora longe & plurima in N. T. colligi poſſent, Matth. VI, 33. 1. Petr. V, 4. 2. Petr. I, 4. Jac. I, 12. Hebr. V, 9. 1. Cor. II, 9. XV, 41 -- 58. Apoc. II, 7. 10. III, 5. 20. 21. VII, 16. 17. XIV, 13. XXI. XXII. etc.

XII. B. Præprimis autem notandi hoc loco ſunt ritus *geſtandi palmarum* ramos *in manibus*, quod apud antiquos fieri ſolebat

1. a *triumphantibus* atque *victoribus*, quo ſymbolo lætiſſimam *victoriam* ab hoſtibus reportatam exprimebant. Quare PAUSAN. *in Arcad. Lib. VIII. p. m. 532.* Οἱ δὲ ἀγῶνες Φοίνικος ἔχουσιν οἱ πολλοὶ ςέφανον, ἐς δὲ τὴν δεξιὴν ἔςι καὶ πανταχοῦ τῷ νικῶντι ἐστιθέμενος Φοῖνιξ. *Ludis ſane plerisque palmæ corona decernitur: victoresque cuncti ubique locorum* palmam dextra *præferunt.* et CASSIODOR. *Lib. II. var. Athletam*, inquit, *populis palma deſignat eſſe victorem.* et ARISTIDES *de Rhet. orat. I.* docet judices certaminum ῥαβδευτὰς vocari. Ῥάβδον γὰρ σύμβολον τῆς νίκης ἐδίδουν τοῖς νικῶσι. *Virgam enim ſymb. victoriæ dabant iis, qui viciſſent.* Huc pertinet epigramma MELEAGRI, quod ex ineditis Codic. Palatin. exhibet SPANHEM. *in Diſſ. de uſu & præſt. Num. p. m. 316.*

Φοῖνιξ μὲν νίκαν ἐνέπει, πάτραν τε μεγαυχεῖ
    Ματέρα Φοινίκων τὰν πολύπαιδα Τύρον.
Palma *quidem* victoriam *ſignificat, patriam vero*
    Matrem Phœnicum, liberis fœcundam Tyrum jactat.

& VIRGIL. *Lib. V. Æneid.*

- - - *viridesque coronæ,*
Et palmæ, *pretium victoribus.*

& MARTIAL. *Lib. VIII. ep. 79.*

Quid numerem currus, ter denaque præmia palmæ?
Quæ dare non ſemper conſul uterque ſolet.

nec non VIRGIL. *Lib. III. Georg.*

Seu quis olympiacæ miratus præmia palmæ.

vide etiam URSIN. *arbor. bibl. c. XLI. p. 542.* PASCHAL. *de coron. Lib. VI. cap. 21. p. m. 412.* ADAMI *Obſerv. Sacr. p. m. 426.* SPANHEM. *l. c. p. 317.* NATAL. COM. *Mythol. Lib. IV. p. 238.* PIER. *Hieroglyph. P. I. p. 536.* PFEIFFER. *antiq. Græc. Lib. I. cap. L. p. 132.* & quos citant doctiſſ. SCHLICHTER. *l. c. p. 372.* & Ven. HULDRIC. in *Diſſ. de LXX. palm. p. 29.* Huc pertinent tot nummi paſſim obvii, qui palmam victoriæ ſymb. exhibent, qualis ille apud SEGUIN. *in Num. antiq. ſelect. p. m. 195.* ubi palma ſignum victoriæ cum epigr. IO. SAT. IO. vid. *Comm. ad h. num. p. 198.* Ita Venus cum palmæ ramo in ſiniſtra, clypeo innixa apparet apud CHOUL. *Relig. des Anç. Rom. p. 227.* cum inſcr. VENVS VICTRIX. vid. etiam OISEL. *Tab. XLIX. n. 6. & 10.* Notiſſimi & paſſim obvii ſunt nummi, in quibus *victoria alata* cum corona in dextra, & *palma* in ſiniſtra apparet, cum epigr. SALVS GENERIS HVMANI, apud BEGER. *Tab. XV. n. 11. 12.* GOLZ. *Tab. XXXI. n. 4.* vel cum epigr. VICTORIA AVG apud OISEL. *Tab. LXVIII. n. 3. 6. 10. Tab. LXIX. 12. LXX. 3. 4. 9. 11. &c.* vide *Tabulam noſtram num. XVI.* Nummi quoque athletarum & aurigarum in circo paſſim obvii ſunt, ubi equi & aurigæ victores palmis ornati cernuntur. vid. OISEL. *Tab. XCVIII. n. 8. 9.* BEGER. *Tab. XX. n. 21.* Præcipue nota nummum ubi ſecuritas cum corona in dextra & *palma* in ſiniſtra occurrit, apud OISEL. *Tab. LIX. n. 12.* cum epigr. SECVRITAS PVBLICA, quem expreſſimus in *Tabul. noſtra n. XVII.* Nec non nummum Treboniani Galli, qui equo vectus, præeunte victoria alata cum *palmis*, ſequentibus militibus armatis, cum epigr. ADVENTVS AVG. apud eund. *Tab. XC. n. 6.* quem exhibemus in *Tabula noſtra num. XVIII.* Huc pertinet inſcriptio apud GRUTER. *p. CCCXXXV. n. 4.*

L. ANNÆVS. MER.
VICIT. CCV. SECVND. TVLIT.
XX. IIIIX.

TERT.

TERT. TVLIT. XIIX.
PALM. ET. CORON. V.
DIVI. TRAIANI.
AVG. MVN.

Præmium quoque vitæ ac gloriæ æternæ non niſi victoribus conceditur. Quare Apoſtolus 1. Cor. IX, 24. 25. *An neſcitis, eos, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currere, ſed unum* (ſc. victorem) *accipere præmium. Illi quidem certant, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem ut incorruptam.* Qui per varias tentationes & calamitates hujus vitæ probantur, illis corona vitæ repoſita eſt, Jac. I, 12. & ad mortem usque in certamine perſeverantibus; teſte Archangelo Apoc. II, 10. *Eſto fidelis ad mortem, & dabo tibi vitæ coronam.* Hæc eſt meta laborum noſtrorum, brabeum, quod in oculo habemus, certantes ac currentes in ſtadio hujus vitæ cum Moſe, Hebr. XI, 25. 26. *Vincenti* datur comedere de fructibus arboris vitæ, Apoc. II, 7. adde cap. II, 17. III, 5. 20. 21, 2. Timoth. II, 12. Rom. VIII, 17. 1. Petr. V, 4. Hoc egregie exprimit Paulus 2. Tim. IV, 7. 8. *Bonum decertavi certamen, curſum peregi & fidem ſervavi* (inſtar clypei e prœlio ſalvi). *In poſterum repoſita mihi eſt corona juſtitiæ, quam Judex ille juſtus mihi concedet in die illo.*

XIII. 2. *Geſtabantur* inſuper *palmæ* a *ſubditis* Regi ſuo *obviam euntibus*, eique homagium præſtantibus. Exemplum hujus ritus ipſa ſacra nobis exhibent diptycha. Joh. XII, 12. 13. legimus: Ὄχλος πολὺς ἀκȣ́σαντες, ὅτι ἔρχεται ὁ Ἰησȣ̃ς ἐις Ἱεροσόλυμα· Ἔλαβον τὰ βαΐα τῶν Φοινίκων, καὶ ἐξῆλθον ἐις ὑπάντησιν αὐτῷ. & Marc. XI, 8. 9. Luc. XIX, 30. 37. conf. etiam 1. Maccab. XIII, 51. ubi Simeoni cum inſtrumentis muſicis & ramis ac frondibus obviam ibant. Vel etiam *ramos* in vias *conjiciebant*, per quas vehebatur Rex, uti ex hiſtoria Matth. XXI, 8. liquet, qui ritus etiam apud veteres uſitatus gentes, φυλλοβολία dicebatur, vide PASCHAL. *de coron. Lib. VI. cap. 22. p. 415.* Egregie hiſtoriam ſacram exprimit JUVENCUS, canens:

Tum populus ſtratas prætexunt veſtibus omnes,
Quaque iter eſt Chriſto, ſubnexa fronde coronant.
Proxima tunc alii ſpoliant palmeta virore,

 Conclu-

Conclamantque omnes, Davidis origine creti
Oſanna excelſis ſit gloria læta tropæis!

Similis apud Perſas ritus obtinuit; ſic HERODOT. *Lib. VII.* de ponte, quo Xerxes Helleſpontum iunxit continenti, ſcribit: *θυμιήματά τε παντοῖα, ἐπὶ τῶν γεφυρέων καταγίζοντες, καὶ μυρσίνῃσι στρωννύντες τὴν ὁδόν.* adde CURT. *Lib. V. & X.* apud BRISSON. *de Reg. Perſ. prin. Lib. II. p. m. 271.* ita & HELIODOR. *Æthiop. Lib. X.* apud CAUSSIN. *in Obſ. ad Clem. Alex. Hierogl. p. m. 132.* ſcribit de Hyſtaſpis nuntiis præmiſſis, *τὰς κεφαλὰς τῷ Νειλώῳ λώτῳ καταστέψαντες, καὶ φοινίκων, πτόρθους ταῖς χερσὶ κατασείοντες. Capita loto redimiti, & palmarum ramos manibus tenentes, concutiebant.* Plura de hoc ritu leges apud SPENCER. *de Leg. Hebr. Lib. IV. cap. V. p. m. 1115. edit. noviſſ.* J. C. HARENBERG. *de voce* לולב *in Bibl. Lubec. Tom. I. p. 442.* M. GABR. GRODDEK *in Diſſ. II. de Cæremon. Palmar. p. 58.* Cel. WOLF. *in cur. Philol. ad Joh. XII.* cit. HEINS. *in Ariſtarch. p. m. 454.* & Cel. LAMPIUM *in Joh. Tom. II. p. 840. in not.* & quos ibidem adnotat auctores.

Illis ſane ſolis quoque jus vitæ æternæ & illius communio conceditur, qui Regi Meſſiæ vera fide ſe ſubjiciunt, illique homagium præſtant. Pſ. II, 12. Nam corona hæc vitæ non niſi *adventum* ejus *amantibus* ac vera fide exſpectantibus conceditur 2. Tim. IV, 8. Hoc præmium Regi noſtro denuo quaſi in honorem ejus exhibendum eſt, quia per gratam agnitionem pretii illius, Deo laus atque honor referendus eſt. Nihil habent ſubditi hujus regis, quod ipſi offerrent tanquam munus, niſi quod ab eo ipſi acceperunt, Epheſ. II, 8. Jeſ. XXVI, 12. Pſ. CXV, 1. Hoc ipſis conceſſum brabeum aliquando in die adventus Regis ſui, tanquam depoſitum ſervatum, ipſi gratum referent, utpote quod ſpe ac fide jam poſſederant in hac vita, Hebr. XI, 1. 2. Corinth. IV, 18.

XIV. 3 In *feſtis* Deorum *publicis*, præcipue Bacchi, nec non in *votis & ſupplicationibus palmarum* ramos manibus præferebant antiqui. Huc pertinet locus ATHENÆI *Deipnoſ. Lib. V. p. 198. ὡ γυνὴ περικαλλεστάτη κατὰ τὸ μέγεθος εἵπετο, πολλῷ χρυσῷ καὶ διαπρεπεῖ κεκοσμημένη, φέρουσα τῇ μὲν μιᾷ τῶν χειρῶν στέφανον περσαίας*

σαίας, τῇ δ᾽ ἑτέρᾳ ῥάβδον φοίνικος. Sequebatur mulier corporis magnitudine formoſiſſima, auro multo & eleganti veſte ornata, altera manu ferens é citro coronam, altera virgam é palma. Huc reſpicit proverb. græcorum:

Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι.
Multi ſunt thyrſigeri, pauci autem Bacchi.

Et EURIPID. *in Bacch. v. 306.* canit:

\- - - - δικόρυφον πλάκα
βάλλοντα, καὶ σείοντα βάκχιον κλάδον.
\- - - - *bicipitem rupem*
Percutientem & ramum *bacchicum quatientem.*

Plura vide apud Cel. LAKEMACH. in *obſerv. S. P. I. obſ. II. de ritib. Bacchic. p. 48. ſq.* nec non ISAAC CASAUBON. *de Satyr. Poëſ. Lib. I. cap. 2.* ubi ſimul *gemma* apparet, quæ thyrſorum geſtationem egregie illuſtrat, quam ex *P. Raſcaſio Bagarrio* exhibet Vir Cel. in *Muſ. Crenii Tom. I. p 55.* et ATHENÆUS *Lib. VII. cap. 1.* ſcribit: τοῦ Πτολεμαίου κτίζοντος ἑορτὴν καὶ θυσιῶν παντοδαπῶν γένη, καὶ μάλιστα περὶ τὸν Διόνυσον etc.. *Ptolomæo feſtum conſtituente, & variorum ſacrorum genera, quæ maxime ad Bacchum pertinerent, interrogavit Arſinoë illum, qui thallos & thyrſos ferebat, ecquis dies ille feſtus eſſet? &c.* Varia quoque teſtimonia coacervavit, malo licet ſcopo Doctiſſ. SPENCER. de *leg. Hebr. Lib. IV. cap. V. p. 112. 116. ſq.* In *votis* & *ſupplicationibus* quoque palmas geſtaſſe veteres, liquet ex *Dionyſio Gramm.* apud CLEM. ALEX. *Stromat. L. V. p. 672.* ὡς ὅτε τροχὸς, ὁ στρεφόμενος ἐν τοῖς τῶν Θεῶν τεμένεσιν, εἱλκυσμένος παρὰ Αἰγυπτίων, καὶ τὸ τῶν θαλλῶν διδομένων τοῖς προσκυνοῦσι. *Ut & rota, quæ vertitur in Deorum templis, quæ tracta eſt ab Ægyptiis, & rami, qui dantur iis, qui adorant.* Ægyptii quoque veteres, teſte KIRCHERO *obeliſc. Pamph. Lib. IV. p. 362. Nullam ſine ramorum circumgeſtatione ſolennitatem peregerunt, hosce ſiquidem ramos in Iſiacis, Mithriacis, Ithyphalliis ſeu Dionyſiacis geſtare conſueverant; nullam ſine his divinationem, nullas ſortes vel conſultationes peragebant.* vid *Spencer.* l. c. Huc refero figuram quam exhibet CHOUL. in *Lib. de la relig. des anc. Rom. p. 283.*

 ubi

ubi vota publica peraguntur ad aram, adſtantibus quamplurimis thyrſigeris ſeu frondes gerentibus.

In votis, ſupplicationibus ac feſtis ſeu cultu Dei, populus Dei præmium hoc vitæ firmiter fide tenens, ob oculos ſibi ponit, & ejus repræſentatione delectatur. Quando precibus Deum accedunt, hoc ſibi præmium proponunt, quo fiducia ipſorum ſuffulcitur, Pſ. XXXI, 20. Pſ. CXVI, 12. Pſ. LXV, 5. Heb. IV, 16. X, 17. Rom. III, 25. Quando vota Deo faciunt in calamitatibus & vitæ anxietatibus, quando ea grato animo exſolvunt, hoc præmium intuentur ſibi repoſitum, Pſ. CXVI, 13--15. LXV, 2. 2. Cor. VII, 1. 2. Tim. II, 12. IV, 7. 8. Quando Deo lætitiæ feſtum celebrant corde ſuo, quatiunt hoſce ramos myſticos, i. e. in vitæ æternæ promiſſionibus, in ejusdem per fidem contemplationibus delectantur & exultant, Jeſ. XXXV, 10. Rom. VIII, 38--fin. Rom. VIII, 18. Pſ. XXXI, 20. Pſ. XXXIV, 9. 10. etc.

XV. 4. In *tabernaculi feſto* apud Judæos præprimis notandus erat ritus *geſtationis palmarum.* Fundamentum hujus moris exſtat Lev. XXIII, 40. 41. ולקחתם לכם ביום הראשון פרי עץ הדר כפות תמרים וענפ עץ עבות וערבי נחל ושמחתם לפני יהוה אלוהיכם שבעת ימים *Et capietis vobis die primo fructum arboris decoræ &* palmarum *frondes & ramum arboris denſæ & ſalices torrentis & lætabimini coram Domino Deo veſtro ſeptem diebus.* Ramus hic palmarum propius deſcribitur in *Tract. Talmud. Succ. Cap. III. §. 1.* לולב הגזול והיבש פסול של אשירה ושל עיר הנדחת פסול ציני הר הברזל כשירות לולב שיש בו שלושה טפחים כדי לנעוע בו בשר *Palmæ ramus raptus aut aridus prohibitus eſt, ut & ille qui ex luco aut urbe in idololatriam prolapſa capitur. Palmæ montis ferrei admittuntur. Palmæ ramus tribus palmis longus, ita ut agitari queat, legitimus eſt.* Conf. DACHS. doctiſſ. nec non Cl. CRAMERI *not. ad h. l. p. 160. ſq.* Inprimis notant Judæi, licet ex lege quatuor ramorum ſpecies adhibitæ fuerint ad לולב, tamen palmam primarium locum occupare, & inde faſciculum illum nomen habere. Ita auctor *Lib. Colbo Cap. 72. fol. 81. c. 3.* מברכים על הלולב ולא על שאר המינין לפי שבמינו גבוה מכלן פירוש והוא עקר ושאר המינין טפלין לו וסברך

ומברך על העקר ופוטר את התפל וי"א מאחר שהוא חשוב במינו מכלן כל האגודה נקרת על שמו והוי כמי שברך בפירוש על כל אחד בשמו *Et benedictionem dicunt ſuper palmæ frondem, non autem ſuper reliquas etiam ſpecies, ideo quod hæc ſit major reliquis omnibus; i. e. quod hæc ſit principalis ſpecies, reliquæ ſaltem ei adjungantur: Ideo benedictionem dicit ſuper principali & cum ea liberat acceſſorium. Alii autem dicunt, quod quia palmæ frons pretioſiſſima eſt præ omnibus aliis ſpeciebus, ideo integer faſciculus ejus reſpectu Lulaf dicitur, idemque eſt, ac ſi aliquis expreſſe ſuper ſingulas ſpecies peculiarem benedictionem faceret ſub ejus nomine.* Plura de ramorum in hoc feſto geſtatione vide apud BUXTORF. in *Synag. p. 456.* Cl. DACHS. *ad codic. Succ. p. 164.* SPENCER. *de legg. Hebr. l. c. p. 112. ſq.* Cl. LAKEMACH. *obſ. P. I. p. 44.* nec non Cel. HARENBERG. l. c. in *Bibl. Lubec. Tom. I. p. 437. ſq.* & alios paſſim, in ſpecie Doctiſſ. GRODDEK in *diſſ. binis de cæremonia palmar.* Lipſ. 1694.

Geſtatio autem ramorum palmæ in hoc feſto ſenſu myſtico atque typico non ipſos fideles, qui per palmas ex variorum interpretum mente intelligendi eſſent, ſed præmium itidem futuræ vitæ reſpicit. Fideles ſunt feſta celebrantes, & quidem feſtum tabernaculorum, quod erat quietis ac lætitiæ. Ergo deſignat apte hoc feſtum tempus N.T. ultimum, quod gloria ac lætitia abundabit; quando deletis Eccleſia hoſtibus quieta pace fruetur, ex vaticiniis, Jeſ. LXII. LXV. LXVI. Zach. XIV. tunc *ramos palmarum* læti atque exultantes gerent atque quatient credentes, quia prægustu gloriæ, pacis ac quietis æternæ delectabuntur illo tempore. Quare Apoc. XXI. XXII. ſtatus Eccleſiæ ultimis temporibus deſcribitur phraſibus, quæ ſtatum gloriæ cœleſtem ſimul exprimunt. Quemadmodum ſpes quoque vitæ æternæ & glorioſæ majori menſura per Spiritum Dei tunc temporis effundenda erat. Vide Zach. XIV, 7. adde v. 18. 19. Hoc tempus locus quoque noſter reſpicit Apoc. VII, 9.

XVI. O beatam electorum ex omni populo & nationibus ſortem! Magnis equidem & gravioribus in hac vita miſeriis ac calamitatibus premuntur, verum ex omnibus eripit Jehova eosdem, quemadmodum hæc turba ex ingenti calamitate & tentationis hora emerſerat; ſed non ſine certa-

certamine. Quicunque ergo brabeum hocce capere, & *palmas haſce gloriæ geſtare* deſiderat, certamen ille propoſitum ineat; nemo enim coronatur, niſi digne decertaverit. Conſcende o anima theatrum hujus mundi, contemplare caſtra bina oppoſita, quæ perpetuo certamine defatigantur. Duplex conſpicis vexillum erectum, ſub quo ſtrenue pugnatur; vexillum principis tenebrarum & vexillum Meſſiæ. Sub utroque militare haud conceditur, ergo alterum eſt eligendum. Væ miſeris animabus, quæ arma tenebrarum in ſui ipſius ruinam gerunt, quæ Satanæ & mundi caſtra ſecutæ, brabeum æternæ deſperationis cum Juda perditionis filio nanciſcuntur! Sub Jeſu ergo auſpiciis pugnandum eſt illi, qui palmas gloriæ geſtare deſiderat. Suſpenſum hoc eſt brabeum ex arbore vitæ & in curriculo demum abſoluto diſtribuetur a ſummo agonotheta. Intuere o peccator ſtolide præmium hoc incorruptibile, nonne deſideria tua abripiet? Excute torporem, arripe armaturam Spiritus, tibi in præconio Evangelii oblatam; perge, penetra, irritas per Chriſti virtutem omnes redde inſidias, machinas, ac dolos caſtrorum tenebrarum; Eſto ad mortem fidelis, ſic palma vitæ manus exornabit tuas æternum, Apoc. II, 10.

Pergite, quo cœpiſtis tramite, electi Dei milites, perrumpite fide, precibus, perſeverantia, acies tenebrarum, vos teget armatura Dei & ſic triumphabitis. O dulce poſt certamen brabeum! o ſplendidam poſt victoriam coronam! Hanc vitæ palmam manibus fidei prehendite, ſervate, tuemini Apoc. III, 11. hanc in omnibus hujus vitæ nebulis oculis fidei intueamini cum Moſe; & poſt peractum certamen, manus veſtras æternum beabit hæc gloriæ ac victoriæ palma.

EXER-

EXERCITATIO VII.
DE
MARI, CUI PEDEM DEXTRUM IMPOSUIT ANGELUS, SYMB. GENTILISMI.
APOC. X, 2.

ARGUMENTUM.

§. I. Locus Apoc X, 2. obiter in nexu conſideratus excutitur, ſenſusque hujus viſi declaratur. §. II. MARIS ſymb. propius enucleatur, illudque hieroglyphicon eſſe docetur hujus mundi, impiorum atque pſeudodoctorum, nec non perſecutionum, bellorum ac calamitatum. §. III. Porro omniſufficientiæ ac beneficiorum, in ſpecie Chriſti Mediatoris, ubi ſimul maris vitrei *Apoc. IV. ſenſus indagatur. §. IV. Regnorum denique, in ſpecie Gentium & Antichriſti quoque ſymb. eſſe probatur. §. V. Analogiæ inter mare & gentiliſmum recenſentur. Quatenus ſc. mare eſt vaſtum, latum atque profundum. §. VI. uti & ſalſum atque adeo infrugiferum. §. VII. nec non impurum atque ſpuma ſæpe turgens. §. VIII. Eſt mare vel placidum ac compoſitum, vel etiam ventis agitatum, & proinde furens, tumens atque fragorem edens graviſonum. §. IX. Cingitur tamen, fluctusque ejus compeſcuntur aggeribus & littore arenoſo, quos tamen nonnunquam excurrit & arva obruit. §. X. Periculoſum maxime eſt navigantibus ob ſaxa ac vortices, quibus naufragium ſæpe patiuntur nautæ. §. XI. Divitias ingentes continet, aurum ſc. atque gemmas ac uniones. §. XII. Mercatura per illud ope navium floret, quare urbes ad mare ſitæ ditiſſimæ erant. §. XIII. In-*

colæ maris varia ſunt piſcium & monſtrorum ac belluarum genera, a piſcatoribus ſæpe capta. §. XIV. In mari notandæ inſulæ paſſim obviæ nec non portus navium atque turres ſpeculares. §. XV. Juxta veteres ſol ex mari oriri & in illud occidere credebatur. § XVI. Fluxus ac refluxus maris, cujus cauſa luna habebatur, quoque notandus. §. XVII. Omnia flumina ex mari ortum trahentia in mare refluunt. §. XVIII. Deus ac Rex ſupremus maris habebatur apud gentes Neptunus, cum tridente depictus. §. XIX. Uſus denique maris ſacer additur, quatenus ad illud ſacra fiebant, fana erigebantur, & eodem purgationes ac luſtrationes inſtituebantur. §. XX. Epilogo practico finis adjicitur huic Exercitationi.

I.

Majori indagine digna ſane viſio eſt, quæ Apoſtolo ac Prophetæ contigit Apoc. X, 1. ſq. ubi *angelus* apparet fortis, *nube amictus, iride caput cinctus, facie lucens inſtar ſolis, & pedes habens ut columnam ignis.* qui in manu ſua habebat *libellum apertum,* καὶ ἔθηκε τὸν πόδα αὐτοῦ τὸν ΔΕΞΙΟΝ ΕΠΙ ΤΗΝ ΘΑΛΑΣΣΑΝ, τὸν δὲ εὐώνυμον ἐπὶ τὴν γῆν. *Et impoſuit PEDEM DEXTRUM MARI, ſiniſtrum vero terræ.* Oſtendimus *ſupra Lib. II. in Exercitatione de Iride circa caput hujus Angeli,* alludi hac viſione ad Angelum Jehovæ, qui in columna *nubis & ignis* apparuit ſub V.T. ſiquidem hac data alluſione, omnes hujus Angeli qualitates optime explicari queunt. Et niſi admodum fallimur, in attributo hoc, quod *pedem alterum mari alterum terræ* impoſuerit, eandem ad angelum fœderis alluſionem deprehendiſſe nobis videmur; ſc. quando angelus fœderis in columna Iſraëlis Dux per mare rubrum præcedens populum Dei, in mari ſtabat inter Iſraëlem & Ægyptios, ad compeſcendos fluctus maris, ne Iſraëli interitum accelerarent, ſed inſtar muri utrinque ſtarent, Exod. XIV. In viſione parallela Dan. XII, 6. *Angelus ſtare ſuper mare* dicitur, hic *ſuper mare & terram.* Per mare & terram vero intelligimus, omiſſis aliorum de hoc loco conjecturis

a) *totum*

a) *totum orbem habitabilem*, qui dominio hujus Angeli ſubjiciendus erat, quemadmodum *mare & terra* ſæpius totum deſignat univerſum, vide Apoc. V, 13. Pſ. LXXII, 8. Zach. IX, 10. &c. Ita HOMER. *Lib. VIII. Iliad. p. m. 145.*

- - ὀδ' εἴ κε τὰ νείατα πείραθ' ἵκηαι
Γαίης καὶ πόντοιο.
Neque ſi fines ultimos adires terræ *atque* maris.

Similiter HESIOD. ἔργ. κ. ἡμερ. v. 101.

Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.
Plena enim eſt terra *malis, plenumque* mare.

Et DIONYS. PERIEG. deſcriptionem univerſi incipiens canit in principio v. 1.

Ἀρχόμενος γαῖάν τε καὶ εὐρέα πόντον ἀείδειν.
Incipiens terram & mare *latum canere.*

nec non VIRGIL. *Lib. III. Æneid.*

Di maris & terræ, *tempeſtatumque potentes.*

atque PROPERT. *Lib. II. Eleg. 26.*

Hic Deus & terras *&* maria *alta domat.*

b) Quoniam vero *mare* & *terra* heic diſtinguuntur & pes dexter illi, ſiniſter huic impoſitus diſtincte memoratur, ſtylo prophetico per terram non Eccleſiam Chriſtianam & per mare Antichriſtianiſmum intelligimus cum plerisque Interpretibus, ſed per *mare* gentiliſmum, cujus ut ſtatim videbimus, frequentiſſimum eſt ſymbolum, per *terram* autem Judæos, qui ſub terra ſæpius depinguntur in diptychis ſacris, quoniam Canaan, quæ κατ' ἐξοχὴν *terra* ſæpius dicitur, ipſorum erat poſſeſſio. Conf. Hagg. II, 6. 7. Mal. IV, 6. Adeo hic angelus gentium ac Judæorum victorem ac Dominum hac viſione ſe demonſtrat.

Phraſis enim *pedem imponere alicui, poteſtatem, dominium ac victoriam* deſignat, ex locis ſacris conf. Pſ. CX, 1. Deut. XI, 24. Joſ. I, 3. 1. Cor. XV, 27. Apoc. XII, 1. Rom. XVI, 20. adde Pſ. XVIII, 40. XLVII, 4. 2. Sam. XXII, 39. Ita & varios nummos obſervamus, in quibus *victi* non ſolum *ſub pedibus triumphantium*, in pulvere jacentes, conſpiciuntur, veluti *Lib. I. Emblem. Exerc. II. §. IX.* pluribus do-

cemus: Sed & Imperatores vel *fluvios* vel *terram* pedibus conculcantes, apparent. Selegimus nummos binos inſignes, quorum alter de *terra ſub pede*, occurrit apud OISEL. *Tab. XXXVI. n. 12.* qui eſt nummus Titi cum inſcr. NEP. RED. ubi Neptunus cum acroterio & tridente pedem terræ imponit; alter de *fluvio ſub pede*, apud SPANHEM. *in Diſſ. de uſu & præſt. Numiſm. p. 455.* ubi mulier cum palma in dextra, quæ ſymb. victoriæ, pede autem dextro fluvii figuram conculcat. Vide binos expreſſos *in Tabula noſtra num. XIX. & XX.*

II. Ut autem MARIS hieroglyphicon excutiamus, illud apud ſacros æque ac profanos auctores varia deſignare obſervamus.

a. Symb. eſt *mundi*, ejusque vanitatum, *impiorum* hominum ac *pſeudodoctorum* in ſacris frequentiſſimum. Quare Salomo ſecuritatem ac periculum mortalium, cum periculo hominis improvidi, qui *in medio mari dormit*, confert Prov. XXIII, 34. ita Eccleſiæ fata in hoc mundo comparat cum *via navis in medio maris*, Prov. XXX, 19. In genere de improbis legimus effatum illud Jeſ. LVII, 20. הרשעים כים נגרש *Impii ſunt inſtar maris commoti.* Pſeudo-doctores deſcribit Judas v. 13. Κύματα ἄγρια θαλάσσης, ἐπαφρίζοντα τὰς ἑαυτῶν αἰσχύνας. *Undas maris efferatas, ſua ipſorum dedecora deſpumantes.* et Jacobus a fide aberrantem, ſimilem pronuntiat *fluctui maris, qui ventis agitatur*, Jac. I, 6. Ita etiam THEOGNIS *in ſentent. v. 105.*

Δειλοὺς εὖ ἔρδοντι ματαιοτάτη χάρις ἐστὶ
Ἶσον καὶ σπείρειν πόντον ἁλὸς πολιῆς.
Improbis *vero benefacienti vaniſſima gratia eſt,*
Perinde eſt, ac ſeminare pontum maris *albi.*

Bona huius *mundi* cum aquis oceani comparant Arabes apud L. WARNER. *in animadv. ad Prov. Perſ. p. m. 30.* قال عيسي بن مريم عليه السلام طالب الدنيا كشارب ما البحر كلما ازداد شربا ازداد عطشا فلا يزال يشرب الي ان يهلك *Dixit Jeſus, filius Mariæ, ſuper quo pax ſit: qui*

opibus

opibus inhiat, ſimilis eſt ei, qui aquam maris potat: Is quo plus bibit, ſitim plus provocat, nec bibere deſiſtit, donec pereat.

b. *Mare* ejusque *fluctus* inſuper *cladium, calamitatum, afflictionum ac perſecutionum* emblema ſunt. Conſtat hoc ex Zach. X, 11. ועבר בים צרה ſi *tranſieris per* mare *anguſtiæ* ſ. oppreſſionis. nec non Pſ. LXIX, 3. ubi Meſſias perſecutiones ſuas deſcribit: *Demergor in cœnum profundiſſimum, ubi non eſt conſiſtendi locus, ingredior profunda maris ſ. aquarum, & torrens inundans diripit me.* Adde Cant. VIII, 6. Pſalm. CXXIV, 4. 5. XL, 3. LXXXVIII, 18. &c. quemadmodum etiam *aquæ maris rubri* ſanguinolentas perſecutiones, judice Cel. VITRINGA *in Jeſ. LI, 11.* deſignant. Simili ratione occurrit apud HARIR. *Conſeſſ. I. §. 1.* طوحت بي طوايح الزمان *Jactarunt me fluctus fortunæ,* i. e. *calamitatibus* obruor. Unde apud Arabes شوايب *res miſcentes,* quibus ſordes maris intendunt, figurate notant *adverſitates fortunæ.* Ænigmatice quoque THEOGNES canit *in ſentent. v. 680.*

Δειμαίνω, μήπως ναῦν κατὰ κῦμα πίῃ.
Timeo ne quo modo navem fluctus abſorbeat.

Clades hoſtium TYRTÆUS περὶ πολέμ. ἀρετ. v. 20. comparat cum maris furore, canens:

Αἶψα δὲ δυσμενέων ἀνδρῶν ἔτρεψε φάλαγγας
Τρηχείας, σπουδῇ τ᾽ ἔσχεθε κῦμα μάχης.
Statim vero hoſtium phalanges in fugam vertit,
Et ſua induſtria prœlii fluctus *regit.*

Huc refer EURIPID. *in Hippolyt.*

Κακῶν δ᾽ ὁ τάλας πέλαγος εἰσορῶ
Τοσοῦτον ὥστε μήποτ᾽ ἐκνεῦσαι πάλιν.

Plurima loca coacervat BARTH. *ad Claudian. Ruff. II. p. m. 1192. ſq.* Adde locum inſignem ex OVID. *Lib. I. Triſt. eleg. XI. v. 34.*

Cumque ſit hibernis agitatum fluctibus *æquor,*
Pectora ſunt ipſo turbidiora mari.

vide etiam PIER. *Hieroglyph. p. m. 406. ſq.*

III. c. *Mare* in genere quoque *multitudinem beneficiorum*, conſiliorum ſ. ſapientiæ ac bonorum deſignat, quare in ſacris etiam *omniſufficientiæ divinæ ac meritorum* Mediatoris figuram gerit. Ita *ſapientia Dei* latior *mari* dicitur Jobo cap. XI, 9. ſimiliter Jeſ. XI, 9. *Repleta eſt terra cognitione Domini*, *ſicut aquæ mare operiunt.* Cap. XLVIII, 18. *Pax tua fuiſſet inſtar fluvii*, & *juſtitia tua*, *ut* fluctus maris. Huc refer Mich. VII, 19. ubi peccata noſtra in *profundum maris* i. e. meritorum & expiationis Meſſiæ, projicienda dicuntur. De *ſapientiæ* multitudine emplema hoc adhibet Arabs in *hiſt. Tam. p.* 404. كان فريد الطور بعيد الغور لا يدرك ابحر تفكيره قعر ولا يسلك في طود تدبيره سهل ولا وعر *Erat ſingularis plane indolis*, *profundi perquam fundi*, *ſic ut attingi nequiret in* mari conſiliorum *ejus imum*, *neque penetrari in celſo monte regiminis ejus*, *nec plana nec aſpera via.* Multitudo *beneficiorum* quoque cum ينابيع *ſcaturigine*, imo cum *mari* comparatur. Quare TEBRIZI *Arabs ad Hamaſa* apud Clar. SCHULTENS ad HARIR. *Conſeſſ. III. p.* 135. البحر والربيع يشبه بهما الجواد الكريم *Cum* mari & *vere comparatur* liberalis & *generoſus.*

In ſpecie notandum eſt *mare vitreum* ſ. cryſtallinum θαλάσση ὑαλίνη, ὁμοία κρυστάλλῳ, cujus Apoc. IV, 6. & cap. XV, 2. mentio injicitur; ubi non cum quibusdam interpretibus vel cœlum, beatorum ſedem, vel terram fragilem & caducam, vel gentes ad Meſſiæ regnum adducendas, vel Eccleſiam militantem &c. intelligimus: Sed cum *alluſione* ad *mare æneum* V. T. cujus materia fulgidiſſima & *lucidiſſima* erat, & contentum ſc. aqua erat pellucida inſtar *cryſtalli* atque vitri, & quod in *templo*, adeoque ante thronum Dei, qui in interiori ſanctuario erectus erat, optime conſtituebatur. Proinde ſymb. eſſe aptum poteſt *meritorum Meſſiæ* ejusque omniſufficientiæ, quibus purgat, recreatque animas in ſacro miniſterio operoſas.

IV. d.

IV. d. Reſtat denique ut *mare* conſideremus tanquam emblema *regnorum* & *rerum publicarum*, in ſpecie barbarorum atque *gentium efferarum*. Varia huc reſpiciunt ſcripturæ S. teſtimonia, Pſ. XLVI, 3. 4. XLVIII, 8. præcipue Pſ. LXV, 8. *compeſcens ſtrepitum marium*, *ſtrepitum fluctuum eorum & fremitum nationum.* nec non Pſ. LXXXIX, 10. *Tu dominaris in ſuperbiam maris, quum attollunt ſe fluctus ejus, tu reprimis eos.* Adde Pſ. XCIII, 3. 4. Jeſ. XXIII, 1. Cap. LX, 5. Jer. XXXI, 35. Hagg. II, 7. & locus præ aliis notandus Ezech. XXVI, 3. והעליתי עליך גוים כהעלות הים לגליו *Et adducam contra te gentes multas, quemadmodum deducerem mare cum fluctibus ſuis.* conf. etiam Luc. XXI, 25. Apoc. VII, 1. VIII, 8. XVI, 3. Conſentiunt Judæi in *Midraſch Tehill.* ad Pſ. XV. ubi ſcribunt: מים רבים לא יוכלו לכבות את האהבה אלו אומות העולם שנ׳ הוי המון עמים רבים כהומות ימים יהמיון ושאון לאמים כשאון מים כבירים ישאון: *Aquæ multæ non ſufficiunt ad exſtinguendum amorem. Hæ ſunt gentes ſeculi, de quibus dictum eſt: Eja multitudo &c.* Huc refer locum ex *ſententiis* SOLON. *p.m.* 161.

Ἐξ ἀνέμων δὲ θάλασσα ταράσσεται, ἢν δὲ τις αὐτὴν
Μὴ κινῇ, πάντων ἐστὶ δικαιοτάτη.
Ἀνδρῶν δ' ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται, εἰς δὲ μονάρχου
Δῆμος αἰδρείῃ δουλοσύνην ἔπεσε.

A ventis autem mare *turbatur, quod niſi quis*
Moveat, omnium eſt juſtiſſimum.
Per magnos viros ſæpe civitas perit, & per monarcham
Populus ex imprudentia in ſervitutem venit.

Vide etiam quæ adducit Cel. LAMPIUS in *Pſ. XLV. p.* 440. & quos citat Doct. SCHLICHTER in *orat. de IV. rebus Salom. intellectu diffic. p.* 34.

V. Ut autem rationes hujus denominationis rite enucleemus, varias & potiores analogias recenſebimus, quæ inter *mare* & gentes barbaras intercedunt.

1. MARIS notabilis eſt *vaſtitas*, *latitudo* ac *profunditas*. *Vaſtum* eſt, conſtat enim ex tot aquarum colluviebus, quare Gen. I, 10.

מקוה

מקוה המים *colluviem aquarum* ſub cœlo creator ימים *Maria* vocaſſe dicitur. Huc refer HOMER. *Iliad. VIII. v. 422.*

Ἐξ ἀκαλαῤῥείταο βαθυῤῥόου Ὠκεανοῖο.
Qui lente fluit Oceani de gurgite vaſto.

nec non TIBULL. *Lib. I. eleg. VIII.*

Utque maris vaſtum *proſpectet turribus æquor,*
Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Latus quam maxime eſt oceanus, quare ſapientia divina dicitur רחבה מני ים *lata præ mari.* Hiob. XI, 9. quare & HOMER. *Iliad. II.* memorat:

- - - εὐρέα νῶτα θαλάσσης
Lata dorſa maris.

et OVID. *epiſt. XIX. v. 141.*

- - - latoque mari *tua prœlia miſce,*
Seducit terras hæc brevis unda duas.

Profundus denique eſt, vide Jon. II, 4. Mich. VII, 19. quare βάθη ei tribuit HOMER. *Iliad Lib. I. p. 18.*

Ἡμένη ἐν βάθεσσιν ἁλὸς παρὰ πατρὶ γέροντι,
Sedens in profunditatibus maris *apud patrem ſenem.*

et *Iliad. XIII. p. 240.*

Ἔστι δέ τι σπέος εὐρὺ βαθείης βένθεσι λίμνης.
Eſt autem quoddam ſpecus latum profundi *in gurgitibus maris.*

conf. DIONYS. PERIEGET. v. 3. & 326. Maris profunditatem explorat & calculo ſubducit Cl. G. C. GEBHARDI in *diſſ. de repagulo aquarum, Gryphiſw. 1691. cap. IX.*

Hæ maris qualitates immenſam gentium barbararum multitudinem, quæ per totum orbem diſperſa eſt, deſignat. Quare in ſcriptis ſacris numerus ipſarum ingens memoratur, Jeſ. XXIX, 8. *ita erit multitudo maxima gentium.* Quare egregie Jeſ. LII, 10. per fines terræ explicantur: *Denudabit Jehova brachium ſanctitatis ſuæ ante oculos* omnium gentium, *ut videant* omnes fines terræ *ſalutem Dei noſtri.* Emphatice quoque Jeſ. LX, 4. ſq. legimus: *Attolle circumquaque lumina tua, & aſpice omnes gentes, accedunt ad te. Copiæ gentium tibi adducentur. Agmen camelorum operiet te, dromades Midian & Epha.* - -

Omnes

Omnes greges Kedar congregabuntur ad te.-- Cujus (tunc dices) iſti, qui ut nubes denſa undique convolant, & velut columbæ ad feneſtras ſuas? Nam inſulæ me exſpectabunt &c. Conf. Jeſ. LXVI, 19. 20. Mich. IV, 2. Hagg. II, 8. cohors innumera Apoc. VII, 9. dicuntur. Ipſis etiam *βάθη profunditates* conveniunt, quia in peccatis ſuis, ignorantia, occœcatione, induratione, ſceleribus ac idololatria (quæ cœlum quaſi aſcendunt multitudine ſua) deliteſcunt ſecuri, & in concupiſcentiis ſuis tabeſcunt. Conf. quæ de βάθεσι eorum diſſerit Apoſt. Rom. I, 21--31. In ſpecie v. 29. *oppleti omni injuſtitia, malitia, ſcortatione, improbitate, avaritia, pleni invidia, cæde, contentione, dolo, impietate &c.*

VI. 2. *Salſum* porro atque eapropter *infrugiferum* atque ſterile eſt æquor. Salis & vitri copia in quibusdam ejus regionibus major aut minor reperitur. Magna ejus copia in lacu Aſphaltite reperiebatur, unde ים מלח *mare ſalis* memoratur, Gen. XIV, 3. Num. XXXIV, 3. Deut. III, 17. Joſ. XV, 2. Unde & HOMER. *odyſſ. IV. p. m. 55.*

Ὡς ὁ μὲν ἔνθ᾽ ἀπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ.
Sic ille quidem ibi periit, poſtquam bibit ſalſam *aquam.*

nec non *odyſſ. XIII. p. m. 181.*

Ἦλθον ἐπὶ Σκύλλης σκόπελον, δεινήν τε Χάρυβδιν,
Ἡ μὲν ἀνεῤῥοίβδησε θαλάσσης ἁλμυρὸν ὕδωρ.
Veni ad Scyllæ ſcopulum, horrendamque Charybdim,
Hæc quidem abſorpſit maris ſalſam *aquam.*

De ſalſa maris aqua vide KIRCHER. *mund. ſubterran. P. I. p. m. 161. ſq.* Quoniam vero ſalſa eſt aqua maris, ſimul *ſterilis* eſt, ſalſugo enim ſterilitatem inducit, uti pluribus docemus in *diſſertt. noſtr. juvenil. de miraculis Eliſæ D. I. §. VI. p. 10 ſq.* Quare etiam *infrugiferum* appellatur apud HESIOD. Θεογον v. 131.

Ἡ δὲ καὶ ἀτρύγετον πέλαγος τέκεν οἴδματι θῦον
Πόντον:
Atque etiam infrugiferum *pelagus peperit æſtu furens*
Pontum.

nec non HOMER. *L. XIV. Iliad p. m. 266.*

Γαίης νέρθε καθεῖσε καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης.
Terram ſubterjecit & infructuoſum *mare.*

Exprimit hoc gentium naturam, quæ propter corruptam indolem quæ ipſis inſita eſt a teneris, ſterileſcunt, nec ullos veræ fidei fructus proferunt. Quare Eccleſia ex gentibus colligenda *ſterilis* vocatur Jeſ. LIV, 1. coll. Gal. IV, 27. Comparantur gentes cum arboribus deſerti ſicciſſimi, in terra ſalſuginoſa & inhabitabili, Jer. XVII, 6. Fructus, quos ferunt gentes, ſunt *opera infrugifera tenebrarum*, Eph. V, 11. *aquæ doctrinæ* earum ſunt ſtatuta humana, prava cordis figmenta, cultus idololatricus, quibus anima immortalis enecatur. Sunt inſtar *aquæ Hierichuntinæ*, quæ amarore & ſalſugine ſua vires mentis enervat, nec ſitim rationalem reſtinguere pollet. Quando hæ aquæ ſteriles terram obruunt, deſertum illa conſtituitur ſterile, in quo infelix dominatur vitiorum ac abalienationis a vita Dei lolium & ſteriles avenæ propriæ juſtitiæ, Jer. II, 13.

VII. 3. Mare inſuper *ſordes* quamplurimas ſecum vehit, & impuram ſæpiſſime *ſpumam* evomit. Quo alluditur Jeſ. LVII, 20. quando impius comparatur cum *mari* ויגרשו מימיו רפש רטיט *cujus aquæ cœnum atque lutum evomunt.* Huc quoque reſpicit OPPIAN. *ἁλιευτικ. α. v. 778.*

> *Εὖτε γὰρ ἐν δίνησι παλιῤῥοίαις τε θαλάσσης*
> *Βράσσηται πάμφυρτος ἀφυσγετὸς ἐξ ἀνέμοιο*
> *Σπερχομένȣ, τότε πᾶσα συνίςαται εἰς ἓν ἰȣ̃σα*
> *Ἰλὺς εὐρόεσσα.*
> *Cum enim in vorticibus reciprocationibusque maris*
> *Ebullierit promiſcuus* limus *ex vento furente,*
> *Tunc omnis coit in unum* limus *rubiginoſus.*

nec non HOMER. *Odyſſ. L. VI. p. m. 85.*

> *Ἐκ κεφαλῆς δ᾽ ἔσμηχεν ἁλὸς χνόον ἀτρυγέτοιο*
> *E capite autem eluit* maris ſordes *indomiti.*

De *ſpuma maris* conf. DIONYS. PERIEGET. *v. 693.*

> *Εὐξείνȣ ποτὶ χεῦμα θοὴν ἐπερεύγετο ἄχνην,*
> *Euxini ad undam, rapidam eructat* ſpumam.

et HOMER. *Iliad. L. XIII.*

> Κύματα παφλάζοντα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
> Κυρτὰ, φαληριόωντα:

Undæ

Undæ æſtuantes multiſoni maris
Turgidæ, ſpuma *albicantes.*

uti & VIRGIL. *L. VI. æneid.*

Inter ſaxa virum ſpumoſa *immerſerat unda.*

et *Lib. V. æneid.*

Ter ſpumam *eliſam & rorantia vidimus aſtra.*

Hæc maris qualitas *impuritates* & *ſordes* myſticas gentium optime delineat. Quis omnes gentium actiones & concupiſcentias ſpurciſſimas recenſebit? Exprimit hoc Apoſtolus Rom. I, 24. *tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipſorum, ad impuritatem, ut fœdarent corpora ſua inter ſe ;* & in ſeq. integrum impuritatum earum catalogum recenſet. Membra ſua diſpoſuerunt in miniſterium impuritatis, Rom. VI, 19. Deſcribit easdem gentes Ap. Eph. IV, 18. 19. tanquam habentes mentem tenebris obfuſcatam, alienatas a vita Dei per cordis indurationem. Qui poſtquam dedoluerunt, *tradiderunt ſe laſciviæ , ut certatim impuritates quasvis exſererent.* Ita Act. XV, 20. gentibus *ἀλισγήματα impuritates* idolorum ſeu cultus idololatrici tribuuntur. Evomunt ſæpe inſtar maris ſpurciſſimam cupiditatum, vitiorum, imo blaſphemiarum ſpumam inſtar Sodomæ, cujus peccata impura in Dei nares aſcenderant, tanquam impurus fœtor, Jeſ. III, 10. Impuræ ſunt eorum cogitationes & cordis figmenta, impura omnia deſideria, impuræ omnes cordis operationes & ipſa corporis membra, impura carnis opera exſequuntur, Gal. V, 19. Rom. VI, 12. cap. VIII, 7.

VIII. 4. Maris præcipue *inconſtantia* quoque obſervari meretur. Nonnunquam æquor eſt *placidum* atque *compoſitum* & ſubſidens, nonnunquam vero *ventis* contrariis agitatum fluctus ad æthera tollit, atque *furit* horrendum, tremendoque ſtrepitu ac *fragore* nubes commovet, ut trepidare incipiant nautæ, atque adjacentes inſulæ ac civitates contremiſcant. Utrumque SIMONIDIS *ſententiæ p. m. 207.* exprimunt:

Ὥσπερ θάλασσα πολλάκις μὲν ἀτρεμὴς
Ἕστηκ᾽ ἀπήμων, χάρμα ναύτῃσιν μέγα,
Θέρεος ἐν ὥρῃ, πολλάκις δὲ μαίνεται
Βαρυκτύποισι κύμασιν φορευμένη.

Quemadmodum mare *aliquando* tranquillum
Et innoxium ſtat ingens nautis gaudium,
Æſtivo tempore: aliquando autem furibundum
Graviſonis procellis *agitatur atque tumet.*

Placidum æquor & tranquillum deſcribit TIBULL. *L. IV. el.* 1.

Splendidior liquidis quum ſol caput extulit undis,
Et fera diſcordes tenuerunt flamina venti.
Quin rapidum placidis *etiam mare* conſtitit *undis.*

nec non OVID. *metam. L. XIII. v.* 440.

Dum mare pacatum, *dum ventus mitior eſſet.*

Ventis autem & *procellis* agitatum mare horrorem incutit, conf. loca ſacra Dan. VII, 2. Jon. I, 4. Matth. VIII, 26. Exprimit hoc optime VIRGIL. *L. I. Æneid.*

- - - *venti, velut agmine facto,*
Qua data porta ruunt & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Una eurusque notusque ruunt creberque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad littora fluctus.
Inſequitur clamorque virûm ſtridorque rudentum.

vide etiam OPPIAN. *ἁλιευτικ. α.* vſ. 43. DIONYS. PERIEG. v. 112. ſq. ***Tumet*** ergo atque *fragorem* edit mare horriſonum, conf. loca ſacra Hiob. XXVI, 12. Ezech. XXVI, 3. Jon. I, 4. Jeſ. XVII, 12. Jer. VI, 23. L, 42. etc. Quare & HOMER. *Iliad. IV. p. m.* 73. canit:

Ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης,
Ὄρνυτ᾽ ἐπασσύτερον Ζεφύρου ὑποκινήσαντος,
Πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Χέρσῳ ῥηγνύμενον μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δέ τ᾽ ἄκρας
Κυρτὸν ἐὸν κορυφοῦται.
Sicut autem quando in littore multiſono *fluctus maris*
Concitatur creber Zephyro ſubmovente,
In ponto quidem primum attollitur, *ſed poſtea*
Ad terram fractus multum fremit, *a ſummitate autem*
Turgidus exiſtens ſe attollit.

Similiter

Similiter VIRGIL. *Lib. I. Georgic.*

Continuo ventis ſurgentibus, aut freta Ponti
Incipiunt agitata tumeſcere, *& aridus altis*
Montibus audiri fragor; *aut reſonantia longe*
Littora miſceri & nemorum increbeſcere murmur.

Plura loca paſſim obvia odioſo cum tædio recenſere abhorret animus.

Hæc omnia ſenſu myſtico obſervamus in mari gentium. *Silet* interdum *placidum*que *quieſcit*, quando gentibus frænum injicit illasque compeſcit ſummus rerum arbiter, ita ut perſecutiones ſuas exſerere non audeant. Expertus illud eſt Aſſyrius, de quo Jehovah Jeſ. XXXVII, 28. 29. *Furorem tuum contra me non ignoro; Quoniam vero adverſus me furis, &* tumultuatio tua *ad aures meas pervenit; ideo ponam hamum meum in naribus tuis & frænum injiciam labiis tuis, teque illâ, quâ veniſti, viâ reducam.* Verum quando *ventis* affectuum agitatur & a pſeudo-doctoribus, quorum ſymb. ventus eſt, inflatur, tumet ſuperbia ac faſtu mare gentium, inundat omnia fluctibus ſuis, & *fragorem* edit horrendum perſecutionum & tentationum undis graviſonis. Exprimit furorem maris myſtici egregie Pſaltes, Pſ. XLVI, 3. 4. *Non metueremus, quamvis terra loco ſuo dimoveretur, aut præcipitarentur montes in profunda maris. Fremerent licet & luto turgerent undæ ipſius, & colles fluctibus ejus concuterentur.* conf. Pſ. II, 1.

IX. 5. Cingitur equidem & compeſcitur *aggeribus* & *litore arenoſo;* ſæpius tamen illud *egreditur* & *arva* obruit circumjacentia oceanus. Quare Jobus cap. XXXVIII, 8. ſq. interrogatur a Jehova: *Quis mare occluſit valvis,* quum *ipſum proferens tanquam vulva exiens; quum diſponerem nebulas cingulum ejus & cunabula ejus tenebras; quum ſtatuto meo (fluctus) ejus diffregi & addidi vectes & valvas; dicens huc usque perges, hic offendet faſtu fluctuum tuorum.* et Prov. VIII, 29. *Mari imponens ſtatutum ſuum & aquis, ne transgrediantur decretum oris ipſius, quum diſponeret fundamenta terræ.* et Jerem. V, 22. *Diſpoſui arenam terminum maris; quamvis furant fluctus ejus,*

non tamen tranſgrediuntur illum. Montibus altis clauditur mare, unde DIONYS. PERIEG. *v. 879.*

- - - ἀμφὶ γὰρ ὁλκὸς
Ἐς δυσὶν ἐςράπ]αι πολιῆς ἁλὸς, ἄχρι κολώνης
Οὔρεος ἀγχιάλοιο βαθυκρήμνε Κασίοιο.
Circum namque tractus in occaſum eſt converſus cani maris usque ad jugum maritimi montis, alta habentis præcipitia Caſii.

Et VIRGIL. *Lib. X. Æneid.* canit:

Ecce maris magno claudit nos obice pontus.

Quare littus maris fluctifragum appellat LUCRET. *de rer. natur. Lib. I. v. 306.*

Denique fluctifrago ſuſpenſæ in littore veſtes.

Nonnunquam tamen mare ventibus agitatum littora & aggeres excedit & campeſtria devaſtat fluctibus ſuis. Exprimit hoc THEOGN. *in ſentent. p. 156.*

Ὡς ἄνεμος νεφέλας αἶψα διεσκέδασεν
Κρινὸς, ὃς πόντε πολυκύμονος ἀτρυγέτοιο
Πυθμένα κινήσας γῆν κατὰ πυροφόρον,
Δηώσας καλὰ ἔργα.
Ut ventus nubes illico disjicit
Vernus, qui fluctuoſi maris immenſi
Agitans fundum, & per terram frumenti feracem
Lætas ſegetes vaſtans.

Simili ratione coërcetur faſtus ac tumultus gentium per littora & montes maritimos i. e. regna & Respublicas Chriſtianas, qui potentia ac robore a Deo conceſſo faſtum populorum ſupprimunt. Imo Deus ipſe naribus gentium, quando fremunt, imponit annulum & ori ipſarum frænum, Jeſ. XXXVII, 29. Idem docetur Ezech. XXX, 6. 7. 18. *Et cadent fulcra Ægypti, deſcendetque faſtus roboris ejus; Ut experiantur me eſſe Jehova: Quum frangam lora Ægypti & ceſſabit in ea faſtus roboris ejus & nubes ipſam operient.* Quare Jehova *potentia ſua elatus* dicitur ſupra *omnes gentes*, Pſ. CXIII, 4. qui gentes furentes alloquitur in ira ſua, illasque coërcet, Pſ. II, 1--5. Interdum

dum tamen gentes gravioribus tumultibus ac perſecutionibus elatæ, terram & arva Eccleſiæ obruunt, aggeres omnes perrumpentes. Emblematice hoc exprimit vates Jer. LI, 42. 43. *Quaſi mare aſcendat contra Babylonem ipſum fremitu fluctuum ejus operiatur. Atque deſolabuntur omnes ejus civitates, erunt terra ſiticuloſa & campeſtris, in cujus oppidis nullus habitabit.*

X. 6. Mare *periculoſum* maxime eſt, & vorago mortis, *ſaxis* occultis & *vorticibus* varia naufragia nautis accelerat, varias navium hominumque clades producit. *Maris pericula* expertus eſt Paulus, Act. XXVII, 29. 41. 2. Cor. XI, 26. *Saxis & rupibus* occultis ſcatere pelagum, docemur ex HOMER. *Odyſſ. Lib. III.*

Ἔστι δὲ τις λισσὴ αἰπεῖά τε εἰς ἅλα πέτρη
Ἐσχατιῇ Γόρτυνος, ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ
- - ἀτὰρ νῆάς γε ποτὶ σπιλάδεσσιν ἔαξαν.
Κύματ'.
Eſt autem quædam levis & prærupta in mare petra,
Ad fines Gortynis in obſcuro ponto.
- - Cæterum naves ſane ad ſaxa *fregerunt*
Fluctus.

& VIRGIL. *Lib. I. Æneid.*

- - - furit æſtus arenis,
Treis Notus abreptas in ſaxa *latentia torquet.*

Huc reſpicit quoque TIBULL. *Lib. II. eleg.* 4.

Stare vel inſanis cautes *obnoxia ventis,*
Naufraga *quam vaſti tunderet unda maris.*

Vorticibus quoque fatale ſæpe exitium mortalibus parat pelagus. Deſcribit illos OPPIAN. *ἁλιευτικ. α. v. 769. ſq.*

Εὖτε γὰρ ἐκ νεφέων ζηνὸς νόος ὄμβρον ἀφύξῃ
Λάβρον ὑπὲρ πόντοιο, καὶ ἄσχετον, αὐτίκα πᾶσα
Μισγυμένη δίνησιν ἅμα πλήθησι θάλασσα
Σίζει τ' ἀφριάσα τε καὶ ἵσταται οἰδαίνουσα.
Cum enim ex nubibus Jovis mens imbrem profuderit vehementem, ſupra mare & indomitum, ſtatimque totum mixtum vorticibus

cibus *plenum fuerit mare, verberatque ſpumatque & ſtat tumidum.*

DIONYS. PERIEGET. mare Arabicum *βαθυδίνες profundos habens vortices* deſcribit, v. 632. Naves ſæpe integras vortices hi devorant, unde VIRGIL. *Lib. I. Æneid.*

- - - *aſt illam ter fluctus ibidem*
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.

Quare tot miſera in mari oriuntur *naufragia*, quando navis fluctibus dilaceratur, & miſeri pereunt mortales, vitamque in undis ſuffocant. Deſcribit hoc OPPIAN. *ἁλιευτ. L. IV. p.* 406.

- - - *ὁππότε νῆα διαῤῥαισθεῖται ἀέλλαις*
Αἰνὰ ποσειδάωνος ἀμειλίκτοιο τυχοῦται
Δασσάμενον μέγα κῦμα διακριδὸν ἄλλοθεν ἄλλα
Δοῦρα φέρῃ λώβῃσι πολυϊδέεσσι λυθέντα.
- - - *Cum navem disruptam procellis, quæ miſere*
Neptunum immitem experta eſt, diviſit magnus
Fluctus, & ſeparatim alia ab aliis ligna agitat,
Noxis multifidis ſoluta.

adde VIRGIL. *L. I. Æneid.* HOMER. *Odyſſ. L. III. p.* 33. *L. XII. p.* 177. etc. ex ſacris Act. cap. XXVII. In maris vero undis perire miſerrimum mortis genus eſſe credebant veteres, vide DOUGT. *analect. S. II. Exc.* 20. MORIN. *Exerc. p. m.* 204.

Gentiliſmus quoque abyſſus mortis & vorago perniciei eſt, in quo tot miſeræ animæ æterna morte obruuntur. Heic *ſcopulos* & ſaxa latentia periculorum ac tentationum offendes, tot ſcandala poſita animabus incautis deteges. Heic *vortices* concupiſcentiarum mundi & carnis reperies innumeros, quibus tot miſeri mortales in æternam animæ perniciem abripiuntur, 1. Tim. VI, 9. Quare illi quibus lux ſalutaris Evangelii illuxit, temperanter & caute abnegatis omnibus mundi concupiſcentiis in ſeculi hujus vaſto oceano curſum dirigere tenentur, Tit. II, 11. 12. ne fidei naufragium patiantur, allidentes ad ſaxa tentationum & vorticibus concupiſcentiarum hujus mundi abrepti, 1. Tim. I, 19. In gentiliſmo olim plurimæ naves i. e. cœtus Eccleſiaſtici Chriſtianorum, per horrendas illas perſecutionum tempeſtates, naufragium paſſæ ſuccubuerunt,

runt, præcipue ſub Diocletiani furore, qui de Chriſtianorum nomine ex orbe deleto gloriabatur. Miſerrima in hiſce aquis perire mors eſt, quum gentes ſine ſpe decedant, 1. Theſſal. IV, 13.

XI. 7. *Divitias* vorago maris ingentes in ſinu ſuo fovet, ***aurum*** quippe undis ſuis vehit in variis locis, uniones ac ***margaritas*** in gremio interiori ſervat. De unda æquoris Julii canit VIRGIL. *Lib. II, Æneid.*

Hæc eadem argenti rivos æriſque metalla
Oſtendit venis atque auro plurima fluxit.

Huc reſpicit NAUMACH. *in ſentent. vituperium divitiarum.*

Χρυσὸς τοι κόνις ἐστὶ καὶ ἄργυρος, ἠδὲ καὶ αὐτοὶ
Λᾶες ἐπὶ ῥηγμῖνι πολυψηφῖδι θαλάσσης.
Aurum ſane & argentum pulvis ſunt, & qui ſunt
Lapilli in calculoſa maris crepidine.

& TIBULL. *L. eleg. 2.*

Nec tibi gemmarum quicquid felicibus undis
Naſcitur, Eoi qua maris unda rubet.

& PROPERT. *L. II. eleg. XVI.*

Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas,
Et jubet ex ipſa tollere dona Tyro.

unde & CLAUDIAN. *L. IV. conſ. Honorii*

Quis junxit lapides oſtro, quis miſcuit ignes
Sidonii rubrique maris? i. e. gemmas maris.

Gentiliſmus quoque tum literalis, tum myſticus, i. e. Antichriſtianiſmus, ſemper *divitiis* abundat, eſt enim pars ipſorum unica. Quare Tyrus literalis & myſtica ob ingentes ſuas ex mari divitias celebratur, conf. Jeſ. XXIII. & Ezech. XXVII. Si myſtice uniones & margaritas maris interpretari velis, conſtat etiam *veritates pretioſiſſimas*, quæ ex lumine naturæ profluunt, adſervatas fuiſſe inter gentium Philoſophos, quod ſcripta eorum moralia teſtantur. Imo quando Chriſtianos perſecutionibus obruebant, veritates quoque ſalutis in hoc mari abſconditæ latebant. In medio gentiliſmi latebant Chriſtiani, veri Dei confeſſores.

XII. 8. Maxime mare ſulcatur *navibus*, ingenti divitiarum cumulo onuſtis, quæ dorſa maris ſuperantes ad civitates adjacentes advehunt

opes, quare urbes ad mare ſitæ ditiſſimæ habebantur. Plurima ſunt ſcripturæ loca, quæ huc alludunt, Deut. XXXIII, 19. 1. Reg. V, 9. IX, 27. X, 22. XXII, 49. 2. Par. IX, 21. XX, 36. Eſr. III, 7. Pſ. CVII, 23. Jeſ. II, 16. Jer. X, 9. Ez. XXVI, 17. XXVII. tot. Apoc. XVIII, 17. Huc refer SOLON. in *ſentent. p. m. 157.*

- - - ὁ μὲν κατὰ πόντον ἀλᾶται
Ἐν νηυσὶ, χρήζων οἴκαδε κέρδος ἄγειν,
- - - Hic quidem per mare vagatur,
In navibus, cupiens lucra referre domum.

De Erythræis ſcribit DIONYS PERIEG. *v. 907.* &c.

Οἱ πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,
Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο.
Qui primi navibus periculum fecere maris,
Et primi mercaturam marivagam excogitarunt.

et DIODOR. SICUL. *L. V.* ***Phœnices***, ait, ***a vetuſtiſſimis inde temporibus crebras mercaturæ gratia navigationes inſtituerunt.*** Plura hanc in rem allata vide in ***Emblem. noſtr. ſacr. L. II. Exerc. IX. de navibus myſtic. p. 251. ſq.***

Naves gentiliſmum ſulcantes inſtar maris, & pretioſis mercibus onuſtæ figura ſunt cœtuum Chriſtianorum in gentiliſmo viventium, qui veritates Evangelii & merita Salvatoris ſui ac dona cœleſtia poſſident & ad gentes transferunt. Illi poſſident ***aurum*** iſtud myſticum veritatis gratiæ, Zach. IV, 12. Pſ CXIX, 17. & ***uniones*** pretioſas illius, Matth. XIII, 44. Prov. III, 15. 16. Apoc. XXI, 19--21. Quare urbes i. e. Respublicæ & ſocietates, ad quas naves hæ marinæ adpellunt, mercibus hiſce pretioſis ditantur, unde in primis N. T. ſeculis tot gentium ſocietates ac nationes veritate Evangelica gaudebant, Rom. XV, 29. & in gentiliſmo olim cœtus Chriſtianorum maxime florentes atque præſtantiſſimi fuere, uti ex VII. Aſiæ Eccleſiis Apoc. II. & III. conſtat.

XIII. 9. ***Incolæ*** maris non ***piſces*** ſolum, ſed & ***monſtra*** horrenda atque ***belluæ***, ***balænæ***, ***dracones***, delphini ſunt, qui tamen per ***piſcatores*** in mari vagantes nonnunquam capiuntur ac perimuntur. ***Piſces*** maris in ſcriptis ſacris frequenter nominantur, Gen. I, 28. דגת הים Adde cap. IX, 2. Num. XI, 22. Job. XII, 8. Pſ. VIII, 9. Ezech. XXXVIII, 20. Hoſ.

Hoſ. IV, 3. Apoc. XVI, 3. Similiter התנין אשר בים *Draco qui eſt in mari*, Jeſ. XXVII, 1. & חיות *beſtiæ* ac *belluæ magnæ maris*, Dan. VII, 3. atque *belluæ marinæ* Jac. III, 7. *Incolas* maris innumeros deſcribit OPPIAN. *ἁλιευτικ. L. I. v. 80.*

Μύρια μὲν δὴ φῦλα καὶ ἄκριτα βένθεσι πόντȣ
Ἐμφέρεται πλώοντα. Τὰ δ' ȣ̓ κὲ τις ἐξονομῆναι·
Ῥηϊδίως, ȣ̓ γάρ τις ἐφίκετο τέρμα θαλάσσης;
ȣ̓ μὲν γὰρ γαίης πολυμήτορος ἔλπομαι ἅλμην
Παυροτέρας ἀγέλας, ȣ̓τ' ἔθνεα μείονα φέρβειν.

Innumera igitur genera & confuſa in gurgitibus maris feruntur natantia. Hæc autem nemo elocutus fuerit facile, nemo enim ad terminum maris pervenit. Non enim terrâ multipara puto mare pauciores greges neque minora paſcere genera.

Et DAMIR *Arabs* apud BOCH. *Hier. I. p. 38.* ſcribit: الله خلق الف ومنها ستماية في البحر واربعماية في البر

Deus creavit mille genera animantium, e quibus in mari ſexcenta ſunt, & quadringenta in terra.

Dracones, cetos, phocas, delphinos in æquore obſervamus, tanquam dominantes in Oceano belluas. Unde HOMER. *Odyſſ. IV. p. m. 53.*

Φωκάων ἁλιοτρεφέων ὀλοώτατος ὀδμή,
Τὶς γάρ ἂν εἰναλίῳ παρὰ κήτεϊ κοιμηθείη.
Phocarum *in mari nutritarum peſſimus odor,*
Quis enim marinum prope cetum *cubare poſſet?*

PHILOSTRAT. *Apollon. Lib. II. cap. VII.* Κἂν τὰ ἐν τῇ θαλάττῃ σκοπῶμεν, τȣ̀ς δὲ δελφῖνας ȣ̓κ ἂν θαυμάσαμεν, εἰ χρηστοὶ ὄντες φιλοτεκνȣ̃σι φαλλαίνας (ſeu φωκαίνας) δὲ καὶ φῶκας, καὶ τὰ ζωοτόκα ἔθνη. *Quod ſi maritimas etiam* belluas *conſideremus, numquid* delphinas *admirabimur? qui cum benigni ſint, prolem ſuum ament; Sed &* balænas *&* phocas *& reliqua vivipara nonne admirabimur?* De *Delphinis* OPPIAN. *ἁλιευτ. Lib. II. v. 533.*

Δελφῖνες δ' ἀγέλησιν ἁλὸς μέγα κοιρανέουσιν,
Ἔξοχον ἠνορεῇ τε καὶ ἀγλαΐῃ κομόωντες.
Delphini *autem in gregibus maris valde dominantur,*
Eximie viribusque & formæ ſplendore ſuperbientes,

Quæ belluæ mortalibus ingentes ſæpe clades inferunt, unde VIRGIL. *in Cir. p. m.* 401.

Æquoreæ peſtes, immania corpora ponti
Undique conveniunt, & glauco in gurgite circum
Verbere caudarum atque oris minitantur hiatu.

conf. ex hiſtoria ſacra Jon. I, 17. quæ Jonam a piſce magno devoratum docet.

Piſcatores tamen belluas & piſces hamis ac telis domant & ſæpe enecant. Unde TIBULL. *Lib. II. eleg.* 7.

Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces,
Quum tenues hamos abdidit ante cibos.

Job. XL, 25. tela piſcatoria שכות memorantur & צלצל conf. BOCHART. *Hieroz. P. II. p. m. 773. ſq.* quemadmodum veteres telis & ſagittis monſtra maris graviora trucidare ſatagebant, unde OPPIANUS *ἁλιευτ. Lib. V. v. 375.* de phocis marinis teſtatur:

Φώκη δ' οὐκ ἄγκιστρα τετεύχαται, οὔτε τὶς αἰχμὴ,
Τρίγλυφος ἧκεν ἕλοι κείνης δέμας· ἔξοχα γάρ μιν
Ῥινὸς ὑπὲρ μελέων στερεὴ λάχεν, ὄβριμον ἕρκος.
Hiſpida fallaci Phoca haud retinetur ab hamo,
Nec trifidæ corpus violatur cuſpidis ictu,
Nam pellis validos duriſſima contegit artus.

In mari myſtico gentium *piſces* quoque varios i. e. varia hominum genera deprehendimus. *Piſces* enim in ſacris tum bonorum, tum malorum *hominum* ſymbolum exiſtunt, vide Matth. XIII, 47. Jer. XVI, 16. Hab. I, 14. Ezech. XLVII, 10. Dominatur in mari hoc myſtico Leviathan myſticus, de quo Job. XL, 20--27. ſc. Satanas, cum Phocis, Delphinis aliiſque monſtris, i. e. inſtrumentis ſuis Regibus ac Principibus gentium idololatriæ deditis, qui navibus & nautis, Eccleſiæ Dei & ejus directoribus ac miniſtris, perniciem minitantur, horrendas inſtruen-

tes

tes perſecutiones. Talis erat bælæna, ſerpens oblongus & tortuoſus & draco maris, a Deo ipſo perimendus Jeſ. XXVII, 1. Et quis neſcit graviſſimas a dominatoribus maris hujus myſtici Eccleſiæ Dei inflictas olim eſſe plagas, quando gentium furori tot millia Chriſtianorum litabantur? Apoc. II, 10. 13. cap. VI, 4. Sed *piſcatores* myſtici hujus maris ſunt partim Principes Chriſtiani, potentiam gentium coërcentes & vires ipſorum enervantes, partim Doctores veritatis, qui reti Evangelii varios in Eccleſiæ communionem piſces attrahunt magnos & parvos, principes æque ac ſubditos Matth. XIII, 47. Ezech. XLVII, 10. Luc. V, 10.

XIV, 10. In mari obſervamus *inſulas* paſſim in medio oceani diſſitas; notandas quoque *turres ſpeculares*, quæ navibus lucem in mediis undis præferunt; & denique *portus*, in quibus naves quieſcunt, & ab undarum fluctuumque furore defenduntur. *Inſulæ*, *νῆσοι* a *νέω*, quaſi mari innatantes regiones ſunt, quare & Latinis *inſulæ* quaſi *in ſalo* dictæ juxta ISIDORUM, undique aquis marinis cinctæ. Plurimæ tales in vaſto oceani circuitu reperiuntur, quædam cultæ ab hominibus, quædam incultæ, ſic DIONYS. PERIEG. *v. 554.* canit:

> *Αἱδε μὲν ἀνθρώποισιν ἀγακλέες ἐν ἁλὶ νῆσοι*
> *Ἄλλαι δ᾽ Ὠκεανοῖο παρὰ ῥόον ἐστεφάνωνται.*
> *Hæ quidem hominibus valde nobiles in mari inſulæ,*
> *At aliæ Oceani in fluento cinctæ ſunt.*

& HOMER. *Odyſſ. Lib. V. p. m. 64.*

> *Ἔστι δέ τις νῆσος μέσσῃ ἁλὶ πετρήεσσα*
> *Μεσσηγὺς Ἰθάκης τε Σάμοιό τε παιπαλοέσσης.*
> *Eſt autem quaedam inſula medio in mari petroſa*
> *Inter Ithacam & Samum aſperam.*

nec non AGATHARCHIDES *cap. 42.* *Καὶ νῆσοι τρεῖς εἰσὶ προσκείμεναι, ὧν αἱ ἐλάιαις πεπυκνῶνται, μία δὲ ἧττον μὲν δασεῖα.* *Tres adjacent inſulæ, quarum duæ ſcatent olivis, una autem minus eſt ſylvoſa.*

Portus locus eſt firmus atque munitus, in quo naves tutæ quieſcunt, ne fluctibus ac ventorum furori exponantur; quales nonnullæ *inſulæ* erant; ſic VIRGIL. *Lib. I. Æneid.*

 Inſu-

- - - *Inſula* portum
Efficit objectu laterum, quibus omnes ab alto
Frangitur inque ſinus ſcindit ſeſe unda relictos.
Hinc atque hinc vaſtæ rupes.

Plerique autem & optimi portus ad civitates & continentem ſiti ſunt, in quibus naves quieſcunt & vela contrahuntur. Sic HOMER. *Iliad. I. p. m. 20.*

Ὁι δ᾽ ὅτε δὴ λιμένος πολυβενθέος ἐντὸς ἵκοντο,
Ἱςία δ᾽ ἱςοδόκῃ πέλασαν, προτόνοισιν ὑφέντες.
Qui quando portum *valde profundum intra pervenerunt,*
Vela quidem collegerunt, poſueruntque in navi nigra.

& VIRGIL. *Lib. III. Æneid.*

Huc feror, hæc feſſos tuto placidiſſima portu
Excipit.

Turres quoque *ſpeculares* in mari & inſulis ejus erigebantur, ut eo ſigno navigantes recta in portum dirigerentur, vel ſaxa quoque ac brevia evitarent. Sic DIONYS. PERIEG. *v. 258.*

- - - ἧχι περ ἄκραι
Φαίνονται σκοπιαὶ Παλληνίδος Ειδοθεείης.
Ubi ſummæ lucent ſpeculæ *Pallenidis Idotheæ.*

Plura de his egimus ſupra in *Exerc. IX. Lib. III. de Speculatoribus myſticis.*

Inſulæ ſenſu myſtico deſignant itidem gentes, ſeu ſocietates quaſdam ac cœtus gentium, qui majorem cum terra ſimilitudinem habent & firmam quaſi ſedem nacti ſunt; adeoque *converſas* gentium ſocietates & Reſpublicas depingunt, quæ tutum navi Eccleſiæ, fluctibus perſecutionum agitatæ, hoſpitium præbent atque portum. Hoc ſenſu in ſcriptis ſacris *inſulæ* ſæpius occurrunt, quando *inſulæ Jehovæ canticum novum* ſc. Evangelicæ confeſſionis *canere jubentur*, Jeſ. XLII, 10. quando *inſulæ lætitia exultare* dicuntur ſub regno Meſſiæ, Pſalm. LXXII, 10. quando *exſpectantes Meſſiam* & Regem futurum conſiderantur, Jeſ. XLII, 4. LI, 5. LX, 9. quando *inſulæ Jehovam adoraturæ* prædicantur Zeph. II, 11. Regna quoque & Reſpublicæ Antichriſti miſimi ſub ſymb. *inſularum* occurrunt Apoc. VI, 14. XVI, 20. *Portus* maris

ſymb.

ymb. ſunt Principum & Magiſtratuum Chriſtianorum, qui naves Eccleſiæ contra tumultuantes hoſtium veritatis furores & perſecutiones tuentur, conſervant; in quorum ſinu & tutæ evadunt & periculis exemtæ, Jeſ. XLIX, 23 Gen. XLIX, 13. Ezech. XXVII, 28. *Turres ſpeculares* ſymb. doctorum veritatis ſunt, qui luce Evangelii viam Eccleſiæ in portum optatum dirigunt, qui exclamant: hæc eſt via, huc dirigite curſum, nec deflectite dextrorſum aut ſiniſtrorſum! Jeſ. XXX, 21. qui cautes & brevia tentationum maris myſtici cavere docent, Jeſ. LVIII, 1. Hebr. XIII, 17.

XV. II. Juxta antiquos in mari *occidere ſol* & ex eodem *oriri* credebatur. Quum enim occidit, verſus oceanum ſubmergitur occidentalem, & quando oritur, orientali ex oceano quaſi prodire videtur. Utrumque exprimit HOMERUS, de oriente ſole canens *Iliad. VII. p. m. 128.*

Ἠέλιος μὲν ἔπειτα νέον προσέβαλλεν ἀρȣρας,
Ἐξ ἀκαλλαῤῥείταο βαθυῤῥόȣ Ὠκεανοῖο.
Ὀυρανὸν εἰσανιών.
Sol dein recens percuſſit arva,
Ex leniter fluente profundo Oceano
Cœlum aſcendens.

& de occidente ſole *idem Iliad. VIII. p. m. 146.*

Ἐν δ᾽ ἔπεσ᾽ Ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο,
Ἑλκῶν νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρȣραν.
Incidit vero in oceanum ſplendidum lumen ſolis,
Trahens noctem nigram in fertilem terram.

Similiter OVID. *Metam. L. XV. v. 30.*

Candidus Oceano nitidum caput abdiderat ſol,
Et caput extulerat denſiſſima ſidereum nox.

Quare Hebræis ים mare pro occaſu ſumitur, Joſ. XV, 12. גבול ים הימה *terminus occidentis ad mare.* & Pſ. LXXII, 8. *a mari ad mare* idem eſt ac ab ortu ad occaſum: Vide etiam Gen. XII, 8. Conf. DRUS. *obſerv. L. IX. cap. 12. L. X. cap. 13.* CLERIC. *quæſt. S. p. 81.*

In mari myſtico gentiliſmi & Antichriſtianiſmi oritur & occidit lumen veritatis Evangelii. Ortus eſt Sol juſtitiæ primis N. T. tempori-

bus

bus inter gentes, quando *populus in tenebris lucem magnam vidit*, *&* *ſedentibus in umbra mortis illuxit*, Jeſ. IX, 1. 2. quando gentes ipſæ in luce Jehovæ ambulabant, Jeſ. II, 2. 5. *Occidit* vero etiam, quando repulſa veritatis luce in tenebras ſpiſſiſſimas idololatriæ prolapſæ ſunt, adeo, ut in illis locis gentium, ubi olim lux clariſſima veritatis emicuit, jam omnia tenebris obruta jaceant, uti vel ex VII. Aſiæ Eccleſiis Apoc. II. & III. conſtat. Orta eſt Antichriſtianiſmo veritatis lux per Reformationem; ſed occidit, quando abnegata vera veritatis luce, mendaciis fidem adhibuerunt, & per ἐνέργειαν ἀνομίας indurati ſunt ejus aſſeclæ, 2. Theſſ. II, 7. 8.

XVI. 12. In ſpecie viciſſitudines maris notandæ ſunt, quæ in *fluxu* ac *refluxu maris* obſervantur. Varii Philoſophi varias illius cauſas recenſent, alii inter antiquos reſpirationi cujusdam terreni animalis ridiculo figmento eam tribuunt, alii motibus quibusdam telluris ſubterraneis, alii vi cuidam magneticæ, quam vel lunæ vel corporibus cœleſtibus inſitam credunt, adſignant. Plerique tamen veteres & hodierni æſtum maris a *luna* derivant, quando ſc. luna per horizontem tranſit, fluxus ſeu intumeſcentia incipit & ſenſim per 6 horas augetur, & luna circa meridianum verſante per 6. horas denuo refluere inchoat. Conf. Cl. DEYLING. *obſ. ſacr. L. III. p.58.* KIRCHER. in *mund. ſubterr. P. I. p. m. 130. ſq.* qui late de hoc maris æſtu diſſerit. ISIDOR. HISPAL. *de rer. nat. cap.* 4. STOBÆ. in *Eclog. Phyſ. cap. 33.* Huc reſpicit AUSON. *epiſt. VII.*

Dulcibus in ſtagnis reflui maris æſtus opimat.

& LUCAN. *Pharſal. v. 216.*

- - - *ut oceanus lunaribus incrementis*
Juſſus adeſt.

Plura loca dedimus in *Emblem. noſtr. L. I. Exerc. IV. de luna myſtica §. XIII. p. 53.* Sunt quoque extraordinariæ *maris* commotiones, qualis illa erat maris rubri per miraculum, quando in tranſitu Iſraëlitarum aquæ ejus inſtar muri ab utroque latere intumeſcentes conſiſtebant, & dein refluebant in Ægyptios, Ex. XIV, 21. de quo loco eleganter diſſerit Cl. DEYLING. *Obſ. S. l. c. p. 45. ſq.*

Gentiliſmus ſimili ratione varias ſuas habet viciſſitudines, ***fluxum*** ac ***refluxum*** inſtar maris, ſua habuit incrementa ac decrementa. ***Incrementa*** maxima habuit ante ortam Evangelii lucem, quando terra tenebris gentiliſmi oppleta eſſet; ſed poſtea Evangelii præconium quaſi ***totum mundum*** occupavit, teſte Apoſtolo Col. I, 6. Tunc Phœnicia, Tyrus, Sidon, Arabia, Cilicia & vicinæ inſulæ gentiliſmo abnegato veritatem Evangelii agnovere, vide Pſ. XLV, 13. Jeſ. XXIII, 18. Zach. IX, 1.2. Act. XXVII, 3. Pſ. LXXII, 10. LXXXVII, 4. Eſ. XLII, 10. 12. ***Decrementa*** ſua quoque nanciſcebatur per bella graviſſima, quibus ſæpe exſcindebantur gentes, vid. Jer. XXVII, 3. Ezech. XXI, 28. XXV, 3. Jer. XLVIII, 1. Jeſ. XXIII, 1. ſq. Jer. XLVII, 2. ſq. Zephan. II, 4. Jer. XLIX, 28. Nah. III, 8. ſq. Sæpe tamen ***incrementa*** nactus eſt gentiliſmus non ſolum per varias victorias, Dan. XI, 12-14. conf. viſionem de poteſtate beſtiæ ex mari aſcendentis Apoc. XIII, 1. ſq. ſed & per Antichriſtum, ejus ſimiam, Apoc. XIII, 11. ſq.

XVII. 13. ***Fluvii*** varii ex mari ***ortum*** trahentes terræ quaſdam plagas permeant, & per meatus ſuos ***redeunt*** in Oceanum. Unde Salomo Eccl. I, 7. ***Omnia flumina properant ad mare, nec tamen mare impletur, & quocunque flumina properant, eodem revertuntur.*** Ortum fluviorum ex mari deſcribit HESIOD. *Θεογον v. 367.*

Τόσσοι δ' αὖθ' ἕτεροι ποταμοὶ καναχηδὰ ῥέοντες
Υἱέες ὠκεανοῦ, τοὺς γείνατο πότνια Τηθύς.
Tot rurſus alii fluvii cum ſtrepitu fluentes,
Filii Oceani, quos peperit veneranda Thetys.

Redire quoque ***ad mare*** fluvios docet VIRGIL. ***Æneid. Lib. VII.***

- - - ***hunc inter fluvio Tiberinus amœno,***
Vorticibus rapidis & multa flavus arena,
In mare prorumpit.

nec non OVID. ***Lib. III. Triſt. eleg. X.***

Cæruleos ventis latices durantibus Iſter
Congelat, & tectis in mare ſerpit aquis.

adde HOMER. ***Iliad. XII.*** ab initio.

- - - ποταμῶν μένος εἰσαγαγόντες,
Ὅσσοι ἀπ' Ἰδαίων ὀρέων ἅλαδε προρέουσι,

Ῥῆσος θ' Ἑπτάπορός τε, Κάρησός τε Ῥοδιός τε &c.
- - - *fluviorum violentiam inducentes,*
Quicunque ab Idæis montibus in mare profluunt,
Rheſus Heptaporusque Careſusque Rhodiusque &c.

Fluvii ortum ex mari trahentes ſymb. ſunt populorum & ſocietatum variarum ex gentiliſmo ortum trahentium, quorum nonnulla *terræ* ſæpe i. e. Eccleſiæ, varia vulnera per irruptiones perſecutionum inferunt. Ita flumen Ægypti regnum Ægyptiacum deſignat in ſacris, Amos. VIII, 8. Et quando Aſſyrius *rivos Ægypti planta pedum ſuorum exſiccare* dicitur, deſtructio populorum Ægypti deſignatur, Jeſ. XXXVII, 25. Pſ. LXXIV, 15. Deus *fluvios fortes* exſiccare, i. e. populos robuſtos vaſtare dicitur Eſ. VIII, 7. *aſcendere facit ſuper eos flumina rapida ac multa*, i. e. exercitus & populos copioſos. Omnes tamen hi populi ad idem Chaos maris gentiliſmi pertinent, licet ſæpe per terram Eccleſiæ diſperſi jaceant. Quare & *flumina* terram inundantia ſymb. ſunt perſecutorum Eccleſiæ. Sic legitur Cant. VIII, 7. *fluvii plurimi aquarum non obruent eam*, i. e. perſecutores plurimi non prævalebunt Eccleſiæ. Conf. Apoc. XII, 15. ubi draco gentiliſmi ex ore ſuo *ingentia flumina* perſecutionum contra Eccleſiam evomens occurrit.

XVIII. 14. *Maris dominium diis* antiqua fides adſcripſit, præcipue *Neptuno*, qui Oceani arbiter & princeps habebatur. Unde VIRGIL. *Lib. V. Æneid.*

Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti.

Clarius *eodem Libro V.* deſcribit eundem:

Jungit equos curru genitor, ſpumantiaque addit
Fræna feris, manibusque omnes effundit habenas,
Cæruleo per ſumma levis volat æquora curru.
Subſidunt undæ, tumidumque ſub axe tonanti
Sternitur æquor aquis.

Poteſtatem ergo maris ſedandi & componendi ipſi tribuebant, atque eapropter in periculis marinis Neptuno ſupplicabant, unde HOMER. *L. Iliad. IX.*

Τὼ δὲ βάτην παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,
Πολλὰ μάλ' εὐχομένω γαιηόχῳ ἐννοσιγαίῳ.

Hi

Hi autem iverunt juxta littus multiſoni maris,
Multum valde ſupplicantes Neptuno terræ quaſſatori.

& tumultus maris ipſe excitare poſſe credebatur, unde OVID. canit:

Ipſe tridente ſuo terram percuſſit, at illa
Intremuit motuque vias patefecit aquarum,
Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos.

Quare in nummis apparet *Neptunus* cum tridente & delphino, veluti apud OISEL. in *Num. Tab. XXXVI. n. 8. 9.* cum inſcript. NEPTUNI. Vel proræ inſiſtens pede ſiniſtro, dextra tridentem, ſiniſtra delphinum capiens, vid. *Tab. eand. n. 10.* Vel dextra acroterium, ſiniſtra tridentem tenens, & pedem *dextrum terræ imponens*, cum inſcript. NEP. RED. *Neptuno reduci.* Quemadmodum heic angelus *pedem mari & terræ imponere* dicitur, quod ſymb. dominii. Vid. *Tabul. noſtr. præfix. n. XIX.*

Deo ſummo poteſtas maris literalis & myſtici competit. Ille eſt, qui mari poſuit limites & aggeres, dicens, *hucusque perges, heic reſideant fluctus tui*, Job. XXXVIII, 8. *incedit* ille tanquam ſupremus princeps *ſuper fluctibus maris*, Job. IX, 8. Ille *placat fremitum* atque tumultum oceani myſtici, Pſ. LXV, 8. & commutat illum in ſiccitates potentia ſua, Pſ. LXVI, 6. Dominatur ille *a mari ad mare* & ſuper omnia maria, Pſ. LXXII, 8. *Dividit* ille *mare* pro lubitu ſuo, Pſ. LXXIV, 13. LXXVIII, 13. Dominatur in ſuperbiam maris, & quum *attollunt ſe fluctus* ejus, *deprimit* illos, Pſ. LXXXIX, 10. *Imponit* ille *manum ſuam mari* & dexteram fluminibus, v. 26. Mare eum conſpiciens *tremit* & *fugit a conſpectu ejus*, Pſ. CXIV, 3. 5. qui *maris vias ſulcat*, & ſemitam conſtituit in aquis validis, Jeſ. XLIII, 16. qui *exſiccat mare & abyſſos aquarum*, qui diſpoſuit profunda oceani, ut eſſent via, qua tranſirent redemti, Jeſ. LI, 10. qui *convocat aquas maris & effundit eas in ſuperficiem* telluris, Amos V, 8.

XIX. 15. Mare antiquis non *ſacrum* ſolum habebatur, ſed & *luſtrabantur* illius aquis; ad littus ejus *templa* ædificabant & *ſacris* ad idem fungebantur. *Mare* divino honore coluiſſe gentes docet VOSS. *de Idolol. Lib. II. cap. 81.* & CORN. ADAMI *in Exercit. Exeget.*

p. m. 709. Quare *aquis marinis* luſtrabantur veteres, uti EURIPIDES in *Iphig. v. 193.* canit:

> *Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.*
> *Mare abluit mortalium mala omnia.*

Et *terram* diluvio & maris inundatione purgari credebant Philoſophi antiqui. Unde PLATO *Lib. III. de legib.* Ὅταν δ' οἱ Θεοὶ τὴν γῆν ὕδασι καθαίροντες, κατακλύζουσιν. *Quando vero Dii, terram aquis purgantes immittunt diluvium.* Et PHILO *Opp. p. m. 186.* Ὁπότε γοῦν τὴν γῆν ὕδατι καθαίρειν ὁ δημιουργὸς διενοήθη. *Quando igitur aqua terram purgare ſtatuit ſummus opifex.* Ad *maris* littora Judæi ſuas proſeuchas erigebant, uti ex Act. XVI, 13. conſtat, quare & PHILO *contr. Flacc.* de Judæis Alexandrinis ait: διὰ πυλῶν ἐκχυθέντες ἐπὶ τοὺς πλησίον αἰγιαλοὺς ἀφικοῦνται· τὰς γὰρ προσευχὰς ἀφῄρηντο. *portis ſe effuderunt in proxima littora, nam proſeuchas ſuas amiſerant.* Plura de hoc Jud. ritu lege apud Cl. P. ZORN. *in Diſſ. de Scholis public. Jud. ad littora exſtructis. Plœn. 1716.* Gentes quoque fana ad littora exſtruebant, quale templum Apollinis & Neptuni apud Athenienſes, de quo STRABO *Geogr. Lib. VIII.* Τὸ μὲν Ταίναρον, ἀκτή ἐστιν ἐκκειμένη, τὸ ἱερὸν ἔχουσα Ποσειδῶνος, ἐν ἄλσει ἱδρυμένον. *Tænarum quidem littus eſt porrectum, fanum habens Neptuni, in luco ſitum.* *Sacra* quoque in littore faciebant; quare apud HOMER. *Hymn. in Mercur.* jubetur:

> Καὶ βωμὸν ποιήσατ' ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσης,
> Πῦρ ἐπικαίοντες, ἐπὶ τ' ἄλφιτα λευκὰ θύοντες.
> *Et aram facite in* littore maris,
> *Ignem incendentes, & poſtea albas farinas immolantes.*

Hoc ſi gentiliſmo applicare velimus, varias ejus ſuperſtitiones idololatricas deſignabit, utpote qui idololatriæ maxime deditus fuit, quare populus Dei fœderatus toties ab idololatria & ſacris gentium abſterretur, Lev. XVIII, 24. Deut. XII, 2. 1. Reg. XIV, 24. 2. Reg. XVII, 11. 2. Par. XXXVI, 14. conf. Rom. I, 18. ſq. Innumeros ſibi Deos fingebant gentes, eosque ritibus ſacris colebant. Sed & *mare* hoc myſticum *inundationibus ſuis* terram myſticam i. e. Eccleſiam ſæpe luſtrat atque purgat. Perſecutionibus enim & judiciis per gentes Deus

Eccle-

Eccleſiam & aream ſuam purgavit, Matth. III, 12. Quare qui ex magna calamitate & perſecutionibus venerant, veſtes ſanguine agni dealbatas & puras gerere dicuntur Apoc. VII, 14. Aquis perſecutionum aſperſa purificatur & luſtratur quaſi Eccleſia, ne impuritatibus carnis vel idololatriæ imbuatur ac polluatur, Apoc. III, 4. 5. cap. II, 9. 10.

XX. Si propius *Oceani* vaſtum molem conſideres, vivam ***hujus mundi*** imaginem deteges. Vaſtum heic conſpicis & invium deſertum, confuſumque plane chaos, in quo profunda Satanæ undiquaque apparent. Dominatur ſalſa vitiorum ac peccatorum ſterilium vorago. Heic impios vides inſtar maris commoti impuriſſimam convitiorum in Deum & proximum ſpumam evomere. Hi ventis affectuum perverſorum ac ſpirituum impurorum afflati faſtu tument, & gloriantur de peccatis ſuis inſtar Sodomæ & Gomorrhæ, Jeſ. III, 10. Licet naribus impiorum Deus annulum ſæpe imponat, eosque potenti dextra ſua coërceat; ſæpe tamen erumpunt & perſecutionum fluctibus populum Dei obruunt. Tument divitiis & opibus hujus mundi, deque iis gloriantur, domus ipſorum florent & felices ſe prædicant impii; lumen ſolis juſtitiæ oriens conſpiciunt, ſed in peccatis ſuis idem occidere intuentur, & in concupiſcentiis ſuis ſuffocant omnem cognitionis lucem. Aſt Deus eſt qui mari dominatur & exſiccabit illud aliquando, ita ut æternum ſub judiciis divinis contabeſcant improbi. In hoc mari conſpicis *piſcatores*, Doctores varios, qui reti præconii veritatis varias allicere & capere animas ſatagunt, ſæpe etiam malos & bonos piſces in terram & communionem Eccleſiæ externæ trahunt, Matth. XIII, 47.

Navis inſtar Eccleſia innatat fluctibus hujus maris, heic ſæpe abyſſus abyſſum vocat, conſpirant tentationum venti & fluctus naviculam obruunt, Matth. VIII, 24. Sed Gubernator ſupremus, qui ventis & mari dominatur, ocyus fluctus componere novit, omnes tentationum ventos ſubſidere facit, ita ut tranquilla animi ſerenitate frui queant. *Portus* optatus paratus eſt navi huic in maris inviis ſemitis oberranti, portus æternæ quietis; Pharum lampada Evangelii præferentem, perpetuo ob oculos ſervent nautæ myſtici, ut cautes & brevia tentationum mundi evitare & tuto tranſire queant, ſic plenis aliquando velis in portum agetur fidei navicula, & æterna tranquillitate fruetur. Qui rectum ſervarunt curſum, appellunt ad quietis portum, Jeſ. LVII, 2.

 EXER-

EXERCITATIO VIII.
DE
ZONIS AUREIS SEPTEM ANGELORUM, SYMB. PRÆCONII VERITATIS.
APOC. XV, 6.

ARGUMENTUM.

§. I. Loci Apoc. XV. ſenſus breviſſime excutitur. §. II. zonæ vel cinguli hieroglyphica varia indagantur. §. III. In ſpecie ſymb. eſſe verbi veritatis docetur. §. IV. Analogiæ inter zonam & veritatem exponuntur. A. *Quatenus a variæ dignitatis perſonis geſtatur; Ita diis atque deabus tribuuntur cingula; §. V. & Regibus. §. VI. porro ſacerdotibus. §. VII. inſuper prophetis & Doctoribus. §. VIII. præterea militibus §. IX. itemque ſponſis ac virginibus. §. X. uti & viatoribus & iter facientibus. §. XI.* B. *Qualitates & attributa cingulorum apud veteres & uſus notantur, ſc. materia eorum erat aurum, argentum atque purpura. §. XII. Forma erat longa maxime ac varie ornata. §. XIII. Quare inſigne decus viro aut mulieri eodem ornato addebat baltheus. §. XIV. Uſus cingulorum præcipui obſervantur, nimirum adhibebant ea veteres ad femora conſtringenda, corpusque adeo confortandum, uti & ad veſtes laxas & diffluentes ſuccingendas. §. XV. ad arma, in ſpecie pharetram cum telis & gladium in iisdem ſuſpendenda. §. XVI. & pecuniam in illis adſervandam. §. XVII. ſacer denique uſus, poſt victoriam diis eadem conſecrandi & ſuſpendendi, & §. XVIII. Epilogus practicticus additur.*

I. Empha-

I.

EMphatica VII. angelorum, qui ſeptem habebant plagas, eſt deſcriptio, quam exhibet Spiritus S. *Apoc. XV, 6.* quod ſc. *ἐνδεδυμένοι λινὸν καθαρὸν καὶ λαμπρὸν καὶ περιεζωσμένοι περὶ τὰ ςήθη* ΖΩΝΑΣ ΧΡΥΣΑΣ: *induti ſindone puro atque ſplendido, & cincti circa pectus ZONIS AUREIS.* Per ſeptem hoſce angelos plerique interpretes, Cel. VITRINGA, MARCKIUS, ANDALA cum aliis intelligunt angelos proprie dictos, qui executores judiciorum divinorum conſtituti, & *lino puro* ob ſanctitatem, & *zona aurea* ob animi promtitudinem eorumque gloriam ornati appareant. Verum licet non facile a tantis viris diſſentiam, nihilominus tamen hoc in loco alios intelligi angelos ſc. myſticos, qui ſunt præcones & antiſtites veritatis, contendo: *tum* quia ex *templo tabernaculi teſtimonii* egredi dicuntur, quod ſacerdotibus melius quam angelis competit: *tum* quia phialas ſeptem ab animalium uno accipiunt angeli; jam ſive per hoc animal intelligas Apoſtolos, ſive etiam Eccleſiam univerſalem, hoc non niſi coacte angelis, ſed præconibus veritatibus optime, tribui poteſt; *tum* quia *angeli* in Apocalypſi Johannis ſæpius Doctores Eccleſiæ deſignant, uti ex Apoc. I, 20. cap. II. & III. cap. XIV, 6. ubi angelus volans cum Evangelio æterno, pacis nuntios poſt reformationem deſignare apte poteſt, conſtat; *tum* denique quia vim vocis in munere ſuo exprimunt præcones & Doctores; *ἄγγελοι nuntii* enim Dei ſunt, inſtar angelorum, ſpirituum Dei miniſtrorum. Hi præcones Evangelii prodeunt *ex templo* tanquam ſacri Dei miniſtri, edocti ante thronum Dei in ſanctuario, quæ judicia ſint denuntiaturi & precibus ſuis quaſi excitaturi, inſtar Moſis, ſervi & nuntii Dei, baculo ſuo judicia in Ægyptum literalem deducentis. Quare ſervant *ſeptem phialas iræ divinæ in manu ſua*, parati ad eaſdem denuntiandas atque in Ægyptum myſticam precibus ſuis derivandas. *Induti ſindone puro* inſtar ſacerdotum, qui vitæ ſanctitate undique eminent, & confeſſione veritatis puriſſima gaudent; & *cincti quoad* pectus *cingulis aureis*, i. e. *verbo veritatis*, quo corda muniunt, confirmant, alacres redduntur in certamine & promti in munere ſuo, imo majeſtatem ſuam in perverſa progenie Antichriſti produnt.

II. ΖΩΝΗ

II. ΖΩΝΗ *CINGULUM* inſtrumentum illud eſt, quo veſtes laxiores & fluentes atque demiſſas antiqui ſuccingebant, atque quibus femora conſtringebant. Vario autem ſenſu in ſacris hieroglyphico cingulum adhibetur. Deſignat enim

a. *Gloriam* atque *officia* maxime honorifica, quo ſenſu Jeſ. III, 24. loco חֲגוֹרָה *cinguli*, i. e. gloriæ, honoris atque luxus, filiabus Hieroſolymæ ſuperbis concederetur *diſſolutio* ſeu *funiculus*, i. e. dedecus atque miſera calamitas. Hanc ob cauſam Jeſ. XXII, 21. Eliakim *tunica & baltheo* Sebnæ induendus dicitur, i. e. officio ejus præfecti, ac dignitate illa, qua hactenus functus erat Sebna. Vid. Cel. VITRINGA in *comm. h. l.* Quare Suidas *ζώνην ἀξίωμα* interpretatur. Et JUSTINIAN. *Imper. nov. XII.* ſcribit : *Inceſtas nuptias contrahentis pœna eſt confiſcatio bonorum, tam cœterorum quam dotis, exilium etiam &* cinguli, *ſi quo potitur, ſpoliatio, hoc eſt univerſæ* dignitatis. Unde & epitaphium vetus:

ARBITRIO REGVM QVÆSTVRÆ CINGVLA SVMSIT
STEMMATE PRÆCIPVVS, PLVS PROBITATE CLVENS.

Plura vide apud BARTH. ad CLAUDIAN. *Epiſt. II. ad Adr. p. m. 958.*

b. Symb. quoque cingulum eſt *amoris*, *pacis* atque *concordiæ ;* quare Paulus concordiam & unitatem Spiritus conſervare jubet in *συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης vinculo* ſeu *cingulo pacis.* et Col. III, 14. charitatatem vocat *σύνδεσμον τῆς τελειότητος vinculum perfectionis*, alludendo ad cingula, quæ totum corpus circumquaque & adæquate cingunt. Huc reſpicit CLAUDIAN. *Lib. II. de Laud. Stilic.* canens:

Hæc & amicitias longo poſt tempore firmat,
Manſuroque adamante ligat.

Unde Publius de fide teſtatur: *Amicitiæ çoagulum unicum eſt fides.* & JETSALDUS apud BARTH. ad *Cl. l. c.*

Qui tibi præcipui nodis cingebar *amoris.*

c. *Roboris* quoque ac *fortitudinis* hieroglyphicon cingulum eſt. Huc refer locum Jeſ. XXIII, 10. כי אין מזח עוד *Quoniam nullum amplius*

amplius eſt cingulum; ita optime vertimus hæc verba, quæ KIMCHIUS recte *παραφράζει* כי אין לך עוד חוזק בארצך *quia nullas amplius vires habes in terra tua.* Addit egregie R. SALOM. JARCHI כל אזור לשון חוזק *cingulum ſemper ſignificat robur ac fortitudinem.* Huc refer etiam 1. Sam. II, 4. ונכשלים אזרו חיל *Et collapſi* accinguntur *robore.* Pſ. XVIII, 33. *Deus fortis* accingit *me robore.* et Deus ipſe Pſ. LXV, 7. accinctus *potentia* dicitur. Vid. Doctiſſ. BOOT. *Animadverſ. S. Lib. III. p. 197.* & ex eodem Cel. LAMPE *in Pſ. XLV. p. 173.* Cauſa hujus ſymboli & ratio eſt, quia lumbi in prœlio & executione operum graviorum accingebantur, & robur corporis ſuffulciebatur conſtrictione cinguli, ut infra videbimus. Eandem etiam ob cauſam, quia ſc. lumbi, ſedes voluptatis, conſtringebantur cingulo, illud *temperantiæ* ſymb. eſſe docet PIER. *Hierogl. P. I. p. 428.*

d. Singulare emblema eſt propheticum, quo *cingulum* a Deo hieroglyphicon *Populi Iſraëlis* conſtituitur, Jer. XIII, 1. 2. 10. 11. Jubetur enim Propheta *cingulum lineum* coëmere, lumbisque ſuis accingere; quod v. 11. explicat: *Nam quemadmodum adhæret cingulum lumbis viri, ita feceram, ut adhæreret mihi tota domus Iſraël.* ubi non ſolum arctiſſimam ac fœderalem cum populo Iſraëlis unionem innuit ſapientiſſimus Deus, ſed & decus illud honoris ac celebrationis, quod in hoc populo conſtituerat.

III. e. Ultimo loco cingulum *veritatis* atque *Evangelii* ſymb. eſſe contendimus, præeunte Apoſtolo *Eph. VI, 14.* *Στῆτε περιζωσάμενοι τὴν ὀσφῦν ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ. State* accincti *lumbos veſtros* veritate, tanquam cingulo. Quemadmodum etiam apud Perſas *cingulum* ſanctiſſimæ religionis ejusque profeſſionis ſymb. erat, unde in *Proœmio libr. Sad-der* autor ſcribit:

كه در راه دينت كمر بسته ام
اميد ازهمه خلق بكسسته ام

Nam in via religionis tuæ cingulo *me accinxi,*
Spem ab omni creatura abrupi.

Plurima loca ex Cl. HYDE *de relig. Perſ. vet. &c.* coacervavit vir laude noſtra major Cel. IKEN. Præceptor olim venerandus, in *Diſſ.* perquam erudita de כמרים *Brem. 1729. p. 9. ſq.* In ſacris ſæpiſſime verbum veritatis cum ornatu & veſtibus hominum comparari ſolet. Ita cum torque aureo Sponſæ & catena colli ejus Cant. IV, 9. cum unionibus & margaritis caput & collum ornantibus Prov. III, 15. VIII, 11. Matth. VII, 6. cum veſtibus puris ac candidis Apoc. XVI, 15. cap. III, 4. confertur. Hoc quoque ſenſu *cingulum* in loco noſtro præcipue adhibetur.

IV. Elegantiam hujus emblematis per præcipuas analogias detegemus, quando attendimus

A. ad *perſonas* variæ dignitatis ac conditionis, a quibus geſtari cingula apud antiquos ſolebant.

1. *Diis* atque *Deabus* cingula tribuuntur apud antiquos. Si ſacra ſcripta conſulimus, Archangelo, Dei filio baltheum adſignatum deprehendimus. Ita Dan. X, 5. occurrit: לבוש בדים ומתניו חגרים בכתם אופז *indutus ſindone & cinctus lumbos auro puriſſimo.* nec non Apoc. I, 13. Ἐνδεδυμένος ποδήρη, καὶ περιεζωσμένος πρὸς τοῖς μαστοῖς ζώνην χρυσῆν. Quemadmodum etiam Jeſ. XI, 5. צדק אזור מתניו והאמונה אזור חלציו *Juſtitia cingulum lumborum & fidelitas ſ.* veracitas *zona renum ejus* dicitur, quem locum in *Tract. noſtro vernac.* Vorboten der Ewigkeit, Betr. *VIII. p. 401. ſq.* excuſſimus. Denique Pſ. XLV, 4. gloria ac majeſtate *cingi* dicitur. Vide quæ ex Sephiroth ad illuſtrationem *cinguli Meſſiæ* adducit Cel. VITRINGA in *Obſerv. S. Lib. I. p. 146.* adde etiam Cl. AMEL. *in V. T. Tom. I. p. 1000.* nec non *in N. T. Tom. I. p. 210.* Diis quoque & Deabus ſuis cingula aurea gentes adſignabant. ita *Ezech. XXIII, 15.* idolis Chaldæorum effigiatis etiam cingula adſcribuntur, de quo loco vide quæ docte diſſerit Doctiſſ. J. C. BLUM *Animadv. Sacr. p. 186. ſq.* Huc reſpicit HOMER. *Iliad. II. p. m. 40.*

> \- - - μετὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων
> Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ
> Ἄρεϊ δὲ ζώνην.
> *Inter quos Rex Agamemnon oculis & capite ſimilis*
> *Jovi gaudenti fulmine, Marti autem* baltheo.

Quare

Quare & in nummis Mars pectus baltheo cinctus conſpicitur, vide OISEL. *Num. Imp. Rom. Tab. XXXIX. n. IV.* BEGER. *Tab. LXIII. n. 20.* cum inſcript. MARS VICTOR. Hercules quoque in Deorum catalogum transſcriptus, cingulum ſuper humero pendens gerere cernitur in nummis apud OISEL. *Tab. XLIV. n. 10.* cum inſcriptione: HERCVL. DEVS. ONIENS. Deabus quoque, veluti Dianæ tribuitur zona, qualis apparet in nummo apud BEGER. *Tab. XXXIII. n. 9.* &c. Unde OVID. *Lib. III. amor. el. II.*

Talia pinguntur ſuccinctæ *crura Dianæ,*
Cum ſequitur fortes fortior ipſa feras.

De *Minerva* canit HESIOD. *ἐργ. v. 72.*

Ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.
Cingulo *atque ornatu ſuo prodibat Dea cæſia Minerva.*

De Calypſo diva Dearum HOMER. *Odyſſ. V.*

Ἀυτὴ δ' ἀργύρεον φᾶρος μέγα ἔννυτο Νύμφη,
Λεπτὸν καὶ χαρίεν, περὶ δὲ ζώνην βάλετ' ἰξύϊ
Καλὴν, χρυσείην.
Ipſa vero argenteam ſtolam ingentem induit Nympha,
Tenuem & gratioſam, zonam *autem circumpoſuit lumbis*
Pulchram, auream.

Deo quoque cingulum veritatis, in ſpecie *Filio Dei* competit, qui ut ſupra vidimus cingulo hoc ornatur. Ille enim auctor eſt omnis veritatis, teſtaturque de ſe ipſo Joh. XIV, 6. *ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια, ego ſum veritas.* Accingit ſe quoque verbo veritatis Meſſias, Deus noſter, quia ipſe non ſolum in diebus V. T. ſæpius ſub forma Angeli apparuit, teſtimonium veritatis coram hominibus producens, ſed & in diebus carnis ſuæ venit in hunc mundum ut de veritate teſtimonium perhiberet, Joh. V, 33. VIII, 40. XVIII, 37. corpus ipſi fuit adaptatum a Patre, ut legem Dei, quam in viſceribus reconditam ſervabat, in lucem produceret & confirmaret, Pſ. XL, 6. 7. quare Joh. I, 14. gloria ejus plena gratiæ & veritatis dicitur. et v. 17. gratia & veritas per Chriſtum facta declaratur. Veritas Evangelii cingulum erat, quo ſe accingebat quotidie, quia ubique veritatem Evangelii pronuntiabat in urbibus, pagis atque plateis & in templo præcipue. conf. Matth. XXVI, 55.

V. 2. *Regum* inſuper ac *Principum* inſigne fuit baltheus, utpote qui apud veteres pretioſis cingulis ornati erant. Huc reſpicit Jobus cap. XII, 18. מוסר מלכים פתח ויאסר אזור במתניהם *Baltheum* Regum *ſolvit & ligat cingulum ad lumbos eorum.* Huc etiam pertinet locus Jeſ. XXII, 21. ſupra cit. ubi *cingulum principatum* deſignat & præfecturam. *Reges* & Magiſtratus apud veteres *zonis cincti* in publicum prodibant, unde CHRYSOSTOM. *Homil. XXVI. in 1. Cor.* οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων χωρὶς ζώνης καὶ χλάμυδος τολμήσειεν ἂν φανῆναι τῷ τὸ διάδημα ἔχοντι. Quare & DIODOR. SICUL. *Lib. XVII.* de Alexandro ſcribit: εἶτα τότε Περσικὸν διάδημα περιέθετο, καὶ τὸν διάλευκον ἐνεδύσατο χιτῶνα, καὶ τὴν Περσικὴν ζώνην. *Siquidem tunc diadema Perſarum impoſuit, & tunicam candidam induit cum* zona *Perſica.* Quare ζώνη pro imperio ſumitur, uti a PLUTARCHO in *Alex.* dicuntur οἱ τὴν Περσικὴν ζώνην προσκυνοῦντες *Perſicam zonam adorantes*, qui imperio Perſarum parent. Quemadmodum & ſummi Romanorum Magiſtratus cingulo ornati leguntur apud VIRGIL.

Ipſe Quirinali trabea cinctuque *gabino*
Inſignis reſerat ſtridentia limina conſul.

& de Pico Rege idem canit:

- - - *parvaque ſedebat*
Succinctus *trabea.*

nec non CLAUDIAN. *Lib. IV. Conſul. Honor.*

- - *Auſonio cum jam* ſuccinctus *amictu,*
Per Ligurum populos ſolito conſpectior ires.

Vide prolixius RUBEN. *de re veſtiar. Lib. I. p. m. 31. & 131.* nec non Cel. LAMPE *in Pſ. XLV. p. 172.* & VITRING. *Obſ. Sacr. Lib. I. p. 145.* Doctiſſ. J. F. HEBENSTREIT *de Epiſcopo milite p. 13. in not.* Cel. WICHMANSHAUS. *de baltheo ſacerdotal. reſp. auctor J. A. Cleſſel. Witt. 1717. p. 11.* D. HOHEISEL *in loca diffic. Jeſ. p. 161.* alios. Huc pertinent nummi, Imperatorum effigies equis inſidentium & cingulo ornatorum exhibentes, quales vide apud OISEL. *Num. Imp. Tab. XC. n. 7. 9. &c.* cum epigr. ADVENTVI AVG. FELICISSIMO. Quare

Meſſias

Meſſias quoque cum cingulo aureo apparet, quod regiæ ac ſummæ majeſtatis ſymb. Dan. X, 5. & Apoc. I, 13. cit.

Angeli Eccleſiæ cingulo quoque ornantur ob regiam, qua pollent, dignitatem. A Deo enim & *Reges* conſtituti ſunt & ſacerdotes, Apoc. I, 5. & una cum fidelibus regale conficiunt ſacerdotium, 1. Petr. II, 9. Apoſtolis eum in finem promittit Salvator Matth. XIX, 28. *Amen dico vobis, vos qui me ſecuti eſtis, in regeneratione, quum ſederit filius hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebitis vos etiam* in thronis duodecim (tanquam Reges) *& judicabitis XII. tribus Iſraëlis.* Quare corona ipſis tribuitur, quæ regiæ majeſtatis inſigne, Apoc. III, 11. *Serva quæ habes, ne quis auferat* coronam *tuam. Veſtes* iis tribuuntur regiæ, candidæ ſc. & ſplendentes in loc. Apoc. noſtro. Sceptrum iis conceditur potentiæ ac roboris Spiritus S. Apoc. II, 27. uti & denique *cingulum*, regiæ majeſtatis inſigne, quam per præconium Evangelii exſerunt.

VI. 3. *Sacerdotibus* inſuper cingulum competit, præcipue Judæis ſub V. T. ex conſtitutione divina. Quare inter veſtes ſacras ſacerdotum etiam אבנט *baltheus* recenſetur Exod. XXVIII, 4. & cap. XXIX, 9. de Aarone ſacerdote maximo & filiis ejus præcipit Deus: וחגרת אתם אבנט אהרן ובניו *Et cinges eos* baltheo, ſc. *Aaronem & filios ejus*, conf. Lev. VIII, 7. XVI, 4. Materia hujus balthei erat *linum*, diverſo colore variatum. MAIMONID. *Kele hamickd. Cap. VIII. §. 1.* ſcribit: אבנט לבדו רקום בצמר צבוע baltheus *ſolus acupictus lana colorata.* Ex ſerico contorto, hyacinthino, purpureo atque coccineo dibaphi componebatur hæc zona, de qua late conf. Cl. BRAUN. *de veſtitu ſacerd. Lib. II. cap. 3.* nec non J. A. CLEFFEL. *præſide* J. C. WICHMANSHAUS. *diſſ. de baltheo ſacerdot. p. 19. ſq.* De baltheo S. pontificis MAIMONID. l. c. *Cap. VIII.* ואבנטו של כהן גדול מעשה רוקם הוא והוא דומה במעשיו לאבנט כהן הדיוט Baltheus *pontificis factus eſt opere phrygico, baltheo ſacerdotum reliquorum opere non abſimilis.* De baltheo ſacerdotali quoque ſcribit JOSEPHUS *Lib. III. antiq. Cap. VII. p. m. 140. edit. Haverc.* eleganter: *ὑπεράνω τὴν ζώνην περιάγοντες, πλατεῖαν μὲν ὡς εἰς τέσσαρας δακτύλους, διακένως δ᾽ ὑφασμένην, ὥστε λεβηρίδα δοκεῖν ὄφεως. Ἄνθη δ᾽ εἰς*

αὐτὴν ἐνύφανται, φοίνικι καὶ πορφύρᾳ μετὰ ὑακίνθου καὶ βύσσου πεποικιλμένα· στήμων δ' ἐστὶ μόνη Βύσσος, καὶ λαβοῦσα τὴν ἀρχὴν τῆς ἑλίξεως κατὰ στέρνον καὶ περιελθοῦσα πάλιν δεῖται, καὶ κέχυται μὲν πολλὴ μέχρι καὶ τῶν σφυρῶν, ἕως οὗ μηδὲν ὁ ἱερεὺς ἐνεργεῖ, Πρὸς γὰρ εὐπρέπειαν οὕτως ἔχει τοῖς ὁρῶσι καλῶς. Quæ verba ſatis clara ſunt; conf. quæ commentatur Doct. BERNARD. ad h. l. Adde Cl. SHERINGHAM *ad Joma Cap. VII. p. m. 80. & p. 88.* LUND. **Jüd. Heiligthümer** *p. 420.* SAUBERT. *de ſacrific. p. m. 204.* RELANDI *antiquit. Hebr. p. 149.* SIGON. *de Republ. Hebr. p. m. 326. 330.* Sacerdotes quoque gentium *baltheis* cincti memorantur. De iis DIONYS. HALICARNASS. *Lib. II.* ſcribit: *χιτῶνας ποικίλους χαλκέαις μίτραις κατεζωσμένοι. Super tunicas verſicolores æreis* baltheis *cincti erant.* PLUTARCHUS itidem de Martis ſacerdotibus *μίτραις χαλκαῖς ὑπεζωσμένοι πλατείαις, baltheis latis æneis ſuccincti.* Vid. GUTBERLETH. *opuſc. L. ſing. de Saliis p. m. 49.* Huc refer OVID. *Faſt. Lib. IV.*

Hominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter
Hoſtia cœlitibus quo feriente cadit.

& LUCAN. *Lib. I. Pharſal.*

Impatiensque diu non grati victima ſacri
Cornua ſuccincti premerent cum torva miniſtri.

Huc refer nummum inſignem apud BEGER. *in Tab. LV. n. 19.* ubi Imperator Heliogabalus in figura *ſacerdotis* cum patera ad aram & *cingulo* cincti veſtes ſacerdotales, apparet, cum epigr. INVICTVS. SACERDOS. AVG. Quemadmodum ſacerdotes quoque Chriſtianorum, Monachi, baltheis cinguntur, vide *Doctiſſ. & Cel.* IKEN. *diſſ. de* כמרים *p. 18.*

Tales quoque ſeptem hi angeli conſiderantur, prodeuntes ex *templo* tanquam ſacri Dei miniſtri, qui ſeptem plagas habentes, judicia graviſſima Dei denuntiaturi, & hoſtes Eccleſiæ hoſtias vindictæ ac victimas excandeſcentiæ Jehovæ declaraturi erant præconio veritatis. Doctores Evangelii ſpirituales ſunt ſacerdotes a Deo conſtituti, Apoc. I, 5. 1. Pet. II, 9. Deo immolant ſuccincti zona verbi veritatis hoſtias gratas atque acceptas. Egregie ſe talem depingit Apoſt. Rom. XV, *16. ad hoc,*

hoc, ut ſim miniſter Jeſu Chriſti (ſacerdos myſticus) *apud gentes: operans Evangelio Dei, ut victima gentium fiat accepta, ſanctificata per Spiritum S.* (ignem altaris myſticum) Hi ſunt, qui tanquam ſacerdotes thus ac ſuffitum precum ardentiſſimarum Deo offerunt, quotidie intercedentes pro ſe & cœtu ſibi concredito, 1.Tim. II, 1. 2. Heb. XIII, 17. Eph. VI, 18. Jer. VII, 16. Se ipſum & vires animæ Deo tanquam libamen offerunt, quemadmodum Phil. II, 17. Paulus teſtatur: *Si pro libamento offerar ſuper ſacrificio & miniſterio fidei veſtræ, gaudeo & gratulor omnibus vobis.*

VII. 4. *Prophetis* atque Doctoribus V. & N. T. ac magis gentium *cingula* tribuit antiquitas. Elias propheta 2. Reg. I, 8. deſcribitur: בעל שער ואזור־עור אזור במתניו *vir piloſus &* cingulo *pelliceo accinctus lumbos ſuos.* Quare & Jeremias propheta cingulum lineum emere lumbisque accingere jubetur Jer. XIII, 1. Johanni Baptiſtæ ζώνη δερματίνη περὶ τὴν ὀσφῦν αὐτȣ̃ tribuitur Matth. III, 4. de quo vide SPANHEM. in *dub. Evang. dub. 98.* HEINS. in *Ariſtarch. ſacr. cap. V. p. m. 140. ſq.* BUTNER. *hiſt. fil. Zachar. Johannis cap. III. §. VI.* &c. Paulo ſimiliter ζώνη adſcribitur Act. XXI, 11. Ad hunc Prophetarum & Doctorum baltheum forte reſpicitur Job. XXXVIII, 3. accinge *inſtar viri lumbos tuos, interrogabo te, doce me:* ubi cingulum muneris Doctoris ſymb. eſſe videtur. De prophetarum zonis ſcribit CLEMENS ALEXANDR. *Pædagog. Lib. II. p. m. 203.* Μηλωτῇ δὲ ἐχρῆτο Ἡλίας ἐνδύματι, καὶ ζώνῃ τὴν μηλατὴν κατέσφιγγεν ἐκ τριχῶν πεποιμένῃ -- Ἐι δὲ καὶ Ἰερεμίαν καλεῖς, λινȣ̃ν ȣ̃τος περίζωμα εἶχε *Ovina pelle Helias utebatur indumento, & ovinam pellem ſtringebat* zona, *facta ex pilis. -- Quod ſi etiam vocas Hieremiam, is* cingulum *habuit lineum.* Ad Doctorum cingulum reſpiciunt dubio procul Judæi in *Talmud. Horaj.* in fine, נהי דאהני לך קמרא דאבוך למהוי אב בית דין *Eſto, quod profuerit tibi* cingulum *patris tui, ut factus ſis caput Synedrii.* Hoc prophetarum cingulum tum *temperantiæ* ac abſtinentiæ a mundi carnisque cupiditatibus, tum alacris & promtiſſimi ac *expediti* in munere ſuo *animi* hieroglyphicum eſſe poterat, quia cingulo renes, voluptatum ac concupiſcentiarum ſedes, coërcentur & ſimul veſtes longæ, quæ ſæpe in expediendis negotiis impedimento ſunt, ſuccinguntur.

guntur. *Magi* quoque & Doctores *φιλόσοφοι* orientalium زنارکي cingulo cincti dicuntur, unde ap. Cl. HYD. *de Rel.vet. Perſar. p.371.* præceptum legitur: بت پرست اولمه واس زنارکي *Idololatra ne eſto, nec aliquis zonario cinctus*, i. e. magus. Pluribus hoc evincit, & cingulum hoc doctrinæ & ſacratiſſimæ religionis ſymb. fuiſſe, probat Cel. & Clar. CONR. IKEN. in *Diſſ. cit. de* כמרים *§. VII. p. 6. ſq.*

Optime ergo cingulum denuo tribuitur angelis his VII. myſticis, qui munere Doctorum atque prophetarum N. T. fungebantur. Futuri enim erant Doctores publici, qui judicia Dei denuntiaturi & in hoſtes Eccleſiæ derivaturi erant. Poſt diſceſſum ſuum Salvator conſtituit *alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangeliſtas, alios Paſtores & Doctores, ad ædificationem corporis Chriſti,* Eph. IV, 11. 12. Qua Doctores in veritate confirmabant credentes, qua prophetæ ex verbo Dei ejusque vaticiniis judicia Dei graviſſima in hoſtes Eccleſiæ denotabant. Hi ſunt duo *teſtes, qui prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, induti ſaccis. Quod ſi quis eos lædat, prodit ignis* (i. e. preces candentes) *ex ore ipſorum, & devorat inimicos eorum* (per judicia Dei ad preces eorum immiſſa).

VIII. 5. Pergimus ad *zonas militum* atque belli *Ducum*, qui cingulo lumbos muniebant ad bellum profecturi, & ſimul inde redeuntes cum triumpho. Huc reſpicit vates Jeſ. V, 27. *non ſolvetur* zona *lumborum ejus* (ſc. exercitus) *neque avelletur corrigia calceamentorum ejus.* Ad zonam Ducum reſpicit David, quando de Joabo teſtatur, quod *repoſuerit ſanguinem cædis bellicæ in zonam ſuam*, 1. Reg. II, 5. Ita & 2. Sam. XVIII, 11. Joab promittit nuntio militi, ſi occidiſſet Abſalomum, *penes me*, ait, *erat dare tibi ſiclos argenteos decem & cingulum*, tanquam *militi* ad majorem dignitatem in belli ordinibus evehendo. nec non Ez. XXIII, 15. ubi *cingula Ducum* memorantur, ſeu חגורי אזור במתניו *cincti lumbos cingulo*, מראה שלישים *aſpectu inſtar Ducum.* Nihil quoque in antiquitatibus profanis notius eſt *cingulo militiæ*, quod captivis & victis detrahebatur in prælio. Sic egregie ad hanc

hanc rem ſcribit HERODIAN. *hiſt. L. II. Cap. 13. §. 19.* Τὰς δὲ ζώνας, καὶ τὰς ἐσθῆτας, καὶ εἴτε σύμβολον ἔφερον στρατιωτικὸν ἀφαρπάσαντες, γυμνοὺς ἐξέπεμπον. *Tum* zonis, *veſtituque & cæteris militiæ inſignibus per vim ablatis, nudos ad unum exauctoratosque dimiſerunt.* Quare Arabes virum belli رجل كبيث الازار *Virum cingulo accinctum* appellant apud GIGG. in *Lexic.* uti & *accingi* ad prælium præparari in ſacris notat, Eſ. VIII, 9. 2. Reg. III, 21. Huc refer HOMER. *Iliad. Lib. X. p. m. 177.*

> Πὰρ δὲ ζωστὴρ κεῖτο πανάιολος, ᾧ ῥ᾽ ὁ γεραιὸς
> Ζώννυθ᾽ ὅτ᾽ ἐς πόλεμον φθισήνορα θωρήσσοιτο.
> *Prope etiam* baltheus *jacebat valde varius, quo ſenex cingebatur, quando ad bellum pernicioſum armaretur.*

Huc refer VALER. FLACC. *Lib. V. argon.* in fin.

> *Quis procul ille virum nobis, quem baltheus aſper*
> *Subligat & ſtricto ſtat proximus armiger arcis.*

Athletæ quoque & pugillatores cingulo ſe ſuccingebant, unde HOMER. *Iliad. XXIII. p. 407.*

> Ζωσαμένω δ᾽ ἄρα τὼ γε βάτην ἐς μέσσον ἀγῶνα,
> *Accincti autem hi iverunt in medium luctæ.*

ubi EUSTATH. ζῶμα δὲ οὐ μόνον ἐν πυγμαχίᾳ, ἀλλὰ ἐζώννυντο καὶ οἱ παλαίοντες, ὡς δηλώσει προιὼν ὁ ποιητής. Vide FABRI *Agoniſt. Lib. II. cap. II. p. m. 116.* LYD. *agoniſt. ſacr. p. m. 42.* De zonis militum varia loca congeſſerunt viri docti, quos conſule, veluti OUZEL. ad *Minuc. Felic. Octav. p. m. 116.* DEMPSTER. *ad Roſin. antiq. Lib. X. p. m. 958.* BAYF. *de re veſtiar. cap. XVII. p. m. 228.* STUCK. *antiq. conviv. Lib. II. Cap. 29. p. m. 246.* BOCHART. *Phaleg. P. II p. m. 825.* Cel. WICHMANSHAUSEN. & HEBENSTREIT. in *Diſſ. ſupra citt.* nec non Doct. C. H. RITMEIER in *Diſſ. de armatura ſpiritual. Helmſt. 1701. p. 15. ſq.* alios.

Angeli quoque noſtri *cingulo militari* ornati occurrunt tanquam *Duces* exercitus Jehovæ, progreſſuri ſeque accingentes ad bellum Jehovæ atque triumphaturi de hoſtibus veritatis & Antichriſto. Doctores eum in finem ἡγούμενοι *Duces* appellantur, Heb. XIII, 17. quorum typus

 erat

erat Gideon, præiens exercitum lapada & urceum gerens, quo alluditur 2. Cor. IV, 7. quando Doctores theſaurum veritatis Evangelicæ (tanquam lucem illam veram) in *vaſibus* gerere *teſtaceis* dicuntur. *Accingunt* illi ſe ad bellum cingulo veritatis, qua hoſtes ipſius convincunt & profligant. Veritas lumbos eorum corroborat & efficit ut triumphent, Rom. VIII, 37. cap. XV, 18. 19. Tales hi ſeptem angeli, qui exibant ad judicia Dei & bellum Jehovæ contra veritatis hoſtes denuntianda, adeoque certamen hoc inchoandum, quare cincti baltheo veritatis in pugnam prodibant.

IX. 6. Addimus inſuper *virginum* atque *ſponſarum* cingula ab antiquis paſſim notata. Virgines Hebræorum circa pectus & mammas gerebant cingula, quæ Chald. מחוכיא מבית תדיהן *pectoralia e loco mammarum* appellat ad Num. XXXI, 50. *Gloſſa* quoque ad *Schabb. XIII. 2.* פורץ' יינט שהיא חוגרת בו ומגיע ממתניכם ולמטה *Succinctum, quo illa cincta eſt, & pertingit a lumbis deorſum.* Quemadmodum & in *Schabb. fol. 62. 2.* ex Jeſ. III. ſcribunt מקום שהיו חגורות בצלצול *Loco, quo fuerunt cinctæ (virgines) cingulo pretioſo, erunt diſſolutæ.* Vide Jeſ. III, 24. Ita virginalem zonam memorat HOMER. *Odyſſ. XI. p. m. 155.*

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ' ὕπνον ἔχευεν,
Solvit vero virginis zonam, *ſomnumque ſuper infudit.*

& *hymn. in Apollin.*

Κρισσαγῶν ἄλοχοι καλλίζωνοί τε θύγατρες,
Criſſagorum mulieres & virgines pulcre cinctæ:

ÆSCHYLUS in *Chœph.* *κόρας βαθυζώνους* *virgines profunde cinctas* appellat: & CATULLUS

Quod poſſet zonam ſolvere virgineam.

In primis *ſponſarum* zona notanda eſt, qua utebantur tum apud Hebræos, veluti docet BUXTORF. *de Synag. Cap. XXIX. p. m. 627.* tum apud Græcos, quare Venus ad ſponſam apud HOMER. *Iliad. XIV. p. m. 266.*

Τῆ νῦν τοῦτον ἱμάντα, τεῷ δ' ἐγκάτθεο κόλπῳ
Ποικίλον, ᾧ ἔνι πάντα τετεύχεται.

Accipe

Accipe nunc hoc cingulum, *tuoque accinge gremio*
Varie contextum, in quo omnia facta ſunt.

Quare *zonam* novæ nuptæ *ſolvere* dicitur maritus, uti MUSÆUS de Hero & Leandr.

Ὡς ἡ μὲν ταῦτ᾽ εἶπεν, ὁ δ᾽ αὐτίκα λύσατο μίτρην,
Καὶ θεσμῶν ἐπέβησαν ἀρίςονο κυθερείης.
Sic illa hæc dixit, ille vero ſtatim ſolvit zonam,
Et leges iniverunt benevolæ Veneris.

Plura hanc in rem teſtimonia coacervare poſſemus, niſi otium nobis feciſſent viri docti. Vide præter alios BAYF. *de re veſtiar. p. m. 228.* KIPPING.*antiq. Rom. p. m. 698.* DEMPSTER *ad* ROSIN. *l. c. p. m. 587.* PFEIFF. *antiq. Græc. Lib. IV. Cap. XX. p. 653.* DOUGT. *anal. ſacr. P. II. p. 172.* Cl. ZORN. *opuſc. ſacr. part. I. p. 63.* STUCK. *antiq. conviv. Lib. II. Cap. 29. p. m. 246.* Ven. SCHARBAU in *Parerg. P. I. p. 17.* J. N. RHOST. *de zona pecun. vet. Jen. 1681. §. XVII. ſq.* nec non *Diſſert. ſupra cit.*

Virginitatis ergo ſymb. eſt cingulum; virginitas quoque competit Doctoribus N. T. angelis myſticis, propter theſaurum doctrinæ quam poſſident, quare cum *virginibus tympaniſtriis* Pſ. LXVIII. eos comparatos contemplati ſumus ſupra in *Exercit. III. Lib. III.* ubi ſimul varias hujus denominationis rationes dedimus. Hi ſunt *virgines* illæ, & non inquinati cum mulieribus, ſed ſequuntur agnum, Apoc. XIV, 4. virginitatem doctrinæ conſervare ſtudioſe quærunt, μὴ καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ἀλλ᾽ ὡς ἐξ εἰλικρινείας, ὡς ἐκ Θεοῦ, κατενώπιον τοῦ Θεοῦ ἐν Χριςῷ λαλοῦσι 2. Cor. II, 17. *Virginem* tuentur conſcientiam, quam puram & integram conſervant coram Deo & hominibus cum Paulo, Act. XXIV, 16. *virginem* ſervant converſationem, ne a mundi carnisque concupiſcentiis ac voluptatibus abripiantur & candidas animæ ac confeſſionis ſuæ veſtes polluant, Apoc. III, 4. abſtinent ab omnibus concupiſcentiis animam impugnantibus, 1. Petr. II, 11.

X. 7. Zonis accingebantur porro *viatores* ac *iter facientes*, qui lumbos cingulis muniti eo celerius atque cum defatigatione minori iter abſolvere ſolebant. Huc refer Exod. XII, 11. præceptum de comedendo paſchate, calceis pedibus applicatis, manibus baculis munitis & *cingulis*

gulis lumbos accinctis. Quemadmodum Elias *lumbos accingens* præcurrebat Achabo 1. Reg. XVIII, 46. Et Gechazi jubetur a Magiſtro ſuo *lumbos accingere* & ſumto ſcipione iter facere ad Schunamitiden, 2. Reg. IV, 29. conf. Act. XII, 8. cap. XVI, 11. Joh. XX, 18. Unde vox זריז *cinctus* Rabbinis & Chald. *viatorem, curſorem* deſignat; ſic Eſth. III, 15. in TARG. JON. נפקו זריזין ריהטונין *curſores exiverunt feſtini.* Huc reſpicit HESIOD. *ἔργ. v. 344.*

Ἐι γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγχώριον ἄλλο γένηται
Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.
Si enim tibi aliquod negotium ruſticum inexſpectatum eveniat,
Vicini diſcincti accurrunt, cinguntur *autem cognati.*

Quare Mercurius *Alticinctus* depingitur a MART. CAPELLA *Lib. I. de Nupt. Merc.* quia Deorum *nuntius* & quaſi ſemper ad officia paratus credebatur. Unde *accingi* ſæpius deſignat eſſe *expeditum*, ad quævis officia promtiſſimum. Ita *Arab.* كمهل *accinxit ſe ad iter*, & شملل *promtus* & *expeditus* fuit. Egregie quoque ſcribit HARIR. *Conſeſſ. tertio edit.* Cl. SCHULTENS. *p. m. 161.* ثم شمر للانتشا بعد توفيه الثنا *Tum accinxit ſe ad diſcedendum, poſtquam cumulate gratias egiſſet.* Plura loca addit Cl. SCHULT. *in Animadverſ. ad h. l.* Quare *ſervi* quoque apud veteres præcingebantur, veluti ex hiſtoria pedilavii Joh. XIII, 4. 5. conſtat, ubi Chriſtus ſervi formam induiturus, linteo ſe præcingit & miniſtrat. Huc quoque Salvator oculum vertit, quando Luc. XII, 35. 36. jubet: *Sint lumbi veſtri* ſuccincti & *lucernæ ardentes, & ſimiles eſtote* (ſervis) *exſpectantibus dominum ſuum venturum.* Quare PHÆDRUS atrienſes *alticinctos* appellat *fab. XXXVI.*

Ex alticinctis unus atrienſibus.

& *Lib. II fabul* de ſervo:

Cui tunica ab humeris linteo Peluſio
Erat diſtricta.

conf. OUZEL. *ad Minuc. Felic. p. m. 116.* PIGNOR. *de Serv. p. 30. & 131.* nec non Doctiſſ. HACKM. *Diſſ. de* כמוש *Moabitarum idolo*

lo ſub præſid. Viri Cel. A. SCHUMACH. *Brem. 1730. p. 14. ſq.* J. NIC. RHOST. *Diſſ. cit.* alios.

Doctores quoque Eccleſiæ cingulo veritatis muniti iter per deſerta hujus mundi tuto abſolvunt. Sunt *viatores, duces* aliorum in via ſalutis, qui præeunt, Hebr. XIII, 17. quorum fidei veſtigia legere oportet populum Dei, cap. XIII, 7. Quare Paſtores & duces gregis Dei appellantur 1. Petr. V, 2. 3. Act. XX, 28. Jer. III, 15. *Servi* ſunt & *atrienſes* myſtici per verbum veritatis conſtituti, qui atria Jehovæ ejusque limina cuſtodiunt, inſtar ſervorum Dei, Pſalm. LXXXIV, 11. CXXXIV, 1. CXXXV, 1. 2. Præcingunt ſe baltheo veritatis Evangelii, ut expediti exiſtant tanquam ſervi fideles ad opus Domini in hac terra peragendum. *Stabiles* ita exiſtunt ac *immoti*, *eminentes in opere Domini,* 1. Cor. XV, 58. Miniſtri ſunt fidei credentium & Evangelii, Eph. III, 7. Col. I, 23. *Servi* Chriſti ſunt, qua tales agnoſcendi ab Eccleſia, 1. Cor. IV, 1. Quare cum *Angelis* in loco noſtro etiam comparantur, ob promtiſſimum in executione mandati divini & præconio Evangelii animum atque obedientiam Deo præſtitam in omnibus.

XI. B. Tranſimus ad varias cingulorum apud veteres *qualitates & uſus.* Adeoque conſideramus

a. *Materiam* eorum, quæ erat *aurea, argentea, purpurea* ac *byſſina. Aurei* balthei mentio injicitur in locis ſupra citatis, Apoc. I, 13. Dan. X, 5. nec non 1. Macc. X, 89. XI, 59. quemadmodum etiam in loco noſtro. Ex *byſſo* ſerico contorto, variisque coloribus intertexto conſtitiſſe ſacerdotum apud Hebræos baltheum, ex ſupra adductis conſtat. Ex *corio* cingulum & *pellibus* geſtaſſe prophetas, itidem ex ſupra dictis liquet. *Aureos* baltheos memorant antiqui, veluti HOMER. *Odyſſ. Lib. X. p. m. 145.*

- - *περὶ δὲ ζώνην βάλετ' ἰξύϊ*
καλὴν χρυσείην.
Zona *autem pulchra* aurea *cinxit lumbos.*

SENEC. *Herc. Fur. Act. II. in Chor.*

Aurato *religans ilia* baltheo.

VIRGIL. *Æneid. Lib. V.*

- - *lato quam circum amplectitur* auro
Baltheus *& tereti ſubnectit fibula gemma.*

Argenteum memorat HOMER. *Iliad. XVIII. p.m.343.*

- - - οἱ δὲ μαχαίρας
Εἶχον χρυσείας ἐξ' ἀργυρέων τελαμώνων.
Illi autem gladios geſtabant aureos ab argenteis cingulis.

Purpureos deſcribit idem Poëta *Iliad. Lib. VI. p.m.109.*

Οἰνεὺς μὲν ζωστῆρα δίδε φοίνικι φαεινόν.
Oeneus quidem baltheum *dedit* purpura *lucidum.*

conf. *Lib. VII. p.m.125.*

Veritas quoque Evangelii baltheus eſt *aureus*, *argenteus*, *byſſinus* ac *purpureus*. *Aureus* eſt, quare toties in ſcriptis ſacris cum auro puro ac pretioſo comparatur. vide Pſalm. XIX, 11. CXIX, 72. 127. Prov. III, 14. VIII, 10. 19. XVI, 16. XX, 15. Thren. IV, 1. ſolidum eſt verbum inſtar auri ac conſtantiſſimum, probatum ac depuratum absque ſcoriis ſtatutorum humanorum. *Argentum* eſt, quod luce puritatis ſuæ ſe commendat ad conſcientiam hominum. vide Prov. II, 4. Pſ. CXIX, 72. Prov. VIII, 10. III, 14. Jeſ. I, 22. &c. *Purpureus* eſt baltheus, quoniam argumentum ejus integrum conſtituit expiatio Mediatorii *ſanguinis*, quam exhibet nobis verbum Evangelii, 2. Cor. V, 19. 20. & de *purpura* Meſſiæ, ejusque regio munere ac dignitate ubique teſtatur ſcriptura, Pſ. II, 6. Apoc. XIX, 16. In ſpecie cingulum ſacerdotum V. T. materia ſua effigiem verbi veritatis exhibebat, Exod. XXV, 4. XXVIII, 5. *byſſus candida* puritatem ejus & ſanctitatem immaculatam, Pſ. XIX, 11. *duplicatio* filorum tum conſtantiam ac firmitatem, tum compagem tot veritatum cœleſtium arctiſſimam ex quibus conſtat, deſignabat. Color *hyacinthinus* cœleſtem originem ob cœruleum illius fulgorem, *purpureus* & *coccineus* ſanguinem mediatoris & regiam ejus dignitatem, quam deſcribit hoc verbum Evangelii, obumbrabat.

XII. b. *Formam* cingulorum ſi ſpectes, *longiſſima* fuere, corpus bis terve ambientia, variisque *gemmis*, *bullis*, *texturis* atque *inſcriptionibus* exornata. Baltheos ſacerdotum Hebr. deſcribit MAIMON. *in*

כלי

אבנט רחבו כמו שלוש אצבעות וארכו *Cap. VIII.* כלי המקד״ שלושים אמה Baltheus *latus erat circiter tres digitos & longus triginta duas ulnas.* BARZELONITA vero ſcribit: האבנט הוא כמין אזור שחוגרים בו אלא שהם היו מקיפין בו הרבה הקפין מה שאין אנו עושין כן באזור *Baltheus erat inſtar cinguli, quo homines ſe cingere ſolent, ſed multoties corpus ambit, quomodo nòn agimus cum noſtris cingulis. Ornatum* cingulorum deſcribit HERODIAN. *hiſt. Lib. V. cap. 2. §. 10. p. m. 225.* Προήει τε πόρπαις καὶ ζωστῆρι χρυσῷ πολλῷ καὶ λίθοις τιμίοις πεποικιλμένοις κεκοσμημένος. *Incedebat cum fibulis ac baltheo auro multo ac pretioſis gemmis variegatis exornato.* Huc refer HOMER. *Iliad. Lib. XIV. p. m. 265.*

Χρυσείης δ' ἐνετῇσι κατὰ στῆθος περονᾶτο
Ζώσατο δὲ ζώνην ἑκατὸν θυσάνοις ἀραρυῖαν.
Aureis autem fibulis circa pectus connexuit
Et cinxit cingulum centum fimbriis contextum.

& egregrie idem figuras intertextas cingulorum depingit *Odyſſ. Lib. XI. p. m. 167.*

- - *ἀμφὶ περὶ στήθεσσι ἀορτὴρ,*
Χρύσεος ἦν τελαμὼν, ἵνα θέσκελα ἔργα τέτυκτο,
Ἄρκτοι τ', ἀγρότεροί τε σύες, χαροποί τε λέοντες
Ὑσμῖναί τε, μάχαι τε etc.
- - - *illi circum pectora* baltheus
Aureum erat lorum, in quo opera miranda elaborata erant,
Urſique agreſtesque aſtri timendique Leones
Prœliaque & pugnæ &c.

Huc refer VIRGIL. *Lib. XII. Æneid.*

Baltheus & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri.

& CORIPP. AFRICAN. *Lib. IV. de laud. Juſt.*

Nobilibus gemmis & cocto lucidus auro
Baltheus effulgens lumbos præſtrinxit beriles.

Plura de ornatu cingulorum vide apud DEMSTER. *ad Roſin. l. c. p. 958.* RAMIREZ de PRADO *Pentecont. Cap. VII. p. 46.* RUBEN. *de re veſtiar.*

veſtiar. p. m. 131. Doctiſſ. RITMEIER *Diſſ. cit. p. 16.* J. A. CLEFFEL. *Diſſ. cit. p. 8.* Cel. LAMPE in *Pſ. XLV. p. 172.* BARTH. *ad Claud. p. m 912.* nec non ad STAT. *Theb. XII.* Ex cingulorum pictorum ac interdum literatorum antiquitate, explicanda inſcriptio cinguli Meſſiæ eſt, Apoc. XIX, 16. Conf. Cl. ZORN. *bibl. Exeg. antiq. p. m. 1109.* & quos citat auctores in not.

Verbum quoque veritatis eſt non ſolum certæ longitudinis & latitudinis inſtar cinguli ſacerdotalis, ſed & varie exornatum. *Longitudinis* eſt immenſæ, quia eſt quaſi ingens veritatum abyſſus, quam ratio noſtra expiſcari aut demetiri non valet. Quare David Pſ. CXIX, 96. teſtatur: *Omni perfectioni video eſſe finem, latiſſimum autem eſſe mandatum tuum.* Eſt myſterium profundiſſimum, 1. Tim. III, 16. Heb. I, 2. 3. *Exornatur* hoc cingulum *gemmis* & *inſcriptionibus* i. e. operationibus Spiritus S. tot fidei victoriis per conſtantem veritatis profeſſionem editis. Hac ratione veritas ſplendore ſuo ac majeſtate oculos aliorum in admirationem rapit, qui ita intuentur oculis illuſtratis *mirabilia* legis ac verbi Jehovæ, Pſ. CXIX, 18. & v. 119. teſtatur Eccleſia: *Mirabilia ſunt teſtimonia tua, idcirco ea cuſtodit anima mea.* Quot veritatibus cœleſtibus & myſteriis refertum eſt verbum Dei, tot quaſi bullis ac gemmis rutilat hoc cingulum myſticum.

XIII. c. Hanc ob cauſam inſigne *decus*, *ornatum*, *pulchritudinem* & *gloriam* conciliabat ejusmodi cingulum exornatum illi, qui iſtud geſtabat. Quare non ſolum Jeſ. III, 25. חגורות *cingula* inter pretioſos mulierum ſ. virginum *ornatus* referuntur; Sed & Jer. XIII, 9. Iſraël in ſymbolo prophetico cum *cingulo* comparatur, quia populus futurus erant לתפארת in *gloriam* & *decus*. Quemadmodum *Cel.* quoque VITRINGA in *obſerv. ſacr. P. I.* ex Sephiroth Cabbaliſtarum docet, quod *zona aurea maxime ſignum fuerit* τῆς תפארת *ornamenti & decoris*, ut ſcribit p. 146. Quare & HOMERO γυνὴ ἐύζωνος *mulier bene cincta* pro εὐκόσμητος *bene ornata* dicitur, & interprete EUSTATH. ζωνὴ ſignificat totum καλλωπισμὸν i. e. ornatum. Vid. STUCK. *antiq. conviv. Lib. II. cap. 29. p. m. 245.* AMEL. in *V. T. Tom. I. p. 999.* Huc refer illud CORIPPI AFRIC. *Lib. IV. de laud. Juſt. n. 3.*

Par

Par habitus, par forma fuit, veſtisque rubebat
Concolor, atque auro lucebant cingula mundo.

et *Lib. II. num. IV.*

- - - promuntque feruntque
Auguſtas veſtes, pretioſaque cingula gemmis.

nec non CLAUDIAN. *IV. Conſul. Honor.* ornatum pompamque deſcribens:

Nunc quoque quos habitus, quantæ miracula pompæ
Vidimus, Auſonio cum jam ſuccinctus amictu
Per Ligurum populos ſolito conſpectior ires.

Optimus quoque tum omnium credentium tum Doctorum N. T. ornatus eſt verbum veritatis. Eleganter hoc præfigurabatur non ſolum per ציצית ſeu fimbriolas, quas veſtibus aſſuebant Iſraëlitæ, & quarum aſpectu præceptorum divinorum memores eſſe jubebantur, Num. XV, 39. ſed & per טוטפות Iſraëli præſcriptas, de quibus Deut. XI, 18. *Sed reponetis hæc verba mea in corde veſtro & animo, & alligabitis ea in ſignum manui veſtræ, eruntque ornamentum frontale inter oculos veſtros.* Idem per viſionem inſignem Apoc. XII, 1. denotatur, ubi mulier apparet cum *corona XII. ſtellarum,* quæ ſymb. *doctrinæ* Evangelicæ ab Apoſtolis XII. annuntiatæ, quæ diadema ac ornatus eſt fidelium. Doctrina hæcce ſanctiſſima eſt animæ ornatus puriſſimus, per lineos ſacerdotum V. T. *baltheos* depictus. Decus, hac ratione cincti, exiſtunt in oculis Dei, qui in eis beneplacitum habet, imo decus in oculis ſanctorum atque angelorum.

XIV. d. Uſus porro ſpeciales cingulorum conſiderantes, obſervamus

1. Veteres iisdem *lumbos conſtrinxiſſe*, ut ita corpus quaſi confortaretur, ſimulque *veſtes*, quas in oriente laxas atque longas gerebant, *ſuccinxiſſe*, ne impedimento eſſent ambulantibus aut operantibus. Nil frequentius in ſcriptis ſacris legimus, quam *lumborum ſubſtrictionem.* Sic חגר את מתניו toties in V. T. memoratur, de Gechaſi 2. Reg. IV, 29. de Elia 1. Reg. XVIII, 46. de uxore bona Prov. XXXI, 17. adde Jeſ. XI, 5. Job. XXXVIII, 3. Jer. I, 17. in N. T. ὀσφύες περιεζωσμένοι dicuntur Luc. XII, 35. adde Eph. VI, 14. 1. Pet. I, 13. &c. Quare lumbos accingi eſt *corroborari* viribus; uti eum in finem Spiritus S. phraſin

אזר חיל vel חגר *accingi robore* adhibet 1.Sam. II,4. & cæt. loc. ſupra cit. Recte JUL. POLLUX. *onom. Lib. VII. Cap. 14.* τὸ περὶ τῇ κοιλίᾳ ζῶσμα, περίζωμα ἢ περίζωσον. *Vocarunt cincturam ventris* i. e. lumborum, *cingulum aut zonam.* Huc quoque refer OVID. *faſt. Lib. II. v. 321.*

Ventre minor zona eſt: tunicarum vincla relaxat,
Ut poſſet magnas exſeruiſſe manus.

nec non VIRGIL. *Lib. XII. Æneid.*

Horum unum ad medium, teritur qua ſutilis alvo
Baltheus, & laterum juncturas fibula mordet.

Ad *pectora* accingebant Judæi præcipue ſacerdotes cingula. KIMCHI dicit נגנר אצילי ידים quod explicat JARCHI על צלעותיהם לנגר המרפק *ad coſtas circa humeros.* Uti Chriſtus Apoc. I, 13. πρὸς τοῖς μασοῖς ad *mammas* ſeu pectus, & angeli noſtri περὶ τὰ ςήθη circa pectus, cincti dicuntur, Ap. XV, 6. vide *Diſſ.* Doct. CLEFFEL. *l. c. p. 40.* *Fibula* autem *aurea* & *pretioſa* in cingulis conſpicua, ſubnectebant veſtes laxas ad *pectus.* Eleganter hoc exprimit HOMER. *Iliad. XIV. p. m. 265.*

Χρυσείης δ' ἐνετῇσι κατὰ ςῆθος περονᾶτο,
Ζώσατο δὲ ζώνην ἑκατὸν θυσάνοις ἀραρυῖαν.
Aureis autem fibulis ad pectus connexuit,
Cinxitque cingulum centum fimbriis concinnatum.

et VIRGIL. *Lib. IV. Æneid.*

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

et *Lib. V. Æneid.*

- - - *quam circum amplectitur auro*
Baltheus & tereti ſubnectit fibula gemma.

Elegantiſſime hic cingulorum uſus efficaciam atque effectus verbi veritatis ob oculos ſiſtit. Verbum Dei eſt medium, quo lumbos, qui ſedes deſideriorum apud veteres habebantur, ſubſtringunt credentes, atque ita contra tentationes varias corroborantur. Hoc eſt medium, quo mundi carnisque concupiſcentias ac voluptates ſupprimunt, hominemque veterem enervant, Gal. V, 24. Quare virtus Dei ad ſalutem appellatur Evangelica veritas, Rom. I, 16. comprimit hoc cingulum

lum myſticum vaga deſideria, quæ mundi cupediis facile abripi poſſunt, vide Pſ. CXIX, 147. 148. 174. 117. *Corroborantur* quoque verbo gratiæ, quemadmodum Apoſt. ſcribit 1. Joh. II, 14. *Scripſi vobis adoleſcentes, qui validi eſtis, verbum enim Dei habitat in vobis.* & 2. Tim. II, 1. *Fili mi corroborator per gratiam, quæ eſt in Jeſu Chriſto* &c. Adde Heb. V, 12. 14. *Veſtes* quoque *diffluentes* cogitationum in vanitate aberrantium colligit hoc cingulum myſticum; ex amore enim verbi Dei oritur odium cogitationum vanarum, Pſ. CXIX, 113. excelſa rationis hac ratione deſtruuntur per obedientiam Evangelii, 2. Cor. X, 5. converſatio vana ac luxurioſa conſtringitur ita, ut ſobrie, caſte & temperanter vivant & converſentur in hoc mundo electi, Tit. II, 11. 12. atque *expeditos* reddit eosdem, ut cum tremore ac metu exoperentur ſalutem, Phil. II, 12. & absque impedimento perficiant curſum ſuum, 2. Tim. IV, 7.

XV. 2. Uſus alter cingulorum erat *bellicus;* illis enim *gladios, tela* ac *pharetram* appendebant antiqui. Unde in ſcriptis ſacris frequens occurrit phraſis חגר החרב על מתניו *accingere gladium femori* ſeu *lumbis ſuis*, quemadmodum faciebant filii Levi, Exod. XXXII, 27. Similiter Ehud gladium bicipitem femori dextro accingebat, Jud. III, 16. & David accinctus gladio ſuper arma 1. Sam. XVII, 39. adde 1. Sam. XXV, 13. 2. Sam. XX, 8. Neh. IV, 18. Pſ. XLV, 4. Cant. III, 8. Præcipue quoque *baltheus* cum gladio ab humeris ſuſpendebatur apud Orientales. Inſignis in hanc rem locus eſt apud Cl. ALB. SCHULTENS in *not. ad* HARIR. *Conſeſſ. II. p. 43. col. 1.* اذا بلغ الصبي عند العرب الحلم ازالوا الاحراز من عنقه والبس العمامة والازار وقلد السيف *Quum puer apud Arabes attingit pubertatem, removent a collo ejus amuleta, & induitur cidari ac* cingulo, gladius*que de collo ejus ſuſpenditur.* Huc quoque reſpicit SIDON. APOLLIN. *carm. 11.*

- - - *bullis hoſtilibus aſper*
Subligat a læva fulgentem baltheus enſem.

& OVID. *II. faſt. v. 13.*

Nec galea tegimur, nec acuto cingimur enſe.

Conf. *Lib. III. amor. eleg. VIII. v. 14. II. Faſt. 783.* Nec non VIRGIL. *Lib. XII. Æneid.*

- - - laterique accinxerat enſem
Fulgebatque alta decurrens aureus arce.

Tela quoque *cum pharetra* ex humeris ope cinguli ſuſpendebant, quod exprimit VIRGIL. *Æneid. Lib. I.*

Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum.

Doctiſſ. CHOUL. *in Tract. de la Caſtrametat. des Romains p. 14. ſq.* exhibet autiqua marmora, in quibus heroës, gladios ex baltheo humerali ſuſpenſos gerentes apparent; et pag. 16. cum pharetris ac telis ab humero ſuſpenſis, una cum gladiis. conf. etiam Cl. LAMP. *ad Pſ. XLV. p. 162. 165. ſq.*

Verbum quoque Dei medium illud eſt, quo totam nobis armaturam Spiritus applicamus. Quare Apoſtolus ex hoc Evangelii reconditorio totam armaturam ſuppeditat ſub vexillo Chriſti militantibus, Eph. VI, 13. 14. *Aſſumite univerſam illam armaturam Dei, ut obniti valeatis tempore adverſo, & re bene confecta, conſiſtere queatis. State igitur lumbos accincti veritate & induti thorace juſtitiæ &c.* Vera fide in verbum Evangelii induunt *arma lucis*, quibus molimina & machinas Principis tenebrarum irrita reddunt, Rom. XIII, 12. Quare ſermo veritatis & arma juſtitiæ conjunguntur 2. Cor. VI, 7. Hac ratione Doctores N. T. arma militiæ valida adhibent, ad deſtruenda munimenta tenebrarum, 2. Cor. X, 4. Perpetuo in certamine agunt credentes, Satana, mundo & carne ipſorum colludente; undique cinguntur hoſtibus, & niſi ex verbo Dei arma ſpiritualia acciperent, ſuccumbere ipſos oporteret. Verum ex eodem verbo muniuntur clypeo fidei, thorace juſtitiæ, gladio promiſſionum Spiritus S. quibus victores evadunt. Quia *enim verbum Dei habitat in illis, ſuperarunt Satanam impium illum*, 1. Joh. II, 14.

XVI. 3. In zonis ac cingulis antiqui *nummos*, *pecuniam* atque *divitias* reponebant atque geſtabant. Huc reſpicit Salvator Matth. X, 9. *non comparabitis vobis aurum, nec argentum, nec æs in zonis veſtris.* Quare & Auctor *Sepher Siphra* ad Lev. XXV. v. 39. ſcribit: מנין שאין אדם רשאי למכור עצמו ולהניח אפינדתו וליקח לו בהמה וליקח

ולִיקח לו כליםם ולִיקח לו בירת *Unde eſt, quod homini non liceat vendere ſe ipſum, ut (pretium) ponat in* cingulum *ſuum, ut acquirat ſibi jumentum, vaſa aut domum.* Huc refer Rabbinorum proverbium in *Chol. fol. 108:* אזורו· מוכיח עליו *Cingulum ejus arguit de ipſo, quod ſc. pauper ſit.* Notum eſt Judæorum dictum in *Berach. fol. 62.* (conf. Matth. X, 9.) ולא במעות הצרוריםם לו בסדינו ובפונדתו *nec* (aſcendit homo in montem templi) *cum pecuniis ligatis in cingulo ſuo;* ubi Gloſſa Talmud. אזור חלול שנותנין בו מעות *Cingulum cavum eſt, in quo recondunt pecunias.* Mercatores *milites* & alii *zonis* eum in finem utebantur, unde SIMONIDES in *Antholog. Lib. VII. ep. 12.*

> Ἔμπορε καὶ φορτηγὲ, τὸ σὸν βαλάντιον οἶδεν,
> Καὶ πόθεν αἱ ζῶναι, καὶ πόθεν οἱ πίνακες.
> *Mercator & nauta, tua crumena novit,*
> *Et unde hæ zonæ, & unde hæ tabellæ.*

Huc reſpicit PLUTARCH. in *Lucullo.* Οἱ δὲ ἄγοντες αἰσθόμενοι πεντακοσίους χρυσοῦς ὑπεζωσμένον ἀπέκτειναν. *Quum ſenſiſſent, qui eum ducebant, aureis quingentis ſuccinctum, interfecerunt.* Nec non SUETON. in *Vitell. Simul dilabentibus cunctis, zona ſe aureorum plena circumdedit, confugitque in cellulam janitoris.* Uti & PLAUT. *in Pænul.*

> *Tu qui zonam non habes, quî hanc veniſti in urbem?*
> *Aut quid quæritis.*

Plura de zonis hiſce lege apud BAYF. *de re veſt. p. m. 228.* STUCK. *antiq. conviv. Lib. II. cap. 29. p. m. 247.* WASER. *de antiq. nummis Hebræor. Cap. XIX. in Bibl. Crit. p. m. 982.* DEMPSTER. *ad Roſin. antiq. Lib. II. Cap. IX. p. m. 171.* Doct. RHOST. *Diſſ. ſing. de zona pecuniar. Jen. 1681.* & alios quos citat Cel. & Clar. WOLF. *in Cur. Phil. ad Matth. X. p. 177. ſq.*

Verbum Evangelii quoque receptaculum eſt divitiarum præſtantiſſimarum, quibus divites exiſtimus in Deo, Luc. XII, 21. Recte de eo prædicat S. ſapientia Prov. III, 14. 15. *Melior eſt negotiatio ejus negotiatione argenti, & auro effoſſo, proventus ejus pretioſior eſt carbunculis, & cuncta deſiderabilia illi æquiparari nequeunt.* Qui hoc verbum poſſident,

dent, licet pauperes, *divites* exiſtunt Apoc. II, 9. vere bona exhibet hic theſaurus, divitias illas, quas nec fur rapere nec tinea conſumere valet, Matth. VI, 20. *Quare melior eſt lex oris Dei multis millibus aureorum & argenteorum*, Pſ. CXIX, 72. In hoc cingulo myſtico fide applicato poſſidet anima omnes divitias omniſufficientiæ divinæ; exhibet quippe omnia Salvatoris merita, veſtes puras, aurum atque collyrium, ita ut divites evadamus illis nobis applicatis, Apoc. III, 18. omnia bona temporalia ac ſpiritualia cum æternis in hoc theſauro recluſa exiſtunt; in omni egeſtate, paupertate ac inopia corporis ac animæ per fidem ex eodem diteſcimus, Pſ. CXIX, 141--143. Joh. I, 16. Jac. I, 17. 1. Tim. IV, 8.

XVII. 4. Uſus denique reſtat zonarum *ſacer*, quatenus *Diis ſuſpendebatur* in honorem vel ex voto vel poſt victoriam a militibus. Huc alludi forte poſſet *Ezech. XXIII, 15.* ubi *idola cingulis* ornata Chaldæorum memorantur, quæ donaria idololatrarum conſiderari queunt, vide quæ de loco hoc egregie diſſerit Doctiſſ. J. C. BLUM. in *animadv. ſacr. ad Fœd. antiq. commata ſelect. Pent. ſecund. p. 199. ſq.* Ita veteres Dianæ ſ. Veneri cingulum poſt primum partum conſecrabant atque ſuſpendebant præcipue in fano ejus, quod ideo ναὸς λυσιζώνης Ἀρτέμιδος *fanum ſolvizoniæ Dianæ* dicebatur, de quo APOLLON. in *Argonauticis.* Huc reſpicit vetus inſcriptio apud GRUTER. *p. m. CCXXV. n. 3.*

EX. D. DD.
QVOIVS. DEDICATIONE
VENERI. GENETRICI
CESTVM. MATRONÆ
DONVM. TVLERVNT.

Poſt *victoriam* cingula cum vexillis, armis & reliquis ſpoliis diis conſecrabantur. Recte RYQUIUS *Cap. XXIX. de Capitol. Rom.* „Hujusmodi ornamenta omnino multa & pretioſa in Capitolio fuere. Auri „ſc. magna vis, gemmæ variæ, ſtatuæ ex omni metallo, clypea diverſa, „arma & tropæa ſumtuoſa, coronæ aureæ innumeræ, veſtes admiran-

„dæ.

„dæ. Præcipua horum a Ducibus, Regibus, rebus publicis, aut victo„riæ gratulandæ, aut fœderis firmandi aut voti nuncupandi cauſa Jovi „O. M. oblata.„ Conf. late de hoc ritu *Doctiſſ.* P. KUNZ. in *Diſſ. de ſacr. & prof. αναθημάτων hiſtoria Jen. 1729.* In tumulis ac monumentis *heroum* poſt fata in ſignum victoriæ ac meritorum, inter reliqua inſignia militaria etiam *baltheus* ſuſpendebatur, imo poſt victoriam Imperatorum monumentis ſuſpendebant tanquam donaria. Sufficiat ad hoc probandum locus inſignis, quem ex HERODIAN. *hiſt. Lib. IV. Cap. VIII. §. ult.* obſervamus, ubi de Antonino: *ἐκεῖθεν δ' ἐλθὼν εἰς τὸ Ἀλεξάνδρε μνῆμα τήν τε χλαμύδα ἣν ἔφερεν, ἁλεργῆ, δακτυλίες τε ὓς εἶχε λίθων τιμίων, ζωςῆρας τε - - ἐπέθηκε τῇ ἐκείνε σορῷ. Inde ad Alexandri monumentum ſe contulit, paludamentumque purpureum & claris ſpecioſisque gemmis annulos conſpicuos* baltheumque - - *illius impoſuit tumulo.*

Si cœcæ gentes Diis ſuis & idolis cingula virginitatis, gloriæ, decoris ac victoriæ ſuſpenderunt; multo magis decet Chriſtianos omnem victoriæ, gloriæ atque beneficiorum per verbum veritatis exhibitorum, laudem Deo ſoli tribuere. Regenerationis per verbum & Spiritum Dei memoriam gratam, per fructus ſalutares & effectus Evangelii, Deo conſervare tenentur. Si verbo veritatis ejusque promiſſionibus ſuffulti victores de ſatanæ, mundi carnisque tentationibus exſtiterunt, Deo ſoli laus eſt tribuenda per publicam Evangelii ejusque ſalutarium effectuum confeſſionem ac celebrationem, Pſ. LXVI, 14--16. CXVIII, 19. 20. 21. In omnibus votis noſtris, in confirmatione fœderis gratiæ, in victoria ſpirituali per celebrationem promiſſorum gratiæ in verbo Evangelii, Deo quaſi tabulam & *ἀνάθημα* ſuſpendere debemus, Pſalm. CXVI, 12--14. Sic cingulum hoc myſticum tumulum quoque ac monumentum aliquando ornabit poſt fata, quia fidei noſtræ veſtigia & victoria per verbum gratiæ & Spiritum Dei parta, poſt mortem quoque proſtabunt, Hebr. XIII, 7. cap. XII, 1. 2. Tim. I, 12. IV, 7. 8.

XVIII. Quantum ergo decus eſt ſervorum Dei, qui tanquam angeli myſtici, cingulis aureis veritatum cœleſtium ornati conſpiciuntur in hoc orbe! Conſtituit Supremus Arbiter & Archangelus eosdem mini-

miniſtros majeſtatis ac gloriæ ſuæ regiæ, ſacerdotalis, imperatoriæque dignitatis participes. Væ autem illis, qui tanto ornatu ac decore abutuntur, ut ſuam ſtabiliant auctoritatem ac honorem coram mundo, neglecta Archangeli ſui gloria. Quo majus eorum in hoc orbe decus eſt, eo majus erit opprobrium, quando in die judicii aliquando Supremus omnium Angelorum Princeps publice ipſis tanquam Ducibus ignavis & rem male gerentibus, dignitatis illud cingulum detrahet, & diſcincti cum ſummo opprobrio a facie illius recedent. O utinam omnes hoc conſiderarent Angeli myſtici, quibus Salvator cingulum præconii veritatis conceſſit, ut illo non ad oſtentationem carnis nec ad capturam gloriæ mundanæ & recreationem veteris hominis, ſed ad promovendam Dei ſolius gloriam & aliorum ſalutem uterentur!

Non Angelis ſolum myſticis ſed & omnibus ſub luce Evangelii viventibus cingulum hoc conceditur. O utinam omnium noſtrum lumbi ex monito Apoſtoli, Eph. VI, 14. cincti eſſent veritate! *Reges* nos conſtituit Deus, *ſacerdotes* quoque & *prophetas* per zonam hancce veritatis; per illam nos conſtituit milites, viatores ac ſponſam Salvatoris noſtri: O utinam hanc noſtram dignitatem recte tueremur! qua *Reges* regiam coram mundo dignitatem demonſtraremus, Apoc. III, 11. qua *ſacerdotes* vi verbi veritatis, ſancte, caſte & temperanter Deo viveremus, Tit. II, 12. qua *prophetæ* veritatem ubique coram mundo publice profiteremus, deque ea gloriaremur, Matth. X, 32. Quum ab hoſtibus undique cingimur, cingulum veritatis applicandum vera fide eſt, ut ita exinde arma ſpiritualia depromere continuo queamus, quibus ſuperiores evadimus. Veritas eſt cingulum a Sponſo nobis datum; illud caſtum intaminatumque ſervemus. Diffluentes cogitationes ac deſideria illo cohibeamus, *coërceamus*. Unicas noſtras *divitias* in veritate collocemus, quæ theſaurus eſt æternus, nec in morte nos derelinquet, ſed cujus promiſſis ſuffulti triumphabimus æternum.

EXER-

EXERCITATIO IX.

DE

MURIS HIEROSOLYMAE NOVAE EX JASPIDE, SYMB. DOCTRINÆ VERITATIS.

APOC. XXI, 18.

ARGUMENTUM.

§. 1. Locus Apoc. XXI. in nexu ſuo proponitur ſenſusque ipſius genuinus indagatur. §. II. MURUM ſenſu hieroglyphico varia denotare notatur; §. III. præcipue doctrinæ veritatis, quemadmodum in loco hoc noſtro, ſymbolum eſſe docetur. §. IV. Analogiæ recenſentur. Architectus & ſtructores murorum, ejusque deſignatio ac erectio myſtice exponitur, §. V. uti & materia, quæ vel ferrum vel lignum vel lapides erant, quemadmodum hoc loco ex jaſpide ſtructura murorum dicitur fuiſſe. §. VI. Longitudo, latitudo atque altitudo murorum, §. VII. & fundamenta eorum conſiderantur. §. VIII. Apud veteres aggere & foſſa muniebantur. §. IX. Portis inſtructi erant, §. X. necnon turribus atque arcibus. §. XI. Cuſtodes & milites præſidiarii in iis excubabant, tubaque clangebant. §. XII. Muros præcipue ab hoſtibus impugnatos olim fuiſſe & arietibus perruptos docetur. §. XIII. Mœnia urbibus non ſolum tutelæ & munimenti loco fuiſſe, §. XIV. ſed & decus inſigne ac ornamentum dediſſe demonſtratur. §. XV. Sacra fuiſſe mœnia ac inviolabilia, & §. XVI. Reparationem eorum Principum opus fuiſſe, quorum nomine inſcribebantur, probamus. §. XVII. Epilogum addimus practicum.

I.

Inſigne in viſione Johannis de Hieroſolyma nova myſterium latere, nullus ibit inficias, qui ſacras literas vel a limine ſalutavit. Heic abyſſos ſapientiæ divinæ & Spiritus Dei deteges, heic vadum illud panditur, in quo natare oportet. Selegimus hac vice *MUROS* Hieroſolymæ novæ, quorum *ſtructura ex jaſpide* dicitur Apoc. XXI, 18. De ſenſu hujus cap. XXI. prophetico, ejusque a variis Interpretibus diverſa expoſitione jam non agemus, reſervamus enim illud *ſpecialibus meditationibus*, quas, ſi vires vitamque nobis conceſſerit clementiſſ. Pater, aliquando de *nova Hieroſolyma ex Apoc. XXI. & XXII. linguâ* dabimus *vernaculâ*, in quibus omnia ordine explicabimus. Supponimus heic, quod apud ſolidiſſimos & cordatiores libri hujus Prophetici Interpretes in confeſſo eſt, deſcribi hac viſione ſtatum *Eccleſiæ militantis* in hac terra ſub ultimis N. T. temporibus; Addimus tamen plenam harum promiſſionum vim in Eccleſia triumphante percipi, & complementum hujus implementi in Eccleſia ultimi temporis, in ſeculo futuro confirmari, quoniam ſtatus glorioſus Eccleſiæ ultimorum temporum N. T. primitias gloriæ futuræ ſiſtit. *HIEROSOLYMA* proin *nova* deſignat Eccleſiam veram N. T. quæ ultimis temporibus glorioſa ſiſtetur coram orbe. Hæc autem habebat *MURUM magnum & ſublimem cum XII portis. Et murus urbis habebat XII. fundamenta, in quibus erant nomina XII. Apoſtolorum agni. Vir qui calamum aureum habebat, menſus eſt hunc murum, & menſura ejus erat 144 cubitorum. Erat autem ſtructura muri ex jaſpide, & fundamenta muri ex gemmis XII.* Sunt qui *Deum* ipſum heic per *murum* Hieroſolymæ novæ intelligunt, ejusque vel potentiam vel tutelam certiſſimam, veluti Cl. MARCKIUS *in Apoc.* NIC. MULLERIUS *ad h. l.* Cel. D'OUTREIN *in explic. vernac. cap. XXI.* aliique. Sunt qui ſpeciatim *Chriſtum* Mediatorem heic intelligi cenſent, veluti ex Pontif. BLASIUS VIEGAS *ad h. l.* ex noſtris Cel. ANDALA *in comm. h. l.* Sunt qui cum Cel. COCCEIO *Spiritum S.* deſignari autumant, qui Eccleſiam ſeparat, tuetur & unit. Cl. VITRINGA non tutelam ſolum Dei, ſed & canones Eccleſiaſticos intelligit, quibus circumſcribitur Eccleſia. Verum omnia hujus muri epitheta optime explicari poſſe cenſemus, ſi per

murum

murum doctrinam Evangelii cum ſigillis ſuis *S. Baptiſmo ac S. Cœna* intelligimus. Hic murus *magnus* eſt & *ſublimis, XII. portas habens & 12. fundamenta &c.* uti in ſqq. analogiis clariſſime docebimus.

II. *MURUS* ſenſu hieroglyphico varia deſignat

a. In profanis æque ac ſacris ſcriptis frequentiſſima eſt ſignificatio *muri* pro ipſa *civitate*, adeoque *murus* in ſcriptis ſacris ipſam *Eccleſiam* deſignat. Ita Eccleſia ex gentibus collecta cum *muro* comparatur, cui *turris argentea* i, e. pretioſa, auro atque argento more veterum exornata (ſymb. præſtantiſſimorum fidei heroum, ex iis excitandorum) inædificanda erat, *Cant. VIII, 9. 10.* Sic Jeſ. LX, 10. ædificabunt aliegenæ *muros tuos* i. e. civitatem ſeu Eccleſiam, Jeſ. LVI, 5. *intra muros meos* i. e. Eccleſiam, *dabo iis ſpatium.* Similiter *muri* pro *urbe* ipſa ponuntur Thren. II, 8. 18. Amos I, 14. Uti apud profanos ſcriptores occurrit hæc vox. Apud ARISTOPH. in *ὄρνεσ. p. 598,*

- - - κατὰ ποίας πύλας
Ἐισῆλθε εἰς τὸ τεῖχος.
Per quas portas intravit in murum i. e. urbem.

SOLON. in *Sentent.* ſuis *p. m. 164.* de curis ſcribit:

Ἄυλειοι δὲ τ' ἔχειν ἐκ ἐθέλεσι θύραι,
Ὑψηλὸν δ' ὑπὲρ ἕρκος ὑπέρθορεν.
Nec veſtibulares illas excludere poſſunt januæ,
Altos etiam ſuper muros tranſcendunt.

Sic VIRGIL. *Æneid. Lib. II.*

Diverſo interea miſcentur mœnia *luctu.* i. e. urbs.

& paulo poſt:

Arduus armatos mediis in mœnibus *adſtans*
Fundit equus. i. e. in media urbe.

b. Murus quoque ſymb. *tutelæ* eſt ac *patrocinii;* ſic *aquas* Deus Iſraëli ſtatuit *murum* i. e. tutelam Pſ. LXXVIII, 13. *Subſtantia divitis* i. e. opes ejus, in cogitationibus ejus ſunt inſtar *muri editi* i. e. fulcri firmiſſimi, cui tuto confidere queat, Prov. XVIII, 11. Et qui affectuum turbine agitatur, cum *civitate absque muro*, i. e. tutela ac robore, confertur, Prov. XXV, 28. Sic Ezech. IV, 3. *accipe ſartaginem ferream,*

quam pones pro *muro ferreo* i. e. propugnaculo ac tutela, *inter te & civitatem* Ezech. XXII, 30. *Quæro aliquem qui murum obduceret contra irruptiones* i. e. tutelam procuraret. Unde Nah. III, 8. *munimentum* & *murus* alternant. adde Exod. XIV, 22. Ezech. XXXVIII, 11. &c. Sic occurrit etiam apud CLAUDIAN. *IV. Hon. Conſ. v. 108.*

Non dabitis murum *ſceleri.*

Id eſt præſidium, tectum, ſecuritatem. Similiter GUIL. TYRIUS *Lib. XIV. cap. XXII. Erat civitas potentiſſima Principi Ægyptio ſubjecta, qui eam quaſi pro muro* i. e. præſidio, *inter ſe & noſtram habebat regionem.* TACITUS quoque *hiſtor. Lib. IV. cap. 64.* ſcribit: *Sed ut amicitia ſocietasque noſtra in æternum rata ſint, poſtulamus a vobis,* muros *coloniæ,* munimenta *ſervitii detrahatis.*

c. *Heroum* quoque inſignium, *Principum* ac *Doctorum* Eccleſiæ ſymb. eſt murus. Ita de *nuntiis* Davidis ſervi Nabalis teſtantur 1. Sam. XXV, 16. *Muri loco fuere nobis, noctu atque interdiu* i. e. præſidium certum. Ita potentes hujus ſeculi, in quibus homines fiduciam ponunt, cum *muro inclinato ac macerie propulſa* comparantur Pſ. LXII, 4. & Pſ. XLVIII, 13. *muri & turres* Doctores & principes Eccleſiæ hieroglyphice deſignant. De Jeremia Deus ipſe teſtatur Jer. I, 18. *Ecce pono te hodie civitatem munitam, velut columnam ferream &* murum *aheneum huic terræ.* & Cap. XV, 20. *Conſtituo te populo iſti pro* muro *æneo munitiſſimo.* Quare Deus ipſe, Meſſias præcipue Rex regum ſupremus cum *muro* ſe comparat *Zach. II, 5. Ego ero ei* murus igneus *circumquaque.* Sunt, qui heic alludi cenſent ad *exercitus cœleſtes,* qui inſtar curruum igneorum ac equorum in tutelam ſui populi a Deo mittuntur, 2. Reg. VI, 17. vel ad *ignes* in caſtris accenſos, ad deterrendos hoſtes, vide URSIN. *Quæſt. bibl. Lib. I. C. XII.* vel ad *paſtores,* qui noctu ad abigendos lupos ac animalia rapacia, mapalia & caulas ignibus accenſis ſepire ſolent & munire, ut DRUSIUS exiſtimat; vel ad *lapides gemmeos,* qui ſcintillantem emittunt fulgoris ignem, ex quibus murus erigitur. veluti conjicit Cel. D'OUTREIN in *Apoc. XXI. p. 42.* qui locum noſtrum Apoc. XXI, 18. cum Zach. II, 5. parallelum conſtituit. Verum alluſionem potius ad *columnam ignis* atque nubis, quæ ſymb. præſen-

præſentiæ divinæ olim erat, heic deprehendimus, præcipue quum addatur ואהיה לכבוד *Et ero in gloriam* in medio ejus; Columna enim illa כבוד יהוה ſæpius audit. Illa quoque *muri* inſtar erat, protegentis Iſraëlem Exod. XIV, 19. 20. & quidem *ignei*, quia *ignis* glorioſus in hac columna præcipue noctu elucebat. Profani quoque ſcriptores *Heroës* & *Principes* ac *Doctores* muri ſub emblemate deſignant. CATULL. PITH. *97. in Hector.*

> *Defenſor patriæ, juvenum fortiſſimus Hector*
> *Qui* murus *miſeris civibus alter erat.*

& HOMER. de Ajace *Iliad. VII.*

> Τοῖος ἄρ᾽ Αἴαξ ὦρτο πελώριος ἕρκος Ἀχαιῶν.
> *Ajax motus eſt magnus*, murus *Achivorum.*

nec non OVID. *Metam. Lib. XIII v. 280.*

> *Me miſerum! quanto cogor meminiſſe dolore*
> *Temporis illius, quo Grajum* murus *Achilles*
> *Occubuit.*

Et *Callimachus* poëtarum facile princeps in epitaph. Polemonis Sophiſtæ dicitur ΤΩΝ ΟΡΩΝ ΣΤΑΣΙΜΩΤΕΡΟΣ, ΤΕΙΧΟΣ ΑΡΕΤΗΣ ΑΤΤΙΚΗΣ. Conf. BARTH. ad *Claud. p. m. 575.* Cel. LAMP. ad *Pſ. XLV. p. 437.* nec non Cl. BURMANN. ad OVID. l. c.

III. d. Denique *murum*, Evangelii & *doctrinæ ſalutis* cum ſigillis ipſius, emblema eſſe contendimus; utpote qua populus Dei a reliquis gentibus diſcernitur; quæ decus eſt & munimentum civitatis Eccleſiæ, ut ex analogiis patebit. Hoc ſenſu occurrit Pſ. LI, 20. *Benefac pro benignitate tua Zioni, reſtaura* muros *Hieroſolymæ*, i. e. doctrinam Evangelii, quaſi collapſam per ſecuritatem carnalem, reſtaura in Eccleſia tua, ut illâ contra hoſtes veritatis muniatur. Clarius *Jeſ. LIV, 11.* Deus promittit: *Diſponam lapides tuos in materia rubra*, i. e. *muros tuos*, qui ſymb. *doctrinæ veritatis*, ex rubri ſanguinis mediatorii meritis nobis conſtitutæ inſtar propugnaculi & muri. Jeſ. XXVI, 1. *Urbs nobis munita: ſalutem poſuit* muros *& antemurale.* Ubi per ſalutem intelligo *doctrinam ſalutis*, quæ ſæpius in ſacris ſalus dicitur; & quæ heic cum muro & antemurali comparatur. Similiter Jeſ. LX, 18 *vocabis ſalutem muros tuos, & laudem portas tuas.* Quare Doctores tanquam

cuſto-

cuſtodes murorum conſiderantur Jeſ. LXII, 6. Cant. V, 6. utpote quorum labia doctrinam cuſtodiunt Mal. II, 7. Sic Lex cærimonialis V. T. Judæis data vocatur *murus intergerinus* Eph. II, 14. & niſi fallor admodum, Gen. XLIX, 22. *Ramus fœcundus ultra murum ramis ſuis procedens*, deſignat Eccleſiam N. T. quæ murum hunc intergerinum legis & umbrarum cerimonialium tranſcenderet & ſuperaret. Quare *muri Hierichuntis* tubarum clangore collapſi Joſ. VI, 5. 20. & *mœnia Babelis* deſtruenda Jer. LI, 44. optime deſignant *doctrinam* idololatricam & ſtatuta humana Antichriſtianiſmi, quæ clangore veritatis puræ & Evangelicæ collapſa deſtruentur. Imo *Leges* apud profanos autores ſub *muri* emblemate pinguntur. *Heraclitus* apud DIOGEN. LAERT. *Lib. IX. Cap. 2.* ſcribit: Μάχεσθαι χρὴ τὸν δῆμον ὑπὲρ τοῦ νόμου, ὅπως ὑπὲρ τείχεος. *Populum pro* lege *non ſecus ac pro* muro *pugnare oportere.* Vid. Cel. LAMP. *l. c. p. 439.* Hoc ſenſu ſumimus emblema muri in loco noſtro Apoc. XXI.

IV. Ut autem eo clarius hoc pateſcat, deſcendamus in apertum analogiarum campum, quæ inter doctrinam veritatis & murum intercedunt.

I. *Murus* ab *Architecto* deſignabatur, & quidem apud veteres gentes aratro limites ejus circumſcribebantur, dein ſociis adhibitis operariis juxta certam *menſuram* in altitudinem proceram & juxta funiculum dimenſam *erigebatur.* Apud Romanos auſpiciis rite captis, urbis conditor cinctus ritu Gabino, aratro a candido bove & vacca tracto circumſcribebat limites murorum, & ubi portæ futuræ erant, tollebat aratrum. Ita VARRO *Lib. IV. de leg. Oppida condebant in Latio Etruſco ritu multa*, i.e. *junctis bobus, tauro & vacca interiore aratro circumagebant ſulcum.* Huc reſpicit OVID. *Lib. IV. faſt. v. 285.*

Apta dies legitur, qua mœnia ſignet aratro.

& paulo poſt *v. 291.*

Inde premens ſtivam deſignat mœnia ſulco,
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

Reges & Principes *conditores* erant murorum, unde VIRGIL. *Lib. V. Æneid.*

Interea Æneas urbem deſignat aratro.

Qui

Qui *muros* ædificabant, opus quaſi immortale ac perenne excitare credebantur. Unde ARISTOPH. in ὄρνεσ.

Ἐξῳκοδόμηταί σοὶ τὸ τεῖχος. Εὖ λέγεις,
Κάλλιϛον ἔργον καὶ μεγαλοπρεπέϛατον.
Hic ædificatus eſt tibi murus. Bene dicis,
Optimum eſt & maxime honorandum monumentum.

Architectus muri myſtici Hieroſolymæ novæ eſt *Deus* ipſe Princeps ac caput Eccleſiæ. Civitatis myſticæ conditor dicitur Heb. XI, 10. *civitas illa, quæ fundamenta habet, cujus artifex & conditor Deus eſt*, Ergo & *muri* hujus civitatis, i. e. legum ac doctrinæ ejus auctor eſt Deus; Igneam legem in Sinai jam dederat, Deut. XXXIII, 2. dedit quoque legem fidei & doctrinæ gratiæ, quare מחוקק legislator audit, Gen. XLIX, 10. Jeſ. XXXIII, 22. *Delineavit* hæc veritatis *mœnia* ſummus architectus in decreto pacis, ubi fundamenta doctrinæ ſalutis per pacis pactum poſita ſunt, Zach. VI, 12. 13. & juxta hoc filum etiam doctrina gratiæ erigitur peccatori, tanquam tutela & propugnaculum. Sunt quoque alii *architecti* ſ. *opifices* ſecundarii potius, ſc. prophetæ V. & Doctores N. T. uti Paulus ſe ipſum σοφὸν ἀρχιτέκτονα vocat, & in *Talmud Hieroſ. Gittin. Cap. VI.* Rabbini Doctores בנאים *architectos* vocant. Ita enim legitur: רב זעירא מקלס ליה וצווח ליה בנייה דאורייתא *Rabbi Seira laudavit eum, & vocavit* Architectum *legis.* Sic Jeſ. XLIX, 17. Eccleſiæ promittitur, quod *opifices* ejus acceleraturi ſint. Ita Apoſtoli οἰκοδομοῦντες ſæpius audiunt in ſcriptis N. T. reſpectu doctrinæ, quam annuntiant & propagare ſtudent. Conf. Rom. XV, 20. 1. Cor. III, 10. 11. 12. Gal. II, 18.

V. Pergimus 2. ad *materiam* murorum; apud veteres *ferrei* muri mentio occurrit, uti apud ARISTOPH. in *ἱππ. Act. III. Scen. I.*

Οὐ μόνον σιδηροῦν τεῖχός ἐϛι.
Non ſolum murus heic ferreus *eſt.*

Et mœnium *ſolidorum* meminit OVID. *Lib. IV. metam.* Plerumque tamen *lapides* materia murorum exiſtebant, unde & *murus lapideus* Hieroſolymæ memoratur Neh. IV, 3. & in שביעית *Cap. 3.* אבל הוא חיץ *Faciet maceriam lapideam.* & in *Gemar. Schabb. fol. 102.* העלה והניח על גבי רימוס של אבנים חייב *Si elevaverit ac depoſuerit*

poſuerit ſuper parietem lapideum. Similiter HOMER. *Iliad. Lib. XII. p. m. 229.*

> Πάντη γὰρ περὶ τεῖχος, ὀρώρει θεσπιδαὲς πῦρ
> Λάϊνον.
> *Paſſim autem circa* murum *excitatus eſt ignis divinitus accenſus Lapideum.*

Talem egregie deſcribit etiam PAUSAN *Lib. II. Corinthiac. p. m. 131.* quando de Tyrinthiorum urbe notat: Τὸ δὴ τεῖχος ὃ δὴ μόνον τῶν ἐρειπίων λείπεται, Κυκλώπων μέν ἐστιν ἔργον, πεποίηται δὲ ἀργῶν λίθων, μέγεθος ἔχων ἕκαστος λίθος, ὡς ἀπ' αὐτῶν μηδ' ἂν ἀρχὴν κινηθῆναι τὸν μικρότατον ὑπὸ ζεύγους ἡμιόνων. Λιθιά δὲ ἐνήρμοσται πάλαι, ὡς μάλιστα αὐτῶν ἕκαστον ἁρμοσίαν τοῖς μεγάλοις λίθοις εἶναι. *Urbis muri, qui ſoli inter ruinas urbis reliqui ſunt, Cyplopum opus fuiſſe perhibentur. Exſtructi vero ſunt e rudibus lapidibus, quorum ſinguli ea magnitudine ſunt, ut ne minimus quidem eorum loco moveri poſſit jumentorum bigis. Parvi vero inſerti ſunt olim lapides, ut per eos majores aptiore ſtructura coagmentarentur.*

Et *ſtructura* muri hujus myſtici *ex JASPIDE* v. 18. dicitur, i. e. ex lapidibus pretioſis jaſpidum. *Jaſpis* eſt lapis pretioſus, cujus multa ſunt genera, quoad colorem *alii* virent ut Smaragdus, intus corpus habentes viride & ærugini ſimile. *Alii* pellucidiores ſunt purpura, quæ cochleæ marinæ ſanguine tingitur. *Alii ſimiles* ſunt *glaciei*, uti EPIPHAN. ſcribit *de gemmis.* Ἄλλη (Ἴασπις) δὲ κρυστάλλῳ ὕδατος ὁμοια. *Alia Jaſpis ſimilis eſt aquæ cryſtallinæ* ſeu glaciatæ, quæ cryſtallum refert, veluti & vſ. 11. h. *cap. Apoc.* etiam deſcribitur. Conf. HILLER. *Synt. Hermeneut. p. 68. 106. ſq.* BRAUN. *de veſtit. S. Lib. II. Cap. 8.* Similem murum deſcribit LUCIAN. *verar. hiſt. Lib. II. p. m. 506.* ὁ δὲ περίβολος τῆς πόλεως, ὑψηλὸς τε καὶ ποίκιλος, ἴριδι τὴν χροιὰν ὁμοιότατος. *Ipſa autem civitatis mœnia alta ſunt variaque, iridis colore ſimillima;* Nam *Iridis* & *Jaſpidis* colores invicem comparantur Apoc. IV, 3. Conf. *Emblem. noſtr. ſacr. Lib. II. Exerc. V. de Iride circa caput Angeli §. VI. p. 190. ſq.* Innuit ergo ſtructura *jaſpidis veritates pretioſas* ſalutis, ex quibus doctrina gratiæ & ſalutis conſtat, quæ ſtellis rutilantibus & *gemmis* ſæpe comparantur, Apoc. XII, 1. 1. Cor. III, 12.

Prov.

Prov. III, 15. 16. adeoque tum ſplendor eximius ac claritas pellucida, tum conſtantia immutabilis doctrinæ ſalutis, qua cincta & ornata erat nova Hieroſolyma, innuitur hac phraſi. Quare & *Jeſ. LIV, 11.* dicitur: *diſponam lapides tuos* i. e. murorum lapides, in *materia rubra* ſ. ſplendida, quæ eſt doctrina de *ſanguine* & meritis Salvatoris noſtri, quæ materia hujus myſtici muri exiſtit.

VI. 3. In muris notanda eſt *dimenſio*, nimirum *altitudo*, *longitudo* atque *latitudo*, quæ etiam in muris Hieroſolymæ literalis obſervabatur, ut docet qui hanc urbem propius deſcribunt; in ſpecie JOSEPH. *de bell. Jud. Lib. VI. cap. IX. p. m. 398.* Κατιδὼν γȣ̃ν τό τε ναὸν αὐτῶν ὕψος, καὶ τὸ μέγεθος ἑκάστης πέτρας, τήν τε ἀκρίβειαν τῆς ἁρμονίας, καὶ ὅσοι μὲν εὖρος, ἡλίκοι δὲ ἦσαν τὴν ἀνάτασιν. *Altiſſima* quoque veterum erant mœnia, quare ſublimitas eorum celebratur paſſim. Deut. III, 5. urbes Cananæorum munitæ dicuntur *muro ſublimi*, & cap. XXVIII, 52. *Donec corruerint mœnia tua altiſſima & munitiſſima.* Similiter HOMER. *Iliad. Lib. XVI.*

> Τρὶς μὲν ἐπ᾽ ἀγκῶνος βῆ τείχεος ὑψηλοῖο
> Πάτροκλος.
> *Ter quidem in prominentiam* altiſſimi *muri*
> *Aſcendit Patroclus.*

nec non OVID. *Lib. III. Faſt. v. 92.*

> *Inter Aricinos, Albanaque tempora conſtat*
> *Factaque Telegoni mœnia* celſa *manu.*

& VIRGIL. *Lib. I. Æneid.*

> *Queis ante ora Patrum Trojæ ſub mœnibus* altis
> *Contigit oppetere.*

Latum deſcribit HOMER. *Iliad. XII.* init.

> - - - ȣ̉δ᾽ ἄρ᾽ ἔμελλε
> Τάφρος ἔτι σχήσειν Δαναῶν καὶ τεῖχος ὕπερθεν
> Ἐυρὺ.
> *Neque futura erat foſſa amplius arcere Danaorum,*
> *Et murus ſupra quam maxime* latus.

nec non ARRIAN. *de Exped. Alex. Lib. II. p. 133.* Ἦν δὲ αὐτοῖς καὶ τὰ τείχη κατὰ τὸ χῶμα, τό τε ὕψος εἰς πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν μά-

λιϛα πόδας καὶ ἐς πλάτος ξύμμετρον, λίθοις μεγάλοις ἐν γύψῳ κειμένοις ξυμπεπηγότα. *Erat autem murus aggeri oppoſitus* CL. *pedes* altus latitudine *altitudini reſpondente, & ſaxis magnis gypſo inter ſe commiſſis.* Et *longum* deſcribit HOMER. *Iliad. Lib. XXII. p. 392.*

Οἶος γὰρ σφιν ἔρυσο πύλας καὶ τείχεα μακρά.

Solus enim ipſis defendebas portas & muros longos.

Murus quoque Hieroſolymæ myſticus ſuam habet menſuram. Ita v. 17. hujus cap. legimus: Καὶ ἐμέτρησε τὸ τεῖχος αὐτῆς ἑκατὸν τεσσαράκοντα τεσσάρων πηχῶν. Et *menſus eſt murum ejus: centum quadraginta quatuor cubitorum.* Quoniam urbs quadrata erat, longitudo & latitudo æquales erant ſc. 12. millia ſtadiorum comprehendentes. Sed quando & *altitudo* æqualis, adeoque 12. millia ſtadiorum comprehendens dicitur, non de altitudine ædificiorum ac murorum hæc intelligas cum Interpretibus, ſed concipias urbem hanc Apoſtolo eſſe repræſentatam in monte ſitam, quæ a pede montis in altiſſimum ejus verticem aſcendens, hac ratione altitudine menſuram latitudinis & longitudinis perfecte adæquat. CXLIV. cubitos autem, qui menſuræ muri tribuuntur, de altitudine intelligo, nam longitudo & latitudo muri ex menſura urbis ſponte conſtat, ergo *altitudo* 144. cubitorum i. e. 216. pedum erat. Numerus autem 144. radicem habet XII. qui per ſe multiplicatus 144 producit. Ergo reſpiciuntur XII Apoſtoli, ut innuatur *doctrinam* hujus urbis i. e. Eccleſiæ conflatam eſſe ex doctrina Apoſtolorum, & ejus terminos nunquam excedere, ſed in teſtimonio Apoſtolorum terminari. Hac ratione ſi concipias hanc viſionem, omnes difficultates, quas circa menſuram hanc paſſim movent Interpretes ad h. l. evaneſcent. Doctrina hæc ſuam habet *longitudinem* & *latitudinem* & quidem eandem, quam Eccleſia, i. e. civitas Dei, ipſa poſſidet; extendit ſe ad fines terræ, uti Eccleſia, Pſ. XIX, 4. 5. coll. Pſ. LXXII, 8. *Altitudo* ejus eſt maxima, ſublimis eſt ſcientia, quæ captum humanum longe tranſcendit, Pſ. CXIX, 99. 100. 2. Petr. I, 21. Pſ. CXXXIX, 6.

VII. 4. *Murorum* conſtantia ac *robur* conſiſtit in *fundamento* ejus firmiſſimo, quod murum contra procellarum furores & oceani fluviorumque inundationes confirmat, ſervat atque tuetur; Quare in iis ponen-

ponendis veteres maxime ſtudioſi erant ac ſoliciti. Optime hanc in rem canit OVID. *Faſt. Lib. IV. v. 835.*

Augurio læti jaciunt fundamina *cives*
Et novus exiguo tempore murus erat.

Præcipue ſaxis & rupibus fundabant mœnia fortiſſima & infracta, qualia memorat NONN. in *Dionyſ. Lib. XL.*

Πήξατε δ' ἀμφοτέροις ἐπικείμενον ἀςυκολώναις.

& paulo ante:

- - - ἀκινήτοις δὲ θεμέθλοις
Αὐτομάτη ζωσθεῖσα συνάπτεται ἄζυγι πέτρῃ.
Exſtruite in mediis fundatam rupibus urbem.
- - - fundamine *cincta*
Firmo immota manet ſaxis radicibus hærens.

& paulo poſt:

Οἱ πόλιν ἰσοτύπων δαπέδων αὐτόχθονι τέχνῃ
Πετραίοις ἀτίνακτον ἐπυργώσαντο θεμέθλοις.
Indigena qui arte ſolique ſimillimi in alto
Struxere immotis fundatam rupibus urbem.

Qualis erat murus urbis Hieroſolymæ, qui nitebatur ſaxis & rupibus immotis in montibus hujus urbis latentibus. Regio enim cui urbs inædificata, erat maxime petroſa.

Murus quoque myſticus *fundamento* innititur *firmo* ac immoto. De quo cap. noſtr. XXI. v. 19. Καὶ οἱ θεμέλιοι τȣ̃ τείχȣς παντὶ λίθῳ τιμίῳ κεκοσμημένοι. & v. 14. Τὸ τεῖχος ἔχον θεμελίȣς δώδεκα, καὶ ἐν αὐτοῖς ὀνόματα τῶν δώδεκα Ἀποςόλων τȣ̃ ἀρνίȣ. *Unicum* quidem ſtricte dictum, eſt civitatis i. e. Eccleſiæ, & muri i. e. doctrinæ ipſius, *fundamentum*, ſc. Chriſtus Mediator noſter, 1. Cor. III, 11. Sed tamen lapides adjacentes lapidi fundamentali conſiderantur quoque fundamenti inſtar, qui ſymb. ſunt Apoſtolorum. *Gemmæ* ergo *XII.* qui fundamenta hujus muri dicuntur, ſunt Apoſtoli, qui fundamentum ſunt *doctrinæ* Eccleſiæ. Recte ergo Apoſtolus de concivibus ac domeſticis Dei, i. e. credentibus teſtatur Eph. II, 20. quod *ſint inædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum ac prophetarum, exiſtente lapide imo angulari Jeſu Chriſto.* Doctrina Eccleſiæ nititur teſtimonio Apoſtolorum,

 qui

qui confeſſionem elegantiſſimam inſtar gemmarum rutilantem, reliquis credentibus reliquerunt. Tit. I, 9. 2. Petr. I, 20. 21. 1. Timoth. III, 15. 16. Et quoniam Apoſtoli Θεόπνευςοι cum lapide fundamentali unico, arctiſſimo nexu juncti fuere, fundamentum Eccleſiæ ejusque doctrinæ firmum eſt ac infallibile, quod conſtituitur in doctrina Apoſtolorum, Eph. IV, 11. 12. In genere Jeſ. LIV, 11. 12. Eccleſia *ſapphiris* fundanda dicitur, ubi ûnus lapis pretioſus pro omnibus ponitur, itidemque *cœleſtis doctrina* (cujus ſymb. ſapphirus eſt) Chriſti & Apoſtolorum intelligitur.

VIII. 5. *Muri* ipſi *aggere* & *foſſa* muniebantur externe contra impetus hoſtiles, quia muris præcipue expugnandis operam navabant copiæ hoſtiles, uti ſtatim pluribus docemus. Sic HOMER. *Iliad. XX. p. m. 360.* murum aggere cinctum memorat:

Τεῖχος ἐς ἀμφίχυτον Ἡρακλῆος θείοιο
Ὑψηλὸν, τὸ ῥα Τρῶες καὶ Παλλὰς Ἀθήνη
Ποίεον.
Ad murum aggere cinctum *Herculis divini*
Altum, quem Trojani & Pallas Minerva
Condiderant.

VIRGIL. *Æneid. Lib. X.*

\- - - *quem pulſi priſtina Turni*
Aggere *murorum ſublimem gloria tollit.*

et foſſa quoque munitum murum denuo docet HOMER. *Iliad. XII. init.*

\- - - καὶ τεῖχος ὕπερθεν
Εὐρὺ, τὸ ποιήσαντο νεῶν ὕπερ: ἀμφὶ δὲ τάφρον
Ἤλασαν.
Et murus ſupra latus, quem ſtruxerant propter
Naves, circum illum autem foſſam effoderant.

Qualis & circa Romam fuit, de qua OVID. *Lib. IV. Faſt.*

Ne quis aut muros, aut factam vomere foſſam
Tranſeat.

& paulo ante:

inde

- - - *inde movetur opus,*
Foſſa fit ad ſolidum, i. e. murum.

quam foſſam FLORUS *Lib. I. cap. 1. vallum* appellat. Conjungit MARTIAL. *Lib. XII. epigr. XIV.*

Inſidias & campus habet, nec foſſa, nec agger,
Nec ſint ſaxa licet fallere plana ſolent.

Aggeribus & foſſis quoque Hieroſolymam fuiſſe cinctam liquet ex deſcriptione JOSEPHI *de bell. Jud. Lib. V. cap. VI. §. 2. p. 337.* nec non *cap. XII. §. 4. p. 359.*

Aggeres, foſſæ & *valla* circa murum hunc myſticum, i. e. doctrinam Eccleſiæ conſtituimus in *providentia* divina & cura ipſius ſpeciali in tuenda & conſervanda doctrina ſalutis, quam nunquam non Deus publice declaravit atque manifeſtavit. Eſt enim murus igneus & ſepes munita circa Eccleſiam ſuam, Zach. II, 5. Licet *veritas ſalutis* ab omni ævo ab hoſtibus fuerit oppugnata, qui varios in eadem perforanda aut obruenda arietes & machinas adhibuere, nunquam tamen obrui eam paſſus eſt Deus fortiſſimus, ſed VERITAS nunquam non VICTRIX exſtitit. Meſſias accinctus gladio veritatem hanc defendit, Pſ. XLV, 5. Deus illa delectatur, illam amat atque tuetur, Pſ. LI, 8. Et thronus ipſius innititur veritati, Jeſ. XVI, 5. Spiritus ipſius ea propter *Spiritus veritatis* appellatur Joh. XVI, 13. Per omnia ſecula N. T. veritas Evangelii, licet ab Arianis, Neſtorianis, Sabellianis, gentibus, præcipue Judæis ac Antichriſto maxime fuerit impugnata, immota tamen perſtitit, per providam Dei curam ac conſervationem.

IX. 6. *Portæ* quoque *murorum* maxime notabiles apud antiquos fuere, quarum plures plerumque erant juxta varios urbis ſitus ac varias mundi plagas. *Portas* murorum Hieroſolymæ literalis X. memorant Philologi ex Neh. III. ſq. Portam gregis, piſcium, veterem, vallis, ſterquilinii, fontis, aquarum, equorum, orientalis & mandati. Alias memorantur porta cuſtodiæ, Ephraim, Benjamin &c. an vero hæ diverſæ an eædem cum prioribus ſint, non conſtat. Vide Cel. IKEN. *Theol. & Philol. Brem. inſignem, in Antiquit. Hebr. P. II. Cap. I. §. XL.* Cel. LIGHTFOOT. *Oper. Tom. I. p. m. 556. ſq. 562.* &c. alioſque. *Portas* in muris urbium memorat ARISTOPHAN. quoque ἐν ὄρνισ.

Καὶ νῦν ἅπαντ᾽ ἐκεῖνα πεπύλωται πύλαις,
Καὶ βεβαλάνωται, καὶ φυλάττεται κύκλῳ.
Et nunc omnes illi (muri) *inſtructi* portis,
Et clauſi ſunt & cuſtodiuntur circumquaque.

Similiter HOMER. *Iliad. L. XII. p. m. 234.*

Τείχεος ἐῤῥήξαντο πύλας καὶ μακρὸν ὀχῆα.
Perrupiſſent portas *muri & longum vectem.*

Quare *murus* ſæpe pro *porta* ponitur, totum pro parte, ſic apud OVID. *Lib. V. metam. v. 235.*

Victor Abantiades patrios cum conjuge muros
Intrat.

nec non VIRGIL. *Lib. II. Æneid.*

Dividimus muros & mœnia pandimus urbis.

Portæ muri hujus myſtici *XII.* erant, ut dicitur in loco noſtro; Conf. Ezech. XLVIII, 31. *Portæ* quum introitum urbis civibus & alienigenis vel aperiant vel claudant, aptiſſimum nobis *præconii Evangelii* & adminiſtrationis *ſigillorum* ejus ſymbolum exhibent, utpote quibus *aditus* in Eccleſiam reſipiſcentibus aperitur & impiis ac induratis occluditur. Hoc ſenſu Apoſtolus ſibi *portam ingentem* Evangelii apertam eſſe teſtatur 1. Cor. XVI, 9. & 2. Cor. II, 12. & idem Ap. petit Col. IV, 3. *ut orent pro ipſis* (Apoſtolis), *ut Deus aperiat ipſis* portam *ſ. oſtium verbi divini, ut loquantur myſterium Chriſti.* Hoc quoque ſenſu Chriſtus teſtatur de Eccleſia & angelo Philadelphiæ, quod dederit *oſtium apertum* in conſpectu ejus, Apoc. III, 8. *Portæ* hæ erant *XII.* quia præconium Evangelii & adminiſtratio ſigillorum ejus nititur præconio & adminiſtratione Apoſtolica, quæ norma fuit præconii in ſequentibus temporibus. Cur ex *margaritis* conſtare dicantur hæ portæ, in *ſeq. exercitatione* docebimus. & uti *portæ hæ XII.* ad varias urbis & orbis plagas diviſæ erant, ita præconium veritatis in varias orbis partes exit; & ex omnibus telluris plagis, omnibus populis ſub N. T. præcipue ultimis ejus temporibus, aditus ad veram Eccleſiam patebit.

X. 7. Muri præterea urbium celebrium *arcibus* atque *turribus* inſtruebantur apud veteres, qui non decus ſolum ſed & robur urbium promo-

promovebant. Sic Aſa *ædificavit civitates munitas in Juda, & circumdedit muro* & turribus *ac valvis*, 2. Chron. XIV, 7. & in muris Hieroſolymæ Uzia *turres* ad portam anguli & vallis & ad Mikzoham ædificaſſe legitur 2. Chron. XXVI, 10. Conf. Neh. XII, 39. cap. III, 1. & Pſ. XLVIII, 13. ubi *turres* & *caſtella* munita Zionis i. e. Hieroſol. memorantur. Et Moabis *muri* & *arces munitæ* eorum cum *turribus* deprimendi ac deturbandi dicuntur Jeſ. XXV, 12. Sic Ajax apud HOMER. *βαίνων ἐπ' ἐπάλξεις aſcendens edita loca murorum*, lapidem magnum projecit in Epiclem, de quo *Iliad. XII. p. m. 236.* canit vates:

- - - ὁ δ' ἄρ' ἀρνευτῆρι ἐοικὼς
Κάππεσ' ἀφ' ὑψηλοῦ πύργου.
Hic autem urinatori ſimilis decidit ab excelſa turri ſc. muri.

Unde OVID. *ex Ponto IV. v. 105.*

Oppida turritis cinguntur eburnea muris.

& *Metam. VIII. Lib. v. 14.* idem.

Regia turris erat vocalibus addita muris

& LUCAN. *Lib. VI.*

Defendens tutam vel ſolis turribus urbem.

nec non VIRGIL. *Lib. X. Æneid.*

- - - *miſeri ſtant turribus altis,*
Nequicquam, & rara muros cinxere corona.

Turres & arces munitæ hujus muri myſtici i. e. doctrinæ Eccleſiæ optime deſignant *Principes* atque *Reges*, quos Deus tutores Eccleſiæ & veritatis conſtituit. Hi ſunt *turres Zionis* quæ in Eccleſia enumerandæ Pſ. XLVIII, 13. Hi ſunt *turres in vinea* Domini, a Deo ipſo conſtitutæ, Jeſ. V, 2. quare & civitati Antichriſtianiſmi *turres*, i. e. principes defenſores adſcribuntur, Jeſ. II, 15. XXIII, 13. XXX, 25. Ezech. XXVI, 4. *Turres* ergo Hieroſol. myſticæ deſignant *Principes* Chriſtianos, qui veritatem Evangelicam amplexi, eam una cum Eccleſia Dei tuentur & defendunt. Quare reges *nutricii* & fœminæ principes *nutrices* Eccleſiæ futuri dicuntur, Jeſ. XLIX, 23. qui veritates Evangelicæ lac ἄδολον non ipſi ſolum imbiberunt, ſed & aliis præbent potum ac cibum ſalutarem. Quales Eccleſia nacta eſt tempore Conſtantini M. qui doctrinæ Evang. defenſor ſtrenuus factus, nec non tempore refor-

matio-

mationis; & nanciſcetur ultimis temporibus, quando Hieroſolymæ muri collapſi reparabuntur, novæque in iis turres altiſſimæ & robuſtiſſimæ excitabuntur, & ita murus hic myſticus contra omnem hoſtium veritatis violentiam munietur, Jeſ. LX, 10. 11. 18. cap. LXVI, 12. Quando principes terræ omnem ſuam *gloriam* in Hieroſolymam adducent, ad eandem *exornandam* ſimul ac defendendam, Apoc. XXI, 24--26.

XI. 8. *Milites* in muris præſidiarii & *cuſtodes* ſimul, qui tuba clangebant, & gladio urbem defendebant, conſtituebantur apud veteres. *Jaculatores* e muris, in ſervos Davidis tela mittentes, memorantur 2. Sam. XI, 24. & de *militibus* ſupra murum ſedentibus, ad quos verba faciebat Rabſace, lege 2. Reg. XVIII, 27. 2. Par. XXXII, 18. Conf. etiam Joël. II, 9. Jer. XLIX, 3. De *cuſtodibus* urbis in muris vide Cant. V, 7. Pſalm. CXXVII, 1. Jeſ. LXII, 6. Similiter ARISTOPH. ἐν ὄρνισ. deſcribit cuſtodes murorum:

- - - καὶ φυλάττεται κύκλῳ
Ἐφοδεύεται, κωδωνοφορεῖται πανταχῇ,
Φυλακαὶ καθεστήκασι, καὶ φρυκτωρίαι
Ἐν τοῖσι πύργοις,
Et cuſtodiuntur (muri cum portis) *circumquaque*
Tranſeuntur, tintinnabulo feritur undique,
Cuſtodiæ ſtatutæ ſunt & Lampades
In turribus.

Ad muros conſtituit cuſtodes HOMER. *Iliad. L. IX. p. m. 151.*

- - - φυλακτῆρες δὲ ἕκαστοι
Λεξάσθων παρὰ τάφρον ὀρυκτὴν τείχεος ἐκτός.
Cuſtodes autem ſinguli cubent ad foſſam profundam juxta murum.

Sic OVID. *Lib. III. triſt. el. XIV. v. 41.*

- - - *cuſtodia muri*
Summovet infeſtos clauſaque porta Getas.

Huc refer VIRGIL. *Lib. IX. Æneid.*

Omnis per muros legio ſortita periclum
Excubat exercetque vices, quod cuique tuendum eſt.

ex

ex *muris* milites pugnabant, ſic idem vates *Lib. X. Æneid.*

- - - clamorem ad ſidera tollunt
Dardanidæ e muris, ſpes addita ſuſcitat iras,
Tela manu jaciunt.

In muris *vexilla erigebant*, unde Jer. LI, 12. אל חומות בבל שאו נס *ſuper muris Babylonis erigite vexillum.* Conſentit XENOPH. *κυροπαιδ. L. V.* nec non DIO in *orat. Boryſthen.* ubi inter alia ſcribit: *αἵτε πύλαι συγκέκλειντο, καὶ τὸ σημεῖον ἦρτο ἐπὶ τοῦ τείχους τὸ πολεμικόν. Et portæ clauſæ erant, & ſignum belli in mœnibus erectum.* Simulque *buccina* clangebant tempore belli & imminentis periculi. Omnia jungit VIRGIL. *Lib. XI. Æneid.*

Pars aditus urbis firment, turresque capeſſant:
Cætera qua juſſo mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota diſcurritur urbe.
- - - bello dat ſignum rauca cruentum
Buccina.

Cuſtodes & *milites* murorum defenſores itidem pugnaces, *Doctores* veritatis & miniſtros Eccleſiæ deſignant, qui expreſſe *cuſtodes* in *muris* Hieroſolymæ conſtituendi dicuntur Jeſ. LXII, 6. & ſæpius in ſcriptis ſacris *cuſtodes* æque ac *milites* audiunt. Conf. Cant. III, 1. V, 7. Pſ. CXXX, 4. Heb. XIII, 17. & 2. Tim. II, 3. 4. Philem. v. 2. 2. Cor. X, 3. Hi *jaculis* atque *telis* precum ſuarum ardentiſſimarum muros, i. e. doctrinam Eccleſiæ ſalutarem defendunt, ne ab hoſtibus veritatis perforetur; & ſi impugnatur, telis quoque argumentorum illos repellunt. Hinc ex ore teſtium veritatis *ignis* hoſtes devorans, exire dicitur Apoc. XI, 5. qui preces ardentiſſimas teſtium veritatis & earum efficaciam deſignat. *Tuba* quoque clangunt in muris hiſce myſticis, i. e. monitoria ſalutaria ex doctrina veritatis de futuro periculo & dolis hoſtium Eccleſiæ promunt, ut ſecuros Zionis excitent, Ezech. III, 2--6. Erigunt *vexillum* ſalutis, quo hoſtibus veritatis terrorem ac tremorem incutiunt, & cives Hieroſol. myſticæ ad pugnam ſpiritualem accendunt, Cant. V, 10. Jeſ. XI, 10.

XII. 9. In ſpecie obſervamus *muros* præcipue ab *hoſtibus* olim fuiſſe *oppugnatos*, variasque in iis *perrumpendis machinas* atque arietes

 adhi-

adhibuiſſe antiquos, quibus ruptis urbs quoque victa & ſuperata erat. Sic 2 Par. XXVI, 6. de Uzia legimus: *Procedens oppugnavit Philiſtæos, & perrupit muros Gath & murum Gabnes & Aſthdod.* Adde Jer. V, 10. cap. XXI, 4. Joël. II, 7. 9. Quare muros explorabant heroës ac duces hoſtium, ubi facillime impugnari poſſent. De tali OVID. *ex Pont. I. el. 2.*

His eques inſtructus perterrita mœnia luſtrat,
More lupi pavidas circumeuntis oves.

& SILIUS ITAL. *Lib. I.*

Ipſe caput quaſſans circumluſtravit anhelo
Mœnia ſævus equo.

Foſſores ſæpe adhibebant, qui cuniculos infra muros facientes, illum proſternere ſatagebant. Deſcribit hoc G. TYRIUS *in Lib. III. hiſt. Palæſt. cap. X. Qui ſub teſtudine latebant, ſecuri penitus ab hoſtium inſidiis ad infringendum murum & turrim ſubvertendam totis inſtant viribus & convulſorum loco lapidum ſtipites ſupponunt & ligneam materiam, ne parte muri inferiori ſubfoſſa, ſubito corruat pars ſuperior. Facta igitur tanta ſuffoſſione, quæ ad turris dejectionem ſufficere poſſe videbatur, & ſuſtentaculis, quæ murum caſurum ſuſtentabant, igne ſuppoſito machinam relinquunt, &c.* vel etiam *ſcalis* aſcendebant muros & occupabant; ſic HOMER. *Iliad. XIII. p. m. 238.* canit:

Ἴθυσαν δ' ἐπὶ τεῖχος ἀολλέες· οἱ μὲν ἔπειτα
Κροσσάων ἐπέβαινον, ἀκαχμένα δοῦρατ' ἔχοντες.
Directe ibant ad murum conferti, hi quidem
Scalas aſcenderunt, acutas haſtas tenentes.

Huc etiam reſpicit VIRGIL. *Æneid. Lib. II.*

- - *ſcandit fatalis machina muros*
Fœta armis.

Optime hoc innuit dolos atque violentiam, quibus hoſtes veritatis utuntur ad impugnandum murum Hieroſol. myſticum i. e. doctrinam. Nihil eſt, in quo deſtruendo & ſubvertendo magis ſunt ſtudioſi atque operoſi, quam doctrina veritatis. Hac ſubverſa ac conculcata, aditus ipſis undiquaque patent ad conſcientias hominum captivandas

ac

ac tyrannidi ſuæ ſubjiciendas. Noverat id Julianus Apoſtata, quare omne in eo ſtudium poſuit, ut ſcholas ac ſeminaria veritatis deſtrueret. Eccleſia per omnia ſecula ſub hoſtibus Judæis æque ac gentibus, imo ſub Antichriſto nunquam non hoc experta eſt. Sic hoſtes veritatis ſæpe *cuniculos* effodiunt ad ſubvertendum hunc murum myſticum, quando vel argumentis doloſis vel artibus politicis, vel calumniis, quibus dogmata Eccleſiæ proſcindunt, vim ac ἐνέργειαν veritatis infringere ſtudent; ita ut *veritas in platea corruat* & jus incedere nequeat, Jeſ. LIX, 14. Sic veritas in *terra proſternitur* inſtar muri, Dan. VIII, 12. & detinetur in injuſtitia, Rom. I, 18. illique obſiſtitur, 2. Tim. III, 8. vel etiam admotis *ſcalis* & machinis muros transſcendere ſatagunt veritatis hoſtes, quando ſpecioſis argumentis veritatem mendaciis incruſtant, ita ut doctrinam falſam ac idololatricam majori fide ac obedientia proſequantur homines, quam veram ſalutis doctrinam. Quemadmodum primis N. T. temporibus in Judæis dogmatibus carnalibus & ſtatutis humanis inhærentibus, apparuit.

XIII. 10. Mœnia maximum urbis munimentum ſunt, quare & Latinis a *muniendo* dicta videntur. Uti & Rabbinis אשרניא vocantur, quaſi *robur* & *firmamentum* loci ſui. Huc reſpicit Deus, quando immorigero Iſraëli denuntiat Deut. XXVIII, 52. *Premam te in portis tuis, donec corruerint mœnia tua altiſſima & munitiſſima, quibus tu confidis, in tota terra tua.* conf. 2. Chron. XXXIII, 14. Jeſ. XXII, 11. Unde Pſ. XVIII, 30. *murum tranſilire* maximam victoriam deſignat. Et *murus* pro defenſione ac *tutela* ſumitur Pſalm. LXXVIII, 13. Ezech. XXXVIII, 11. Urbem muro circumdare, munire eam vocat HORAT. *I. ſerm. III. v. 105.*

Oppida cœperunt munire, & ponere leges.

Quare mœnia & muri *urbem tueri* dicuntur; ſic apud HERODOT. *Lib. VII.* exſtat diſtichon:

Τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεὺς
Μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν, τὸ τε τέκνα τ᾽ ὀνήσει.
Jupiter altitonans dat mœnia ſola Minervæ
Lignea, recta ut ſtare queat natosque tueri.

 &

& OVID. *Lib. IV. Triſt. eleg. 1. v. 69.*

Quam miſerum porta vitam muroque tueri,
Vixque ſui tutum viribus eſſe loci!

& *Lib. V. eleg. 4.*

Vixque brevis tutos murus ab hoſte facit.

Quare & ARRIAN. *in expedit. Alex. Lib. II.* de Tyro ſcribit: Καὶ γὰρ καὶ μέγα ἔργον τῆς Τύρου ἡ πολιορκία ἐφαίνετο· Νῆσος τε γὰρ αὐτὴ ἡ πόλις ἦν καὶ τείχεσιν ὑψηλοῖς πάντη ὠχύρωτο. *Et certe Tyri expugnatio laborioſa valde videbatur. Nam & ipſa urbs inſula erat, altisque mœnibus ex omni parte munita.* Recte quoque hanc in rem Neſtor loquitur apud HOMER. *Iliad. XIV. p. m. 262.*

Τεῖχος μὲν γὰρ δὴ κατερήριπεν, ᾧ ἐπέπιθμεν,
Ἄρρηκτον νηῶν τε καὶ αὐτῶν εἶλαρ ἔσεσθαι.
Murus etenim jam decidit, cui confidebamus,
Inviolabile navium noſtrique ipſorum munimentum.

Murus quoque myſticus civitatis Dei unicum eſt munimentum & tutela. Hæc veritas eſt ſcutum ac propugnaculum, Pſ. XCI, 4. Per verbum veritatis corroborantur cives hujus urbis, 2. Petr. I, 12. Hac liberantur a poteſtate ac inſultibus Satanæ Joh. VIII, 32. Quare alias ſub variis inſtrumentis veritas depingitur, quibus nos defendimus. Eſt gladius ille Spiritus, quo hoſtes ſalutis depellimus & contra violentas eorum manus nos defendimus, Eph. VI, 17. Sunt arma illa non carnalia ſed ſpiritualia militiæ credentium, quibus robuſti & fortes exiſtunt, 2. Cor. X, 4. Comparatur verbum veritatis cum *ocreis* & calceis, quibus pedes credentium muniuntur contra ſentes ac ſpinas in via ſalutis ipſis obvias, Eph. VI, 15. Et quando inſtar civitatis conſiderantur, *murus* eſt doctrina Evangelii, quæ omnes tentationes ac inſultus hoſtium tum veritatis tum ſalutis arcet, detinet, ac violentiam eorum infringit. In omnibus vitæ calamitatibus hoc muro ſe protegunt ac pectora tuentur. conf. Pſ. CXIX, 50. 92. 143.

XIV. II. Mœnia quoque inſigne *decus* atque *ornamentum* urbibus ac civitatibus addunt. *Murus* enim civitatis *coronamentum* dicitur. Sic Pſalm. LXXXIX, 40. 41. conqueritur vates de excidio urbis. *Profanaſti dejiciens in terram* נזרו *CORONAM* ſeu decus *ejus. Diruiſti*

ruiſti omnes macerias ejus, & contriviſti omnes munitiones. Simili ratione apud profanos Scriptores legimus urbes muris *coronatas.* Sic apud DIONYS. *perieget. v.369.*

Ἱμερτὸν πτολίεθρον ἐϋστεφάνοιο Κρότωνος.
Optabile oppidum bene coronatæ (i. e. mœnibus munitæ) *Crotonis.*

& *v. 1006.*

Τείχεσιν ἀῤῥαγέεσσι Σεμίραμις ἐστεφάνωσεν.
Mœnibus infractis Semiramis coronavit.

HOMER. quoque *Iliad. XIX. p.m. 347.*

Ἀλκμήνη τέξεσθαι ἐϋστεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ.
Alcmena paritura bene coronatis i. e. munitis *in Thebis.*

ubi vocem ἐϋστεφάνῳ *Euſtathius* vertit & interpretatur:

ἐυτειχίστῳ, i. e. *muro bono ac firmo inſtructa.*

Huc reſpicit ARISTOTELES *Lib. VII. politic. cap. XI.* ſcribens: Περὶ δὲ τειχῶν, οἱ μὲν φάσκοντες δεῖν ἔχειν τὰς τῆς ἀρετῆς ἀντιποιουμένας πόλεις, λίαν ἀρχαίως ὑπολαμβάνουσι, καὶ ταῦθ᾽ ὁρῶντες ἐλεγχομένας ἔργῳ τὰς ἐκείνως καλλωπισομένας. *Mœnia vero qui dicunt non oportere adeſſe illis urbibus, qui virtutem poſſideant, nimium priſce loquuntur. Et hoc vident per experientiam reprobatum in iis civitatibus, quæ ſibi id ad* gloriam *jactabant.* Mœnia enim exornant civitatem, unde CLAUDIAN. *de VI. Hon. Conſ.*

- - *addebant pulchrum nova mœnia vultum.*
Audito perfecta recens rumore Getarum
Profecitque opifex decori timor.

Et quis neſcit *doctrinam* Evangelii inſigne Eccleſiæ Dei *decus* addere atque ornamentum. Quare in ſacris non ſolum commendatur a decore & pulchritudine ſua, quando Gen. XLIX, 21. *boni ac decori ſermones* audiunt Prov. I, 9. & ornamentum pulcerrimum colli & quo caput exornatur cap. IV, 9. dicitur. Sed & cum variis ornamentis, cum gemmis ac unionibus Prov. III, 15. 16. cum torque aureo & catena colli pretioſiſſima, Cant. IV, 9. cum albis & pretioſis veſtibus byſſinis Apoc. VII, 14. cap. III, 4. cum auro atque argento &c. comparatur. Hæc eſt *ornamentum illud ſanctum*, cum quo Domino in-

curvandum eſt Pſ. XXIX, 2. Quare & *lapides muri* Eccleſiæ a decore & pulchritudine commendantur Jeſ. LIV, 11. 12. *Diſpoſiturus ſum cum* ornamento *lapides tuos* ſc. murorum, *fundaturus te ſapphiris, diſponam carbunculo ſpeculares tuas turres & portas tuas pyropo, terminosque omnes tuos gemmis ſpecioſiſſimis.* Tanto autem majori ornatu gloriabatur Hieroſolyma nova, quia muri ipſius ex *gemmis* rutilantibus compoſiti erant, i. e. veritates tot cœleſtes, luce ſua omnia hominum ſtatuta ac leges longe ſuperantes, continebant. Quare acclamatur Hieroſolymæ Jeſ. LII, 1. *Evigila, evigila, indue robur, o Zion! indue veſtes* ornatus *tui Hieroſolymorum civitas ſancta!* ubi per veſtes & robur murum ſenſu literali intelligi poſſe cenſemus.

XV. 12. *Muri* civitatum apud veteres quoque *ſacri* habebantur, quare non ſolum ſacris cærimoniis initiabantur, ſed & diis ſacri erant atque dedicati. Ita muri Hieroſolymorum exſtructi dedicationem depictam legimus Neh. XII, 27. *Ad dedicationem autem muri Hieroſolymorum requirebantur Levitæ ex omnibus locis eorum, qui deducerentur Hieroſolymas, ad celebrandum dedicationem hanc & lætitiam, gratiarum actionibus & hymnis, cymbalis, nabliis & citharis. Et v. 30. mundaverunt ſ. ſanctificaverunt populum, portas & murum. Et v. 43. ſacrificarunt die illa ſacrificia magna cum gaudio.* In iis idololatræ quoque ſacrificia offerebant diis ſuis, uti ex abominando regis Moabitarum ſacrificio 2. Reg. III, 27. conſtat. *Sancti* quoque apud gentes habebantur muri, unde POMPON. in *L. XI. D. de R. D. §. 10. Sanctæ,* inquit, *res quoque, veluti muri & portæ civitatis quodammodo juris divini ſunt, & ideo nullius in bonis ſunt, ideo autem* muros *ſanctos dicimus, quia pœna capitis conſtituta eſt in eos, qui aliquid in muros deliquerint.* Unde Romuli lex habetur: NE. QVIS. NISI. PER. PORTAM. VRBEM. INGREDITOR. MOENIA. SACROSANCTA. SUNTO. *Dedicationis* quoque murorum mentio occurrit in antiquis monumentis, veluti apud GRUTER. *Inſcript. p. CLXVI. n. 1.*

COLONIA. AVGVSTA. VERONA. NOVA. GALLIEN. VALERIANO. II. ET. LVCIL. CONS. MVRI. VERONENS. FA-

BRICA-

BRICATI. EX. DIE. III. NON. APRIL. DEDICATI. PR. NON. DEC. IVBENTE. SANCTISS. GALLIENO. &c.

Et Eccleſiæ *doctrina ſacroſancta* maxime eſt, utpote Θεόπνευςος, auctore Spiritu Dei, qui רוח הקדש dicitur & רוח קדוש *Spiritus Sanctitatis & Sanctus κατ᾽ ἐξοχήν.* Exſtructus eſt murus hic myſticus a viris Dei Θεοπνεύςοις i. e. Spiritu S. actis, 1. Tim. III, 15. 2. Pet. I, 21. *Hunc tranſcendere murum*, hanc transgredi legem capitale eſt. Qui in hac regula incedunt, ſuper iis pax eſt, Gal. VI, 16. qui hanc transgreditur, ſuper eo mors quieſcit æterna, Deut. XXVII, 26. Murum hunc violare, i. e. doctrinam veritatis profanare, horrenda Dei provocat judicia, 2. Par. XII, 1. Eſ. V, 24. Jer. VI, 19. IX, 13. XXXII, 23. Dan. IX, 11. Amos. II, 4. Zach. VII, 12. & quemadmodum olim *muri Hieroſolymæ* literalis erecti initiabantur inſigni cum lætitia, ſacrificiis, cantibus ac hymnis, Neh. XII, 27. Ita & muri Hieroſolymæ myſticæ in fine N. T. per opifices a Deo excitatos, denuo reparabuntur. Tum ſacrificia Deo ſpiritualia laudis ac confeſſionis ubique offerent converſi Hieroſ. ſpiritualis cives, hymnisque ac cantibus Deum celebrabunt lætiſſimis. Conf. Jeſ. LX, 18. cap. LXII, 8. 9. 12. 13. LXVI, 10--14. &c.

XVI. 13. *Reparatio* murorum ſub auſpiciis ſacris peragebatur a viris principibus, & maximo *honori* habebatur, quum & muri *inſcriptione* reparatoris ſui inſignirentur. Recte ergo SPANHEM. in *Diſſ. VI. de uſu & præſt. num. p. m. 556.* ſcribit: *Id enim ſingularis prærogativæ haud ignoras, urbem mœnibus cinxiſſe, unde Dido ſua decora apud poëtam enarrans:*

- - - mea mœnia vidi.

Et in codice Theodoſiano murorum inſtructio *inter publica principum opera refertur.* Quum autem collapſi reſtituerentur, nomina benefactorum lapidibus inciſa præfigebantur, ut ex quamplurimis veterum monumentis conſtat, quæ apud GRUTERUM in *Theſaur. inſcript.* legimus. Sic *pag. CLXVI. n. 6.*

IMP. CÆSAR. COS. DESIG.
TERT. III. VIR. R. P. C. ITERVM
MVRVM. TVRRESQ. FECIT.

Ibid.

Ibid. n. 5.

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AVG. PARENS. COLONIÆ.
MVRVM. ET. TVRRES. DEDIT.
L. IVLIVS. OPTATVS. TVRRES. VETVSTATE. CONSVMTAS RESTITVIT.

& alibi

L. GRAVIAR. NN. AVG.
II. VIR. QVINQ. DEC. DECR.
MVR. REF. IDEMQ. PROB. CORQ.

Simili ratione *muri* Hieroſolymæ myſticæ collapſi ſæpe reſtituendi ſunt, qui & nomine reſtitutorum inſigniuntur, quemadmodum Apoc. XXI, 14. *nomina XII. Apoſtolorum* agni in muris Hieroſol. novæ *inſculpta* leguntur. Eccleſia ergo petit a Deo Pſ. LI, 20. ut *reædificet* & reparet *muros* Zionis *collapſos*. Sæpe *collapſi* fuere hi muri myſtici, ſed & reſtituti. Veluti initio N. T. quando per introductionem traditionum humanarum a Phariſæis & ſcribis doctrina ſalutis corrupta & collapſa erat, quam reſtituebat Salvator ipſe Princeps Eccleſiæ ſuæ, uti typum hujus reſtaurationis dedit Matth. V. & XXIII. cap. & per Apoſtolos idem factum fuiſſe ex Act. XV. Rom. III. Gal. IV. Jac. III. &c. conſtat. Collapſi muri per Arianos & alios in primitiva Eccleſia hæreticos, ſed reſtituti per veros Evangelicæ veritatis defenſores, quorum nomina æternæ memoriæ conſecrantur in Eccleſia Dei. Collapſi hi muri per introductum Antichriſtianiſmum in Eccleſia, ſed reſtituti per reformatores, fidei ac veritatis heroës, quorum itidem nomina rutilant quaſi viva in Eccleſia Dei. Inſignis ſane honor, cui gratia reparandorum Hieroſol. murorum contigit, a Deo conceſſa, & per Spiritum ejus perficienda.

XVII. O beatam civitatem, cujus *muri ex jaſpide* conſtructi æternum ipſi robur ac decus conciliant! Beatam eja ſortem illorum, qui cives urbis hujus exiſtunt, & quibus illam Hieroſolymæ novæ gloriam intueri contigit! Sed ubi illos deprehendes, ſi Eccleſiam externam Proteſtantium conſideres? Reparati ſunt muri Zionis per reformationem

nem munivit Deus Eccleſiam ſuam contra hoſtes veritatis; ſed proh dolor, quam miſere denuo paſſim collapſi ejus muri apparent! Quam pauci ſuperſunt, qui damni Joſephi memores, in reparandis hiſce muris operam ſuam ac ſtudium collocarent? Sopor altus & ſecuritas carnalis eheu multorum animos occupavit! Quam parvi æſtimatur doctrina veritatis, quæ tot martyrum & teſtium ſanguine acquiſita nobisqe tradita eſt! Quam pauci in eadem decus & *ornamentum* ſuum quærunt; dogmata ſapientiæ humanæ, floſculi eloquentiæ profanæ majori cum diligentia conquiruntur, quam pretioſæ cœleſtis doctrinæ margaritæ. Ubi ſunt, qui doctrinam veritatis propugnaculum ſuum conſtituunt & fulcrum in omnibus tentationibus hoſtium veritatis & ſalutis? Plurimi ſunt inſtar civitatis absque muris, qui ſecuritate carnis ſopiti, nullas timent inſidias, non niſi de pace loquuntur, & omnes hoſtibus ſalutis aditus apertos ſiſtunt. Si in hac vita veritatem non murum ſibi aheneum conſtituerunt & tutamen; quid in futuro judicio ipſos tutos præſtabit? quando tela omnipotentis & fulmina legis contra ipſos dirigentur; quando murus imaginarius corruet, & omnibus ipſi periculis exponentur. Ergo hæc eſto murus aheneus! Hæc eſto propugnaculum unicum! In hac decus tuum, in hac tutelam quære; & invenies.

Suſpiria fundant cives Hieroſol. myſticæ, ut collapſos denuo muros reparet Jehova, Pſ. LI, 20. Quibus hoc videre contigit, omnem illi, quantum in ipſis eſt, operam impendant iis reparandis, 1. Pet. IV, 11. Eph. IV, 11. O beatam ipſorum ſortem! cives hi quoque erunt Hieroſol. cœleſtis, ubi Jehova murus erit igneus, qui ſalvos ipſos ac tutos ab omnibus hoſtibus & periculis præſtabit æternum.

EXERCITATIO X.
DE
MARGARITIS,
HIEROSOLYMÆ NOVÆ PORTIS MYSTICIS.
APOC. XXI, 21.

ARGUMENTUM.

§. I. Senſus hujus loci prophetici paucis excutitur. §. II. MARGARITARUM ſenſus hieroglyphicus varius enucleatur. §. III. in ſpecie eas veritatis Evangelicæ ac ſapientiæ cœleſtis ſymb. eſſe docetur. §. IV. Analogiæ paucis evolvuntur, ſc. origo margaritarum, quæ eſt ex fulgure ac rore cœleſti, in medio mari producente uniones. §. V. Concha tegitur externa, rudi atque ignobili. §. VI. Multo labore ac periculo extrahitur per urinatores. §. VII. Qualitates ejus recenſentur, ſc. candor ac pulchritudo ſingularis. §. VIII. Splendor & lux earum egregia. §. IX. rotunditas ac levitas. §. X. firmitas ac ſoliditas. §. XI. pretium proinde earum maximum & inæſtimabile eſt; inter optimas enim merces mercatorum recenſentur. §. XII. Non facile corrumpi queunt & adulterari; ſed tamen efformantur arte humana quædam fictitiæ & falſæ margaritæ. §. XIII. Uſus earum in ornamentis mulierum & virorum, in veſtibus, torquibus, inauribus & coronis. §. XIV. Uſus denique in medicina varius recenſetur. §. XV. Epilogo practico exercitatio hæc & libellus integer coronatur.

I. Quum

I.

QUum in exercitatione præcedenti *murorum* Hieroſolymæ myſticæ ſenſum hieroglyphicum & pretium excuſſerimus, pergimus ad *portarum* ejusdem urbis myſticæ conſiderationem, de quibus Apoc. XXI, 21. legimus: *Καὶ οἱ δώδεκα πυλῶνες δώδεκα* ΜΑΡΓΑΡΙΤΑΙ, *ἀνὰ εἷς ἕκαστος τῶν πυλώνων ἦν ἐξ ἑνὸς* ΜΑΡΓΑΡΙΤΟΥ. *Et duodecim portæ duodecim erant MARGARITÆ, unaquæque porta erat ex una MARGARITA.* Verba ſi hæc conſideres ſecundum literam, ſponte convictus eris, atro notandos eſſe calculo interpretes, qui heic portas conſiderant ornatas unionibus ac margaritis, quum *margaritæ* ipſæ conſtituere *portas*, & ſingulæ portæ ex ſingulis margaritis conſtare dicantur. Monſtroſum equidem & impoſſibile quibusdam videbitur, margaritam tantæ magnitudinis reperiri, ex qua porta urbis confici queat, per quam homines tranſire queant. Verum conſiderent hi, Hieroſolymam hanc eſſe myſticam, cujus deſcriptio quoque eſt myſtica & hieroglyphica, ubi ſenſus literalis non ubique æque late extenditur. Senſus literalis in *portis* quæ urbi competunt, quærendus eſt, myſterium autem in eo magnum latet, quod ex *margaritis* conſtructæ eſſent. Non heic fabulam Judæorum ex *Bava Bathra fol. 77. C. 1. & Gemara Sanhedr. fol. 100. C. 1. p. 393.* vocamus in ſubſidium, qua docent: Deum aliquando decem margaritas 20 ulnarum altitudinis ſecundum numerum X portarum Hieroſol. exſculpturum, easque in portis Hieroſol. collocaturum. Nec cum illuſtri GROTIO *μαργαρίτας* hoc loco de *marmore* ſplendidiſſimo ac albo intelligimus; ſenſus enim verborum aperte contradicit. Sed quoniam in loco parallelo Jeſ. LIV, 12. *portas* Eccleſiæ ex *carbunculis* ſ. gemmis eſſe conſtruendas, & hoc in loco portas XII. ex 12. margaritis conſtare dicuntur, concipimus portas in medio ſtructuræ muri, quæ ex jaſpidibus & carbunculis erat, ex ingenti *margarita* compoſitas ſingulas. Margaritæ enim apud veteres *perforabantur*, uti hodiedum adhuc fieri ſolet, adeoque foramen & introitum, ſed ſatis *anguſtum*, præbent. Sic ARRIAN. in *Periplo maris Erythr.* *περονεῖται δὲ παρ᾽ αὐτὴν τῆς Ηπιοδώρȣ συλλεγόμενον πινικόν.* Perforatur *autem pinicum* (margarita) *quod colligitur juxta ipſam Epiodori inſulam.* Et Kimchius apud BOCHART. *Hieroz. P. II. p. 683.* שנוקפין

 אותה

אותה ומחבריו ממנה אבנים ועושין מהם ענק *Illam perforari* (margaritam) *& plures ejus generis gemmas ſimul conſeri, ut ex iis fiat torques.*

Jam vero quum *portas murorum* Hieroſol. novæ ſenſu myſtico *præconium* veritatis Evangelicæ deſignare ſupra *Exercit. IX. §. 9.* demonſtraverimus; optime liquet, cur portæ hæ ex *margarita* conſtiterint, quæ *foramen* admodum exiguum habet, ſc. quoniam per præconium Evangelii aditus in civitatem Dei aperitur, ſed via admodum carni ingrata proponitur. Hoc eſt, quod Matth. VII, 14. explicatur: στενὴ ἐστὶν ἡ πύλη. *Anguſta admodum porta eſt* quæ ad vitam ducit, quam pauci inveniunt, depoſito enim omni onere peccati & concupiſcentiarum hujus mundi, non ſine θλίψει ac lucta *intrare in hanc portam anguſtam* licet, Luc. XIII, 24.

II. MARGARITA autem ſenſu hieroglyphico varia deſignat in ſcriptis æque ſacris ac profanis.

a. Symbolum apud antiquos *margarita* ipſius Dei in ſpecie Chriſti eſt. Ita EPHRAEM SYRUS: *Negotiatores ſumus ſpirituales, quærentes pretioſiſſimam margaritam, quæ eſt Chriſtus Salvator noſter, gloria noſtra & theſaurus.* Et ISIDOR. PELUSIOT. *Lib. I. ep. 182. Dominus vocatur margarita, quia humana ipſius natura unita eſt cum profunditate Deitatis ipſius, & illis ſolum nota eſt, qui eam piſcando explorant.* Apud Arabes quoque tres perſonæ divinæ vocantur جواهر ثلاثة *tres margaritæ.* Æthiopes quoque duas in Chriſto naturas ባሕርያተ ክልኤቱ፡ *duas margaritas* appellant, vid. LUDOLF. *Lexic. p. 278. & p. 183.* Sic BALSAMON quoque ex fide Leonis Allatii corpus & ſanguinem Chriſti μαργαρίτας appellavit, vide JAC. LYDII *Cœnam literator.* apud CREN. in *Opuſc. X. p. m. 455.*

b. Symb. quoque eſt omnis rei pretioſæ, ſic *anima* ſub hac ſymb. proponitur. Quando Judæi in *Talmud. Hieroſol.* כלים in fin. inquiunt: אנא מובר מרגליתי גו ארצא מסאבתא *Ego perdo margaritam meam* (i. e. animam) *in terra immunda.* Et de fructibus laboris occurrit in *balic.* עילם *fol. XIII. 2.* ראנא הא רלאי

ואת

ואת תשכח מרגניתא *Ego ſum qui laboro; tu invenis margaritam.* conf. etiam quæ de margarita animæ ſymb. adfert PIER. in *Hieroglyph. P. II. p. m. 29. 127.* Similiter *perſonæ* quæ magni æſtimantur, margaritis comparantur, veluti uxor bona Prov. XXXI, 10. & Naſiræi in Iſraële Thren. IV, 7. Imo *virtutes Chriſtianæ*, quæ pretioſum fidelium ornamentum ſunt, ſub margaritarum nomine proponuntur in ſacris, vid. 1. Tim. II, 9. Apoc. XVIII, 12. in quo loco poſteriori inter merces Antichriſti recenſentur *margaritæ*, quæ ſymb. ſunt bonorum operum ſanctorum hominum, quæ per indulgentias vendit Antichriſtus.

III. c. Præcipue vero ſymb. ſunt *doctrinæ* cœleſtis atque Evangelicæ. Jobus cap. XXVIII, 18. *ſapientiam* pretium *unionum* tranſcendere teſtatur. Prov. III, 15. ſapientia cœleſtis pretioſior dicitur מפנינים præ *margaritis*, ut vocem hanc vertendam erudite demonſtrat BOCHARTUS *in Hieroz. II. p. 677.* adde Prov. VIII, 11. XX, 15. Quando Salvator *margaritam* porcis non eſſe projiciendam docet Matth. VII, 6. intelligit dogmata cœleſtia ac ſalutaria, quæ præcipue ſub N. T. proponebat Salvator cum Apoſtolis, & quæ canibus & porcis i. e. obduratis Judæis, qui indignos præconio Evangelii ſeſe reddiderant, non erant annuntianda, quia illi cum canibus quod evomebant denuo deglutiebant impuri, & cum porcis ad prius redibant volutabrum concupiſcentiarum. Phraſin ipſam ex Judæorum ſcriptis deſumtam eſſe, DRUSIUS jam docuit. Conf. etiam Cel. VITRING. in *Obſerv. Lib. VI. p. 529.* & Doctiſſ. SCHLICHTER. *Obſ. p. 238.* Judæi legem ſub ſymb. Margaritæ deſignant. Ita R. JOSEPH CHAION in *Comm. ad Pirk. Ab. cap. IV.* כמו שמלך בשר ודם ישם בראשו עטרת
זהב גדולה מלאה ספירים ושאר אבני נזר לכבוד ולתפארת
ככה האלוה ב״ה עטרת שלו היא התורה כי יקרה מפנינים
Quemadmodum Rex carnis & ſanguinis (i. e. mortalis) imponit capiti ſuo coronam ex auro magnam, plenam ſapphiris aliisque lapidibus pretioſis ad ornatum & magnificentiam; ita Deo benedicto lex eſt, nam pretioſior eſt margaritis. adde locum ex *Sohar. p. 29. n. 18.* quem adducit Cl. SCHOETTGEN. *in hor. hebr. & talmud. ad Matth. VII. p. 78.*

p. 78. Similiter apud HARIR. *in Confeſſ. I. edit.* Cl. SCHULT. *p.* 13. والتقط بعض في ايكه *atque colligerem eximia ejus dogmata*, proprie *margaritas* ejus, conf. quæ commentatur ad h. l. Cel. SCHULTENS *in animadverſ.* Ita & *Confeſſ. II. p.* 104. فساقطت لولوا من خاتم عطر *Et projecit margaritas* i. e. pulcros ſermones, *e ſigillo bene olenti* i. e. ore ſuaviſſimo. Ægyptii quoque veritatem per *margaritas* deſignabant, unde judices imaginem ex ſapphiro confectam & gemmis ornatam geſtabant, quam *ἀλήθειαν* appellabant. vid. ÆLIAN. *var. hiſt. L. XIV. cap.* 34. Similiter CLEMENS ALEXANDR. *Pædag. Lib. III. cap. XII. p. m.* 206. ſcribit: ἐξὸν ἁγίῳ κοσμεῖσθαι λίθῳ, τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ, ὃν μαργαρίτην ἡ γραφὴ κέκληκέν που. *Decet eas ſancta ornari gemma, nempe verbo Dei, quod utique ſcriptura margaritam appellat. Idem portas XII. Hieroſ.* ex margaritis explicat *p.* 207. Λίθοις δὲ ἁγίοις τὴν ἄνω Ἱερουσαλὴμ τετειχίσθαι παρειλήφαμεν, καὶ τὰς δώδεκα τῆς οὐρανοπόλεως πύλας, τιμίοις ἀπεικασμένας λίθοις, τὸ περίοπτον τῆς Ἀποστολικῆς φωνῆς αἰνίττεσθαι χάριτος ἐκδεχόμεθα. *Ex ſanctis autem lapidibus ſupernam Hieroſolymam fuiſſe conſtructam accepimus, & duodecim portas cæleſtis civitatis lapidibus pretioſis aſſimilatas, eximiam Apoſtolicæ vocis gratiam ſignificare admittimus.*

IV. Elegans quoque inter veritatem Evangelicam & margaritas analogia intercedit, quam paucis expediemus.

1. Origo margaritarum eſt ex *mari*, in cujus medio *rore* cœleſti & *fulgure* eas generari, antiqui credebant. Unde ÆLIAN. *hiſt. animal. Lib. X. Cap. XIII. p. m.* 584. de margarita ſcribit: Θρέμμα μέντοι τῆς ἐρυθρᾶς θαλάττης καὶ τοῦτό ἐστι, καὶ τίκτεσθαί τε αὐτὸν τερατολογοῦσιν, ὅταν ταῖς κόγχαις ἀνεωγμέναις ἐπιλάμψωσιν αἱ ἀστραπαί. *Hæc etiam fœtura maris rubri eſt, & ad partum deduci ajunt, quum in apertas conchas fulgura affulſerint.* Ita PLINIUS *Lib. IX. cap.* 35. *Conchæ* ait, *ubi genitalis anni ſtimulaverit hora, pandentes ſeſe quadam oſcitatione impleri roſcido conceptu tradunt, gravidas poſtea eniti,* *partum-*

partumque concharum eſſe margaritas pro qualitate roris accepti. Conf. etiam AMMIAN. MARCELL. *Lib. XXIII.* apud PIER. *P. II. Hierogl. p. 48.* & ATHENÆ. *Lib. III.* citat ISIDOR. CHARACEN. qui ſcribit: φασὶ δὲ, ὅταν βρονταὶ συνεχεῖς ὦσι, καὶ ὄμβρων ἐκχύσεις, τότε μᾶλλον τὴν πίνναν κύειν, καὶ πλείστην γίγνεσθαι. *Ajunt autem cum fulgura continua ſunt & imbrium effuſiones, tum maxime conchas concipere & plurimam ac ampliorem generari margaritam.* Adde quæ ex *Alcazuino Arabe & Kalonymo de natura animal.* adducit Cel. BOCHART. *Hier. P. II. Lib. V. Cap. V. p. m. 676. ſq.* Conf. etiam RUEUM *de gemmis p. m. 155.* Theſauri ergo maris ſunt *margaritæ.* Huc reſpicit PROPERT. *Lib. II. el. 16.*

Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas,
Et jubet ex ipſa tollere dona Tyro.

& *Lib. I. eleg. XVI.*

Tunc mihi Pactoli veniunt ſub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma ſub æquoribus.

Et unio veritatis cœleſtis in *mari* meritorum Mediatoris noſtri atque oceano paſſionum ejus quærenda eſt, in quo *fulgure* Spiritus S. & *rore* gratiæ ac benignitatis cœleſtis quaſi generatur, accedente calore *ſolis* juſtitiæ. Quare & doctrina veritatis inter merita Salvatoris recenſetur Jeſ. LV, 1. 2. hauritur ex fonte ſalutis, Jeſ. XII, 3. & tanquam doctrina Chriſti conſideratur Matth. VII, 28. Marc. VI, 2. Luc. IV, 32. oppoſita doctrinæ Phariſæorum & humanis ſtatutis Matth. XV, 9. XVI, 12. doctrina cœleſtis & a Deo orta, Joh. VI, 16. 17. Tit. I, 10. 2. Joh. v. 9. 10. Quare & Salvatori gloria tribuitur plena gratiæ & veritatis Joh. I, 14. & *veritas* per Chriſtum *facta* dicitur Joh. I, 17. Spiritus eam produxit fulgurante ſua ac illuminante gratia; hinc Spiritus veritatis appellatur Joh. XIV, 17. XV, 26. XVI, 13. Per illum Deus ex tenebris lucem producit, 2. Cor. IV, 4. 6. Et veritas inter fructus Spiritus S. recenſetur, Eph. V, 9. 1. Joh. V, 6. *Cœleſtis* quoque eſt originis, & divinæ gratiæ ortum debet; quare virtus Dei & divina ſapientia dicitur 1. Cor. I, 24. eſt ſapientia quæ ἄνωθεν eſt, Jac. III, 17. ſapientia ſpiritualis, Col. I, 9. ita in oceano meritorum Chriſti *theſauri* ſapientiæ *reconditi* dicuntur Col. II, 3.

V. 2.

V. 2. Pretioſa margarita licet ſit, *conchæ* tamen includitur *rudi* & minime pretioſæ. In concha ſæpe una vel plures reperiuntur margaritæ. Sic ÆLIAN. *hiſt. animal. Lib. X. Cap. XIII.* εὑρεθείη δ' ἂν καὶ ἐν κόγχῃ μεγίστῃ μικρὸς, καὶ ἐν μικραῖς μέγας; κᾶτα ἡ μὲν οὐδένα ἔχει, ἡ δὲ οὐ πέρα τοῦ ἑνός· πολλαὶ δὲ καὶ πολλοὺς, εἰσὶ δὲ οἱ λέγουσι καὶ εἴκοσι προπεφυκέναι μιᾷ κόγχῃ. *In maxima concha parvam invenire eſt, contra in parva magnam. Alia inanis eſt, alia non plus quam unam habet, alia multos uniones poſſidet, adeo ut ſint, qui dicant, in una concha 20 procreatos eſſe.* Et TEXEIRA Arabs apud BOCHART. *l. c. Capiuntur autem conchæ plerumque in portu Arabiæ, quem vocant Katar. Oſtreum autem cum avellitur, ſtatim ſe aperit & margarita eximitur.* Conchas unionum deſcribit KALONYM. in *Lib. de natur. animal.* שהיא תחיה בקרקע הים אל תחתיתו מתעסקת בבקשת מזונה עד בא עת מהזמן תעלה מתחתית המים ביום המטר יתפתח נרתיק אשר מונחת בו והוא. עשוי כצורת שני אזנים מגני הדגים *Nempe vivit in fundo maris in imo gurgite, ibique in quærendo victu occupatur, donec veniat tempus commodum, quo inde excedat die pluviæ, & thecam aperiat, in qua latet, factæ inſtar duplicis armaturæ oſſeæ, quæ piſcibus ſit pro clypeo.* Et ALKAZUINUS Arabs *l. c.* memorat صدف الدر *concham margaritiferam*, يتولد منه الدر *in qua generatur margarita.* AMMIAN. MARCELLIN. *Lib. XXIII. teſtas marinas robuſtas & albicantes* appellat. PLIN. *l. c. conchas* has conchis *oſtrearum* eſſe ſimillimas teſtatur, & illas ſe vel extricare & aperire vel *contrahere* & claudere poſſe, docet *ibidem p. m. 162.*

Conchæ, in quibus margaritæ hæ latent & foventur, ſymb. eſſe poſſunt *Eccleſiæ*, in cujus ſinu doctrina veritatis conſervatur. Dantur cœtus Eccleſiæ in quibus una tantum, dantur in quibus plures margaritæ reperiuntur. Media enim gratiæ & præconii Evangelii in his regionibus majori, in aliis minori menſura diſtribuuntur. *Conchæ* externe rudes, internæ *candidæ* & albentes atque puræ deſignant Eccleſiam, cujus facies externa contemta eſt atque ignobilis, 1. Cor. I, 26. 27. ſed interne glorioſa eſt tota, Pſ. XLV, 14. pura, ſancta & intaminata, Eph. V, 25. 26.

quæ

quæ in *ſinu* ſuo fovet doctrinam cœleſtem. Illi enim concredita ſunt elogia Dei; quare comparatur cum candelabro, quod lumen gerit & exhibet, Apoc. I, 20. Zach. IV, 1. 2. Defendit hanc veritatem pretioſam contra ejus impugnatores, claudit eam & munit contra corruptores, ſed aperit & exhibet eam quærentibus hanc veritatem vera fide mercatoribus Matth. XIII, 45. 46.

VI. 3. Verum non absque *periculo* et magno cum *labore* ac prudentia *extrahitur* margarita ex imo maris per *urinatores* deſcendentes. Huc alluditur Job. XXVIII, 18. ומשך חכמה מפנינים Extractio *ſapientiæ præ margaritarum* ſc. extractione. Ita ALKAZUINUS Arabs apud BOCH. *l. c.* والغواض اذا نول لاخراجه يقلعه من الارض بالقوة *Et urinator cum deſcendit, ut eam educat, illam e terra vi extrabit.* PLINIUS *Lib. IX. l. c. Quidam tradunt, ſicut apibus, ita concharum examinibus ſingulas magnitudine & vetuſtate præcipuas eſſe, veluti duces. Has urinantium cura peti, illis captis facile cæteras palantes retibus includi.* Conſentit ÆLIAN. *de animal. Lib. XV. cap. VIII. p. m. 872.* Ἀγώνισμα δὲ ἄρα ποιοῦνται συλλαβεῖν αὐτὸν οἱ κολυμβηταὶ οἱ ὑφυδροι. Τούτου γὰρ ᾑρημένου, καὶ τὴν ἀγέλην αἱροῦσι πᾶσαν. *Summa autem contentione urinatores ideo certant ad capiendum gregis ducem, quod eo capto totum gregem capiunt.* Similiter Cel. KÆMPFER. *in Amœnit. Exot. faſc. IV. p. m. 764.* memorat *urinatores* Perſicos, qui margaritas colligant circa inſulam Bahrein. Et BENJAMIN *in Itinerar*: בחצי תשרי באין שם שני בני אדם לקרקע הים בחבלים ומלקטים את השרצים הםם ומוציאין אותם מבקעים אותם ומוציאים מתוכם אבנים הללו *Dein medio menſe Tiſri eo per funes ſe demittunt duo homines, qui reptilia illa collecta diffindunt, ex iis educunt* lapides margaritarum. Huc reſpicit Rabbinorum adagium: אי לאו דלינא חספא לא משתכחת מרגניתא תחתיה *Si non elevaſſem lapidem, non inventa fuiſſet ſub eo margarita*

Urinatores margaritarum myſtici ſunt *Doctores* ac *teſtes* veritatis, qui non ſine periculo & laboribus anxiis veritates haſce cœleſtes piſcan-

 tur,

tur, & in lucem protrahunt, præcipue quando in mari perſecutionum periclitantur. Tales erant Apoſtoli, qui varios per caſus, per tot diſcrimina rerum penetrarunt, ob veritatis Evangelicæ pretium. Audias Paulum, piſcatorem myſticum 2. Cor. XI, 23. *In laboribus, ſuperior fui, imo in plagis, in carceribus, in mortibus. Lapidatus, naufragiumque paſſus ſum, noctu diuque in profundo egi. In periculis fluminum, periculis latronum, periculis meorum gentilium, periculis gentium, periculis in civitibus, periculis in ſolitudine, periculis in mari etc. exſtiti.* Idem experti ſunt reliqui veritatis teſtes, quorum pericula & labores exantlatos recenſet Apoſtolus Hebr. XI, 33--38. *Ludibria, flagella, vincula, carcerem ſubiere. Lapidati, diſſecti ſerra, gladio cæſi, deſtituti, afflicti, male habiti, quibus indignus erat mundus.* Quantis laboribus & periculis indulſerunt veritatis ſcrutatores fideles ſub perſecutionibus gentium? quantis expoſiti fuere ſub perſecutionibus Antichriſti? ſed omnibus exantlatis margaritam puriſſimæ doctrinæ extraxerunt e medio perſecutionis mari, & nobis exhibuerunt theſaurum hunc pretioſum, 2. Tim. I, 13. 14. cap. II, 2. Apoc. III, 3. adde locum 1. Tim. IV, 9. 10. egregium: *Certus hic ſermo eſt & dignus qui recipiatur, propter quem fatigamur & conviciis obruimur.*

VII. 4. Tranſimus ad *qualitates* margaritarum, inter quas numeramus primo loco *candorem* niveum, atque proinde *pulchritudinem* ejus admirabilem. Huc alluditur *Thren. IV*, 7. *Puriores erant Naziræi illius nive, nitidiores lacte*, אדמו עצם מפנינים *nitebant corpore præ margaritis* ſ. *candebant*, vox enim אדם non rubere ſolum ſed & *nitere, lucere, pulchrum* eſſe ſignificat, præcipue ſi ex Arabiſmo deducas. vide BOCHART. *l. c.* & optime margaritis tribuitur, qui purpureo-album, ſeu candidum rubicundo mixtum, colorem produnt, & ſplendore ſuo ſe commendant. Quare non opus eſt per פנינים cum HILLERO *in Synt. Hermen. p. 28.* & aliis carbunculos aut rubinos intelligere, quia margaritis color ruber (אדם) non competat. Cæterum *candor* margaritarum maxime celebratur, quare PLINIUS *Lib. IX. cap. 35 Dos margaritarum, ait, omnis in* candore, *magnitudine &c.* & ÆLIAN. *hiſt. anim. Lib. X. cap. 13.* Δοκεσ

Δοκȣ̃σι δὲ ἄρα τοῖς τȣ́των καπήλοις, καὶ τοῖς ὠνȣμένοις οἱ ἄγαν λευκοὶ καὶ οἱ μεγάλοι κάλλιςοι καὶ τιμαλφέςατοι. Jam vero qui vendunt aut emunt, earum pulchritudinem *&* *pretium ex* candore *& magnitudine æſtimant.* Quare & *Talmudici in Joma fol. 75.* manna dicunt fuiſſe לבן כמרגלית *album inſtar margaritæ.* & EUSTATH. *ad Iliad. XII.* *Διαφέρει δὲ φασιν εἰς διαύγειαν καὶ καθαρότητα καὶ μέγεθος, ὁ ἐκ τῆς ἐμβυθίȣ πίννης μάργαρος. Pelluciditate autem &* puritate, *& magnitudine præſtare ajunt margaritam in alto degentem.* Huc reſpicit quoque SILIUS *Punic. Lib. XII.*

- - *nulla nituit plus fronte decoris,*
Quale micat ſemperque novum eſt, quod Tyburis aura
Paſcit ebur, vel qui miro candoris *honore*
Lucet in aure lapis, rubris advectus ab Indis.

Conſentit MARTIAL. *Lib. VIII. epigr. XXVIII.*

Lilia tu vincis, nec adhuc delapſa liguſtra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur,
Spartanus tibi cedit olor, Paphiæque columbæ,
Cedet Erythræis eruta gemma vadis.

Unde *lacrymæ* Arabibus comparantur cum *margaritis* ob pellucidum candorem, vid. *Cel.* SCHULTENS ad *Harir. Conſeſſ. II. p. m. 101.* Et *dentes candidiores margaritæ* ipſis audiunt; ita apud HARIR. *Conſeſſ. II. p. 108.* ضرست البلور بالدرر *maſticabat beryllos margaritis* i. e. præmordebat digitos dentibus.

Optime has qualitates applicabis veritati Evangelicæ, quæ *candida* eſt, *pura* atque *pulchra. Sapientia ac timor Domini purus eſt, & judicia Dei inſtar auri purgati*, Pſ. XIX, 9. 10. Quare in ſcriptis ſacris comparatur cum cryſtallo & vitro puriſſimo, Apoc. XXI, 18. Jeſ. LIV, 11. 12. cum ſale puro & micante, Matth. V, 13. Eſt enim doctrina *ſanctiſſima* & puriſſima, ab omnibus ſordibus purgata, Pſalm. XII, 7. Phil. I, 16. eſt lac illud *ἄδολον puriſſimum*, 1. Petr. II, 7. adde 2. Cor. II, 17. & 1. Cor. V, 8. & cum argento puriſſimo & candido confertur Pſ. XII, 7. CXIX, 72. Prov. III, 14. XVII, 3. Quare & *pulchritu-*

chritudine ſua ſe commendat animabus; ſunt pulchri & decori ſermones cervæ Naphtalitidis Gen. XLIX, 11. eſt ornatus pulcherrimus animæ, Prov. I, 9. IV, 9. Quare ubera Sponſæ quæ hujus doctrinæ ſymb. ſunt, *pulcherrima* dicuntur Cant. IV, 10. & *calcei pulcherrimi*, qui promtitudinis Evangelicæ ſymb. illi tribuuntur, Cant. VII, 1.

VIII. 5. *Splendor* margaritarum & pellucida earum *lux* atque fulgor maxime notandus eſt. Recte Perſæ in proverbio dicunt:

شرف در زجوهر خويشست
نه كه پاكي كوهر از صدفست

Unionis pretium a ſplendore *ſuo eſt,*
Non ab ortu, quem ex concha ducit.

Similiter HARIR. *Conſeſſ. II. p. 84.*

يعتر عن لولو رطب وعن برد

Micantes *inſtar margaritæ recentis & grandinis.*

Theophraſtes deſcribit margaritam διαφανὴν μὲν τῇ φύσει, *quæ natura ſua eſt pelluccida*, quare *ſtellæ* & aſtra lucidiſſima comparantur cum margaritis, uti PISIDAS *v. 128.* de æthere canit:

Προέρχεται δὲ νυμφικῶς ἐστεμμένος
Λαβὼν διαυγεῖς μαργαρίτας ἀστέρας.
Procedit vero in ſponſi modum exornatus
Aſtra gerens ut pellucidas margaritas.

Cum *ignibus*, *aſtris*, *flammis* quoque margaritas comparari docuit Cel. LAMP. *in Orat. de Urim & Thumm. p. 12.* & BARTHIUS *ad Claud.* cit. Huc reſpicit etiam SILIUS *l. c.* canens:

Lucet *in aure lapis rubris advectus ab Indis.*

& TIBULL. *Lib. II. eleg. IV.*

Hic dat avaritiæ cauſas & Coa puellis
Veſtis, & e rubro lucida *concha mari.*

& de templo Baſilii *Conſtantinus Porphyrogenneta* apud BOCHART. *l. c. p. 717.* teſtatur: οἱ δὲ ἐκ δεξιῶν καὶ ἐξ εὐωνύμων τοῖχοι ἄργυρον ἄφθο-

ἄφθονον καὶ αὐτοὶ ἐπικείμενον ἔχουσι διηνθισμένον χρυσῷ, καὶ τημίοις πεποικιλμένον λίθοις, καὶ μαργάρων λαμπρότησι. *Dextraque & læva parietes multo argente obducti ſunt, auro, lapidibus pretioſis &* margaritarum ſplendore *diſtincto.*

Doctrina quoque Evangelii ſplendore ac luce ſua rutilat. Quare toties cum *luce* comparatur. *In hac luce videmus lucem* inacceſſam, Pſalm. XXXVI, 10. in hac luce ambulant credentes, Pſ. LXXXIX, 16. Jeſ. II, 5. Lux & veritas ſunt duces itineris ipſorum, Pſ. XLIII, 3. Quare Salomo Prov. VI, 23. teſtatur: *Doctrina lux eſt.* Hæc eſt lux illa magna, quam ſedentes in umbra mortis ſplendentem aſpiciunt, Jeſ. IX, 2. in qua gentes ambulaturæ ſunt ultimis temporibus, Jeſ. LX, 3. adde etiam Matth. IV, 16. Luc. II, 12. VIII, 16. XII, 3. 35. Joh. XII, 36. Eph. V, 9. 13. 1. Pet. II, 9. Apoc. XXI, 11. Elegans quoque in hanc rem locus eſt Apoc. XII, 1. ubi *mulier ſole amicta caput XII. aſtris* cinctum gerit, quæ coronæ inſtar eam exornant. Ubi ſine dubio alluditur ad coronas veterum ſplendidiſſimas, quæ gemmis & margaritis luciſſimis ditatæ erant, ut ſtatim in ſeq. docebimus. Et aſtra cum margaritis & has cum illis comparari ſupra docuimus. Intelligitur autem doctrina in præconio XII Apoſtolorum Chriſti fundata. Radiat doctrina *luce ſapientiæ,* quæ omnem humanam ſuperat; radiat *luce ſanctitatis,* quia eſt Θεόπνευστος 1. Tim. III, 15. radiat *luce lætitiæ & gloriæ,* quam excitat & operatur in cordibus electorum, Pſ. XCVII, 11.

IX. 6. *Rotunda* præditæ ſunt forma margaritæ & maxime *lævigata.* Hebr. דר dicitur margarita ſecundum *magnum* BOCHART. *l. c.* a דור *rotundu eſſe.* ÆLIAN. quoque *l. c. p. 585.* ait: φύσιν δὲ ἔχει τῆς περιφερείας τὸ λεῖον καὶ εὐπερίγραφον εἰ δὲ ἐθέλοι τὶς τῶν πεφυκότων ἑτέρως, τινὰς σοφίας τέχνη περιγράψαι τε, καὶ λεῖον ἀποφῆναι τὸν λίθον, ὅδε ἐλέγχει τὴν ἐπιβουλήν. *Suapte natura* rotundus & lævis *eſt, probeque circumſcriptus. Si quem ex eis velis affabre, aliter quam natus eſt, circumſcribere vel expolire, is artificium prodit.* Quare & ABENESRA *in Geneſin* ברולח margaritas explicans ſcribit: אמר הגאון כי הברולח הם אבנים הקטנים עגולים היוצאים מהמים שהם רקים נרמה המן אליהם *Dixit R. Gaon voce Bedolach*

dolach lapillos rotundos *deſignari, ex aquis educi ſolitos, quibus quia tenues ſunt, mannæ grana conferuntur.* Vide quæ de ברולח in ſignificationem *margaritarum* commentatur ὁ πάνυ BOCHART. l. c. & KIMCHI in Lex. אבן לבנה עגולה *Lapillum album & rotundum* appellat. Quare PLINIUS etiam l. c. ſcribit: *Proceribus ſua gratia eſt, Elenchos appellant faſtigiata longitudine, alabaſtrorum figura, in* pleniorem orbem *deſinentes,* quos memorat JUVENAL. *Sat. VI.*

- - - *& cum*
Auribus extentis magnos commiſit elenchos.

Figuram eorum exhibet PIGNOR. *de ſerv. p. m. 200.* ob *lævorem* quoque celebrantur apud TZEZ. *Chiliad. XI. hiſtor. 375.*

Ὅσαι δὲ λάϊγγες ἐντὸς πέσωσι τῶν ὀςρέων,
Γίνονται διαυγέςεροι τῷ λείῳ τῶν ὀςράκων,
Καὶ ςίλψιν δὲ λαμβάνουσι, καὶ μάργαροι καλοῦνται.
Quotquot autem lapilli intra conchas ceciderint,
Per eorum lævorem *fiunt pellucidiores,*
Et ſplendent ac margaritæ appellantur.

Ob *rotundam lævamque* formam globuli & grana vocantur, uti apud *Geographum Arab.* quem citat BOCH. *l. c.* وحليهم النحاس والدرّ والنظم من الزجاج *Et ornatus eorum aurichalcum, grana* i. e. margaritæ, *& murænulæ vitreæ.*

Rotunditas perfectionem & æternitatem doctrinæ veritatis, & *lævor* ſimplicitatem illius atque immutabilitatem deſignat, quæ utraque qualitas verbo Evangelii in ſacris tribuitur. *Perfecta* eſt hæc doctrina, teſte Pſalte Pſ. XIX, 8. *Doctrina Jehovæ* perfecta *eſt,* ſ. integra, *& teſtimonium Jehovæ verax.* Quare *bona, Deo complacens,* & perfecta *Dei voluntas* vocatur Rom. XII, 2. ſapientia appellatur perfecta ſeu ipſa *perfectio,* Heb. VI, 1. Omnia enim, quæ peccatori ad ſalutem & perfectionem ſcitu neceſſaria ſunt, exacte & adæquate comprehendit, 1. Tim. III, 15. 16. & hominem ipſum perfectum Deo ſiſtit. *Æterna* quoque eſt hæc ſalutis doctrina, non ab hominibus ſed patre *æternitatis* ortum trahit; fundatur in æterno pacis pacto & ſalutis teſtamento; durat in omnem

omnem quoque æternitatem, Pſ. CXIX, III. 144. Luc. XXI, 33. *Simplex* quoque eſt verbum Dei, *ἁπλότης ἐν Χριστῷ καὶ εἰλικρίνεια* eapropter appellatur 2. Cor. XI, 3. ſincera ac genuina eſt ejus naturalis pulchritudo; ſi falſare aut artibus humanis & cordis figmento expolire eam ſtudes, actutum ſplendorem genuinum amittit, 2. Cor. II, 17.

X. Margarita præterea *materia* prædita eſt *firma* ac *ſolida*, adeoque incorruptibilis eſt, licet *aceto* fulgor ac pulchritudo ejus perdatur, uti Phyſici docent. Ita deſcribit eam ÆLIAN. *Lib. X. Cap. XIII. hiſt. animal.* *λίθῳ δὲ ἄρα ὁ μαργαρίτης ἔοικε πεπωρωμένῳ, καὶ ἔχειν ἐν ἑαυτῷ, καὶ στέγειν ὑγρὸν οὐ πέφυκεν οὐ δὲ ὀλίγον.* *Lapillo ſimilis eſt margarita indurato & humoris ne minimum quidem in ſe continet.* Quare & *lapis* toties vocatur apud ſcriptores, uti apud BENJAMIN. *Itin.* ומוצאים מתוכם אבנים הללו *Et educunt ex iis lapides margaritas.* & POMAR. in *lex. ad voc.* פנין ſcribit: אבן יקרה או הוא כדמות אבן לבן היוצא מבטן דג אחר הנקרא אסטריקי ונמצא בים אוקיאנוס *Lapis pretioſus, vel lapillo albo ſimilis, qui educitur e ventre piſcis oſtrei nomine in Oceano reperiri ſolito.* & KIMCHI in *Lexic.* ויש אומרים שהיא אבן לבנה שנוקבים אותה ומחברים ממנה אבנים *Sunt qui dicunt* lapidem *eſſe album & rotundum, quem perforatum cum aliis gemmis conſociant.* Arabes quoque حجر اللولو *Lapidem margaritam* vocant. Unde & SENECA in Hippolyto:

> *Cervix monili vacua, nec niveus* lapis
> *Diducat aures, Indici donum maris.*

OVID. *de art. am. Lib. III.*

> *Vos quoque non caris aures onerate* lapillis
> *Quos legit in viridi decolor Indus aqua.*

Aceto tamen eas corrumpi docet PLINIUS *hiſt. nat. L. IX. Cap. XXXV. p. m. 163.* & PIERIUS *Hierogl. P. II. p. 49.*

Optime hæc margaritarum qualitas *conſtantiam* atque incorruptibilitatem ac *immutabilitatem* hujus doctrinæ depingit. Quare doctrina Evangelii cum *auro* comparatur, quod eſt ſolidum, nec igne conſumi poteſt, Pſ. XII, 7. cum *chalybe* & *ferro*, quod omnes malleos ſuſtinere

nere poteſt, quando gladius biceps appellatur, Heb. IV, 12. *Conſtans* eſt doctrina, quam omnes omnibus ſeculis impugnarunt veritatis hoſtes ſed fruſtra; omnes eorum ſuſtinuit immota tentationes & adhuc triumphat. *Immutabilis* eſt, nec corrumpi unquam potuit, eadem ſemper eſt veritas, fuit quoque & erit, Heb. XIII, 8. 1. Cor. III, 11. ſub V. T. eadem ſalutis doctrina, quæ ſub N. T. Gen. III, 15. Heb. II, 14. *Aceto* quidem perverſæ ac humanæ ſapientiæ ſplendor ejus & lux ſupprimi poteſt, veluti per traditiones Phariſæorum factum, Matth. V, 19. quare pura ſervanda eſt doctrina, 2. Cor. II, 17.

XI. 8. *Pretium* margaritarum maximum eſt & inæſtimabile, eapropter inter *optimas merces* recenſentur. Huc reſpicit Salomo, Prov. III, 14. 15. *Melior eſt negotiatio ejus negotiatione argenti, & auro effoſſo proventus ejus. Pretioſior eſt carbunculis, & omnia oblectamenta non poſſunt æquari ei.* & Cap. VIII, 11. *Nam melior eſt ſapientia margaritis, & omnes deliciæ æquari ei nequeunt.* Huc refer Rabbinorum proverbium in *Talmud. Jeroſ. Berach. Cap. IX.* למרגליתא דלית לה טימי כל שמשבח בה פגמה *Margaritam inæſtimabilem qui laudat, deboneſtat eam.* De margaritis ſcribit ÆLIAN. *l. c.* ὁ ᾀδόμενος μὲν παρὰ τοῖς ἀνοήτοις, καὶ ἐν ταῖς γυναιξὶ θαυμαστὸς μαργαρίτης, i. e. ex interpretatione Geſneri: *Inſano hominum vel pretio vel ſermone celebris eſt atque illuſtris margarita, & ſimul mulierum admirationem habet.* & paulo poſt inter merces mercatorum optimas refert, ſcribens: Δοκοῦσι δὲ ἄρα τοῖς τούτων καπήλοις, καὶ τοῖς ὠνουμένοις οἱ ἄγαν λευκοὶ καὶ οἱ μεγάλοι κάλλιστοι καὶ τιμαλφέστατοι, ὥστε ἐκείνοις κρίνειν αὐτοὺς καὶ πλούσιοί γε ἐξ αὐτῶν ἐγένοντο, οἷς ἔστιν ἐντεῦθεν ὁ βίος. *Jam vero qui vendunt aut emunt, pulchritudinem & pretium ex candore & magnitudine æſtimant, & quidem hanc artem factitantes, plerique ex iis locupletati fuere.* Ex margaritarum piſcatione ad Catiphan prope Baharain quotannis valorem quingentorum millium ducatorum educi teſtatur *Petrus Texeira* apud *Bochartum.* Recte quoque PLINIUS *l. c. Principium columenque omnium rerum pretii margaritæ tenent.* Et *Megaſthenes* apud ARRIAN. in *Indic.* εἶναι καὶ, inquit, παρ' Ινδοῖσι τὸν μαργαρίτην περιστάσιον κατὰ τιμὴν πρὸς χρυσίον, *etiam apud Indos margaritam contra triplum auri venire.*

Et

Et ATHENÆUS *Lib. III.* docet: ἐξ οὗ ἡ μαργαρῖτις λίθος γίνεται, ἀυτὴ δὲ ἐςὶ πολυτελὴς κατὰ τὴν Ἀσίαν, καὶ πωλεῖται περὶ Πέρσας τε καὶ τοὺς ἄνω τόπους, πρὸς χρυσίον. *Ex quo* (oſtreo) *lapillus margaritæ oritur, qui quidem eſt maximi pretii in Aſia, & venditur a Perſis & circumjacentibus populis auro contra carior.*

Majus tamen, uti ex Prov. III, 15. & VIII, 11. vidimus, adhuc pretium eſt doctrinæ cœleſtis. *Pretioſior* eſt argento & auro, Prov. XVI, 16. Hiob. XXVIII, 15--19. Pſ. XIX, 11. quare *pretioſa* margarita appellatur, Matth. XIII, 46. Omnia hujus mundi bona, omnes hujus orbis divitias pretio ſuo antecellit, Matth. XVI, 26. Si homo totius orbis lucraretur opes, & divitias animæ, i. e. ſapientiam cœleſtem negligit, æternum miſer erit atque pauper. Bona ac opes hujus mundi caduca ſunt & aliquando flammis conſumentur, rubigine ac furto facile pereunt; ſed hæc doctrina cœleſtis æternis divitiis animum cumulat, quas nec fur diripere nec tinea conſumere poteſt, Matth. VI, 33. 20. Omnia ergo mercator prudens vendit, & hanc margaritam ſibi comparat, Matth. XIII, 46. i. e. anima fidelis, quæ differentiam divitiarum hujus mundi, & divitiarum ſpiritualium agnovit, omnia abnegat, & cum Paulo pro ſtercore habet, ut opes haſce æternas ſibi vera fide acquirat, Apoc. III, 17. 18.

XII. 9. Licet natura ſua admodum *mirabiles* ſint margaritæ ſuoque ſe pretio ac conſtantia commendent, *falſæ* tamen ac *fictitiæ* arte humana *efformari* ſolent, quæ *ſpeciem* earum mentiuntur, ſed valore, pretio, conſtantia ac decore immane quantum differunt a genuinis margaritis, quarum pretium eſt immutabile. J. BAPTISTA PORTA *in occultis* ſuis, modum conficiendi margaritas fictitias late recenſet. Et KIRCHER. in *Mund. ſubterr. P. II. p. m. 466.* ſcribit: *Perlæ fiunt hic Romæ quoad formam veris ita ſimiles, ut ſplendoris & ſpeciei ratione a veris & nativis vix diſcerni queant.* et *Lib. XII. ſect. V. P. III. de arte vitriar. p. 461.* notat: *Vix ob aliam cauſam tanto in pretio ſunt margaritæ, quam quod non facile adulterari poſſunt. Aurum adulteratur facile. Gemmæ ex vitris duplicatis concinnatæ, auroque incluſæ, ita fallunt oculos, ut gemmarii periti, niſi eas eximant,*

mant, a veris non diſcernant; ſola margarita neque corrigi neque alieno fuco elegantior reddi poteſt. Et in ſeq. varios modos recenſet, quibus margaritæ fictitiæ & falſæ efformantur ab hominibus artificibus.

Optime hoc quadrat in doctrinam Evangelii, quæ nativo ſuo ſplendore & pretio ſe commendat, nec ullis fucis aut humanæ rationis figmentis exornari poteſt. Recte ergo Apoſtolus de ſe ſuisque συνέργοις doctrinam pure exhibentibus absque figmentis humanis, teſtatur 2. Cor. IV, 2. *renuntiamus latebris pudendis, non ambulantes inter vos cum calliditate, neque* falſantes *verbum Dei, ſed declaratione veritatis commendantes nos ipſos apud omnem conſcientiam hominum in conſpectu Dei.* 2. Cor. II, 17. & 1. Cor. II, 1. teſtatur, ſe non veniſſe cum *eminentia orationis aut ſapientiæ,* i. e. fucis eloquentiæ humanæ doctrinam Evangelii ſimplicem obfuſcaſſe, ſed *teſtimonium Dei purum* annunciaſſe: et v. 13. *Quæ etiam loquimur* non *verbis ex humana ſapientia prognatis, ſed quæ autorem habent Spiritum S.* Sunt quidem & fuere omni tempore in Eccleſia Dei καπηλεύοντες puram veritatis doctrinam, & dogmatibus humanæ ſapientiæ excolentes; ſed quando fuere explorati, *falſarii* & mendaces reperti ſunt, Apoc. II, 2.

XIII. 10. Præcipuus *margaritarum* uſus fuit in *ornamentis* veterum; non enim *veſtes* ſolum ſed & *cingula* & *gladios* illis exornabant. In *auribus* geſtabant, in *coronis*, uti & *monilibus* & *armillis* veterum uſus illarum frequentiſſimus fuit. De Cleopatra EUTYCHIUS *Part. I. hiſtor. p.306.* ſcribit. *Omni mundo ſe exornavit, auro, argento* والدر والياقوت والزبرجد *& unionibus & carbunculis & ſmaragdis.* De *veſtium* ornatu ex margaritis conf. Cl. J. C. HARENB. *Diſſ. in Prov. XXVI. 8. Muſ. Brem. Vol. I. f. 1. p. 149.* Conſpicis etiam apud SPANHEM. in *Diſſ. de uſu & præſt. num. p. m. 574.* nummum Scipionis, in quo veſtis imperatoria *unionibus* ornata apparet. adde nummum cum epigraphe, HONORIO AVGVSTO, apud Cl. HAVERCAMP. *in Diſſ. de Alex. M. numiſm. p. 114. n. LII.*

In

In *auribus* margaritas geſtabant, unde SENECA *Hercul. Oetæo v. 661.*

Nec gemmiferas detrabit aures
Lapis Eoa lectus in unda.

& PRUDENT. *hamartius.*

Auribus aut gravidis virides ſuſpendere baccas;
Nectitur & nitidis concharum calculus albus.

conf. ea quæ ſupra §. X. adducta ſunt. In *coronis* quoque inſignis fuit margaritæ ornatus. Unde PATRICIDES *Arabs* apud Doctiſſ. VERE-STOY *de palma ardente p. 95.* ثم أمر بما كان في اكليل خاقان من الدر والياقوت الاحمر والجو هر الفاخر فعلق علي باب ذلك البيت ونحل تلك النار سيف خاقان المحلي بالدرر *Tum juſſit ut ea, quæ eſſent in corona Chakani, uniones, Sardii, pyropi, margaritæ pretioſæ, ſuſpenderentur de oſtio illius delubri pyrci. Atque iſti etiam igni conſecratus eſt gladius Chakani, margaritis ſplendide ornatus.* Varios huc refer numos paſſim obvios, ubi capita Imperatorum ſertis & coronis ex *margaritis* ornata conſpicis, vide SPANHEM. *l. c. p. 682.* Cl. HAVERCAMP. *l. c. p. 114. & 116.* OISEL. *de Num. Imp. Rom. Tab. XIV. n. IV--VII.* BEGER. *Theſ. Imp. Rom. num. Tab. L. n. 12. LXIV. n. 17. LXVIII. n. 21. LXVII. n. 24. &c.* In *torquibus*, *monilibus* & *armillis* quoque adhibebantur. Unde in *Alcor. Surat. XXXV.* dicitur: *Hortos Eden intrabunt & in iis cultiſſime ornabuntur armillis ex auro & margaritis.* CHARES MITYLENÆUS apud ATHENÆ. *Lib. III.* de Medis & Perſis ſcribit *Lib. VII.* κατεσκευάζουσι δὲ ἐξ αὐτῶν ὁρμίσκους τε καὶ ψέλλια, περὶ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας. *Ex iis monilia & armillas adornant circa manus & pedes.* Huc reſpicit JUVENAL. *Sat. VI.*

- - - turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit.

 Quare

Quare & GOLIUS *in Lex.* فريدة explicat *ſingularem margaritam, quæ monili inter alias connexas eminet.* Vide apud PIGNOR. *de Serv. p. 199.* BOCHART. *l. c. p. 683.* BRISSON. *de reg. Perſ. princip. p. m. 254.* BOOT. *Animadv. S. P. II. p. 145.*

Doctrina veritatis Evangelicæ maximum electorum eſt *ornamentum.* Hæc eſt doctrina, quæ *coronam capitis* & *torquem colli* diſcipuli S. Sapientiæ conſtituit, Prov. I, 9. Hic eſt ornatus Eccleſiæ myſticus, toties in ſcriptis ſacris celebratus, vide Pſ. XLV, 10. Jeſ. LXI, 3. 10. Jer. II, 32. Ezech. XVI, 4. XXIV, 17. 1. Petr. III, 3. *Corona* ipſorum radiat *XII. aſtris* i. e. gemmis doctrinæ Apoſtolicæ, ut ſupra ex Apoc. XII, 1. vidimus, non enim gloriantur niſi in doctrina ſalutis, pretioſa illa gemma & theſauro, Apoc. III, 11. monentur eapropter: *Serva ſ. tuere id quod habes, ne quis auferat coronam tuam!* conf. Apoc. II, 5. III, 3. *Monile* eſt ſeu *torques* aureus Prov. III, 3. cap. I, 9. tot unionibus quaſi ornatus, quot veritatibus cœleſtibus & dogmatibus hæc rutilat doctrina, Cant. IV, 9. utpote quo ornati placent electi in oculis Dei, ceu ſponſa ornata monili & armillis, Jeſ. LXI, 3. *Armilla* eſt myſtica hæc doctrina; omnia enim officia, omne ſtudium, omnisque labor, doctrinæ veritatis ſtudio coronandus eſt. Gal. VI, 16. Col. I, 10. 11. cap. III, 16. 17. et *inauris* myſtica, quia *auribus* cuſtodienda doctrina cœleſtis & cordibus, Prov. III, 1. & cap. I, 5. 8. cap. II, 2. 3. 4. Jeſ. LV, 3. Pſ. XCV, 7.

XIV. 11. Uſus denique reſtat *Medicus* margaritarum; varias enim vires ſalutares unionibus adſcribere ſolent Phyſici & rerum naturalium ruſpatores. Audiamus hac de re RUEUM Philoſophum Inſulanum *Lib. II. cap. XIII. Porro præcipua margaritis laus eſt, quod ſiccitate innata corporis redundantias abſumunt: vt vel hinc vires,* ſpiritus, cor *& principes corporis partes recreent. Ideoque contra cardiacos & melancholicos affectus plurimum celebrantur magnoque uſu commendantur.* Adde *quod a vulgaribus peſtiferisque morbis defendunt & diarrhœis magnopere* conferunt; Oculorum *præterea abundantem humorem finiunt, ideoque & viſui proſunt.* Conf. eundem Philoſ. & Mediç. *Lib. II. cap. XIX. p. m. 163.* Similiter PLI-

NIUS

NIUS *hiſt. nat. Lib. XXXII. cap. II.* de genere quodam margaritarum apud Graviſcas ſcribit: *Aruſpices & vates religioſum id geſtamen amoliendis periculis arbitrantur. Contra torminum ac veſicæ & calculorum mala in pulverem igne redacti, potique cum aqua auxiliantur. Cinis eorum miſcetur oculorum medicamentis.* adde quæ de corallorum uſu medico & ſalutari adfert Doctiſſ. SCHLICHTER. *in Obſerv. ſuis p. 241. in not.*

Longe majori jure has virtutes tribuimus doctrinæ ſalutis, quæ eſt *virtus Dei ad ſalutem,* Rom. I, 16. 1. Cor. I, 18. 24. Verbum Dei eſt vivum, καὶ ἐνεργὲς, & *efficax*, vires in converſione peccatoris maxime ſalutares exſerens. Aperit illud *oculos* intellectus, ut illuſtratio gloriæ divinæ in corde oriatur, 2. Cor. IV, 4. 5. Eſt collyrium illud pretioſum ab Archangelo ſibi comparandum, quo inungimus oculos & reſtituitur nobis viſus, Apoc. III, 18. Eſt *cordiale* quoddam, quod humores ſuperfluos & noxios concupiſcentiarum abſumit, enecat & expellit, & vires novas animæ addit, in omnibus infirmitatibus ſuffulcit & corroborat, Pſ. CXIX, 25. 28. 116. *Purgat* nos ab omni impuritate carnis & ſpiritus, Joh. XVII, 17. Eph. V, 26. vitam novam in nobis procreat, Joh. III, 5. Jac. I, 18. Eſt *amuletum* quoddam, quod collo appendimus, fidei Prov. III, 3. quo omnes Satanæ tentationes, omnes mundi incantationes & irritationes depellere poſſumus, 1. Joh. II, 4. 5. 14. Apoc. III, 8. 10. Col. III, 16. Pſ. CXIX, 9. 11.

XV. O ergo admirabilem novæ Hieroſolymæ faciem! o incomparabilem illius ſplendorem, qui omnem totius orbis gloriam longe ſuperat! o inæſtimabile margaritarum i. e. veritatum cœleſtium, quæ portas hujus urbis myſticas conſtituunt, pretium! Beati qui cives hujus urbis & hæredes hujus gloriæ exiſtunt! Sed ubi vel ſpeciem hujus gloriæ conſpicimus in Zione noſtri temporis? ubi veritatem promiſſi Eſ. LIV, 11. 12. N. T. tempora reſpicientis videmus? Proh dolor φιλαυτία & concupiſcentia mundi portas pleraſque Eccleſiæ Proteſtantium occupavit. Aperuit Deus aditum, conſtituit puram doctrinam portas Eccleſiæ tempore reformationis, & margaritas has maximo periculo & multo ſanguine per teſtes veritates ex mari perſecutionum Antichriſti extrahi,

 nobis-

nobisque puras tradi curavit. Sed ubi ſunt, qui pretium earum agnoſcunt? parum abeſt, quin a porcis, hujus ævi hominibus, impietatis & voluptatis ſtudioſis, pedibus conculcentur, Matth. VII, 6. Væ Jeſchuruni! qui pinguia Jehovæ dona proculcat: Væ Iſraëli, manna hoc cœleſte cum faſtidio rejicienti! Væ iis, qui ſe cives Hieroſolymæ novæ jactitant, & portas has veritatis vera fide & obedientia ingredi nunquam deſiderarunt! Via ſane eſt anguſta portarum ex margaritis, & pauci eam inveniunt; qui non onera peccati & deſideriorum mundi deponit, ingredi in haſce portas nunquam poterit.

O utinam pretium inæſtimabile hujus margaritæ agnoſcerent mortales! O utinam ſplendore hujus veritatis cœleſtis corda perculſa ſentirent! O utinam virtutes efficaces in ſanandis animabus miſere decumbentibus perciperent! O utinam omnia venderent & abnegarent in hoc mundo cum mercatore illo Evangelico, & hanc margaritam ſibi compararent! Quisquis ergo hujus poſſeſſionis deſiderio tenetur, non curet pericula, ſponte ſe mergat aquis tentationum & oppreſſionum hujus mundi, quærat, & inveniet.

Beatos jure prædicamus, quibus hæc contigit ſors, ut cives urbis exiſtant, cujus portæ ſunt ex margaritis hiſce myſticis. Beatos judicamus, qui margaritas has quæſivere & invenere; illi poſſident divitias inæſtimabiles, æternas, immutabiles, quas nec fur nec tinea auferet aut corrumpet. Hi margaritis hiſce *collum*, *veſtes & manus*, i. e. totam vitæ actionem & converſationem exornare ſtudeant; auribus injiciant perpetua obedientia; ſic quoque aliquando coronam ex margaritis hiſce pretioſis geſtabunt in die triumphi, & his gloriabuntur æternum.

F I N I S.

WILH.

WILH. ERN. EWALDI
SPECIMEN
OBSERVATIONVM
SACRARVM
PHILOLOGICARVM
IN EPISTOL. PAVLI
AD
EPHESIOS.

SPECIMEN OBSERVATIONVM SACRARVM IN EPISTOLAS PAVLINAS, ET QVIDEM HAC VICE, AD EPHESIOS.

ARGUMENTUM.

§. I. Phraſes ſacrarum literarum obſcuras ex inventa commoda alluſione explicari optime poſſe docetur. §. II. Specimen hujus rei datur ex Epiſt. ad EPHESIOS locis quibusdam ſc. Epheſ. I, 8. 9. Cap. III, 3--5. & 9. ubi de σοφια ἐν μυςηριω, & αποκαλυψει τȣ μυςηριȣ Chriſti mentio occurrit aliquoties, quibus vocibus ad myſteria ſacra Dianæ Epheſiæ, ἱερα ejus γραμματα, & artes ſapientiæ occultas Magorum Epheſiorum alludi censemus. §. III. Locus Epheſ. I, 10. de ανακεφαλαιωσει παντων, & Cap. III, 6. 9. IV, 1--6. voces συγκληρονομος & συσσωμα, nec non συμμετοχος atque κλησις εις ἑνοτητα cum συνδεσμω ειρηνης ex ritibus Aſiæ enucleantur. Ubi de κοινω Ασιας & ομονοια urbium Aſiæ, ipſarumque συγκλητοις και ἱεραις Συνοδοις ex antiquis nummis & marmoribus varia adducuntur. §. IV. Phraſes σφραγιζεσθαι & αρραβων de Spiritu S. adhibitæ ex Cap. I, 13. IV, 30. illuſtrantur ex annulis magicis Epheſiorum, quorum ope occulta ſcire & contra quævis mala ſe muniri credebant ſuperſtitioſi cultores. §. V. Voces Σωμα και πληρωμα quæ de Eccleſia Deoque adhibentur Epheſ. I, 23. III, 19. 20. IV, 16. ex ſymbolica Dianæ Epheſiæ ſtatua, quæ corpus habebat, & quidem πολυμαςον, multis mammis & uberibus inſtructum, illuſtrantur. §. VI. Locus Cap. II,

21. 22.

21. 22. in quo Eccleſia ναος αγιος & κατοικητηριον Θεȣ vocatur, nec non Cap. III, 17. 18. ubi Chriſtus κατοικησαι in cordibus Epheſiorum dicitur, ex hiſtoria Act. XIX, 24. explicatur, ubi ædicularum ſacrarum & ναιδιων meminit Apoſt. quas vel in ædibus privatis erigere, vel in capſulis ſecum geſtare ſolebant Epheſii in honorem & cultum Dianæ. §. VII. Epheſ. III, 7. 8. ubi Paulus ſe Διακονον κατα την δωρεαν της χαριτος appellat, qui annuntiaret τον ανεξιχνιαςον πλȣτον τȣ Χριςȣ, ex dignitate ſacerdotum & miniſtrorum Dianæ Epheſiæ & theſauris reconditis ac ſacris templi ipſius, illuſtratur; qui Νεωκοροι dicebantur, quæ vox explicatur. §. VIII. Eph. IV, 22. 24. phraſis αποθεσθαι παλαιον ανθρωπον και ενδυσασθαι τον καινον in genere ad baptiſmum veterum Chriſtianorum reſpicere docetur, in ſpecie ad luxum veſtium Epheſiis in uſu frequentem, qui abnegandus. Et quando vetus homo, *non veſtis, appellatur vita improba, ad larvas in feſto Catagogii Epheſiorum uſitatas reſpici conjicitur. §. IX. Locus Eph. V, 15--19. ad feſtum Bacchi Epheſiis celebratum reducitur, & phraſes inde deſumtas eſſe, ordine docetur.*

I.

AD ſacrarum literarum illuſtrationem rituum ſpecialium gentium antiquarum cognitionem ſumme eſſe neceſſariam, nemo amplius inficias ibit, qui tot inſignia virorum hujus & præcedentium ſeculorum monumenta, atque uſus eorum in explicandis ſcriptorum ſacrorum phraſibus egregios, curatius perpendet. Majori autem cum fructu ſtudia noſtra impendemus, ſi ex ritibus genti aut nationi cuidam familiaribus, oracula ſacra, ad eandem vel de eadem pronuntiata, elucidare queamus. Specimen hujus methodi jam dedimus in *Exercitat. noſtra* de *ςεφανηφόροις Aſiæ ad illuſtrandum Apoc. III, 11. in MUS. BREM. Tom. II. faſc. 2.* Dabimus quoque novum ſpecimen ex collectaneis noſtris ad Epiſtolas Pauli, quarum illam ad EPHESIOS hac vice ſelegimus, id quod rudi tantum penicillo delineabimus.

II. Primo loco notamus Epheſ. I, 8. 9. ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς ἐν ΠΑΣΗ ΣΟΦΙΑι καὶ ΦΡΟΝΗΣΕΙ, γνωρίσας ἡμῖν τὸ ΜΥΣΤΗΡΙΟΝ

τȣ̃ θελήματος αὐτȣ̃. Similiter Cap. III, 3 - - 5. *κατὰ* ΑΠΟΚΑΛΥ-ΨΕΊΝ *ἐγνώρισέ μοι τὸ μυϛήριον. Σύνεσιν μȣ ἐν τῷ* ΜΥΣΤΗΡΙΩι *τȣ Χριϛȣ̃* etc. - - *ὡς νῦν* ΑΠΕΚΑΛΥΦΘΗ *τοῖς ἁγίοις Ἀποϛόλοις αὐτȣ̃.* & verſ. 9. *ἡ* ΚΟΙΝΩΝΙΑ *τȣ̃* ΜΥΣΤΗΡΙΟΥ *ἀποκεκριμμένȣ.* Non dubitamus Apoſtolum, quum toties *myſterii & ſapientiæ occultæ* atque abſconditæ mentionem injiciat, cujus notitia atque intelligendi donum ſolis Apoſtolis contingat, heic digitum intendere ad ſuperſtitionem Epheſiorum nondum converſorum, qui *myſteria Dianæ* quæ Patrona *magorum* Epheſiorum habebatur, magni faciebant, quibus myſteriis *μυϛήριον* illud ſanctiſſimum veritatis cœleſtis & ſapientiam quæ *ἄνωθεν* eſt, opponit Paulus. *Magorum* ingentem numerum Epheſi fuiſſe docuit *Cel. & Ampl.* CUPER. in *apoth. Homer. p. 270.* Inter eos eminuit *Apollonius Thyanæus*, qui ſapientiam occultam & artes magicas docuit Epheſi, ut docet PHILOSTRATUS in *ejus vita Lib. IV. Cap. I.* Conf. de eo *Cel. & Doctiſſ.* MOSHEM. *Diſſert. & Epiſtolas*, quas legis in *Bibl. Brem. Claſſ. III. f. I. p. 1. & Claſſ. V. p. 216.* Talis quoque fuit *Heraclitus*, qui libros ſapientiam occultam continentes in templo Dianæ Epheſiæ depoſuit, cujus meminit CLEM. ALEXANDR. *in Admon. ad Gent. p m. 13. Τοῖσι δὴ μαντεύεται Ἡράκλειτος ὁ Ἐφέσιος, νυκτιπόλοις, Μάγοις, Βάκχοις, λήναις, μύϛαις. Τȣ́τοις ἀπειλεῖ τὰ μετὰ θάνατον. Τȣ́τοις μαντεύεται τὸ πῦρ. Τὰ γὰρ νομιζόμενα κατ᾽ ἀνθρώπȣς* ΜΥΣΤΗΡΙΑ *ἀνιέρως μυȣ̃νται. Νόμος γάρ εἰσι καὶ ὑπόληψις κενὴ καὶ τȣ̃ Δράκοντος τὰ μυϛήρια, ἀπάτη τὶς ἐϛὶ θρησκευομένη τὰς ἀμυήτȣς* ΜΥΗΣΕΙΣ. *His quidem vaticinatur* Heraclitus Epheſius, *his inquam noctivagis, Magis, Bacchis, lenis, myſtis poſt mortem eventura minatur. His ignem vaticinatur. Iis enim, quæ ex hominum ſententia MYSTERIA exiſtimantur, profane initiantur. Sunt enim ea lex vana & opinio. Et ſunt Draconis MYSTERIA, fraus quædam quæ profana ſacra colit.* Huc quoque refer ΓΡΑΜΜΑΤΑ ΕΦΕΣΙΑ apud Epheſios decantata maxime & celebrata, quæ per *τὰ περίεργα* Act. XIX, 19. intelligenda eſſe viri docti jam obſervarunt. conf. Doctiſſ. J. C. ORTLOB. *Diſſ. de Epheſ. libr. combuſt. Lipſ. 1708.* Ven. GUDE *in tract. de Eccleſ. Epheſ. ſtatu p. 63. ſq.* aliosque quos citat Hamburgenſium & hujus ſeculi Philolog. inſignis

J. C.

J. C. WOLF. *in Cur. Phil. ad h. l.* De his *Androcydes Pythagoricus* apud CLEMENT. ALEXANDR. *Lib. V. Stromat.* τὰ Εφέσια καλέπενα γράμματα, ἐν πολλοῖς πολυθρύλλητα ὄντα, συμβόλων ἔχειν φησὶν τάξιν *Literas illas Epheſias, quæ in multis celeberrimæ erant, pro ſymbolis ſacris veniſſe aſſerit.* Nec non EUSTATH. *ad Homer. Odyſſ. Z.* Εφέσια γράμματα, ἐπὶ τὸν ἀσαφῆ τινα λαλȣ́ντων καὶ δυσπαρακολȣ́θετα. *Epheſiæ literæ, proverbium in illos, qui* obſcura *valde* & difficilia intellectu *proferunt.* Hæc γράμματα in ſtatua Dianæ Epheſiæ ſculpta, fuiſſe ΑΣΚΙΟΝ. ΚΑΤΑΣΚΙΟΝ. ΛΙΞ. ΤΕΤΡΑΣ. ΔΑΜΝΑΜΕΝΕΥΣ. ΑΙΣΙΑ. conſtat ex *Clement. Alexandrino* & *Heſychio*, quæ varie pro obſcuritate ſua explicantur. MYSTERIA quoque ſacra Dianæ memorantur in antiquis Aſiæ inſcriptionibus, veluti apud SPON. *in itinerar. Tom. I. p. 101.*

Η. ΒΟΥΛΗ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟΣ
ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ ΟΥΛΠΙΑΝ &c. &c.
ΕΠΙΤΕΛΕΣΑΣΑΝ. ΤΑ
ΤΗΣ. ΘΕΟΥ. ΜΥΣΤΗΡΙΑ. ΚΑΙ
ΤΑΣ ΘΥΣΙΑΣ. ΛΑΜΠΡΩΣ
ΚΑΙ. ΠΟΛΥΔΑΠΑΝΩΣ. ΑΝΑΣΤΗΣΑΝΤΩΝ. &c.

Senatus & Populus Ulpiam (Marcellam Dianæ Sacerdotem) *honorarunt, quia MYSTERIA & ſacrificia Deæ hujus ſplendide & cum ſumtibus ſtabilivit.*

Adde RICAUT. *de Eccleſ. Græca.* WHELER. *itinerar. p. 218.* & van DALEN *Diſſ. ad Marm. p. 496. Oracula* quoque Apollinis Pythii, Clarii, Laryſſæi &c. Epheſi fuiſſe celeberrima atque famigeratiſſima docuit Cel. van DALEN *de Oracul. p. 87. 94. ſq.* imo *Oracula Dianæ* memorat HERODOT. *Lib. II. cap. 83. p. 119.* conf. BOISSARD. *de Divinat. p. 179.* Doctiſſ. CLASEN. *de Oracul. p. 390.* Quum jam Epheſiæ gentes hiſce myſteriis imbutæ ante converſionem, magna quædam de his ſibi imaginabantur, Apoſtolus iis exponit *myſterium* illud ſanctiſſimum Chriſti Dei æterni, quod ſapientiam occultam coram hominibus hujus ſeculi, ſed patefactam Apoſtolis, non enthuſiaſtico furore correptis, ut ſacerdotes Dianæ, ſed vere Θεοπνεύςοις, continebat,

quam ipſis annuntiabat ad ſalutem, & ad cujus *κοινωνίαν* illos invitabat, uti Epheſii *κοινὸν* ſacrorum habebant, veluti §. III. docebimus illico.

III. Pergo ad loca Epheſ. I, 10. ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΑΣΘΑΙ *τὰ πάντα ἐν τῷ Χριςῷ, τά τε ἐν τοῖς ἐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς.* Nec non Cap. III, 6. *εἶναι τὰ ἔθνη* ΣΥΓΚΛΗΡΟΝΟΜΑ *καὶ* ΣΥΣΣΩΜΑ *καὶ* ΣΥΜΜΕΤΟΧΑ *τῆς ἐπαγγελίας ἐν τῷ Χριςῷ διὰ τῦ εὐαγγελίυ.* & comm. 9. *Τίς ἡ* ΚΟΙΝΩΝΙΑ *τῦ μυςηρίυ τῦ ἀποκεκρυμμένυ* ac cap. IV, 1-6. ubi ΚΛΗΣΕΩΣ eorum meminit *εἰς* ΕΝΟΤΗΤΑ *πνεύματος,* & ΣΥΝΔΕΣΜΟΥ *εἰρήνης,* vi cujus ΕΝ ΣΩΜΑ conſtituebant. Denique cap. V, 7. monet ne ΣΥΜΜΕΤΟΧΟΙ exiſtant *υἱῶν τῆς ἀπειθείας.* Si phraſes heic obvias *κοινωνία, ἀνακεφαλαίωσις, συγκληρόνομος, συμμέτοχος, σύσσωμος, ἑνότης, σύνδεσμος, ἓν σῶμα* &c. curatius perpendo, alludi hiſce cenſeo ad morem populorum Aſiæ, qui *concordiam* inter ſe mutuam fœderibus non ſolum firmiſſimis ſanciebant, ſed & ſacras convocationes & ſynodos inſtituebant, præcipue *ſacrorum communionem* ſervabant.

Hinc ΚΟΙΝΟΝ *Ασίας* frequentiſſime memoratur in antiquis Aſiæ monumentis; In Aſia enim erat ΣΥΝΕΔΡΙΟΝ variarum civitatum, in quibus ut verbis utar ALB. RUBENII, *communia* totius *συςήματος* negotia tractabantur & *communium* templorum & *ſacrorum* ratio conſtituebatur; Celeberrimum erat Aſiæ minoris *κοινὸν,* cujus toties in nummis & inſcriptionibus antiquis mentio occurrit. Sic in nummo Antonini pii apud SPANHEM. *de uſu & præſt. num.* cum epigr. ΠΡΟ. ΦΡΟΝΤΩΝ ΑΣΙΑΡΧ. Κ. ΑΡΧΙΕΡ ΓΙ. ΠΟΛ ΚΟΙΝ. *Frontone Aſiarcha & ſacerdote XIII civitatum COMMUNIS Aſiæ.* Sic apud OISEL. *num. Imp. Rom. Tab. LII. n. IX. & XI.* nummi cum templi Dianæ effigie apparent addita epigraphe: COMM. ASIÆ. i. e. COMMVNE ſeu ΚΟΙΝΟΝ Aſiæ. Similiter in antiquis marmoribus memoratur ſæpiſſime, veluti apud GEORG. WHELER *Itiner. p. 525.*

ΠΥΘΙΑ. ΕΝ. ΜΕΛΕΙΤΩι.
ΠΥΘΙΑ. ΕΝ. ΜΑΓΝΗΣΙΑι.
ΚΟΙΝΑ. ΑΣΙΑΣ
ΕΝ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑι.

Heic

Heic quoque inſcriptio Farneſiana ap. *Sam.* PETIT *var. lect. cap. XXIX.* notanda :

E. ΠΑΝΑΘΗΝΕΙΑ. ΟΛΥΜΠΕΙΑ
ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΑ. ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ
ΔΙΣ. ΣΜΥΡΝΑΝ. Ε. ΚΟΙΝΑ
ΑΣΙΑΣ. ΔΙΣ ΟΜΟΙΩΣ. ΕΝ
ΣΜΥΡΝΑι &c.

Conf. FABRI *Agoniſtic. Lib. III. cap. 26. p. m. 341.*

Non minus ΟΜΟΝΟΙΑ ſeu *concordia* civitatum Aſiæ, qua uni religioni addictæ, unam Deam communi cultu venerabantur, & pacem eapropter ac concordiam vinculo amicitiæ conſtantiſſimo colebant, teſte SPANHEM. *de uſu & præſt. num. p. m. 792.* veluti in quamplurimis nummis Aſiæ legitur, qualis eſt Domitiæ cum inſcriptione: ΟΜΟΝΟΙΑΣ. ΣΜΥΡΝ. ΕΦΕΣ. & Antonini Pii ΣΜΥΡΝ ΠΕΡΓ ΕΦΕΣ ΟΜΟΝΟΙΑ. nec non Commodi Imp. ΣΑΡΔΙΑΝ ΕΦΕΣ. Β ΝΕΟΚΟΡ ΟΜΟΝΟΙΑ. Et nummus apud MORELL. *p. 116.* ΕΦΕΣ ΚΥΖ. ΕΠ ΠΑΙΤ. ΓΡΑΜΜΑΤ. ΟΜΟΝΟΙΑ. LUD. NONN. *in Comm. in H. GOLZ. num. p. 94.* exhibet templum Dianæ Epheſiæ in nummo cum epigraphe : ΠΕΡΓΑΜ. Κ. ΕΦΕΣ. ΟΜΟΝΟΙΑ. & apud SPON. in *Itinerar. p. 115.* memoratur nummus cum inſcript ΙΕΡΑ ΣΥΓΚΛΗΤΟΣ. & ab altera parte, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΘΥΑΤΕΙΡ. ΟΜΟΝ. quamplurimos Vir Cel. ibidem nummos ejusmodi ex cimeliis erutos deſcribit *p. 115. ſq.* & *p. 119.* exhibet figuram nummi cum urnis binis, ex quibus palmæ eminent, cum inſcript. ΣΜΥΡΝ. ΝΕΩΚΟΡ. ΙΕΡΑΠΟΛ ΟΜΟΝΟΙΑ. adde MENETREJ. in *ſymb. Dianæ ſtatua Tom. VII. Theſaur. GRONOV. p. 390. ſq.* De Jonibus HALICARNASSENSIS tradit, quod ad templum Dianæ Epheſiæ convenientes *περὶ τῆς πρὸς ἀλλήλους* ΟΜΟΦΡΟΣΥΝΗΣ ΚΟΙΝΑΣ *ἐποιοῦντο βουλάς, de mutua* CONCORDIA *communia conſilia inſtituant.* & in MARMOR. OXON. legimus fœdus Smyrnenſ. & reliquarum Aſiæ civitat. *P. II. n. 34.*

ΕΠΙ. ΙΕΡΕΩΣ ΗΓΗΣΙΟΥ. ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ. &c.
ΣΥΝΕΘΕΝΤΟ. ΤΗΝ ΦΙΛΙΑΝ ΣΜΥΡΝΑΙΟΙ
ΚΑΙ. ΟΙ. ΕΝ. ΜΑΓΝΗΣΙΑι &c.

Inſuper ΣΥΝΟΔΟΝ, ΠΑΝΗΓΥΡΙΝ ac ΣΥΓΚΛΗΤΟΝ ΙΕΡΑΝ antiquæ memorant inſcriptiones. De πανηγύρει vide SPON. *Itiner. Tom. I. p. 103.* & *Voyage d'Ital. T. I. p. 437.* FALCONER. ad *Inſcript. Athlet.* adducit antiquum marmor, quod Συνόδȣ mentionem facit:

Η. ΙΕΡΑ. ΞΥΣΤΙΚΗ. ΣΥΝΟΔΟΣ. ΤΩΝ
ΠΕΡΙ. ΤΟΝ. ΗΡΑΚΛΕΑ. ΑΠΟΚΑΤΑΛΥΣΕΩΣ
ΕΝ. ΤΗΙ. ΒΑΣΙΛΙΔΙ. ΡΩΜΗΙ. ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΩΝ.

Sacra SYNODUS Xyſtica ad Herculem ab hoſpitio in regina urbium Roma habitantium.

Thyatiræ ΙΕΡΑ ΣΥΓΚΛΗΤΟΣ, & in num. apud NONN. ad GOLZ. *Græc. p. 75.* Σμυρναίων ΙΕΡΑ ΣΥΓΚΛΗΤΟΣ καὶ ἐλεύθερα memoratur.

Apoſtolus ergo converſos Epheſios in locis ſupra citt. ad aliam ὁμόνοιαν καὶ ὁμοφροσύνην incendere ſtudet, utpote qui Deum jam colebant, qui *Pater* erat omnium in cœlis & terra (quemadmodum Diana MATER omnium habebatur), qui omnia coadunaverat in filio ſuo. Per hunc conſtituti jam erant omnes credentes *cohæredes* ejusdem boni, participes earundem promiſſionum gratiæ ac privilegiorum, ita ut unum Σῶμα & συςῆμα conſtituerent, qui κοινωνίαν exercere debebant & ὁμόνοιαν, tanquam vocati ad *unam* fidem & eundem cultum divinum, ad unam eandemque ſpem; quare ἑνότητα πνεύματος per σύνδεσμον εἰρήνης conſervare debebant: Quemadmodum ad ſacra Dianæ convenientes idololatræ faciebant, in cultu ſuo Dianæ deteſtabili coram Deo, & quo ipſi olim imbuti fuerant Epheſii.

IV. Tranſeo ad loca EPHES. I, 13. 14. ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς πιςεύσαντες ΕΣΦΡΑΓΙΣΘΗΤΕ τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ. Ὅς ἐςὶν ΑΡΡΑΒΩΝ τῆς κληρονομίας ἡμῶν εἰς ἀπολύτρωσιν etc. & CAP. IV, 30. ἐν ᾧ (πνεύματι) ΕΣΦΡΑΓΙΣΘΗΤΕ εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. Cel. VAN. TIL. in *Comm. ad h. l.* reſpici cenſet ad adoptionis ritum, quo inſtrumentum adoptionis a Principe aut magiſtratu ſigillo confirmari ſolebat. Verum ipſi Epheſii *obſignati* dicuntur, non ſpes ipſorum, & quidem obſignati ſigillo, quod *arrhabo* eſt *redemtionis* ſ. liberationis, non

adoptio-

adoptionis. Potius ergo alludi cenſerem hac phraſi ad *annulos* veterum *magicos*, quibus magi (quorum ingentem numerum Epheſi fuiſſe, ſupra docuimus) utebantur in initiationibus ſacris, & quibus ſingularem efficaciam tribuebant. Qui annulo tali dotatus erat, ab omni ferri atque veneni noxa liber credebatur, ejus ope omnes genios & dæmones malos pellere, omnium, quorum vellet, favorem ac benevolentiam, imo opes ac divitias conciliare, variaque occulta atque abſcondita expiſcari ſe poſſe, ſibi imaginabantur. Huc reſpicit CLEMENS. ALEX. *Lib. I. Stromat.* Ἐξηςὸς τε Σφωκέων Τύραννος δυὸ δακτυλἰες φορῶν γεγοητευμένες τῷ ψόφῳ τῷ πρὸς ἀλλήλες διηϑάνετο τὲς καιρὲς τῶν πράξεων. *Exeſtus Phocenſium Tyrannus duos geſtans annulos magicos, ſonitu, qui ab iis inter ſe invicem dabatur, ſciebat tempus rerum gerendarum.* et LUCIAN. in *Philopſ. T. II. opp.* Ἐγὼ δε. ὅτι μὲν καὶ δακτύλιόν τινα ἔχω Ἀπόλλωνος τῦ Πυϑίε εἰκόνα ἐκτυπῦσης τῆς ΣΦΡΑΓΙΔΟΣ, καὶ αὐτὸς ὁ Ἀπόλλων φϑέγγεται πρὸς ἐμὲ. *At ego annulum quendam ſacrum habeo Pythii Apollinis* (qui Epheſi colebatur) *imaginem exprimente SIGILLO. Hic Apollo mecum loquitur.* Sacrum quoque *ſigillum* imprimebatur victoribus certaminum ſacrorum Epheſi & Smyrnæ habitorum, quo ſacris initiabantur, ut ex inſcriptione liquet, quam ex MARMOR. ARUNDELIANO adſcribimus:

ΕΙ. ΤΙΣ. ΕΞ. ΑΥΤΩΝ. ΤΟΥ. ΙΕΡΟΥ. ΔΗΜΟΥ.
ΚΡΑΖΟΝΤΟΣ. ΕΣΤΕΦΘΗ. Ὁ ΣΤΕΦΑΝΟΥΜΕΝΟΣ
ΩΣ. ΝΙΚΗΤΗΣ. ΣΟΦΡΩΝ. ΕΜΕΝΕΝ. ΕΩΣ
ΤΗΣ. ΘΕΛΕΥΤΗΣ. ΑΥΤΟΥ. ἐσφραγίζετο
ΓΑΡ. ΕΥΘΕΩΣ. ΜΕΤΑ ΤΟΝ. ΑΓΩΝΑ
ΚΑΙ ΕΓΕΝΕΤΟ. ΙΕΡΕΥΣ.

Contra morbos, venena & varia mala annulis magicis utebantur veteres, quo reſpicit ARISTOPH. in *Plut.*

Ὀυδὲν προτιμῶ σῦ, φορῶ γὰρ πριάμενος
Τὸν δακτύλιον τὸν δὲ παρ᾽ Ευδάμε etc.
Nihil te æſtimo, nam hunc annulum geſto,
Quem ab Eudemo accepi.

Ubi Scholiaſtes: Αλεξιτήριον τῶν δηκτηρίων δείκνυσιν αὐτῷ, καὶ βασκανίας ἀποτρεπτικὸν δακτύλιον, ὃν καλῦσι φαρμακίτην. *Amuletum contra*

contra morſus venenatos oſtendit ipſi, & faſcinationis depulſorium annulum, quem medicamentorium vocant. Imo ἐφέσια γράμματα ſecum portabant & appendebant inſtar amuleti & ſigilli ſacri, ut liquet ex ATHENÆ. *Lib. XII.*

- - - ἐν σκυταρίοις
Ῥαπτοῖσι φορῶν Ἐφέσια γράμματα καλά.
In coriaceis capſulis ferebant ſacras literas Epheſias.

Tali annulo & ſigillo ſacro idololatrarum Epheſiorum opponit Apoſtolus *ſigillum* illud vere ſacrum Spiritus S. Et quemadmodum olim Epheſii idololatræ ante converſionem ſigillo vano ſe obſignari crediderant, ita potius jam poſt converſionem verum illud *ſigillum* acceperant, quo *obſignati* fuerant in *redemtionem. Spiritus* enim S. illud erat ſigillum ſacrum, 1) quo initiabantur ſacris cœleſtibus & cultui veri ac vivi Dei, in æternitate habitantis, cujus *imaginem* per regenerationem impreſſam gerebant, 2. Pet. I, 3. & illa ceu ſigillo in fronte ornati incedebant, Apoc. XXII, 4. 2) hujus ope vere arcana Dei & myſteria abſcondita ſalutis intelligere & ſcire poterant, Spiritus Dei unctio & obſignatio omnia docebat, 1. Joh. II, 27. ille enim ducit in omnem veritatem, Joh. XIV, 26. & illuminat mentem, 2. Cor. IV, 6. 3) hoc obſignati, contra omnes Satanæ, mundi & carnis incantationes ac tentationes muniuntur, illasque contemnere tuti ac liberi queunt, Pſ. XXVII, 1. Rom. VIII, 38. 39. 4) hoc obſignati ab omnibus morbis ſpiritualibus liberi, contra omnes calamitates hujus vitæ & judicia divina muniti ac inviolabiles conſtituuntur, Ezech. IX, 4. 5) hoc obſignati amorem ac benevolentiam Dei ſibi conciliant, Rom. VIII, 26. & conſtituuntur hæredes divitiarum æternarum Cap. VIII, 17.

V. Addo EPHES. I, 23. ubi Eccleſia vocatur ΣΩΜΑ τȣ̃ Χριςȣ̃, καὶ τὸ ΠΛΗΡΩΜΑ τȣ̃ πάντα ἐν πᾶσι ΠΛΗΡΟΥΜΕΝΟΥ. Et CAP. III, 19. ἵνα ΠΛΗΡΩΘΗΤΕ εἰς πᾶν τὸ ΠΛΗΡΩΜΑ τȣ̃ Θεȣ̃. Conf. *Cap. IV, 16.* Varie ſe torquent interpretes in exponendis phraſibus, quando Eccleſia *Corpus & plenitudo* ſ. *implementum* Chriſti dicitur. Aſt ſi Chriſtum heic opponi concedas Dianæ Epheſiæ, elegantem alluſionem deteges, qua phraſi σώματος καὶ πληρώματος reſpicitur ad ΣΩΜΑ Dianæ Epheſiæ ΠΟΛΥΜΑΣΤΟΝ. Pingebatur enim Diana Epheſia,

ſia, cujus templum celebratiſſimum Epheſi fuit, figura muliebri, corpus habens *πολύμαςον*. Quare MINUC. FELIX. in *Octav. p. m. 23. Diana interim eſt alte ſuccincta venatrix, & Epheſia* mammis *multis & uberibus inſtructa.* Et HIERONYM. *Tom. VI. opp. Lib. I. in Ep. ad Epheſ. fol. 106. Scribebat,* ait, *Paulus ad Epheſios Dianam colentes, non hanc venatricem, ſed illam MVLTIMAMMIAM, quam Græci* ΠΟΛΥΜΑΣΤΟΝ *vocant, ut ſc. ex ipſa quoque effigie mentiretur, OMNIUM eam beſtiarum & VIVENTIUM eſſe nutricem.* Vid. G. ELMENHORST. *ad Minuc. l. c. p. m. 51.* Similiter MACROB. *Lib. I. ſaturn. Cap. XX.* de Iſide, quæ eadem cum Diana juxta eruditorum ſententiam habetur, ſcribit: *Ipſis juncta religione celebratur, quæ eſt vel terra, vel natura ſubjacens ſoli. Hinc eſt quod continuatis UBERIBUS* corpus *Deæ omne denſetur, quia terræ vel rerum naturæ altu nutritur UNIVERSITAS.* Notabilis eſt ſtatuæ Dianæ multimammiæ explicatio, quam adducit MENETREJUS in *ſymb. Dian. ſtat.* apud GRONOV. *Theſ. Græc. Tom. VII. p. 390.* quam olim in ſchedula jam notavi, cujus ſummam & epitomen exhibet *Cel.* DEYLING. *obſerv. S. P. III. p. 370.* & quædam annotat ex eodem Cel. VAN. TIL. in *Iſagog. ad Epiſt. ad Epheſ. p. 145.* ubi ſimul *figuras* quasdam Dianæ *πολυμάςȣ* exhibet æri inciſas. Ita autem ſcribit Cl. MENETREJUS *l. c.* „Cæterum hæc noſtra MULTIMAMMIA genuinus providentiſſimæ naturæ typus eſt. Apud priſcos enim papillæ rotundæ & prominentes fœcunditatis erant indicia. Et hoc præſertim hieroglyphico Ægyptios ad Iſidis ſ. Cereris fœcunditatem ac „*omnium rerum affluentiam* deſignandam uſos fuiſſe, Apulejus auctor „eſt. - - Per innumeras demum mammas naturæ adſcriptas non hominum ſolum, verum etiam animantium, nec non vegetabilium numerum, quæ inſimul alit, adumbrare haud dubie voluerunt. Cum „videlicet totum DEÆ CORPUS variis animalium figuris refertum & „diverſis fructuum generibus repræſentetur. Plures quoque nummi occurrunt, in quibus Diana ΠΟΛΥΜΑΣΤΟΣ apparet, cum epigraphe, DIANA EPHESIA ſ. ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣ. Vide VAILLANT. *Numiſm. T. II. p. 58.* SPANHEM. *de uſu & præſt. Num. p. 484.* BEGER. *Theſ. Imp. Rom. num. Tab. XIX. n. 22.* & LUD. NONN. ad GOLZ.

Græc. p. 159. etc. Imo in antiquis inſcriptionibus eapropter *conſervatrix* quoque audit, ex. gr. DIANÆ CONSERVATRICI D. D. PAUSANIAS eam ΣΩΤΕΙΡΑΝ i. e. SOSPITAM vocat, uti apud GRUTER. *Theſ. Inſcript. p. XL.*

ΘΕΑι. ΕΠΙΚΟΩι
ΑΡΤΕΜΙΔΙ
ΑΥΛΙΔΙ. ΣΩΤΕΙΡΙ
ΑΥΡ. ΕΛΠΙΝΕΙΚΗι.

Apud ORPHEVM in *hymn. p. 145.* eodem nomine gaudet:

Ὥσπερ ἔφυς αἰεὶ ΣΩΤΕΙΡΑ προπάντων.
Sicuti prognata es ſemper SOSPITA.

Quare etiam MATER appellatur apud GRUTER. *p. XLI. n. 5.*

TEMPLVM DIANÆ
MATRI D. D. APV-
LEIVS ARCHITECTVS.

Hinc ſane egregia lux affunditur phraſi, qua Eccleſia Dei *Corpus* ejus non ſolum, ſed & πλήρωμα audit Θεȣ, qui omnia nutrit & benedictionibus ſuis omnia implet. Diana Epheſiis habebatur nutrix omnium; ſed talis eſt Chriſtus Eccleſiæ ſuæ caput, qui auctor & conſervator omnium in natura æque ac gratia; ex cujus *plenitudine* hauriunt omnes credentes gratiam pro gratia, Joh. I, 16. qui benedictionibus ſpiritualibus & ſupracœleſtibus nos cumulat, Eph. I, 3. qui ſecum per fidem unitos Spiritus ſui menſura adeo implet, ut ex corpore eorum ceu πληρώματι Dei, *flumina aquæ vivæ prorumpant*, Joh. VII, 37. 38. Deus eſt qui *ubera* conſolationum ac omniſufficientiæ ſuæ in corpore ſuo, i. e. Eccleſia exhibet, ad recreandas ac confortandas animas defatigatas, Jeſ. LXVI, 11.

VI. Porro quando EPHES. II, 21. 22. non ſolum Eccleſia tota ναὸς ἅγιος, ſed & quilibet credens ΚΑΤΟΙΚΗΤΗΡΙΟΝ τȣ Θεȣ appellatur; & Cap. III, 7. κατοικῆσαι ἐν καρδίαις Chriſtus dicitur; nec non v. 18. πλάτος, μῆκος, βάθος καὶ ὕψος memoratur, non ſolum alluditur ad *templum Dianæ* Epheſinum, ut jam obſervavit Cel. VAN TIL. *ad h. l.* ſed alludi præcipue Cap. II, 22. & III, 7. cit. putem ad morem Epheſiorum gentilium, qui *parva fana* & *ædiculas* ex effigie & forma templi

Dianæ

Dianæ Epheſii efformatas, ſecum geſtare in capſulis ſolebant, in memoriam & cultum Dianæ; quales fecit Demetrius, ποιῶν ναὺς ἀργυρὺς Ἀρτέμιδος Actor. XIX, 24. per quos non cum Doctiſſ. WASERO aliisque intelligimus nummos argenteos cum effigie Dianæ, quod refutat *Doct.* C. G. WILISCH. in *Diſſ. de* Ναυδίοις *Veter. Lipſ. 1717. p. 16.* ſed tales indicari ædiculas & ναΐσκυς, quas in honorem Dianæ vel ſecum portabant, ut docet SALMAS. *Tom. II. p. m. 1041.* vel in ædibus privatis deponebant tanquam numina tutelaria, ſecundum CASAUBON. *ad h. l. Actor.* conf. *Cel. & Clar.* WOLF. *Cur. Phil. ad h. l.* Ita AMMIAN. MARCELL. *Lib. XXII.* memorat Aſclepiadem *Deæ cæleſtis breve figmentum* ſecum portaſſe. Et ATHENÆUS *Lib. XII.* docens loco ſupra expreſſo, Epheſios γράμματα ἱερὰ in coriaceis capſulis geſtaſſe, idem innuere videtur, cum ἐφέσια γράμματα in ſtatua Dianæ ſcripta legerentur. Varia de ædiculis parvis deorum memorant antiqui; ita XENOPHON *Lib. V. exped. Cyr. p. 274.* ὁ δὲ ναὸς, ὡς μικρὸς μεγάλῳ, τῷ ἐν Ἐφέσῳ εἴκασαι, καὶ τὸ ξόανον ἔοικεν ὡς κυπαρίσσινον χρυσῷ ὄντι τῷ ἐν Ἐφέσῳ. *Fanum ipſum ut parvum, magni ſimilitudinem Epheſini refert, itemque ſimulacrum ut cupreſſinum, Epheſino aureo ſimile eſt.* Similiter DIO *Lib. XXXIX.* ἔν τε γὰρ τῷ Ἀλβανῷ νεὼς Ἥρας βραχὺς ἐπὶ τραπέζης τινὸς πρὸ ἀνατολῶν ἱδρυμένος. *In monte Albano parvum templum Junonis erat, menſæ ab oriente impoſitum.* & HERODOT. *Lib. II. cap. 83.* νηὸν μικρὸν ξύλινον κατακεχρυσωμένον deſcribit, in quo ἄγαλμα ſacrum fuit, vide GUTHBERL. *de Saliis Vet. lib. ſing. p. m. 93.* Qui vero has ſecum ædiculas cum imagine Dianæ geſtabant, Deam ſecum geſtare eamque perpetuo quaſi cultu venerari credebantur, adeoque οἰκητήρια τῆς Θειότης quaſi erant, in quorum medio Dii habitabant. Sed longe majori jure credentes οἰκητήρια Dei erant Epheſii, qui Deum ipſum viventem in cordibus habitantem venerabantur, & cui *cor* ipſum tanquam ναΐσκον ſacrum perpetuo conſecratum ſervabant, 2. Cor. VI, 16. 1. Cor. III, 16. VI, 19. 20.

VII. Quando inſuper Epheſ. III, 7. &c. Apoſtolus ſe appellat ΔΙΑΚΟΝΟΝ κατὰ τὴν δωρεὰν τῆς χάριτος Θεῦ δοθεῖσαν αὐτῷ & quidem ἐλαχιςοτέρῳ, ut annuntiaret πλῦτον τῦ Χριςῦ ἀνεξιχνίαςον, &

omnibus aperiret, quæ ſit ΚΟΙΝΩΝΙΑ ΤΟΥ ΜΥΣΤΥΡΙΟΥ *ἀποκεκρι
μμένȣ*; opponere ſe mihi videtur *miniſtris Dianæ ſacris*, qui maximo honore ac dignitate fruebantur, quorum munus ex ſingulari gratia non niſi perſonis nobiliſſimis concedebatur. Teſtem adduco STRABON: qui *Lib. XIV. Geogr.* citante Cel. v. TIL. *l. c. p. 164.* ſcribit: *ἱερέας εἶχον, ȣ̔ς ἐκάλȣν Μεγαλοβύσȣς, καὶ ἀλλαχόθεν μετιόντας ἀεί τινας ἀξίȣς τῆς τοιαύτης προστασίας, καὶ ἦγȣν ἐν τιμῇ μεγάλῃ.* *Sacerdotes habebat* (Diana) *qui Megalobyſi vocabantur, & aliunde alios iſtam dignitatem ambientes, ſi mererentur, exornatos, hique in magno erant honore.* Dicebantur illi quoque ΝΕΩΚΟΡΟΙ Ἀρτέμιδος i. e. æditui, cuſtodes, miniſtri & tutores Dianæ; huc refer inſcriptionem antiquam apud SPON. *Itiner. p. m. 104.*

Ο. ΙΕΡΕΥΣ. ΤΟΥ. ΘΕΟΥ
ΚΑΙ. ΝΕΩΚΟΡΟΣ
ΤΟΥ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΚΑΙ. ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ. ΣΕΒΑ-
ΣΤΟΥ. ΑΡΧΗΣ. ΛΙΒΙΑΝΗΣ.

Sacerdos Deæ & NEOCORUS ſ. cuſtos, Cæſaris quoque theſaurarius in Lybia.

Apud eundem M. Aurelius Heron ΝΕΩΚΟΡΟΣ ædis Serapidis appellatur. conf. de voce Νεώκορος Cel. WOLF. *ad Act. XIX. l. c.* & præcipue SELDEN. *ad Marm. Oxon. fol. 97.* Hi Neocori *theſauros* Dianæ, quæ in ejus templo tanquam donaria vel etiam ſacramenta adſervabantur, cuſtodiebant; Inſignis hanc in rem locus eſt XENOPHONTIS *de Exped. Cyri Lib. V.* quem adducit Cl. RAPHEL. *in Annot. ad N. T. ex Xenoph. p. 178.* Τὸ δὲ τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Ἐφεσίας, ὅτε ἀπῄει σὺν Ἀγησιλάῳ ἐκ τῆς Ἀσίας τὴν εἰς Βοιωτȣ̀ς ὁδὸν, κατέλιπε παρὰ Μεγαβύζῳ τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ΝΕΩΚΟΡΩΙ, ὅτι αὐτὸς κινδυνεύσων ἐδώκει ἰέναι μετὰ Ἀγησιλάȣ ἐν Κορωνείᾳ· Καὶ ἐπέστειλεν, ἢν μὲν αὐτὸς σωθῇ, ἑαυτῷ ἀποδȣ̃ναι· εἰ δὲ τι πάθοι, ἀναθεῖναι, ποιησάμενον τῇ Ἀρτέμιδι ὅτι οἴοιτο χαριεῖσθαι τῇ Θεῷ. *Quod vero Dianæ dedicatum erat, id quo tempore cum Ageſilao ex Aſia in Bœotiam proficiſcebatur, apud Megabyzum* Neocorum *reliquit. Videbatur enim ille itinere confecto aleam prœlii cum Ageſilao apud Coroneam ſubiturus. Ita-*

que

que perſcriptum ab eo fuit in hanc ſententiam: ſi ſalvus ipſe evaſiſſet e prœlio, reſtituendam ſibi eſſe pecuniam ſacram, ſin quid humani ipſi accideret, Megabyzus illam Dianæ dedicaret, confecto donario Deæ gratiſſimo. Huc quoque reſpicit PLAUT. *in Bacchid.*

Nos ibi apud Theotimum omne aurum depoſuimus,
Qui illi Sacerdos eſt Dianæ Epheſiæ.

Idem in aliis Deorum templis in uſu fuiſſe, erudite docet LYDIUS in *flor. ſparſ. ad Paſſ. p. 123.*

His ſe opponit Apoſtolus loc. cit. dum ſe *minimum* & *infimum* ſanctorum appellat, cui ex *ſingulari Dei gratia*, dignitas illa maxima concredita ſit, qua conſtitutus ſit *Miniſter* Dei vivi ejusque *Neocorus*, qui theſauros cœleſtes & *divitias imperſcrutabiles* Chriſti Dei & Domini ſui, coram gentibus credentibus exponeret, & illos, qua ſacerdos ac myſta templi Dei vivi i. e. Eccleſiæ, doceret *myſteria abſcondita* non Dianæ idololatrica, ſed cœleſtis veritatis & doctrinæ ſalutis; & quidem quæ ſit ΚΟΙΝΩΝΙΑ hujus myſterii, cum alluſione ad ΚΟΙΝΟΝ Aſiæ, de quo ſupra diſſeruimus.

VIII. Accedimus ad locum EPHES. IV, 22. 24. ΑΠΟΘΕΣΘΑΙ *κατὰ τὴν προτέραν* ΑΝΑΣΤΡΟΦΗΝ *τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, τὸν φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης.* Καὶ ΕΝΔΥΣΑΣΘΑΙ *τὸν καινὸν ἄνθρωπον ἐν δικαιωσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας.* Non nego phraſin *depoſitionem veteris hominis & induitionem novi*, ad ritum baptiſmatis apud veteres Chriſtianos reſpicere apte poſſe, quo veſtes ante converſionem geſtas deponebant veteres, & poſt baptiſmum novas & candidas induebant, quod ex Gal. III, 27. conſtat, ubi Apoſtolus dicit, *ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε, Χριστὸν ἐνεδύσασθε.* nam depoſitis veſtibus veteribus corruptos mores ac vitia deponendos monebant, & indutis novis candidis, novæ vitæ ex Deo participationem innuebant. Exprimit hoc egregie LACTANT. *in hymn. de Reſurr. Dom.*

Cum puras animas ſacra lavacra beant,
Candidus egreditur nitidis exercitus undis
Atque vetus vitium purgat in amne novo,
Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat &c.

Nec non CYRILL. HIEROS. *in Cat. II. Myſtag. p. 516.* Ἐυθὺ ἒν εἰσελθόντες, ἀποδύεσθε τὸν χιτῶνα, καὶ τῦτο ἦν εἰκὼν τῦ τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον ἀποδύεσθαι σὺν ταῖς πράξεσιν. Ἀποδυθέντες, γυμνοὶ ἦτε, μιμῦμενοι καὶ ἐν τῦτῳ τὸν ἐπὶ ςαυρῦ γυμνωθέντα Χριςόν. *Statim igitur ut ingreſſi eſtis, veſtem exuiſtis, quod quidem exuti hominis veteris cum operibus ſuis imago fuit: exuti, eratis nudi, imitantes Chriſtum, qui in cruce fuit denudatus &c.* Optime quoque Apoſtolus ſymb. *veſtium deponendarum* utitur, quando Epheſiorum mores renovandos monere vult, quia Epheſiorum nondum converſorum corrupti mores ex *veſtium* ipſorum *luxu* apparebant. Huc pertinet locus inſignis, quem ex ATHENÆ. *Lib. XII.* Cel. van TIL l. c. adducit: *Democritus Epheſius Lib. I. de templo Epheſiæ Dianæ, cum memoraſſet Epheſiorum mollitiem atque luxuriam, VESTESque variis coloribus infectas ab iis geſtari,* hæc tandem ſubnectit: *Veſtes Ionum purpurei fuiſſe coloris & violacei, tum etiam croceas, intextis rhombis: Capita vero animalium imaginibus æqualiter collocatis diſtincta . . . . Calaſiras Perſicas omnium elegantiſſimas, & inter ea genera veſtium etiam conſpici, quas Actæas vocant. Hoc eſt indumentum apud Perſas maximi pretii, ſumma impenſa textile. His omnibus veſtimentis luxu turgentes Epheſios, ut auctor ille prodidit.* Unde apud eundem ANTIPHANES *in Didone:*

Quam regionem incolit hæc turba, unde prorupit, an Iones ſunt,
Molles delicatis veſtibus *amicti, voluptate diffluentes?*

Quales erant veſtes purpureæ & croceæ, quæ præcipue in Lydia & Ionia confici atque tingi ſolebant, uti erudite docent Cel. JAC. HASÆUS *in diatrib. de inquinatis Sardenſ. veſtib. BIBL. BREM. Cl. III. p. 253. ſq.* & J. C. BIEL. *de purpura Lydia, ibid. Cl. II. p. 409. ſq.* quibus veſtibus luxuriam prodebant, teſte MARTIAL. *Lib. VIII. ep. 48.*

Non quicunque capit ſaturatas murice veſtes,
Nec niſi deliciis convenit ille color.

Aſt quum Apoſtolus non dicat, *exuite veterem veſtem,* ſed potius *veterem hominem,* adhuc ſpecialiorem ad actus theatrales alluſionem deprehendi-

hendimus, quibus ſub variis veſtibus *varios homines* mentiuntur & perſonas obſcœni *μιμηταί*. Idem obtinebat in feſtis ſolennioribus, præcipue *Bacchi*, quando larvis & veſtibus ignotis varias perſonas repræſentabant, atque ita teſte *Mantuano*

Cuncta ſub ignotis laſcivia veſtibus audet.

Quare Demades orator Philippo Regi dicebat: *Cum natura tibi PERSONAM Regis INDUERIT, nonne pudet te therſiten agere?* In feſto enim Bacchi teſte PLUTARCH. in *Lib. περὶ φιλοπλ. p. 527.* χρυσωμάτων περιφερομένων, καὶ ἱματίων πολυτελῶν καὶ ζευγῶν ἐλαυνομένων καὶ προσωπείων i. e. *circumferuntur vaſa aurea & veſtes pretioſæ, agitantur bigæ, & homines PERSONATI incedunt.* Bacchi vero feſtum Epheſi quoque & in Ionia fuiſſe celebratum ex PAUSAN. HERODOT. aliisque conſtat, quare & POLLUX. *onomaſt. Lib. VII. Cap. 13. p. m. 333.* Λυδῶν δὲ χιτών τις Βασσαρὰ Διονυσιακὸς ποδήρης. *Lydorum vero Baſara eſt* veſtis *quædam* Bacchica. Imo ſingulare Epheſi feſtum deſcribit PHOTIUS apud Cl. VAN. TIL. in *Iſag. l. c. p. 170. Eſt apud Epheſios, ait, abominabile & execrandum feſtum, quod Catagogium appellant, & hoc modo celebratur: Indecoris ſe LARVIS INDUUNT, ac ne agnoſcantur, PERSONIS facies obtegunt, multaque idola circumferentes & quædam carmina cantantes, more latronum viros & honeſtas fœminas invadunt, & ſceleribus illis illegitimis gloriantur.*

Veteris ergo *hominis* depoſitio ſ. *exuitio* deſignat Apoſtolo, vitæ prioris perverſæ, luxurioſæ & voluptuoſæ ἀναστροφῆς immutationem, qua vitia priora, quæ ante converſionem amaverant, & quibus indulſerant, jam abnegabant, omni ſtudio quaſi extrahebant, & tanquam veſtem antiquam abjiciebant. *Novi hominis induitio* deſignat vitæ & ἀναστροφῆς melioris, novæ atque ſanctæ ſtudium, per applicationem veſtis candidæ juſtitiæ Chriſti, Apoc. III, 18.

IX. Reſtat locus *EPHES. V, 15-19. Videte ergo*, quomodo accurate ambuletis. μὴ ὡς ΑΣΟΦΟΙ, ἀλλ᾽ ὡς σοφοί. Ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν. Μὴ γίνεσθε ΑΦΡΟΝΕΣ Μὴ μεθύσκεσθε ΟΙΝΩι, ἐν ᾧ ἐστιν ΑΣΩΤΙΑ. Λαλοῦντες ἑαυτοῖς ΨΑΛΜΟΙΣ καὶ ΥΜΝΟΙΣ, καὶ ΩΔΑΙΣ πνευματικαῖς,

καῖς,[q] ΑΔΟΝΤΕΣ *ἐν τῇ* ΚΑΡΔΙΑι *τῷ κυρίῳ.* Videmus Apoſtolum vitiis Epheſiorum familiaribus ſe opponere & contrarias virtutes ſuadere, quemadmodum in tota Epiſtola vitiis irregenitorum virtutes regenitorum Epheſiorum opponit. Præcipue autem reſpicit feſta Epheſiorum publica in honorem Dianæ & Bacchi præprimis celebrata, in quibus vitiis indulgebant liberrime idololatræ.

Quemadmodum feſta *diebus* certis ac menſibus conſtitutis celebrabantur, in quibus neglecto labore, tempus cultui obſcœno & idololatrico impendebant, ita *ἐξαγοράζειν* jubet converſos Epheſios *dies*, quos cultui veri Dei & ſaluti animæ perficiendæ inſumerent, atque ita feſta Deo ſpiritualia celebrarent.

Quando jubet ut *σοφοὶ* ambulent & *ἀκριβῶς* non vero ut ΑΣΟΦΟΙ & ΑΦΡΟΝΕΣ, convincit eos de cœcitate eorum ante converſionem, quando in feſtis hiſce Bacchicis tanquam *furentes* & *inſipientes* agebant, quales deſcribit CATULL. *eleg. 65.*

Qui tum alacres paſſim lymphata mente furebant,
Evæ Bacchantes, Evæ capita inflectentes,
Horum pars tecta quatiebant cuſpide thyrſos,
Pars e divulſo raptabant membra juvenco &c.

& OVID. *Metamorph. Lib. III.*

Liber adeſt, feſtisque fremunt ululatibus agri,
Turba ruit, mixtæque viris matresque nurusque,
Vulgusque & proceres ignota ad ſacra feruntur,
Quis furor *anguigenæ proles Mavortia veſtras*
Attollit mentes? - - -
- - - *eſt mota* inſania *vino.*

& *Lib. VI. Faſt.*

Nunc feror ut Bacchi furiis Eleides actæ.

Quare *Heſychio βακχεύειν* eſt *μαίνεσθαι*, & Βακχία eſt *μανία.*

Phraſin *μὴ* ΜΕΘΥΣΚΕΣΘΕ ΟΙΝΩΙ refero ad *convivia lautiſſima* & *potationes* ac commeſſationes Epheſi in honorem Bacchi & Cereris celebrata. Recte VALER. MAXIM. *Lib. II.* ſcribit: *Ionas primos unguenti & coronarum in* conviviis *dandarum & ſecundæ menſæ conſuetudinem,*

tudinem, *haud parva* luxuriæ *irritamenta reſpexiſſe.* De Bacchica feſta celebrantibus JUVENAL. *Sat. VI.* canit:

- - - *& cornu pariter VINOQUE feruntur,*
Attonitæ, crinemque rotant.

& huc refer ARISTOPHAN Θεσμοφ.

Σὺ κισσοφόρε Βακχεῖε δέσποτ᾽ ἐγὼ δὲ κώμοις
Σε φιλοχόροισιν μέλψω Εὔϊον ὦ Διόνυσε.
Tu hederifer Bacche Domine, ego vero
Comeſſationibus *te chorealibus celebrabo.*

Hanc denuo ἀναστροφὴν abnegare tenebantur Epheſii, non vino ac luxu porro indulgere, qui ſpem regni Dei acceperant per converſionem, quod non eſt edere & bibere, ſed pax & gaudium Spiritus S. Rom. XIV, 17. Quare jam *ebrii*, non vino, ſed voluptatibus cœleſtibus & rivulis gratiæ ac muſto Spiritus S. eſſe debebant, Cant. V, 2. Jeſ. LVIII, 11. Jer. XXXI, 25. Zach. IX, 17. Prov. IX, 5. Jeſ. LV, 1. 2.

Quando monet ut ſint λαλοῦντες ᾨΔΑΙΣ, ὙΜΝΟΙΣ, καὶ ᾄδοντες ἐν καρδίᾳ, phraſin ΛΑΛΕΩ ὕμνοις opponere videtur *ululatui* inſano & horrendo bacchantium, cum λαλέω ſermonem cum rationali ſenſu propoſitum deſignet. De *vociferatione* inſana eorum intellige EURIPID. in *Bacch. v. 158.*

Ἀγαλλόμεναι Θεὸν
Ἐν Φρυγίαις βοαῖς ἐνοπαῖσί τε.
Celebrantes Deum (Bacchum)
Phrygio boatu *ac* vociferatione.

nec non OVIDIUM *Lib. XI. Metamorph.*

- - - *ſed ingens*
Clamor *& inflato Berecynthia tibia cornu,*
Tympanaque & plauſus, & Bacchai ululatus.

ὙΜΝΟΥΣ, ΨΑΛΜΟΥΣ, ᾨΔΑΣ πνευματικὰς opponit *carminibus*, *hymnis* atque *odis* obſcœnis in hoc feſto decantatis. De Epheſiis PHILOSTRAT. in *vita Apollon. Lib. IV. Cap. 2.* ſcribit: ὀρχηστῶν γὰρ ἡττημένοι, καὶ πρὸς πυῤῥίχαις αὐτοὶ ὄντες, αὐτῶν μὲν πάντα μεστὰ ἦν, μεστὰ δὲ ἀνδρογύνων, μεστὰ δὲ κλύπων. *Otio plenos choros & ſaltationes amantes, qui* fiſtulis & tibiis *omnia complebant; Plena omnia viris*

effeminatis, & cantibus *omnia plena fuiſſe.* Similiter PLUTARCH. in *vita Anton. T. I. opp. p 926.* εἰς γȣ̃ν Ἔφεσον εἰσιόντος αὐτȣ̃, γυναῖκες μὲν εἰς Βάκχας, ἄνδρες δὲ καὶ παῖδες εἰς Σατύρȣς καὶ Πᾶνας ἡγȣ̃ντο διεσκευασμένοι. Κιττȣ̃ δὲ καὶ θύρσων, καὶ ΨΑΛΤΗΡΙΩΝ, καὶ συρίγγων καὶ ΑΥΛΩΝ ἡ πόλις ἦν πλέα, Διόνυσον αὐτὸν ἀνακαλȣμένων χαριδότην. *Quum Epheſum fuiſſet ingreſſus, mulieres Baccharum, viri puerique Satyrorum & Panum habitu præcedebant. Hedera, thyrſis, PSALTERIIS,* fiſtulis & tibiis *urbs plena erat, Bacchumque eum nuncupabant benignum.* De *hymnis* Bacchicis audi EURIPIDEM *l. c. v. 124.*

Ἀνὰ δὲ βακχεία συντόνῳ
Κέρασαν ἡδυβόα Φρυγίων
Αὐλῶν πνεύματι, Ματρὸς τε Ῥέας εἰς
Χεῖρα θῆκαν, κτύπον ἔντ' ἌΣΜΑΣΙ Βακχῶν.
Simulque cum carmine *acuto Bacchico*
Miſcuerunt dulciſonos Phrygiarum
Fiſtularum flatus: Et matris Rheæ in
Manum poſuerunt, & ſonum in cantibus *Baccharum.*

Vide plura apud *Cel.* LAKEMACH. in *obſerv. P. I. p. 33. ſq.* adde VIRGIL. *Lib. II. Georg. v. 386.*

Verſibus incomtis ludunt, riſuque ſoluto
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis,
Et te Bacche vocant per carmina *læta.*

Hiſce opponit *hymnos, pſalmos atque odas ſpirituales*, qui per Spiritum Dei ab aliis compoſiti jam fuerant, aut quos ipſi per illuminationem Spiritus S. in cordibus & mentibus meditabantur. Laudibus ac celebratione dignus erat Deus, qui ex tenebris eos vocaverat, 1. Pet. II, 9. & a cultu tali horrendo & obſcœno ipſos liberatos cultu ſpirituali & rationali dotaverat, Rom. XII, 2. Hymnis, odis & pſalmis ſpiritualibus ævum ac ſeculum præſens ipſis erat terendum, quia æternum aliquando in cœlis hallelujah decantaturi erant. In *corde* enim ᾄδειν oportet ex monito Apoſtoli, nam hymnorum in laudem Dei decantatorum externo ſono non delectatur Deus, ſed in corde τὰ μεγαλεῖα τȣ̃ Θεȣ̃ agnoſcente & ſincero cum affectu celebrante, acquieſcit.

F I N I S.

INDEX

INDEX I.

LOCORUM SCRIPTURÆ PROLIXIUS AUT SUCCINCTIUS EXPLICATORUM.

GENES.

Geneſ. I, v. 2. pag. 298. 308
I, 10. 471
III, 24. 91
XII, 5. 406
XVII, 12. 406
XXIV, 63. 162
XXVIII, 18. 283
XXXI, 26. 405
- - 44-48. 275
XXXV, 20. 277
XL, 11. 130
XLIX, 11. 120. 129. 131
XLIX, 21. 71
- - 22. 526
L, 2. 428

EXOD.

Exod. XI, 5. 436
XV, 27. 444. 449
XVII, 15. 279
XXI, 2. 418
- - 4. 403. 413
- - 6. 409
- 32. 406
Exod. XXXII, 27. pag. 515

LEVITIC.

Levitic. XIX, 13. 439
XXIII, 40. 41. 462
XXVI, 1. 269

NUMER.

Numer. XV, 39. 513
XXII, 23. 91

DEVTER.

Deuter. XI, 18. 513
XV, 13. 14. 419
XX, 10. 11. 404
- - 13. 14. ibid.
XXI, 6. 44
XXVIII, 52. 539
XXXII, 15. 418

JOSUA.

Joſuæ VI, 5. 20. 526
XV, 6. 281
XXIV, 25-27. 275

JUDIC.

Judic. IV, 5. 451
XV, 4. 328. 337

SAMUEL.

1. Sam. II, 4. pag. 514
VII, 12. 279
XXV, 16. 524
2. Sam. XVIII, 11. 504
- - 18. 267. 277
XX, 8. 279
XXII, 10. 11. 102

REGUM.

1. Reg. II, 5. 504
IV, 23. 395
VII, 26. 14
2. Reg. I, 8. 503
II, 12. 167
III, 11. 437
- - 21. 505
- - 27. 542
VI, 17. 168
XXIII, 8. 371
- - 27. 72

NEHEM.

Nehem. II, 8. 350
IV, 3. 527
XII, 27. 542

ESTHER.

Eſther. II, 11- 14. 69
-- 3. 14. 243
III, 15. 508

JOBI.

Job. XI, 9. 472
XII, 18. 500
XXIV, 11. 436
XXVIII, 3. 503
- - 18. 549. 553
Job. XXIX, 18. pag. 452
- - 27. 368
XXXI, 10. 436
- - 21. 369
XXXVII, 7. 342

PSALM.

Pſalm. I, 2. 3. 448
IX, 14. 347
XVI, 5. 8
XVIII, 11. 90
- - 30. 539
XXIII, 5. 1. ſq. 438
XXIV, 7. 347. 366
XXVI, 6. 35. ſq.
XL, 7. 409
XLV, 5. 169
XLVI, 1. 60
XLVIII, 13. 524. 535
LI, 20. 525. 544
LV, 7. 311
LVI, 1. 298
LXII, 4. 524
LXIII, 11. 335
LXVIII, 5. 169
- - 14. 295. 301
- - 18. 103. 168
- - 26. 58. ſq.
- - 28. 265
LXIX, 12. 13. 413. 367
LXXII, 8. 487
LXXIII, 13. 41
LXXIV, 19. 336
LXXVIII, 13. 523. 539

Pſalm. LXXX, 2. pag. 86. ſq.
- - 14. 339
LXXXIX, 40. 41. 540
XCI, 14. 302
XCII, 13. 444
CIV, 3. 169
CVII, 16. 356
CXVI, 13. 7
CXXX, 6. 238

PROVERB.

Prov. III, 14. 15. 549. 560
VIII, 11. 549. 560
IX, 3. 61
XIII, 19. 468
XVIII, 11. 523
XX, 6. 197
XXII, 22. 369
XXIV, 7. ibid.
XXV, 28. 523
XXVI, 8. 271
XXX, 19. 60
- - 31. 383
XXXI, 10. 549

CANTIC.

Cantic. I, 13. 74
- - 14. 112. ſq.
II, 5. 7
-- 14. 295. 312
-- 15. 339. 340
III, 4. 68
-- 7. 236
IV, 12. 148
- - 16. 139. ſq.
V, 12. 303
Cantic. VI, 5. pag. 61
-- 9. vel 12. 165. ſq.
VII, 2. 6
- - 7. 8. 445. 449. 454
- - 8. 114
VIII, 2. 27. 347
- - 9. 10. 523

JESAI.

Jeſ. I, 29. 163
III, 17. 73. 185
- - 24. 496. 506
- - 25. 512
- - 27. 347
V, 2. 535
- - 27. 504
VI, 1--3. 109
VIII, 7. 490
- - 9. 505
XI, 5. 498
XIX, 19. 282
XXII, 21. 496. 500
XXIII, 10. 496
XXV, 12. 535
XXVI, 1. 525
XXVIII, 27. 28. 435
XXXII, 16. 203. ſq.
XXXIII, 5. 108
XXXVIII, 10. 372
XL, 3. 205
XLI, 18. 19. 205
XLVII, 2. 436
LII, 8. 225. ſq.
LIII, 8. 127

Jeſ. LIV, 11. 12. pag. 525. 529. 532. 542. 547
- - 12. 282. 348
LVI, 5. 523
LVII, 15. 108
- - 20. 474
LX, 10. 523
- - 11. 348
- - 18. 525
LXII, 6. 526
- - 7. 193
LXIII, 1--6. 131
LXV, 3. 162
LXVI, 17. 162

JEREM.

Jerem. I, 15. 369
-- 17. 513
-- 18. 524
V, 10. 538
VIII, 22. 161
XIII, 1. 2. 497. 503
- - 9. 512
XV, 20. 524
XVI, 7. 8
XXI, 4. 538
XXV, 38. 297. 316
XXVII, 2. 413
XXXI, 4. 83
XLVI, 16. 297. 316
LI, 12. 537
-- 44. 526

THREN.

Thren. IV, 7. 549. 554
V, 18. 326

EZECH.

Ezech. IV, 3. pag. 523
VII, 16. 304
X, 5. 102
XIII, 14. 326
XXII, 30. 524
XXIII, 15. 498. 504. 518
XXVII, 11. 371
- - 14. 167
XXVIII, 11. 539
- - 14. 92
XLVIII, 31. 534

DANIEL.

Dan. IV, 5. 6. 227
VII, 9. 201
X, 5. 498

HOS.

Hoſ. III, 1. 4. 114
XI. 11. 297. 316

JOEL.

Joel. III, 18. 123

AMOS.

Amos. V, 12. 369

MICH.

Mich. VII, 7. 107
- - 19. 38. 470

NAH.

Nah. III, 2. 172
- - 8. 524

HAB.

Habac. III, 8. 168

ZEPH.

Zeph. III, 1. 297

ZACH.

ZACH.
Zach. II, 5. pag. 524
V, 9. 102
VI, 1--5. 169
VIII, 16. 369
IX, 16. 260. ſq.
X, 11. 469
XIV, 20. 182

MATTH.
Matth. III, 4. 503
- - 11. 423
- - 16. 293. ſq.
VII, 6. 549
- - 13. 14. 348. 548
- - 15. 329
VIII, 20. 321. ſq.
X, 9. 516
XI, 16. 17. 428
XII, 43. 217
XVI, 18. 345. ſq.
XIX, 24. 322
XX, 8. 435
- - 22. 5
XXI, 8. 459
- - 12. 319
XXIII, 25. 18
XXVI, 29. 8
- - 74. 376. ſq.
XXVII, 24. 41
MARC.
Marc. VI, 27. 227
VII, 3. 4. 51. 52. 54
LUC.
Luc. III, 16. 423
Luc. VII, 46. pag. 438
XI, 38. 51
XII, 35. 36. 508. 513
JOHAN.
Johan. II, 6. 39
VII, 38. 6
XII, 12. 13. 459
XIII, 1--7. 438
- - 4. 5. 14. 435. 437
ACTOR.
Actor. XIV, 13. 371
XVI, 13. 492
XIX, 19. 570
XXI, 11. 503
CORINTH.
1. Corinth. IX, 23. 194
X, 21. 4
XV, 32. 325
2. Corinth. III, 18. 97. 106
IV, 7. 506
V, 18--20. 93
XI, 26. 479
XII, 9. 108
GALAT.
Gal. II, 2. 194
- - 20. 95
III, 27. 581
EPHES.
Epheſ. I, 8. 9. 569
- - 10. 572
- - 13. 14. 574
- - 23. 576
II, 14. 526
- - 15. 18. 95

Epheſ. II, 21. 22. pag. 578
III, 3--5. 570
- - 6. 9. 570. 572
- - 7. 18. 5. 79. 578
- - 19. 576
IV, 1--6. 572
- - 16. 576
- - 22-.24. 581
- - 30. 574
V, 7. 572
- - 15. 19. 583
VI, 14. 497. 513

PHIL.

Phil. II, 7. 398. ſq.

COLOSS.

Coloſ. I, 19--23. 94
IV. 4. 428

TIMOTH.

1. Tim. II, 8. 49
- - 9. 549
2. Tim. II, 19. 286
IV, 7. 8. 459

PETR.

1. Petr. I, 12. 92. 106
- - 13. 513
2. Petr. I, 21. 184

HEBR.

Hebr. X. 5 409
Hebr. XII, 1. 2. pag. 194

JUD.

Jud. verſ. 13. 468

APOCAL.

Apoc. I, 13. 498. 509. 514
- - 18. 360
III. 3. 257
- - 12. 286
IV, 5. 304
- - 6. 470
V, 9. 95
VII, 9. 442. ſq.
VIII, 13. 92
IX, 9. 197
X, 2. 465. ſq.
XI, 3. 5. 504
XII, 1. 513
- - 15. 490
XV, 2. 470
- - 6. 495. ſq.
XVI, 15. 257
XVII, 2. 109
- - 4. 4
XIX, 13- 15. 131
- - 16. 512
XXI, 14. 531 544
- - 17. 530
- - 18. 521. ſq.
- - 19. 531
- - 21. 546. ſq.

INDEX

INDEX II.
VOCUM HEBRAIC. ET GRÆCAR.

VOC. HEBR.

אבני נזר	pag. 261
אשכול	113. 137
בדולח	557
בתולה	69
גן	140
דר margarita	557
חגורה	496
יונה	295
כוס	4 12. 16
כפר	137
לולב	447
מדבר	204
מזרק	16
מצבה	277
מקשה	96
משקה	434
נזר it. אבני נזר	261. 291
ספרים	430
עלמה	59. 60. 69
ערבה	209
פנינים	554
פרדס	140
ציים	216
צפרה	226
רדיד	76
שאול	372
שרים	216
שנים	61
אבן שתיה	272
תמר	443

VOC. GRÆC.

Ἁδης	pag. 372
Ἀνακεφαλαιωσις	572
Ἀῤῥαβων	574
Βαθος	472
Γραμματευς	430
γραμματα Εφεσια	570. 571
Δαιμονια	216
διακονος	579
δȣλος	401. 421.
Επιτροπος	434
ερημος	206
ζωνη	496
κηποι κρεμαστοι	155
κοινον Ασιας quid?	572
κοινωνια	572
Μορφη Θεȣ quid?	400
μορφη Δȣλȣ quid?	ibid.
Μυστηριον	571
Νεωκορος	580
Οικονομος	434
οινοχοοι	434
ομονοια	573
περιεργα, τα quid?	570
περιστερα	295
σφραγις, σφραγιζομαι	574
Συγκλητος ἱερα quid?	574
συγκληρονομος	572
Συνδεσμος	572
Συνοδος	574
συσσωμος	572
συμμετοχος	572
Φοινιξ, palma	443

INDEX III.
EMBLEMATUM ET RERUM MEMORABILIUM IN HAC PARTE ALTERA.

A.

Abluere, lavare ſe ſolebant virgines veterum pag. 65
accincti erant iter facientes 507
item ad bellum profecturi 505
accipiter columbis inſidiatur. it. cuius ſit ſymbolum 312
Ædiculæ ſeu fana Dianæ Epheſiæ quales 579
ſecum geſtabant veteres ibid.
Aggere cingitur mare, quid hoc myſtice notet? 477
aggeres murorum quales 532
quid myſtice deſignent? 533
Agrorum cultores ſervi erant 432
agricola ſymb. Chriſti 433
Alæ Cherubinorum quales, quid myſtice? 102
Diis tribuuntur, quare 103
gallorum quales, quid myſt. 381
columbarum quales 301
myſtice quid? 302
Altaria veterum erant lapides 272
lapidea erecta in ſignum victoriæ apud veteres 279
Altaria in hortis erigi ſolebant 371
Ambulacra veterum in hortis 157
Angeli per currus deſignantur 168
per Cherubim denotantur 91
Animalia quatuor quid notent? 105
Annulus aureus ſervis manumiſſis concedebatur a Dominis 419
in auribus gerebant ſervi 409
magici annuli quales 575
ſuſpendebantur magici ut amuletum e collo 575
Anſata pocula veterum erant 14
Anteambulones ſervi quales 421
Antichriſtus per deſertum pingitur 205
Antra latronum in deſertis ſunt 218
quid myſtice deſignent ibid.
Apoſtoli per columbas depicti 296
per gallos deſignati 378
XII. fundamenta novæ Hier. 531
Aqua pura in lotionibus Judæorum ac gentium adhibita 37
marina in luſtrationibus 37
ſymb. meritorum Chriſti & Spiritus donorum 38
aquas hauriebant virgines 71
Aratro deſignabant mœnia veteres 526
Arbores & aromata in hortis conſitæ 150
ſylveſtres, quales, quid myſtice 208
Architecti myſtici Hieroſol. novæ qui 527
Hebræorum Doctores dicti ib.

Arces

Arces Hieroſolymæ notabiles 535
quid myſtice denotent? ib.
Arenæ deſerti & maris ſymbol. 211
Armigeri ſervi qui dicebantur 426
Armillæ veterum ex margaritis 563
Aromata in hortis conſita 151
aromaticum vinum quale 27
Arrhabo ſymb. Spiritus S. 574
Arvorum cuſtodes qui ap. Vet. 241
Aſylum erant altaria 288
Auguria ex gallis quæ olim? 393
Aures perforatas gerebant ſervi. 409. 410
cur Hebræorum ſervis perforatæ ſubula, & poſtibus affixæ 409
Meſſiæ quo ſenſu perforatæ 411
in auribus margaritas geſtabant veteres 563
Aurigæ curribus veter. impoſiti 183
ſymb. Spiritus S. 184
Aurum mare vehi creditur 481
aurea cingula veter. erant 509
Aves deſerti incolæ, it. ſymb. 212
Axis curruum apud Veteres notandus 177
quid myſtice deſignet 178

B.

Bacchi feſtum ejusque ritus 583
Epheſi celebratum fuit ibid.
in hoc feſto tympana adhibita 583
in eodem furore inſaniebant 584
convivia lauta inſtituebant 584
veſtes mutabant 583
item odas & hymnos canebant obſcoenos 585
Balænæ maris ſymb. tyrannor. 483
Bellici currus quales veterum 195
Bibere ſymb. eſt fidei 22
in aliorum ſalutem veteres ſolebant 21
BOTRUS ſymb. bonor. operum 113
ſymb. voluptatum 114
emblema abundantiæ ibid.
ſymb. Meſſiæ quoque 115
& perſonarum illuſtrium 116
eſt fructus vitis frugiferæ 117
baccis plurimis turgere ſolet 118
ingentis ponderis & magnitudinis in Palæſtina erant uvæ 119
generoſæ quæ dicebantur 120
color diverſus uvarum, inprimis albus & purpureus 122
ſanguis uvarum quid ibid.
radiis ſolis excoqui ſolent 124
falcibus reſecari ſolebant 126
colligebantur & a puellis in meſſe geſtari ſolebant 128
Canaanis exciſa botrus typus Chriſti fuit 129
in torcularibus exprimi ſolebant 130
in cibum reſervari ſolebant 132
quare ſiccæ & recentes uvæ 133
uſus uvarum in medicina 134
ſacræ erant apud Iſraëlitas decimæ & primitiæ earum 135
botrus Copher, qualis, cur ita dictus Meſſias 137

Boves curribus juncti ap. Vet. 181
ſymb. doctorum 182
Buccina clangebant cuſtodes apud Vet. it. milites in muris 252. 537
Buccinatores ſervi qui dicti 427

C.

Cadaveribus veſcuntur vulpes 335
Calceos portabant a tergo dominorum ſervi apud veteres 422
CALIX emblema dogmatum perverſorum fuit 4
boni dæmonis qui dictus 4. 9
ſymb. voluptatum & luxur. 4. 5
emblema iræ divinæ & judiciorum, nec non paſſ. Chriſti 5. 6
venenati apud veteres quales 6
aureus aquæ in ſacrificio jugi apud Hebræos 6
ſymb. abundantiæ & meritorum Salvatoris 7
ſalutis & gratiarum actionis poculum quale 7. 8
conſolationum quod dicitur 8
Diis pocula conſecrabantur 9
materia poculorum apud veteres erat hedera, cornu, lutum, lignum, argentum, cryſtallum, aurum &c. 10. 11
auctores qui de materia eorum ſcripſerunt, adducuntur 11
Forma eorum varia fuit 12
venter, operculum & anſæ eorum 13
anſata pocula veterum varia 14
menſura eorum diverſa 15
Paſchalis poculi menſura 15
ornatus eorum apud veteres 17
coronare ſolebant veteres 17
Calices veterum ſculpti & ſignati literis & figuris 17. 18
gemmis ornati pretioſis 18
purificabant apud Hebræos 18
decus menſæ ſunt inſigne 19
iis vinum infuſum & effuſum 20
Diis & amicorum ſaluti dicati 21
ſacri calices in templo V. T. 23
item ſacri apud gentes 24
inter donaria recenſentur 24
uſus eorum in libaminibus 25
ſingulis convivis calix datus 29
magiſter & miniſtri poculorum qui 30. 31
plenum poculum ſymb. abundantiæ 32
Calliditatis ſymb. vulpes eſt 323
Cantores & fidicines ſymb. doct. 61
Capti in bello, ſervi erant Hebr. 404
Carcerum portæ inſignes, it. ſymb. inferni & regni tenebrar. 351
Caſtitas virginum celebrata 63
ſymb. pietatis doctorum 64
Caſtra ſymb. regni tenebrarum 353
in iis vigiles conſtituebantur 244
in his galli alebantur, cur? 388
portæ eorum notiſſimæ 352
Cauda vulpina inſignis, it. cujus ſit ſymbolum? 328
CHERUBIM, vocis hujus origo varia juxta varios recenſetur 87

non

non ſunt ſymb. Chriſti & Spiritus S. 89
nec etiam emblema nubium 90
Cherub paradiſi cuſtos, qualis? 91
ſed ſymb. erant angelorum, quod probatur 91
typi erant Doctorum & fidelium N. T. 93. 94
auctor Deus & Moſes 95
materia eorum aurea 96
de varia eorum forma diſputatur 98. ſq.
ſcriptores de forma eorum recenſentur ibid.
in propitiatorio humanæ formæ fuiſſe probatur 100. 101
alæ Cherubinorum variæ 102
cur quatuor animalia dicti 104
figuræ eorum in parietibus templi & vaſis ſanctuarii quid notent 107. ſq.
ſedere ſeu habitare ſuper Cherubim, quid deſignet 108. ſq.
Chirurgi veter. ſervi erant 428. ſq.
Choreæ & convivia in hortis inſtituta 157
in triumphis quoque 83
Cincti linteo ſervi ad menſas miniſtrare ſolebant, uti & Chriſtus 435
CINGULUM ſervorum quale 412
ſymb. dignitatis & regni 496. 500
ſymb. pacis atque amoris 496
ſymb. robor. ac fortis animi 497
ſymb. veritatis Evangelicæ 497
diis atque deabus tribuitur 498
ſacerdotibus & Pontifici M. ſub V. T. cingula ſingul. data 501
ſacerdotibus quoq; gentium 502
Prophetis ſub V. T. adſcribuntur 503
militibus atque Ducibus tribuuntur 504
virginibus item ac ſponſis 506
ſymb. erant virginitatis 507
viatorum cingula notantur 508
materia cingulorum, aurum, argentum, purpura 509
formæ longiſſimæ, corpus ambientia 510
mire ornata veterum 511
quare ſymb. decoris 512
iis ſubſtringebantur lumbi 513
fibula aurea ſubnectebantur 514
gladios, pharetram &c. appendebant 515
in iis nummos & pecuniam geſtabant 516
ſuſpendebant diis tanquam donaria 518
in tumulis heroum ſuſpenſa 519
Citharœdi ſervi veterum 427
Claves portarum apud veteres 359
inferni quid deſignent 360
Clypeos ex portis ſuſpendebant veteres 371
Colles, in iis vites plantabantur 123
Collectio uvarum in meſſe notabilis 128
COLUMBA, varia ejus nomina 295. ſq.

COLUMBA, ſymb. hominum, ſponſæ & Eccleſiæ 295 ſq.
ſymb. Apoſtolorum 296
ſymb. regum Aſſyriæ 297
ſymb. regis Hieroſolymæ 297
ſymb. denique Spiritus S. 298
Noachi gentibus non ignota 299
vadidicæ veterum columbæ ib.
oculi columbini, quid myſtice 300
alæ & pennæ pulcerrimæ, quid ſymbolice deſignent 301
aves puræ, ad fontes aquarum lavare ſolent 303
vox graviſona & querula earum 304
amor earum erga conjuges 305
quare pacis & amoris ſymbolum 306
fœcundæ admodum in excubandis & fovendis pullis ſunt 307. 308
in columbario degunt, avolantes ad illud redeunt 309
alias ſecum adducunt, una volant 310
volatus earum altus & celerrimus 311
ſymb. manſuetudinis & patientiæ 312
avium rapacium præda 312
in petris nidificare ſolent 313
literas iis appendebant Vet. 314
in vexillis & ſignis pictæ atque effictæ erant 316
divino honore apud varias gentes cultæ fuerunt 317
uſus earum in ſacrificiis frequens 318
Columbaria veterum quæ 309
Columnæ in portis veterum 365
Herculis & Sethianæ, quæ 267
iis leges inſcribebantur olim 274
ſymb. Regum ac Prophetar. 265
Compedes ſervorum ap. antiq. 417
Conchæ margaritiferæ, quales, ſymb. Eccleſiæ Dei 551
Concluſæ virgines apud veteres 69
Conjugium ſervorum apud Hebræos 414
Continentia virgin. cujus ſymb. 69
Convivia in hortis celebrata 158
Euchariſtica ſub V. T. quæ 3
convivis ſingulis poculum dat. 29
Cornua veter. pro poculis uſitata 10
Corona ex palmis texta S. 455
pro muro urbis 540
ex margaritis pretioſa 563
Coronabant veteres pocula 17
etiam lapides & aras 286
uti etiam portas 365
Crethi & Plethi cuſtodes regii 235
Criſtæ gallor. coronæ, cujus ſ. 379
Crux pœna ſervorum fuit 417
Cryſtallum materia poculorum 11
mare ex cryſtallo, quid 470
Cubicularii ſervi qui dicti 423
CURRUS ſymb. imperii & tutelæ Principum 167
ſymb. exercit. robuſtorum ibid.

CURRUS, ſymb. etiam angel. 168
ſymb. nubium atque ſtellar. 169
ſymb. eloqu. & ſermonis 169. 170
originis fuere antiquiſſimi currus 170
materia eor. maxime diverſa 171
Ferrei & falcati qui dicti 172
aurei, eburnei, argentei 173
formæ quoq; diverſæ erant 173
clauſi quidam, quidam aperti 174
ornati ſculpturis & ſignis 175
lauro decorabantur, triumphales 175
temo & axis ejus, quid myſtice 176. ſqq.
rotæ eorum variæ 179
animalia iis juncta, varia fuere, equi, boves, elephantes &c. 181
aurigæ curribus addebantur, hi ſymb. Spiritus S. 183
varia genera curruum recenſentur 184. ſq.
currus onerarii ſeu plauſtra 184
rhedæ, eſſeda, currus itinerar. 186
recreationi & oblectamento deſtinati currus 187
Regum currus magnifici 188
Doctorum & Sacerdotum currus peculiares erant 189. 190
Sponſarum nuptiales qui 191
in ludis & certaminibus veterum adhibiti, quales 193
in bellis & præliis falcati cur? 195
triumphales pretioſi & ornati 197
ſacri deorum præcipue ſolis currus 199
Curſores ſervi dicti ap. veteres 421
CUSTODES ſymb. angel. 229
ſymb. ipſius Dei, qui cuſtos hominum dicitur 227
ſymb. Regum & Ducum 230
ſymb. Doctorum & Sacerdot. 231
in muris & portis urbium 232
palatii regii & corporis regum qui 234
templorum ac ædium ſacr. 236
novilunii obſervatores tales 238
gregum atq; ovium paſtores 239
hortorum atque arvor. qui 241
virginum, juven. matronar. 242
in caſtris & prœl. conſtituti 244 ſq.
& in navibus & ſpeculis oceani 246. ſqq.
montium ſpeculatores, qui 249
ignes excitabant & buccina clangebant 252
noctu diuque vigilare debeb. 251
armis variis inſtruebantur 254
a præfecto vigilum luſtrab. 256
a ſpecula avocatis merces dabatur 258
portarum quales 364
ſervi cuſtodes quoque erant 424
Cuſtos vocatur Meſſias 425
cuſtodes muror. qui myſtice 536
hortorum qui, it. myſtici 144. 145. 241
aquarum erant ſervi 424
veſtium cuſtodes ſervi 424
Cyprus, aromatum ſpecies 137

D.

Dæmones in deſertis, it. myſt. 215 ſq.
Decimæ ex uvis ſacræ 135
Delphini in oceano myſtici 484
Demenſum cibi & potus ſervis concedebatur 415
deorum currus ſacri 199

deorum

deorum & dear. cingula quæ 498
diis erecti lapides 269
DESERTUM, varia ejus nomina 204
ſymb. populi Judaici 204
ſymb. Antichriſti& gentium 205
locus eſt ſolitarius absque hominum commercio 206
locus aridus, ſiccus, absque herbis 207
ſpinis & arboribus ſylveſtribus horret 208
ſaxa, petras, & arenas fovet 210
ferarum, avium & ſerpentum eſt habitaculum 212
montibus & vallibus horret 214
dæmones & ſpiritus impuri in eo habitare dicuntur 215
in eodem antra latronum 217
incolæ ejus torvi & truces 219
ſolis æſtui, ventis noxiis & ardentibus ac fulminibus expoſitum eſt 220
varia genera deſertorum 222
deſertum paſcuum 223
Diana ſolvizonia cur dicta 518
zona ipſi tribuitur, 499
multimammia fingitur, cur 577
Soſpita & mater dicitur 578
Epheſiæ Dianæ ædiculæ, quales 579
miniſtri ejus ſacri 580
Diſcalceati ſervi veterum 413
an Chriſtus fuerit? 414
Diſpenſatores ſervi veter. qui, 424
Chriſtus hoc nomine gaudet 425
Doctores pinguntur per currus 170. 190
per gallos quoque 378
item per Cherubim 64
necnon per cuſtodes 231
etiam per palmas 444
uti & lapides 265
per ſervos exprimuntur 401
Doctores per virgines deſignantur 61
Domus ſymb. inferni 373
Donaria ex poculis ap. Vet. 24
Dracones in deſertis habitant 212
ſymb. tyrannorum ibid.
in mari quales, ſymb. 483
Ducum & Imperator. cingula 504

E.

Ebrius, vinum inebrians ſymb. 33. 34
Eburnei currus veterum 173
Eccleſia pingitur per Cherubim 94
per columbas quoque 295
nec non per hortum 142
per lapides & petram 263
uti & per virgines 60
Epheſiæ literæ, quæ dictæ 570
Epheſiorum luxus in veſtibus 582
Epheſi ingens magorum num. 570
oracula varia fuere 571
Equi curribus olim juncti 181
myſtici Doctores 182
Eſſeda itineraria veterum 186
Evangelii ſymb. eſt cingulum 497
item currus 169. 170
nec non hortus 141
denique galli cantus 378
Excelſa in portis exſtructa olim 371
Expiationis ſymbol. lotio manuum 44

F.

Faces præferebant ſervi dom. 426
Falcati currus qui dicebantur 172
quid myſtice? 195
Falcibus uvæ reſecabantur 126
Faſces & ſecures lictores gereb. 426
Fera animalia deſerti ſymb. 212

Feſtum

Feſtum Bacchi, ejus ritus varii 583
in feſto Tabernaculi Jud. palmas gerebant, cur 462
in feſtis gentium itidem 460
in feſtis virgines prodibant canentes hymnos 82
Fibula aurea veſtes ſubnectebantur 514
Fidicines ſervi qui dicti, it. myſt. 427
Fimo impinguabantur horti veterum 152
Flagellatio poena ſervor. erat 417
Flores in hortis conſiti, ſymb. 149
& fructus palmarum ſymb. 450
Fluctus ſymb. perſecutionum 469
Fluvii exeunt & redeunt in oceanum 489
ad eos horti optimi plantati 153
Fluxus & refluxus maris explicatur & quid myſtice notet, docetur 488
Foederis ſignum lapides erecti 275
Fontes hortorum, ſymbolici 154
Forum in portis olim fuit 367
Foſſa urbium munimentum 532
Fundamenti Lapis אבן שתיה qual. 272
XII. gemmæ fundamenta myſtica Hieroſ. novæ 531
Furca poena ſervorum 417

G.

GALLUS, Gallicinium Petri explicatur, & difficultates ſolvuntur 377 ſq.
cantus ejus ſymb. præconii Evangelii 378
criſta ejus inſignis, & ſymb. 379
colore vario pennarum & alis robuſtis gaudet; quid myſt. 381 ſq.
cervice erecta & greſſu ſuperbo incedere ſolet 383
ſingularis ejus erga gallinas amor et tutela 384
vox diſtincta e longinquo auditur, Judæorum de iis fabula 386
cantu ſuo horas & tempeſtates dignoſcere credebantur 387
gallicinium, quod non tempus ſit 388
in prœliis & caſtris alebantur, cur 388
ſingularem cum ſole ſympathiam habere credebantur antiq. 389
variis diis ſacer olim fuit 390
animal pugnax, quare Marti olim fuit conſecratus 391
hoſtis gallorum vulpes & accipiter 392
uſus eorum in auguriis veterum 393
nec non ſacer uſus, in ſacrificiis 394
a Regibus delectationis cauſa olim alebantur 395
in cibis & medicina, eor. uſus 396
Gemmae e maris ſinu extractæ 481
in poculis, & pocula ex iis 18
Gemitus columbarum, qualis & quid myſtice notet 304
Gentes per deſertum pinguntur. vide titul. Deſertum
item per virgines 61
nec non per mare 467 ſq.
Gladius cingulo ſuſpendebatur 515
Gregum & pecudum cuſtodes olim 239
cuius ſymb. ſint 239. ſq.
Greſſus vulpium obliqui ſymb. 331

H.

Habitare ſuper Cherubim, quid? 108 ſq.

Havercamp Cl. Vir notatur 104
Hedera materia poculorum olim 10
Hieroſolyma nova quid deſignet 522
Horas cantu ſuo gallus diſtinguit 387
HORTUS, varia ejus nomina 140
ſymb. proſperitatis omnigenæ 140. 141
ſymb. hujus mundi ſpectabilis 141
ſymb. ipſius Dei apud veter. ib.
ſymb. doctrinæ & eruditionis 141
ſymb. Eccleſiæ externæ & veræ 142
a principibus olim plantati horti in voluptatem 143
hortulani & cuſtodes in iis 144 241
muris & ſepibus cingebantur 146
Portis atque januis inſtructi 148
arboribus, aromatibus & floribus conſerebantur 149
aromatici horti odorem gratum ſpirabant 151
fimo apud Jud. impinguati 152
rore cœli ac pluvia irrigati 153
ſæpe quoque ad fluvios ſiti 153
quare horti irrigui dicti 154
uſus eorum ad recreationem 155
ambulacra in iis exſtructa 157
choreæ & convivia in iis celebrata 158
ſepulcra ſua in iisdem exſtruere ſolebant veteres, cur? 159
horti Medici veterum 161
uſus hortorum ſacer ad preces fundendas in iis ſacrificia offerenda & ad cultum idolorum veteribus in uſu 162. 163
Horti penſiles qui dicti 155
Hortulani apud veteres, it. myſtici 144 ſq.
erant ſervi 432. 433. 145
talis eſt Salvator 433
Hulſius H. Cl. Vir notatur 89
Hymnos nuptiales canebant virgines 81
in feſto Bacchi canebant gentes 585
ſpirituales canunt fideles 586

I.

Janitores olim ſervi erant 424
Janua vide latius titul. Porta.
hortorum quæ 148
palmis ornari ſolita 456
Jaſpis, quæ gemma ſit 528
ex ea murus Hieroſol. novæ exſtruendus 528
ſymb. veritatis Evangelicæ ibid.
Ignes excitabant cuſtodes in montibus 252 ſq.
ſignum erant belli 253
vocantur gemmæ & lapides pretioſi 556
Imperatoribus erecti olim lapides 265
Inciſæ fronti ſervorum notæ apud veteres erant 407
Innocentiæ ſymb. lotio manuum 41
Infernum, inferi, ᾅδης, quid 345
portæ inferorum quid 346
Inſulæ maris quæ, quid myſtice 485. 486
Judææ ſymb. palma fuit 445
Judices ſedebant in portis olim 369 ſq.
Judicia in portis habita 370

Juvenum & virginum cuſtodes qui 243

L.

Labra veterum, in quibus abluebantur antiqui 39
æneum labrum V. T. typus Chriſti 39
Labruſcæ vitis ſylveſtris cujus ſint emblema 125. 126
Lanificæ veterum virgines 72
LAPIDES, ſymb. hominum & in ſpecie fidelium 263
ſymb. Dei & Deorum gentium 264
ſymb. Imperatorum, Regum, Doctorum & Meſſiæ 264 265.
erigi olim ſolebant a Jud. & gentibus in memoriam beneficii inſignis 266
Imperatoribus ob merita erecti 267
ſacri diis erigi ſolebant 269
exſtruebantur tanquam altaria 272
Lapis fundamenti אבן שתיה quid 272
illis inſculptæ olim leges 274
in ſignum fœderis olim elevati 275
in ſepulcris heroum tanquam μνημοσυνα erigebantur 277
in ſignum victoriæ & triumphi tanquam tropæa erecti 279
terminales olim lapides qui 281
oleo conſecrari ſolebant, cujus ritus origo indagatur 283
ſignis & inſcriptionibus ornati 284
ſertis & corollis coronati olim 286
aſylum erant reis 288
pro ſigno & vexillo olim erecti 289
perennes & inviolabiles erant 290
Lapides margaritæ dicti 553. 559
Lavacra & balnea veterum quæ, in hortis præcipue 157
Lavare ſolebant ſe virgines frequenter 65
pedes dominorum ſolebant ſervi 437
Lauro ornari olim currus triumphales ſolebant 175. 176
Leges lapidibus olim inciſæ 274
etiam portis inſcriptæ 365
Libamen Chriſti pro nobis quale 26
olim poculis fiebat 25
Lictores Romanorum ſervi publici 425
Lingua blanda virginum ſymbol. 70. 71
Literas appendebant columbis veteres 314
Litore cingitur oceanus, quod ſæpe intumeſcens excurrit 477
ad litora ſcholas & proſeuchas exſtruebant veteres 492
Longævitas palmæ celebratur 452
LOTIO manuum varia apud Jud. ac gentes uſitata explicatur 36. ſq.
variarum corporis partium 40
cur præcipue manus lotæ ibid.
manuum ſymb. innocentiæ 41
in luſtratione & initiatione adhibita a gentibus 42
ante ingreſſum templi peracta 43

ſymb. fuit expiationis reatus 44
uti & ſymb. ſanctificationis 45
tempus lotionis, præcipue matutinum 47
cur mane inprim. lotione opus ib.
ante preces peragi ſolebat cur 48
ſacerdotum ante ſacra obſerv. 50
ante cibum & poſt cibum captum peracta, quare 51. 52
poſt actus ſordidos & tactum rerum impur. fieri ſolebat 53. &c.
in luctu etiam uſitata 54
cur toties repetita fuit 55
neceſſitas ejus abſoluta apud Judæos docetur 56
pedum Dominorum a ſervis peracta 437
virginum frequentiſſima olim 65
Lucas Evangeliſta an medicus? 429
Luci & ſylvæ deſerti, it. myſtice 209
Luctus, in eo manus lotæ olim 54
in eo procedebant virgines cum inſtrumentis muſicis 82
Ludi, in iis currus adhibiti olim 193
Lumbi accincti in bello & itinere, cur 513
quid myſtice deſignent ibid.
Luna, an cauſa fluxus & refluxus Oceani 488
Luſtra vulpium quæ, cujus ſymb. ſint 342
animalium, ſerpentum in deſerto 212
Luſtratio aqua fieri ſolebat circa manus 42
aqua marina peragebatur 491
Lutum materia poculorum fuit 10

M.

Magiſtri poculorum qui olim dicti 30. 31
Magorum apud veteres cingula 504
eorum annuli, qui 575
Mane lotio peragi ſolita, cur 47
Manus ſymb. actionum humanarum 40
varias ob cauſas olim lotæ 41. ſq.
puræ & impuræ cujus ſymb. 40. 41
tollere ſeu elevare puras quid 49
MARGARITA, ex mari ortum trahunt protractæ 481. 550
portas Hieroſolymæ novæ conſtituunt, quod explic. 547
ſymb. ſunt Dei & Chriſti 548
ſymb. animæ, & rei pretioſæ 548. 549
ſymb. legis apud Judæos ibid.
ex rore & fulgure naſci credebatur 550
cujus myſterium eruitur 551
includitur conchæ rudi 552
per urinatores extrahitur 553
candor & pulchritudo earum celebratur 554
ſplendor & lux inſignis earum 555
forma rotunda & lævitas, it. myſtic. 557
ſoliditas earum & firmitas 559
aceto ſolvi poſſunt & corrumpi 559
pretium earum inæſtimabile 560
falſæ & fictitiæ quales, quid myſtice deſignent 561
uſus earum in ornamentis 562
Margaritarum uſus in baltheis, veſtibus & gladiis exornandis 562
in auribus eas geſtabant 563
uſus earum medicus varius 564
MARE ſymb. gentium 467
ſymb. mundi & impiorum 468
ſymb. calamitatum & perſec. 469

ſymb. beneficiorum 470
vitreum ſeu cryſtallinum quid 470
mare & terra pro toto univerſo 467
ſymb. regnorum vaſtorum 471
profunditas, vaſtitas maris deſcribitur literaliter & myſtice 472
ſalſum & infrugiferum eſt 473
ſalis mare quodnam ibid.
ſordes & ſpumam evomit 474
inconſtans, ventis agitatum furit & ſubſidit, cujus ſymb. 475
aggere & littore cingitur, ſæpe tamen excurrit 477
ſaxis & vorticibus ſcatet, quid myſtice? 478
aurum, gemmas & margaritas vehit 481
navibus ſulcatur, quæ ingentes divitias vehunt ibid.
incolæ ejus, piſces, dracones, monſtra, balænæ, it. myſt. 482
piſcatores ejus, it. myſtici 484
inſulæ, turres ſpeculares & portus maris literal. & myſt. 485
in eo ſol oriri & occidere credebatur antiquis 487
fluxus & refluxus ejus 488
cauſæ hujus refluxus & myſter. 489

Mare ſymb. hujus mundi eſt 494
illi dominatur Neptunus 490
in illud omnes redeunt fluvii uti ex eo effluunt 489
ejus aquæ luſtrales erant 491
ad ejus littora proſeuchas exſtruebant veteres 492

Marti ſacer gallus fuit 390. 391
tribuitur cingulum 499

Medicina ex uvis apud veteres 134
item ex gallis 396

Medici apud antiquos an ſervi? 428

Menſæ vaſa & inſtrumenta neceſſaria 19

Mercenarii veterum ſervi 439

Meſſias dicitur ſervus 399

Meſſis uvarum literaliter & myſtice exponitur 126

Milites praeſidiarii in portis 363
& in muris olim 536
cingula eorum quæ 504

Molere ſervorum erat 436

Montes & valles deſerti ſymb. 214.
ſpeculatores in iis; qui myſt. 249 ſq.

Muli curribus olim juncti 182

Mundus pingitur per hortum 141
item per mare deſignatur 468. 494

MURUS Hieroſolymæ novæ quid? 522
pro civitate ponitur, & ſymb. eſt Eccleſiæ 523
ſymb. tutelæ & patrocinii 523
ſymb. principum & heroum 525
ſymb. doctrinæ Evangelicæ 525
hortorum, quid myſtice 146
aratro olim deſignabatur 526
ferrei & lapidei muri veterum 527
Hieroſol. novæ ex Jaſpide 528

Murus altitudine, longitudine & latitudine ſua metiendus 529
fundamentum ejus robur addit 530
aggere & foſſa muniebatur olim 532
portæ muri Hieroſol. myſticæ ſymb. præconii veritatis 533
arcibus & turribus inſtructi apud veteres, quid myſtice 534

milites & cuſto des myſtici in iis 232. 536
in iis vexilla erigebant 537
in iis expugnandis machinas adhibebant veteres 538
ſunt urbium munimenta 539
ſunt decus & corona urbium 540
ſacri olim habebantur 542
dedicatio eorum ſolennis 542
in iis ſacrificia peragebant 542
reparatio ſub auſpiciis ſacris fiebat a principibus 542. &c.
Myſteria Dianæ quæ dicta 570. 571

N.

Nativitate ſervi apud Hebræos & gentes, qui erant 403
Naufragia maris deſcribuntur 480
quid myſtice deſignent 481
Navium ſpeculatores qui olim 246
earum ope divitias acquirebant veteres & hodierni 482
Neptunus imperium maris tenet 490
Noachi columba gentibus innotuit, quod ex nummis probatur 299
Notarii veterum ſervi 430
Novilunii ſpeculatores qui apud Judæos, & qui myſtice 239

O.

Obſignatio Epheſiorum qualis 574
Oculi columbarum pellucidi 300
quid myſtice deſignent 302
Odor hortorum aromaticorum gratus 151
cujus ſit ſymbolum 152
Oeconomi ſervi veterum quales 434
Oleo lapides inuncti olim, cur? ejus ritus origo & myſterium 283
Oracula Epheſi celeberrima 571
Ornatus virginum literalis & myſtic. 73. 74
Oves paſcebant olim virgines 71
ovium cuſtodes 240. myſtici. ibid.

P.

Palæſtina uvis maximi ponderis & magnitudinis ferax 119
ventis igneis expoſita 221
vulpibus maxime abundans 337
PALMA ſymb. Meſſiæ juxta Judæos 444
ſymb. Apoſtolorum & Doctorum ibid.
ſymb. Judææ & Palæſtinæ 445
ſymb. prolis regiæ ibid.
ſymb. gloriæ, victoriæ & vitæ æternæ 446. 457
exſculptæ palmæ in parietibus templi, cujus typi 447
in ſepulcris martyrum quoque ibid.
rami palmarum decerpti apud Judæos in feſto 447. &c.
ſemper viret & viget, quare conſtantiæ ſymbolum 448
floribus & fructibus pollet 450
umbram gratam ramis ſuis præbet 451
maxime eſt longæva 452
Palma decore inſigni prædita 453
pondere preſſa inſurgit ibid.
altitudo ejus procera not. 454
rami ejus in ſertis & coronis veterum adhibiti 455
poſtes & januæ iis exornab. 456
in manibus geſtæ a triumphantibus apud Jud. & gentes 457
idem fiebat a ſubditis regi obviam procedentibus 459

nec non in feſtis & ſupplicationibus publicis 460
denique in feſto tabernaculorum a Judæis geſtabantur 462
cujus myſterium eruitur 463
Paradiſi, horti voluptatum apud reges veterum in uſu 155
Paſchalia pocula Judæis præcipue notata 15
Paſcua deſerta, qualia 223
Paſtores pecudum ſervi 432
Pecuniam in zonis geſtabant veteres 516
Pedes loti Dominorum a ſervis 437
hoſpitum olim abluti ibid.
pedem imponere alicui, eſt dominari 467
Pediſſequæ, veterum ſervi 421
Pellis vulpina ſpecioſa ſymb. 328
Pennæ & plumæ columbarum pulcræ 301
quid myſtice notent 302
Penſiles horti, qui olim dicti 155
Peplum virginum ornatus 76
ſymbolum pudicitiæ ibid.
Petræ, in iis nidificabant columbæ 313
Pfaffius Cel. Vir notatur 400
Pharetra cingulo ſuſpenſa olim 515
Phialæ ſeptem apocalypticæ quæ 6
Pileus ſervo datus, ſignum libert. 419
Pincernæ ſervi veterum qui 434
talis eſt Meſſias 435
Piſcatores maris myſtici qui 484
Piſces maris varii, item cujus ſymb. 482. ſq.
Plauſtra veterum oneraria quæ 184. ſq.
Pluvia hortis maxime conducit 153
ſymb. mediorum gratiæ ibid.
Pœnæ ſervorum apud veteres 416
PORTÆ inferorum quid deſignent, variæ ſententiæ 345
ſymb. regni tenebrarum 346
ſymb. imperii & regum 347
ſymb. præconii Evangeli 548
pro ipſa urbe ponuntur 349
Hieroſol. X. memorantur 533
Hieroſolymæ myſticæ quæ 534
urbium, palatiorum regiorum 350
templorum, ſepulcrorum, carcerum 351
antrorum & præcipue caſtrorum 352
ferreæ, æneæ, aureæ apud veteres 356
altiſſimæ & latiſſimæ olim exſtructæ 355
muniebantur vectibus & repagulis 357
clavibus reſerantur & clauduntur 359
turribus munitæ urbium tutela ſunt 361
portis imminent præcipue hoſtes in expugnatione 361
portas effringere victoria eſt 362
in iis cuſtodes & milites præſidiarii conſtituti 232. 363

colum-

columnis, ſertis & inſcriptionibus olim exornatæ 365
triumphales coronatæ 366
fora & areæ mercatorum in iis 367
conſeſſus procerum & judicum in iisdem olim habiti 368
aras & excelſa in iis exſtruebant 371
ex iis clypeos ſuſpendebant ibid.
inferorum apud veteres ſæpius memorantur 372
Portus maris, it. myſtici 485. 486
Poſtes & januæ palmis ornatæ 456
Præfecti vigilum qui apud veteres 256
Preces, ante eas manus lotæ, cur 48
in hortis peragi ſolitæ 162
Pretium margaritarum ingens 560
Primitiæ & decimæ ex uvis ſacræ 135
Principes hortos olim inſtruebant 143
gallos nutriebant voluptatis gratia 395
Proceſſiones virginum in nuptiis 83
earundem in feſtis & luctu 83
nec non in triumphis 84. &c.
Profunditas maris literalis & myſtici 472
Prophetæ olim cingula geſtabant 503
quid cingulum eorum deſignaverit myſtice 504
Proſeuchæ Judæorum ad littora ſtructæ 492
Pulchritudo virginum celebrata 66
Doctorum N. T. quæ 67. 68
Regum & Sacerdotum apud veteres requiſitum 68
Pulli columbarum qui, it. myſtice 307. 308
Purificatio poculorum apud Judæos 18
Puritas virginum qualitas celebrata 64
columbarum, it. myſtice 303
Purpureus uvarum color 122

R.

Rami palmarum לולב Judæorum deſcribuntur, it. eorum myſter. 447
ſymb. regiæ prolis & Meſſiæ 445 448
Regum currus magnifici olim 188
cingula pretioſa & ornata 500
ſervi eorum honoratiores 420
Reges per palmas deſignantur 445
Servi Dei dicuntur in ſacris 401
Cuſtodes vocantur in Scriptis ſacris & profanis 230
corporis & palatii eorum cuſtodes olim qui dicti 234
illis ſuper throno ſedere competit 108
Regni tenebrarum attributa & qualitates omnes per portas tenebrarum deſignatæ explicantur 348 ſq.

Repa-

Repagula portarum apud veteres 357
quid myſtice notent ibid.
Ros & roris aqua hortis conducit 153
quid myſtice notet ibid.
Rotæ curruum apud veteres variæ, æreæ, ferreæ, argenteæ &c. 179 ſq.
ſymb. magiſtratus politici 180

S.

Sacerdotum gregariorum cingula 503
ſummi ſacerdotis baltheus ibid.
ante ſacra peragenda manus lavare tenebantur apud Jud. & gentes 50. ſq.
virgines quoque erant 78
in curribus olim vecti 190
Sacrificia veterum ex columbis 318
nec non ex gallis 394
in hortis peragi ſolita olim 162
Sal infrugiferos redit agros 473
mare ſalis ים מלח quale 473
Sanguis uvarum quid, it. myſtice 122
Saxa & petræ in deſerto literali & myſtico quæ 210
maris literalis & myſtici 479
Scribæ olim ſervi fuere 430
talis Chriſtus dici poteſt 431
Sculpturæ & ſigilla poculorum 17
corruum apud veteres 175
portarum & januarum 365
lapidum erectorum 284
murorum denique 543
Sedere ſuper Cherubim quid notet 108
ſuper throno Regum eſt ibid.
item Judicum quoque ibid.
Sella curulis ſeu curruum quæ 178
Sepulchra in hortis exſtructa 159
portæ eorum apud veteres 371
ſymb. regni tenebrarum 351
in iis lapides & monumenta cum columnis erectæ 277
martyrum palmis ornata 447
Serpentes in deſerto, myſtice 213
Serta ex palmis olim facta 455
iis lapides erectos & aras coronabant 286
poſtes & januas item 365
SERVUS appellatur Iſraël ſub Vet. Teſt. 401
Reges inſignes ſervi dicti ibid.
Prophetæ & Doctores ſervi Dei ibid.
pii homines ſervi Dei 402
Chriſtus Salvator Servus 402. ſq.
ex nativitate apud Hebræos 403
ex captivitate apud eosdem 404
venditio in ſervum apud Jud. ex paupertate vel furto 406
apud Rom. ſub corona vendebantur 406
notæ vel ſtigmata fronti ſervorum inciſa vel brachio 407
aures annulis perforatas habebant 409. ſq.

tales aures Chriſto tribuuntur 410
veſtes ſervorum apud antiquos quæ 411
cingulum & torques eorum notandus 412
conjugium eorum cum ancillis apud Hebræos explicatur 414
victus eorum tenuis, & demenſa pars erat 415
pœnæ eorum & tractatio duriſſima apud antiquos 416
manumiſſionis eorum ritus 418
Regum ſervi honoratiores 420
curſores, anteambulones, pediſſequæ qui olim 421
cuſtodes, cubicularii, janitores 423
ſervi & lictores publici 425
armigeri quales olim 426
fidicines, tibicines, tympaniſtæ 426
Medici & Chirurgi olim 428
Scribæ, amanuenſes, notarii 430
villici, hortulani, agricolæ 432
œconomi & diſpenſatores 434
triturare & molere debebant 436
pedes dominorum ſuorum lavare atque ungere ſolebant 437
mercenarii quales 439
Chriſtus Servus κατ' ἐξοχὴν ut typus Servorum V. T. dicitur 403 ſq.
cingulum eorum 508
Sexus debilior, fœmineus 62
Sigillum ſymb. Spiritus S. 576
impreſſum initiatis olim 575
Simſonis vulpes quales, unde, & quid myſtice deſignent 337
Sociæ ſponſæ virgines apud vet. 80
Solis currus quales, cur illi dicati 199
Sol in mari oriri & occidere credebatur 487
ipſi gallus erat ſacer 390
Sorec torrens ſeu vallis uvis ferax 121
Speculæ navium & montium quæ apud veteres 247. 249. &c.
in iis cuſtodes conſtituti 246
Speculatores apud veteres varii dicti vid. tit. Cuſtos
Speluncæ latronum in deſerto S. 217
Spinæ deſerti myſtici quid not. 209
Sponſarum cingulum apud vet. 506
earum ſociæ virgines 80
in curribus domum ductæ 191
Spuma maris & ſordes myſtice quid 474
Statua honoris cauſa Regibus & Imperatoribus erecta 268
idololatricæ quales olim 270
victoribus in triumpho poſitæ 280
coronari ſertis ſolebant 286
inviolabiles & perennes 290
in portis olim erectæ 365
Stellæ per currus deſignantur 169
Stigmata ſervorum varia. 408

T.

Temo curruum apud veteres aureus vel argenteus & ornatus 176

cujus

cujus ſit ſymbolum 177
Templi & ſanorum cuſtodes 236
parietes palmis exornati 447
templorum portæ 350
Terminales lapides olim erecti 281
Tibicines in feſtis & bellis adhibiti 426
Torcularia, veterum in uvis exprimendis, eorum ſymbolum 130. 131
ſervi illa premere ſolebant 436
Torques ſervorum inſigne olim 412
virginum ex margarita 565
Triturabant apud veteres ſervi & boves apud Hebr. & gentes 436
Triumphus, in eo palmas geſtabant 457
in eo virgines procedebant cum tympanis 82
Triumphales currus ornati & coronati 197
lapides erecti olim 279
portæ exornatæ 366
Turres ſpeculares apud veteres 485
in muris & portis, tutela urbis 361
Hieroſolymæ myſticæ quæ 535
ſymb. Principum & Regum ibid.
Tympana pulſabant puellæ apud veteres 82
in feſtis, triumphis &c. uſitata 83. &c.
Tympaniſtæ olim ſervi erant 427

V.

Valles deſerti myſtici quæ 214
Vaſa lotioni inſervientia ap. Jud. 38
Vectes portarum cujus ſymb. ſint 357
Velum pudicitiæ ſymbolum eſt 76
Vendebantur olim ſervi 406
Venenata pocula veterum 6
Venti mare turbantes ſymb. 475
Palæſtinæ ignei nocivi 221
Veſtales virgines quæ dictæ 79
Veſtes texebant virgines 730
ſervorum quales 411
Veſtes virginum quæ apud veteres 76
margaritis ornatæ variæ 502
albas induebant baptizati 581
luxus veſtium apud Epheſios 582
Vexilla erant lapides erecti 289
& ſigna ex columbis quæ 316
Viatorum cingulum quale 507
Victores palmas gerebant 457
Victoriæ ſigna lapides erecti 279
ſymb. palma fuit 446. 457
Vigiles vid. titul Cuſtos
Vigilantia cuſtodibus incumbit 251
Villici ſervi qui olim dicti 432
Vindemia & meſſis uvarum literalis & myſtica 126. 131
Vinitores cum falcibus, 127
Vinea ſymb. Eccleſiæ 340
quomodo a vulpibus corrumpitur 339
Vinum aromaticum veterum 27. 28
inebriat, exhilarat quid myſtice 33. 34
Violare virginem nefas erat 77


VIRGINES ſymb. Eccleſiæ externæ & veræ 60
ſymb. gentium, civitatum 61
ſymb. Doctorum N. T. 61
caſtitas earum celebrata 63. 64
puritas, lotionis etiam amantes 64. 65
pulchritudo earum inſignis 66
continentia, quare concluſæ 69
blanda lingua præditæ 70. 71
hauriebant aquas apud Jud. 71
lanam præparabant olim 72
ornatus earum varius 73. 74
unctio earum frequens 74
veſtes earum, in ſpecie peplum 75. &c.
violare virginem ſummum nefas 77
ſacerdotes erant, præcipue veſtales 79
ſociæ erant ſponſæ in nuptiis 80
in luctu, feſtis, triumphis prodibant cum tympanis 81. 82
cingulum earum notatur 506
ſuos habebant cuſtodes 243
Vitis vinifera ſymb. Eccleſiae Dei 117
generoſa quae dicitur, in collibus praecipue creſcit 120. 123
Umbra palmarum grata eſt 451
Unctio virginum apud veteres 74
lapidum apud antiquos 283
Dominorum per ſervos 437
Volatus columbarum altus & celer 311
Vortices maris cujus ſymb. ſint 479
Urbs vocatur infernum 353. 373
Urinatores margaritas extrahere e mari ſolebant, cujus ſymb. 553
Uva vide titul. Botrus
VULPES ſymb. calliditatis ſunt 323
ſymb. Regum & perſecutor. 324
ſymb. Pſeudo-doctorum 325
eſt animal ferum & impurum 325
viſu & olfactu acuto prædita 327
pellis ſpecioſa & cauda oblonga 328
gannitus & rugitus earum 328
greſſu obliquo utitur 330
animal maxime fœtidum eſt 332
ſagacitatis earum ſpecimina 333 334
inſidiatur avibus, gallinis, cadaveribus 335
multitudo earum ingens in Judæa 337
vulpicomburium Romanorum 338
hiſtoria vulpium Simſonis typica 339
corrumpunt vineas 339
difficillime capiuntur 341
in luſtris occultis degunt 342
Witſius Cl. Vir notatur 94

Z.

Zona vid. titul. Cingulum

FINIS.





Pingeling Sc: Hamburgi.

WILH. ERN. EWALDI,

S. TH. DOCT. ET PAST. LEH.
DVC. BREM.

EMBLEMATVM
SACRORVM
VET. ET NOVI TESTAMENTI

LIB. V. ET VI.

SIVE

PARS TERTIA,

CVM NVMMIS ET FIG. AENEIS.

ACCEDVNT

VISIONES PROPHETARVM,

IES. VI, 1. ſq. APOC. XII, 1. ZACH. V, 5. ſq.

NEC NON

EXERCITATIO

IN MATTH. XIX, 28.

ALTONAVIAE

APVD FRATRES KORTE

MDCCXXXVII.

ILLVSTRI,

MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO

DOMINO

D. IOHANNI HOLLER,

ICTO CONSVMMATISSIMO,

REIPVBLICAE BREMENSIS CONSVLI GRAVISSIMO,

IVDICI HAEREDITARIO BORGFELDENSI AMPLISSIMO,

MAXIMO TVM REIPVBLICAE TVM STVDIORVM OPTIMORVM PROMOTORI,

PATRI PATRIAE, CIVIVM DELICIO,

FAVTORI, MECAENATI QVOQVE SVO AD CINERES COLENDO,

CHARTACEVM HOC EMBLEMATVM SACRORVM MONVMENTVM

EA, QVA PAR EST, ANIMI OBSERVANTIA, SACRVM ESSE IVBET

AVCTOR.

ILLVSTRIS ET MAGNIFICE
DOMINE!

INter dotes reliquas, quae VIRORVM, Rempublicam auctoritate ſua gubernantium, famam mortalium quaſi numero eximunt, atque aeternitatis monumento inſcribunt, et VIRTVS et FAVOR erga LITERARVM ſtudium, plena luce eminent. Per illam felicitas atque proſper Reipublicae ſtatus ad ἀκμὴν perducitur, per hunc vt nunquam felicis fortunae promotoribus deſtituatur eadem, perficitur. Illa conciliat populi ingenui amorem et exiſtimationem, atque fundamentum exiſtit proſperrimi

omnium

omnium moliminum ſalutarium ſucceſſus, hic honorem atque immortale nomen in ſeros usque nepotes conſervat atque tuetur.

Vtroque nomine admirandus venerandusque es, VIR MAGNIFICE, omnibus et Reipublicæ civibus et literarum cultoribus. Vtriusque ſequelas atque fruges honorificas expertus es, experiris quotidie et experieris, dum ſol rotabitur circa axin, EXCELLENTISSIME DOMINE, qui civium BREMENSIVM deliciae ac voluptas, Doctorum VIRORVM Gloria atque Laus exiſtis.

Diu ſane eſt, VIR CONSVLTISSIME, quod anxie deſideraverim, demiſſum animi mei cultum, quo in TE, Muſarum Patronum, Fautoremque mihi ad cineres colendum, rapior, publico quodam argumento teſtari, commoda tamen adhucdum occaſione deſtitutus. Quum autem Libelli huius Fautorem quærerem, non alium præter TE mihi ſeligendum eſſe, illico concludebam. Abſterrebat equidem ſummum illud dignitatis faſtigium, ad quod divina favente Providentia evectus es; Verum quum humanitatis TVAE prorſus ſingularis publica ubique proſtent monumenta, trepidationem omnem metumque deponere haud dubitavi. Non enim ignoro, quam benigne ſoleas interpretari illorum conatus, qui eruditæ pietatis piæque eruditionis fætus in gremium TVVM deponere ſuſtinent.

Quin imo id quod in omnium bonorum corde et ore eſt, publice teſtari ſcripto, tacite me obſtrictum ſubſentiebam.

Reſpublica certe totusque civium chorus priſcam illam atque Germanicam TVAM fidem atque candorem haud infucatum, ſtupet, admiratur: Invictum animi robur, quod nec blanditiis, nec largitionibus a recto juſtitiæ tramite ne latum quidem unguem deflectere novit, celebrat, extollit: Herculeum in negotiis arduis expediendis laborem, indefeſſumque in conſiliis ſalutaribus executioni dandis ſtudium, profunde veneratur. Muſarum TE Ἐυεργέτην *colunt omnes, qui pectora de meliori luto condita gerunt, cæleſtesque pariter ac humanas ſcientias ſectantur.*

Excipe ergo, Virorum Muſis litantium Summe Evergeta! has quoque quas TIBI offero, paginas exiguas fronte ſerena, easque ſub alis tutelae TVAE protege.

DEVM ego Ter O. M. ſupplicibus veneror votis, ut TE, tanquam clypeum aliquem terræ, per quem Deus Abrahami, ejusque populus exaltatur, robore valetudinis inconcuſſo, ſancta animi ſerenitate, atque exoptato omnium conſiliorum, ac moliminum porro TVORVM in VRBIS, ECCLESIAE atque SCHOLAE commoda largiſſima, ſucceſſu beare haud dedignetur. Dabam Lehæ ad Viſurgin Calend. Maj. M DCC XXXVII.

PRAEFATIO.

LECTORI CANDIDO S.

NOvum addere Emblematum Sacrorum Volumen Amicorum nonnullorum conſilia ſuadebant, quæ contemnere fructus qualescunque ex hiſce laboribus exiguis in Eccleſiam et commoda publica redundantes non permittebant. En ergo *tertiam* eorum *Partem*, ſive Libros V et VI. eadem methodo eodemque ſcopo elaboratos, quo inceperamus. Emblemata in hoc volumine non ubivis obvia, atque amœnitate et gravitate ſeſe commendantia, denuo ex ſcriptis tum veteris tum novi Inſtrumenti ſelegimus; atque ita ex antiquitate ſacra et profana elaboravimus, ut ſimul quamplurima alia Scripturae S. loca illuſtrata exhibuerimus. Novam quoque *nummorum* antiquiſſimorum, ex quibus

ritus nonnullos veterum demonſtravimus, *tabulam* æri incidi curavimus, una cum figura *Locuſtæ orientalis*, ad cujus formam in loco Apocal. IX. ubi mira locuſtarum deſcriptio Interpretibus crucem figit, in Exerc. VIII. Lib. VI. alludi docemus.

In calce hujus Voluminis accedit Exercitatio in locum difficilem Math. XIX. 28. cujus brevem σκιαγραφιαν, quum ante aliquot annos ſummos in Theologia honores nacti eſſemus, diſſertationis loco publicae luci expoſueramus, et quam hoc loco integram tibi exhibemus. Adjecimus quoque *Viſiones* quasdam *Emblematico-Propheticas*, quarum ſenſum tum literalem tum myſtico-propheticum ex antiquis monumentis eruere ſategimus. *Prima* gloriam Meſſiæ exaltati ex Jeſ. VI. 1. ſq. *altera* gloriam Eccleſiae N. T. ex Apoc. XII. 1. *tertia* ortum et progreſſum Anti-Chriſti ſub figura Mulieris in Epha ſedentis ex Zach. V. 5 ſq. delineat.

An plura aliquando additurі ſimus Emblematum volumina, nondum determinavimus, quum majus quoddam *Biblicum Opus*, ſi vires vitamque conceſſerit clementiſſimus Pater, inchoare geſtiat animus. Interim futuris nundinis autumnalibus Meditationum noſtrarum vernacularum de *Gloria Novæ Hieroſolymæ in Apoc. XXI. partem primam* D. v. prelo ſubtractam aſpicies. Vale B. L. laboribusque noſtris fave.

CONSPE-

CONSPECTVS EXERCITATIONVM

LIBRI QVINTI.

I. De TURRI DAVIDIS mille clypeis ornata, ad locum Cantic. IV. 4. pag. 1-24
II. De TORQVE Sponſæ aureo, Symb. veritatis Evangelicæ ad Cantic. IV. 9. p. 24-43
III. De SYLVA Symb. gentium ac hoſtium regni Meſſiæ, ad Jeſa. XXXII, 19. p. 44-66
IV. De CANIBUS MUTIS Symb. Pſeudo-Doctorum, ad Jeſ. LVI. 10. p. 67-94
V. De CIDARI REGIA in manu Dei, Symb. Eccleſiæ, ad Jeſ. LXII. 3. p. 95-113
VI. De MEDICIS myſticis, ad Jerem. VIII. 22. p. 113-132
VII. De CROCODILO Symb. Antichriſti, Ezech. XXIX. 3. p. 133-149
VIII. De PISCATORIBUS myſticis, Ezech. XLVII. 10. p. 150-165
IX. De MYRTO Symb. Eccleſiæ preſſæ, Zach. I. 8. p. 166-189
X. De TINTINNABULIS equorum Symb. confeſſionis et praeconii veritatis, Zach. XIV. 20. p. 189-206

LIBRI SEXTI.

I. De CAMELO Symb. hominis avari, in ſpecie Phariſæi, Matth. XIX. 24. p. 207-224
II. De UTRIBUS recentibus, Symb. credentium ſub N. T. Luc. V. 38. p. 225-245

III. De VASE electo ad nomen Dei portandum, ad Actor. IX. 15. p. 246-262
IV. De BOVE triturante, Symb. Doctorum N. T. ad loc. 1. Cor. IX. 9. p. 263-289
V. De FULGURIBUS ex throno Dei prodeuntibus, Symb. verbi Dei, Apoc. IV. 5. p. 290-309
VI. De VII. FACIBUS igneis ardentibus coram throno, Symb. Spiritus S. Apoc. IV. 5. p. 310-331
VII. De CITHARIS aureis, Symb. præconii virtutum divinarum, Apoc. V. 8. p. 332-352
VIII. De LOCUSTIS ex fumo abyſſi prodeuntibus, Symb. pſeudo-doctorum Antichriſti, Apoc. IX, 3. ſq. p. 353-372
IX. De FALCE acuta in manu Filii hominis, Symb. judiciorum divinorum, Apoc. XIV, 14. p. 373-389
X. De TORCULARI myſtico, Symb. iræ divinæ ad Apoc. XIV, 19. 20. 21. p. 390-408

ACCEDVNT

I. Exercitatio de XII. THRONIS Apoſtolorum et judicio in XII. TRIBVS ISRAEL, ad Math. XIX. 28. p. 409-444
II. Exercitatio de GLORIA MESSIAE in viſione prophetica, JES. VI. 1-4. demonſtrata. p. 445-482
III. Exercitatio de Gloria Eccleſiæ, ſeu muliere amicta ſole etc. APOC. XII. 1. p. 483-508
IV. Exercitatio de MULIERE IN EPHA SEDENTE, ejusque myſterio ad Zach. V, 5-11. p. 509-543

WILH.



Tab: Part: III.

Pingeling Sc: Hamburgi.

WILH. ERN. EWALDI, D.
EMBLEMATUM SACRORUM
VET. ET NOV. TEST.
PARS TERTIA.

LIBRI V.
EXERCITATIO I.
DE
TURRI DAVIDIS,
MILLE CLYPEIS ORNATA.
CANTIC. IV. 4.
ARGUMENTUM.

Alluſio hujus loci Cant. IV, 4. detegitur, ac ſenſus ejusdem literalis exhibetur. §. I. TURRES apud antiquos ipſius Dei, Principum ac heroum, verbi veritatis, rei cujusque fortiſſimæ, imo ipſius capitis & colli humani figuram fuiſſe docetur & loca Cant. VII, 4. V, 13. illuſtrantur. §. II. Pergimus ad explicationem emblematis, quod collum myſticum

i. e. fidem ac amorem Eccleſiæ delineat. 1) *Turres veterum ſecundum regulas certas ab architecto ex lapidibus erectas memoramus, & quales æneæ, vel ferreæ turres fuerint, inquirimus.* §. *III.* 2) *Turres veterum fundamento petræ variisque columnis ſaxeis ſuffultas* §. *IV.* 3) *in altitudinem & faſtigium ſummum eductas quaſi inter nubes fuiſſe* §. *V. probamus.* 4) *Deus inſigne ac ornamentum urbibus* §. *VI. nec non* 5) *munimentum ac robur addidiſſe turres* §. *VII. demonſtramus.* 6) *De pinnis turrium & militibus earum præſidiaribus, ex iisdem tela in hoſtes projicientibus* §. *VIII.* 7) *de* ἀσυλίᾳ *& refugio earum* §. *IX. diſſerimus.* 8) *Speculares porro turres, in quibus faces accenſæ & præconia edita,* §. *X. nec non* 9) *arces regias imperii ſedes,* §. *XI. ac* 10) *theſauros regios in iisdem adſervatos explicamus* §. *XII. addentes* §. *XIII. turres fulminibus maxime ac procellis eſſe expoſitas. Denique* §. *XIV.* *SUSPENSIONIS* CLYPEORUM *in iis triplicem rationem excutimus. Quæ omnia ſuo loco collo Eccleſiæ myſtico applicantur, &* §. *XV. Epilogo morali finiuntur.*

I.

DEus inſigne Sponſæ myſticæ deſcripturus Salomo cœleſtis, inter varia emblemata exhibet quoque illud, quo pulcritudinem colli ipſius delineat, quando CANTIC. IV, 4. exclamat כמגדל דויד צוארך בנוי לתלפיות אלף המגן תלוי עליו כל שלטי הגבורים Quæ verba ita commode vertas: *Sicut* TURRIS *Davidis* COLLUM *tuum, inſtructum propugnaculis, a quo millia pendent clypeorum, qui omnes ſunt umbones heroum.* Per *turrim* Davidis dubio procul intelligenda turris in arce Davidis eminens, fortiſſima, quam David veriſimili conjectura, occupata arce Zion, ædificaſſe conjicimus ex 2 Sam. V, 9. 1 Chron. XI, 8. Quam ADRICHOMIUS *Theatr. terræ S. p. m. 168.* memorans: *Turris munita,* inquit, *& excelſa valde, quæ in duarum voraginum angulo, in prærupto rupis colle ex quadris lapidibus ferro & plumbo indiſſolubiliter compaginatis, a Davide Rege ædificata erat.* Hoc eſt מגדל גדולה *Turris magna,* prodiens ex arce Zionis Nehem. III, 26. quæ Mich. IV, 8. מגדל עדר audit, & *munitio filiæ Zion.* Vertendas autem has voces non *turrim gregis* cen-

cenſemus, uti ab omnibus fere Interpretibus fieri adſolet, verum *turrim aciei* ſeu *propugnaculi.* Vocis enim עדר ſignificatio, qua *aciem inſtruere, propugnare &c.* denotat, *tum* ex æquivoca עזר vel אזר, *tum* ex loco 1 Chron. XII, 33. 38. ubi hic ſignificatus occurrit, *tum* denique ex linguis affinibus, facile adſtrui poteſt.

Inſtructa autem erat hæc turris לתל פיות. Quam vocem varie vertunt Interpretes. Alii *ad armarium*, alii *pinnaculis* vel *pinnis*, alii ad *diſcendum*, alii ex *lapidibus acutis*, alii ad *ſuſpendendas acies* ſc. gladiorum, alii in *altitudines* &c. Optime *cum propugnaculis* vel *aggeribus*, vertendam eſſe hanc vocem exiſtimamus, quia compoſita absque dubio eſt ex תל *acervus, agger*, & voce פי vel פיות *os, ora*, adeoque *aggeres acutos* proprie denotabit, vel aggeres vallibus profundis, inſtar faucium, inſtructos.

Hinc analogia hujus comparationis in ſenſu quoque literali patebit. *Jeruſalem* urbs conſideratur inſtar *Sponſæ*, civitas inferior erat *corpus*, ſuperior vero *caput*, arx ergo ſeu turris hæc magna ad radicem urbis ſuperioris ſita, utramque jungebat & tanquam propugnaculum tuebatur. Commode ergo cum *collo* Sponſæ comparari poterat. Jam vero collum ſponſæ non ſolum ad radicem *pectore* & *mammis* inſtructum, ſed & *monilibus* aureis gemmisque ornatum eſſe ſolet, adeoque analogiam in *Turre Davidis* deprehendes, quæ propugnaculis & aggeribus acutis ad radicem confirmata, & variis clypeis aureis ornata erat, qui gemmarum inſtar fulgebant.

Collum vero Sponſæ myſticæ, quod turri Davidis comparat Sponſus, emblema illius *vinculi* eſſe cenſemus, quo caput & corpus myſticum conjungitur; Si *Caput* intelligas de Chriſto, *fidem*, ſi *caput* de Doctoribus & Rectoribus Eccleſiæ capias, *amorem* optime denotabit collum, quod utrumque heic deſignari apte atque conjungi poteſt.

II. TURRIS emblema penitius examinaturi, obſervamus, illam in ſcriptis ſacris ſymbolum eſſe

א. Ipſius *Dei*, propugnaculi ſalutis noſtræ. Pſalm. LXI, 4. Jehova vocatur מגדל עז מפני אויב *turris fortitudinis contra adverſarios.*

rios. Prov. XVIII, 10. nomen Domini itidem מגדל עז *Turris robuſta* vel roboris audit. Conf. phraſes Synonymas paſſim obvias 2 Sam. XXII, 2. Pſ. XVIII, 3. XXXI, 3. CXXI, 5. XCI, 2. Prov. XIV, 26. Simili ratione Judæi per lapidem בוחן in Zione ponendum Jeſ. XXVIII. 16. *Meſſiam* intelligunt, שיהא בציון לאבן בוחן *qui erit in Zione lapis propugnaculi;* vocem בוחן enim R. Salomo מבצר וחבק munitionem & fortitudinem deſignare docet, citans locum Jeſ. XXXII, 14. & XXIII, 3. ubi בחן *arcem & turrim* denotet; quemadmodum R. Nathan בחן per מבצר reddit. Ita Zach. IX, 12. per *munitionem*, ad quam vincti ſpe ſe converſuri erant, Meſſiam intelligendum eſſe judicamus, in cujus communione *alterum teſtem* i. e. Spiritum S. experturi erant.

ב. Similiter *Heroum* fortiſſimorum, *Principum* potentiſſimorum, atque *Doctorum* Eccleſiae figuram exhibent turres. Quando Jeſ. II, 15. dies Domini contra *turres* quoque *ſublimes* futurus dicitur, non cum CALVINO & aliis interpretibus oppida munita, quibus homines confidunt, ſed *principes* & *duces* fortiſſimos, ſapientia ac potentia elatos intelligimus. Per *turrim* in *vinea* Domini *Magiſtratus* Chriſtianos, tutores Eccleſiæ intelligendos exiſtimamus Jeſ. V, 2. Similiter Jeſ. XXX, 25. per *Turres*, quæ proſternendæ tempore cædis magnæ, cum Chaldæo רברביא *Magnates* & potentiores populi Duces indicari contendimus. *Doctorum* quoque tum ſublimi & cœleſti ſapientia præditorum, tum carnali ſapientia tumidorum figuram ſiſtunt turres, priori ſenſu Pſ. XLVIII, 13. ubi *turres Zionis* myſticæ *recenſendæ* & obſervandæ deprædicantur, emblema hoc occurrit. Poſteriori vero Jeſ. XXXIII, 18. ubi quæritur: Ubi ſunt *ſcribæ*, ubi *ponderatores* ſc. legis, ubi qui *recenſent turres*, i. e. qui ſublimi ſed carnali ſcientia imbuti; quemadmodum Cel. VITRINGA dialecticos ſubtiles intelligit: & R. ABARBANEL explicat: כתב על ספר הדברים הגדולים והרשומים כעזרא *ſcribens in libro res ſublimes & myſticas ut Eſras.* Sic Doctores & defenſores Antichriſtianiſmi ſub emblemate *murorum & turrium Tyri* myſticæ veniunt, Ezech. XXVI, 4. 9. conf. Cel. LAMPIUM *in Pſ. XLV. p. 436.*

Apud profanos Scriptores ſæpiſſime Heroes, Duces, hominesque robore ac ſapientia pollentes ſub hac figura delineantur. Varia loca exhibet Cel. LAMPIUS l. c. quod & probat ex nummo Conſtantini Junioris,

nioris, ubi *murus cum turribus* apparet, addita epigraphe *PROVIDENTIÆ CÆSS.* verum an ibi Imperator ipſe per hoc ædificium indigitetur & ejus tutela, vix crediderim, quum ſimiles nummos paſſim obvios deprehendamus cum inſcriptione *PROVIDENTIÆ AUG.* ſeu *VIRTUS CÆSS.* in memoriam ſc. reparatæ turris aut muri urbis, vel exſtructi granarii, vel etiam Mangani i. e. publici armarii. Evidens res eſt ex *numo Conſtantini M.* apud OISEL. *Tab. LXI. n. 7.* ubi idem ædificium cum ſtella apparet, in memoriam exſtructi Mangani in urbe Conſtantinopoli, de quo late CODINUS ſcribit; & additur ibidem inſcriptio *PROVIDENTIA AUG.* adde nummum apud eundem OISEL. *Tab. LXVI. n. 5.*

Cæterum locis a Cel. LAMPIO adductis adde HOMER. qui *Iliad. III.* Ajacem ἕρκος Ἀχαιῶν appellat. & Lib. IV. *Iliad.* p. m. 74. de heroe Echepolo canit:

Ἤριπε δ᾽ ὡς ὅτε ΠΥΡΓΟΣ, ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ.
Cecidit autem inſtar TURRIS in forti pugna.

Et *Iliad. XIII. p. m. 244.*

- - ὄυτε δηρὸν ἐμὲ χήσουσιν Ἀχαιοὶ,
Καί μάλα ΠΥΡΓΙΔΟΝ σφέας αὐτοὺς ἀρτύναντες.
- *non diu me ſuſtinebunt Achivi,*
Quamvis ſe inſtruxerint inſtar TURRIS validæ.

Nec non *Odyſſ. Lib. XI. p. m. 164.*

- τὰ δέ πῆμα Θεοὶ θέσαν Ἀρχείοισιν,
Τοῖος γάρ σφιν ΠΥΡΓΟΣ ἀπώλεο.
- *Quales perniciem Dii fecerunt Græcis,*
Talis etenim ipſis TURRIS periiſti.

Similiter TYRLÆUS *in ſentent. de virtut. bellic. p. m. 174.*

ὥσπερ γάρ μιν ΠΥΡΓΟΝ ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσιν
Nam coram illam intuentur velut TURRIM.

Plura loca addere poſſemus, verum ea obſervata videmus apud BARTH. *ad Claud. p. m. 942.* BARTH. *ad Stat. Tom. II. p. 413.* GATAKER. *ad Antonin. de reb. ſuis. in not. p. m. 134.* SUICER. *Theſ. Eccl. Tom. II. p. m. 894.* & alios.

3. In genere quoque Turris rei firmiſſimæ & inſigni robore præ-

 ditæ

ditæ ſymbolum eſt, quæ præſidium tutum exhibet. Quare *verbum* veritatis conſideratur inſtar arcis ſeu caſtelli muniti, quando Apoſtolus 2 Petr. III. 17. monet ut caveamus, ne ex *munitione* noſtra excidamus. Eadem veritas per columnas turritas *Jachin & Boas* in Salomonei Templi atrio collocatas depingebatur, in quarum altera, quæ verbum *promiſſionis* reſpiciebat, verba יכין, in altera vero, quæ verba *implementi* εὐαγγελίου in memoriam vocabat, בועז legebantur. Similiter *Lex* certa & *rata* inſtar arcis atque *turris* conſideratur apud profanos. CICERO *in Verr. act. VI.* Idem ad vos *judices confugit, utitur hac lege, qua judicium eſt, communi arce ſociorum.* Et pro *Roſcio Comœd. Hæc lex ſocialis eſt, hoc jus nationum exterarum eſt, hanc habent arcem minus aliquando munitam quidem, quam antea.* Huc etiam referri poteſt locus ARISTOTEL. in *præfat. ad Rhetor.* εἰδότας καλῶς ὡς ἀκρόπολίς ἐστι σωτηρίας, ἡ διὰ τοῦ συμφέροντος γινομένη θεωρία. *Quum pulcre noſſent, arcem eſſe ſalutis, utilitatis conſiderationem, quæ ſit oratione.* Quare *ſcuta* heroum turribus comparantur; de Ajace HOMER. *Il. XI. p. m. 212.*

- ἐγγύθεν ἦλθε, φέρον σάκος ἠΰτε πύργον.
- *prope acceſſit, ferens ſcutum inſtar turris.*

ob magnitudinem & robur, quo tuentur heroes in acie pugnæ.

ד. Denique *caput* quoque & *collum* conſideratur inſtar *turris.* Ita non in loco ſolum citato Cant. IV, 4. ſed & Cantic. VII, 4. *collum* ſponſæ denuo comparatur cum *TURRI EBURNEA*, non quaſi integra turris ex ſolido ebore exſtructa heic intelligenda eſſet, quod quidam Interpretes ex Judæis & Chriſtianis contendunt, ſed turrim intelligo *ebore ornatam & obductam.* Palatia enim regia olim eburnea dicebantur, quia ebore exornata erant, conf. 1 Reg. XXII, 39. Amos. III, 15. vel *albus color* turris pretioſæ ex *marmore* candido, deſcribi etiam potuit per ebur, quia collum cum tali turri comparatur, quod toties *eburneum* dicitur apud Poetas paſſim ob colorem candidum; hinc *candida, lactea, eburnea* colla a pulchritudine audiunt. *Genæ* ſeu maxillæ etiam cum המגדלות מרקחים *Turribus aromatum* comparantur, i. e. *elatis areolis*, ornatis aromatibus in altum excreſcentibus. Cantic. V, 13. Simili ratione *duo ubera* Sponſæ *turribus* ſimilia dicuntur Cantic. VIII, 4. vel 10. quia ſymb. ſunt *verbi veritatis* V. & N. T. quod ſupra cum turri conferri docuimus.

Apud

Apud profanos Scriptores *caput* cum *collo* arcis atque *turris* inſtar conſideratur, ita CLAUDIAN. *IV. conſ. Hon. v. 234.*

- alta capitis fundavit in arce.

PHILO de *ſomniis* ſcribit: οἱ μὲν γὰρ τὴν ἀκρόπολιν ἐν ἡμῖν ἀνιέρωσαν αὐτῷ τὴν κεφαλὴν &c. SEREN. SAMONIC. *de medicin. proem. v. 13.*

Principio celſa de corporis arce (i. e. capite) *loquamur.*

Varia inſuper loca coacervat Cl. BURMANN. *in Comment. ad h. l. p. 191. ſq.*

III. Pergimus ad emblematis hujus excuſſionem, per analogias oſtenſuri, quam commode & apte *collum* myſticum Eccleſiæ, quod eſt vinculum *amoris* atque *fidei*, cum *TURRI* in genere & dein cum *Turri Davidis mille clypeis ornata* comparetur.

(1.) *TURRIS* eſt *ſtructura Lapidum* variorum juxta certam lineam a ſapientiſſimo *Architecto* erectorum & *nexu* arctiſſimo conjunctorum. Vide Luc. XIV. 28. Zach. II, 1. Ezech. XLVII, 3. Quare HOMERUS *Iliad. Lib. XII. p. m. 228.* canit

- ἐυδμήτων ἀπὸ πύργων.

- *a bene ædificatis turribus.*

Et EURIPIDES *ſaxeas* & *lapideas* turres memorat, in *Troad v. 5.* recta regula erectas:

Φοῖβος τε κἀγὼ λαΐνους πύργους πέριξ
Ὀρθοῖσιν ἔθεμεν κανόσιν.
Phœbus & ego ſaxeas turres circum urbem
Exſtruximus regula recta.

Et v. 45. vocat ξεστὸν πύργωμα, quia ex *lapidibus politis* & *exaſciatis*, arcte conjunctis, ædificatum erat. ARRIAN. *de Exped. Alex. Lib. II.* de muris & turribus Tyri ſcribit: λίθοις μεγάλοις ἐν γύψῳ κειμένοις ξυμπεπηγότα. Ex *ſaxis ingentibus gypſo inter ſe commiſſis exſtructi.* In ſpecie de Turri Davidis teſtatur ADRICHOMIUS l. c. & BROCARDUS, quod *ex quadris lapidibus ferro & plumbo indiſſolubiliter compactis* exſtructa fuerit a Davide & munita. Inſuper *ferro* & *ære* muniebantur turres ab architectis, quare *æratas* & *ferreas* turres memorant antiqui. Sic ARISTOPH. *in ἱππ. p. m. 133.*

Τεῖχος

Τεῖχος ποιήσας ξύλινον, πύργους τε σιδήρους.

Murum faciens ligneum, turres vero ferreas.

VIRGIL. *Æneid. Lib. VI.*

- ſtat ferrea turris ad auras.

HORAT. *Carm. Lib. III. od. 16.*

Incluſam Danäen turris ahenea
Robuſtæque fores &c.

Plura lege apud OVID. II. *Amor. XIX. 27.* & III. *Amor. VIII. 32 &c.*

Collum quoque Sponſæ myſticum i. e. amoris fideique vinculum, Deum ſolum *ſapientiſſimum architectum* Hebr. XI, 10. auctorem habet. *Supereminens enim eſt magnitudo potentiæ ipſius in nobis, qui credimus pro efficacia roboris potentiæ ejus.* Epheſ. I, 19. *Datum* nobis eſt per & propter Chriſtum, *credere* in eundem. Phil. I, 29. Deus enim *agit* in iis, qui *credunt:* 1 Theſſ. II, 13. operaturus velle ſimul & perficere Phil. II, 13. Similiter *amorem* effundit in cor noſtrum Rom. V, 5. accendit ille fomites flammæ hujus cœleſtis in pectore noſtro per ſpiritum oris ipſius. 2 Tim. I, 7. Gal. V, 22. Hoſ. XI, 4. Jer. XXXI, 3. Operatur autem ſapientiſſimus auctor has virtutes ſecundum *normam* convenientem perfectionibus ſuis, i. e. non ſolum juxta beneplacitum ſuum in æterno gratiæ teſtamento determinatum Eph. I, 4. 5. verum etiam juxta regulam verbi gratiæ & ſalutis Rom. X, 14. I, 16. 1 Joh. III, 11. Rom. XIII, 10. Conſtat autem amoris fideique turris myſtica ex variis virtutibus Chriſtianis, quæ nexu arctiſſimo cohærent, quas catenatim recenſet Petrus 2 Ep. I, 5-8. & coacervat, tanquam Spiritus fidei & amoris fructus ſalutares, gentium Doctor Gal. V, 22. & in ſpecie amoris varias qualitates 1 Cor. XIII, 4-8. recenſet. Quare hoc vinculo munita Eccleſia turris inſtar ferreæ atque aheneæ perdurat, quum fides & amor maneat 1 Cor. XIII, 13.

IV. (2.) Turres veterum *fundamentis* ſolidis innitebantur præcipue *petris* & *rupibus* immotis, uti ex *Obad. v. 3.* colligimus, qualis urbs Tyrus cum turribus, quæ petris ſuperſtructæ, veluti ex Ezech. XXVI, 11. & v. 4. conſtat. Quemadmodum DOLSCIUS de tali canit:

Ἀκρόπολις τ᾽ ἄρ᾽ ἐμή, πύργος τε μάλ᾽ ὑψιθέμεθλος.

Arx autem mea, & turris maxime profunda habens fundamenta.

Columnis inſuper *lapideis* fulciebantur, ut contra procellas & rabiem no-

thorum

thorum Eurorumque ac ſimul adverſus hoſtium machinas arietesque ſuſtinerentur. Egregie eapropter canit HOMER. *Iliad. XII. p. 231.* in hanc rem.

> Στήλας τε προβλῆτας ἐμόχλεον, ἃς ἄρ' Ἀχαιοὶ
> Πρώτας ἐν γαίῃ θέσαν ἔμμεναι ἔχματα πύργων.
> *Pylasque prominentes vectibus avellebant, quas*
> *Græci primas in terra poſuerant, ut eſſent ſuſtentacula turrium.*

Quare omnes machinarum vires prohibebant & contra quosvis inſultus perdurabant, quod idem *Iliad. XV. p. 288.* eleganter exprimit Vates:

> Ἀλλ' οὐδ' ὧς δύνατο ῥῆξαι, μάλα περ μενεαίνων.
> Ἴσχον γὰρ πυργηδὸν ἀρηρότες, ἠΰτε πέτρη
> Ἠλίβατος, μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα,
> Ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα,
> Κύματά τε τροφόεντα.
> *Sed neque ſic poterat perrumpere, licet cupiens valde,*
> *Prohibebat enim turris inſtar conjunctæ, velut petra*
> *Alta, magna, canum mare prope exiſtens,*
> *Quæ ſuſtinet ſtridulorum ventorum celeres meatus,*
> *Undasque furibundas.*

Idem de turri Davidis, quæ monti Zionis maxime petroſo ſuperſtructa erat, veriſſime conſtat ex ADRICHOMIO, BROCARDO, LIGTFOOTHO, LAMYO, aliis.

Vinculum quoque fidei & amoris eſt inviolabile, utpote quod innititur fundamento, quod eſt petra æternitatis, ſc. immutabilitati Dei ipſius & promiſſionum ejus; θεμέλιος γὰρ στερεὸς τοῦ Θεοῦ ἕστηκεν, ἔχων τὴν σφραγῖδα ταύτην· Ἔγνω κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ. 2 Tim. II, 19. æterno pacis teſtamento, quod nunquam falli aut irritum reddi poterit, ſimul innititur fides amorque Epheſ. I, 4. Fide & amore radicati & fundati ſunt credentes in Chriſto, fundamento ſalutis infallibili Eph. III, 17. 18. quare & amore corda eorum quaſi compacta perdurant Col. II, 2. Hoc ergo fundamento nixi credentes omnes calamitatum hujus vitæ procellas animo rident magnanimo, perſuaſi, nec mortem nec vitam, nec angelos nec principatus, nec præſentia nec futura ipſos ab amore Dei ſeparatura. Rom. VIII, 38. 39. Amor & fides Eccleſiæ tot ſuſtentaculis

fulcitur, quot *promiſſiones* Deus in verbo ſuo credentibus & amantibus ipſum, addixit. 2 Cor. VII, 1. *Exemplis* itidem heroum fidei, quorum veſtigia in ſacris proſtant, ſuffulcitur idem virtutum par, & contra quasvis hoſtium ſalutis tentationes & dolos confirmatur Heb. XII, 1. 2.

V. (3.) Turrium inprimis *altitudo* eſt notabilis, qua caput ſæpe inter nubes quaſi erigunt, præcipue quum apud veteres altiſſimis in montibus quoque ſtruerentur. Altitudo earum in ſacris celebratur Gen. XI, 4. 6. Neh. III, 25. 27. Jeſ. II, 15. XXV, 12. Obad. v. 3. Zeph. I, 16. vide etiam Judith. I, 3. 1 Macc. XIII, 33. Tales plerumque turres Hieroſolymæ fuiſſe, ex *Adrichomio* aliisque conſtat; præcipue hoc de *Turri Davidis* in altiſſimo monte Zion ſita aſſerunt Chorographi terræ ſanctæ, quare in locis ſupra citatis מגדל הגדול *Turris excelſa* κατ᾽ ἐξοχὴν appellatur. Ita HIERONYM. *Comm. in Jeſ.* ſcribit בחן & עפל *Hebræi duas turres in Hieroſolyma fuiſſe arbitrantur, excelſas atque firmiſſimas. Quarum prior interpretatur tenebræ ſive nubilum, quod uſque ad nubes erigeret caput.* Eadem celſitudo turrium a profanis celebratur. EURIPID. *Phœniſſ. v. 1098.*

πύργων ἐπ᾽ ἄκρων ϛάς.
Turribus in Summis conſtitutus.

VIRGILIUS *Æneid. Lib. II.* talem deſcribit:

Turrim in præcipiti ſtantem, ſummisque ſub aſtra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri
Et Danaum ſolitæ naves.

OVID. *Heroid. Epiſt. XVI. v. 179.*

Ilion adſpicies, firmataque turribus altis
Mœnia, Phœbeo ſtructa canore lyræ.

Elegans eſt MUSÆI deſcriptio turris:

πύργος δ᾽ ἀμφιβόητος, ἐμὸς δόμος, οὐρανομήκης.
Turris undique celebrata, meum habitaculum, proceritate ſua cœlum attingens.

Plura paſſim obvia addere tædet.

Altitudo autem turrium myſtice magnanimitatem, ut ita dicam, credentium, quam fides amorque in ipſis excitat, ſignificare apte poterit.

rit. Ex pulvere rerum terreſtrium animum erigunt & cœleſtia quærunt Col. III, 1. 2. Mens ipſorum viſibilia hujus terræ crepundia contemnens altiora petit, & fide per ipſas nubes & nebulas hujus vitæ penetrans, cœleſtia & inviſibilia quærit 2 Cor. IV, 18. cum Moſe reſpiciunt fidei oculis brabeum in cœlis ipſis repoſitum Heb. XI, 25. 26. Amor deſideriis aſcendit ſuperiora, quaſi aquilinis elevatus pennis Jeſ. XL, 31. Supra quoque ipſius amoris eſt objectum, quo tendit Matth. VI, 21.

VI. (4.) *TURRES* urbium *decus* & *ornamentum* erant. Huc reſpicit Vates Pſ. XLVIII, 13. 14. de Zione, decore totius Palæſtinæ canens: *Circuite Zion, & cingite eam, recenſete turres ejus. Conſiderate munimenta ejus, reſpicite palatia ejus, eaque enarrate generationi poſteræ.* Et quando Deus ornatum urbium & decus earum deſtruendum comminaturus eſt, muros ac turres earum ſolo adæquaturum ſe teſtatur, ut ferarum ac avium impurarum fiant ſpeluncæ Thren. II, 8. 9. Jeſ. XXXIV, 13. Zeph. II, 14-16. Ezech. XXVI, 4. Apud alios quoque ſcriptores *turres* inſtar *coronæ* & ornamenti urbium deſcribuntur. Egregie EURIPID. *in Hecub. v. 910.* de Trojæ excidio canit:

ἀπὸ δὲ στεφάνων κέκαρσαι
πύργων.
Corona vero tibi detonſa eſt
Turrium.

HOMER. in *Epigr. in palat. curial:*

Ἀνδρὸς μὲν στέφανος παῖδες πύργοι δὲ πόληας.
Ut patris nati, ſic turres ſunt decus urbis.

THEOGN. *in ſent. v. 771.*

Φοῖβε ἄναξ, αὐτὸς μὲν ἐπύργωσας πόλιν ἄκρην.
Phœbe Rex, ipſe quidem turri ornaſti civitatem ſummam.

Huc refer tot nummos, in quibus *urbes* figura muliebri occurrunt & capite *coronam turritam* gerentes, paſſim apud *Golzium*, *Patinum*, præcipue *Oiſelium* occurrunt, veluti Tab. XXI. n. 6. ubi Cappadocia cum capite turrito. Tab. XXII. n. 5. ubi Conſtantinopolis. n. 11. ubi Pannonia, corona turrita cincta apparet.

Et Eccleſia decus ſuum omne ac ornamentum in fide ponit atque amore. 1 Pet. III, 2. 3. 8. hoc auro ornata ad dextram Regis conſtituitur

Pſ. XLV, 10. atque hoc ornatu interiori inſtructa, plane eſt glorioſa intus. *comm. 14. 15.* fides in doctrinam apoſtolicam eſt corona illa pretioſa XII. ſtellarum, qua caput hujus ſponſæ decoratum cernitur. Apoc. XII, 1. atque per amorem & unionem cum Chriſto, ſplendido lucis induitur habitu, ut decus in oculis Dei & mundi ipſius exiſtat. In hiſce virtutibus gloriatur Eccleſia, & decus ſuum undiquaque per mundi progeniem quaſi manifeſtat. Rom. I, 8. 1 Theſſ. I, 8. Apoc. III, 9. Amor eſt diadema illud pretioſum, quod induit anima credens tanquam amiculum ſeu faſciam perfectionis Col. III, 14.

VII. (5.) Pergimus ad *uſus Turrium* apud veteres. Primo quidem erant *munimenta* ac *fulcimina* urbium atque murorum. Urbes enim muniendæ & munitiones dictæ iis inſtruebantur, confer ex ſacris 2 Par. XIV, 7. XXVI, 9. quare murorum & oppidorum מבצר vocantur Jeſ. XXV, 12. adde etiam Ezech. XXV, 4. Obad. v. 3. Zeph. I, 3. & 1 Macc. I, 35. IV, 60. Quare hoſtes turribus dejectis urbem ipſam quoque ſimul ſuperaverant victores. Et quando urbes occupaſſent, eas tanquam robur urbium deſtruebant. conf. Judic. VIII, 7. 9. Ezech. XXVI, 4. 2 Macc. X, 22. 30. Num. XXXI, 10. ut ita omni robore ac munitione privarentur. Idem confirmatur ex teſtimonio profano. Sic EURIPID. *in Phœniſſ. v. 1175.* murorum propugnacula vocat turres:

Λόγχαισιν Ἀιτωλοῖσιν ἐις ἄκρον ϛόμα
Πύργων ἀκοντίζοντας ὥςτ᾽ ἐπάλξεων
Λιπεῖν ἐριπνὰς Φυγάδας.
Ætolicis haſtis in ſummitates
Turrium jaculantes, ut murorum
Propugnacula ſumma relinqerent fugitivi.

Et quando robur ac florem Trojæ deſcripturus erat, in *Hecub. v. 17.* canit:

Πύργοι τι ἄθραυϛοι Τρωϊκῆς ἦσαν χθονὸς.
Et quando Turres Trojanæ terræ illæſæ erant.

LUCAN. *Lib. VI.* ſimiliter hoc confirmat, canens:

Defendens tutam vel ſolis turribus urbem.

De Tyro memorat ARRIAN. *in exped. Alex. Lib. II.* καὶ γὰρ καὶ μέγα ἔργον τῆς Τύρȣ ἡ πολιορκία ἐφαίνετο. Νῆσός τε γὰρ αὐτὴ ἡ πόλις ἦν, καὶ

καὶ Ἰείχεσιν ὑψηλοῖς πάνϊη ὠχύρωϊο. *Et certe Tyri expugnatio valde difficilis videbatur. Nam & ipſa urbs inſula erat, altis mœnibus undique munita.*

Eccleſiæ quoque robur conſiſtit ac firmitudo in amoris fideique vinculo. Juſtus enim fide ſua vivit Hab. II, 4. & per fidem tanquam in præſidio cuſtoditur ad ſalutem 1 Pet. I, 5. Fide altiſſimos difficultatum montes ſuperat Matth. XVII, 20. in Fidei fundamento totam ſalutis ſuæ ſpem tuto collocant Jud. v. 20. per fidem enim robur Jehovæ apprehendunt, ſibique applicant. Jeſ. XLV, 23. 24. Vinculo quoque *amoris* muniuntur credentes contra quasvis tentationes; *amor enim fortis eſt, mortis inſtar, & durus ut ſepulchrum* Cant. VIII, 6. In charitate ſeſe conſervant incolumes Jud. v. 21. in eadem radicati & fundati turrium inſtar ferrearum inſuperabiles exiſtunt Eph. III, 17. 18. Rom. VIII, 38. 39.

VIII. (6.) *Milites* porro in turribus *præſidiarii* conſtituebantur, atque ex iisdem pugnabant adverſus hoſtes, quare *pinnis* & *alis* inſtructæ olim turres, ex quibus pugnabatur, hoſtesque maxime turribus inſtabant, pinnasque diruere ſatagebant. Ex ſacris id probat exemplum Schechemitanorum Judic. IX, 46. conf. etiam 1 Macc. XIII, 43. 44. 2 Macc. X, 22. 36. Huc quoque reſpici voce תלפיות in textu noſtro quidam cenſent Interpretes, qui cum Aquila ἐπάλξεις & cum Pagnino *pinnas* intelligunt. Has memorat HOMER. *Iliad. XII. p. m. 231.*

> *Κρόσσας μὲν πύργων ἔρυον, καὶ ἔρειπον ἐπάλξεις.*
> *Pinnas quidem* turrium *detrahebant, & diruebant alas* ſ. propugnacula.

In his ſtabant armati contra hoſtes, quare idem *Iliad. XVIII. p. 336.* canit:

> Πρῶϊ δ᾽ ὑπ᾽ ἠοῖοι σὺν Ἰεύχεσι θωρηχθένϊες
> Σϊησόμεθ᾽ ἀν πύργες.
> *Mane autem ſub aurora armis inſtructi*
> *Stabimus ſuper turres.*

Inde *lapides & tela* in hoſtes projecerunt. Idem *Iliad. XII. p. 228.*

> Οἱ δ᾽ ἄρα χερμαδίοισιν ἐυδμήτων ἀπὸ πύργων
> Βάλλον ἀμυνόμενοι σφῶν.
> *Hi vero lapidibus, ex turribus bene ſtructis*
> *Jaciebant ſe defendentes.*

Et EURIPIDES *in Troad. v. 1121.* de Aſtyanacte

- ὃν πύργων δίσκημα πικρὸν
Δαναοὶ κτείνοντες.
- quem jactu triſti de turribus interfecerunt Græci.

Similiter OVID. *Faſtor Lib. VI. v. 387.*

Surgite & in medios de ſummis arcibus hoſtes
Mittite

Nec non HERODIAN. *Lib. VIII. cap. IV.* πανδημεὶ δὲ ἅμα παισὶ καὶ γυναιξὶν ἄνωθεν ἐπάλξεών τε καὶ πύργων ἀπομαχόμενοι. *Univerſi cum liberis & conjugibus urbem deſuper e turribus & propugnaculis defendebant.* Has vero ſcalis aſcendere ſatagebant hoſtes, quo reſpicitur Joel. II, 7. *mœnia conſcendent.* Et exprimit EURIPIDES *in Phœniſſ. v. 491.*

Καὶ μή τε πορθεῖν πατρίδα, μήτε προσφέρειν
Πύργοισι πηκτῶν κλιμάκων προσαμβάσεις.
Et non vaſtare patriam, neque admovere
Turribus compactarum ſcalarum gradus ad aſcendendum.

Quare & apud veteres *φρούραρχοι* conſtituti erant & *φύλακες τῶν ἄκρων*, vide XENOPHONT. *Lib. VIII. παιδ.* & BRISSON. *de regn. Perſ. Lib. III. p. m. 355.*

Amor atque fides quoque media ſunt, quibus ab hoſtibus ſeſe defendit Eccleſia. Quare dicitur *φρουρουμένη ἐν δυνάμει Θεοῦ διὰ πίστεως* 1 Pet. I, 5. Per fidem pugnant contra mundum, illumque ſuperant 1 Joh. V, 4. in Fide perſtantes & amore arma ſpiritualia contra hoſtes ſalutis vibrant, gladioque ſpiritus arcent ab hac munitione Eph. VI, 13. 17. & lapidibus precum calidiſſimarum hoſtes ſubigunt atque obruunt Zach. IX, 15. Quamdiu ergo *φρουρὰν* hanc fidei & amoris ſervant, tamdiu incolumes exiſtunt. Satan equidem tenebrarum princeps cum exercitu ſuo maxime hanc fidei & amoris arcem oppugnare ſtudet, & variis tentationum ſcalis eam conſcendere ſatagit, ſed gladio ſpiritus & precibus vigilibus repellendus Eph. VI, 18. 1 Pet. V, 8. 9. Quare & *φρούραρχοι* myſtici, Doctores Eccleſiæ, pro fide & amore ejus conſervando maxime invigilare debent, eumque tueri tenentur contra inſultus hoſtium veritatis & ſalutis. Jeſ. LXII, 8. 9. Nehem. IV, 16. 17. 18.

IX. (ד.)

IX. (ד.) Turres inſuper apud Veteres *aſyla* erant, quæ tutum fugientibus ab hoſte *præſidium* præſtabant, conf. ex ſacris Judic. IX, 51. 52. 1 Sam. XXII, 4. XXIII, 14. adde ex apocryphis 2 Macc. X, 18. 1 Macc. XVI, 10. Huc alluditur Prov. XVIII, 10. מגדל — עז שם יהוה בו ירוץ צדיק ונשגב. *Turris fortiſſima eſt nomen Domini, juſtus illuc confugiens exaltatur.* Egregia in hanc rem verba ſunt, quæ ad h. locum commentatur R. ALSCHECH *in Sepher Raf-Penin. pag. 100.* ראה מה כי הנשגב במגדל נעול לנשגב כבטחון עם ה' כי מאויביו במגדל בכין הוא כלוא ולא יצא אך הנשגב בשמו ית' ירוץ לכל מקום אשר יחפוץ ונשגב שם. *Ecce qualis differentia ſit inter refugium in turri clauſa, & refugium in fiducia nominis Domini! Nam refugium ab hoſtibus in turri quærens, ibi eſt clauſus, nec poteſt inde egredi. Sed qui refugium habet in nomine Dei B. currit ad omnes locos, quo vult & ibi habet refugium.* Huc reſpicit etiam R. ISAAC ARAMA in *Akedath Zizchak. fol. 170.* כי אם הייתי יושב בבתי ארזים ומגדלות חזקים לא היו לי לשמירה בפניהם יותר שהייתי בתוך היריעה גר עם בני משך באהלי קדר. *Tametſi conſiderem in tectis cedrinis & turribus validiſſimis, non eſſem magis tutus ab illis, quam ſi exiſterem in tentorio, & converſarer cum filiis Meſech & in tentoriis Kedar.* Concinit EURIPIDES *in Medea v. 389.*

> \- *μείνασ᾽ οὖν σμικρὸν χρόνον*
> *Ἢν μέν τις ἡμῖν πύργος ἀσφαλὴς φανῇ.*
> \- *Igitur manens adhuc exiguum tempus,*
> *Si quidem aliqua* (ſalutis) *turris tuta nobis apparuerit.*

Nec non ARISTOPHANES *in ἱππ. p. 133.*

> \- *ὃν σὺ φύλαξαι,*
> Τεῖχος ποιήσας ξύλινον, πύργους τε σιδηροῦς.
> *Hunc tu tueri & cuſtodire quæras, exſtructo*
> *Muro ligneo & turri ferrea.*

Fides quoque cum amore certam Eccleſiæ præſtant *ἀσυλίαν* atque in plena libertate collocant. *Nomen enim Domini*, fide nimirum apprehenſum, eſt *turris fortiſſima*, quo confugiunt credentes & tutelam conſequuntur, uti ex Prov. XVIII. cit. conſtat. Emphaticis phraſibus hoc exprimit

primit Apoſtolus, de fidei heroibus ſcribens Heb. XI, 33. 34. *Per fidem integra regna debellarunt, juſtitiam exercuerunt, aſſecuti ſunt promiſſiones, obthurarunt rictus leonum. Vires ignis exſtinxerunt, acies gladiorum effugerunt, robore induti ex infirmitate, perſtiterunt virtute in bello, atque exercitus adverſarios in fugam dederunt.* Qui enim credit, non erubeſcit nec fugam capit, tutus in petræ ſalutis communione Jeſ. XXIIX, 15. credentes obſignantur tanquam peculium Dei inviolabile Eph. I, 13. Similiter *amantibus* Deum promiſſiones ἀσυλίας in ſacris adſignantur conf. Prov. VIII, 17. 21. Pſ. LXIII, 9. Cant. VIII, 6. Dan. IX, 4. Pſ. CXXII, 6. XXXVII, 28. 29. Joh. X, 28. Matth. XVI, 18.

X. (8.) *Speculæ* præterea erant turres quædam, ex quibus quam longiſſime aciem oculorum projicere licebat, atque omnia eminus obſervari poterant; quare *ſpeculatores* in iisdem conſtituebantur. Ita ſpeculator in turri Jezreeli ſtans, agmen Jehu e longinquo accelerans obſervabat 2 Reg. IX, 17. Quare & *turris cuſtodum* מגדל נוצרים memoratur 2 Reg. XVII, 19. Et *turres ſpeculatoriæ* erectæ dicuntur Jeſ. XXIII, 13. quæ turres in ſpeluncas convertendæ erant Cap. XXXII, 14. Quales turres ſpeculatoriæ in *vineis* quoque excitari ſolebant, veluti ex Jeſ. V, 1. Matth. XXI, 33. Marc. XII, 1. conſtat. Sæpius profana diptycha harum turrium memoriam excitant. Vide EURIPID. *in Supplic. v. 651.*

- ἀμφὶ δ' Ἠλέκτρας πύλας
Ἔστη θεατὴς πύργον εὐαγῆ λαβὼν
Ὁρῶ δὲ φῦλα τρία τριῶν στρατευμάτων.
Ad portam vero Electram ſteti Spectator
Turrim nactus ſacram; video autem tres
Ordines trium exercituum.

Et *in Troad. v. 955.*

- μάρτυρες δέ μοι
Πύργων πυλωροὶ, καὶ πὸ Τειχέων Σκοποί.
- teſtes autem ſunt mihi
Turrium cuſtodes & e muris ſpeculatores.

Hinc *faces*, & *ſigna belli* elevabantur, quo reſpicit VIRGILIUS:
Ut ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

plura

plura de hoc ritu lege apud BARTH. *Comm. in Stat. Theb. T. II. p. 873.* LIPS. *de milit. Rom. Lib. I. c. III.* & quæ nos in EMBLEM. *Miſcell. noſtris Lib. III. Exerc. IX. p. 247.* his de turribus commentati ſumus. Ex iisdem *præconia* edebant, docente LUCIAN. *in bis accuſat. p. m. 665.* Ἐγὼ δ' ἐς τὴν ἀκρόπολιν ἀναβὰς, ῥᾷον ὄυτως ἅπαντας ἐκ τῦ ἐπηκόυ προσκαλέσομαι. *Ego vero conſcenſa arce* (ſpeculatoria) *facilius hoc pacto univerſos ex alto, & unde exaudire vocem omnes poſſint, illos vocabo.*

Fides quoque per amorem operoſa turri comparanda eſt ſpeculatoriæ, utpote cujus ope futura & longinqua proſpicere licet. *Sapiens hac ratione prævidet malum & abſcondit ſe* Prov. XXII, 3. Per fidem detegimus hoſtium ſalutis noſtræ dolos, & vigilantia noſtra irritos eosdem reddimus. 1 Pet. V, 8. 9. Marc. XIII, 37. Eph. VI, 18. In fide per nebulas præjudiciorum ac tentationum hujus mundi aciem mentis projicimus & ἀόρατα contemplamur. 2 Cor. IV, 18. Hac attollimur ſupra mundi hujus terrena crepundia, & cœleſtia meditamur atque quærimus. Col. III, 1. 2. Phil. III, 20. Jeſ. XL, 31. Heb. XI, 26. Fide quoque & amore aliis *facem* præferimus per dubias hujus vitæ tenebras ac tentationum noctes 1 Petr. II, 12. alios ad pugnam ſpiritualem *accendimus*, quaſi ſigno dato, & *præcones* virtutum ac gloriæ divinæ per fidei fructus apud alios exiſtimus. 1 Theſſ. III, 5. 6. 7. Col. I, 4. Hebr. XIII, 7. 1 Pet. II, 9. Pſ. LXVI, 16. 17.

XI. (9.) Turres quoque ſæpius arces erant *regiæ* ſedesque *imperii*, qualis *arx regia* Suſis Nehem. I, 1. Eſth. I, 2. de qua etiam loquitur AMMIAN. MARCELL. *Lib. XXIII. c. VI. His tractibus Suſani junguntur, apud quos non multa ſunt oppida, inter alia eminet Suſa, ſæpe domicilium Regum.* Et STRABO *Lib. XV. p. 505.* teſtatur quod ἐπὶ τῆς ἄκρας *arx regia* fuerit ſita. Pluribus de ea commentatur BRISSON. *de regn. Perſarum p. m. 44. ſq.* Vide etiam Dan. IV, 26. VIII, 2. Quare arcem regiam qui occupabat, imperium capeſſebat. Huc reſpicit HERODIAN. *Lib. III. cap. 12.* ὡς ἂν τῆς ἀκροπόλεως κατειλημμένης, καὶ τῆς βασιλείας ἱδρυμένης, ἑκόντες τε καὶ ἄκοντες πάντες ὑπακούοιεν ὄυκ ἐσομένῳ βασιλεῖ, ἀλλ' ἤδη ὄντι. *Ut ſcilicet occupata Arce conſtabilitoque imperio, velint nolint univerſi, non ſcilicet principatum adeunti, ſed jam plane principi obediant.* Similiter *Lib. I. cap. VI. §. 8.* μή τις ἐκεῖσε προκατα-

 ταλά-

ταλάβοι τὴν βασίλειον ἑστίαν τῶν εὐπατριδῶν πλουσίων, εἶθ᾽ ὥσπερ ἐξ ὀχυρᾶς Ἀκροπόλεως, δύναμιν καὶ περιβολὴν συγκρατήσας, ἐπιθῆται τῇ ἀρχῇ. Ne quis opulens ex nobilitate ſedem occuparet Principis: dein collectis viribus ex arce munitiſſima ſummam ſibi rerum vindicaret. Huc quoque reſpicit OVID. *Metam. VIII. v. 14.* regiam turrim memorans:

Regia turris erat vocalibus (*alii* regalibus) *addita muris*
In quibus auratam proles Letöia fertur
Depoſuiſſe lyram.

Fides quoque cum amore fundamentum eſt dominii Chriſti in Eccleſia. De fide quidem teſtatur Apoſtolus Eph. III, 16. 17. *Ut det vobis pro divite ſua gloria ut fortiter corroboremini*, (tanquam arx munita) *per ſpiritum in homine interiore.* Κατοικῆσαι τὸν χριστὸν διὰ τῆς πίστεως ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. *Ut per FIDEM INHABITET Chriſtus in cordibus veſtris.* De *amore* idem conſtat ex Joh. XIV, 23. *ἐάν τις ἀγαπᾷ με, ſi quis AMAT me, ſervabit verbum meum, paterque meus amabit illum, & ad ipſum venientes, μονὴν παρ᾽ αὐτῷ ποιήσομεν, HABITABIMUS cum ipſo* ſeu in ipſo ſedem noſtram figemus. Per fidem enim atque amorem Chriſtus occupat hanc arcem, a Jebuſitis infernalibus hactenus obſeſſam, inſtar Davidis myſtici, eandem purgat, ſibique ac Spiritui Suo domicilium ac ſedem parat. 2 Cor. X, 5. Cap. VI, 16. 1 Cor. VI, 19. 20. Quare Eccleſia toties in ſcriptis ſacris cum domo Dei vivi 1 Tim. III, 16. cum templo ac æde ſacra 1 Cor. VI, 19. cum palatio regio Zach. VI, 13. Pſ. XLV, 9. comparatur, in quo Chriſtus *habitare* dicitur Pſ. LXXXIV, 1. 2 Petr. II, 5. IV, 17. Prov. IX, 1. Cant. VIII, 9. 10. &c. hoc autem per fidem & amorem, quas virtutes Spiritus Dei excitat in fidelibus, fieri ſolet.

XII. (10.) Poſtremus Turrium uſus, a nobis memorandus, *theſauros* in iis adſervatos concernit. Quoniam etenim munitæ erant arces atque turres, in iisdem tanquam locis firmiſſimis *gazophylacia regia* erant & *theſauri pretioſi* condebantur. Ita in ſacris legimus, Jonathanem, filium Haziæ, præfectum fuiſſe *theſauris regiis in turribus* 1 Chron. XXVII, 25. Quales etiam in arce Suſa adſervatos teſtatur STRABO *Geogr. Lib. XV.* ſcribens: Ἐν γὰρ Σούσοις ἑκάστῳ τῶν βασιλέων ἐπὶ τῆς ἄκρας ἰδίαν πεποιῆσθαι οἴκησιν, καὶ θησαυροὺς καὶ παραθέσεως, ὧν ἐπράττοντο

φόρων,

φόρων, ὑπομνήματα τῆς οἰκονομίας. Regum cuique SUSIS in arce domicilium exſtat & theſaurus & tributorum quæ exegit tabulæ, adminiſtratæ rei monumentum. DIODOR. *Lib. XVIII.* teſtatur Alexandrum ἐν ἀκροπόλει Perſepolitana *δώδεκα μυριάδας ταλάντων, εἰς ἀργυρίου λόγον ἀγομένου τοῦ χρυσίου* inveniſſe. Ejusmodi arces Γαζοφυλάκεια & *Æraria* dicebantur, vide BRISSON. *l. c. p. 120.* ac DEMPST. *ad Roſin antiq. Rom. Lib. VII. p. m. 719.* Quare & templorum turres ſæpe in deponendis theſauris ſeligebant. vide 2 Reg. XX, 13. Jeſ. XXXIX, 2. Huc reſpicit LUCAN. *Lib. III.*

- tum conditus imo
Eruitur templo, multis intactus ab annis
Romani cenſus populi &c.

Et PLAUT. *Bacchid. ſc. ibo in Piræum.*

Quin ipſa in æde Dianæ conditum eſt, ibi
Demum publicitus ſervant.

Per fidem denuo atque amorem Eccleſia theſauros meritorum Salvatoris pretioſiſſimos non ſibi vindicat ſolum, verum etiam ſervat atque tuetur. Per fidem recondunt ſibi theſauros, quos nec tinea nec eroſio corrumpit, nec fures tollere queunt. Matth. VI, 20. Luc. XII, 33. Per amorem quoque colligunt hos theſauros, quare Prov. VIII, 20. teſtatur Sapientia ſumma: ut *hæreditatis jure concedam amantibus me bonum eſſentiale, & repleam theſauros eorum.* Quum enim in Chriſti communione omnes cœleſtium ac ſpiritualium benedictionum theſauri reconditi ſint Eph. I, 3. Col. II, 3. illamque credentes per fidem & amorem ſibi applicent, eamque conſequantur, corda ſua quaſi æraria conſtituunt, ex quibus vetera ac nova depromunt Luc. VI, 45. 1 Tim. VI, 19. quos etiam theſauros tuentur vigilando contra fures ſpirituales. Apoc. XVI, 15. Apoc. III, 3. 11. Matth. XIII, 19. 2 Tim. I, 14. 1 Tim. VI, 20. Luc. XI, 28.

XIII. (II.) Addimus turres *fulminibus* ob altitudinem præcipue fuiſſe expoſitas & *procellis.* Ita enim ſcribit CICERO *Orat. III. in Catilin. p. m. 462. Nam profecto memoria tenetis, Cotta & Torquato COSS. complures in Capitolio turres de cœlo eſſe percuſſas, cum & ſimulacra Deorum immortalium depulſa ſint & ſtatuæ veterum hominum dejectæ & legum æra liquefacta.* Huc refer OVID. *Lib. III. Amor. el. III. v. 35.*

Jupiter igne ſuo lucos jaculatur & arces
Miſſaque perjuras tela ferire vetat
Tot meruere peti. Semele miſerabilis ardet.

Et idem *in Remed. am. v. 370.*

Summa petunt dextra fulmina miſſa Jovis.

Similiter HORAT. *Carm. Lib. II. od. X.*

Sæpius ventis agitatur ingens
Sinus, & celſa graviore caſa
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes.

Hoc in memoriam nobis revocat, fidem atque amorem Eccleſiæ gravioribus nonnunquam tentationibus eſſe expoſitam, quum non ipſe ſolum ſupremus rerum arbiter tela ſua ſæpe immittat, ad fidem atque amorem populi ſui explorandum atque purgandum Hiob. VI, 4. Cap. XXXIV, 6. Pſ. XXXVIII, 3. 4. per haſce etenim tentationes fides probata redditur Jac. I, 12. Apoc. III, 10. & amor in majorem flammam zelumque erumpit Cant. VIII, 6. Heb. XI, 17. Verum etiam tela ignea ſatanæ quam maxime ipſis imminent, quæ adverſarius hic robuſtus ad fidem amoremque fidelium, ſi pote eſſet, deſtruendum, dirigit. conf. Pſ. XCI, 5. Eph. VI, 16. 1 Pet. V, 8. 1 Theſſ. III, 5. Apoc. II, 10.

XIV. (12.) Supereſt ut paucis adhuc ritum in loco noſtro memoratum, nimirum *ſuſpenſionem* armorum & *clypeorum in turribus* excutiamus. Egimus de *ſuſpenſione clypeorum in Emblem. Sacr. Vol. I. p. 12. ſq.* Addimus vero *turres* ſæpe erectas fuiſſe in *ſignum victoriæ*, teſte SUETON. *in C. Cæſ. Calig. Cap. XLVI. p. m. 482. Et in indicium victoriæ altiſſimam turrim excitavit.* Verum *triplicem ſuſpendendi* in turribus clypeos *uſum* heic annotabimus.

a. Primo ſuſpendebant *clypeos votivos* ante prælium & pugnam. Hoc conſilii dederat oraculum heroibus, in ſpecie Epaminondæ, apud PAUSAN. *Meſſenic. ſ. Lib. IV. p. m. 278.* ubi oraculum:

Πρὶν δορὺ συμβαλέειν ἐχθροῖς, ςήσαϑε τρόπαιον
Ἄσπιδα κοσμήσαντες . . . . αὐτὰρ ἐγὼ τοι
Ἀνδρῶν δυσμενέων φϑίσω ςρατὸν ἀσπιςάων.

Ne

Ne petite ante hoſtem, ſacrum quam cura tropæum
Sit vobis poſuiſſe, heic ſcutum ornate - ego inimicus
Scutatorum acies, infeſtaque tela refringam.

b. Arma inſuper & clypeos ſuſpendebant a turribus tanquam *armariis*, ad hoſtibus appropinquantibus terrorem incutiendum, ſimulque ad ornatum turribus addendum. Quo reſpicit Vates Ezech. XXVII, 10. 11. אנשי מגן וכובע תלו בך המה נתנו הדרך. *Viri bellicoſi ſuſpendebant clypeos & galeas in te, tibique ornatum parabant.* Et *Comm. 11.* וגמדים במגדלותיך היו שלטיהם תלו על חומותיך סביב המה כללו יפיך. *Gamaditæ in turribus tuis ſtabant, in muris tuis clypeos ſuſpendebant, & pulchritudinem tuam perfectam reddebant.* Quemadmodum etiam in templis arma tempore pacis ſuſpenſa tanquam in *armario*, legimus 2 Chron. XXIII, 9. Similiter in prœlio navali in *puppibus* ſuſpendebant, vide VIRGIL. *Æneid. Lib. I. v. 188.*

- aut celſis in puppibus arma Cayci

Et *Lib. X. v. 80.*

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.

c. Poſt *victoriam* denique arma & clypeos in ſpecie ſuſpendere ſolebant, non in arboribus ſolum & truncis eum in finem erectis, vide LYD. *Flor. Sparſ. p. 323.* BULENGER *de triumph. Cap. II. p. m. 7.* ſed & ex ære conflata tropæa memorantur a PAUSAN. *Eliac. Lib. VI. p. m. 342. n. 41.* & *ſaxea*, veluti in *attic.* ab eodem *τρόπαιον λίθου λευκοῦ* inſignitur, & FLORUS teſtatur antiquos in locis ubi pugnaverant, *ſaxeas turres erexiſſe*, & deſuper exornata armis hoſtium tropæa fixiſſe. Similiter in *templo*, in ædibus Imperatorum & poſtibus privatis arma clypeosque ſuſpenſos paſſim docent eruditi. vid. SAGITTAR. *de Jan. vet. p. m. 205. ſq.* BARTH. *ad Stat. T. II. p. 1029.* BULENG. *l. c. p. 1.* B. Z. GOEZ. *de numm. Diſſ. III. p. 75.* aliosque, adde quæ nos in *Emblem. Sacr. Vol. I. l. c.* diſſeruimus. Unicum addimus locum VIRGIL. *Æneid. III. v. 286.*

Ære cavo clypeum magni geſtamen Abantis
Poſtibus adverſis figo & rem carmine ſigno:
ÆNEAS HÆC DE DANAIS VICTORIBUS ARMA.

 Dupli-

Duplicem jungimus nummum, ritum hunc ob oculos ponentem, quem excudi fecimus in *Tabul. noſtr. III. n. 1. & 2.* alterum ex VAILLANT. *T.I. p.m. 11.* ubi tropæum clypeorum ſuſpenſorum in memoriam victoriæ de Germanis apparet. Alterum ex Cel. HAVERC. *Diſſ. de Alex. M. numiſm. pag. 152.* ubi miles clypeum ædi ſacræ infixurus conſpicitur. Conf. etiam OISEL. *Tab. XCVI. n. 6.*

Fide quoque Eccleſia clypeos erigit & ſuſpendit. Optime ergo collum ejus myſticum deſcribitur tanquam turris, a qua *mille pendent clypei*, i. e. quamplurimi, numero certo & rotundo poſito pro incerto.

a. Fide Eccleſia clypeos ſuſpendit *votivos* ante pugnam ſpiritualem, quoniam ex promiſſionibus divinis, quas fides ſibi applicat, Eccleſia certior et perſuaſa eſt, ſe victoria non excidere poſſe ſub Duce tanto, qui portas tenebrarum ſuperavit. Matth. XVI, 18. Rom. VIII, 37. 38. 39. Fide enim perſuaſi ſunt depoſitum ac coronam vitæ ipſis certo a Deo adſervandam fore 2 Tim. I, 12. IV, 7. 8.

b. Fide porro ſuſpendunt clypeos & arripiunt πανοπλίαν myſticam Eph. VI, 13. atque ita terrorem incutere hoſtibus queunt, utpote qui armis undique inſtructi animo forti hoſtibus occurrere audent. Quare Eccleſia dicitur *terrifica ut vexillationes* ſeu legio vexillifera Cantic. VI, 7. Inſuper fide quoque Eccleſia quaſi mille heroum fidei clypeos ſibi aliisque in ſignum & exemplar victoriæ ſuſpendit atque proponit, quorum veſtigia & heroicum imitari animum decet conf. Hebr. XI. tot. & Cap. XII, 1. 2.

c. Fide denique Eccleſia *victoriarum* ſuarum ſub auſpiciis Ducis ſalutis partarum *memoriam* ſervat, Deoque ſacros ſuſpendit clypeos, omnem ex victoria laudem & gloriam non ſibi ſed Deo tribuens Pſalm. CXV, 1. CXLV, 5. 6. Pſ. LXVII, 12-16. coronas ſuas coram ipſo deponit, exclamans: *Tu Domine, dignus es, qui accipias gloriam & honorem & virtutem.* Apoc. V, 10. 11. Apoc. XV, 3. 4. Pſ. CXI, 1-4.

XV. En ergo egregium Sponſæ myſticæ ornatum! En fidei & amoris Eccleſiæ miram efficaciam & effectus plane mirabiles. Beatus jure meritoque cenſendus, qui hocce virtutum cœleſtium pare gaudet, & tanquam Sponſa myſtica *collum* quoque *mille clypeis* ornatum gerit. Sed quam pauca eheu ornatus hujus hiſce temporibus maxime nubilis & corruptis

ruptis deprehendimus in Eccleſia Proteſtantium veſtigia? Collum fidei languet, & amoris tepet. Vivimus tempora, in quibus exclamare licet: *Redde o Jehova ſalutem, credentes defecere, deſiere fideles ex hominum filiis* Pſ. XII, 2. Attigimus ſecula corrupta, in quibus quaſi exulat *fides*, & *amoris* omnes quaſi ſcintillæ ſufflaminatæ latent in cordibus mortalium. Ubi eſt *proceritas* ac *altitudo* colli Eccleſiæ hodiedum conſpicua, quum Eccleſia in pulvere hærens, illique agglutinata gemiſcit. Pſ. CXIX, 25. quam pauci ſupra mundi terrena crepundia per nebulas nubesque viſibilium rerum in contemplationem τῶν ἀοράτων penetrant? Sponſa non facile monilis ſui aut margaritarum obliviſcetur, quibus ornanda, ſed populus eheu Dei *ornamentum* ſuum depoſuit, nec induere denuo ſatagit! Unde evenit, quod Eccleſia toties ſuccumbat tentationibus hoſtium & veritatis & ſalutis? nonne robore ſuo ac *munimento*, fide ſæpe & amore decenti deſtituitur? Quam ſecure dormiunt vigiles in hiſce *ſpecularibus turribus*, quum prudentes una cum ſtolidis virginibus ſomno obrutæ jaceant, Matth. XXV, 1-10. & oculos fidei nebulis curarum hujus mundi obfuſcatos habeant. Quare nec Rex cœleſtis in *hac arce* habitare concupiſcit, verum gratia ac ſpiritu ſuo haud raro recedit Cant. V, 5. Eheu quam vacua ſunt corda credentium, quæ *theſauris* meritorum ac benedictionum cœleſtium accumulanda per fidem eſſent. Unde! Unde tanta Eccleſiæ corruptio? Nonne ex numero tot fidem ſimulantium membrorum, qui turrim absque ſolido fundamento erigunt, adeoque tempore procellarum ac adverſitatum hujus vitæ denuo eandem delapſam ac deſtructam ſentiunt, quorum fundamentum vana imaginationis arena ſuperſtruitur.

Evigila ergo, o filia Zion, excute ſomnnum, aperi oculos filia Hieroſolymæ. Indue veſtes tuas mutatitias, inſtrue, orna, præpara collum fidei ac amoris Tui, ut venientis Sponſi oculis placeas. Apprehende mille clypeos heroum fidei, imitare zelum ipſorum, eorum te inflammet exemplar, corrobora Te in petra ſalutis Tuæ per fidem. Necte, redintegra vinculum amoris fraterni eheu miſerrime ruptum, violatum, dilaceratum! Erige faces, præpara lampades in ſpecula tua, veniet enim Sponſus tempore noctis mediæ, ut ita audito κελεύσματε regio, cum ipſo in conclave communionis beatæ introëas. Unge, poli, præpara

clypeos

clypeos tuos, ut rutilent inſtar gemmarum ignearum in collo tuo, ut ita animum Sponſi Tui cœleſtis capere, & alios quoque luce radiante virtutum ac fructuum fidei, per amorem operoſæ, allicere atque attrahere queas. 1 Pet. II, 12. Sic aliquando *ſuſpendere* victoriæ tropæa poteris cum plauſibus, de omnibus tuis hoſtibus triumphans. 2 Tim. IV, 7. 8.

EXERCITATIO II.
DE
TORQUE SPONSÆ AUREO,
SYMB. VERITATIS EVANGELICÆ.
CANTIC. IV, 9.

ARGUMENTUM.

Loci Cant. IV, 9. brevis exegeſis exhibetur §. I. TORQUEM ſeu CATENAM auream variarum virtutum, amoris, lætitiæ, nec non luxus & denique etiam verbi veritatis & ſapientiæ emblema eſſe docetur. §. II. Tranſimus ad enucleationem hujus emblematis, conſiderando materiam torquium apud veteres, quæ vel ex auro vel ex gemmis & margaritis §. III. nec non formam atque appenſas bullas ac inſignia eorum. §. IV. Pergimus porro ad uſus torquium, vel generales, quatenus collum iis cingebatur §. V. atque inſigniter ornabatur. §. VI. Vel ſpeciales, quatenus geſtabantur a nobilibus & illuſtri ſtirpe procreatis §. VII. nec non a Regibus ac Principibus §. VIII. ſimiliter a belli Ducibus ac heroibus §. IX. porro a Judicibus ſummis & a Sacerdotibus §. X. uti & a Sponſis ac virginibus. §. XI. ac denique a Diis atque Deabus ipſis §. XII. Uti & ſervis ac animalibus in ſignum peculii a Dominis torques dabatur. §. XIII. Addimus Torques inter dona pretioſa olim principem obtinuiſſe locum, tum in domis

nis regiis ac militaribus §. XIV. tum ſacris ac conſecrandis. §. XV. Quæ cum omnia verbo Evangelico applicata fuerint ſuo loco, Epilogus adjicitur moralis. §. XVI.

I.

QUando Sponſus cœleſtis voluptatem quam ex fide Eccleſiæ, qua veritatem Evangelicam amplectitur, capere ſolet, declaraturus erat, exclamat: *CANTIC. IV. 9.* לבבתני באחד ענק מצורניך *Rapuiſti animum meum* (o Sponſa ſoror mea) *uno torque ex collo tuo.* Voce לבבתני ſummum amorem ac complacentiam exprimit Sponſus, Græci dicunt ἐκκαρδίωσάς με, quaſi cor vulneraſti vel rapuiſti mihi, vel cor transfixiſti, ut *R. David* vertit, *Arabs* optime: *inflammaſti* cor meum; de illis enim adhibetur, quorum corda amore flagrant. 2 Sam. XIII, 6. Medium, quo amorem ejus accenderat, fuit *unus torquium colli* ſponſæ. *Vulgatus* & nonnulli cum eodem male vertunt cum *crine* colli tui, & cincinnos tortos intelligunt, qui decus & ornatum ſponſis addiderint. Vox enim ענק non crinem ſed *torquem* in aliis ſcripturæ locis deſignat, quam ſignificationem *Syrus*, *Arabs*, LXX. *Interpretes*, *Symmachus* aliæque verſiones retinent. *Collum* ſupra jam diximus in Exercitatione priori, ſymb. & fidei atque amoris Eccleſiæ figuram in ſacris exhibere, cujus medio cum capite unitur atque caput corporis partibus ac membris dirigendis aptum conſtituitur. *TORQUES* ergo tanquam externum colli ornamentum commode *verbum veritatis* gratiæ atque Evangelii deſignabit, quod eſt corona & decus Eccleſiæ, & fide ac amore applicatur, uti infra latius docebimus. Ἀσύςατα ergo ſunt, quæ Judæorum commentatores de prærogativis aut principibus ex tribu Juda, heic deſignatis, ſcribant cum *Chaldæo Paraphraſte.* Torquem enim veritatis ac legis divinæ Symbolum eſſe, illico docebimus. Eccleſia externa V. T. *jugo* onerata collum erat ſat *gravi*, & catenam quaſi, captivitatis emblema, gerebat, conf. Deut. XXVIII, 48. Jeſ. X, 27. Hoſ. XI, 4. Matth. XXIII, 4. Act. XV, 10. Eccleſia falſa ac apoſtata eapropter conſideratur ornata in honorem idolorum *torquibus* idololatricis, Hoſ. II, 13. i. e. ſtatutis humanis ac erroribus divinæ legi contrariis, quibus Deo eſt abominationi.

II. *TORQUES* apud antiquos variorum figuram exhibuit. Emblema enim erat

a. Senſu malo *luxus*, *voluptatis* atque *ſuperbiæ*, huc reſpicit Pſaltes LXXIII, 6. ענקתמו גאוה יעטף שית חמס למו *Cingit eos* torques *ſuperbiæ ſ. faſtus*, *operit velut ornamentum eos violentia.* Ita NAUMACH. *in ſentent. p. m. 185.*

- μήτ᾽ ἐπὶ δειρῆς
Πορφυρέην ὑάκινθον ἔχοις, ἢ χλωρὸν ἴασπιν,
Τοῖς ἔπι φυσιόωσι δαλίφρονες.
- neque in collo
Purpureum hyacinthum geras, viridemque jaſpin,
Quibus ſtulti ſuperbiunt.

Et EURIPID. *Electr. v. 176.*

- οὐδ᾽ ἐπὶ χρυσέοις ὅρμοις ἐκπεπόταμαι.
Nec ob aurea monilia faſtu efferor.

De Antonino ſcribit HERODIAN. *Lib. V. cap. V. §. 6. p. m. 237.* εὐθέως δὲ ἐξεβακχεύετο, τὴν δὲ ἱεροσύνην τοῦ ἐπιχωρίου Θεοῦ, ᾗ ἐντέθραπτο, περιεργότερον ἐξώρχητο. σχήμασί τε ἐσθῆτος πολυτελεστάτης χρώμενος, διά τε πορφύρας χρυσοῦ ὑφάσμασι, περιδεραίοις τε καὶ ψελλίοις κοσμούμενος. *Statim igitur debacchari ſupra modum cœpit, cultumque patrii Numinis, cui dicatus fuerat, celebrare ſuper vacuis ſaltationibus, veſtitum uſurpans luxurioſum, purpura intextum atque auro, monilibusque & armillis redimitus.* Nec non *Cap. VIII. §. 2. p. m. 248.* Ἐμυσάττοντο δὲ αὐτὸν, ὁρῶντες τὲ μὲν πρόσωπον καλλωπιζόμενον περιεργότερον ἢ κατὰ γυναῖκα σώφρονα, περιδεραίοις δὲ χρυσίνοις ἐσθῆσί τε ἁπαλαῖς, ἀνάνδρως κοσμούμενον, ὀρχούμενόν τε οὕτως ὡς ὑπὸ πάντων ὁρᾶσθαι. *Contemnebantque eum, utpote vultum componentem elegantius, quam vel fœminam pudicam deceret. Inſuper aureis monilibus molliſſimoque veſtitu haud virum decentibus ornatum, ſaltantemque in conſpectu omnium.*

b. *Amoris* quoque ſymb. eſſe catenam auream, diſcimus ex Col. III, 14. quando Apoſtolus amorem appellat *σύνδεσμον τῆς τελειότητος* vinculum ſeu *catenam perfectionis* aut perfectiſſimam, procul dubio cum alluſione ad *catenas aureas* collum apte cingentes, uti & Eccleſiam Dei maxime ornat, ac in oculis Sponſi cœleſtis perfecte pulchram ſiſtit amor. Idem charitatis *σύνδεσμος* per *binas catenulas* שרשרות Ephodi S. Pontificis ſub V. T. præfigurabatur Exod. XXVIII, 14. quia amor *duplex* & Dei & pro-

& proximi eſt, quemadmodum duplex catena opere tortili facta pectorali addenda erat.

c. *Virtutum* quoque in genere, quæ ad mentis ornatum faciunt ſymbola fuiſſe apud orientales *monilia*, vel ex loco ARABSJADE in *Deliciis Chalipharum* conſtat, ita ſcribentis: نحور ممالكه بعقود فواضله حالية وافواه مسالكه كثغور الغواني بشنب العدل والامان زاهية *Colla regnorum ejus monilibus præcellentium ipſius virtutum erant exculta; & ora viarum ejus, ut ora renidentium puellarum, recenti ſemper nitore juſtitiæ & ſecuritatis florebant.*

d. *Sapientiæ* denique, *legis* atque *veritatis* figuram exhibet torques. Ducem habemus hac in re ſcripta ſacra. Prov. I, 9. de ſapientia ac ſcientia teſtatur Parœmiaſtes: לוית חן הם לראשך וענקים גרגרותיך *vinculum gratiæ erit capiti tuo, atque torques collo tuo*, adde Cap. III, 3. & Cap. XXV, 12. ubi dicit: *Velut monito aureum & ornamentum ex auro inſigni eſt reprehenſor ſapiens auri auſcultanti.* Elegans quoque eſt locus in *Vajikr. Rabb. ſect. XII.* דברי תורה עטרה לראש מונק וצואר מוליגירה ללב קולורית לעינים. *Verba legis ſunt corona capiti, torques collo, tranquillitas cordis, collyrium oculorum.* Vid. BUXT. *Lex. p. 1228.* Similis eſt locus apud HARIR. *Confeſſ. III. p. m. 149. edit. Cl. Schultens*: ولويت الى استنباط فقر لا *Et inclinatus fui ad eliciendas catenas ſermonum rythmicorum.* فقر enim non *vertebras* ſolum, ſed & *monile*, torquem vertebratum ſignificat. Quemadmodum LUCIAN. *in Hermol. p. m. 177.* orationem ſapientem cum *catena aurea* in genere comparat, ſcribens: Καθάπερ ὁ τοῦ Ὁμήρου ζεὺς, χρυσῆν τινα σειρὰν καθιεὶς, τοὺς αὐτοὺς λόγους, ὑφ᾽ ὧν σε ἀνασπᾷ δηλαδὴ, καὶ ἀνακουφίζει πρὸς αὐτὸν καὶ ἀρετήν. *Sicut Jupiter Homericus catenam auream ex ſummo dimittens, ſuas ipſius orationes opinor, quibus te ſubductum cum ad ſe tum ad virtutem ſublevare queat.* Uti & HORAT. *Sat. Libr. II. v. 70.*

- *mille adde catenas*

i. e. *nodoſi* juris laqueos & formulas, ut explicat Scholiaſtes. Olim quoque judices apud Ægyptios aurea catena collum cinctum cum imagine

gem-

gemmea, cui inſculptum *VERITAS*, oſtentaſſe, docet DIODOR. SICULUS *Lib. I.* & varii ex eodem. Elegans eſt de hoc monili ÆLIANI locus in *Hiſtor. Var. Lib. XIV. cap. 34.* De judice ſummo Ægyptiorum ſcribens: Ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώπων, καὶ ἀφειδέστατον. Εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο ἄγαλμα: Ἀλήθεια. Ἐγὼ δέ ἠξίουν μὴ λίθου πεποιημένην, καὶ εἰκασμένην τὴν ἀλήθειαν περιφέρειν τὸν δικαστὴν, ἀλλ' ἐν αὐτῇ τῇ ψυχῇ ἔχειν αὐτήν. *Eum omnium hominum eſſe juſtiſſimum & ſinceriſſimum oportebat, qui circa collum imaginem ex ſapphiro gemma confectam geſtabat, quæ vocabatur VERITAS. Ego vero Judicem non tam in lapide ſculptam aut expreſſam veritatem circumferre, quam in animo menteque inſitam & infixam habere velim.* Convenientiam hac in re Sacerdotis principis Ægyptiorum cum Pontifice M. Hebræorum, qui *pectorale gemmeum* cum Urim atque Thummim geſtabat, varii jam obſervarunt viri eruditi.

III. Transeamus ad ipſam hujus emblematis excuſſionem atque enucleationem.

1. Si *materiam* Torquium apud veteres ſpectes, varia illa fuit, præcipue autem vel ex *auro* vel etiam *margaritis* atque *gemmis* conſtabant. *Aurea* memorantur monilia Prov. XXV, 12. Judic. VIII, 24. 25. Dan. V, 7. 29. Gen. XLI, 47. Veluti quoque apud EURIPID. *Cyclop. v. 182.*

- καὶ τὸν χρύσεον
Κλοιὸν φοροῦντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα.
- *Eſt aureum*
Torquem ferentem circa collum medium.

PAUSAN. *Bœotic. p. 608. ex Homero.*

Χρύσεον ὅρμον ἔχων, μετὰ δ' ἠλέκτροισιν ἔερτο.
Attulit electro fulgens auroque monile.

Darius cuſtodibus quoque περιαυχένιον χρυσῆν, *monile aureum* promittit ap. *Joſephum:* Quare CORN. GALLO *Eleg. Lib. I.* aurum vocatur:

In tereti collo viſum pretioſius aurum.

Vel etiam ex *GEMMIS* conſtabant, qualem *Paraphr. Jonathan* Mardochai tribuit: לבוש מינקא דכרום ימא *indutus monili ex thalaſſio lapide marino.* Eſth. VIII, 15. PAUSAN. *Bœot. ſ. Lib. IX. p. m. 707.*

Ἐν

Ἐν Ἀμαθȣ̃ντι μὲν γάρ ἐςι λίθων χλωρῶν συνδέοντος χρυσȣ̃ σφᾶς ὁ ὅρμος. *Cum hoc Amathuſiorum monile ſit e lapidibus viridibus auro revinctum.* Quo reſpicit VIRGIL. *in Ceir. p. m. 393.*

Non niveo retinens bacchata monilia collo.

Quemadmodum *Ovidius gemmata monilia* nuncupat, & MANIL. *Lib. IV. aſtron.* huc referendus canit:

Perque caput aucti lapides, per colla, per armos.

Vel denique ex *Margaritis* pretioſis, quod teſtatur LUCIAN. *de Imag. p. m. 283.* Ἐίπον κάλλιςον ὅρμον ἐιδες, ἐκ τῶν ςιλπνοτάτων καὶ ἰσομεγέθων μαργαριτῶν. *Sicubi videris ſegmentum aut monile pulcerrimum ex luciſſimis ac æquali magnitudine pollentibus margaritis.* Quales & plurimos obſervamus in nummis vide OISEL. *Tab. XXXII. n. 7. Tab. XLVIII. n. 4. Tab. LXXVI. n. 5. Tab. LXXXVI. n. 8. 9.* Et apud BEGER. *Theſ. Imp. Rom. Tab. IV. n. 9. 17. Tab. V. n. 3. 5.* Similes apud GOLZ. *in numiſm. Græciæ* & alios invenies.

Elegantiſſime heic depictum cernis inæſtimabile verbi veritatis pretium, quæ aurum atque gemmas ſuperat. Prov. III, 15. 16. Eſt inſtar *auri* depurgata ab omnibus errorum ac humani figmenti ſcoriis, 2 Cor. II, 17. quare lacti ἀδόλῳ comparatur 1 Pet. II, 3. fulgore ſuo ſe commendat conſcientiis hominum 2 Cor. IV, 2. ac omnem eruditionem humanam ſuperat. Gravis inſtar auri atque ſolida eſt veritas, quæ non uti errores ac ſapientia humana quovis vento tentationum diſſipari poteſt. Jac. I, 6. *Gemmarum* inſtar ex profundo ſcriptorum V. & N. T. oceano extrahitur hæc veritas, & per efficaciam Spiritus S. & præconium expolita, fulgore ſuo oculos irradiat 2 Cor. IV, 6. Pretium ejus eſt maximum, quod ab illis, qui oculos illuminatos gerunt, ſolummodo dignoſcitur. Eph. I, 17. 18. Pſ. CXIX, 18. Si veritate deſtitutus es, pauperrimus exiſtis atque infeliciſſimus 2 Theſſ. I, 8. 9. II, 10-12. ſi illam poſſides, omnes poſſides divitias. Prov. III, 13-18.

IV. 2. *Formam* ſi conſideres torquium apud veteres, non ſolum ex catenulis invicem arcte & apte innexis, aut margaritis lapidibusque æqualiter diſtributis & compactis illos conſtitiſſe, ſed & appenſas quasdam imagines, ſigna, & bullas habuiſſe, conſtat: Torques *catenarum* formam habuiſſe, variis oculis innexis præditarum liquet ex eo, quia *catenæ* &

catellæ dicebantur. Huc refer LUCIAN. *Hercul. p. m. 807.* δεσμαὶ δέ εἰσιν, οἱ σειραὶ λεπταὶ, χρυσοῦ καὶ ἠλέκτρου εἰργασμέναι ὅρμοις ἐοικυῖαι τοῖς καλλίςοις. *Vincula ſunt catenulæ ſubtiles, auro electroque confectæ, pulcerrimis monilibus adſimiles.* Quemadmodum qui ex gemmis & margaritis conſtabant, concinno ordine eas diſpoſitas & conjunctas ſervabant, ut ex locis citatis liquet. Varias autem imagines iis appenſas docent ſcriptores. Sic draconem in monilibus memorat EURIPID. *Ion. v. 1430.*

> Δέραια παιδὶ νεογόνῳ φέρειν τέκνον,
> Ἔνεισιν οἵδε.
> *Ut ferret puer natus hæc monilia, o fili,*
> *Quibus inſunt iſti* (Dracones.)

Aureas *bullas* fulgore rutilantes atque ovales appenſas habuiſſe monilia docet Cl. SCHEFFER. *in tract. de Torquib. p. 63.* Quare PROPERT. *Lib. IV.*

> *Mox ubi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo.*

Lunulas quoque ab illis dependiſſe apud quosdam, docet HIERONYMUS aliique apud eundem SCHEFF. *l. c. p. 74.* Huc refer etiam HOMER. *hymn. in Vener.*

> Ὅρμοι δ᾽ ἀμφ᾽ ἁπαλῇ δειρῇ περικάλλεες ἦσαν,
> Καλοὶ, χρύσειοι, παμποίκιλοι, ὡς δὲ σελήνη
> Στήθεσιν ἀμφ᾽ ἁπαλοῖσιν ἐλάμπετο.
> *Monilia autem circa molle collum pulcerrima,*
> *Optima, aurea, omnivaria, in modum Lunæ*
> *Pectora circum mollia fulgebant.*

Hæ ſunt שהרנים, in ſacris memoratæ *lunulæ*, quas Rabbini explicant חלי כדמות ירח *ornamenta lunæ figuram habentia.* Vid. Judic. VIII, 21. & Jeſ. III, 20. Quo etiam reſpicit STAT. *Theb. Lib. IX.*

> - *niveo Lunata monilia dente.*

Verbum veritatis quoque *catenæ* inſtar non ex variis ſolum fidei articulis & pretioſis veritatibus, ſed & nexu inter ſe arctiſſimo junctis, componitur. Quare comparatur cum corona ex 12. ſtellis conflata, quia ſuperſtruitur fundamento XII. Apoſtolorum Apoc. XII, 1. Omnes ſalutis veritates inſigni harmonia cohærent, & in Chriſto unica ſalutis origine deſi-

deſinunt Col. II, 3. 1 Cor. III, 11. Et quando Sponſus hoc loco de *uno torquium* loquitur, quo Sponſa cor rapuerit, concipit quaſi *duplicem ſeriem* margaritarum aut catenarum, quæ duplex veritatis Inſtrumentum V. & N. apte deſignare poterit; & hoc *uno torquium* veritates in ſpecie Evangelicæ N. T. vera fide apprehenſæ intelligi poſſent. Vel *unam* veritatis *gemmam* aut margaritam, ex torque Sponſæ ſingulari fulgore ſe commendantem intelligit, quam fide excoleret Eccleſia, & quæ forte ad veritatem de *paſſione* ac *morte* Sponſoris referri poſſet, quam Sponſa Cant. I, 13. comparat cum *faſciculo myrrhæ*, inſtar amuleti in pectore ſuo noctesque diesque pernoctante.

V. 3. Sedes *torquium* erat *collum*, quod undique illis *cingebatur* atque *inſigniebatur*, ut facile conſpici & in oculos incurrere poſſent, adeoque figuram circuli rotundi efficiebant monilia. Quare in textu Cant. IV, 9. ענק מצרוניך torques *faucium* ſive *colli* ſponſæ dicitur. Et Prov. I, 9. וענקים לגרגרותיך *torques faucibus tuis* ſ. collo. Cant. I, 10. צוארך בחרוזים *Collum tuum in tomicibus* ſeu catenulis. Quod exprimit PRUDENTIUS:

Colla vel ignitis ſincera incingere ſertis (gemmis)

Iſidorus deſcribit monilia tanquam *circulos aureos a collo ad pectus dependentes.* Conſentit EURIPID. *in Cyclop. v. 182.*

Κλοίον φορȣ̃ντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα.

Torquem ferentem circa medium collum.

Quare HERODOTO ϛρεπτὸς περιαυχένιος & PLUTARCHO κοσμὸς περιδερὰιος vocatur torques. XENOPHON *Lib. I. Cyri pæd.* ſcribit: Καὶ οἱ ϛρεπτοὶ περὶ τῇ δέρῃ καὶ τὰ ψέλλια περὶ ταῖν χεροῖν. *Armillis manus, torque collum incluſum.* Nec non LUCIAN. *Amor. p. m. 224.* Καὶ ϛεφάνη μὲν ἐν κύκλῳ τὴν κεφαλὴν περιθεῖ, λίθοις Ινδικαῖς διάϛερος. Πολυτελεῖς τε τῶν αὐχένων ὅρμοι καθεῖνται. *Etiam corona caput circumcirca ambit, lapillis Indicis ſtellata: pretioſa autem de cervicibus monilia dependent.* Denique OVID. *faſt. IV. v. 134.*

Aurea marmoreo redimicula ſolvite collo.

Et *v. 136.*

Aurea ſiccato redimicula reddite collo.

Collum,

Collum, ut ſupra vidimus, Eccleſiæ ſymbolum *amoris* atque *fidei* eſt, cujus medio corpus a capite ſuo regitur atque cum eo unitur. Ergo verbum veritatis *collum* hoc myſticum ambit, quia *fide* & *amore* veritatem amplecti decet. In veritate delectatur populus Dei, 1 Cor. XIII, 6. illamque ſervat inſtar *κειμηλίου* Prov. XXIII, 23. eam diligit Zach. VIII, 19. eadem ſe cingunt tanquam redimiculo atque cingulo Eph. VI, 14. fide & amore *ſervare* poſſunt verbum veritatis, quod toties inculcatur tanquam ſumme neceſſarium. Pſ. CXIX, 11. 67. Marc. IX, 10. Joh. V, 24. VIII, 51. XV, 20. XVII, 6. 1 Joh. II, 5. Apoc. III, 8. 10.

VI. 4. Torques veterum inter primaria hominis *ornamenta* recenſentur, quia colla inſigniter iis coronabantur, velut caput coronis. Quemadmodum inter ornatum virginum Hieroſolymitanarum occurrunt Jeſ. III, 19. 20. adde Num. XXXI, 50. & Cant. I, 10. Ezech. XVI, 11. ubi עדי *ornatus* appellantur. Judæi in diebus feſtis, veluti in Sabbatho illis ſe ornabant, ut liquet ex *Talm. Hieroſ. Schabb. cap. VI.* docente BUXTORF. *Lex. p. 1509.* Et in luctu, a quo omnis ornatus exulare debet, monilia deponebantur olim, veluti liquet ex HERODIAN. *Lib. IV. cap. 2.* οὔτε δὲ χρυσοφοροῦσα τὶς αὐτῶν ὁρᾶται, οὔτε περιδεραίοις κοσμουμένη, ἀλλὰ λιτὰς ἐσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννύμεναι σχῆμα παρέχουσι λυπουμένων. *Harum* (matronarum) *nulla vel aurum geſtans vel monilibus ornata conſpicitur, ſed veſtibus albis exilibus induta, mœrentium ſpeciem præbet.* Ad ornatum quoque reſpicit HOMER. *hymn. in Vener.*

Δειρῇ δ' ἀμφ' ἁπαλῇ καὶ ςήθεσιν ἀργυρέοισιν
Ὅρμοισι χρυσέοισιν ἐκόσμεον, οἷσί περ αὐταὶ
Ὧραι κόσμηθεν χρυσάμπυκες.
Collum autem molle ac pectora argentea
Monilibus aureis exornabant, quibus ipſæ
Horæ ornatæ fuere, aureis lineis cinctæ.

Nec non LUCIAN. *de Domo. p. m. 793.* ἀλλ' ὁπόσον ἂν καὶ γυναικὶ σώφρονι καὶ καλῇ ἀρκέσῃ ἐπισημότερον ἐργάσασθαι τὸ κάλλος, ἢ περὶ τῇ δειρῇ λεπτός τις ὅρμος, ἢ περὶ τῷ δακτύλῳ σφενδόνη εὔφορος. *Sed perinde ut mulieri modeſtæ ac pulchræ ſatis erit ad formam inſigniorem reddendam, vel circa collum tenue aliquod monile, vel circa digitum annulus geſtabilis.*

Omne

Omne quoque decus, omne ſuum ornamentum in verbo veritatis ponit anima fidelis. Quare conſilium S. Sapientiæ eſt Proverb. III, 8. 9. *Extolle eam* (ſapientiam) *& illa te exaltabit, teque ſi eam fueris amplexatus, maxime honorabit. Imponet capiti tuo redimiculum gratiæ & coronam ornatiſſimam tradet tibi.* Per amorem ac fidem in veritatem ad ſummum gloriæ faſtigium aſcendimus Prov. VIII, 18. ac verus piæ matronæ ornatus non conſiſtit in *cincinnis*, vel *margaritis* aut *veſtibus pretioſis*, ſed in *bonis operibus* i. e. *fide atque charitate ac ſanctificatione cum modeſtia*, teſte Paulo 1 Tim. II, 9. 10. 15. Hæc eſt ſanctitas illa, quæ decus eſt domus Jehovæ totius Pſ. XCIII, 5. Hæ ſunt veſtes illæ variegatæ ac acupictæ, quibus exornata Sponſa ad dextram Sponſi geſtit. Pſalm. XLV, 10. 14. 15.

VII. 5. Torques olim a variæ dignitatis perſonis frequentiſſime geſtari ſolebat.

a. A *nobilibus* ac illuſtri ſtirpe prognatis gerebatur, quare *nobilitatis* atque *libertatis* ingenuæ ſignum erat apud gentes quaſdam. Ita ſcribit XENOPHON *Lib. I.* Αναβασ. Τȣ̀ς ἐυγενεϛάτȣς Perſarum geſtaſſe ϛρέπτȣς περὶ τῷ τραχήλῳ καὶ ψέλλια ἐπὶ τῶν χειρῶν, *monilia circa collum & armillas in manibus.* Quare & bulla aurea, quam torquibus appenſam ſupra vidimus, ſolis patriciis & nobili genere natis concedebatur geſtanda. Docet hoc MACROB. *in ſomn. Lib. I. cap. 6. Putant Priſcum inſtituiſſe, ut patricii bulla aurea cum toga, cui purpura prætexitur, uterentur, duntaxat illi, quorum patres curulem geſſerunt magiſtratum.* Conf. ROSIN. *antiq. Lib. V. p. 897.* NICOLAI *ad Scheff. de torq. p. m. 61. ſq.* & alios. Quare & hodiedum nobiles bello ac pace inſignes, qui titulo *EQUITUM* (Ritter) inſigniuntur, *torque aureo* donati incedunt, quales ſunt Equites *aurei velleris*, quibus figura *aurei velleris* arietini aurea appenſa torqui conceditur. Equites *periſcelidis* in Anglia, Equites *Michaelis* ſeu *cochleati* in Gallia, ſimiliter torque ornati, conf. SCHNEIDER *Lex. Bibl. V.* Halsband. HÆPING *de jure inſign. cap. II. f. 102.* SELDENUM *de titulis honorum*, & alios. Quare & *LIBERTAS* in nummis ſignatur vultu matronæ nobilis, quæ collum torque ornatum oſtentat cum inſcriptione *LIBERTAS. C. CASSI IMP.*

LEIBERTAS. vid. BEGER. *Theſ. Imp. Rom. num. Tab. V. n. 3. 5. 9.* Vide *in Tabul. noſtr. num. III.* expreſſum.

Et certe verbum veritatis Evangelicæ eſt *Lex libertatis*, quare Jac. I, 25. *νόμος τέλειος τῆς ἐλευθερίας* appellatur. Hoc ſenſu Sponſa quoque *torque* ornata occurrit, quæ excuſſo jugo ſervitutis legalis ſub V. T. prementis, & jugo peccati, libera facta erat per legem fidei. Hunc qui ſuſcipit nobilitatis torquem, liberatur a ſervitute peccati atque Satanæ dominio, atque in ingenuorum Dei filiorum numerum tranſit. *Qui enim credunt veritati, cognoſcent eam & veritas eosdem in libertatem vindicabit, atque a filio vere liber conſtituitur* Joh. VIII, 31. 32. 36. Veram itaque hac ratione nobilitatem conſequuntur, Dei filii facti atque ex Deo geniti, cujus criterium eſt fides atque charitas. 1 Joh. IV, 6. 7. Quare per Spiritum Dei recens nati ac pueri in Chriſto, torque veritatis ſalutaris ornantur, tanquam bulla nobilis ipſorum originis, quare in illa quoque ſolum gloriantur 1 Cor. I, 31. Jeſ. XLV, 25. Gal. IV, 31. V, 1.

VIII. b. *Regio* quoque *ornatui* accenſendus eſt torques, utpote a Principibus ac Regibus olim geſtatus. Quare ex ſacris diſcimus, eum, qui proximus a Rege conſtituebatur ac regio honore afficiebatur, torque fuiſſe exornatum, vide Gen. XLI, 42. Dan. V, 7. 29. Quemadmodum Parin deſcribit EURIPID. *Cyclop. v. 182.*

- - ἰδοῦσα καὶ τὸν χρύσεον
Κλοιὸν φοροῦντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα
Ἐξεπτοήθη.

Videns autem (Helena) *ferentem aureum torquem circa collum, obſtupuit.*

EPIPHAN. *in libr. de gemmis.* cap. de Sapphir: διό καὶ ἐν τοῖς χλιδῶσι καὶ ὁρμίσκοις καλατιθέασι τοῦτον, μάλιςα οἱ βασιλεῖς. *Propterea & in armillis atque torquibus eundem reponunt, maxime Reges.* De Chaldæorum Regibus torquatis teſtatur JOSEPH. *Lib. X. cap. 12.* δώσω ςρέπτον περιαυχένιον χρύσεον, καὶ πορφυρᾶν ἐσθῆτα φορεῖν, ὡς οἱ τῶν Χαλδαίων βασιλεῖς. *Dabo ei ferendum aureum torquem & veſtem purpuream, qualibus utuntur Chaldæorum Reges.* Similiter de Antonino ſcribit HERODIAN. *Lib. V. c. V. p. m. 237.* ἀήμασί τε ἐσθῆτος πολυτελεςάτης χρώμενος, διά τε πορφύρας χρυσοῦ ὑφάσμασι, περιδεραίοις τε καὶ ψελλίοις

λίοις κοσμέμενος. *Veſtitum geſtans auro purpuraque intextum, monilibus quoque atque armillis redimitus.* conf. etiam SCHEFFER. *de torquib. pag. 90. ſq.*

Verbum quoque veritatis eſt *regius ornatus*, quoniam Reges hujus terræ in illo ſuum ponere decus oportet, atque per idem regni ſui ornatum promovere queunt. Quare Regi Iſraelis ejusque Principibus mandatum Dei conceſſum : Joſ. I, 8. *ne recedat liber legis hujus ab ore tuo, ſed mediteris in eo die ac nocte, ut omnia obſerves, quæ in eo ſcripta ſunt, ſic enim proſperæ erunt viæ tuæ.* Simile præceptum Deut. XVIII, 17. ubi ſimul jubetur Rex Iſraelis ipſe deſcribere duplex legis exemplar, ad legis hujus neceſſitatem ac dignitatem in adminiſtrando regno ipſi inculcandam. Fideles quoque, quos *reges ſpirituales* conſtituit Salvator Deus Apoc. I, 5. hanc Dei legem tanquam coronam imperii ſui ſervare tenentur Apoc. III, 11. hæc eſt corona ſtellata majeſtatis ipſorum Apoc. XII, 1. hac ornati Dei in oculis placent Pſ. LI, 8. atque dominii majeſtatem coram mundo manifeſtant. 1 Pet. II, 12. Apoc. III, 8-10. Apoc. XXII, 4.

IX. c. Torques porro a *Ducibus belli* atque *Heroibus* imo *militibus* geſtari ſolebat, quo in prœliis ſuperbiebant atque gloriabantur. Exprimit hoc SIL. ITALIC. *Lib. XV.*

- - ac præmia virtus
Sanguine parta capit. Phaleris heic pectora fulgent,
Hic torque aurato circumdat bellica colla,
Ille nitet celſus muralis honore coronæ.

Teſtatur idem CUROPALATES : ἐφόρουν πάλαι οἱ στρατηγοὶ στρεπτά, τὴν τιμὴν τούτων ἐδήλουν. *Geſtabant quondam Duces torques, qui honorem ipſorum manifeſtabant.* Milites quoque in bellis apud Perſas aliasque gentes torques geſtaſſe conſtat ex AMMIAN. MARCELL. *Lib. XXXI.* qui cum poſt pugnam, agminaque deleta Perſarum licenter obambulans, armillas aureas vidiſſet humi projectas & torquem : Tolle, inquit, hæc ad comitem quendam proxime adſtantem: HERODOTUS quoque milites ψελλιοφόρους καὶ στρεπτοφόρους memorat *Lib. VIII.* ARISTIDES inter ſpolia ab hoſtibus poſt pugnam reportata etiam ἵππους καὶ βέλη καὶ ψέλλεα καὶ στρεπτοὺς memorat, vid. BRISSON. *de*

regn. Perſ. Lib. III. p. m. 324. Et FLORUS *Lib. I. cap. XIII. §. 20.* ſcribit: *Semel apud Anienem trucidati, quum ſingulari certamine Manlius aureum torquem Barbaro inter ſpolia detraxit.* conf. etiam CURT. *Lib. III. p. m. 24.*

Similiter qui ſub auſpiciis Ducis ſalutis noſtræ militaturi ſunt, hoc ornati torque veritatis incedant oportet. Duces æque myſtici i. e. Doctores, ac milites gregarii i. e. omnes fideles, verbo ſalutis perpetuo quaſi cincti ſunt, noctu diuque illud meditantur Pſ. I, 2. fides enim, in pugna ſpirituali maxime neceſſaria, eodem corroborari apte poteſt, quare illud quoque ſedulo ſervant ac tuentur, ne ipſis in certamine ab hoſtibus ſalutis ac veritatis præripiatur Apoc. III, 11. Prov. IV, 13. Matth. XIII, 4. 19. quæ cura ducibus myſticis præcipue incumbit Luc. XI, 28. 1 Tim. VI, 20. 2 Tim. I, 14. Pſ. CXIX, 33. Quare veritatem ad mortem uſque tenaciter tuentur. Apoc. II, 10. III, 8. 2 Tim. IV, 7. 8.

X. d. *Judices* quoque apud veteres ſæpe torquibus ornatos fuiſſe ex antiquis monumentis docemur. In genere viri *ſapientia* ſingulari præditi illo præmii inſtar condecorabantur, veluti ex *Joſephi* inſomnia Pharaonis explicantis & aureo torque ornati exemplo liquet. Similiter Samium Pythagoram ob *ſapientiæ* donum torquem geſſiſſe ex ÆLIAN. *Lib. XII. cap. XXII.* nonnulli conjiciunt. Saltem *Prov. I, 8.* ſapientia *torqui* adſimilatur; atque *LYRA* ad h. l. *ſapientes* olim torquibus uſos fuiſſe ſcribit. De *Judicibus* Hebræorum inſignis eſt locus in *Gemar. Sanhedr. fol. 7. c. 2.* עשרה שיושבין בדין קולר תלוי בצואר כלן *Decem viri omnes, qui ſedent in judicio, appenſum collo habent monile.* De Judicibus Medorum ſcribit CUROPALAT. *in off. Conſt. p. 106. Ad collum autem judicum pendebant de lineis duo quædam dicta pilatica, ea ſunt opus e margaritis – quæ Rex Medorum gerebat, ſimiliterque judices.* De judicibus ſummis apud Ægyptios ſupra §. II. vidimus, illos in collo ex aurea bulla pendentem habuiſſe imaginem *veritatis*, tanquam pretioſum torquem, de qua videatur SCHEFF. *de torq. p. 57.* necnon Cl. NICOLAI *de Synedr. Ægypt. p. 25. ſq.* KIRCHER. *in Oedip. Ægypt. Synt. 2. f. 120.* Quare & *Sacerdotibus* tribuitur. Ita de Gallorum Sacerdotibus STRABO *Lib. IV.* ſcribit: χρυσοφοροῦσί τε γὰρ περὶ μὲν τοῖς τραχήλοις στρεπτὰ ἔχοντες. *Geſtant enim aureos circum colla torques.*

Omnis

Omnis quoque Sapiens verbo veritatis ſapientiam ſuam exornare tenetur, alias vana eſt atque nulla. Veritas Evangelica fundamentum eſt omnis ſapientiæ, quia theſauros divinæ ſapientiæ recludit, & omnem humanam ſapientiam ſuperat 1 Cor. II, 5 - 8. 10. Sapientia enim carnalis eſt ſtultitia & non eſt ſapientia, niſi divina veritate nitatur Jac. I, 15 - 17. Quare hæc veritas Evangelica quoque norma eſt omnis judicii, quod exercet ſupremus Eccleſiæ Judex Jeſ. XI, 4. 5. & exercebit aliquando in die judicii ultimo. 2 Theſſ. I, 7 - 9. Rom. II, 16. Eandem obſervant judices ſubordinati Eccleſiæ, Apoſtoli ejusque ſequaces. Matth. XIX, 28. 1 Theſſ. II, 4. 5. 6. Heb. IV, 12. Dei ſacerdotes atque miniſtri hac veritate ornati, hanc in fronte gerunt Apoc. XXII, 4. velut Pontif. Max. ſub V. T. אורים ותמים in pectore. Quemadmodum Apoſtoli N. T. *lucem* veritatis ac *perfectiones* meritorum Ducis ſalutis conſummati, præconio ſuo præ ſe ferunt & manifeſtant. 2 Cor. IV, 5. 6. 7.

XI. e. *Sponſis* porro, *virginibus* atque *uxoribus* torques conceditur apud antiquos. Deus ipſe Eccleſiam Sponſam Ezech. XVI, 11. armillis atque רביד *torque* donaſſe dicitur. Conf. Cant. I, 10. 11. De ſponſis Hebræorum ſcribitur in *Gemar. Hieroſol.* apud SELDEN. *Ux. Hebr. Lib. II. c. 15. p. m. 197.* אילו הן חופות חתנים סדינים מצויירין וסהרוני זהב תלוין בהם. *Velamina Sponſis ſunt ſindones acu pictæ, quibus appenduntur monilia aurea.* Penelope quoque a proco Eurymacho torquem accepit, docente HOMERO:

Ὅρμος δ' Εὐρύμαχος πολυδαίδαλον αὐτίκ' ἔνεικε
Χρύσιον.
Ornatum varie Eurymachus torquem attulit aureum.

Ornatum virginis deſcribens HESIOD. *op. & dier. v. 74.* canit:

Ὅρμους χρυσείους ἔθεσαν χροΐ. Ἀμφὶ δὲ τήν γε
Ὧραι καλλίκομοι στέφον ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι.
Monilia aurea impoſuerunt corpori. Ipſam vero
Horæ pulchricomæ coronarunt floribus vernis.

Quare ACHILLES TATIUS *Lib. XI.* ſcribit: *Ἐώνητο δὲ καὶ τῇ κόρῃ τὰ πρὸς τὸν γάμον περιδέραιον μὲν λίθων ποικίλων.* *In Sponſæ ornamentum comparata neceſſario omnia, monile variis lapidibus diſtinctum &c.* Huc reſpicit etiam ANACREON *od. XX.* optans:

Καὶ ταινίη δὲ μαςῶν,
Καὶ μάργαρον τραχήλῳ.
(Sim) *ſtrophium pectoris tui,*
Atque monile collo tuo.

Sponſa quoque Dei omnesque animæ caſtæ vel virgines, *torque veritatis* ornantur a Sponſo cœleſti, eoque indutæ quam maxime ipſi placent, quo Ezech. XVI, 11. Cant. I, 10. 11. & in loco quoque noſtro Cant. IV, 9. reſpicit Spiritus S. Per fidem veritatis deſponſantur cum Chriſto Hoſ. II, 19. & promiſſiones hujus veritatis fide applicatæ, credentibus ſunt pignus amoris æterni Sponſi ſui, omniumque bonorum, quæ vi communionis cum ipſo hæreditaria diſpoſitione ipſis adſignata ſunt. Quoniam Sponſus ipſe cœleſtis veritate delectatur Pſ. LI, 8. ſponſa quoque fidelis, ornata hoc redimiculo perfectionis, *cor ejus rapere* dicitur in loco noſtro. Hoc ſymb. eſt caſtitatis cordis credentium, qua rejecto jugo obedientiæ hujus mundi ac concupiſcentiarum carnalium, ſoli Deo placere ſtudent. Pſ. LXXIII, 25. 26. 28.

XII. f. Non prætermittendum heic cenſemus, quod etiam *Divinum* ornatum conſtituerit *torques*; *Diis* enim atque *Deabus* illum adſignant diptycha antiqua. De monilibus *Dearum* intellige locum OVID. *faſt. Lib. IV. 135.*

Aurea marmoreo redimicula ſolvite collo,
Demite divitias, tota lavanda Dea eſt.

De Venere canit HOMER. *in hymn.*

Ὅρμοι δ' ἀμφ' ἁπαλῇ δειρῇ περικάλλεες ἦσαν.
Monilia autem circa collum molle pulcerrima gerebat.

Quare & in nummis antiquis Deas paſſim torquibus ornatas conſpicimus, veluti *PIETAS* pingitur facie muliebri, ornata *torque ex margaritis* apud BEGER. *Theſ. Imp. Rom. Tab. V. n. 15.* Similiter *PALLAS* apud GOLZ. *Theſ. Num. Græc. Tab. III. n. 8.* *DIANA* apud eund. *Tab. IV. n. X.* *VENUS* denique, vide eundem *Tab. XXVI. n. I. & II*, nec non *VII. & VIII.* Deos quoque atque idola hodie monilibus ornari, paſſim ex itinerariis conſtat. De Pagode Indorum Numine id liquet ex figura, quam exhibet Cl. HOFFMANN. *in lib. Umbra in luce p. 154.*

Veritas

Veritas eſt ornatus quoque divinus, a Deo enim fonte omnis veritatis originem traxit, πᾶσα γὰρ ἡ γραφὴ Evangelii eſt θεόπνευςος. 2 Tim. III, 15. 16. Et Deus ipſe *delectatur veritate*, quæ eſt in occulto Pſ. LI, 8. In veritate enim Evangelica virtutes ac perfectiones divinæ luce radiant quam clariſſima, atque fulgore ſuo oculos hominum colluſtrant. 2 Cor. IV, 6. Quare ex illa & ope illius majeſtatem atque gloriam divinam intelligunt atque cognoſcunt 1 Cor. XIII, 12. Uti veritas quoque Meſſiam cingere Pſ. LXXXIX, 9. & coram facie ipſius manere dicitur v. 15. Veritate cinctus conſidet in throno majeſtatis. Jeſ. XVI, 5.

XIII. g. Torques quoque præcipue *nomine Domini*, illum procurantis atque concedentis inſignitus nota erat *peculii.* Quare *Servi* olim a Dominis traditum gerebant torquem, & *animalia*, *canes*, *equi*, *feles &c.* a Dominis poſſidentibus torque ſæpius ornari ſolebant, qua nota dignoſcebantur, cujus eſſent peculia atque mancipia: De *Servorum* torquibus elegans locus eſt Arabis in *hiſt. Tam. p. 103.* apud Cl. SCHULT. *in not. ad Harir. p. 122.* تقلد طوق عبوديته وانتظم في سلك عبيده *Collo indidit torquem ſervitutis ejus, & inſertus eſt in ſeriem famulorum ejus.* Quare & *captivi* ac in poteſtatem redacti torque ſeu catena aurea cincti incedebant, teſte SILIO *Lib. XVII.*

- - captiva premebat
Lumina, & auratæ ſervabant colla catenæ.

De *Equis* torquatis canit VIRGIL. *Lib. VII. Æn.*

Aurea pectoribus dimiſſa monilia pendent.

adde quæ adfert BARTH. ad *Claudian. p. 1061.* nec non H. HUGO de *militia Equeſtr. Lib. II. p. m. 89.* De *Canibus* loquitur PROPERT. *Lib. IV. el. 8.*

Atque armillatos colle Moloſſa canes.

Et XENOPHON *in Cyneg.* Κυνῶν δὲ κόσμος, δέραια, ἱμάντες, τελαμώνια. Plura adfert Cel. BURMAN. *in not. ad Faliſci Cyneget. pag. 249. ſq.* De *camelis* ex ſacris conſtat. De Leone, panthera, aliisque *torque* ornatis animalibus vid. Cl. SCHEFF. *de torq. p. 144. ſ.*

Veritas quoque Evangelica eſt nomen illud Dei, quod per ſinceram profeſſionem ac vitam decentem in fronte gerunt credentes ſervi Dei

Dei Apoc. XIV, 1. 2. XXII, 4. quæ demonſtrant ſe Dei eſſe peculia atque mancipia Jeſ. XLIV, 5. Quamdiu ſub peccati ac Satanæ dominio degunt, jugum tyrannidis Principis tenebrarum geſtant *δυσβάστακτον*. Sed hoc per efficaciam veritatis atque Spiritus S. fracto & ſublato, torquem Domini nomine inſignitum fide ſibi applicant, atque huic tanquam hero ſuo inſerviunt. Matth. XI, 28. 29. Hac nota veritatis puriſſimæ dignoſci queunt ab incredulis & gentibus a Deo alienis Pſalm. CXLVII, 19. 20. Hac diſtinguuntur a filiis hujus mundi, quorum ſenſus occœcavit Princeps tenebrarum, ne videant pretium ac decus veritatis Evangelicæ 2 Cor. IV, 4. 1 Cor. II, 14.

XIV. h. Notamus inſuper torques inter pretioſiſſima *dona* fuiſſe apud antiquos, quæ amicis ſuis atque clientibus honorandis, in ſignum tenerrimi favoris, diſtribuebant Reges, atque *militibus* in prœlio forti animo pugnantibus, in ſignum triumphi, donabant Imperatores. Clientes a Regibus hoc ornatu donatos eſſe, ex hiſtoria *Joſephi* Geneſ. XLI. & *Danielis* Cap. V. ſupra vidimus. Similiter Darius apud JOSEPH. *antiq. Lib. XI. Cap. IV.* pollicetur cuſtodi cuidam corporis ſui: *Τούτῳ γέρας δώσειν νικητήριον, πορφύραν ἐνδύσασθαι, καὶ ἐν ἐκπώμασι χρυσοῖς πίνειν, καὶ ἐπὶ χρυσίον καθεύδειν, καὶ ἅρμα χρυσοχάλινον, καὶ κίδαριν βυσσίνην, καὶ περιαυχένιον χρυσῆν* &c. Huc reſpicit HOMER. *in Odyſſ. Lib. VIII.*

> *Ἦλυθ' ἀνὴρ πολυΐδρις ἐμοῦ πρὸς δώματα πατρὸς,*
> *Χρύσεον ὅρμον ἔχων, μετὰ δ' ἠλέκτροισιν ἔερτο.*
> *Namque mei ſolers ſubiens vir tecta parentis*
> *Attulit electro fulgens auroque monile.*

Ita Medicus Artaxerxis *ἐλπίζειν κάνδυν πορφυροῦν, καὶ στρεπτὸν χρυσοῦν*, *candyn purpureum & torquem aureum ſperare*, dicitur apud LUCIAN. *Quom. hiſt. ſcrib. ſit. Tom. II. opp. p. m. 409.*

Quod poſt triumphum *ducibus* ac *militibus* ſtrenuis fuerit donatus torques, conſtat ex JUVENAL. *ſat. ult.*

> *Ut læti phaleris omnes & torquibus omnes.*

TACIT. *hiſt. Lib. III. Torque donat & haſta.* Et: *Auxiliares & externos torquibus aureis donavere, cives non niſi argenteis*, ſcribit PLIN. *hiſt. Lib. XXXIII. c. II.* SENECA *lib. I. de benef. cap. V. Imperator*

aliquem

aliquem torquibus, murali ac civica donat. Plura loca dabunt BULENG. *de triumph. col. 25.28. &c. &* SCHEFF. *de torquibus p. 84. ſq. 104. ſq.* Huc pertinent Inſcriptiones quamplurimæ apud GRUTERUM, qualis inter alias illa, quæ ex *p. CCCLVII. n. 1.* notanda:

D. M. S.
C. ANTONIO. C. F. FLAVINO. VI. VIRO. JUN.
HAST. LEG. II. AUG. TORQUE
AUREO. ET AN. DUPL. OB VIRT.
DONATO. JUN. VERECUND. FLAM.
PERPET. MUN. EBOR. MATER. P. C.

nec non pag. CCCLVIII. n. 11.

L. ANTONIUS. L. F.
FAB. QUADRATUS
DONATUS. TORQUIBUS
ET. ARMILLIS. AB.
TI. CÆSARE. BIS.

Plura leges pag. CCCL. 1. CCCXCI. n. 4. CCCCXXIX. 1. CCCCXLIII. 2. MXCVI. n. 4. 6. MCII. 4. &c. Adde quas ex FABRETTO adducit Cl. NICOLAI *ad Scheff. l. c. p. 84.*

Veritas majus adhuc atque multo pretioſius donum eſt, hæc eſt margarita illa pretioſa, quam ſibi comparans ille in parabola, omnia vendebat. Matth. XIII, 46. Quæ cum diſpendio omnium hujus mundi divitiarum coëmenda Prov. XXIII, 23. Quæ a Deo datore illius ſupremo precibus calidiſſimis expetenda Jac. I, 17. Pſ. XLIII, 3. Et tanquam donum pretioſum eſt adſervanda Apoc. III, 3. Quare non niſi *τοῖς* חסידים Dei, in ſignum favoris divini conceditur hoc donum. Pſ. CXLVII, 19. 20. 2 Theſſ. II, 13. Eph. I, 17. 18. Inſuper & illis, qui in *militia* ſpirituali fortiter ſe gerunt, qui promiſſionibus hujus veritatis Evangelicæ coronantur atque excitantur. Apoc. II, 7. 17. III, 5. 20. 21. 2 Tim. IV, 7. 8. Promiſſiones enim hujus veritatis totam gloriam futuram ac felicitatem perfectam continent, quæ ſi per Spiritum Dei, ſub duce Chriſto militantibus hoſtesque ſpirituales ſuperantibus, atque de iisdem triumphantibus, applicantur, æternæ gloriæ, ſummæ felicitatis atque honoris coram Deo

nunquam perituri, certiores redduntur, atque ita præmium fortitudinis capeſſunt. 2 Tim. I, 12. II, 12. Apoc. II, 10. Rom. VIII, 38. 39.

XV. i. Inter *dona* quoque *Sacra* atque conſecrata referendus eſt torques. Diis enim in Templis ac ædibus conſecrari ac ſuſpendi ſolebat. Ita PAUSAN. *in Bœotic.* ſcribit: ἐςὶ δὲ Ἀμαθȣ̃ς ἐν Κύπρῳ πόλις. Ἀφροδίτης ἱερόν ἐςιν ἀρχαῖον. Ἀνακεῖσθαι δὲ ἐνταῦθα λέγȣσιν ὅρμον, Ἁρμονίᾳ μὲν δοθέντα ἐξαρχῆς. Eſt vero *Amathus in Cypro urbs; & in ea Veneris antiquum fanum, in quo dedicatum ferunt torquem, Harmoniæ datum ab initio.* Et FLORUS *Lib. II. cap. IV. §. 4. Mox Aſtrionico duce vovere de noſtrorum militum præda Marti ſuo torquem.* Nec non VARRO *de Pop. Rom. Lib. I. Torques aureæ multæ relatæ Romam, atque conſecratæ.* Plura loca congerit Cl. SCHEFFER. *l. c. p. 126.* Huc refer inſcriptiones paſſim apud GRUTERUM obvias veluti illam pag. LXX. 8. a variis citatam, ubi ÆSCULAPIO torques dicatus dicitur. Veluti & apud eundem pag. CCCXXIII. num. 1.

EX JUSSU I. O. M. HELIO
POLITANI. AUR. THEODO
RO. SACERDOTI. FILIO. CURATOR
TEMPULI. CEREMEILENSIUM Φ.
ADAMPLIANTE. DONIS. TOR
QUEM. ET VELUM. SAC.
ET LUCOPHORIDE. SUO. POS.

Veritas Θεόπνευςα, a Deo ortum trahens, ad ipſius quoque gloriam atque cultum tendit atque dirigenda eſt. Sanctificandi enim ſunt credentes verbo Dei, quia verbum hoc eſt veritas Joh. XVII, 17. Præcipue autem hunc veritatis torquem Deo conſecrant credentes, dum fructus ejusdem atque effectus cultui atque gloriæ divinæ dicant. Omnem ſuum honorem, omnem gloriam, omne decus ſoli Deo tribuunt, & cum XXIV. Senioribus hanc coronam a Deo ipſis conceſſam denuo coram pedibus ipſius quaſi deponunt Apoc. IV, 10. dicentes: *Dignus tu es Domine, qui accipias gloriam honorem & virtutem - v. 11. non nobis, non nobis, ſed tibi ſit gloria.* Pſ. CXV, 1. Sic aliquando in cœlis Deo conſecrabunt hoc redimiculum, quando non per ſpeculum amplius gloriam Dei intueri opus eſt, ſed a facie ad faciem eandem contemplabuntur 1 Cor.

XIII, 12. & ipſa majeſtate ac gloria divina quaſi cingentur. 2 Cor. III, 18. Pſ. XVII, 15.

XVI. Ecce gloriam inſignem Sponſæ myſticæ, torque veritatis ornatæ! En medium, quo *cor Sponſi* cœleſtis *rapere* tibique conciliare, o anima! poteris. O utinam Eccleſia Proteſtantium hoc veritatis puriſſimæ torque donata, in illo omne poneret decus atque ornamentum! Aſt eheu quam triſtis nunc ipſius apparet facies! *Quomodo obſcuratum ejus eſt aurum, & fuligine obductum obryzum ejus præſtantiſſimum!* Thren. IV, 1. Externa gerimus ſæpe profeſſione hunc torquem, ſed proh maculatum atque indigna vita obfuſcatum, ita ut Sponſus cœleſtis jure merito Eccleſiæ ſuæ inclamare queat Apoc. III, 3. *Memento, quomodo acceperis* (veritatem) *& ſerva illam* (adeoque & puram). *Quod ſi non invigilaveris, veniam adverſus te tanquam fur, neque intelliges qua hora venero.* (ut tibi illam rapiam aliisque melius eam cuſtodientibus tradam.) Pudeat tot veritatis Evangelicæ confeſſores, qui pretioſum hocce donum poſſident atque negligenter illud habent, nec vera fide ſibi applicant, ut ita oculis Dei complacere poſſint. Qui torque luxus atque oſtentationis hujus mundi ſe exornant & majori ſibi honori ſæpe ducunt, ſi honoris mundani titulo a Rege terreſtri donantur atque ipſius favoris ſigno, quam ſi nomen Regis Regum & Domini Dominorum in fronte gerere ipſis concederetur. Si torques conceditur *militibus* fortiter pugnantibus, quam pauci erunt, qui illo digne ſe geſſerunt, quum ne ullum de tentationibus Satanæ aut peccati triumphum multi reportaverint. Lacedæmoniæ olim matres filiis in bellum profecturis ingeminabant porrecto clypeo: *aut in hoc aut ſuper hoc.* Idem de veritate tibi inculcatum ſcias, aut hanc tuere aut ſuper eadem moriaris. Quum *torques* hic veritatis veræ *nobilitatis* ſit inſigne, quod libertos Domini a mancipiis Satanæ diſtinguit, o quis a manu Domini illum oblatum non lubentiſſime arriperet? Aſt proh animas ignobiles, qui duriſſimum peccati jugum geſtare malunt, quam fide veritatis redimiculum amplecti! Beatos autem deprædicamus illos, qui excuſſa ſervitutis peccati catena, aureum hunc nacti ſunt torquem, quo gloriantur coram mundo tanquam ex Deo geniti *liberti*, quo *victores* exiſtunt de mundo, peccato, Satana, & cujus glorioſos effectus æternum aliquando celebrabunt.

EXERCITATIO III.
DE
SYLVA SYMB. GENTIUM AC HOSTIUM REGNI MESSIÆ.

JESA. XXXII, 19.

ARGUMENTUM.

Loci Jeſ. XXXII, 19. variæ verſiones atque expoſitiones recenſentur §. I. SYLVAM variarum rerum emblema, in ſpecie gentium eſſe docetur §. II. Quod ex variis analogiis demonſtratur. Primo quidem ex attributis & contentis Sylvæ. Quum ſylva ſit regio inculta, deſerta, ſterilis §. III. Ex arboribus infrugiferis non niſi folia producentibus conſtet §. IV. Paſcua graminea, ſed arida atque ingrata exhibeat. §. V. Nihilominus etiam mel ſylveſtre dulciſſimum producat. §. VI. nec non fontes atque flumina, in quibus lavare ſolebant veteres, poſſideat. §. VII. Verum etiam ſaxis, vallibus ac collibus difficilem ſe præbeat viatoribus. §. VIII. uti & antris latronum, ſpeluncis ferarum rapacium & cavernis ſerpentum horreat §. IX. aves quoque nidulantes & dulce canentes alat. §. X. Denique Deos Deasque varios foveat. §. XI. Secundo loco accidentia quædam Sylvarum memorantur, quod umbram denſiſſimam fundant, & ſolis lumen prohibeant. §. XII. Quod ventis aſperis expoſitæ concutiantur & ſæpe cum fragore proſternantur. §. XIII. Fulminibus atque ignibus obnoxiæ ſint §. XIV. ac denique ſecuribus exſcindi ſoleant. §. XV. Tertio varii uſus ſylvarum recenſentur, civiles, *quatenus aſylum contra hoſtes præbeant, ubi loca Jer. IV, 29. & Jeſ. XXI, 13. illuſtrantur. §. XVI.* domeſtici, *quatenus convivia, feſta læta celebrare, inque iis diſcumbere, habitare atque ambulare ſolebant. §. XVII.* Sacer *denique, ubi de Lucorum origine & autoribus, qui de iis ſcripſere §. XVIII. Quæ omnia Lemma claudit morale. §. XIX.*

I. Du-

I.

DUbiæ verſioni ſubjici ſolent verba Vatis *Jeſ. XXXII, 19.* וברד ברדת היער Quæ alii vertunt. *Et grandinabit in imo Sylvæ*, veluti Cl. DIEU, qui locum hunc eſſe difficillimum pronuntiat. C. a LAPIDE: *Grando autem in deſcenſione ſaltus.* *LYRA* ſingulari ratione exponit hæc verba: *Grando*, ſcribit, i. e. multitudo exercitus Romani, *erit in deſcenſione ſaltus* i. e. in dejectione templi & domus regiæ. Alii: *Et grando in ſylvam deſcenſu divertet.* vel divertat grando cum deſcenderit in Sylvam, ut CLARIUS. Alii, *quando deſcenderit in Sylvam*, ſc. Dominus, *grando in Sylvam deſcendet*, uti FORERIUS explicat. GROTIUS magnus Interpres: *Grando autem deſcendet ſuper Sylvam.* COCCEJUS: *Grandinabit, ut deſcendat Sylva.* VITRINGA: *grandinabit in deſcenſu Sylvæ.* Jam vero quoad ſenſum myſticum ſimiliter diſcrepant Interpretes, dum alii de *excidio Hieroſolymitano*, & deſtructione templi, alii de *clade Aſſyriorum* & regni Syriæ deſtructione cum Cel. *Vitringa*, aut *Babylonis* interitu cum magno *Grotio* hæc verba intelligunt. *Primario* quidem ſenſu judicia in vaſtum Aſſyriæ regnum & depreſſionem faſtus Babylonis hoc commate depingi cenſemus, ſed ſimul ſenſu *ſecundo* judicia in *Babylonem myſticam*, i. e. Antrichriſtianiſmum exercenda delineari, ex collatione loci paralleli Apoc. XVI, 19-21. contendimus. Quare per *grandinem* judicia graviſſima, per *Sylvam* autem regna adverſaria gentium atque Anti-Chriſti intelligi hoc loco cenſemus.

II. *SYLVA*, quæ eſt complexus atque collectio ingentis arborum præcipue infrugiferarum multitudinis

a). in genere Symb. eſt *hominum* atque *populorum*, quum arbores communi figura homines exprimant in ſcriptis ſacris & profanis, veluti id jam docuimus in *Emblemat. Sacr. Lib. I. Exerc. XI. p. 133. ſq.* Vide etiam ex ſacris Hiob. XIX, 10. XXIV, 20. Jeſ. XLIV, 23. VII, 2. X, 19. XI, 19. Pſ. CIV, 16. Eccleſ. XI, 3. &c.

b) In ſpecie etiam *multitudinis adverſariæ*, copiarum atque *exercitus hoſtilis.* Quemadmodum gentes ab aquilone, hoſtes Ægypti, conſiderantur tanquam ſecurigeræ, quæ exſcinderent *ſylvam Ægypti* i. e. exercitus ejus. Jer. XLVI, 22. 23. Similiter copiis militaribus haſtis ac

jaculis inſtructis *ferratum nemus* tribuit STAT. PAPIN. *Lib. VIII. Thebaid. v. 705.* Huc reſpicit VIRGIL. *Lib. X. Æneid.*

Immanem ærato circumfert tegmine ſylvam.

c) Specialiſſime in Scriptis ſacris *gentium* a communione veri Dei cultus ac cognitionis ſalutaris *remotarum* Symbolum eſt *ſylva*, quum Eccleſia *agro* & arboribus horti frugiferis comparetur. Ita Pſ. XCVI, 12. *arbores Sylvæ* lætitia exultare & cantare dicuntur, quando ſc. per vocem Evangelii ad communionem regni Meſſiæ evocabuntur. Et quando *arvum* pro *Sylva reputandum* dicitur Jeſ. XXIX, 17. XXXII, 17. rejectio Judæorum, qui a communione regni Meſſiæ excludendi erant ob incredulitatem, inſtar gentium ſub V. T. excluſarum, denotatur. Quemadmodum reliquiæ Iſraelis & ſemen ſanctum in Aſſyria per Dei providentiam conſervatum, aſſimilantur cum Leone inter *beſtias Sylvæ*, i. e. ſubditis regni Aſſyriorum. Mich. V, 8. ut alia loca taceam.

III. Quam elegantiſſima gentium regno Chriſti adverſariarum figura ſit *Sylva*, ex analogiis conſtabit heic adducendis: Quas vel ex *attributis* & *contentis* nemorum, vel ex *accidentiis* eorum, ſive denique ex variis illorum *uſibus* derivabimus.

A. Quod ad attributa ac contenta Sylvarum attinet

1. In genere obſervamus, *SYLVAS* eſſe loca *inculta*, *deſerta* atque horrida, adeoque in ſcriptis ſacris opponi ſolent *arvis* frugiferis, כרמל Hebr. dictis Jeſ. XXIX, 17. imo יער atque מדבר alternant atque idem ſignificant Jeſ. XXXII, 15. Talem exprimit Sylvam OVID. *Amor. Lib. III. eleg. 1.*

Stat vetus & multos incædua Sylva per annos.

Et M. AUREL. OLYMP. *Nemeſ. Buc. eclog. IV.*

Sic ſua deſertis nudarunt vulnera Sylvis.

Nec non VIRGIL. *Georg. L. II. ecl. 3.*

Tantum inter denſas umbroſa cacumina Sylvas
Aſſidue veniebat, ibi hæc incondita ſolus
Montibus & Sylvis ſtudio jactabat inani.

Ac denique PROPERT. *Lib. I. eleg. IV.*

Hæc certe deſerta loca & taciturna querenti
Et vacuum zephyri poſſidet aura nemus.

Egregie

Egregie hoc pingit naturam gentium a communione regni Dei ſeparatarum ſtatum, utpote quæ tanquam *incædua Sylva* cogitationibus perverſis & præjudiciis corruptis occœcatæ & irretitæ ſunt 2 Cor. IV, 4. Eph. II, 2. & perverſis concupiſcentiis carnis naturalis adeo imprægnatæ, ut arbori Sylveſtri ramis ſuis perplexis abundanti ſimiles exiſtant Rom. I, 28. 29. 30. Eph. II, 3. Nunquam cultro Evangelii atque Spiritus S. a ſummo noſtro Agricola putatæ atque purgatæ ſunt, id quod in arboribus frugiferis, i. e. credentibus ſolum exequitur Joh. XV, 2. turgent ſucco naturalium concupiſcentiarum, ſed ſucco Spiritus S. qui fruges ſalutares in arboribus Chriſto implantatis per fidem producit Joh. XV, 4. 5. Rom. XI, 17. deſtituuntur. Idem de Anti-Chriſto teſtatur Apoſtolus 2. Theſſ. II, 10. 11. 12.

IV. 2. Sylva conſtat ex variis *arboribus* aſt ſterilibus & non niſi *folia* decidua proferentibus, atque cortice duro, inculto atque aſpero præditis. Quare in ſacris עצי היער in oppoſitione arborum frugiferarum emblema hominum contemtorum atque perverſorum ſunt Cant. II, 3. Arbores Sylvæ infrugiferas deſcribunt Rabbini in *Gemar. Sanhedr. Cap. VII. §. IV.* אילנות שאין אוכלין ואין שותין ואין מריחין אמרה התורה השחת שרוף וכלה. *Arbores, quæ nec edunt, nec bibunt, nec olfaciunt, juſſit lex exſcindi, cremari, aboleri.* Quare VIRGIL. *Eclog. V. Montes feros Sylvasque & duras quercus* memorat. Et *Georg. Lib. I.* canit:

- *intereunt ſegetes, ſubit aſpera Sylva,*
Lappæque & tribuli, interque nitentia culta,
Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.

nec non *Lib. II.*

Ipſæ Caucaſeo ſteriles in vertice Sylvæ.

Ita gentiliſmus ex variis & innumeris conſtat membris, quæ ſpiritu ſanctitatis deſtituta, etiam opera ſalutaria proferre nequeunt, ſed inſtar arborum ſterilium, non niſi confeſſionem corruptæ naturæ convenientem, atque aſperum Deoque ingratum plane ſtatum exhibebant, i. e. vitam externis propter induratam conſcientiam vitiis ac peccatis aſperam, quorum catalogum integrum recenſet Apoſtolus Rom. I. Gal. V, 19. Eph. II, 2. 3. Dedita enim erant mortuis operibus tenebrarum, absque

ſpiritu

ſpiritu Dei vivi in hoc mundo exiſtentes. Heb. IX, 14. Idem de Antichriſtianiſmi confeſſoribus docent, quæ de confeſſione & cultu vitaque eorum legimus Col. II, 22. 23. Apoc. XIII, 16. 17. XVIII, 4. 5.

V. 3. In ſylvis quoque *paſcua* reperiuntur, verum admodum ſterilia atque æſtu quaſi *torrida* atque exſiccata. De *paſcuis ovium* in Sylvis legimus Ezech. XXXIV, 25. ubi ovibus promittitur habitatio ſecura in deſertis *& cubatio in ſylvis* ſc. paſcuis. Huc etiam refer LUCRET. *Lib. V.*

Avia per nemora, ac Sylvas, ſaltusque reperta,
Per loca paſtorum deſerta.

Ejusmodi gramina Sylvæ exprimit OVID. *VI. faſt. v. 411.*

Hic quoque lucus erat, juncis & arundine denſus,
Et pede velato non adeunda palus.

nec non *Artis amat. Lib. III. v. 689.*

Sylva nemus non alta facit, tegit arbutus herbam.

Quare OPPIAN. ἁλ. α. ὕλην ἀγρονόμον *agreſtia paſcua ſylvæ.* Et HOMER. *Odyſſ. ξ.*

Ἔνθ' ἀναβὰς ὅθι τε δρύος ἦν πολυάνθεος ὕλης

nemus *multo flore* ſeu *gramine* conſitum memorat.

Paſcua quoque myſtica in Sylva gentium deprehendis ſed arida, ſicca atque ingrata. Legem equidem naturæ cordi inſcriptam plurimæ gentes ſervarunt, ſed figmentis humanis ac idololatricis ita corruperunt, ut ſalutare animæ pabulum præbere nequeat. In Eccleſiæ veræ arvo paſcua irrigua veritatum ſalutarium deprehendes, ad quæ paſcit Summus Paſtor oves ſuas Pſ. XXIII, 1. 2. Hæc ſunt pingues illi colles, in quibus paſcentes cubaturæ erant oves Iſraelis Ezech. XXXIV, 13. 14. educens eas ex paſcuis Sylvis Babylonis gentium. Talia quoque paſcua in Antichriſto reperies, quæ humanis figmentis & ἐθελοθρησκείᾳ corrupta, animæ verum pabulum non exhibent Col. II, 23.

VI. 4. Nihilominus *mel ſylveſtre* in Sylvis legitur, quod dulciſſimi ſæpe ſaporis eſt. Quale deprehendit Jonathan in *Sylva* fluens 1 Sam. XIV, 25. 26. Quale vel apes in ſaxis & arborum truncis præparant, vel ex arboribus fluere & ſtillare ſolebat. Ita Johannes μελὶ ἄγριον *mel ſylveſtre* comediſſe legitur Matth. III, 4. Memorat illud OVID. *Metam. I. 112.*

Flava-

Flavaque de viridi ſtillabant ilice mella.

Et VIRGIL. *Eclog. IV.*

Et duræ quercus ſudabant roſcida mella.

Et denuo OVID. *Lib. III. faſtor.*

Quærebant flavos per nemus omne favos.

Scribit etiam PHOCYLIDES in Νȣθετικ. *v. 160.*

Κάμνει δ' ἠερόφοιτος, ἀριστοπόνος τε μέλισσα,
Ἠὲ πέτρης κοίλης κατὰ χηραμὸν, ἢ δονάκεσσιν,
Ἢ δρυὸς ὠγυγίης κατὰ κοιλάδος.
Operatur quoque aëria & laborioſa apis,
Aut in antro cavæ petræ, aut in arundinibus,
Aut in antiquæ quercus cavitate.

Mel quum eloquentiæ commune ſit ſymbolum veluti alibi demonſtrabimus, ſylveſtre mel *humanæ eloquentiæ* aptum poterit emblema eſſe. Et hanc in ſcriptis gentium quoque deprehendimus. Sane egregia præcepta moralia, melle dulciſſimæ eloquentiæ referta apud eas deprehendimus. Veluti, qui moralia Catonis, Ciceronis, Platonis, Senecæ, Socratis aliorumque conſiderans, fateri tenetur. Ex ſcriptis ſacris varia tanquam apes hauſerunt, præcipue illæ gentes, inter quas Judæi diſperſi degebant. Sed tamen mel eſt *ſylveſtre*, & melli divinæ eloquentiæ, quod in ſacris Eccleſiæ Dei ſcriptis reperitur, minime æquiparandum. Pſ. CXIX, 103. Et in Antichriſtianiſmo *mel* eloquentiæ humanæ atque adulationis deprehendes, quo animas incautas ineſcant. Apoc. XVIII, 3.

VII. 5. *Fontes* atque *flumina* in Sylvis ſcaturiunt, qui leni ſuſurro animum recreant, & in quibus veteres lavare ſeſe atque *abluere* ſolebant. Quo reſpicit *Pſaltes CIV, 10.* המשלח מעינים בנחלים בין הרים יהלכון. *Qui emittis fontes in vallibus ut inter montes diffluant.* Similiter EURIPID. *in Bacch. v. 1091.* *χειμάῤῥȣ νάπης torrentis ſylvæ* meminit. Et HOMER. *Odyſſ. V.*

Βῆ ῥ' ἴμεν ἐς ὕλην, τὴν δὲ σχεδὸν ὕδατος εὗρεν
Feſtinabat ad Sylvam, in qua aquas invenit.

Atque VIRGIL. *Georg. Lib. III.*

Saltibus in vacuis paſcant, & plena ſecundum
Flumina.

 Ad

Ad ſtrepitum gratum horum fontium reſpicit ANACREON *ep. XXII.*

Ἁπαλὰς σείει δὲ χαίτας,
Μαλακωτάτῳ κλαδίσκῳ,
Παρὰ δ' αὐτῷ ἐρεθίζει
Πηγὴ ῥέουσα πειθοῦς.

Agitet comasque molles, *Teneræ ſonentque frondes,*
Prope fons fluat perennis *Suadæ, ſtrepente lympha.*

Ad uſum lavandi vero OVID. *Faſt Lib. II. v. 166.*

In medio gelidæ fons erat altus aquæ
Hac, ait, in ſylva, Virgo Tegeea, lavemur.

Et EURIPID. *Andromach. v. 283.*

Ταὶδ' ἐπεὶ ὑλοκόμον νάπος ἦλθον
Ὀρείαν, πιδάκων νίψαντο
Αἰγλάεντα σώματ' ἐν ῥοαῖς.
Iſtæ vero venerunt ad arboreum nemus
Montanum, fontiumque abluerunt
Nitentia corpora in aquis.

Fontes in Gentiliſmo emblema exhibent tot Philoſophicarum Scholarum, in quibus animos diſcipulorum variis diſciplinis atque ſcientiis imbuebant Doctores Σοφοί. *Fontes* enim Doctorum emblema eſſe, alibi demonſtravimus. Et ſane plurimas Σοφῶν Scholas apud gentes fuiſſe, Platonicorum, Pythagoricorum, Stoicorum, Epicureorum &c. ſectæ docent. Quales Athenis quoque fuiſſe ex Act. XVII. conſtat. Qua doctrina, carni ſæpe haud ingrata, qui imbuti erant, difficili negotio perſuaderi poterant ad ſuſcipienda dogmata ſalutis, carni ingrata. Col. II, 8. 1 Tim. IV, 7. Act. XVII, 18. In his autem philoſophiæ fontibus maximas delicias ponebant gentes, eorum ſuada ac ſono gratiſſimo recreabant animos.

VIII. 6. Verum & *lapides* atque *ſaxa*, *valles* atque *colles* in Sylvis deprehendimus, viatoribus maxime difficiles & impedimenta haud exigua objicientes. Qualis erat *Sylva deſerti Ziph*, in qua David latuit 1 Sam. XXIII, 14. 15. 24. XXVI, 2. quam nemoroſam, ſaltuoſam, antris ac cavernis petroſis refertam deſcribit ADRICHOMIUS. Talis quoque erat portio Ephraimi & Manaſſis in Canaane, regio nemoroſa, atque mon-

montana Joſ. XVII,18. *Sylvas petroſas* paſſim quoque apud profanos memoratas legimus; ita HOMER. *Iliad. XV.* ἠλιβάτον πέτρων καὶ δάσκιον ὕλην *excelſas petras & ſylvam umbroſam* conjungit. Similiter OVID. *IV. metam. v. 776.* canens:

- *perque abdita longe*
Deviaque & ſilvis horrentia ſaxa fragoſis.

Montibus ac *vallibus* munitas Sylvas memorat HOMER. *Iliad. XVI.* canens:

Οὔρεος ἐν βήσσῃς βαθέην πολεμιζέμεν ὕλην.
Montis in convallibus altam concutere ſylvam.

Nec non *Iliad. XXI.*

Ἴδης ἐν κνημοῖσι πολυπτύχȣ ὑληέσσης.
In montibus Idæ ſylvoſæ multis collibus obſitæ.

Et RUTIL. *Itin. Lib. I.*

Eminus Igilii Sylvoſa cacumina miror.

Atque OVID. *art. am. III. v. 427.*

Sæpe canes fruſtra nemoroſis montibus errant.

Talia quoque impedimenta in gentium ſaltu deprehendebant viatores myſtici, præcipue Rex Meſſias cum heroibus ac præconibus ſuis, quando ad earum converſionem exibant. Heic varios præjudiciorum alte radicatorum *lapides* & *ſaxa*, heic *montes* atque *colles* juſtitiæ ex cultu idololatrico ſibi comparandæ, & excelſa rationis, *valleſque* concupiſcentiarum ac βάθη tentationum Satanæ Principis ac Dei hujus mundi detegunt, quæ omnia ſuperatu difficilia exiſtunt. 2 Cor. X, 5. Epheſ. II, 2. 2 Cor. IV, 6. Quare lapides & ſaxa hæc in adventu regni Meſſiæ ad gentes removendi, montes & colles adæquandi erant. Jeſ. LXII, 10. Cantic. II, 8. Jeſ. II, 14. Jeſ. XL. 4. montes & colles ſubſidere ac evaneſcere oportebat. Jeſ. LIV, 10. Quando enim Meſſias in robore ſuo incedit, montes ſeculi conteruntur, & colles hujus ævi ſubſidunt. Hab. IV, 6. Nah. I, 5. Luc. III, 5.

IX. 7. In Sylvis quoque *antra latronum*, *ſpeluncæ ferarum* rapacium, leonum, luporum aprorumqne ſævorum atque cavernæ *ſerpentium* venenatorum reperiuntur, adeoque viatores in hiſce ambulantes periculo maxime expoſiti ſunt. De *feris* in nemoroſis ſaltibus legimus Levit.

 XXVI,

XXVI, 22. 2 Reg. XIV, 9. 2 Paral. XXV, 18. Hiob. V, 23. XXIV, 5. XXXVII, 8. Pſ. LXXX, 14. Pſ. CIV, 12. 20. Hoſ. II, 12. uti Leo in ſaltu Amos. III, 4. Mich. V, 7. vide etiam Jeſ. LVI, 9. Jer. V, 6. XII, 8. Pſ. L, 10. Ezech. V, 17. Quemadmodum urſi bini, qui 42. pueros Eliſæ illudentes, dilacerabant, ex ſaltu proximo in ipſos irruiſſe dicuntur 2 Reg. II, 24. Ad feras rapaces Sylvarum reſpicit adagium Perſarum ap. WARNER. in *prov. XLVI.*

مر بيشه كيان مبر كه خاليست شايد كه پلنگي خفته باشد *Noli existimare Sylvam esse vacuam, forte tigris rapax in ea latet.* Similiter Arabs quidam apud Cl. SCHULT. *ad* HARIR. *Conſ. I. p. 37.*

عيص تزار فيه الاسود

Perplexitas Sylvæ, in qua Leones rugiunt.

Ita EURIPID. in *Φοινισσ. v. 809.* πολυθηρότατον νάπος, *nemus feris abundantiſſimum,* memorat, atque in *Alceſt. v. 580.* νάπαν λεόντων, *Saltum Leonum,* qui vocibus ſuis nemus omne replent, adde EURIPID. *in Bacch. v. 1083.* & HOMER. *Il. Lib. XXI.* de panthera:

Ἠύτε πάρδαλις εἶσι βαθείης ἐξ ξυλόχοιο.
Veluti panthera venit profunda ex Sylva.

VIRGILIUS in genere *Æneid. Lib. III.* de antris ferarum canit:

Cum vitam in ſylvis inter deſerta ferarum
Luſtra domosque traho.

De *latronibus,* quales erant Cyclopes, in antris ſaltuum & cavernis petrarum latentibus, vide VIRGIL. *Æneid. Lib. III.* Et HOMER. *Odyſſ. Lib. IX.* qui de iis canit:

Ὤκεον ἐν σπήεσσι δι' ἄκριας ἠνεμοέσσας.
Habitabant in ſpeluncis per promontoria ventoſa.

Similiter LUCIAN. in *Pſeudoman. p. m. 524.* ſcribit: Ἡμεῖς δὲ πολὺ ὠμοτέρου λῃστοῦ μνήμην ποιησόμεθα, ὃς μὴ ἐν ὕλῃ καὶ ὄρεσιν, ἀλλ' ἐν πόλεσιν οὗτος ἐλῄστευεν. *Nos vero multum crudeliorem latronem memorabimus, qui non in ſylvis ac montibus ſolum, ſed ipſis in urbibus ſit latrocinatus.*

Iisdem periculis exponebantur teſtes veritatis inter gentes, qui mitte-

mittebantur tanquam oves ad lupos rapaces. Matth. X, 16. Luc. X, 3. Sed quibus etiam data poteſtas calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, i. e. ſuperandi hoſtes lividos maxime ac callidiſſimos, Luc. X, 19. pugnandum ipſis in hac ſylva gentium erat cum beſtiis feris & crudeliſſimis inimicis 1 Cor. XV, 32. Fera enim animalia in ſcriptis ſacris commune hoſtium truculentiſſimorum ac in ſpecie hoſtium veritatis Cantic. II, 15. Ezech. XXXIV, 8. ſymbolum ſunt, vide Jer. XXVIII, 13. Ezech. V, 17. Hoſ. II, 12. Pericula ſua inter haſce feras in ſylva gentium exantlata recenſet Apoſtolus 2 Cor. XI, 26. 27. *Latronum* quoque ſpeluncas experti in ea ſunt teſtes Evangelii, quum horrendis perſecutionibus inter gentes & variis mortis generibus cruentiſſimis ſæpe fuerint dilaniati, quorum catalogum recenſent viri Docti, qui de cruciatibus martyrum ſcripſere. Quot millia teſtium in hiſce latronum ſpeluncis ſub Domitiano aliisque Gentium Imperatoribus ſanguinem fuderunt.

X. 8. *Aves* porro in ſylvis variæ *nidulantur*, & ſuaviſſimo ſæpe ſono transeuntes recreant, atque aures *cantu* ſuo licet *fero* demulcent. Huc alluditur Pſalm. CIV, 12. עליהם עוף השמים ישכון מבין עפאים יתנו קול *Juxta illos habitant volatilia cœli, e medio frondium ſuaviter canentia.* Et comm. 16. 17. *plantaſti cedros Libani, in quibus nidos ſuos conſtruunt aviculas.* Conf. etiam Ezech. XVII, 23. XXXI, 6. 13. Matth. VIII, 20. Luc. IX, 58. Ad nidos avium in Sylvis refer, quæ EURIP. *in Bacch. v. 955.* canit:

> *Καὶ μὴν δοκῶ σφᾶς ἐν λόχμαις, ὄρνιθας ὥς,*
> *Λέκτρων ἔχεσθαι φιλτάτοις ἐν ἕρκεσιν.*
> *Atqui mihi videor eas in ſylvis, uti aves,*
> *Lectorum comprehendere gratis in ſeptis.*

Et HOMER. *Odyſſ. Lib. V.*

> *Ὕλη δὲ σπέος ἀμφιπεφύκει τηλεθόωσα*
> *Ἔνθαδέ τ᾽ ὄρνιθες τανυσίπτεροι εὐνάζοντο.*
> *Sylva autem ſpecum circum creverat vireſcens*
> *Ibi quoque aves extenſis alis nidulabantur.*

vide etiam VIRG. *Georg. Lib. II.* & *Lib. IV.* Ad cantum reſpicit OVID. *Amor. Lib. III. el. 1.* deſcribens Sylvam antiquam;

Et latere ex omni dulce queruntur aves;
Hic ego dum ſpatior tectus nemoralibus umbris &c.

Et *Metam. Lib. V. v. 674.*

- - volucreſque novas accedere Sylvis &c.
Nunc quoque in alitibus facundia priſca remanſit,
Raucaque garrulitas.

Aves in Sylvis emblema exiſtere poterunt animarum Dei communionem anhelantium, quales inter gentes ſub N. T. etiam adhuc ſuperſtites & reti Evangelii capiendæ erant. Anima enim cum *avi* comparatur Pſ. XI, 1. CXXIV, 7. Credentes ex gentibus, in Sylvis quaſi nidum habentes, domum paternam relinquere debebant Pſ. XLV, 11. ſemen hoc ex matre ſterili i. e. gentibus, procreatum multiplicandum & in Eccleſiam Dei colligendum erat Jeſ. LIV, 1-4. Hæ aves ſuſpiria Deo grata fundebant, anhelabant Dei communionem, ejusque laudes ac virtutes celebrabant Jeſ. LX, 6. Hæc eſt vox turturis in fiſſuris petræ, Deo maxime grata Cant. II, 14. Uti etiam credentes ex gentibus comparantur *turturibus* ſeu *palumbibus pullos in nido excubantibus pro altari Jehova* Pſ. LXXXIV, 4. quibus junguntur *columbæ* ſc. cicures *domum invenientes*, itidem ad excubandum pro altari Dei pullos, per quas credentes ex Judæis intelligimus. Quod alibi Deo volente excutiemus. Tales in Antichriſtianiſmo quoque ſupererant Apoc. XIV, 1-3. XV, 2.

XI. 9. *Deos* varios *Deasque* Sylvarum Dominos ac tutores ſtatuebant veteres. Huc reſpiciunt Syri, quando Deum Iſraelis אלהי הרים *Deum montium* adeoque ſylvicolam appellant. 1 Reg. XX, 23. 28. *Sylvanus* præcipue *nemorum* Dominus habebatur, de quo M. AUREL. OLYMP. *Nemeſ. Buc. ecl. II. v. 56.*

Et nemorum Sylvane potens & noſtra Dione,
Quæ juga celſa tenes Erycis.

Et VIRGIL. *VIII. Æneid. v. 600.*

Sylvano fama eſt veteres ſacraſſe Pelasgos
Arvorum pecoriſque Deo lucumque, diemque.

Plures tamen erant, unde OVID. *Metam. VII. v. 198.*

Dique omnes nemorum, Dique omnes noctis adeſte.

Qualis *Diana* quoque, de qua CATULL. *Carm. XXXIV.*

Mon-

Montium Domina ut foret
Sylvarumque virentium
Saltuumque reconditorum.

Fauni denique Sylvarum Dii habiti, de quibus vide quæ diximus in *Emblem. noſtris Sacris Tom. II. Exerc. VIII. Lib. III. p. 216. ſq.*

Gentes quoque abſque vero Deo in hoc orbe exiſtebant Eph. II, 12. Princeps vero tenebrarum, cui poteſtas aëris una cum ſpiritibus impuris, in hiſce filiis contumaciæ & incredulitatis operabatur, iisque dominabatur Eph. II, 2. Quare Satanas Deus mundi gentium dicitur Joh. XII, 31. 2 Cor. IV, 4. Ille hanc ſylvam myſticam non ſolum incolebat, atque in ea colebatur, verum etiam permittente ſupremo Numine dominabatur illi horrenda tyrannide uſque ad Chriſti adventum, qui illum una cum Faunis myſticis, i. e. ſpiritibus impuris expulit Joh. XII, 31. 1 Joh. III, 8. & poteſtatem ipſis ademit, exuens eos omni auctoritate atque dominio Col. II, 14. 15. Heb. II, 14. 15. De Antichriſtianiſmi ſtatu ſimillimo vide Apoc. XVIII, 2. Jeſ. XIII, 19-22.

XII. B. Pergimus ad *accidentia* nemorum, quorum præcipua tantum, ne extra oleas vagemur, notabimus.

1. Sylvæ *umbram* ingentem atque denſiſſimam fundunt, ita ut *ſolis omne lumen* excludant, quam ob cauſam maxime ſteriles ſunt, quoniam arva Sylvarum calore ſolis vivificari nequeunt. De umbra ſylvarum vide HOMER. *Iliad. Lib. V.*

- *βαθείης τάρφεσιν ὕλης*
- *profundæ in denſitatibus Sylvæ*

EURIPID. *in Bacch. v. 1135.*

- *ὑπὸ τυφλοῖς*
Πέτρους, τὸ δ' ὕλης ἐν βαθυξύλῳ φόβῃ
- *ſub cæcis*
Saxis, hoc autem ſylvæ in denſis frondibus.

VIRGIL. *Lib. I. Æneid.*

- *horrentique atrum nemus imminet umbra.*

OVID. *Amor. Lib. III. el. 13. v. 7.*

Stat vetus & denſa prænubilus arbore lucus.

STAT. *Theb. IV. v. 419.*

Sylva

Sylva capax ævi, validaque incurva ſenecta
Æternum intonſæ frondis, ſtat pervia nullis
Solibus

Pariter LUCAN. *Lib. VI.*

- - *quam pallida pronis*
Urget ſylva comis, & nullo vertice cœlum
Suſpiciens Phœbo non pervia taxus opacat.

Egregie hoc ſtatum gentium depingit induratum. Utpote quorum mentem princeps hujus mundi occœcavit, ne videant lucem Evangelii ac ſalutis 2 Cor. IV, 6. Quare gentes habitare in tenebris & ſedere in umbra mortis dicuntur. Jeſ. IX, 2. Cap. XLII, 7. Luc. I, 79. Matth. IV, 16. Et Apoſtolus Eph. V, 8. teſtatur credentes ex gentibus olim fuiſſe tenebras, ſed poſt converſionem lucem factos. Dominus & caput ipſorum erat princeps tenebrarum, cujus poteſtas eſt in caligine Eph. VI, 12. Col. I, 13. Vocavit ergo Deus gentes convertendas a tenebris ad lucem 1 Pet. II, 9. Quæ inſtar luci denſiſſimi perplexis frondibus præjudiciorum ac concupiſcentiarum carnalium omnem ſolis juſtitiæ atque ſalutis lucem olim prohibebant, ne corda ipſarum dura penetraret, & calore ſuo ac virtute frugifera in bonis operibus redderet. Heb. IX, 14. 1 Joh. II, 9. 11. Eph. V, 11. Idem eſt ſtatus Antichriſtianiſmi 2 Theſſ. II, 10-12.

XIII. 2. *Ventis* expoſita maxime Sylva eſt; quando eurus, nothus atque Africus furunt, folia arborum una cum ramis concuſſa fragorem edunt tremulum, & quercus cum cedris altiſſimis ſæpiſſime radicitus evertuntur. Ita 2 Sam. XXV, 4. קול צעדה בראשי הבכאים *Sonus incedens* ſ. commotionis *in cacuminibus mororum* memoratur & קול עלה נדף *fragor folii concuſſi* ſc. vento, Lev. XXVI, 36. Huc alluditur Jeſ. VII, 2. וינע לבבו ולבב עמו כנוע עצי יער מפני רוח. *Et nutabit cor ipſius atque cor populi ipſius, quemadmodum arbores Sylvæ concutiuntur coram vento.* adde Pſ. LXXII, 6. *fragorem edet fructus ejus inſtar Libani*, Sylvæ ſc. & arborum ejus vento concuſſarum. Exprimit idem HOMER. *Iliad. Lib. XIV.*

Ὄυτ᾽ ἄνεμος τόσσον γε περὶ δρυσὶν ὑψικόμοισιν
Ἠπύει, ὅςε μάλιςα μέγα βρέμεται χαλεπαίνων.

Nequit

Neque ventus tantum in quercubus excelſis
Sonat, qui maxime valde fremit ſæviens.

Nec non *Iliad. Lib. XVI.*

Ὡς δ' Εὖρός τε Νότος τ' Ἐριδαίνετον ἀλλήλοιϊν
Οὔρεος ἐν βήσσῃς, βαθέην πολεμιζέμεν ὕλην . . .
Φηγόν τε μελίην τε, τανύφλοιόν τε κράνειαν
Αἵ τε πρὸς ἀλλήλας ἔβαλον τανυήκεας ὄζους
Ἠχῇ θεσπεσίῃ, πάταγος δέ τε ἀγνυμενάων.

Sicut autem eurusque notusque certant inter ſe
Montis in convallibus altam concutere ſylvam &c.
Quæ (arbores) inter ſe quatiunt extenſos ramos
Sono horrendo, & fragorem edunt dum franguntur.

Pariter VIRGIL. *Lib. III. Georg.*

Qualis hyperboreis aquilo cum denſus ab oris
Incubuit, ... campique natantes
Lenibus horreſcunt flabris, ſummæque ſonorem
Dant ſylvæ.

Ei OVID. *Lib. II. faſt. v. 461.*

Dum latet, intonuit vento nemus.

Similia loca excerpſit Cl. BOOT. *in Animadv. in V. T. P. II. p. 71.*

Ventus & procella emblema iræ divinæ eſſe ſolet in ſacris Pſ. XI, 6. ubi impiorum portio *ventus procellarum* dicitur. adde Pſ. I, 4. XVIII, 43. XXXV, 5. LXXXIII, 14. Jeſ. VII, 2. XXVII, 8. vel etiam hoſtium, quibus ut inſtrumentis iræ ſuæ Deus utitur, conf. Jer. IV, 11. XIII, 24. LI, 1. Hoſ. IV, 19. Ita Sylva gentium vento concuſſa, plangit ſub judiciis iræ divinæ. Sic gentes a Deo rejectæ olim, & objectum odii ipſius fuere, illisque hoſtes ſæpe horrendos excitavit, quales Judæi erant Cananitis. Sæpius quoque judicia iræ divinæ denuntiata gentibus, Moab, Tyro, Babyloni, aliisque in ſacris legimus, præcipue Jeſaiæ vaticiniis. Judiciorum quoque iræ graviſſimorum procellis in fine dierum gentes obruendæ erant, ut convertantur Apoc. VII, 14. quales experietur quoque Antichriſtianiſmi Sylva Apoc. XVIII, 7. 8. 21.

XIV. 3. *Fulminibus* quoque expoſitæ ſunt Sylvæ ejusque arbores excelſæ, præcipue *quercus* atque *cedri*. Huc alluditur Pſal. LXXXIII, 15. 16.

15.16. כאש תבער יער וכלהבה תלהט הרים *Sicut ignis accendit Sylvas & flamma inflammat montes.* Nec non Jer. XXI, 14. *Succendam ignem in Sylva ejus, qui omnia devorabit.* Pariter Pſ. XXIX, 5. קול יהוה שבר ארזים. *Vox Dei* (ſeu tonitru) *frangit cedros, comminuit cedros Libani.* Deſcribit id HESIOD. *Θεογον. v. 879.*

Φλὸξ δὲ κεραυνωθέντος ἀπέσσυτο τοῖο ἄνακτος.
Οὔρεος ἐν βήσσησιν ἀΐδνῆς παιπαλοέσσης
Πληγέντος. Πολλὴ δὲ πελώρη καίετο γαῖα.
Flamma autem fulmine icto proſiliebat a Rege,
Montis in ſaltibus opacis aſperis percuſſo,
Multa autem ac vaſta tellus ardebat.

Atque HOMER. *Iliad. Lib. II.*

Ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐμφλέγει ἄσπετον ὕλην
Οὔρεος ἐν κορυφῆς.
Velut ignis lucens comburit immenſam ſylvam
Montis in verticibus.

Et clarius adhuc HESIOD. *Θεογον. v. 690.*

- - οἱ δὲ κεραυνοὶ
Ἴκταρ ἅμα βροντῇ τε καὶ ἀστεροπῇ ποτέοντο
. . . λάκε δ' ἀμφὶ πυρὶ μεγάλ' ἄσπετος ὕλη.
Fulmina autem celerrime una cum tonitru & fulgure volabant
. . . *crepitabat vero undique flammis Sylva ingens.*

Hæc fulmina denuo judicia divina in gentes pingunt, & quidem illa, quibus Deus tanquam Rex Regum, qui regna conſtituit & evertit, potentiſſimos ſæpe reges ac regna validiſſima, quorum celſæ arbores ac cedri figuram gerunt, humiliavit, deſtruxit, evertit. Exempla proſtant in clade Aſſyrii ſe contra majeſtatem divinam extollentis faſtu ſuo. Jeſ. XXXVII, 6. 7. 24-29. Similiter Regni Ægypti faſtu tumentis Ezech. XXIX, 9-12. nec non Tyri fortitudine, robore ac divitiis ſuis ſuperbientis atque ſeſe elevantis Ezech. XXVII, 1-36. XXVIII, 16-19. *Babelis* quoque tum literalis tum *myſtici* Jeſ. XXI, 9. Jer. LI, 8. Apoc. XIV, 8. XVIII, 2.

XV. 4. Ultimum reſtat Sylvæ fatale accidens; quippe *ſecuribus* arbores ejus proſterni atque exſcindi ſolent, in diverſum tamen uſum. Aliæ proſtratæ ad ædificia exſtruenda adhibentur, veluti de arboribus Libani,

Libani, cedris, oleis, abietibus in uſum Templi Salomonis ſecuri proſtratis atque præparatis legimus. 1 Reg. V, 6. 8. 18. Cap. VI, 10. 23. 31. 2 Par. II, 8. 9. 10. Prophetarum quoque filii ligna in uſum ædificii Scholaſtici cædentes memorantur 2 Reg. VI, 4. 5. Aliæ vero arbores Sylvæ proſternuntur, ut igni admoveantur atque comburantur. vide Deut. XIX, 5. uti etiam ad combuſtionem ſacrificiorum adhibitæ leguntur Gen. XXII, 3. 6. 7. Levit. I, 7. Judic. VI, 26. Vel integræ etiam Sylvæ exſcindebantur ſecuribus, vide Joſ. XVII, 15. Pſ. LXXIV, 5. Jeſ. X. 34. Jer. XLVI, 23. Huc reſpicit Judæorum adagium in *Sanhedr. Cap. 4.* מניה וביה אבא כיזיל ביה נרגא *Ex ipſa eſt & in ipſam Sylvam redit ſecuris:* ſ. ad eam exſcindendam. Exprimit hoc OVID. *Metam. Lib. VIII. v. 774.*

- - labefactaque tandem
Ictibus innumeris, adductaque funibus arbor
Corruit, & multam proſtravit pondere ſylvam.

Similiter HOMER. *Iliad. Lib. XXIII.*

Οἱ δ' ἴσαν ὑλοτόμους πελέκεας ἐν χερσὶν ἔχοντες.
Αὐτίκ' ἄρα δρῦς ὑψικόμους ταναηκέϊ χαλκῷ
Τάμνον ἐπειγόμενοι. Ταὶ δὲ μεγάλα κτυπέουσαι.
Hi vero ibant ligniſecas ſecures in manibus habentes.
Protinus quidem quercus alticomas lato ferro
Incidebant feſtinantes, hæ autem magno cum ſonitu
Procidebant.

Utrumque lignorum proſtratorum uſum exprimit VIRGILIUS *Georg. Lib. II.*

- - tædas Sylva alta miniſtrat,
Paſcunturque ignes nocturni, & lumina fundunt.

Et paulo poſt:

Ipſæ Caucaſeo ſteriles in vertice Sylvæ.
. . . . . dant utile lignum,
Navigiis pinos, domibus cedroſque cupreſſosque.

Adde loca, quæ notavimus in *Emblem. Sacr. Vol. I. Exerc. XI. Lib. I. pag. 128. ſq.*

Eleganter hoc quoque in Sylva myſtica deprehendimus, in qua arbores nonnullæ *ſecuri* judicii divini exſcinduntur atque in ignem æterni exi-

ni exitii projiciuntur. Quo ſenſu emblema ſecuris adhibet Johannes Baptiſta Luc. III, 9. *Jam vero ſecuris ad radicem arborum eſt poſita. Omnis ergo arbor, non fruges proferens bonas, exſcinditur atque in ignem projicitur.* Sic de judiciis in Judæos & templum eorum occurrit Pſalm. LXXIV, 5. 6. 7. nec non Jer. XXII, 7. ubi judicia in regnum Juda denuntiantur: & *dirigam contra te perditores cum inſtrumentis ſuis* (ſecuribus) *qui cædent lectiſſimas cedros tuas ac in ignem conjicient.* Ita nonnullæ inter gentes judiciis divinis ob indurationem erant exſtirpandæ atque in ignem æterni judicii conjiciendæ Judæ v. 7. nonnullæ vero *ſecuri* Evangelicæ veritatis erant convertendæ, ita ut illius efficacia proſtratæ in vera reſipiſcentia coram Deo, erigerentur in domum Dei vivam, & veræ Eccleſiæ infererentur. 1 Pet. II, 5. 1 Cor. VI, 19. Quemadmodum ultimis temporibus nonnullæ gentium judiciis divinis exſtirpandæ Apoc. XIV, 20. XIX, 11-18. Apoc. XVI, 12-16. Jeſ. LX, 12. aliæ vero convertendæ, & ad Eccleſiæ Dei communionem adducendæ erunt, vide Pſ. LXXII, 8. 9. Jeſ. LX, 3-10. Quod etiam de Antichriſtianiſmo ſecundum prophetarum vaticinia exſpectandum eſt. Apoc. VI, 12-14. Jeſ. XXIV. Apocal. XVIII. Jeſ. XIX, 18.

XVI. C. Transeamus denique ad varios Sylvarum *uſus*, apud veteres notiſſimos.

1. *Aſylum* atque *confugium* coram hoſtibus patriam terram devaſtantibus atque incolas perſequentibus olim exhibuere Sylvæ atque ſaltus nemoroſi. De Davide coram Saule fugiente, legimus, quod in *Sylvam Hareth ſe receperit*, tanquam in propugnaculum. 1 Sam. XXII, 5. Huc alluditur Jer. IV, 29. *A ſono equitum & jaculatorum fugient omnes cives urbis,* באו בעבים ובכפים עלו *venient in denſitates* (nemorum) *atque aſcendent rupes.* Male enim nonnulli vocem עבים *rupes* vertunt, melius de *ramis* arborum ſylveſtrium perplexis ac denſis intelligas. Huc etiam refer locum alias difficillimum Jeſ. XXI, 13. ביער בערב תלינו ארחות דדנים *In Sylva Arabiæ pernoctabitis o comitatus Dedanæorum.* Ex Ez. XXVII, 15. liquet Dedanæos fuiſſe negotiatores Arabiæ, qui cum per deſerta iter faciebant comitatu uti ſolebant, ne a latronibus ſpoliarentur. Jam vero comminatur iis Jehova, quod in *Sylvis* ipſi pernoctaturi eſſent, i. e. ad loca tecta & abſcondita coram

ram hoſtibus perſequentibus ſe recipere deberent. Conf. quæ erudite heic commentatur Cl. VITRINGA. Confirmamus hoc teſtimoniis profanis. Huc reſpicit EURIPID. *Iphig. in Taur. v.325.*

Ὡς δ' εἴδομεν δίπαλτα πολεμίων ξίφη,
Φυγῇ λεπαίας ἐξεπίμπλαμεν νάπας.
Poſtquam autem conſpeximus geminos enſes hoſtium,
Fuga promontoriales implevimus Sylvas.

Et TIBULL. *Lib. IV. el. XII.*

Sic ego ſecretis poſſum bene vivere ſylvis,
Qua nulla humano ſit via trita pede.

Simile exemplum apud HERODIAN. *Lib. VII. Cap. II.* legimus: *Οἱ δὲ Γερμανοὶ ἀπὸ μὲν τῶν πεδίων, καὶ εἴτινες ἦσαν χῶραι ἄδενδροι ἀνακεχωρήκεσαν. Ἐν δὲ ταῖς ὕλαις ἐκρύπτοντο. Περί τε τὰ ἕλη διέτριβον, ὡς ἐκεῖ τὰς μάχας καὶ τὰς ἐφόδους ποιοῖντο τῆς συνεχείας τῶν φυτῶν ἀπασχολέσης εἰς ἑαυτὴν τὰ βέλη, καὶ τὰ ἀκόντια τῶν πολεμίων. Siquidem Germani campeſtres regiones & loca arboribus deſtituta deſeruerant, atque inter ſylvas & paludes delituerant, ut inde præliarentur & eruptionem in hoſtem facerent. Etenim denſitas arborum ſagittis, jaculisque hoſtium impedimentum maximum allatura erat.*

In gentiliſmo quoque veritatis teſtes & confeſſores ſæpe aſylum quæſivere atque invenerunt ſub perſecutione Judæorum atque dein Antichriſtianiſmi, atque ita inſtrumentum converſionis gentium facti ſunt. Quo refer vaticinia prophetarum, quibus Eccleſia gentes hæreditate poſſeſſura legitur. Jeſ. LIV, 3. Jer. III, 19. Zach. VIII, 23. Rom. IV, 13. Matth. V, 5. huc etiam trahunt nonnulli locum Luc. XVI, 9. *facite amicos vobis de mammona iniquitatis, ut quum egueritis, recipiant vos in tabernacula ævi.* Conf. præterea quæ EUSEB. *hiſt. Eccl. Lib. VIII. cap. I.* & TERTULL. *adverſ. Jud. §. VII. & XIV. ſcribunt.*

XVII. 2. In Sylvis quoque veteres varia voluptatis monumenta erigebant. In illis *feſta & choreas* agitabant, præcipue *Bacchica*, *muſicis* ſæpe *inſtrumentis* ſe recreabant, in *umbra* Sylvarum *ſedere* aut *ambulare* delectabantur, atque in iis domos & *palatia æſtiva* exſtruebant. Huc alluditur in ſacris, quando Salomonem ſibi Sylvam deliciarum plantaſſe legimus Eccl. II, 7. Quemadmodum & 1 Reg. VII, 2. Jeſ. XXII, 8. *Domus*

Sylvæ, & *domus Saltus Libani* memoratur, quæ fuit domus refrigerii tempore æſtus, atque *domus ſaltus* dicitur, vel quia in monte Libano exſtructa, ut *Grotius* vult, vel ex arboribus Libani compoſita, & ambulacris ex cedris Libani ordine plantatis ornata erat. Jotham quoque 2 Paral. XXVII, 4. in *ſaltibus palatia* exſtruxiſſe legitur. Ad talia palatia reſpicit OVID. *IV. faſt. v. 815.*

- alter init nemoroſi ſaxa palati,
Alter Aventinum mane cacumen adit.

nec non in *Art. amand. Lib. I. v. 105.*

Illic, quas tulerant nemoroſa palatia, frondes
Simpliciter poſitæ.

De *feſtis Bacchicis* in Saltibus celebratis audi EURIPID. *in Bacch. v. 218.*

- - ἐν δὲ δασκίοις
Ὄρεσιν θοάζειν τὸν νεωςὶ δαίμονα
Διόνυσον, ὅςις ἐςὶ, τιμώσας χοροῖς.

In umbroſis vero montibus celebrare novum hunc Deum Dionyſium, quicunque ille ſit, honorantes eum choreis. Similiter OVID. *VIII. metam. v. 746.*

Sæpe ſub hac Dryades feſtas duxere choreas.

De feſtis in Sylva etiam canit ARISTOPH. *in Ran.*

Χωρεῖτε νῦν ἱερὸν ἀνακύκλον Θεᾶς.
Ἀνθοφόρον ἀν' ἄλσος
Παίζοντες.
Nunc ite in orbem Sacrum Deæ,
Et nemore in amœno
Saltate.

De *CANTU* in Sylvis vide EURIPID. *Iphig. in aul. v. 1048.* nec non VIRGIL. *Buc. ecl. 1.*

- tu Tityre lentus in umbra
Formoſam reſonare doces Amaryllida Sylvas.

& alibi. Eleganter autem in hanc rem ſcribit LUCIANUS *verar. hiſt. Lib. II. p. m. 490.* ἐπειδὰν δὲ καὶ ἔτοι ᾄσωσι, τότε δὴ πᾶσα ἡ ὕλη ἐπαυλεῖ, τῶν ἀνέμων καταρχόντων. Μέγιςον δὲ δὴ πρὸς εὐφροσύνην ἐκεῖνο ἔχουσι, πηγαί εἰσι δύο περὶ τὸ συμπόσιον, ἡ μὲν γέλωτος, ἡ δὲ ἡδονῆς. *Poſtquam & illi canerent, tota ſylva reſonabat, præſidentibus ventis. Hoc autem*

autem maxime ad lætitiam facit, quod duo circa ſympoſium fontes exiſtant, alter riſus, alter voluptatis.

De *ambulacris* in Sylvis audi OVID. *Amor. Lib. III. el. 1.*

Hic ego dum ſpatior tectas nemoralibus umbris.

Quod in iis ſederint & diſcubuerint, liquet ex LUCIAN. *ver. hiſt. Lib. II. p. m. 489.* Λειμὼν δὲ ἐστὶ κάλλιστος, καὶ περὶ αὐτὸν ὕλη παντοία, πυκνὴ ἐπισκιάζουσα τοὺς κατακειμένους. *Etenim pratum eſt pulcerrimum, & circa illud nemus omni arborum ſpecie conſitum, umbram diſcumbentibus faciens.*

Pingit hoc gentes omni voluptatum genere diffluentes, quum enim absque Deo eſſent in hoc mundo & absque lege, *ventrem* Deum poſuere & *voluptates*, ſibi perſuadentes, ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas. Quare de illis verum eſt, quod Jacobus de Judæis inter gentes ſcribit Cap. V, 5. *in luxu vixiſtis ſuper terram & laſciviſtis, enutriviſtis corda veſtra ut in die convivii.* Quemadmodum Apoſtolus de gentibus teſtatur Paulus, quod *cupiditatibus & affectibus fœdis a Deo ſint traditi.* Rom. I, 24. 26. Saltationibus Bacchicis & laſcivis choreis eas fuiſſe deditas, ex omnibus earum ſcriptoribus liquet, quare dehortatur converſos ex gentibus Apoſtolus Eph. V, 18. 19. *Ne inebriemini vino, in quo luxus eſt* (quemadmodum in feſto Bacchi accidebat) *ſed implemini Spiritu. Loquentes inter vos Pſalmis & hymnis & cantibus ſpiritualibus, canentes & pſallentes Domino.* (ſc. in oppoſitione cantuum & muſicæ laſcivæ in feſto Bacchico agitatæ) Conf. *Specimen noſtr. obſ. in Epheſ.* ad h. l. ubi latius hæc excutimus. Idem in Antichriſtianiſmo obtinet Apoc. XVIII, 22. Ezech. XXVI, 13. Jer. XXV, 10.

XVIII. 3. Addimus poſtremo loco *Uſum* Sylvarum *Sacrum.* Cultum enim idololatricum in ſaltibus obſcuris ac Lucis exercebant gentes. Varia hujus ritus in ſacris literis veſtigia paſſim, in libris æque hiſtoricis ac Propheticis detegimus. confer Deut. XII, 2. XVI, 21. 1 Reg. XIV, 23. 2 Reg. XVI, 4. XVII, 10. Jeſ. I, 29. LXV, 3. Jer. II, 20. III, 6. Hoſ. IV, 13. 14. Jeſ. LVII, 4. 5. &c. Originem hujus ritus varii variam expoſuerunt. Alii ex אלני ממרי *querceto Mamre,* in quo Abraham altare ſtruxiſſe Gen. XV, 9. legitur, derivant. Quoniam denſiſſimis umbris obſitos ſaltus ſeligebant veteres, ex imitatione Dei Iſraelis in umbra & caligine habitantis

1 Reg.

1 Reg. VIII, 12. id factum alii contendunt. Alii ex ſepulcris heroum, in Deorum numerum relatorum, quæ in Sylvis ſæpe erecta 2 Sam. XVIII, 7. 1 Chron. X, 12. deducunt. Quicquid ſit, in Sylvis Numina eſſe credebant gentes, illisque vario idololatriæ genere inſerviebant, præcipue ſacrificiis. Huc reſpicit EURIP. *Troad. v. 15.*

Ἔρημα δ' ἄλση, καὶ Θεῶν ἀνάκτορα
Φόνῳ καταῤῥεῖ.
Luci autem deſerti & Deorum templa
Fluunt cæde.

VIRGIL. *Lib. IX. Æneid.*

Pinea Sylva mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit ſumma, quo ſacra ferebant.

Vel etiam ſupplicabant in iis: quo reſpicit HOMER. *Odyſſ. VI. p. 87.*

- - *καὶ τοὶ κλυτὸν ἄλσος ἵκοντο,*
Ἱρὸν Ἀθηναίης, ἵν' ἄρ' ἕζετο δῖος Ὀδυσσεύς.
Αὐτίκ' ἔπειτ' ἠρᾶτο Διὸς κούρῃ μεγάλοιο.
- - *Et illi inclytum ad nemus pervenerunt,*
Sacrum Palladi, ubi conſedit divus Ulyſſes.
Statim dein ſupplicavit magnanimæ Jovis filiæ.

Oracula inſuper in Sylvis habebant gentes, veluti conſtat ex LUCIAN. *Somn. ſ. Gall. p. m. 594.* conf. etiam Cl. CLASEN *de Oracul. pag. 111. ſq.* v. DALEN *de Divinationibus p. m. 23. ſq.* Horrendas inſuper *libidines* in lucis exercebant gentes, quod docuit DIETERIC. *antiq. Bibl. 265. ſq.* PINEDA *de reb. Salom. p. 971.* aliique. Cæterum quæ de Lucis dici poſſent, prolixe ſatis ſcriptores exhauſere, præcipue SPENCERUS, Cl. FABRIC. *in Bibliogr. p. 289. ſq.* STEPH. LE MOYN. *in diſſ. de Dodone T. VII. Antiq. Gronov.* quam excerpit Cl. ZORN. *in Bibl. Exeg. Th. p. 373. ſq.* Cl. BUCHER *antiq. Bib. p. 634. ſq.* Cl. ZORN. *Opuſc. T. II. p. 220.* GODW. *Moſ. & Aaron. p. m. 180.* HILLER. *hieroph. P. I. p. 80. ſq.* KIPPING. *antiq. Rom. p. 135. 166. ſq.* URSIN. *anal. T. II. L. II. c. 27.* SELD. *de Diis Syr. cum add. Baier. p. m. 171. 282.* Cl. MILL. *diſſ. ſel. p. 149.* Cl. SCHLICHTER *in decim. S. p. 49. 90.* JOH. F. MAYER *Diſſ. de Reform. Joſiæ ab idolo* אשרה *Witteb. 1685.* TH. GRABNER *de ſacris Jud. in hortis. Witteb. 1710.* Cl. FRANC. FABRIC. *diſſ. binis de*

Excelſis.

Excelſis. Lugd. 1723. G. VAN PEHNEN *de arbore non plantanda ad aram Dei. Jen. 1725.* aliique plurimi.

Et quis ignorat gentes turpiſſimæ idololatriæ deditas fuiſſe. conf. Deut. XII, 3. XXIX, 17. Pſ. CXV. 4. CXXXV, 15. Jeſ. XLIV, 10. 15. XLV, 20. Rationes idololatriæ gentium exponit Apoſtolus Rom. I, 21-23. quod Deum, quem lumen naturæ ipſis manifeſtabat, non glorificaverint, ſed vani facti in ratiociniis ſuis & corde obtenebrato, mutarint gloriam Dei incorruptibilis in effigiem hominis, volucrium aut quadrupedum corruptibilium. conf. 1 Pet. IV, 3. Quare etiam in horrendis libidinis & voluptatis volutabris delicias quærebant. Quod Paulus Rom. I, 24. 26. teſtatur: Quamobrem *Deus tradidit eos cupiditatibus cordium ipſorum ad impuritatem, ut fœdarent corpora ſua inter ſe;* tradidit eos Deus fœdiſſimis affectibus, quos Comm. 29-31. recenſet, adde. Tit. III, 3. 4. præcipue Eph. IV, 17. 18. 19. ne *ambuletis ut reliquæ gentes, qui ambulant in vanitate mentis ſuæ. Tenebris obfuſcatam mentem habentes, alienatæ a vita Dei, propter ipſorum ignorantiam per cordis obdurationem. Qui poſtquam dedoluerunt, ſeſe dederunt laſciviæ, ad certatim omnem impuritatem exercendam.* Idem obſervamus in Anti-Chriſto idololatriæ ac libidinibus turpiſſimis dedito. conf. Apoc. XVIII, 2. 3. 5. Et qui ſcelera & libidines Antichriſtianiſmi depicta cernere cupit, adeat PLATINAM *de vita Pontiff. paſſim* & CHAMIER. *Panſtr. Cath. Lib. XVI. Cap. 16.* alios.

XIX. Vides itaque B. L. elegantiſſimam & gentiliſmi atque Antichriſtianiſmi ſimul figuram ſub emblemate Sylvæ depictam.

Optandum ergo eſſet, ut Eccleſia Proteſtantium, quæ olim quoque Sylva ſterilis exiſtebat in Gentiliſmo atque Antichriſtianiſmo, jam vero per Reformationem & media gratiæ facta eſt arvum frugiferum, arbores odoris gratæ & fruges reſipiſcentia dignas, adeoque nunquam non fructus bonos proferret. Sed eheu externa ejus facies ſæpe Sylvæ ſterili magis quam arvo æquiparanda eſt. Media gratiæ negliguntur, ſecuris Evangelicæ doctrinæ & convictionum Spiritus S. qua Sylva hæc myſtica purganda eſſet a ramis ſterilibus præjudiciorum ac concupiſcentiarum minime adhibetur, hinc perplexitas horum præjudiciorum lumen gratiæ prohibet, & non niſi tenebræ exiſtunt. Deus equidem

 plan-

plantavit arbores Eccleſiæ ſuæ in colle pingui, irrigat eos quotidie rore & pluvia cœleſti mediorum gratiæ, ſed exſpectat fruſtra fruges ſalutares Jeſ. V, 1-3. Quare non mirabimur, ſi ſecurim judiciorum ſuorum ad radicem jam poſitam aliquando exagitaturus, omnesque arbores ſteriles exſcindens eas igni æterno traditurus ſit.

Quot arbores ſteriles & incultas deprehendimus in Eccleſiæ externæ communione, animas nunquam ſalutari virtute Dei & Spiritus ejus Chriſto inſertas, ſed ſucco concupiſcentiarum naturalium turgentes. Tit. III, 3. 1 Cor. II, 14. Quot *arbores bis mortuæ*, homines, qui plane dedoluerunt, omnemque conſcientiæ vim enervarunt, vitaque ſpirituali plane deſtituti ſunt. Quot lapides & *ſaxa* præjudiciorum ſuperſunt atque *colles* impedimentorum, quibus via Domino præcluditur, ne gratia Spiritus ſui cor occupare queat. 2 Cor. IV, 6. Cor multorum confeſſorum ſæpe eſt *antrum ferarum* impurarum, tot vitiorum ac operum carnis abominandorum, quæ ſub externa veritatis confeſſione in pectore ſervant. Quare Satanas cum ſpiritibus impuris in illo habitat ceu *luco* ſuo ſacro, & ad horrendas libidines illud allicit atque ſeducit, in illo dominatur atque idola φιλαυτίας, faſtus, cupiditatum carnalium atque mundanarum illecebrarum adoranda proponit. Væ his *arboribus infrugiferis! fulmina* divina excandeſcentiæ Jehovæ aliquando faſtum earum depriment, quæ altiſſimas quoque cedros proſternunt. Væ illis, quibus ſecuris ad radicem jam eſt poſita, & niſi ſubito reſipiſcant, exſcindentur atque pabulum igni æterno præbebunt. Luc. III, 9. O utinam ergo per fidem Chriſto arbori vitæ, tanquam arbores ac oleæ hactenus Sylveſtres, *implantari* calidiſſimis votis expeterent, & corda ſua Deo agricolæ ſummo ſubmitterent obedientia fidei, ut ita fruges Deo gratas per virtutem Spiritus ipſius producere poſſent.

Bene precamur illis, qui ex Sylveſtri naturæ ſuæ ſtatu in arvum Dei translocati ſunt per fidem & reſipiſcentiam. Qui tanquam *ſurculi* gratiæ variis tentationum *ventis* expoſiti, per fidem Deo ſuo inhæſerunt, ſicque ejus virtute *quercus juſtitiæ* evaſerunt. *Radix* fidei atque amoris muniet eos contra aquilones tentationum, contra fulmina iræ ac judiciorum divinorum. Beati, ſub quorum *umbra* Sponſus cœleſtis habitare delectatur, qui fruges palato ipſius gratas exhibent; licet aliquando

ſecuri

ſecuri mortis temporalis exſcindentur, nova tamen vita donati, tanquam palmæ ac cedri florebunt in paradiſo gloriæ æterna in ſecula. Pſalm. XCII, 13. 14. 15.

EXERCITATIO IV.
DE
CANIBUS MUTIS,
SYMB. PSEUDO-DOCTORUM.
JESA. LVI, 10.

ARGUMENTUM.

Locus Jeſ. LVI, 10. explicatur §. I. CANEM emblema hominis abjecti, ſceleſti, maledici ac irriſoris, hoſtium infenſiſſimorum, meretricum, dæmonum ac denique gentium eſſe docetur §. II. uti & Pſeudo-Doctorum §. III. Tres analogiarum claſſes recenſentur. A. Qualitatum & attributorum, utpote animal eſt impurum §. IV. maxime impudens, unde adagium facies canina. *§. V. ignavum & ſomnolentum §. VI. Libidinoſum ac voluptati deditum. §. VII. ſagaciſſimum ob viſum acutum & odorem. §. VIII. guloſum atque vorax, ubi locus Pſ. LIX, 15. 16. explicatur. §. IX. mordax, dentibus lividis homines & animalia diſcerpens. §. X. Latratus porro canum §. XI. & blanditiæ quibus herum & alios proſequuntur, inveſtigantur §. XII. ac denique* victus *eorum, aquam eos lambere, cadaveribus delectari & ſanguine, atque ad vomitum redire, docetur. §. XIII. Pergimus B. ad accidentia quædam, ſc. eos noctu vagari in tenebris Pſ. LIX, 15. 16. §. XIV. catenis adſtringi, baculis & lapidibus debellari ſolere §. XV. rabiem ſæpe eosdem incurrere & obvios morſu venenato lædere, demonſtratur §. XVI. Transimus C. ad* uſus *canum, qui in cuſtodia pecorum & domuum. §. XVII. in venatione & capiendis feris. §. XVIII. & in conviviis ad menſam adhibiti inſtar miniſtrorum, §. XIX. Quemadmodum etiam vulneri-*

bus curandis tum propriis tum aliorum lingua ipſorum prodeſſe ſolet, ubi locus Luc. XVI, 21. explicatur. §. XX. Canem denique pro Deo apud gentes cultum eſſe, exponitur §. XXI. & epilogus moralis adjicitur §. XXII.

I.

CORruptum Eccleſiæ ſtatum Propheta delineaturus, præcipue tempore ingruentis & portas Eccleſiæ externæ invadentis Antichriſtianiſmi, inter alia teſtatur *Jeſ. LVI, 10. 11.* צפיו עורים כלם לא ידעו כלם כלבים אלמים לא יוכלו לנבח הזים שכבים אהבי לנום והכלבים עזי נפש לא ידעו שבעה. *Speculatores ejus cœci ſunt, omnes absque intelligentia. Omnes CANES ſunt muti, qui latrare neſciunt: ſtertunt, decumbunt, dormire amant. Canes ſunt appetitu pollentes, qui ſaturari neſciunt.* Falſos hoc loco Doctores ſeu corruptionem peſſimam eorum, qui Eccleſiæ Dei præfecti ſunt, intelligi, apud omnes conſtat Interpretes: In ſpecie autem filum Propheticum decurrere ad tempora Eccleſiæ per acceſſionem gentium auctæ & per initia Antichriſtianiſmi corruptæ, autumat Cel. & acutiſſimus VITRINGA in *Comm. h. l.* Aſt quum cap. LVII. revelatio idololatriæ Anti-Chriſti & adventus Meſſiæ per Reformationem, quando via Domino complananda erat v. 14. 15. deſcribatur, ad tempora Eccleſiæ brevi ante Reformationem, maxime corruptæ reſpectu Doctorum referre apte poterimus. Clericorum enim faſtus, luxus, libidines, atheiſmus, ignorantia tunc temporis ad ἀκμὴν pervenerat, ſedes Romana erat *theatrum* flagitiorum; veluti conſtat ex FLAC. ILLYR. *catal. teſtium veritatis*, PH. MORNÆI *myſt. iniquitatis*, WOLF. *Lect. memorabilibus.* Libr. cui titulus: *Onus Eccleſiæ Col. 1531.* PETRARCHA *in Ep. XVI.* aliisque quam plurimis.

II. *CANIS* emblema in ſcriptis ſacris & profanis frequentiſſimum occurrit.

a. Figura Canis eſt hominis *abjecti*, *indigni* atque maximo contemtui expoſiti. Huc refer expreſſiones virorum in ſacris memoratas, qui ſe indignos atque humiles contemtosque declaraturi, *canem* aut *mortuum canem* appellare ſolebant, qualem ſe vocat David 1 Sam. XXIV, 15. nec non Mephiboſeth 2 Sam. IX, 12. atque Haſaël, quum Rex declararetur

tur 2 Reg. VIII, 13. Quare & Philiſtæorum Dux dedecori ſibi ducens, quod David cum baculo & funda ipſum debellaturus ſit, ait: *An canis ſum, quod contra me cum baculis procedis.* 1 Sam. XVII, 43. Et Abner quærit הראש כלב אני *an caput canis* ego ſum? 2 Sam. III, 8. Et proverbium, *canis vivus* (tanquam animal abjectiſſimum) *melior eſt Leone mortuo.* Eccl. IX, 4. huc etiam referendum eſt. Quemadmodum Judæis familiare erat in adverſa fortuna ſe conſtitutos cum canibus comparare, uti ex *Bava Bathr.* docet Cl. SCHOETTGEN *hor. hebr. & Talm. in N. T. p. 142.* Huc pertinet Judæorum proverbium in *Gemar. Sanhedr. Cap. II. §. 2.* ed. Cocc. חזי לכלבי ושונרי *Hoc vel canibus & felibus videtur*, i. e. hominibus plebejis & rudibus. Quemadmodum & Helena ap. HOMER. *Il. VII.* dicit: *quid animum angis*

Ἕνεκ᾽ ἐμεῖο κυνὸς, *propter me, quæ canis ſum.*

b. Hominum quoque *ſceleſtorum*, vitiis atque impudentia maxime inſignium. Quo ſenſu Matth. VII, 6. ſacra *canibus* non concedenda dicit Salvator, per quos CHRYSOST. τοὺς ἐν ἀσεβείᾳ ζῶντας ἀνιάτῳ, i. e. σκληρυνθέντας Act. XIX, 9. intelligit. Similiter Apoc. XXII, 15. κύνες καὶ πόρνοι conjunguntur. Et 2 Pet. II, 22. *canis ad vomitum reverſus, hominem flagitiis & ſceleribus induratum deſignat.* Quemadmodum *Abarbanel*, quem varii ſequuntur Interpretes Deut. XXIII, 18. מחיר כלב *pretium canis* explicat de cinædo, qui ob ſcelera atque impudicitiam *canis* appelletur. Apud profanos ſcriptores plurima teſtimonia proſtant. Sic ARISTOPH. *in Equit.*

- ὥσπερ κύων, ὦ παμπόνηρε
Inſtar canis, o ſceleſte.

HOMER. *Iliad. Lib. XIII.*

Ἄλλης μὲν λώβης τε καὶ αἴσχεος οὐκ ἐπιδευεῖς,
Ἣν ἐμὲ λωβήσασθε κακαὶ κύνες.
Alio quidem flagitio ac ſcelere non caretis,
Quo me violaſtis improbi canes.

Huc refer LUCIAN. *Fugitiv. Opp. T. IV. p. m. 332.* οἴμοι γύναι, ὅσα πέπονθας ὑπὸ κυνῶν τοσούτων. *Hei mihi uxor, qualia perpeſſus es ab illis canibus*, i. e. adulteris ſceleſtis. Quare & CYRILL. *Alex. Lib. VIII.* ap. SUICER. *T. II. p. 200.* docet: Κύνα τὸν ἀναιδῆ καὶ ἀκάθαρτον ἄνθρω-

πον ὀνομάζειν ἔθος τῇ θείᾳ γραφῇ. *Solet divina ſcriptura quoque impudentem atque impurum hominem Canem appellare.*

c. Hominum porro *maledicorum*, *irriſorum*, atque *accuſatorum*, variisque conviciis proximum obruentium figura eſt canis. Talis erat Simei, qui Davidi maledicebat, de quo Abiſai dicebat למה יקלל הכלב המת הזה את אדני המלך *Quare malediceret canis hic mortuus Domino meo Regi?* Huc refer HOMER. *Odyſſ. XVIII.*

Ἦ τάχα Τηλεμάχῳ ἐρέω κύον οἷ᾽ ἀγορεύεις.

Certe cito Telemacho dicam, canis, qualia conviciaris.

PLAUTUS *in Menæchm.* Hecubam ideo *canem* appellatam dicit, quod in quoscunque intueretur, *conviciatrix* & *maledica* eſſet. Huc pertinet locus HORAT. *Epod. VI. v. 1.*

Quid immerentes hoſpites vexas, canis.

i. e. *latrator maledice*, ut explicat interpres. Similiter de Menippo LUCIAN. *in mortuor. dial. p. m. 83. T. II. opp.* πόθεν τοῦτον ἡμῖν, ὦ Ἑρμῆ, τὸν κύνα ἤγαγες; οἷα δὲ καὶ ἐλάλει παρὰ τὸν πλοῦν, τῶν ἐπιβατῶν ἁπάντων καταγελῶν καὶ ἐπισκώπτων. *Unde nobis hunc canem adduxiſti, Mercuri, qui garriebat inter navigandum, vectores omnes irridens atque dicteriis inceſſans.* Similis eſt locus apud eundem in *bis accuſat. p. m. 699. Tom. II. opp.* Adde CICERON. *orat. II. pro S. Roſc. p. m. 37. Nihil enim mali eſt, canes ibi quam plurimos eſſe, ubi permulti obſervandi.* Ubi accuſatores lividos per canes intelligit.

d. *Hoſtium* quoque infenſiſſimorum atque latronum ferocium emblema canes eſſe, ex veterum monumentis conſtat. Ita hoſtes Chriſti ſanguinis innocentis avidiſſimi, atque latrones crudeliſſimi *canibus* ipſum *cingentibus* adſimilantur Pſ. XXII, 17. 20. nec non *canibus* famelicis, *ululatu* omnia implentibus Pſ. LIX, 7. 15. 16. Quia canes homines dilacerant, quare μιαιφόνοι κύνες cruenti & cædis avidi vocantur EURIPIDI *in Hecub. v. 1175.* Hinc illud oneirocriticum apud *Suidam:*

Κυνῶν ὑλαγμὸς ἐχθρικὴν δηλοῖ βλάβην

Canum latratus hoſtium noxam deſignat.

Quare & Teucer apud HOMER. *Iliad. VIII.* octo, ait, emiſi ſagittas in bellicoſos juvenes:

Τοῦτον

Τοῦτον δ' οὐ δύναμαι βαλέειν κῦνα λυσσητῆρα.
Hunc autem nequeo proſternere canem rabidum.

Similiter Hector de Græcis apud eundem *Iliad. VIII.*

Ἐξελάαν ἐνθένδε κύνας κηρεσσιφορήτους.
Expulſurum me (ſpero) *hinc canes a fatis advectos*

i. e. inimicos noſtros.

e. Porro *meretricum impudicarum* ſymb. canes ſunt. Ita nonnulli Judæorum interpretes locum 1 Reg. XXI, 19. per *canes* ſanguinem Iſabelis lincturos *meretrices* intelligunt. Ita legitur in *Gemar. Sanhedr. ed.* Cocc. *Cap. IV.* במקום אשר לקקו כלבים את דם נבות רבא אמרזונות ממש . . . *Quo in loco linxerunt canes ſanguinem Naboth &c. Rabba ait: intelligendas eſſe ſimpliciter meretrices.* Similiter meretrix apud EURIPID. *Andromach. v. 630.* canis appellatur;

Φίλημ' ἐδέξω, προδότιν αἰκάλλων κύνα.
Oſculum accepiſti, adulans canem proditricem.

Quemadmodum Simonides uxorem quoque peſſimam *τὴν ἐκ κυνὸς ex cane genitam* deſcribit *in ſententiis p. 204.*

f. Dæmonum præterea atque Furiarum emblema canes erant. Ita *Judæi in Sohar P. III. f. III. c. 3. cit.* Cl. MILL. *in Diſſ. ſel. p. 186.* ראי לא אתבר ההוא רוח לאו קרבניה כלום לכלבי אתמסר ההוא קרבנא דהא לאו דקב"ה אלא מכלבי *Si ſacrificium non offeratur animo fracto, tum nihil eſt, & canibus cedit. Ejusmodi enim oblatio non ad Deum ſed canes pertinet. Canes* autem ſtylo cabbaliſtico *dæmones* deſignare, probat Vir Cl. l. c. Similiter EURIPIDES *in Electr. v. 1342. Furias* canes vocat:

Τοῖς δὲ μελήσει γάμος. ἀλλὰ κύνας
Τάσδ' ὑποφεύγων, στεῖχ' ἐπ' Ἀθηνῶν.
Hiſce curæ erunt nuptiæ. Canes *vero* i. e. Furias
Has vitaturus, ito Athenas.

Similiter *Cerberus*, quo Diabolus deſignabatur, tanquam *Πλούτωνος κύων* ab EURIPIDE *in Alceſt. v. 360.* & *δεινός τε καὶ νηλειὴς κύων* ab HESIODO in *Θεογ. v. 769.* Et *κύων στυγεροῦ αἴδαο canis odioſi orci*, conſideratur.

g. Specialis adhuc hujus emblematis uſus eſt, quo *gentes* a communione populi Dei ſeparatas deſignat. Hoc ſenſu a Servatore uſurpatur

patur Matth. XV, 26. Quando uxori Cananææ reſpondit: ὀυκ ἔςι καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων, καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις. *Non decet accipere panem filiorum & projicere canibus*, ubi Judæi τέκνα & gentes κυνάρια audiunt. Ita in *Midraſch Tehill. in Pſalm. IV.* annotante CARTWRIGHT. ad h. l. legitur אומות העולם נמשלו לכלבים *gentes mundi aſſimilantur canibus.* Sic in *Pirke R.* ELIESER quærit, מה הכלב *Quid ſignificat canis?* Et reſpondet: שלא נמול *qui non eſt circumciſus*, vide Cel. SCHOETTGEN *hor. hebr. in Apoc. XXII. p. 1145.* Adde Cel. WOLF. *in cur. phil. ad Matth. l. c.* SPANHEM. *in Opp. Tom. II. B. p. m. 134.* Cl. LIGTFOOT. *Opp. Tom. II. p. 31. 106. 333.*

III. Supereſt h. ut demonſtremus *CANES* quoque *PSEUDO-DOCTORUM* emblema eſſe. Præter locum Jeſ. LVI. cit. & Pſ. LIX, 7. 15. clariſſimum eſt Apoſtoli teſtimonium Phil. III, 2. Βλέπετε τοὺς κύνας, βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας. *Cavete vobis a canibus, cavete a falſis operariis.* Varias Patrum ad h. l. obſervationes exhibet SUICER. *in Theſ. T. II. p. m. 201.* Conf. etiam Cel. WOLF. *cur. phil. ad h. l.* Ita IGNATIUS, vel quicunque auctor eſt, in *Epiſt. ad Epheſ. p. 220.* citatus *Suicero* atque *Bocharto*, de Pſeudo-Doctoribus ſcribit: οὓς δεῖ ὑμᾶς ὡς θηρία ἐκκλίνειν: Εἰσὶ γὰρ κύνες ἐνεοὶ, οὐ δυνάμενοι ὑλακτεῖν. *Quos oportet vos tanquam feras declinare. Sunt enim canes muti, latrare non valentes.* De Doctoribus etiam occurrit emblema in *Gem. Sanhedr. ed. Cocc. Cap. VII. pag. 281.* הרבה תורה למדתי ולא הסרתי מרבותי אפילו ככלב המלקק מן הים *Multum didici, ſed non tantum a præceptoribus meis accepi, quantum canis lambens de mari.* Quemadmodum Rhetores, Poetæ, Vates peſſimi atque callidi apud veteres *CANES* audiebant. ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. XI. cap. X.* de Zoilo ſcribit: ἐκαλεῖτο δὲ Ζωΐλος οὗτος ΚΥΩΝ ῥητορικός. *Zoilus autem ille vocabatur CANIS Rhetoricus.* TULLIUS *in orat. pro Roſc. Amerino* huc alludens ait: *Alios Oratores clamare, non etiam nocere, alios latrare, qui etiam mordere poſſint.* Huc refer LUCIAN. *in Philopatr. p. m. 484. Opp. Tom. IV.* ἐδήχθην γὰρ τοῖς παρὰ σοῦ λόγοις, ὡς ὑπὸ κυνὸς λυττῶντος. *Morſus enim ſum verbis a te recitatis, perinde ut a cane rabio-*

rabioſo. Quemadmodum *Menippus* apud *Lucianum* *κύων* appellatur, & ſe ipſum hoc titulo exornat. *Opp. T. II. p. 77. in Dial. mort.*

IV. Transeamus ergo ad analogias, quarum inter *Canes* & *Pſeudo-Doctores* quam plurimæ detegi poſſunt. Præcipuas aperiemus ſecundum tres claſſes, quarum

A. Prima qualitates & attributa canum, quæ Pſeudo-Doctoribus conveniunt, recenſebit.

(1.) *CANIS* animal eſt ex lege Dei & natura quoque ſua *impurum* atque immundum, quare ab *altari Dei* arcendum minimeque offerendum erat, imo ne quidem *pretium canis Deut. XXIII, 18.* מחיר כלב, i. e. vel pecuniam, vel aliud animal tanquam *ἀντάλλαγμα* primogeniti ex canibus, de quo loco late BOCHART. *loc. citando* infra, & GATAK. *Opp. Critic. T. II. p. m. 825.* Veluti *Jeſ. LXVI, 33.* Deus *ſacrificium ſuis atque canis* ſibi abominationi eſſe teſtatur. Quare & apud Poetas *canis* & *ſus* ſæpius conjunguntur, veluti in illo HORATII.

Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.

Vide BOCHART. *Hieroz. I. p. 690.* & conf. Matth. VII, 6. 2 Pet. II, 22. nec non GATAKER. *l. cit.* Quum enim non niſi impuris cibis, cadaveribus, oſſibus putridis, ſputo & vomitu delectetur, imo fœtore ſe polluat, quod infra videbimus, impurum merito dicendum eſt animal.

Quadrat hoc in Pſeudo-Doctores, miniſtros impuritatis, Rom. VI, 19. quorum impura eſt mens & conſcientia Tit. I, 15. Voluptatibus enim carnalibus atque impuris indulgent 2 Pet. II, 10. & propriæ juſtitiæ ſordibus inquinati coram Deo apparent Jeſ. LXIV, 6. Quare Servator comparat eos cum *ſepulcris dealbatis*, quæ ſordibus, vermibus & oſſibus impuris i. e. præjudiciis & concupiſcentiis ſcatent. Matth. XXIII, 27. Similiter adſimilantur impuris Spiritibus Apoc. XVI, 13. atque avibus immundis Apoc. XVIII, 2. eandem ob impuritatis ſcabiem.

V. (2.) Canis animal eſt maxime *impudens*, quare communis maxime apud Veteres figura eſt *impudentiæ*, & frons ſeu *facies canina* Judæis pro impudentia dicitur; veluti in *Gemar. Sanhedr. Cocc. ed. p. 345.* dicitur : ופני הדור כפני הכלב ואין הבן מתבייש מאבין *Frons ſeculi canina erit, neque filius reverebitur patrem.* Unde & Judæorum proverbium in *Beza fol. 25.* שלושה עזין הן ישראל באומות

K

באומות כלב בחיות תרנגול בעופות *Tres impudentes ſunt: Iſraelita inter gentes, canis inter animalia, gallus inter aves;* Veluti vertit BUXTORF. *in floril. p. 126.* invito tamen Cel. WAGENS. *Sot. p. 1009.* qui de robore intelligi mavult. Clare HOMER. *Iliad. Lib. IX.* exprimit hoc emblema:

Αἰεν ἀναιδείην ἐπιειμένος. οὐδ' ἂν ἔμοιγε
Τετλαίη, κύνεός περ ἐὼν, εἰς ὦπα ἰδέσθαι,
Semper impudentia indutus neque me auderet
Impudens licet ut canis ſit, in faciem intueri.

Teſtatur ÆLIAN. *Lib. VII. cap. XIX.* ἀναιδῆ δὲ καὶ μὴ ῥᾳδίως ὑποϛελλόμενα, μυῖα καὶ κύνες. *Impudentia ſunt animalia, muſcæ & canes, non facile ſummovenda.* Quemadmodum Arabs verba Jeſ. LVI, 11. עזי נפש *firmos anima*, vertit الكلاب الوقاحة النفس *canes impudentes anima*, conſentientibus τοῖς LXX. ἀναιδεῖς τῇ ψυχῇ. Unde κυναῖος HESYCHIO eſt ἀναιδής. Vide BOCHART. *P. I. p. 688.* Et apud SUIDAM: Ὁ κυνῶν κύντερος, καὶ δαιμόνων ἀργαλεώτερος. *Canibus impudentior & dæmonibus infeſtior.*

Hanc denuo qualitatem in Pſeudo-Doctoribus deprehendimus maxime manifeſtam. Sunt enim perfrictæ frontis ac duræ cervicis, erubeſcere renuentes Jer. III, 3. quia idolis φιλαυτίας dediti, abominationes cordis ſui non agnoſcunt, quare nec erubeſcunt Jer. VI, 15. ſed gloriantur de impuritatibus ſuis, nec celant iniquitates ſuas, ſed pronuntiant eas virtutes Jeſ. III, 9. Videmus exemplar vivum in Pſeudo-Doctoribus Judæorum Phariſæis & Sadducæis, qui jugum δυσβάϛακτον collo Judæorum imponebant, ipſique ne digito attingebant, ſed voluptatibus, faſtui & luxui impudenter indulgebant. Matth. XXIII. Quare & Jeſ. LVI. cit. עזי *duri* anima i. e. induratæ mentis, perfrictæ & impudentis frontis eſſe dicuntur, qui nec Deum nec homines metuunt, ſed impune in concupiſcentiis ſuis volutantur atque perſeverant.

VI. (3.) *Ignavum* atque *ſomno turpi* deditum, variisque *ſomniis* obrutum animal habebatur apud antiquos *Canis.* Quare Jeſ. LVI, 10. dicitur: הזים שכבים אהבי לנום *ſtertunt, decumbunt, ſomnum amant.* Quas voces ita commode diſtingues, ut prior vox *ſomniare*, altera

altera *quiete decumbere*, tertia *ſomnolentia* òbrutum eſſe, eaque *delectari*, deſignet. Plerumque *Canes vigilantiæ* ſymbolum ſunt apud veteres, docente Magno BOCHARTO *l. c. p. 679.* qui refutat *Aben Eſram* ſcribentem ad h. *Jeſ. loc.* לפי הכלבים הם ארוקים בתנומה יותר משאר כל בעלי חיים. *Quia canes ſomno plus dediti, quam reliqua animalia.* Quare vitium præter naturam canibus hoc loco tribui cenſet vir acutiſſimus. Verum experientia docet, dari canes maxime vigiles, dari quoque ſomnolentos atque ignavos, præcipue qui cibis delicatis & pinguibus ſatiantur atque gulæ inſerviunt, quales heic intelligit Vates ſacer. Talem deſcribit HOMER. *Iliad. XVII.*

- Κύων ὅδε κεῖτ᾽ ἐνὶ κόπρῳ.
Καλὸς μὲν δέμας ἐστὶν, ἀτὰρ τόδε γ᾽ οὐ σάφα οἶδα
Εἰ δὴ καὶ ταχὺς ἔσκε θέειν ἐπὶ εἴδει τῷδε
Ἢ αὔτως, οἷοί τε τραπεζῆες κύνες ἀνδρῶν
Γίγνοντ᾽, ἀγλαΐης δ᾽ ἕνεκεν κομέουσιν ἄνακτες.

- *Canis hic decumbit in fimo.*
Pulcher quidem corpore eſt, at hoc certe neſcio,
Si jam & velox fuit currere in ſpecie hac,
An fruſtra, qualesque menſales canes virorum
Sunt; deliciarum autem gratia nutriunt Reges.

Quemadmodum HESYCHIUS quoque *νωθρολάτους pigerrimos* atque maxime ignavos canes memorat. De *ſomniis* canum in ſomno late egit Ill. BOCHART. *l. c.* Unicus ſufficiat locus LUCRET. *Lib. IV. v. 988.*

- *canes in molli ſæpe quiete*
Jactant crura tamen ſubito, vocesque repente
Mittunt, & crebras diducunt naribus auras,
Ut veſtigia ſi teneant inventa ferarum.

Triplex hoc vitium jure Pſeudo-Doctoribus tribuitur. Hi certe *ſomnia* vana jactant, φιλαυτίᾳ nimia occœcati, non Dei voluntatem ſed figmenta humana amantes. Egregie Vates Dei nomine increpat hos Pſeudo-Prophetas ob *ſomnia* ſua Jer. XXIII, 25. ſq. *Audio, quæ recitant iſti prophetæ, qui falſa meo nomine prædicant, dicentes ſomniavi ego, ſomniavi. Aſt quorſum tandem? an eſt ſomnium in animo iſtorum Vatum, qui falſa prophetant. Sunt certe prophetæ doloſi animi ſui.* Nec non

Cap. XXIX, 8. 9. *Sic ait Jehova Exercituum, Iſraelis Deus: Ne vos decipiant vates veſtri inter vos atque haruſpices veſtri, neque auſcultetis ſomniis, quæ vos ipſi ſomniari curatis. Falſa etenim meo nomine vobis enarrant, quum non miſerim illos.* Hi quoque *decumbunt* in ſtrato ſecuritatis carnalis, ſuis indulgentes concupiſcentiis, alios ſimul ad eandem tranquillitatem periculoſam ſeducentes, vana ipſis pulvinaria ſubſternentes Ezech. XIII, 18. 20. *Qui diem judicii longe repellunt & accumbunt in ſtratis & ſpondis eburneis ſecuri, diffluentes luxu.* Amos. VI, 4. 5. Cogitant iniquitatem & mala meditantur in cubilibus ſuis. Mich. II, 1. Hi denique *ſomnolenti* ſunt atque cuſtodiam ipſis demandatam negligunt, Neh. III, 18. quibus cura animarum parum cordi eſt, aberrantes non reducunt, fractas non obligant, ægrotas non curant Ezech. XXXIV, 4. ſed quietem carnis amant, ſuoque indulgent genio Amos. VI, 6.

VII. (4.) Animal porro *libidinoſum* atque *voluptatibus maxime deditum* habebatur apud veteres *CANIS.* Quare ut ſupra §. II. docuimus cinædorum, meretricum atque adulterorum emblema fuit, quemadmodum Apoc. XXII, 15. κύνες καὶ πόρνοι, impuri homines ceu *canes*, & *ſcortatores* junguntur. ÆLIAN. *hiſt. animal. Lib. VII. cap. 19. p. m. 478.* inter libidini maxime dedita animalia canem refert, addens: Καὶ κύνες δὲ γυναιξὶν ἐπιθολμῶν ἐλέχθησαν . . . καὶ ὁ μὲν μοιχὸς ἐν τῇ δίκῃ κύων εἶναι. *Canes etiam cum mulieribus conſuetudinem habere deprehenſi ſunt. . . Adulter in judicio Canis eſſe prædicabatur.* Quare *Cynici* olim dicti ob impudentiam & libidinem, ſecuti Magiſtrum Diogenem, qui ſolebat *omnia publice facere quæ* (τὰ Δήμητρος καὶ τὰ Ἀφροδίτης) *ad Cererem & Venerem pertinebant.* Quare & VIRGIL. *Lib. I. Georg.* canit:

Obſcœnique canes, importunæque volucres.

Conf. etiam quæ de Canum *impudentia*, *libidine* & *petulantia* adfert PIER. *hierogl. Lib. V. p. m. 55.* cum aliis.

Eadem eſt Pſeudo-Doctorum ratio, qui licet externa ſæpe ſpecie ſanctitatis induantur, cor tamen libidinibus, voluptatibus atque adulteriis ſcatens ſervant Matth. XXIII, 27. Huc reſpicit Apoſtolus, de Pſeudo-Doctoribus ſcribens 2 Tim. III, 6. *Ex his ſunt, qui irrepunt in familias & captivas ducunt mulierculas, cumulatas peccatis, actas variis cupidita-*

piditatibus. adde Cap. IV, 3. Et emphaticis phraſibus illos deſcribit Petrus 2 Ep. II, 10. *Qui carnem ſecuti in cupiditatibus pollutis ambulant.* v. 12. *veluti animalia ratione deſtituta naturali impetu feruntur.* v. 13. *Qui voluptatem ducunt luxum quotidianum, convivantes & ſeductionibus ſuis geſtientes.* v. 14. *Oculos qui habent adulterii plenos, qui animas incautas alliciunt, & cor habent avaritiæ deditum, homines execrandi, ſecuti viam Balaam filii* Boſor. Qualia vitia horrenda, voluptates, adulteria, ſodomias aliaque libidinum monumenta quoque in Clericis ante Reformationem obſervant ſcriptores ſupra §. I. citati.

VIII. (5.) *Sagax* atque maxime *callidum* animal Canis eſt, quum *odoris* ſit *acutiſſimi, atque viſu* polleat penetranti, quare *oculi* ipſi *ignei* tribuuntur. De *naribus acutis*, inſtrumentis ſagacitatis canum ſcribit LIBANIUS *in Paraſit.* μικρὸν γάρ τι καὶ τῶν κρητῶν κυνῶν αἱ ῥινηλατοῦσαι πρὸς ἡμᾶς. *Parum enim præ nobis valent ſagace nare canes Cretenſes.* Huc etiam reſpicit SOPHOCLES *in Ajac.*

> Κυνὸς Λακαίνης ὥς τις εὔρινος βάσις.
> *Ceu canis Lacænæ naſo valentis greſſus.*

Plura adducit exempla Cl. MEURS. *in Creta p. m. 96. ſq.* nec non in *Miſcell. Lacon. Lib. III. p. m. 192. ſq.* Huc refer OVID. *Lib. VII. metam. v. 806.*

> *Nec mecum famulos, nec equos, nec naribus acres*
> *Ire canes &c.*

nec non SENECA *in Hippolyt.*

> *Nunc demiſſi nare ſagaci*
> *Captent auras, luſtraque preſſo*
> *Quærant roſtro.*

De *oculis* canum *igneis* EURIPID. *in Hecub. v. 1265.* canit:

> Κύων γενήσῃ, πύρσ' ἔχουσα δέργματα.
> *Canis fies, igneos habens aſpectus.*

Quare Furias & Parcas in Electra idem deſcribit v. 1252. κυνώπιδες Θεάς. Deas *oculis caninis* præditas.

Hoc quoque in Pſeudo-Doctoribus obſervamus, qui calliditate ſua dolos ac machinas, quibus utuntur, tegere norunt. Animas indagare atque explorare ſolent incautas, quas ſeducere atque in caſſes attrahere

trahere facile queunt. 2 Tim. III, 6. 2 Petr. II, 14. Roboratas enim fide animas ac cognitione ſufficienti præditas non facile aggredientur callidi hi venatores, ſed incredulas ac vacillantes. Inſuper *Oculos habent igneos & caninos* i. e. *impudentes*, quemadmodum Judæis פני כלב in *Sanhedr.* & apud *Homer.* & *Lucian.* κυνὸς ὄμματα deſignant. Nec non *oculos* libidine *flagrantes* i. e. plenos adulterii, veluti loquitur Apoſtolus 2 Pet. II, 14. vel etiam oculos ſuperbia ac faſtu turgentes Jeſ. V, 15. X, 12. Quadrat in eos dictum Salomonis Prov. XXIII, 29. 30. *ubi rubor oculorum? immorantibus apud vinum, euntibus ad explorandum vinum mixtum.*

IX. (6.) Animal inſuper eſt *guloſum* atque *vorax*. Huc reſpicit Pſaltes Pſ. LIX, 15. 16. *Quum veſperi revertentur, ganniant inſtar canis & circumeant urbem* המה ינועון לאכל אם לא ישבעו *Exagitentur ad comedendum* ſc. fame, *quum ſaturati non ſint.* Æthiops verba המו ככלב *ganniant canis inſtar*, vertit: *Eſurient ut canis.* Unde proverbium κυνώδης ὄρεξις, apud Arabes الشهوة الكلبية *appetitus caninus* i. e. inſatiabilis, vehementiſſimus, vide BOCHART. *l. c. p. 666.* & aliud adagium اجوع من كلبة حومل *Cane Aaumalis plus eſuriens.* Quare κύων Clearcho apud ATHENÆUM ζῶον πάμφαγον audit. Præcipue autem *furax* eſt in vorando. Huc reſpicit ARISTOPH. *in Equit. p. m. 133.*

Ἐξέδεταί σου τοὖψον, ὅταν σὺ τοῦ ἀλλοσέχασκης.
Ἐς φοιτῶν δ' ἐς τοὐπτάνιον λήσει σε κυνηδὸν
Νύκτωρ τὰς λοπάδας, καὶ τὰς νήσους διαλείχων.
Sudorem vorat ille tuum, te hiſcente aliorſum,
Et latitans intrat catuli de more culinam,
Atque ollas noctu lambit, terrasque mari alto.

Nec non LUCIAN. *Epiſt. Saturnal. p. m. 959. T. II. opp.* Τὴν κύνα δὲ παρεισπεσοῦσαν τόν τε ἀλλάντα ὅλον καταφαγεῖν περὶ τ' ἄλλα τῶν ὀψοποιῶν ἐχόντων. *Utque canis in domum irruens, opſoniorum artificibus alibi intentis, exta devorat univerſa &c.*

Pingit hoc denuo mores Pſeudo-Doctorum, qui *avaritiæ* dediti, συνευωχούμενοι, ἀφόβως ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες i. e. aliorum *conviviis irrepentes*, quaſi non invitati, atque ſe *ipſos paſcentes*, carnem ad voluptatem

tem nutrientes Jud. v. 12. Quare Phil. III, 19. eos deſcribit Apoſt. ὧν ὁ Θεὸς ἡ κοιλία, καὶ ἡ δόξα ἐν αἰσχύνῃ αὐτῶν, οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες. *Quorum Deus eſt venter, & gloriam in dedecore ponunt, ſapientes terreſtria.* *Deum* ponunt *ventrem* duplici ratione, vel *Deo ſervientes* ventris & voluptatum cauſa ſc. in Agapis luxuriantes; vel etiam *ventrem* ſuum Dei inſtar colunt, i. e. omnia quæ ad ejus luxum & concupiſcentias pertinent, ſolicite curantes. Quemadmodum Apoſtolus *avaritiam* eis tribuit 2 Pet. II, 3. & *cor* ad *avaritiam exercitatum* eosdem fovere teſtatur Comm. 14. Similiter Ezech. XXXIV, 2. 3. occurrunt *ſe ipſos paſcentes*, non gregem, adipem comedentes, pinguia mactantes, gregem vero negligentes.

X. (7.) *Mordax* quoque maxime eſt *canis* & ſæpe *venenatis* dentibus morſus hominibus infigit quaſi incurabiles. Imo nonnunquam homines atque feras *diſcerpunt* exacerbata hæc animalia. Ad prius refer, quæ ſcribit R. SALOMO *in Comm. ad Num. XXI. fol. 141.* כל־ הנשוך אפילו כלב או חמור נושכו היה־ נתק ומתנוני והולך *Omnis morſus etiam canis aut aſini nocet, ſenſimque debilitat.* Similiter ARISTOPH. *in Equit.*

Σώζεσθαί σ᾽ ἐκέλευσ᾽ ἱερὸν κύνα καρχαρόδοντα.
Ὃς πρόσθεν δάκνων, καὶ ὑπὲρ σοῦ δεινὰ κεκραγὼς,
Σοὶ μισθὸν ποριεῖ.
Te ſervare jubet ferratis dentibus acrem
Ipſe canem; qui te allatrans mordensque viciſſim,
Mercedem reddet.

Sic HOMER. *Iliad. lib. XI.*

Ὡς δ᾽ ὅτε πού τις θηρητὴρ κύνας ἀργιόδοντας
Σεύῃ ἐπ᾽ ἀγροτέρῳ σοΐ.
Veluti quando aliquis venator canes acutis dentibus
Irritet in ſylveſtrem ſuum.

Et HESIOD. ἔργ. *v. 604.*

Καὶ κύνα καρχαρόδοντα κομεῖν.
Et canem dentibus aſperis nutrito.

Quare a canibus dilacerari ſumma olim pœna erat, teſte HERODIANO *Lib. VIII. cap. V.* ῥίψαντές τε τὰ σώματα τοῖς βουλομένοις ἐνυβρί-

ζειν

ζειν καὶ πατεῖν, εἴασιν κυσί τε καὶ ὄρνεσιν βορὰν. Projectaque ad ludibrium corpora, canibus volucribusque lanianda reliquerunt. Et HOMER. *Iliad. Lib. XV.*

Ἀλλὰ κύνες ἐρύουσι πρὸς ἄστεος ἡμετέροιο.
Verum canes diſcerpent ante urbem noſtram.

Hoc ad dicteria & convicia Pſeudo-Doctorum, quibus teſtes veritatis, hypocriſin ipſorum detegentes, inſectantur, commode referri poteſt. Conviciatores & obtrectatores enim apud Veteres cum *canibus mordacibus* comparantur, unde proverbium: *Κύων λαίθαργος canis clanculum mordens.* Et apud SUIDAM.

Σαίνεις δάκνουσα, καὶ κύων λαίθαργος εἶ.
Palpando mordes, clam canis dentem imprimens,

in eos quadrat. , Et ſane toties in ſacris convicia & blasphemiæ tribuuntur Pſeudo-Prophetis. Paulus ſe ipſum, ante converſionem Phariſæum exiſtentem, vocat *βλάσφημον* i. e. tum Dei honori tum confeſſorum Evangelii famæ detrahens. Iidem *διάβολοι* a *διαβάλλω* trajicio, convicior 1 Tim. III, 6. 7. & *βλασφημοῦντες τὰς δόξας* Jud. v. 8. appellantur. Præcipue vero variis calumniis veros Dei ſervos ac veritatis teſtes proſcindunt, dente livido eos mordentes. Quod expertus eſt *πρωτομάρτυρ* Stephanus a Phariſæis & Sadducæis Act. VI, 11. 12. 13. expertus eſt Apoſtolus Paulus Act. XVII, 5. 1 Cor. IV, 12. 13. 2 Cor. VI, 3. 8. Expertus eſt ipſe Salvator noſter, qui a Phariſæis *οἰνοπότης*, qui *διάβολον* haberet, ſeductor populi &c. ſæpius proclamatus eſt apud populum.

XI. (8.) *Latratus* canum quoque notandus eſt. Canes nonnulli *ingentem latratum* excitant timidi & meticuloſi, prætereaque nihil: alii vero *muti* ſunt vel ex ignavia minime vigiles, vel etiam ex malitia, clanculum mordentes lividis dentibus. De prioribus canit HOMER. *Iliad. Lib. XVIII.*

Αὔτως ἐνδίεσαν, ταχέας κύνας ὀτρύνοντες.
Οἱ δ᾽ ἤτοι δακέειν μὲν ἀπετρωπῶντο λεόντων,
Ἱστάμενοι δὲ μάλ᾽ ἐγγὺς ὑλάκτεον, ἔκ τ᾽ ἀλέοντο.
Fruſtra (paſtores) *immittebant veloces canes incitantes.*

Hi

Hi nempe mordere abſtinebant a Leonibus,
Stantes autem prope valde latrabant & evitabant.

& Idem *Odyſſ. XIV.* κύνας ὑλακομώρους *canes latratores* memorat. Adde OVID. *Lib. II. metam. v. 491.*

Ah quoties per ſaxa canum latratibus acta eſt.

De poſterioribus, qui quaſi muti ſunt, ſed maxime malitioſi, a quibus cavendum eſt, intellige proverbium: βλέπε κύνα λαθροδήκτον. *Cave canem clanculum mordentem.* Nec non aliud: *Cave tibi a cane muto & ab aqua ſilente.*

In loco Jeſ. LVI. Pſeudo-Doctores quoque *canes muti* audiunt, *latrare neſcientes. Muti* ſunt canes in oppoſitione Doctorum genuinorum, qui imminente periculo latrant, fures ac hoſtes Eccleſiæ detegunt ac perſequuntur inſtar canum vigilum Ezech. III, 17. XXXIII, 7. quum e contrario Pſeudo-Doctores ſecuritate carnis occœcati, pericula non obſervent, nec animas de eo cavere doceant. Ezech. XXXIII, 6. Quando genuini Prophetæ vitia confeſſorum animo heroico reprehendunt & judicia divina absque προσωποληψία denuntiant, hi contra metu hominum, ne eorum favore excidant, tacent, obmuteſcunt & Domino ſuo hac ratione male fidi exiſtunt. Si poſteriori ſenſu *canes mutos* intelligas de clanculum mordacibus, deſignantur tales, qui dolis atque technis variis malitiam ſuam tegere ſciunt, hypocritæ, qui externe amorem ſimulant & tela venenata in corde præparant, quibus animabus lethalia vulnera infligunt.

XII. (9.) In canibus porro obſervamus, quod heris ac Dominis ſuis admodum *adblandiri* atque *adulari* queant, vide Tob. IX, 11. ÆLIANUS *var. hiſt. Lib. XIII. cap. XLII.* de Epaminonda ſcribit: ἐπανελθόντα δέ αὐτὸν ἐκ τοῦ δικαστηρίου, Μελιταῖον κυνίδιον ἔσαινε. Διὸ πρὸς τοὺς παρόντας εἶπε· Τοῦτο μὲν ἀποδίδωσιν εὐεργεσίας μοι χάριν. *Quumque recederet e curia, & Melitenſis catellus blandiretur cauda, dixiſſe fertur ad præſentes: Hic mihi pro beneficio gratiam reponit.* De Cane Ulyſſis HOMER. *Odyſſ. XVII.* ſcribit:

Δή τε γ᾽ ὡς ἐνόησεν Ὀδυσσέα ἐγγὺς ἐόντα,
Οὐρῇ μέν ῥ᾽ ὅγ᾽ ἔσηνε, καὶ οὔατα κάββαλεν ἄμφω.

 Jam

Jam tunc ſtatim ille (canis) agnovit Ulyſſem venientem,
Cauda quidem hic adulatus eſt & aures dejecit ambas.

Similiter locum ex HOMER. *Odyſſ. K.* adducit Cl. GATAK. *in adverſ. Miſcell. cap. 38. p. 828.* Quare & canis græce *κύων* quaſi *adulator* dictus a *κύω oſculor, adulor*, juxta Criticos.

Quadrat hoc denuo in Pſeudo-Doctores, qui adulationibus maxime dediti & ſimulata ſæpe humanitate ac ſinceritate incautos ſeducunt, & præcipue apud Magnates hujus orbis ſe inſinuant. His ſe opponit Apoſtolus, mores illorum ſimul detegens 1 Theſſ. II, 3. 4. 5. *Adhortationes noſtræ non ex impoſtura, nec impuritate nec dolo fuere. Sicut a Deo probati fuimus, ita loquimur, non ut hominibus placentes ſed Deo. Nec unquam ſermone blanditiarum uſi ſumus.* Tum Deo, ſupremo Domino, hypocritica pietatis ſpecie, tum hominibus verbis allicientibus, geſtibus amorem tenerrimum falſo prodentibus, blandiri ſtudent, gloriam ex hominibus quærentes 1 Theſſ. II, 6. vivam eorum imaginem in Phariſæorum deſcriptione intueri licet. Matth. XXIII, 13-29.

XIII. (10.) Ut denique de *victu* Canum quædam addamus, pro ſcopo noſtro monemus *tum* canes aquam *lambendo* lingua extrema ſorbere, *tum cadaveribus impuris* ac *ſanguine* delectari, *tum* quoque *vorare*, ea quæ jam *evomuerant.*

(a) *Lambere* aquas ſolent canes tranſeundo fontes aut rivulos, quo reſpicit Spiritus S. Judic. VII, 5. כאשר ילק הכלב *Quemadmodum lambit* (aquas) *canis.* Hos ſcilicet ſelegerat Deus, ut victores Midianitarum evaderent, qui *inſtar canis* aquas lambebant, i. e. celerrime; Quum enim reliqui genu inflexo bibentes, ignaviam ſuam prodiderant, hi contra animum heroicum & hoſtibus obviam eundo promtiſſimum maniſeſtabant, uti docet Cel. BOCHART. *l. c. p. 672.* De canibus Ægypti ſcribit ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. I. cap. IV. p. m. 8.* ὀυκ ἀθρόως, ὀυδὲ ἀνέδην, ὀυδὲ ἐλευθέρως ἐκ τοῦ ποταμοῦ πίνουσιν, ἅμα ἐπικύπτοντες, καὶ ὅσον διψῶσι λάπτοντες . . . παραθέουσι δὲ τὴν ὄχθην καὶ παρακλίπτοντες πίνουσιν. *Neque continue, neque ad ſatietatem, neque libere bibunt e fluvio, ita ut inclinare ſe & ſitim ſuam lambendo ſatiare auſint. Prætercurrunt igitur ripam, furtim, raptimque bibunt.* Conf. & ÆLIAN. *de animal. Lib. VII. cap. LIII.*

(b) *Ca-*

(b) *Cadaveribus* & *ſanguine* eos delectari conſtat ex ſacris. Carnem animalis, ovis, bovis &c. a feris diſcerpti *canibus projiciendam* inculcat lex Exod. XXII, 31. Sic 2 Reg. IX, 36. in portione Jeſreel יאכלו הכלבים את בשר איזבל *comedent canes carnem Jeſabelis.* adde 1 Reg. XIV, 11. XVI, 4. XXI, 23. 24. Et Comm. 19. *Quoniam canes linxerunt Nabothi ſanguinem, etiam tuum canes lincturi ſunt ſanguinem.* Huc quoque reſpicit locus Jer. XV, 3. ubi inter ſupplicia graviſſima memorantur כלבים *canes* ad diſcerpendum corpora interemtorum. Nec non Pſ. LXVIII, 24. תמחץ רגלך בדם לשון כלביך מאיבים *ut immergas pedem tuum ſanguine & linguam canum tuorum hoſtili* (ſanguine). Sic Rabbini in tract. *Peſach. fol. 118. col. 1.* וכל מעיד עדות שקר בחבירו ראוי להשליכו לכלבים. *Qui falſum de ſocio ſuo teſtimonium dicit, dignus eſt, qui canibus projiciatur.* Huc pertinet locus EURIPID. *in Phœniſſ. v. 1644.*

> Τὶ δ᾽ οὐ δικαίως ὅδε κυσὶ δοθήσεται
>
> *Quid vero, nonne hic juſte canibus projicietur?*

Adde *eund. in Heracl. v. 1050.* Similiter HOMER. *Iliad. I. v. 4.*

> \- αὐτοὺς δ᾽ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν,
> Οἰωνοῖσί τε πᾶσι.
>
> \- *Illos autem laniamenta fecit canibus,*
> *Avibusque omnibus*

Et *Lib. XIII. in fin.*

> \- ἀτὰρ Τρώων κορέεις κύνας, ἠδ᾽ Οἰωνούς.
>
> *Et Trojanorum ſaturabis canes & aves.*

Quare *oſſa* radere & confringere dicuntur, qui in ſtatu maxime ſunt contemto; Ita Judæi rationes explicaturi, cur Deus prohibuerit os frangere agno paſchali, ſcribunt: שאין לבני מלכים ויועצי ארץ לגרור העצמות ולשבר ככלבים לא יאות לעשות ככה כי אם לעניי העם הרעבים. *Non enim eſſe honorificum filios regum & conſiliariorum terræ oſſa radere & canum inſtar frangere. Non cadere hoc niſi in pauperem & famelicum vulgum.* Vid. HOTTING. *de Jur. Hebr. p. 29.* uti LUCIAN. *adverſ. indoct. p. m. 778.* οὐδὲ γὰρ κύων ἅπαξ παύσαιτ᾽ ἂν σκυτοτραγεῖν μαθοῦσα. *Non facile ceſſet canis corium rodere ubi cepit.* Plura non addam.

 (c) *Ex-*

(c) *Excrementis* denique & *vomitu ſuo* veſcitur canis. De priori Rabbini in *bav. Kam. fol. 92.* כלבא בכפניה גללי מבלע *Canis famelicus excrementa devorat.* Unde *σκύβαλον ſtercus*, quod *κυσὶ βαλλόμενον canibus projicitur.* Et ad *vomitum ſuum redire ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα* dicitur in ſacris 2 Petr. II, 22. adde Prov. XXVI, 11. Similem phraſin in *Vagikr. rabb. ſect. 16.* ככלב שב על קיאו. reperiri docet CARTWRIGT. *in Mellif. ad h. l.* nec non apud Arabes ويرجع في قيه teſtatur Cel. BOCHART. *Hieroz. I. p. 671.*

Applica hoc Pſeudo-Doctoribus, qui aquas doctrinæ ſalutaris lambendo attingunt, ore gerunt per confeſſionem ſuperficiariam, ſed corde abnegant, & veritatis amore ſincero deſtituuntur. Quibus non veritas ſed voluptas cordi eſt, utpote impuras carnis concupiſcentias mundique voluptates avido ore deglutiunt. 2 Petr. II, 13. 14. *mortuis cadaveribus* i. e. concupiſcentiis cor ipſorum ad ſatietatem repletum eſt inſtar ſepulcri, teſte Salvatore Matth. XXIII, 27. conſcientia ipſorum polluta eſt *mortuis operibus* Hebr. IX, 17. quæ deglutiunt inſtar aquæ, quare fœtent & Deo abominabiles exiſtunt Hiob. XV, 16. *oſſa* rodunt exſanguia figmentorum & ſomniorum humanorum, quæ paleæ inſtar in oppoſitione tritici Jer. XXIII, 28. oſſium inſtar in oppoſitione carnis Joh. VI, 48. 55. Quare & ad *vomitum* redeunt inſtar canum 2 Petr. II, 22. quod præcipue de illis dicitur, qui poſtquam aliquam veritatis lucem accepiſſe videbantur, vel ſpeciem illius profeſſi erant, dein ad priores errores relapſi & quæſtus cauſa tantum veritatem ſectantur, utpote cujus amore ſincero carent, 1 Tim. VI, 5. cum Dema mundi illecebras denuo quærunt 2 Tim. IV, 10. ac cum Simone Mago fel amariſſimum & vinculum omnis pravitatis in pectore ſervant. Act. VIII, 23.

XIV. Pergimus B. ad accidentia quædam canum, ubi notamus

(1.) Eos *noctu in tenebris* lubenter vagari & horrendis ſæpe *ululatibus* aëra implere. Huc reſpicit Pſaltes Pſ. LIX, 7. 15. 16. וישבו לערב יהמו ככלב ויסבבו עיר . . . . ויליִנו *Vagabuntur noctu, ululantes inſtar canum, pererrantes in civitate . . pernoctare cogentur.* Quod *furibus* nocturnis applicant Judæi in *Exc. Gem. Sanhedr. ed. Cocc. p. m. 420.* PAUSANIAS quoque *Lib. IV. ſ. Meſſenic. p. m. 240.* ſcribit:

οἱ κύ-

οἱ κύνες συνιόντες ἐς τὸ αὐτὸ κατὰ πᾶσαν νύκτα ὠρύοντο, τέλος δὲ καὶ ἀπεχώρησαν ἀθρόοι πρὸς τὸ στρατοπεδόν. Canes autem congregati ſingulis noctibus ululatum dedere, & magno agmine denique ad caſtra venerant. Id quod ominis loco habebatur, unde OVID. *Lib. XV. Metam. v. 797.*

> *Inque foro circumque domos & templa Deorum*
> *Nocturnos ululaſſe canes, umbrasque ſilentum*
> *Erraviſſe.*

Quemadmodum & R. JUDA in ספר חסידים *n. 1145.* שהכלבים רואין מלאך המות הן בוכין *Quum canes conſpiciunt Angelum mortis ſc. noctu, ecce ululant.* Loca ex Arabum ſcriptis exhibet BOCHART. *l. c. pag. 681.*

Pſeudo-Doctores etiam *tenebras* amant tanquam filii tenebrarum Luc. XVI, 8. magis quam lucem Joh. III, 19. quare ambulant in tenebris, alieni a luce Dei Joh. VIII, 12. Cap. XII, 35. Sunt enim miniſtri Principis tenebrarum Eph. VI, 12. Col. I, 13. Hi ſunt qui pro tenebris lucem & pro luce tenebras ſtatuunt & in *ſeram uſque noctem perdurant in comeſſationibus* Jeſ. V, 10. 11. 20. Quare & per Dei juſtum judicium *ululabunt inſtar canum* Pſ. LIX, 7. tanquam ſacerdotes altaris Joel. I, 13. tanquam falſi Paſtores Zach. XI, 3. morſibus conſcientiæ exacerbati, Deum, ſe ipſum atque alios variis conviciis, maledictionibus ac blasphemiis onerant, præcipue ſub judiciis Dei conſtituti ac iram Dei percipientes Apoc. XVI, 9.

XV. (2.) *Catenis* præterea adſtringi & *baculis* atque *lapidibus* debellari canes ſolent. *Vincula* collis ipſorum injici teſtatur XENOPH. *Jun. cap. XI.* ὅτι ἄμεινον δεδέσθαι τὰς κύνας ἢ λελυμένας εἶναι. *Vinctos potius quam ſolutos debere canes eſſe.* Quo reſpicit OVID. *metam. Lib. VIII. v. 332.*

> *Vincula pars adimunt canibus, pars preſſa ſequuntur*
> *Signa pedum.*

Quare collaria & monilia data canibus, de quibus vide Cel. BURMAN. ad *Nemeſ. Cyneget. p. 400.* nec non ad G. *Faliſci Cyneget. p. 252. ſq.* De catenis canum audi SIDON. APOLLINAR. *Carm. VII.*

> *Tonſa catenati ſubmittere colla Moloſſi.*

Quare *catenarii* canes dicti SENECÆ *Lib. III. de ira cap. 37. Iraſceris ergo catenario cani, & hic cum multum latravit, objecto cibo manſueſcit.*

Baculis debellari quoque ſolebant, quare Philiſtæus ille ad Davidem: 1 Sam. XVII, 43. הכלב אנוכי כי אתה בא אלי במקלות *An canis ſum? quod baculis contra me accedis.* Unde & apud Perſas proverbium: جو تام سك بريب جوبي بدست كير كه. جون هو هو كذن ني برهانش *Quando canis mentionem facis, baculum corripe, ut cum hau! hau! ſonat,* (latrat) *os ejus petas.*

Quod & lapidibus abigantur, docet HOMER. *Odyſſ. Lib. XIV.* de ſubulco canens:

> Τὲς μὲν ὁμοκλήσας σεῦεν κύνας ἄλλοδις ἄλλη
> Πυκνῆσι λιθάδεσσιν.
> *Hos quidem acclamans canes pepulit alio alium*
> *Crebris lapidationibus.*

Pſeudo-Doctores quoque canibus ſimiles ſunt catenatis, utpote conſtricti *catenis tenebrarum* atque concupiſcentiarum a Satana, quibus eos ad obedientiam tyrannidis peccati conſtringit 2 Tim. II, 26. qualis erat Simon magus Act. VIII, 23. quare vocatur *σύνδεσμος πάσης ἀδικίας.* Quemadmodum enim Princeps tenebrarum ipſe conſtrictus eſt inſtar *Cerberi* cujusdam *catenis tenebrarum* 2 Petr. II, 4. ita & inſtrumenta ſua, quibus utitur, monili tali ornat ac cingit, ut dignoſci queant, cujus ſint mancipia. *Debellandi* autem hi canes myſtici ſunt *baculo* verbi divini & *lapidibus* fundæ, præconii veritatis efficaciſſimi Zach. IX, 15. Pſal. XXIII, 4. Quemadmodum Deus ipſe *baculum* ſuum contra Ægyptum præcipue myſticam *elevaturus* dicitur Jeſ. X, 24. 26. qui eſt *baculus oris* Jehovæ, quo percuſſurus erat hoſtes veritatis Jeſ. XI, 4. qui duplex eſt, חבלים & מקל נעם vel *baculus amœnitatum* reſpectu promiſſionum, vel baculus *dolorum* reſpectu maledictionum verbis veritatis. Zach. XI, 7-10.

XVI. (3.) Canes ſæpe *rabiem* incurrunt, ut quævis obvia dentibus venenatis vulnerent, atque hominibus beſtiisque magna damna afferant, quare hos ceu peſtem ipſam fugere oportet, quoniam qui ab hiſce morſu pe-

ſu petitur, ſimiliter rabiem contrahit. Huc reſpicit Judæorum conſilium in *Tract. Talm. Jom. haceip.* כד נשוך מכלב כד תריסר ירחי שתא לא שתי מיא אלא בגובתא דנחשא דלמא חזי ליה לכלבא ומסתכן. *Qui morſus eſt a cane rabioſo, totis 12. menſibus aquam, niſi in æneo vaſe non bibat, ne forte illi appareat canis imago, indeque adducatur in periculum.* Et ad Num. XXI. varias inter ſerpentum & canum rabioſorum venenatos morſus comparationes inſtituunt, quos ex parte recenſet Cl. SAUBERT. *in Diſſ. de Serpente æneo.* Et R. MOSE Gerundinenſis teſtatur. נשך הכלב השוטה אחר שנשתטה בחליו *Quod ſi quis morſus fuerit a cane rabioſo, ipſe in inſaniæ morbum prolabetur.* Similiter docet ÆLIAN. *de Animal. Lib. IX. cap. XV.* canum rabioſorum morſus eſſe lethales & perniciem accelerare. Quare proverbium apud veteres: *CAVE CANEM*, ſc. rabioſum. Sed & canes rabioſi ſæpe ſibi ipſi perniciem accelerant, quando in *mare* aut *fluvios* ſe præcipites dant, veluti teſtatur ÆLIAN. *de Animal. XII. cap. XXII. p. m. 717.*

Tales quoque æſtimabis Pſeudo-Doctores, qui quando omnes conſcientiæ morſus enervant & erroribus ſuis ac concupiſcentiis pertinaciter aſtu Satanæ inhærent, ſæpius quaſi in rabiem deſperationis incidunt aliosque ſimul in idem periculum adducunt. Adeoque excitata conſcientia, quæ judicia Dei graviſſima atque iram ejus flagrantem ob oculos ponit, deſperabundi oberrant & tandem in barathrum deſperationis per *αὐτοχειρίαν* horrendam præcipitantur, cujus exemplum exhibet triſtiſſimum Pſeudo-Apoſtolus Judas Iſcariothes Matth. XXVII, 5. Eleganter in hunc ſcopum ſcribit Apoſtolus Petrus 2 Ep. II, 1-3. *Falſi inter vos exiſtent Doctores, qui introducent hæreſes exitiales* (rabiem ſuam aliis communicantes) *accerſentes ſibi ipſis celerem perniciem* (inſtar canum rabioſorum ſuo veneno pereuntium.) *Multi ſequentur eorum exitium, per quos via veritatis blasphemiis proſcinditur.* Quorum *exitium non dormire* atque *damnationem non otiari*, comm. 3. teſtatur.

XVII. C. Supereſt denique ut *USUS canum* apud veteres præcipuos conſideremus. Veluti

(1.) ad *Cuſtodiam* adhibitos eos legimus, tum in *ædibus*, tum ad *pecora*, atque armenta cuſtodienda.

De

De Cuſtodia *domuum, villarum, templorum* atque *ædificiorum publicorum canibus* demandata res eſt notiſſima. Quare ſcribit P. CHRYSOLOGUS apud *Pignor. de Serv. p. 274. CANIS dormientibus Dominis nocte & cuſtos & pervigil, prodit extraneum, turbat furem, occurrit latroni, ut curam relevet & ſolicitudinem Servorum.* Et EUSTATH. ad HOMER. *Iliad. X.* ἔθος, inquit, ἦν τὰς αὐλείων θύρας τηρεῖσθαι ὑπὸ κυνῶν. *Moris erat, portas aularum canibus cuſtodire.* Et OVID. *Faſt. Lib. V.* de cane & Laribus canit:

Servat uterque domum, Domino quoque fidus uterque.

&

Pervigilantque Lares, pervigilantque canes.

Nec non TIBULL. *Lib. II. el. IV.*

- *hinc clavim janua ſenſit,*
Et cœpit cuſtos liminis eſſe canis.

Et ad *templorum* cuſtodiam adhibitos eſſe eosdem teſtatur PHILOSTRATUS *de vita Apollon. Lib. VIII.* ἀφικέσθαι δ' ἐς τὸ ἱερὸν τῆς Δικτύννης φυλακὴ δὲ τῷ ἱερῷ κυνῶν ἐπιτέτακται, φρουροὶ τοῦ ἐν αὐτῷ πλούτου. *Acceſſiſſe autem ad Dictynnæ templum, cui excubiæ canum impoſitæ, opes illic collocatas ſervaturæ.*

De *canibus* in *grege cuſtodiendo* vigilibus quam plurima adferri teſtimonia poſſent, quædam notaſſe ſufficiet. Quum enim greges maxime a lupis aliisque feris rapacibus infeſtari ſoleant, cuſtodes pecorum apud antiquos Judæos ac gentes canibus robuſtis inſtruebant greges ad abigendos lupos, & ſi accederent, dilacerandos. Huc reſpicit Judæorum dictum in *Exc. Gemar. Sanhedr. Cap. XI. ed. Cocc. §. LVI.* . . . שני הכלבים היו בעדר בא זאב על האחד אמר האחר אם איני עוזרו היום הורג אתו ולמחר בא עלי הלכו שניהם והרגו הזאב *Canes duo erant in grege. Alterum adortus eſt lupus. Tum alter videns, ſi iſtum deſereret, actum de illo eſſe & poſtea ſe a lupo infeſtatum iri, conjunxit ſe alteri & lupum exanimarunt.* Similiter canit HOMER. *Iliad. X. p. m. 181.*

Ὡς δὲ κύνες περὶ μῆλα δυσωρήσονται ἐν αὐλῇ.
Ac veluti canes circum pecora ægre cuſtodiunt in caula.

Et VIRGIL. *Lib. III. Georg.*

Nec

Nec Tibi cura canum fuerit poſtrema, ſed una
Veloces Spartæ catulos, acremque moloſſum
Paſce ſero pingui; nunquam, cuſtodibus illis,
Nocturnum ſtabulis furem, incurſusque luporum
Aut impacatos a tergo horrebis Iberos.

Ut alia loca a BOCHARTO *l. c. p. 684.* jam adducta tranſeam.

Idem denuo Pſeudo-Doctoribus applices, qui in cuſtodiendo grege ſuo ſatis vigiles exiſtunt cuſtodes, & majori ſæpe vigilantia atque cura aſſeclas ſuos in erroribus inſinuatis confirmare atque conſervare ſtudent, quam veri Doctores. Videmus exemplum clariſſimum in falſis apud Judæos olim Doctoribus, de quibus teſtatur Salvator, quod mare & terras circumeant, ut unum faciant proſelytum, & dein filium gehennæ conſtituant. Matth. XXIII, 15. Quali cura gregem ſuum tueri ac in erroribus & præjudiciis confirmare ſtudebant Phariſæi? quanto zelo contra præconium veritatis Chriſti & Apoſtolorum inſurgebant? *Domum* ſuam i. e. templum, in quo ſerviebant Deo more ſuo, defendebant, & quum Chriſtum calumniarentur, tanquam blaſphema contra locum hunc ſacrum dicentem, quanto cum zelo ac invidia illum accuſabant & e medio tolli flagitabant? Matth. XXVI, 61. quod idem Stephanus expertus eſt, qui primus veritatem Evangelii ſanguine ſuo obſignavit Act. VI, 13. 14.

XVIII. (2.) Adhibebantur olim, quemadmodum etiam hodie accidit, *canes* in *Venatione* ferarum. Ita Salvator ſe conſiderat, tanquam cervam a *canibus* quaſi venantibus agitatam. Pſ. XXII, 17. i. e. vel a gentibus vel etiam Pſeudo-Doctoribus, Phariſæis & Scribis, qui variis accuſationibus & dolis ipſum capere atque dilacerare ſtudebant. Varia heic denuo veterum loca coacervare poſſemus, quæ magnus BOCHART. *p. 684.* partim adduxit. Addimus vero EURIPID. in Ιππ. Στεφ. *v. 215.*

Πέμπετε μ᾽ εἰς ὄρος, εἶμι πρὸς ὕλαν.
Καὶ παρὰ πεύκας, ἵνα θηροφόνοι
Στίβουσι κύνες,
Βαλίαις ἐλάφοις ἐγχριπτόμεναι.
Ducite me in montem, eo ad ſylvam
Et ad pinus, ubi ferarum interfectores

Solum eundo calcant canes
Maculoſis cervis inſilientes.

Et HOMER. *Iliad. XI.*

- - ὡς ὅτε κάπρω
Ἐν κυσὶ θηρευτῆσι μέγα φρονέοντε πεσῆτον.
Sicut quando apri in Canes venaticos valde audaces inciderint.

Nec non HESIOD. *Scut. Hercul. v. 203.*

- τοὶ δ᾽ ὠκύποδας λαγὸς ἤρευν
Ἄνδρες θηρευταὶ, καὶ καρχαρόδοντε κύνε πρὸ
Ἱέμενοι μαπέειν.
- *alii vero alipedes lepores venabantur*
Viri venatores, & aſperis dentibus canes duo ante eos
Capientes aſſequi.

Huc refer *nummos* paſſim obvios, in quibus *canes venatici* apparent; qualis eſt Neronis apud OISEL. *Tab. CI. n. IV.* ubi aper a cane venatico dentibus petitur, urgente Venatore eundem jaculo. adde *num. V.* ubi aper telo percuſſus a cane venatico impetitur. Similiter Diana venatrix cum arcu, jaculo & cane venatico conſpicitur in *num. VIII. & XII. Tab. L. ejusd.* OISEL. *p. 296.*

Tales quoque Pſeudo-Doctores conſiderandi, utpote qui *Venatorem* ſagaciſſimum animarum, ſc. Satanam, ſequuntur. Conf. Pſ. XCI, 3. CXXIV, 7. qui retia ſua & laqueos ad eas capiendas exponit. Pſ. CXLI, 9. 2 Tim. II, 26. & hiſce canibus myſticis ceu inſtrumentis utitur, quibus eas in tentationum & illecebrarum caſſes agat. Epheſ. VI, 16. 2 Petr. II, 2. 2 Theſſ. II, 9. Hi ſcrutantur incautas, atque incredulas, & luce veritatis neglecta, in tenebris ignorantiæ jacentes animas, atque ita tentationibus ſuis obruere ſecuras ſatagunt. Apoc. XVI, 15. 1 Petr. V, 8. inſidiantur hiſce animabus & ubi expiſcati eas ſunt, ad avia errorum atque præjudiciorum vel etiam vitiorum graviſſimorum agunt, atque ſimul captivas tenent. 2 Petr. II, 14. 15. 18. 20. 2 Theſſ. II, 10. & niſi ſponte in caſſes incurrant, minis, perſecutionibus & inquiſitionibus eas obruunt, veluti & in Antichriſtianiſmo maxime hoc obſervari ſemper fuit ſolitum.

XIX. (3.) Adde canes *menſis* lubenter inhærere, ubi quæ decidunt, avidiſſime arripiunt, & quaſi miniſtri convivarum apparent tempore epuli.

epuli. Huc reſpicit Salvator Matth. XV, 26. 27. dicens mulieri: *ὐκ ἔςι καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων, καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις.* Et mulier reſpondet: *καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν.* Similiter Luc. XVI, 21. ubi Lazarus *micis e menſa divitis decidentibus* ſatiari cupit, & ante januam accumbit, accedentibus *canibus* qui menſæ adſtant & vulnera ejus lingentibus. Ita & FL. AVIAN. *fab. XXXVII.* de cane jactabundo canit:

Proximus humanis ducor poſt otia menſis,
Communem capiens largius ore cibum.

Menſales canes memorat HOMER. *Odyſſ. XVII.*

- *οἷοί τε τραπεζῆες κύνες ἀνδρῶν*
Γίγνοντ', ἀγλαΐης δ' ἕνεκεν κομέουσιν ἄνακτες.
- *qualesque canes menſales virorum*
Sunt, quos deliciarum gratia nutriunt Reges.

Similiter *Iliad. XXII.*

Ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν.
Novem Regi illi canes erant menſales.

Plura vide apud BOCHART. *p. 669.* Et conf. STUCK. *antiq. conviv. Lib. II. cap. V. f. 156. 157.*

Talibus adſimiles Pſeudo-Doctores, qui *menſas amant*, i. e. delicias hujus mundi carnisque voluptates, quum ventrem conſtituant Deum ſuum Phil. III, 19. convivia opipara ament, comeſſationibus indulgeant, & voluptatem ducant luxum diurnum 2 Petr. II, 13. Quemadmodum Phariſæi accubitus in cœnis amabant Matth. XXIII, 6. Tales ſunt, qui Chriſtum ſequuntur propter panem & ipſi ſerviunt propter lucrum turpe 1 Petr. V, 2. adeoque dum gratiam Dei in laſciviam convertunt, Chriſtum herum ſuum abnegant Jud. v. 4.

XX. (4.) *Canis* inſuper & ſua & aliorum vulnera lingit atque hoc medio ſalutari obligat atque curat. Huc refer quæ legimus Luc. XVI, 21. *οἱ κύνες ἐρχόμενοι ἀπέλειχον τὰ ἕλκη αὐτῦ.* *Et canes venientes lingebant vulnera ejus.* Per quos non cum Interpretibus nonnullis ſervos janitores canum more excubantes ante fores, ſed canes proprie dictos intelligimus, quod ſimplicitas ſtyli ſacri & circumſtantiæ parabolæ requirunt. De canibus teſtatur ÆLIAN. *hiſt. anim. Lib. VIII. cap. IX.* Τρω-

θέντες δὲ ἔχουσι τὴν γλῶτταν φάρμακον, ἥπερ οὖν περιλιχμώμενοι το τρωθὲν μέρος εἰς ὑγίειαν ἐπανάγουσι, ἐπίδεσμα καὶ σπληνία, καὶ κράτεις φαρμάκων μακρὰν χαίρειν ἀπολιπόντες. Si vulnus acceperint, cum vulnerum obligationibus tum pharmacorum temperationibus multum valedicentes, lingua huic medicinam faciunt & priſtinæ integritati reſtituunt. Similiter GRATUIS apud *Bochart. p. 672.*

> *Quod ſi diſtricto levis eſt in vulnere noxa,*
> *Ipſe habet auxilium validæ natale ſalivæ.*

Confirmat idem experientia quotidiana.

Quod ſi falſis Doctoribus applices, optime deſignabit morem ipſorum perniciosum, quo vulnera conſcientiæ tum propriæ tum aliorum lingua ſua blanda & adulatoria obligare ſtudent, hominibusque ſanitatem ac ſalutem vanam promittunt. Quare pulvinaria ſecuritatis collo ipſorum ſubjicientes, omnemque conſcientiæ metum expellentes fictis ſolatii remediis, callum ei obducunt 1 Tim. IV, 2. Quum e contrario veri Doctores vulnera conſcientiæ ſæpe refricent atque a materia peccante per verbum veritatis purgare, & dein oleo conſolationum obligare ſtudeant 1 Cor. IV, 2. 2 Cor. V, 11.

XXI. (5.) Supereſt ut uſum *Canis* in *Sacris* conſideremus. Canes enim more idololatrico pro Diis cultos atque habitos fuiſſe apud veteres conſtat. Ita 2 Reg. XVII, 31. Avvæorum numen נבחז dictum, שהוא הכלב שנובח בעזות, *quo innuitur canis fortiter latrans,* ut ſcribit ABARBANEL *ad h. l.* De Ægyptiis ſcribit ÆLIAN. *de animal. Lib. X. cap. XLV.* τιμῶσι δὲ τὸν κύνα οἱ Ἀιγύπτιοι, & dein duplicem hujus cultus cauſam exponit. Canes in templo Æſculapii ſacros præcipue fuiſſe nutritos patet, vel ut Feſtus conjicit, quia is uberibus canis nutritus creditur, vel forte ob vim medicam in vulneribus curandis, qua canum lingua pollet, ut ſupra vidimus. Notum quoque eſt illud JUVENALIS:

> *Oppida tota canem venerantur.*

Qualis fuit Anubis, qui Latrator apud *Virgilium* audit. Plura vide apud SPENCER. *Opp. p. 570.* BOCHART. *Hieroz. I. p. 662.* & Cel. IKEN. *in diſſ. erud. de Nibchas Avvæorum idolo p. 19. ſq.* Brem. 1726.

Et

Et quis neſcit, falſos Doctores divinum quoque ſæpius ſibi honorem vendicaſſe, atque verba ipſorum quaſi Θεόπνευςα jactaſſe. De Antichriſto, Pſeudo-Doctorum Principe ſcribit Apoſtolus 2 Theſſ. II, 4. *quod ſe efferat ſuper omne quod Deus dicatur, aut Numen, adeo ut in templo Dei, inſtar Numinis ſedeat, præ ſe ferens ſe eſſe Deum.* Similiter de hac *beſtia* ſeu cane myſtico legimus Apoc. XIII, 8. *quod omnes terræ incolæ, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ agni, eam adoraverint.* conf. v. 4. 12. 15. Et Cap. XIV, 9. 10. *Si quis adoraverit beſtiam & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte ſua aut manu, bibet ex vino excandeſcentiæ.* nec non Cap. XVI, 2. *qui habebant characterem beſtiæ & adorabant ejus imaginem.* adde Cap. XIX, 20. XX, 4.

XXII. En vivam tum hominum carnalium tum Pſeudo-Doctorum imaginem! O utinam Eccleſia Proteſtantium ejusmodi canibus myſticis careret. Sed ohe! quot *canes muti* non ſuperſunt, qui *latrare neſciunt.* Qui clanculum alios, vel genuinos Doctores pietatis ſinceræ defenſores atque exemplaria, vel etiam animas ex grege ipſis demandato, variis calumniis proſcindunt clandeſtinis, pietatis hoſtes infenſiſſimi & voluptatis aſſeclæ exiſtentes. Væ animæ ipſorum, quia fructus laborum ſuorum comedent! Veri Eccleſiæ Dei Doctores pudore ſæpe quoque ſuffunduntur, quoties ſomni minime decentis, ſocordiæ & ἀνθρωπεφοβείας per conſcientiam convincuntur, quod vocem ſuam reprehenſoriam non attollant inſtar tubæ ex mandato divino Jeſ. LVIII, 1. ſed ſæpe quoque metu perſecutionum obmuteſcant. Agite ergo, o vigiles, qui in cuſtodia gregis ac domus Dei vivi conſtituti ſumus, agite vigilemus, vigilemus, ne Dominus noſter nos dormientes inveniat. Apoc. XVI, 15. Actor. XX, 28. Gloriam Dei noſtri coram mundo & irriſoribus defendamus magnanimi; ne ſimus canes muti, qui latrare neſciunt, ſed hero noſtro fideles exiſtamus, Lupo infernali & Pſeudo-Doctoribus occurramus impavidi, & animas adhuc plurimas ex faucibus eorum eripiamus. Noctu diuque perſeveremus in vigilantia, ut ita oculis Domini noſtri placere queamus.

Aſt quot animæ quoque ignobiles reperiuntur in grege Dei nomen præ ſe ferente, qui peſſimas canum impurorum qualitates undique manifeſtant. Qui in impuritate naturali lubentes perſeverant & omnia puri-

rificationis in præconio veritatis oblata remedia negligunt & aſpernantur, qui *faciem caninam* poſſident, frontem meretriciam, quæ erubeſcere negat; qui de ſuis voluptatibus gloriantur tanquam virtutibus & in dedecore ſuam ponunt gloriam Phil. III, 19. Quot animæ ſocordes ſtertunt inſtar canum, alto ſecuritatis & obduratæ conſcientiæ ſopore obrutæ, quæ nec monitis ſalutaribus vigilum Zionis nec judiciis divinis excitari poſſunt? Quot hypocritæ externa Eccleſiæ limina viſitant, qui ſpeciem pietatis ſimulant & cor voluptatibus & libidine refertum poſſident, qui gratiam longanimitatis divinæ ac libertatis N. T. in laſciviam & carnis licentiam convertunt? Qui *gulæ deditι*, ventrem ſaginant delicatis cibis, pinguia ex grege comedunt, vino optimo incaleſcunt & in cubilibus ſuis luxum meditantur Amos. V, 6. qui canum guloſitatem ſuperant, horrendis ſeſe ingurgitantes potationibus, dum bacchanalia vivunt in hac vita, quaſi ſecum dicentes: Edamus, bibamus, ludamus, poſt mortem nulla voluptas. Qui *ſagaces* & callidi ſatis exiſtunt in rebus hujus mundi, & in ſpiritualibus talpa cœciores, utpote homines ψυχικοὶ. 1 Cor. II, 14. Qui clandeſtinis *calumniis* proximum *mordere* & variis conviciis proſcindere optime didicerunt. Qui *noctu* in tenebris verſantur, lucem veritatis fugientes, & *catenas* tenebrarum tanquam mancipia Satanæ gerunt. Vah dedecora confeſſorum nominis puriſſimi Chriſti! Ut taceam homines deſperatæ plane conditionis, qui *canis inſtar ad vomitum* redeunt & poſt convictiones conſcientiæ & lacrymas reſipiſcentiæ falſæ & temporariæ ad eadem redeunt vitia, inque iis indurantur. O utinam vincula fidei Heri noſtri clementiſſimi deſiderarent, laceratis tenebrarum catenis! O utinam hunc ſequerentur Dominum, qui indignis peccatoribus, ceu κυναρίοις, micas ex regia ipſius menſa decidentes concedere, imo menſam plenam pinguedinum inſtruere promiſit Pſ. XXIII, 5. 6.

* * *

EXERCI-

EXERCITATIO V.
DE
CIDARI REGIA IN MANU DEI,
SYMB. ECCLESIÆ.
JESA. LXII, 3.

ARGUMENTUM.

Senſus loci Jeſ. LXII,3. & parellelia cum Apoc. XXI. breviſſime explanatur, una cum alluſione heic obſervanda §. I. CIDARIM emblema eſſe auctoritatis atque poteſtatis, decoris & ornatus, & denique amoris, docetur §. II. Perſonæ variæ, a quibus cidaris geſtata, memorantur, veluti Reges, quare regiæ dignitatis ſymb. §. III. Sacerdotes porro apud Hebr. & alias gentes §. IV. Vates inſuper, Legati, atque Sapientiſſimi inter orientales Magi §. V. Milites ſimiliter atque belli Duces. §. VI. Uti & virgines ac Sponſæ, quare caſtitatis ſymb. §. VII. Et denique Dii ipſi atque Deæ illa ornati apparent. §. VIII. Tranſimus poſtea ad qualitates & attributa Tiaræ, conſiderantes materiam *atque colorem ejus candidum præcipue & purpureum. §. IX. nec non* formam *atque faſcias ejus §. X. uti & unctionem pretioſis oleis factam. §. XI. porro gemmas ac margaritas, quibus exornari ſolebat §. XII. & denique inſcriptiones nonnunquam in illa exiſtentes. §. XIII. Addimus ſedem tiaræ fuiſſe* Caput. *Interdum etiam in* Manu *conſpici, quo in loco noſtro alluditur, & manu reverentiæ ergo ſæpe depoſitam fuiſſe tiaram docetur §. XIV. Quæ cum omnia ſuo loco dignitati Eccleſiæ myſtice applicata fuerint, tandem epilogo morali huic exercitationi finis imponitur §. XV.*

I.

INſignis eſt promiſſio, quæ Eccleſiæ Jeſ. LXII, 3. contigit: והיית עטרת תפארת ביד יהוה וצניף מלוכה אלוהיך *Atque*

eris

eris corona ornatus in manu Jehovæ, & cidaris regia in vola Dei tui. Sermo vatis dirigitur ad *Hieroſolymam* & quidem myſticam, i. e. Eccleſiam N. T. Hæc aliquando, orta שכינה & *gloria* Jehovæ ſuper ea comm. 1. *Nomine novo* erat appellanda comm. 2. Et *corona ornamenti*, tanquam Sponſa myſtica, atque *tiara regio-ſacerdotalis* Comm. 3. Prophetiam hanc ex variis criteriis parallelam ſtatuimus viſioni Johannis Apoc. XXI. ubi Hieroſolyma i. e. Eccleſia ultimi temporis apparet, tanquam *nomine novo* ornata, vocatur enim *SANCTA CIVITAS, HIEROSOLYMA NOVA.* Comm. 2. tanquam *SPONSA ORNATA* Comm. 2. Et *regium Sacerdotium* illi tribuitur. Cap. XXII, 3. 4. Cap. XXI, 23. 24. De *gloria* Jehovæ in ea vide Cap. XXI, 11. 23. Jam ergo Hieroſolyma nova, quæ nomine renovato יהוה שמה ſive ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ appellanda, occurrit tanquam Sponſa, ornata *Corona* ſc. nuptiali, quia parata eſt Sponſo ſuo Comm. 2. Apoc. XXI. Quemadmodum Sponſæ Hebræorum נזר עיר של זהב *Coronam urbis aureæ*, i. e coronam turritam, urbis Hieroſolymæ effigiem exhibentem gerere ſolebant, vide SELDEN. *de Ux. Hebr. Cap. XV. p. m. 193.* occurrit quoque tanquam *Regium Sacerdotium*, exiſtens צניף מלוכה i. e. *cidaris regia*, qualis & *Sacerdotum* erat. Difficultas autem hæret in vocibus ביד יהוה & בכף אלהיך *In manu Jehovæ* & *vola Dei Tui*, quum ſc. corona & cidaris in capite, non in manu gerantur. Quare nonnulli ut PRADO *in Ezech.* heic concipiunt *ſcutum* in manu Dei, in quo regia inſignia Hieroſolymæ depicta ſunt. Alii ad *armillas* & annulos confugiunt in manibus geſtatos, in quibus effigies eorum, qui amantur geſtari ſolent. Verum omnia hæc ἀσύςατα judicamus. Nec opus ut cum *Hieronymo* coronam hanc in manu Patris concipiamus, capiti ſc. filii ſui impoſituri. Verum cum Comm. 6. 7. Chriſtus conſideratur ut Sponſus, qui *gaudet* de Sponſa ſua & eam vocat *delicias ſuas*, concipimus Hieroſolymam myſticam inſtar *coronæ nuptialis* & *regio-ſacerdotalis tiaræ*, quam manu ſua tenet Sponſus cœleſtis, gloriam & decus ejus conſiderans atque ex illius intuitu delicias capiens. Conſiderantur autem corona & cidaris in manu Dei non capite, quia *manus* Dei ſymb. fidei, roboris, tutelæ, quas virtutes Jehova in gloriæ Eccleſiæ manifeſtatione erat exſerturus, & a quibus unice dependebat.

II. Vox

II. Vox צניף a צנף *involvere* Lev. XVI, 4. Jeſ. XXII, 18. proprie capitis *involucrum* eſt, adeoque tiaram, cidarim vel pilei quoddam genus deſignat. Cidaris vario ſenſu hieroglyphico adhibetur apud veteres.

a. In genere *dignitatis*, *auctoritatis* atque *poteſtatis* emblema eſſe ſolet. Hoc ſenſu occurrit in ZOAR *Geneſ. col. 3.* במטון דסמיטרא למברי עלמא *cum nutu tiaræ, ut crearet mundum.* Et apud LUCIAN. *opp. Tom. I. in Mort. Dialog. p.m. 265.* quærit Mercurius; ὁ δὲ τὴν πορφυρίδα οὑτοσὶ, καὶ τὸ διάδημα, ὁ βλοσυρός: *Quis vero ille eſt purpuratus & faſcia cinctus, gravitatem quandam præ ſe ferens.*

b. *Decoris* atque *ornatus* ſingularis Symb. eſt cidaris ac diadema. Quo refer Prov. I, 9. כי לוית חן הם לראשך. *Quoniam faſcia gratioſa* ſ. decus *erant capiti tuo.* LXX. ϛέφανος vertunt i. e. *coronam.* Similiter apud LUCIAN. *in Mortuor. dialog. p. 284.* εἰ δ᾽ ἐϛὶ καλλίων οὑτοσὶ, διότι διαδήματι τὴν κεφαλὴν διεδέδετο. Μακεδόσι μὲν ἴσως καὶ ταῦτα σεμνά. οὐ μὴν διὰ τοῦτο ἀμείνων δόξειεν ἂν γενναίου καὶ ϛρατηγικοῦ ἀνδρός. *Si vero ea cauſa hic mihi præferendus eſt, quod caput diademate ornaverit, id decorum forſan apud Macedones eſt, non tamen ob id præſtantior hic videri debet generoſo Duce.* Et apud EURIP. *in Androm. v. 147.*

Κόσμον μὲν ἀμφὶ κρατὶ χρυσέας χλιδῆς.

Ornatum aurearum deliciarum circa caput.

c. *Amoris* quoque Symbolum eſt *cidaris*, quo reſpiciunt Talmudici in *Talm. Jeruſch. Berach. cap. I.* אם אינו מראה הותם שלי וסמנטרין שלי אל תאמינו לו *Niſi oſtenderit vobis ſigillum meum & mitram meam, ne credatis ei.* Et in *Midraſch Rabb. Cant. IV.* כל אחת מהן נוטלת חותם של בעלה וסמנטרין *Unaquæque illarum capiebat ſigillum mariti ſui & cidarim ejus.* Quare Amor quoque *cidari* ornatur apud ANACREONT. *Carm. LXII.*

Ερῶτα γὰρ τὸν ἁβρὸν
Μέλπομαι, βρύοντα μίτραις
Πολυανθέμοις ἀείδων.

Amorem enim tenerum celebro, abundantem tiaris, habentibus flores varios, decantans.

III. Ut autem propius videamus, cujus *cidaris* fuerit emblema, & quo ſenſu Eccleſia cum Cidari comparetur. Primo inveſtigabimus, a quibus cidares geſtatæ, & dein, qualis earum forma & quæ attributa.

A. Perſonæ, a quibus *cidares* geſtabantur, erant

a. *Reges* & *Reginæ*, quare regiæ dignitatis Symbolum fuit, veluti in loco noſtro צניף מלוכה *cidaris regni* vel *regia* dicitur. Similiter Ezech. XXI, 31. צניף *regni* emblema eſt, ubi Deus amoveri jubet *cidarim*, *donec veniat is*, *qui jus in eam habet* i. e. Rex Meſſias. Cidares geſtabant Reges Perſarum atque totius Orientis. Ita Ochi capiti τὴν κίδαριν invito a proceribus impoſitam, Regemque conſtitutum hac ratione eſſe, refert CTESIAS *in Perſicis.* XENOPHON *expedit. Cyr. Lib. III.* τὴν μὲν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τιάραν βασιλεῖ μόνῳ ἔξεστιν ὀρθὴν ἔχειν, τὴν δὲ ἐπὶ τῇ καρδίᾳ ἴσως ἂν ὑμῶν παρόντων καὶ ἕτερος εὐπετῶς ἔχοι. *Regi quidem ſoli tiaram rectam in capite geſtare licet, at vos dum hic agitis, aliud quiſpiam forſan in corde habere poterit.* Ita & PHILO *de vit. Moſis p. 167.* κιδάρει γὰρ οἱ τῶν ἑῴων βασιλεῖς ἀντὶ διαδήματος εἰώθασι χρῆσθαι. *Cidari enim reges orientis loco coronæ uti ſolent.* Et CURTIUS *Lib. III. Cidarim Perſæ vocabant regium capitis inſigne, hoc cærulea faſcia albo diſtincta circuibat.* LUCIAN. *Necyomant. opp. T. II. p. m. 117.* τὸν μὲν γὰρ λαβοῦσα ἡ τυχὴ, βασιλικῶς διεσκεύασε, TIAPAN τε ἐπιθεῖσα καὶ δορυφόρους παραδοῦσα, καὶ τὴν κεφαλὴν στέψασα τῷ διαδήματι. *Hunc quidem fortuna deligens, regiis ornat inſignibus & TIARAM imponens, & ſatellites addens, & caput diademate coronans.* Ita in *Scytha. p. 343.* de Toxari ſcribit, quod non fuerit τοῦ βασιλείου γένους, οὐδὲ τῶν πιλοφορικῶν, *ex genere regio & ex iis qui tiaras geſtare ſolent.* Plura addere poſſemus loca, niſi a BRISSON. *de Perſ. Principat. p. 7. 34. 75. ſq.* LIPSIO *ad Tacit. p. m. 158.* GATAK. *in Opp. poſthum. p. 692. ſq.* BARTH. *ad Claudian. p. 607. ſq.* DEMSTER. loco citando. PFEIFFER *antiq. græc. p. m. 194.* otium nobis indiceretur. *Reginas* quoque Τιάρας geſtaſſe, ex *Lib. VII. Heliodor. Plutarcho in Lucull. &c.* probat BRISSON. *l. c. p. 76.* & DEMSTER *ad Roſin. p. m. 592.* Huc refer nummos, in quibus capita Regum cidari regia ornata apparent, apud OISEL. VAILLANT. BEGERUM, SEGUINUM, alios, quorum nonnullos infra deſcribemus.

Regia ergo Eccleſiæ *dignitas* hac phraſi deſignatur, quæ cum Capite ſuo Rege Regum, *multis tiaris* ac *diadematibus* redimito Apocal. XIX, 12. arctiſſime unita, cum ipſo regnare & in throno ſuo ſedere dicitur;

tur; Apoc. III, 21. Apoc. I, 5. 6. XX, 6. Quare in ſcriptis ſacris populus Dei conſideratur interdum ut conjux regia Pſ. XLV, 10. ſaepius ut *Reges* ipſi Apoc. I, 5. In genere Eccleſia poteſtatem regiam demonſtratura erat inter gentes a communione Dei hactenus remotas, quæ dominio ac ſceptro veritatis ejus erant ſubjiciendæ, ipſam adoraturæ & agnituræ, quod a Deo amata ſit Apoc. III, 9. Jehova enim daturus Eccleſiæ erat poteſtatem, ſeu ſceptrum ferreum ad paſcendas gentes Apoc. II, 26. 27. Quodvis Eccleſiæ membrum per veram fidem dominium nanciſcitur in hoſtes ſpirituales, Satanam, mundum & peccatum. Rom. XVI, 20. 1 Joh. V, 4. 5. Rom. VI, 12.

IV. b. *Sacerdotes* quoque una cum S. Pontifice מגבעות & מצנפת in capite gerebant. De Hebræis Sacerdotibus res eſt notiſſima ex Exod. XXVIIi,4. 37. 4o. XXIX, 9. Zach. III, 5. &c. Deſcribit ſacerdotales has cidares JOSEPH. *Antiq. Lib. III. cap. VII. p. m. 141. ed. Haverc.* ὑπὲρ δὲ τῆς κεφαλῆς φορεῖ πῖλον ἄκωνον, οὐ διϊ κνούμενον εἰς πᾶσαν αὐτὴν, ἀλλ᾽ ἐπ ὀλίγον ὑπερβεβηκότα μέσης; Καλεῖται μὲν Μασναεμφθὴς (מצנפת). Τῇ δὲ κατασκευῇ τοιοῦτός ἐστιν ὡς στεφάνη δοκεῖν, ἐξ ὑφάσματος λινέου ταινία πεποιημένη παχεῖα. Καὶ γὰρ ἐπιπλυσσόμενον ῥάπτεται πολλάκις &c. *At ſuper caput geſtat pileum non faſtigiatum, nec totum caput incingentem, ſed paulo plus quam medio ſuperimpoſitum; Nominatur quidem Masnaemphtes. Tali autem modo adornatur, ut corona eſſe videatur, ex lineo texto inſtar faſciæ craſſæ concinnata. Etenim in orbem ſæpius replicatur atque conſuitur.* Adde notas eruditas ad h. l. Deſcribit quoque R. MOSE-BAR NACHMAN: בכהן הדיוט אמר הכתוב מגבעות ואף היא מצנפת אלא שקושר בה כל ראשו ומעלה הכפלים עליו כעין מגבעת שתוא כובע כדברי אונקלוס. *Quando de tota Sacerdotum turba quæſtio eſt, dicit ſcriptura,* מגבעות *ſed & ipſum eſt* מצנפת, *niſi quod eo totum caput obnubant, atque ita ſpiras & volucra obducant, ut referat ſpeciem galeæ, ſecundum verba Onkeloſi.* Plura de his vide apud BRAUNIUM, LUNDIUM, Cl. TOEPFER de מצנפת & מגבעות *ſing. diſſert. Witteb. 1722.* aliosque a variis notatos autores. Similiter *Sacerdotes* apud Perſas, Græcos atque Romanos *cidari* ornatos memorant Scriptores. DIONYS. HALICARNASS. *Lib. II. p. 129.* τοὺς καλου-

μένους ἄπτικας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους κωνοειδὲς, οὓς ἕλληνες προσαγορεύουσι κυρβασίας. *Geſtant* (Sacerdotes) *capitibus, quos vocant apices, faſtigiatos in coni formam pileos, Græci appellant* κυρβασίας. Vocantur etiam *pilei acuti* ſeu tutuli & tales apud CHOUL. *de la Relig. des Anc. Rom. p. 256. 260.* in nummis apparent. vide etiam SAUBERT. *de Sacrif. Cap. X. p. m. 216.* DEMSTER. *ad Roſin. p. m. 592.* SPANHEM. *de Numiſm. p. m. 457.* alios.

Simul ergo denotatur hoc emblemate *dignitas* Eccleſiæ *Sacerdotalis*, quæ Hieroſolymæ literali præter regiam etiam competebat, quia non ſolum arcem Regiam ſed & templum cultus ὁμονοίας totius Palæſtinæ continebat, & locum conventus Sacerdotalis. Quare & myſticæ Hieroſolymæ idem tribuendum, templum non in ea externum reperiebatur Apoc. XXI, 22. Sed Deus & agnus tamen templum erat ſpirituale. Eccleſia ergo futura erat *Sacerdotium* regium 1 Petr. II, 9. exhibens *Sacerdotes & Reges* Deo & Patri Salvatoris noſtri Apoc. I, 5. *Sacerdotes*, qui cum Chriſto *regnabant* Apoc. XX, 6. Eccleſia ergo Deum ſolum omnis cultus objectum conſtituens, tanquam Sacerdotium myſticum, noctu diuque in hoc templo ſpirituali miniſtratura erat Apocal. VII, 15. Illi precum calidiſſima thura accendens, illi ſacrificia laudis ac confeſſionis, minchas obedientiæ promtiſſimæ & holocautomata deſideriorum flagrantiſſimorum offerens. Rom. XII, 1. Jeſ. LXV, 20. Pſ. LI, 21. XX, 4.

V. c. *Legati*, *Vates*, *Magi* atque Sapientes apud antiquos *Cidari* ornabantur. De *Magis* ſcribit PAUSAN. *Eliac. Lib. V. p. m. 341.* εἰσελθὼν δὲ εἰς τὸ οἴκημα ἀνὴρ Μάγος, καὶ ξύλα ἐπιφορήσας, αὖα ἐπὶ τὸν βωμὸν, πρῶτα μὲν τιάραν ἐπέθετο ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, δεύτερα δὲ ἐπίκλησιν ὅτου δὴ Θεῶν ἐπάδει βάρβαρα καὶ οὐδαμῶς συνετὰ ἕλλησιν. ἐπάδει δὲ ἐπιλεγόμενος ἐκ βιβλίου. *Ingreſſus vero in templum Magus, ubi foco aridis lignis impoſitis, tiara caput velavit, invocat Deum, neſcio quem. Ex libro enim carmen perorabat barbaricum, lingua plane Græcis ignota.* Similiter de his teſtatur STRABO *Lib. XV.* Μάγοι καθ᾽ ἡμέραν εἰσιόντες ἐπάδουσιν ὥραν σχέδον τι, πρὸ τοῦ πυρὸς τὴν δεσμὴν τῶν ῥάβδων ἔχοντες, τιάρας περικείμενοι πιλωτάς. *Magi, quotidie ingreſſi per horæ ſpatium canunt, faſciculum bacillorum ante ignem geſtantes, & tiaris laneis velati.* De *Legatis* tiara ornatis CLAUDIANUS canit:

- *miſſi-*

- - *miſſique rogatum*
Fœdera Perſarum proceres, cum patre ſedentem
Hac quondam videre domo, poſitaque tiara
Submiſere genu.

De *Vatibus*, veluti Orpheo, ſcribit PHILOSTRAT. *Jun. in iconibus ejus:* Τιάραν δὲ χρυσαυγῆ ἐπὶ κεφαλῆς ὀρθῶν. *Tiaram auro fulgentem in capite rectam habentem.* adde eundem in *vita Apollon. Lib. I. cap. 18.* ubi ipſi τιάραν καὶ ἀναξυρίδας tribuit. in genere de his canit VIRGIL. *L. VI.*

Quique pii vates & phœbo digna locuti
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.

Quare *Mercurio*, Deorum Vati atque Legato *galerum* ac *pileum* tribuit antiquitas, vide BARTH. *ad Stat. Theb. Vol. II. p. 90. ſq.* & adde nummum, quem cum effigie capitis Mercurii tiarati exhibet CHOUL. *in Relig. des anc. Rom. p. m. 167.*

Eccleſia quoque, quemadmodum olim Hieroſolyma vatibus ac *Prophetis*, viriſque Sapientia divina imbutis, Θεȣque Ἀποστόλοις & *Legatis* erat inſtructa, munere quoque & dignitate hac rite fungitur. Conſtituit Deus in Eccleſia quosdam *Apoſtolos*, alios *Prophetas*, alios *Evangeliſtas*, alios *Doctores* Eph. IV, 11. Illa unctionis Meſſiæ particeps Pſ. CXXXIII, 1. per hanc edocta myſteria ſalutis novit, ſervat atque aliis etiam proponit 1 Joh. II, 27. Quare comparatur cum *candelabro*, lucem Evangelii & veritatis ubique ſpargente Apoc. I, 20. Eſt etiam quoad Miniſterium ſacrum, quod ſervat in ſinu ſuo, Legatus, Dei mandata ac voluntatem explanans populis a Dei communione alienis. Hanc ob cauſam jubetur Jeſ. XL, 9. *Montem conſcende, tu quæ evangelizas, Zion; tolle vocem tuam cum potentia, quæ evangelizas, Hieroſolyma; tolle vocem absque metu; dic civitatibus Judæ, ecce Deus veſter!*

VI. d. *Militum* quoque & inprimis *Ducum* atque imperatorum belli *victorumque* ornabantur capita tiaris apud veteres. De *militibus* conſtat eos geſſiſſe galeas ſeu pileos depreſſos inſtar galeæ, qui χάσδια ſeu καταῖτυγες dicebantur, vide SUICER. *Theſ. Tom. II. p. 1505.* ubi citat HOMER. *Iliad. X. v. 258.*

Καὶ σάκος: ἀμφὶ δέ οἱ κυνέην κεφαλῆφιν ἔθηκε
Ταυρείην, ἀφαλόντε καὶ ἄλοφον, ἥ τε καταῖτυξ
Κέκληται . . . .
Ῥινᾶ ποιητὴν πολέσιν δ' ἐντόσθεν ἱμᾶσιν,
Εντέτατο στερεῶς
Et ſcutum. Atque galeam capiti impoſuit
Taurinam ſine criſta & cono, quæ pileus vocatur
Ex pelle facta, multis intrinſecus loris ligata erat
Fortiter

Macedonum *milites καυσίαν* i. e. pileum in capite præter galeam geſſiſſe docet ex antiquo epigrammate GATAKER. *in opp. poſthum. p. 692.* *καυσία* enim, ſcribit Etymologus, *εἶδος πίλȣ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ὡς καὶ τιάρα, eſt genus pilei capitis, qualis eſt tiara.* Conf. etiam quæ hac de re teſtimonia adducit Cl. TOEPFER *in Diſſ. cit. de Tiara S. Pontif. pag. 20. ſq.* *Duces* quoque *tiaras* geſtaſſe apud quasdam gentes conſtat ex Dan. III, 21. ubi tribus Nebucadnezaris per provincias Babyloniæ Ducibus etiam כרבלתה *tiaræ* tribuuntur. Quare *in Etymol. M.* legimus: *Τιάρα, κόσμος ἐπικεφάλαιος, ἣν οἱ βασιλεῖς μόνοι ὀρθὴν ἐφόρȣν παρὰ Πέρσαις. Οἱ δὲ στρατηγοὶ κεκλεμένην. Τὸ δ' αὐτὸ φασὶν εἶναι τὴν κίδαριν. Tiara ornatus capitis, quam ſoli Perſarum Reges rectam portabant. Duces vero inclinatam. Illam dicebant eſſe cidarim.* Ad *triumphantes* & victores reſpicere videtur EURIPID. *in Electr. v. 161.*

Πικρᾶς δ' ἐκ Τρόιας ὁδȣ̃ βȣλᾶς
Οὐ μίτραις σε γυνὴ
Δέξατ' ȣ̓δ' ἐπὶ στεφάνοις.
Et triſti conſilio reditus ex Troja,
Non tiaris te conjux
Excepit nec coronis, ſc. ornatum.

Hieroſolyma myſtica quoque Ducibus ac militibus ſpiritualibus eſt inſtructa, dum arma perpetuo contra regnum tenebrarum gerere tenetur Matth. XVI, 18. Hiob. VII, 1. Eph. VI, 18. Tota credentium & populi Dei vita eſt militia & pugna perpetua, quum ab hoſtibus callidiſſimis, Satana, mundo ac carne cingantur, qui novas in dies tentationes contra Eccleſiam moliuntur. Quare fides Eccleſiæ eſt inſtar turris Davidis, *clypeis mille* ornatæ,

ornatæ, ex qua credentes ceu armamentario nova quotidie arma depromunt, & victores quoque per eam Deo clypeos votivos ſuſpendunt Cant. IV, 12. Habet Hieroſolyma hæc Duces & heroes fidei, habet quoque milites conſcriptos, quorum nomina albo cœli & vitæ inſcripta ſunt. Apoc. III, 5. XIII, 8. Qui viribus unitis contra veritatis hoſtes arma capeſſunt & aliquando triumphabunt victores. Apoc. XIX, 14. 15.

VII. e. *Sponſis* atque *virginibus* antiquitas *tiaras* atque *mitras* tribuit. *Sponſi* Hebræorum *tiaras* nuptiales gerebant, veluti ex Cant. III, 11. conſtat, ubi Salomoni עטרת corona ſeu *cidaris*, qua mater eum in die nuptiarum ornavit, tribuitur. *Virginibus* autem Hieroſolymitanis inter alia ornamenta etiam הצניפות *tiaras* adſcribi videmus Jeſ. III, 23. De Sponſarum cidari canit EURIPID. *in Medea. v. 978.*

Δέξεται Νύμφα χρυσέων ἀναδέσμων.

Accipiet Sponſa aurea redimicula (i. e. tiaram ſeu coronamentum, ut in præced. vocantur.)

De virginum mitris atque vittis varia veterum teſtimonia coacervavit DEMSTER. *ad Roſin. Lib. V. p. m. 590. ſq.* Ita ACHILL. *Tat. de amor. Clitoph. Lib. III. p. 83.* ὡς μὴ ῥαδίως τὰ σπλάγχνα διαπίπτοι, καὶ ἐνεσκευάσαντες μίτραις τε καὶ ζώσμασιν ἐνδεδυμένην τὴν σκευὴν ταύτην ἐπικρυψωμένην. *Hunc in modum adornata puella ſtolaque ſuperimpoſita mitris deinde ac vittis additis apparatum iſtum occultabimus.* Huc reſpicit EURIPID. *in Hecub.*

Ἐγὼ δὲ πλόκαμον ἀναδέτοις
Μίτραισιν ἐῤῥυθμιζόμαν.
Ego capillum redimiculis
Mitrisque compoſui.

VALER. FLACC. *Lib. VIII. argon.*

Ultima virgineis tum flens dedit oſcula vittis.

Quare vitta Symb. *caſtitatis*, unde TIBULL. *Lib. I. el. 6.*

Sit modo caſta doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines.

Hieroſolyma quoque myſtica eſt *Sponſa* Regis ſui, Pſal. XLV, 10. Cant. II, 5. 6. quam ſibi deſponſavit Sponſus cœleſtis ab æterno & per fidem Hoſ. II, 19. 20. Illam ab æterno amavit, atque in tempore laqueis amoris

ad

ad ſe trahere ſtudet Jer. XXXI, 3. quare eam exornat ſacerdotali regioque ornatu, veſtibus ſalutis & pallio juſtitiæ, veluti Sponſam ornantem ſe inſtrumentis ſuis. Jeſ. LXI, 10. Induenda eſt Hieroſolyma myſtica ultimis diebus byſſo & ſerico juſtitiæ ac ſanctitatis, tanquam præparata ad nuptias futuras agni Apoc. XIX, 7. 8. quare dicitur Sponſa parata viro ſuo Apoc. XXI, 2. De *caſtitate* quoque ceu primaria virtute gloriatur Eccleſia vera. Eph. V, 26. 27. caſtiſſimam defendens contra quosvis adulatores & amaſios, veritatis impugnatores, veritatem Apoc. II, 13. Deo ſuo ac Sponſo cœleſti fidem ſervans. Quare falſa Eccleſia ſub figura ſcorti atque adulteræ proponitur in ſacris, utpote oppoſita veræ Eccleſiæ Apoc. XVIII, 3. Jer. LI, 7. Apoc. II. 20. XVII, 1. 3.

VIII. f. Cidaris denique inter ornatum *Divinum* referenda, Diis enim atque Deabus tribuitur apud antiquos, ad varias Deorum *perfectiones* atque virtutes deſignandas. Huc refer Ezech. XXIII, 15. ubi *idolis* Babylon. etiam סרוחים tribuuntur i. e. *τιάραι* vel *κυρβασίαι*, ut docent verſiones ac varii Interpretes. Ita Bacchus apud LUCIAN. *in Bacch. p. m. 614.* deſcribitur: *τὴν κόμην ἀναδεδεμένος ἐν πορφυρίδι καὶ χρυσῇ ἐμβάδῃ. Purpurea tiara comam involutus ac aureos cothurnos indutus.* Similiter Diana ob caſtitatem tiaram geſtare dicitur, unde EURIPID. *in Hecub. v. 493.*

> *Ἀρτέμιδός τε Θεᾶς*
> *Χρυσέαν ἄμπυκα*
> *Τόξα τε τ' εὐλογήσω.*
> *Dianæque Deæ*
> *Auream mitram*
> *Arcusque celebrabo.*

Quare virtutes pro Diis habitæ apud antiquos, mitris & pileis ornatæ pinguntur. *JUSTITIA* tiarato capite ſiſtitur in nummo apud OISEL. *Tab. LXII. n. 6.* nec non BEGER. *Num. Imper. Rom. Tab. XVII. n. 16.* *CLEMENTIA* quoque eodem ornatu apparet in nummo apud OISEL. *Tab. LXIII. n. 3.* *PAX* ſimiliter in nummo Auguſti, apud *eund. Tab. LXXI. n. 10.* *PIETAS* cum peplo ac mitra exhibetur in nummis Druſi & Jul. Cæſaris &c. apud *eundem Tab. LXXVI. n. 4. 6. 7. 8.* Maxime autem *LIBERTAS* cujus figura frequentiſſima apud antiquos *pileus &*

tiara

tiara fuit, præcipue apud Romanos, apud quos ſervi manumiſſi pileis donati, ut pluribus docet CASALIUS. Huc refer nummos apud *eundem Tab. LXXXVI. n.9. 10. 11. 12.* ubi Caput virgineum mitra ornatum apparet in n.9. cum epigr. *C. CASS. IMP. LIBERTAS.* In nummo 11. *pilei* effigies cernitur, ſimiliter libertatis indicium. adde *Tab. LXXXVII. n.4.5.6.9.* CHOUL. *de la relig. des anc. Rom. p. m. 122.* BEGER. *Tab. V. n.7.9.* & paſſim apud alios. confer nummos expreſſos in *Tabula noſtra præfixa n. IV. V.* Quare olim qui ſervitute exemti & liberi facti, triumphantis currum *pileati* ſequebantur, uti pluribus evincit. JUL. CÆS. BULENGER. *de triumph. Cap. XXXII. p. m. 83. ſq.*

Hieroſolyma Spiritualis cum Capite ſuo Θεανθρώπῳ arctiſſime unita in ipſius Dei familiam atque communionem tranſit, ita ut *liberi Dei vivi* exiſtant Hoſ. I, 10. ita ut per eundem Spiritum regantur 1 Cor. VI, 17. & quaſi *naturæ divinæ* participes reddantur 2 Petr. I, 3. 4. ex Deo geniti 1 Joh. V, 1. 4. Sic Deum, perfectiſſimum exemplar, in virtutibus ac perfectionibus ipſius imitari decet. Lev. XI, 44. Deut. XVIII, 13. Joh. XVII, 23. Eph. V, 1. Matth. V, 48. Hac ratione ex peccati & Satanæ dominio vindicati, *LIBERTATE* conſcientiæ felici fruuntur, & cum ſumma voluptate atque lubentia voluntatem Dei exequi ſtudent. Luc. I, 74. 75. Gal. IV, 4. 5. Heb. II, 14. 15. adeoque עם נדבות conſtituuntur, & רכב עמינדב currus populi liberrimi. Cant. VI, 11. Pſ. CX, 3.

IX. B. Pergamus ad qualitates & attributa tiaræ.

α. *Materiam* cum *colore* conſiderantes, diverſam deprehendimus: Sacerdotum erant ex *lino* puriſſimo albo, quare Joſuæ Pontifici Zach. III, 5. *cidaris candida* imponitur. Et Exod. XXVIII, 39. expreſſis verbis מצנפת שש *tiara linea* appellatur, utpote ex ſindone Ægyptiaco puriſſimo compoſita. Quare & Judæorum Talmudiſtarum traditio eſt אין הכהנים לובשים לשמש בבית המקדש אלא צמר ופשתים. *Sacerdotes non veſtiuntur ad miniſterium peragendum in Sanctuario, niſi lana & lino.* Apud alias gentes *diverſi coloris* erant tiaræ. *Purpureas* memorat OVID. *metam. XI.*

Tempora purpureis tentans velare tiaris.

Et SILIUS *Ital. Lib. XIII.*

- - cui vitta ligabat
Purpurea effuſos per colla nitentia crines.

Vide etiam BARTH. ad *Stat. Theb. T. III. p. 1589.* Præcipue tamen color quoque *candidus* in tiaris celebratur: Alexander apud LUCIAN. in *Mortuor. dial. opp. T. I. p. m. 294.* memoratur δεδεμένος ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλὴν, πορφυρίδα ἐμπεπορπημένον, *caput candida cidari vinctus & circumamictus purpura.* VIRGILIUS *Lib. VI.*

Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.

SILIUS ITAL. *Lib. XVI.*

- - regnique inſigne vetuſti
Geſtat læva decus, cinguntur tempora vitta
Albenti.

Vel etiam mixti coloris erant, cœruleo-albæ, vel albo-purpureæ. Quare CURT. *Lib. VI. de Alexandr. Itaque purpureum diadema diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.*

Candidus quoque color convenit *tiaræ myſticæ* Eccleſiæ; utpote cujus dignitas pura eſt atque ſancta, nullis hujus mundi impuris concupiſcentiis commaculata. Dignitas eorum regia eſt ſanctiſſima, dum per hanc peccati dominium & quævis carnis & ſpiritus inquinationes ſuperare ac ſupprimere ſtudent. 2 Cor. VII, 1. Rom. VI, 12. Qua *Sacerdotes albis* induti veſtibus, ſc. ſerico candido juſtitiæ Chriſti puriſſimæ & ſanctiſſimæ ipſius obedientiæ Apoc. XIX, 7. ſancte in ſanctuario Dei converſari ſtudent. Qua *Vates* myſtici confeſſione veritatis puriſſima gaudent, nec veſtes candidas has figmenti humani μολυνίσμῳ pollui permittunt Apoc. III, 4. 5. Colorem ſi addes *purpureum*, ille Eccleſiæ quoque convenit, quia omnis illius dignitas in ſanguinis Chriſti purpurei meritis fundatur. Quare veſtes *ſuas candidas* reddidiſſe legitur in *ſanguine agni* Apoc. VII, 14. Adde quum color *albus* lætitiæ Symb. ſit, quod ex dignitate ac libertate Eccleſiæ lætitia ſpiritualis in Deo ſalutis oriatur in corde credentium Jeſ. LXI. 10.

X. β. *Forma* itidem diverſa olim fuit, plerumque tamen erat *convolvulus*, ut ita dicam, ex lino aut ſerico pretioſiſſimo confectus & faſtigiatus interdum altius interdum tamen depreſſius, qui redimiculis & faſciis

capiti

capiti alligari atque adſtringi ſolebat. JOSEPH. l. ſupra cit. de cidari ſacerdotali: *ὡς ϛεφάνη ἐξ ὑφάσματος λινεῖς, ταινία πεποιημένη παχεῖα, καὶ γὰρ ἐπιπτυσσόμενον ῥάπτεται πολλάκις, inſtar coronæ ex tela linea confecta, in modum faſciæ denſæ, ſæpius in orbem replicatur & conſuitur.* Quare Ezech. XXIII, 15. סרוחים a multitudine *faſciarum* tiaras dictas cenſent nonnulli viri eruditi. Apud XENOPH. *Lib. VIII. Pæd.* *Φυγόντος δὲ τῦ Τιγράνυ τὴν τιάραν, καὶ τὸ ἀνάδημα περὶ αὐτὴν εὑρίσκοντες. Fugiente Tigrane cidarim una cum faſcia, qua colligabatur, invenerunt.* Notandus quoque locus in hanc rem eſt PLUTARCHI *in Demetr. καὶ διαδέμενον περιττῶς καυσίαις διμίτροις καὶ χρυσοπαρύφοις ἁλυργίσιν. Et redimitus erat tiaris, ex quibus duplices faſciæ exquiſitis filis perfectæ & ſummo artificio elaboratæ pendebant. Faſtigiatas* fuiſſe nonnullas, alias depreſſas, docent loca paſſim apud BRISSON. GATAKER &c. citata. *Faſtigiata* tiara dicebatur *ὀρθὴ recta* i. e. in altum evecta & in modum coni elata, veluti apud *Xenoph. Suidam* & *Etymol. M. Lucianum &c.* docetur. DIONYS. *Halicarn. Lib. II.* vocat *ἄπικας καὶ πίλυς ὑψηλὺς κωνοειδεῖς, apices & pileos altos in modum coni faſtigiatos.* Regum præcipue apud Perſas tiaram fuiſſe *rectam* & *elatam* ad manifeſtandam majeſtatem, reliquorum vero depreſſam, paſſim ſcriptores citati demonſtrant.

Faſciæ ergo Symb. eſſe poterunt vinculorum *fidei* atque *amoris*, quibus dignitatem hanc Eccleſia tuetur atque ſervare ſtudet. Apoc. III, 11. uti charitas in fide vocatur *σύνδεσμος τῆς τελειότητος vinculum ſ. faſcia perfectionis.* Per fidem enim applicant ſibi dignitatem illam variam & multiplicem, quam per *cidarem* deſignari ſupra docuimus, & quam a Salvatore accipiunt atque coëmunt Apoc. III, 18. Quot plicis *tiara* conſtat, tot virtutes Chriſtianas in dignitate ſua conjungunt credentes, quas omnes connectit *σύνδεσμος charitatis* 2 Petr. I, 5-8. Col. III, 12. 13. 14. Per fidem & amorem ergo dignitas credentium munitur contra procellas tentationum, contra varias hoſtium ſalutis, illam rapere ſtudentium, inſidias. 1 Petr. I, 5. Eph. I, 4. Per ſpiritum fidei & amoris hoc *ἀνάδημα* pretioſum tueri poſſunt 2 Tim. I, 7. 14. *Altitudo* tiaræ ad *majeſtatem* & ſummam Eccleſiæ dignitatem reſpicit, qua in communione capitis ſui fruitur. Dum hac ratione cœleſtia & alta quærunt Phil. III, 20. Col. III, 1. 2.

quum cœleſtis ſint originis 1 Joh. V, 1. & omnis eorum dignitas ex alto originem ducens, in altum ad Dei gloriam directa adſcendere debeat. Pſ. CXV, 1-3. Apoc. IV, 10. 11.

XI. γ. Cidaris *pretioſo unguento* inungi ſolebat. Regum enim capita coronis & tiaris cincta oleo ſacra inter Judæos tingi & conſecrari ſolebant 1 Reg. I, 39. Et Sacerdotibus, indutis veſtes ſacerdotales & caput cidari cinctis, oleum itidem ſacrum ſuper tiara effundi ſolebat, quod defluens barbam & oras veſtium Sacerdotalium irrigabat, uti clare colligimus ex Exod. XXIX, 6. 7. Pſ. CXXXIII, 1. 2. & varii inter Judæos conſentiunt. Idem quoque apud alias gentes in uſu fuiſſe docet BRISSON. *de reg. Perſ. princ. Lib. I. p. 33.* Duo notanda heic loca ſufficient. Ita enim ATHENÆUS *Deipnoſ. Lib. XI.* κατεσκευάζετο ἐκ σμύρνης καὶ τοῦ καλουμένου λαβύζου. Ἐυώδης δὲ ἐστιν ὁ λάβυζος, καὶ πολυτιμώτερον τῆς σμύρνης. (Tiaram) *præparavit myrrha & labyzo delibutam. Labyzus autem eſt odoris gratiſſimi & pretioſior myrrha.* HESYCHIUS *vero in Lex.* ἡ δὲ λάβυζος ἐστὶ πολυτιμωτέρα αὐτῆ τῆς σμύρνης, καὶ ὄζει ἥδιστον, καὶ θυμίαμα ἐστὶ κάλλιστον παρὰ βασιλεῦ. Ἐκ τούτων ἡ κίδαρις πέπλασται. *Labyzus eſt unguentum majoris pretii quam myrrha, & odore gratiſſimo pollet, thymiamaque exhibet optimum apud Reges. His quippe cidaris illini ſeu inungi ſolet.*

Optime hoc quoque in tiara myſtica Eccleſiæ deprehendimus; Omnis illorum dignitas ſanctificatur, conſecratur, Deoque in ἐυοσμίαν præparatur per *oleum* Spiritus S. ejusque donorum gratioſiſſimorum. Eccleſia enim *unctionem habet a Sancto* 1 Joh. II, 27. Spiritu enim Dei ceu oleo ſacro inuncti & per eundem inſtar ſigilli obſignati ſunt credentes. 2 Cor. I, 21. 22. Dignitas regia conſecratur per unctionem hanc ſacram, non enim eſt regnum ipſorum, uti & regnum Capitis ipſorum, de hoc mundo. Joh. XVIII, 36. Sacerdotium ipſorum non eſt Aaronicum (ut ita dicam) & carnale, ſed ſpirituale, a Deo enim per Spiritum ſanctificati ſunt in Sacerdotium regium 1 Petr. II, 9. ut ſacrificia rationalia, ſe ipſum animæque vires omnes, Deo offerant Rom. XII, 1. Virtutes quoque Eccleſiæ, pietas, pax, præcipue *libertas* (quæ per tiaram pinguntur) per unctionem hanc ſacram perficiuntur & inſigni ſplendore ornantur, quare Spiritus hic *oleum lætitiæ* appellatur Jeſ. LXI, 3.

XII.

XII. *δ.* Ornari quoque ſolebant *cidares gemmis* variis, pretioſisque *margaritis.* Huc reſpicit HERODIAN. *Lib. V. cap. V. p. m. 257.* Σχήμασί τε ἐσθῆτος πολυτελεςάτης χρώμενος, διά τε πορφύρας χρυσȣ̃ ὑφάσματι, περιδεραίοις τε καὶ ψελλίοις κοσμȣ́μενος. εἰς εἶδος δὲ τίαρας ςεφάνη ἐπικείμενος χρυσῷ καὶ λίθοις ποικίλοις τιμίοις. *Veſtitum uſurpans pretioſiſſimum, purpura intextum atque auro, monilibus & armillis redimitus; coronas etiam ſuſtinens inſtar tiaræ auro & lapillis pretioſis inſignitas.* Similiter VALER. FLACC. *Lib. VI. Argon.*

At viridem gemmis & Boæ ſtamine Sylvæ
Subligat extrema patriam cervice tiaram.

Huc refer nummos paſſim obvios, in quibus Imperatores cernis caput ornatos faſcia regia, gemma & margaritis pretioſis radiante. Quales plurimos exhibet BEGER. *in Theſ. Imp. Rom. Tab. LXVI. n. 1. 2. 3. 9. 10. 12. 20. 21. &c.* vel gemmis & margaritis mutuis aut margaritis & floribus mutuis diſtincta tiara, qualem cernis in *Tab. LXVII. n. 1. 5. 21. Tab. LXVIII. n. 3.*

Gemmæ & margaritæ ſymb. ſunt verbi Dei, veluti alibi jam docuimus, & CLEMENS quoque ALEXANDR. *Pædagog. Lib. II. p. m. 176.* *lapides pretioſos* & *margaritas* in corona Regum Judæorum *αἰνίττεσθαι τὸν λόγον Θεȣ̃, verbum Dei ſignificare* aſſerit. Gemmæ ergo & margaritæ in tiara Eccleſiæ myſtica ſunt veritates cœleſtes, quarum fulgore hæc dignitas credentium exornatur. Quare Eccleſia Apoc. XII, 1. occurrit tanquam mulier ſole amicta, *coronam XII. ſtellarum* i. e. gemmarum rutilantium in capite geſtans, qua doctrina XII. Apoſtolorum puriſſima deſignatur. Qua *Reges* teſtantur cum Chriſto capite de veritate, & qui hanc ſervant, regiam quoque tuentur dignitatem Joh. XVIII, 37. Qua *ſacerdotes* ſpirituales labiis ſuis doctrinam cœleſtem cuſtodiunt, inſtituti per Spiritum Dei Apoc. III, 3. Qua prophetæ profitentur veritates has cœleſtes, & de iis coram mundo gloriantur Matth. X, 32. Apoc. II, 3.

XIII. *ε.* Porro nonnunquam *inſcriptiones nominum* in tiaris obſervamus. De *cidari* S. Pontificis Hebræorum conſtat ex ſacris & Judæorum ſcriptis, illam lamina aurea ex Dei mandato fuiſſe cinctam cum inſcriptione קדש ליהוה *SANCTITAS JEHOVA.* Exod. XXXIX, 30. XXVIII, 36. Similiter in antiquis Regum & Imperatorum

 tiaris

tiaris inſcriptiones deprehendimus, quod apparet ex nummis. Veluti apud BEGER. *Theſ. Num. Imp. Rom. Tab. I. n. IX.* ubi Caput Pompilii tiara ornatum cernitur, cui inſcriptum nomen *N U M A.* Conf. etiam OISEL. *pag. 548. n. VIII.* vide *Tabulam noſtram præfixam n. VI.* Vel etiam imagines hieroglyphicas illis inſcribebant veteres, quod aſſerit ÆLIAN. *Lib. VI. animal. cap. 38.* ἔνθεν τοι καὶ τὲς βασιλεῖς ἀκέω τῶν Αἰγυπτίων ἐπὶ τῶν διαδημάτων φορεῖν πεποικιλμένας ἀσπίδας, τῆς ἀρχῆς αἰνιττομένες τὸ ἀνίκητον ἐκ τῆς τε ζώε μορφῆς. *Et audio, quod idcirco Reges Ægyptiorum aſpides pictas in diadematibus gerant, ex ejus beſtiæ forma regni firmitatem adumbrate ſignificantes.*

Nomen quoque & Dei ſui & Hieroſolymæ *novum* Eccleſia gerit in fronte Apoc. III, 12. hinc Jeſ. LXII, 2. *nomine novo* quoque appellanda dicitur. Nomen enim Dei ſanctiſſimum in dignitate ſua manifeſtare, celebrare atque coram mundo publice profiteri credentes ſolent. Apoc. XIV, 1-3. Cap. XXII, 4. Quemadmodum Eccleſia falſa atque ἀποςάτης nomen & characterem beſtiæ in manibus & fronte gerit Apoc. XIII, 16. ita veræ Dei Eccleſiæ aſſeclæ nomen Dei ſui non animo ſolum ſed & in fronte gerunt, illud qua prophetæ myſtici manifeſtantes atque aliis explanantes Matth. X, 32. Apoc. III, 8. celebrantes & ſanctificantes qua ſacerdotes ſpirituales 1 Petr. II, 9. 12. defendentes atque propagantes qua Reges myſtici. Apoc. II, 25. III, 11.

XIV. ζ. Sedes tiaræ *Caput* eſt, cui imponitur, & quod coronat. In *manu* tamen etiam certo reſpectu ponitur in loco noſtro. *Caput* autem tiara tum tegit ac tuetur, tum etiam ornat. Quapropter tiara Euſtathio & aliis κάλυμμα κεφαλῆς, *tegumentum capitis* appellatur. HESIOD. ἐργ. 554. quoque canit:

- - κεφαλῆφι δ' ὕπερθε -
Πῖλον ἔχειν ἀσκητὸν, ἵν' ὄατα μὴ καταδεύῃ.
Supra caput autem pileum habeto, ne aures
Humeſiant.

Et LUCIAN. *de Gymnaſ. T. I. opp. p. m. 737.* illam adhiberi ſcribit: ὡς τὴν ἀκτῖνα κωλύσει καθικνεῖσθαι τῆς κεφαλῆς, *ad prohibendos radios ſolares, ne caput pertingant.* Quare Arabibus tiara قلنسوة *tutamen cerebri* appellatur. Verum etiam in manu ſæpe conſpicitur tiara; Ita in nummis

mis *LIBERTAS* pingitur forma muliebri, quæ *dextra* manu tiaram ſeu *pileum* geſtat. Qualis eſt apud OISEL. *Tab. LXXXVI. n. 12.* cum epigr. *LIBERTAS AUGUSTA. Tab. LXXXVII. n. 4. LIBERTAS PUBLICA. n. 5. LIBERTAS RESTITUTA. n. 9. LIBERTAS AUGG.* ſimiliter apud BEGER. *Tab. XXII. n. 9. XXXIII. 16.* CHOUL. *relig. des anc. Rom. pag. 122.* vide *Tabulæ noſtræ præfixæ n. VII.* Victoria itidem pileata, cum *tiara ex margaritis in manu*, ad caput L. Veri exornandum, cernitur in *numo VII. Tab. LXX.* OISELII *pag. 378.* Reverentiæ ergo flectere vel etiam *deponere* tiaram ſolebant veteres, teſte CLAUDIAN. *VI. Conſ. Honor.*

Perſarum proceres cum Patre ſedentem
Hac quondam videre domo, poſitoque tiaram
Submiſere genu.

Conf. BARTH. *ad Claud. IV. Conſ. Hon. p. 698. ſq.*

Caput quum apud antiquos *majeſtatis* & gloriæ ſit ſymbolum, innui hac ratione poterit, Eccleſiam omne ſuum decus omnemque gloriam ac majeſtatem in hac ipſorum a Deo conceſſa dignitate cœleſti ponere; quod ſit Sacerdotium regale a Deo ipſo conſtituta 1 Petr. II, 9. Apoc. I, 5. 6. Hinc quoque dignitatem ſuam in *Manu Dei* eſſe agnoſcunt, dum ab illo ſolo per gratiam hac exornantur, nec ulla ratione demereri queunt, ſed a libera Dei manu exſpectant. Dum eandem quoque ipſi quaſi denuo in *manus Dei tradunt* per agnitionem ſuæ indignitatis & celebrationem liberrimæ ejus gratiæ, in hoc dono cœleſti ſeſe manifeſtantis. Quare cum XXIV. ſenioribus coronas & tiaras gloriæ ac dignitatis ſuæ *coram throno Dei & agni ſubmittunt*, exclamantes: *Tu Domine dignus es, qui accipias gloriam, honorem ac virtutem.* Apoc. IV, 10. 11.

XV. O Beatam Eccleſiæ N. T. præcipue ultimis temporibus exſpectandam ſortem! quæ *corona gloriæ ac tiara regia* in manu Domini futura dicitur. Tempora ultima citatis accelerantur paſſibus: O utinam primitias hujus gloriæ in Eccleſia noſtri temporis obſervare liceret! Aſt etiam plane alia Eccleſiæ jam apparet facies. Pauciſſima ſuperſunt vaſa gloriæ, plurimi confeſſores externi ſunt inſtar vaſorum corruptorum in Manu Jehovæ. Defecere חסידים & veraces non ſuperſunt Pſ. XII, 1. Gloriantur equidem haud pauci de dignitate filiorum Dei, ſplendidas

didas ejusmodi promiſſiones ſibi applicantes, verum unde dignoſci ipſorum poterit dignitas, qui in dignitatibus mundanis ſuum poſuere decus atque gloriam. Ubi apparet *dignitas* illorum *regia*, quum catenas tenebrarum per peccatorum triſte ſervitium tanquam Satanæ mancipia ubique prodant. Qui autem peccato ſervit atque mundo, quomodo ille regia frui dignitate poterit? anne Reges decet vinculis captivitatis conſtrictos prodire? Ubi *dignitatis Sacerdotalis* indicia deprehenderes in illis, qui impuritati carnis atque mundi dediti ſunt, qui candidas confeſſionis externæ veſtes vita ſpurciſſima & vitiorum ſordibus nunquam non polluunt Apoc. III, 4. qui coram facie Dei ſancta cum thure precum calidiſſimo atque ſacrificiis cordis contriti apparere minime delectantur. Quorum corda, quæ ſanctuarium Dei vivi exiſtere deberent, latibula impurorum ſpirituum ac antra concupiſcentiarum praviſſimarum manent. Ubi *dignitatem ſuam* προφητικὴν demonſtrant coram mundo illi, qui gloriam Dei peccatis ſuis obfuſcant, qui nomen Dei abnegant peccatis, ſanctitati ac perfectionibus Dei injuriis. Confitentur equidem ore nomen interdum Dei, ſed quando propter illud cum Eccleſia Epheſina *laborare* & tentationes aut perſecutiones illius gratia ſubire deberent, potius illud negligunt. Sub *Duce* Salutis tanquam *milites* myſtici hac tiara ornari quoque reſpuunt; pugna enim ſpiritualis contra peccata & carnis concupiſcentias ipſis gratiſſimas plane diſplicet. Si una cum deliciis carnalibus & φιλαυτίας idolo dignitas hæc cœleſtis poſſideri ac jungi poſſet, multi quidem ejus adhuc deſiderio tenerentur; verum quum hæc contraria minime in uno eodemque corde morari queant, abnegata illa dignitate, carnem ſectantur. Quam paucæ ſuperſunt *virgines* myſticæ, quæ *caſtitatem* ſuam in mundo *illibatam* ſervant, Chriſto Sponſo cor totum dicant, & virtutibus cœleſtibus ceu ornatu *nuptiali* in gratiam ejus ſe exornare ſtudent? Amorem potius & cor ſuum mundo tradunt, quæcunque ad captandum illius favorem pertinent, omnibus viribus exequi ſatagunt, atque ita ſcortantur cum Baalim & idolis hujus mundi. Quare licet externe tanquam Chriſtiani *tiara libertatis* utantur, non tamen eſt *candida* & *pura*, ſed concupiſcentiis & licentia carnis maxime polluta, mens cum conſcientia ipſorum impura exiſtit. Quare hæc *libertas* vana atque vaga eſt, facile ventis tentationum turbari & ab hoſtibus veritatis & ſalutis

ſalutis rapi poteſt, quia *faſciis* amoris atque fidei non eſt adſtricta capiti. Caret quoque ſimulata ipſorum dignitas *unctione* cœleſti, nec ornatur *veritatis* cœleſtis & virtutum Chriſtianarum (totidem quaſi margaritarum) ſtudio; uti denique illa non nomine Dei ſed *charactere* mundi inſignitur.

Verum alia plane eſt indoles ſeminis ſancti in Sardibus pollutis adhuc ſuperſtitis. Hoc ſane ſanctitatis ſtudio ac majeſtatis ſuæ radiis in perverſa & polluta progenie hujus mundi conſpicuum apparet. Hoc *tiara* eſt in *manu Dei!* Hoc dominio peccati liberatum, ſceptrum veritatis & dominii in Satanam, mundum atque peccatum quatit. Hoc in ſanctuario Dei verſatur quotidie, in fronte gerens nomen Dei, Deoque ſerviens Apoc. VII, 15. XXII, 4. Hoc nominis divini gloriam celebrat, tuetur, manifeſtat coram mundo. Hoc eſt Sponſa illa myſtica ornata ſacerdotali ac nuptiali inſtrumento Jeſ. LXI, 10. Hoc tiaram libertatis ac conſcientiæ puriſſimam ſervat ac tuetur contra hoſtium tentationes Apoc. II, 25. Aliquando ergo ceu Sponſa Agno præparata, ſerico & byſſo ſanctitatis & cidari majeſtatis ornata, Sponſo in occurſum prodibit. Quare ſerva, quæ habes, ne quis auferat coronam tibi, o Eccleſia. Apoc. III, 11.

EXERCITATIO VI.

DE MEDICIS MYSTICIS.

JEREM. VIII, 22.

ARGUMENTUM.

Loci Jer. VIII, 22. Senſus literalis atque myſticus breviter excutitur §. *I. MEDICI nomen viris ſingulari prudentia ac ſapientia præditis, ipſi Deo, & denique Doctoribus veritatis tribui docetur* §. *II. Pergimus ad analogias inter Medicos & doctores Evangelii, explanantes, Medicos antiquiſſimæ eſſe originis atque cœleſtis, ex mente gentium.* §. *III. eos eſſe perſonas publicas, auctoritate Magiſtratus conſtitutas* §. *IV. Qualitates*

litates porro eorum recenſentes, eos arte, ſcientia & dexteritate pollere. §. V. experientia maxime probatos, §. VI. patientia ac manſuetudine præditos, §. VII. ſumma fidelitate & amore ægrotorum inſtructos eſſe oportere §. VIII. docemus. Porro Medicorum eſſe & præſcribere media ſalutaria atque applicare §. IX. ſymptomata obſervare atque dijudicare, §. X. & vitæ inprimis ſervandæ curam gerere, §. XI. diſſeritur. Addimus Medicos olim in Oriente herbis, reſina & oleo in curandis morbis fuiſſe uſos §. XII. Ægroti officium eſſe, ſtatum ſuum aperire, conſulere Medicum, ipſique cum fiducia ſe tradere. §. XIII. Sic duo Medicorum genera, ſc. Ocularii & Chirurgi memorantur §. XIV. Summa medicorum neceſſitas, §. XV. atque ipſis honos atque merces debita conveniensque adſtruitur §. XVI. Quæ omnia cum Medicis animarum myſticis applicata ſint ſuo loco §. XVII. epilogo morali lectorem dimittimus.

I.

VErba ſingularem emphaſin ſpirantia legimus Jerem. VIII, 22. הצרי אין בגלעד אם רפא אין שם כי מדוע לא עלתה ארכת בת עמי. *Nihil reſinæ eſt in Gilead? Anne medicus ibi nullus eſt? cur ergo ſanatio filiæ populi mei non acceleratur?* Notum eſt in Gileade reſiniferas maxime arbores abundaſſe, veluti ex Jer. XLVI, 11. Gen. XXXVIII, 25 &c. liquet, quare צרי heic recte per ῥητίνην ſeu *reſinam* vertitur, vi etymologiæ vocis, quæ ex Arabica radice, *fluere, ſtillare*, ortum ducit. Licet alii *balſamum* vertant. conf. BOCH. *Hier. l. L. II. Cap. LI. p. 628.* ZORN. *in comm. ad Hecat. Abder. p. 66. ſq.* Reſinæ autem uſus in medicamentis & vulneribus curandis olim fuit frequentiſſimus. Quare & in Gileade Medicos fuiſſe plurimos nonnulli obſervant Interpretes. Hinc Deus ergo mutuatur haſce phraſes, conſiderans populum ſuum ægre decumbentem in peccatis, variisque a vindicante manu Jehovæ plagis & vulneribus affectum, quæ per *reſinam* verbi divini ejusque monitorum ſalutarium, a Prophetis & Doctoribus Iſraelis erant obligandæ atque curandæ. Verbum enim Dei eſt צרי illud myſticum ex ligno crucis ſeu potius ligno vitæ ſtillans, quo animæ vulnera curari queunt Mal. IV, 2. 1 Petr. II, 24. ingratum quidem & *amarum* eſt carni, verum animæ maxime conducit, & gratum Deo effundit *odorem.* Cant.

I, 13.

I,13. 1 Cor. II, 14-16. Eccleſia N. T. eſt Gilead illud myſticum, conf. Jer. XLVI, 11. Hoſ. VI, 8. *elevata* ſupra *montes* regnorum hujus mundi Jeſ. II, 2. & abundans *paſcuis* verbi divini Pſ. XXIII, 2. 3. Jer. L, 19. Mich. VII, 14. cujus *oves* gemellos procreant Cant. IV, 1. 2. Quæ inſtar Gileadis Judic. X, 4. abundat incolis, & variis *aromatibus*, fructibus Spiritus S. odorem undiquaque ſuum ſpargentibus Cant. IV, 16. Heic quoque *reſinam* verbi Evangelici atque *Medicos* myſticos, ſc. Doctores N. T. deprehendimus.

II. Nomen *MEDICI* tribuebatur olim

α. Hominibus ſingulari prudentia & ſapientia præditis, aliisque ſalutare conſilium præbentibus; Huc pertinet proverbium Perſarum apud WARNER. p. 25. وزرا در مثال اطبا اند وطبيب دارو ندهد جز بيماررا *Conſiliarii ſunt inſtar Medicorum: Medicus autem non dat medicinam niſi ægroto.* Similiter CICERO *Epiſt. ad Attic. Lib. XV. ep. 1. Ad quem igitur Medicum te conferes? Quid mihi jam medico? aut ſi opus eſt, tanta inopia eſt? amorem erga me, humanitatem ſuavitatemque deſidero.* Huc reſpicit etiam Judæorum adagium in *Vajikr. Rabb. ſect. V.* לוקה מדינתא שאסיה פודגרים, *Afflicta eſt civitas, cujus medicus eſt podagricus*, i. e. cujus gubernator ipſe conſilio caret.

β. Deo ipſi nomen hoc tribuunt ſcripta ſacra & profana Exod. XV, 26. אני יהוה רפאך *Ego Jehova Medicus tuus.* In ſpecie Salvator talis erat, non claudos ſolum, & ægrotos & cœcos & leproſos & paralyticos per miraculum ſanans, ſed & animarum vulnera curans vide Jeſ. LXI, 2. Ezech. XLVII, 12. Mal. IV, 2. ubi ſub *alis ſolis juſtitiæ* ſanatio promittitur in oppſitione ad falſam gentium fidem de Apollinis, qui Sol erat, dexteritate in medica arte. adde Matth. IX, 12. Luc. X, 33. 34. Huc refer loca, in quibus ΣΩΤΥΡ & ΦΩΣ dicitur Salvator, quæ nomina Medicis olim tribui ſolebant, præcipue Æſculapio & Apollini. vide Cel. JAC. HAS. *in bibl. Brem. Cl. II. f. 6.* Cl. ZORN. *in opuſc. S. Tom. I. pag. 340. T. II. p. 575. in not. Patrum* loca vide *apud* SUICER. *T. I. p. 1433.* Similiter ex Exod. XV. in ſcriptis Judæorum ſæpius Jehova רפא *Medicus* appellatur. vid. *Exc. Gem. Sanhedr. ed. Cocc. pag. 400. ſq.* Et auctor

ctor מכילתא fol. 31. c. 2. ואם אשים אני בעולם הזה אני יהוה רופאך בע"הב *Et ſi ponam ſuper te morbum in hoc ſeculo, tamen ero Jehova Medicus tuus in ſeculo futuro.* Apud gentes Apollo in ſpecie *Medicus* ſeu Ἰατρὸς appellatur, veluti apud LUCIAN. *dial. Deor. T. II. opp. p. m. 19. nec non p. 921.* Et apud ARISTOPH. *Plut. act. I. ſc. 1.* ὅτι *IATROS* ὢν, *quia MEDICUS eſt*, ſc. Apollo. Similiter Æſculapius inter Deos habitus, qui *MEDICUS* erat. vid. CLEM. AL. *adm. ad gent. p. 14.* & plura, quæ CH. WOLL. *in diſp. de honoribus Medicorum apud veteres p. 19. ſq.* de hac re diſſerit.

γ. *Doctores* quoque N. T. & miniſtri verbi Evangelii *MEDICI* audiunt, utpote qui remedia ſalutaria ad vulnera animæ curanda applicant per præconium veritatis Evangelicæ. Egregie de his CYRILL. ALEXANDR. *in Jeſ. XXVI. p. 366.* Ἰατροὺς φάμεν πνευματικοὺς εἶναι ἀποςόλους τε καὶ εὐαγγελιςὰς, οἱ διὰ τῆς ἄνωθεν χάριτος καὶ τῆς ἐν πνεύματι χορηγίας, τὸν ἰᾶσθαι δυνάμενον καταπλουτοῦντες λόγον, θεραπεύουσι τοὺς τετραυματισμένους ὑπό τε τῆς ἁμαρτίας, καὶ τῆς τοῦ διαβόλου σκαιότητος. *Dicimus Medicos Spirituales eſſe Apoſtolos & Evangelii præcones, qui per gratiam cœleſtem & auxilium ſpiritus, ſermone ad ſanandum pollente ditati, vulneratos a peccato & diaboli pravitate ſanant.* Plura loca lege apud SUICER. *l. c. p. 1434.* Philoſophi & Doctores apud gentes quoque *Medicorum* titulo ornabantur, ita Clotho de Cyniſco philoſopho apud LUCIAN. *in Catapl. p. m. 63.* Ἔφορόν σε καὶ Ἰατρὸν πρὸ τῶν ἀνθρωπίνων ἁμαρτημάτων ἀπελίμπανον, ἀλλ' ἔμβαινε ἀγαθῇ τύχῃ. *Equidem te humanorum peccatorum velut inſpectorem ac MEDICUM relinquebam. Jam autem quod felix fauſtumque ſit, inſcende.* Similiter LUCIAN. *in Demoſth. encom. p. m. 908.* de mala inſtitutione εἶτα, inquit, ἰατροῦ δίκην τοῦ νοσοῦντος σαθρὸν ἀγνοήσαντος, ἄλλο θεραπεύεις. *Inſtar Medici ignorantis morbi genus, aliena remedia adhibes.*

III. Quam ingenioſe & eleganter Doctores ac Præcones Evangelicæ veritatis cum *MEDICIS* comparentur, ſequentes, quas obſervabimus potiores, analogiæ docebunt.

I. *Medici* antiquiſſimæ fuere *Originis*, inventionemque hujus artis *Diis* ipſis tribuit antiquitas. Tempore antediluviano, *Metuſalemum*

arte

arte medica ex nominis ipſius, a מות et שלח *ablegando mortem*, derivatione colligit Cel. REIMMANNUS *in hiſtor. literar. antediluviana*, quod tamen minus veroſimile videtur, quum morbi præcipue poſt diluvium ingraveſcere, adeoque vita hominum breviori meta decurrere cœperit. Tempore Joſephi in Ægypto jam fuiſſe Medicos, docent diptycha ſacra. Et ante Medicorum ordinariorum ortum in templis Deorum ægrotos fuiſſe depoſitos, antiqua docent monumenta. vid. Cl. HULS. *de priſc. Iſr. prærog. p. 217. Inventores* ipſi Dii habiti, præcipue Apollo, qui apud OVID. *Metam. Lib. I.* canit:

> *Inventum Medicina meum eſt, opiferque per orbem*
> *Dicor.*

Alii Mercurium, alii Æſculapium ejus inventionis gloria exornant. Theodoretus & Clemens Alexandrinus Apin Ægyptiorum, inventorem celebrant apud Cl. ADAMI *in Exercit. Exeget. p. 142. ſq.* In genere Julianus ergo Imperator in *Leg. de Medic.* ἰατρικὴν ἐπιςήμην ἐξ οὐρανοῦ πεφοιτηκέναι, *artem medicam e cœlo delapſam*, ſcribit.

Medicinæ myſticæ originem ex cœlo ſatis antiquam eſſe, conſtat. Deus ipſe auctor atque conditor hujus artis exſtitit. Primus ipſe ſtatim poſt peccati luem in hunc orbem introductam, theſaurum medicinæ myſticæ aperuit in prima promiſſione Gen. III, 15. Dein Patriarchas in familia quemque ſua Medicos animæ conſtituit, & temporibus ſequentibus extraordinarios Miniſtros ſuos, Prophetas, miſit, qui per Spiritum Sapientiæ divinæ acti, manum ſalutarem ad vulnera populi Dei curanda applicuere. Quare Deus hoc loco Jer. VIII, 22. expoſtulat cum populo ſuo, cur vulneribus ſuis ægre decumberent, quum tamen Medicos ipſis dediſſet, qui reſinam verbi divini applicare poſſent. Sub N. T. Chriſtus ipſe *Medicus* animarum exſtitit Matth. IX, 12. 1 Petr. II, 24. & ſimul Apoſtolos atque miniſtros Evangelii tales conſtituit Eph. IV, 12. 13.

IV. 2. Medicus eſt *perſona publica*, auctoritate ſupremi Magiſtratus conſtituta, a quo privilegia nactus eſt, & cujus auctoritate quoque in immunitatibus ſuis conſervatur. Docet hoc LUCIAN. *in Abdicat. Tom. I. opp. p. m. 511.* ὅπου γε τοῖς Ἰατροῖς καὶ δημοσίᾳ αἱ πόλεις τιμὰς καὶ προεδρίας καὶ ἀτελείας καὶ προνομίας διδόασιν. *Quandoquidem civitates quoque publicitus honores, præeminentias, immunitates & privi-*

 legia

legia medicis tribuunt. Quare ARISTOPH. *in Acharn. act. IV. ſcen. V.* inquit:

Ἀλλ᾽ ὦ πόνηρ᾽ ἐ δημοσιεύων τυγχάνω.
Aſt o peſſime artem medicam publice exerceo,
Non fruſtra

Et HOMER. *Iliad. Lib. XI.* rationem reddit

Εἷς Ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.
Vir medicus enim aliorum inſtar multorum eſt.

Miniſtri Evangelii ſimiliter perſonæ ſunt publicæ, a Summo cœli terræque Numine conſtituti, inſignibusque ab eodem immunitatibus donati, quare ab omnibus pro talibus agnoſcendi ſunt. 1 Cor. IV, 1. eapropter ſcribit Apoſtolus: *Sic de nobis reputet quilibet homo, ut de miniſtris Chriſti & diſpenſatoribus myſteriorum Dei.* A Deo ipſo vocati & conſtituti ſunt publici animarum cuſtodes Heb. XIII, 17. Ezech. III, 17. & cura animarum publica ipſis eſt ab eodem demandata. Quare Apoſtoli ſe legatos Chriſti per Dei voluntatem appellabant. 1 Cor. I, 1. Col. I, 1. &c. & Doctores comparantur cum VII. ſtellis *in manu* Archangeli, utpote qui eos vocat, ablegat & mittit, qui eosdem tuetur, privilegiis exornat & auctoritate ſua ſuffulcit. Apoc. II, 1.

V. 3. Medicos *arte* & *ſcientia* ac *ſapientia* ſingulari præditos eſſe oportet, quæ requiritur in tanto morborum dubiorum campo inveſtigando. SUIDAS eam ob cauſam Medicum deſcribit: Ἰατρὸς, ὁ ἐπιςήμων, ἐχ οἰώμενος μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ τὴν αἰτίαν, καθ᾽ ἣν ἰᾶται, γνωρίζων. *Medicus dicitur rei medicæ peritus, qui non ſolum morbis medetur, ſed etiam qui cauſſas cognoſcit, ſecundum quas illis medetur.* Hinc rogati Pythagoræ diſcipuli apud JAMBLICH *de vit. Pyth. cap. 18.* τὶ σοφώτατον τῶν παρ᾽ ἡμῖν, *quid rerum humanarum ſapientiſſimum eſſet?* reſpondent: ΙΑΤΡΙΚΗ. *MEDICINA.* Quare & Æſculapio Medicinæ Deo ſerpens tribuitur, & ſub figura Serpentis colebatur, uti ex variis veterum teſtimoniis, & nummis paſſim obviis conſtat, quoniam animal callidiſſimum, & apud antiquos *Sapientiæ* & prudentiæ Symbolum eſt ſerpens, quæ in Medicis maxime requiritur, docente inprimis VOSSIO *in Theol. gentil. Lib. VIII. cap. 32.*

Sapientia quoque atque prudentia virtutes ſunt Miniſtro Evangelii maxime

maxime neceſſariæ. Sapientiæ hujus qualitatem demonſtrat ſuo exemplo Apoſtolus 1 Cor. II, 4-10. docens præconium ipſius non in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione Spiritus & potentiæ conſiſtere; quam ſapientiam non hujus eſſe ſeculi, ſed ſapientiam Dei occultam in myſterio, quam Deus ipſis retexerat, declarat. Imo Salvator Apoſtolos ſuos emiſſurus jubet, ut ſint *Φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις Prudentes inſtar SERPENTUM.* Matth. X, 16. Quare ſub ſymbolo IV. Animalium & rotarum occurrunt Ezech. I. & X. quæ *plena erant oculorum* a facie & a tergo, quibus prudentia ac ſapientia fidei, qua præcones veritatis inſtructos eſſe oportet, deſignatur.

VI. 4. Medicus inſuper per variam & reiteratam *experientiam* edoctus & in arte exercitatus ut ſit requiritur. Huc reſpiciunt Rabbini in *Joma Cap. VIII. §. 5.* חולה מאכילין אותו על פי בקיאין *Ægroto cibos exhibent ex ore peritorum*, ubi *Maimonides:* הם מומחים במלאכתן ורצה בו בכאן הבקיאין מן הרופאים *Hi dicuntur, qui in arte ſua maxime ſunt exercitati, veluti hoc loco intelliguntur, qui in arte medica ſunt exercitatiſſimi.* Quare & PLINIUS Medicinæ efficaciſſimum eſſe Magiſtrum experientiam & uſum declarat: Et LUCIAN. *in Hipp. ſeu balneo Tom. II. opp. p. m. 741.* eleganter in hanc rem ſcribit: *καὶ γὰρ τῶν Ἰατρῶν ὅ γε νοῦν ἔχων, οὐ τοὺς ἄριστα ὑπὲρ τῆς τέχνης εἰπεῖν δυναμένους μεταστελεῖναι νοσῶν, ἀλλὰ τοὺς πρᾶξαι τε κατ᾽ αὐτὴν μεμελετηκότας. Quippe ægrotus, cui quidem pectus ſapit, non eos accerſit medicos, qui ſuper arte multa luculente diſputare norunt, ſed qui uſu medendi illam diu multumque exercuerunt.* Talem quoque deſcribit HOMER. *Iliad. Lib. IV.*

- - *ἐπ᾽ ἄρ᾽ ἤπια φάρμακα εἰδὼς*
Πάσσε, τά οἱ ποτὲ πατρὶ φίλα φρονέων πόρε χείρων.
- - *lenia medicamina bene expertus*
Inſpergebat, quæ ſuo quondam patri prudens dederat Chiron.

Experientia quoque in tractandis animabus decumbentibus Medico myſtico maxima commoda præſtat. Ipſe Archiater ſummus, Salvator noſter, eſt *ἀρχιερεὺς* & animæ noſtræ Medicus, *δυνάμενος συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, πεπειρασμένος κατὰ πάντα.* Heb. IV, 15. Ejus exemplum ſequi veros Doctores oportet. Qui ipſi per reſinam ſa-

lutarem

lutarem ſanati, alios eadem curare optime poterunt. Qui manum Spiritus S. ſanatricem in vulneribus ſuis curandis experti ſunt, optime & animabus aliis ſalutaria conſilia præſcribere, & ex theſauro verbi divini remedia exhibere poſſunt. Quare aliam per metaphoram Apoſtolus Timotheum monet, ut ſtudeat ſe ipſum *probatum Deo* ſiſtere operarium, qui non erubeſcat. 2 Tim. II, 15. ita ut ad hominum conſcientiam ſe demonſtrent applicatione prudenti & experta remediorum ſalutis 2 Cor. IV, 2. & tenaces exiſtant veritatis ſalutaris, ut ita erubeſcant *νεωτερικοὶ καὶ ἀντιλέγοντες* Tit. I, 9. 10.

VII. 5. Patientia ac manſuetudo inſuper a Medico requiritur, ut *laboris* atque *moleſtiarum*, in arte hac exantlandarum, minime ſit pertæſus; ægrotos exacerbatos furore morbi manſuetudine demulceat, noctisque incommoda & æſtum diei haud curet. Talem LUCIAN. *in Nigrin. σπουδαῖον maxime diligentem* appellat. Deſcribit talem PERISAULUS FAUSTINUS Poëta de Medic.

- - incommoda multa
Sunt ſubeunda tibi, ſubeundi mille labores
- - Surgendum nocte dieque
Tangendi pulſus &c.

CICERO quoque *Epiſt. XXXII. ad Attic. Lib. XII.* Medici *aſſiduitatem* celebrat. Quare olim quoque Medici *περιοδευταὶ* dicti, qui per ædes urbis viſitandorum ægrotorum gratia diſcurrere debent, ut docet Cel. OTTO *in tract. de ædilib. Colon. Cap. VI.* & *περιοδεύειν* pro cura medica adhibere ex CAR. DU FRESNE probat Cl. ZORN. *in Opuſc. S. T. II. p. 565.* Quare illis *περιοδοὺς* tribuit LUCIAN. *in Nigrin. opp. Tom. I. p. m. 56.*

Idem requiritur in Doctoribus Eccleſiæ qui *τὴν πρᾳότητα* a Summo ſuo exemplari diſcere, illamque inſtar veſtis induere tenentur. Col. III, 12. quemadmodum Paulus Timotheo imperat, ut hanc ſectetur 1 Tim. VI, 2. & pravos cum manſuetudine toleret 2 Tim. II, 24. adde Gal. VI, 1. 1 Cor. IV, 21. 1 Petr. III, 16. Quin imo *patientia* opus eſt in opere tam arduo, tam difficili, variisque incommodis atque moleſtiis cincto. 2 Cor. XI, 25-28. uti Paulus ſe in patientia exercitatum profitetur 2 Tim. III, 10. & Timotheum hortatur ut ſua ipſius veſtigia legat. 1 Tim. VI, 11. 2 Tim.

IV, 2.

IV, 2. Quare cum *operariis* in vinea, æſtum diei & onus portantibus; cum *agricolis* cum ſudore faciei ſemen verbi divini ſpargentibus; cum *vigilibus* & *cuſtodibus* noctu diuque per excubias defatigatis comparantur. Jeſ. LXII, 6. 1 Cor. III, 8. 9. 2 Tim. II, 15. Luc. X, 2.

VIII. 6. *Fidelitas* quoque maxime neceſſaria eſt in Medico, ita ut amore ſincero erga vitam & ſalutem corporalem ægrotorum flagret, & in vitæ periculo & morbis periculoſis illos haud derelinquat, imo eandem erga pauperes & divites fidem exerceat. Ita Judæi *in Sanhedr. Cap. XI.* כן רופא אומן תקרא *Sic Medicus fidelis appellaberis.* Talem celebrat CICERO *Epiſt. Lib. XIII. ep. 20. Aſclapone Patrenſi medico utor valde familiariter, ejusque tum conſuetudo mihi jucunda fuit, tum etiam ars, quam ſum expertus in valetudine meorum. In qua mihi tum ipſa ſcientia, tum etiam fidelitate, benevolentiaque ſatisfecit.* Id quod antiqui etiam per *canem* (fidelitatis commune Symbolum) quem Æſculapio addiderunt, deſignare voluere, ut obſervatum eſt a Mythologis.

Major adhuc fidelitas in Doctoribus Eccleſiæ requiritur, utpote quibus non corporis verum animæ cura eſt demandata. Quare Apoſtolus 1 Cor. IV, 2. dicit: *ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις, ἵνα πιςός τις εὑρεθῇ.* Quemadmodum Tychicus & Oneſimus *fideles Dei Servi* dicuntur. Col. IV, 7. 9. id quod ſingulare miſericordiæ divinæ donum eſt 1 Cor. VII, 25. Col. I, 7. 1 Tim. I. 12. Quare & inter attributa & requiſita Doctorum N. T. recenſetur 1 Tim. III, 11. 2 Tim. II, 2. Typum hac in re habent Mediatorem V. T. Moſen, qui in tota domo Dei fidelis exſtitit. Heb. III, 5. nec non Mediatorem N. T., fidelem coram Deo Pontificem. Heb. II, 17. Tempore æque adverſo quam proſpero in miniſterio Eccleſiæ perſeverare oportet, noctu diuque Jeſ. LXII, 6. Hujus fidelitatis teſtimonium quaſi extorquet Apoſtolus a conſcientia cœtus Epheſini, dicens: *Memores eſtote, me non ceſſaſſe per triennium noctu diuque cum lacrymis adhortari unumquemque veſtrum. Quare nunc commendo vos Deo & verbo gratiæ ejus.* Act. XX, 31. 32.

IX. 7. Cautus inſuper Medicus *præſcribit* media ſalutaria & morbo ſpecialiter *convenientia*, licet carni ingrata & amara ſæpe, atque ſimul proſpicit, ut rite *applicentur.* Docet id LUCIAN. *in Pſeudomant. pag. 547. Tom. I. opp.* Τὰς δὲ θεραπείας πρ͂ὔλεγε καὶ διαίτας, εἰδὼς, ὅπερ ἐν

ἀρχῇ ἔφην, πολλὰ καὶ χρήσιμα φάρμακα. Nonnullis remedia morborum vitæque rationes præſcribebat, cum ſciret, (ut initio diximus) complura & efficacia pharmaca. Et in Abdicato idem p. 503. προπαρασκευάσαι ῥᾴδιον ἐς ἴασιν, τὸ σῶμα, καὶ τῆς ἁπάσης ἕξεως φροντίσαι, κενοῦντα καὶ ἰσχαίνοντα, καὶ οἷς χρὴ τρέφοντα, καὶ κινοῦντα ἐς ὅσον χρήσιμον, καὶ ὕπνους ἐπινοοῦντα. Præparandum corpus, quo facilius recipiat medicationem: Deque omni corporis habitu ſolicitus ſit medicus oportet; inaniens, extenuans, cibis idoneis alens, movens ad omne quod conducit, ſomnos accerſendi rationes excogitans. Et EURIPID. *in Belleroph.*

Πρὸς τὴν νόσον τοι καὶ τὸν ἰατρὸν χρεὼν
Ἰδόντ᾽ ἀκεῖσθαι, μὴ πιτακτὰ φάρμακα
Διδόντ᾽ ἐὰν ταῦτα τῇ νόσῳ πρέπῃ.
Ad morbi naturam Medicum quoque oportet
Reſpicientem mederi, non imperata pharmaca
Exhibendo, niſi morbo conveniant.

Doctores quoque Eccleſiæ auditoribus ſuis peccato decumbentibus *præſcribunt* media ſalutaria per præconium veritatis & præcipue promiſſionum non ſolum Evangelii ſed & comminationum legis. Jubent carnem cruci affigere cum concupiſcentiis Gal. V, 24. oculum vel manum infectum quaſi extrahere & amputare Matth. V, 29. 30. ſe ipſum abnegare cum voluptatibus ac deliciis mundi Matth. XVI, 24. quæ omnia carni maxime ingrata, ſed tamen ad animæ ſalutem maxime conducibilia & neceſſaria exiſtunt media. Cuivis quoque animæ, ſecundum interiorem cujusque ſtatum, qui ipſis detegitur & quem expiſcantur, media peculiaria & convenientia præſcribant oportet. Quare ſedulo quoque ſtudendum, ut recte applicent promiſſiones Evangelii, id quod Apoſtolus vocat *ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας* 2 Tim. II, 15. Videant ne vulnus obthurent & obducant, quod a ſcabie ſua nondum eſt purgatum; videant ne animas in peccatis tranquillas indurent, ſed refricent conſcientiæ vulnera, & contritos conſolationibus Evangelii obligent. Jeſ. LXI, 1. 2. Jud. v. 22. 23.

X. 8. Medicus præterea peritus *obſervat* accurate ſymptomata, & *dijudicat* ſolicite morbos vel infractos & decreſcentes vel ingraveſcentes. Tales memorat HERODIAN. *Lib. IV. c. 11. p. m. 177. ἰατροὶ δὲ εἰσιόντες. ἑκάστο-*

ἑκάστοτε, προσίασι τῇ κλίνη, καὶ δῆθεν ἐπισκεψάμενοι τὸν νοσȣ̃ντα, χαλεπώτερον ἔχειν ἀπαγγέλλȣσιν ἑκαςότε. *Medicis ad lectum quotidie accedentibus, inſpectumque velut ægrum deterius ſe habere, ſubinde pronuntiantibus.* Nec non LUCIAN. *in abd. p. m. 485. opp. T. I.* καταλαμβάνω τὸν πατέρα σαφῶς ἤδη μεμηνότα, καὶ ὑπὸ τῶν ἰατρῶν ἀπεγνωσμένον, ȣ̓κ ἐς βάθος ὁρώντων, ȣ̓δὲ ἀκριβῶς φιλοκρινȣ́ντων τὰς νόσȣς. *Deprehendo patrem manifeſta jam inſania laborantem, & ab hujus loci medicis deſperantibus deſtitutum, qui non altius introſpiciunt, nec admodum exacte morbos dijudicant.* Similiter in *Dea Syr. opp. Tom. III. p. m. 763.* ὁ δὲ ἰητρὸς, ὡς εἶδέ μιν ἐς ȣ̓δὲν ἐμφανὲς ἀῤῥωστέοντα, ἔγνω τὴν νόσον, ἔρωτα ἔμμεναι. *Medicus autem ut ipſum dijudicans nullum manifeſtum morbi indicium præ ſe ferentem, amorem eſſe morbum cognovit.*

Idem incumbit animarum medicis, qui morbos ſpirituales dijudicare tenentur. Quemadmodum Apoſtolus Judas v. 22. 23. monet, ut doctores ſint διακρινόμενοι *diſcernentes animas*, quarundum miſericordia affecti, alias autem cum tremore ſervantes ex igne eripiant: Tanquam Sacerdotes diſtinguant oportet inter purum & impurum, Deo gratum ipſique abominabile Lev. X, 10. XI, 47. quare dono Spiritus S. quod eſt διακρίσεως 1 Cor. XII, 10. inſtructos eos eſſe decet. Eum in finem κριτήρια ipſis in verbo Dei revelata ſunt, juxta quæ animas dijudicare tenentur, quibusdam promiſſa Evangelii applicantes, aliis maledictiones divinas. Ezech. XXXIII, 7-10. quare maximâ cum ſolicitudine & prudentia oportet ἐπισκεπεῖν Act. XX, 28. ne animas decumbentes ex incuria negligant, & reatum inde ſibi contrahant Ezech. III, 3. 5. Heb. XIII, 17.

XI. 9. Præprimis Medici fidelis eſt, vitam hominis tueri, atque in eadem conſervanda, omnem artem intendere. Quemadmodum LUCIAN. *in abdicat. p. m. 486. T. I.* καὶ τηνικαῦτα, ἢν μὲν εὐμεταχείριςον ᾖ, ἐπιχειρȣ̃μεν καὶ πᾶσαν σπȣδὴν ἐσφερόμεθα σῶσαι τὸν νοσȣ̃ντα. *Ac ſi tum ejusmodi fuerit malum, ut commode poſſimus aggredi, aggredimur, totoque adnitimur ſtudio, ut ægrotum ſervemus.* Et p. 488. Medicum ΣΩΤΗΡΑ καὶ εὐεργέτην appellatum teſtatur. Conſtat inſuper Æſculapium eapropter quoque titulo ΣΩΤΗΡΟΣ apud antiquos ornari, veluti Orpheo μάκαρ Σωτὴρ *beatus Salvator* dicitur. Variæ ejusmodi

 inſcri-

inſcriptiones exſtant, quæ nomen hoc Æſculapio tribuunt, qualis illa eſt apud *Sponium :*

ΣΩΤΗΡΙ ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΣΩΕΤΡΑ
ΚΑΙ ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ ΝΙΚΟΜΗΔΗΣ
Ο ΙΑΤΡΟΣ.

Plura teſtimonia congeſſere Viri docti in *Bibl. Brem. Claſſ. III. p. 96. & 116.* Cl. SCHWARZ. *de Æſculap. & Hygea* §. *XI.* Cl. SCHLICHTER. *in Dec. Sacr. p. 502.* aliique.

Atque Evangelii Doctores animam hominis immortalem præ primis conſervare ſatagunt, quare *vigilare* dicuntur pro *animabus* Heb. XIII, 17. & pro animabus cœtus ſui expendi 2 Cor. XII, 15. Annuntiant enim verbum ſalutis, quo ſervant animas tanquam Σωτῆρες myſtici Jac. I, 21. & ex morte liberant & eripiunt ſc. æterna Jac. V, 20. illas confirmant Actor. XIV, 22. adeoque hac ratione ſe ipſum & alios, ſuam & aliorum animas, ſalvant 1 Tim. IV, 16. Evangelio tanquam virtute Dei omnipotentis, qui illud per Spiritum efficaciæ corroborat, ſalvare animas dicuntur. conf. 1 Cor. I, 18. 21. IX, 22. 1 Cor. XV, 2. Jud. v. 23. Apoc. XXII, 14.

XII. 10. Media quibus Medici olim morbos curabant præcipue in Canaane & reliquis Orientis regionibus, præcipue conſiſtebant in *herbis* aut *ſuccis* arborum *reſiniferarum* vel etiam *oleis.* Ad herbas reſpiciunt Judæi in *Bav. Boſr. fol. 74.* ההוא עשבא סמתרו הוה. *Herba illa medicinalis fuit :* nec non ÆSCHYL. *Prometh. v. 481.* ubi Prometheus:

Ἔδειξα κράσεις ἠπίων ἀκεσμάτων,
Αἷς τὰς ἁπάσας ἐξαμύνονται νόσȣς.
Miſcere docui graminum ſalubrium,
Quîs victa morbi pellitur violentia.

Et OVID. *Lib. I. de Pont.*

Adferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.

De *reſina* in medicina adhibita canit SEREN. SAMONIC. *de Medicin. cap. 38.*

Reſinam miſces, & ſaxis ordea fracta.

& paulo poſt:

Simplice reſina miſcebimus hordea tuſa.

Et

Et DIOSCORID. *Lib. II. cap. 108.* συμπέσσει δὲ καὶ τὰς σκληρίας μετὰ πίσσης καὶ ῥητίνης καὶ περιστερᾶς κόπρου, cujus Galenus, Nicander aliique etiam meminere. *Oleo* præprimis utebantur in vulneribus curandis, veluti conſtat ex ſacris. Jeſ. I, 6. *vulnera oleo non oblita.* Marc. VI, 13. *ungebant ægrotos oleo.* adde Luc. X, 34. Jac. V, 14. Et Judæi in *Bara Metzia fol. 107.* עבדי להו סמתר וחיי. *Faciunt ipſis unguentum medicinale, & convaleſcunt.* Quales erant, qui ΙΑΤΡΟΑΙΠΤΑΙ dicuntur in antiquis inſcriptionibus. Conf. etiam PLIN. *hiſtor. nat. Lib. XXIX. cap. I.*

Hæc myſtice exponas & remedia animæ ſalutaria in iis depicta deprehendes. Herbæ medicinales & reſina verbum gratiæ deſignant, utpote quod Eccleſia in ſinu ſuo gerit, velut herbas tellus, & quod ex arbore vitæ, vulnerata per graviſſimas paſſiones, quaſi deſtillat. Verbum autem Dei eſſe medium ſanationis, conſtat ex Pſ. CVII, 20. *mittebat verbum ſuum & ſanavit eos.* Pſ. CXIX, 25. *Vita mea pulveri adhæret, vivifica me verbo tuo.* adde Prov. III, 8. Pſ. CXIX, 116. &c. ſub hiſce radiis ſolis juſtitiæ eſt ſanatio Mal. IV, 2. hoc eſt reſina illa ad curanda vulnera adhibenda Jer. VIII, 22. *Oleum* quoque Spiritus S. præcipue ad vulnera animæ curanda præſtat. Pſ. LI, 10. Jeſ. LXI, 1-3. Servator ergo noſter eſt verus ille Ἰατρολίπτης, qui oleum hoc applicat contritis corde, per fidem illud ementibus Apoc. III, 18. Matth. XI, 28. 29. Pſ. CXLVII, 3. & ſimul per præconium miniſtrorum ſuorum hæc media vulneratis corde offert, & applicare jubet. Apoc. III, 2. hocque negligentes maxime reprehendit. Ezech. XXXIV, 4.

XIII. 11. Ægrotus autem ſanationem deſiderans, Medicum ut *conſulat* oportet, ipſi ſtatum ſuum ſincere *aperiens*, ſeque cum fiducia ipſi *tradens.* Ita in *Exc. Gemar. Sanhedr. ed. Cocc. pag. 289. &c.* ושאלו לרפיאים אמרו אין לה תקנה *Conſulebant Medicos, qui reſpondebant, eum ſanari non poſſe &c.* De Commodo Imperatore HERODIAN. *Lib. I. cap. XII.* συμβουλευσάντων αὐτῷ τινῶν Ἰατρῶν, εἰς Λαύρεντον ἀνεχώρησεν, *conſulens quosdam Medicos Laurentum ſeceſſit.* Quare OVID. *de Pont. Lib. III. el. 4.*

Ad Medicum dubius confugit æger opem.

Et LUCIAN. *in Lexiphan. p. m. 546. opp. T. II.* Ἀλλ᾽ εἰς καλὸν γὰρ τουτονὶ

τονὶ Σώπολιν ὁρῶ τὸν ἰατρὸν προσιόντα. φέρε τούτῳ ἐγχειρίσαντές σε καὶ διαλεχθέντες ὑπὲρ τῆς νόσου ἴασίν τινά σοι εὑρώμεθα, συνετὸς γὰρ ἀνήρ, καὶ πολλοὺς ἤδη παραλαβών. *Sed commodum Sopolim medicum accedere video. Age huic tradendo te & ſuper morbo diſſerendo, remedium aliquod inveniamus tibi, eſt enim vir prudens, qui jam multis opem præſtitit.*

Idem requiritur a peccatoribus animæ vulnera & pericula percipientibus, *conſulere* oportet Medicos myſticos, quoniam ſummi Archiatri & Salvatoris noſtri quaſi a conſiliis ſunt, & ejus conſilia ſalutaria ex verbo Evangelii aliis exhibent Apoc. III, 18. & media ſalutis animarum nomine ejus præſcribunt. Mich. VI, 8. Heb. XI, 6. Cap. XII, 14. Si vero media applicare convenientia ex verbo Dei rite debeant, ægre decumbentes animæ ut ſtatum interiorem mentis pure & ſincere declarent oportet, ut ita promiſſiones Evangelii unguenti inſtar pretioſi vulneribus animi contriti applicare queant. Rom. XV, 13. Col. I, 9-12. Actor. XX, 32. 1 Theſſ. III, 12. 13. Et hæc conſilia ſalutaria ex verbo Dei ipſis propinata tuto ſequi licet, ſiquidem illud unicum ad animæ vitam æternam medium eſſe, perſuaſi eſſe poſſumus Joh. V, 24. 39. Apoc. I, 3. XXII, 14.

XIV. 12. Duo Medicorum genera apud antiquos maxime notanda occurrunt.

a. Medici *OCULARII*, qui ſingulari arte & ſapientia in Oculis curandis pollebant, qualem Salvator ſe profitetur Apoc. III, 18. & præſtitit quoad literam. Joh. IX, 6. Talem deſcribit LUCIAN. *in Lexiphan. p. m. 534. Tom. II. opp.* καὶ δέομαι Ασκληπιάδου τινὸς ὀφθαλμοσόφου, ὃς ταράξας καὶ ἐγχέας μοι φάρμακον, ἀπερυθριάσαι ποιήσει τοὺς ὀφθαλμούς. *Opus habeo quodam Æſculapii filio, Medico OCULARIO, qui miſcendo atque infundendo medicamentum aliquod, rutilare mihi faciat oculos.* Quales quoque in antiquis marmoribus memorantur, veluti apud PIGNOR. *de Serv. p. 34.*

TI. LYRIUS. TI. CÆSARIS
AUG. SER. CELADIANUS
MEDICUS OCULARIUS.

Adde inſcriptionem apud MALVASIAM *in Marmor. Felſin. Sect. V. cap. I. p. m. 218. edit. Bonon.*

DIS

DIS MANIBUS
M. LATINIUS M. L.
MEDICUS
OCULARIUS
HERMES VIXIT ANNOS XL.

Sic *MEDICUS AB OCUL.* memoratur GRUTERO *DLXXX. n. 2. & p. DCXXXV. n. 3.* *OCULARII* memorantur *pag. CCCCXVI. n. 8. DLXXXI. n. 8. &c.* Plures ex ſchedis Vaticanis colligit Cl. *C. Cæſ.* MALVASIA *l. c.* nec non Cel. SPON. *in miſcell. erud. antiq.* Qua arte Æſculapium quoque excelluiſſe, liquet ex ARISTOPHAN. *Plut. Act. III. Scen. I.*

b. Medici inſuper *CHIRURGI*, qui *vulnera* ſanare atque curare ſolebant; qualem memorat HOMER. *Iliad. Lib. IV.*

Ἕλκος δ᾽ ἰητὴρ ἐπιμάσσεται, ἠδ᾽ ἐπιθήσει
Φάρμαχ᾽, ἅ κεν παύσῃσι μελαινάων ὀδυνάων.
Vulnus autem MEDICUS contrectabit, & adhibebit
Medicamenta, quæ liberent te a nigris doloribus.

Et Hecuba ap. EURIP. *in Troad. v. 1232.*

Τελαμῶσιν ἕλκη, τὰ μὲν ἐγώ σ᾽ ἰάσομαι
Τλήμων ἰατρὸς ὄνομ᾽ ἔχουσα.
Ego quidem hæc tua vulnera faſciis ligans curabo,
Infelix MEDICI nomen habens.

Tales in antiquis inſcriptionibus audiunt *CHIRURGI*, veluti in illa:

CHRESTÆ CONSERVÆ ET CONJUGI
CELADUS ANTINOUS DRUSI
MEDICUS CHIRURGUS.

Plures reperies apud GRUTERUM *in Theſauro.*

Ad utroſque ſæpius in ſcriptura alluditur; ad priores & præcipue cum oppoſitione ad Æſculapium Apoc. III, 18. uti alibi D. d. docebimus. adde Pſ. CXIX, 18. Eph. I, 17. 18. ad poſteriores vero in loco noſtro Jerem. VIII, 22. Pſ. CXLVII, 3. Deut. XXXII, 39. Hiob. V, 18. Pſ. VI, 3. LX, 4. Jer. XXX, 13. 17. Hoſ. V, 13. Zach. XI, 16. &c. Talis ergo in emphaſi eſt Deus ipſe & in ſpecie Salvator noſter Exod. XV, 26. Apoc. III, 18. Matth. IX, 12. Senſu tamen ſecundario etiam Doctores N. T. tales exiſtunt, qui collyrio

verbi

verbi veritatis oculos peccatorum inungunt, ut per hoc oriatur illuminatio mentis. 2 Cor. IV, 6. Pſ. XIX, 9. Eph. III, 9. excitant ipſos e ſomno ſecuritatis, ut ita Chriſtus ſolis inſtar ipſos illuſtret Eph. V, 14. Hebr. X, 32. Jeſ. LX, 1. 2. LXII, 1. 2. Inſuper ſanguinem meritorum Chriſti & ejus opobalſamum cum donis Spiritus S., promiſſis reſipiſcenti peccatori, ceu oleum lætitiæ applicant contritis corde, ut ita עצבותם, dolores vulnerum, emolliant. Pſ. LI, 10. CXLVII, 3. Jer. LI, 9. interdum vinum convictionum graviſſimarum jungere oportet oleo conſolationum, ſi vulnera obthurata ſanie ſcateant. Luc. X, 34. Jud. v. 22. 23.

XV. 13. *MEDICI* inſuper omni tempore, atque omni in loco maxime ſunt *neceſſarii*, quia morbus peccati ſequela ubique locorum mortales infeſtare ſolet. Quare *Siracides cap. 38, 1. Honora medicum propter neceſſitatem, etenim illum creavit altiſſimus.* CLEMENS ALEX. *in Pædag. L. I.* init.

Καθάπερ τοῖς νοσοῦσι τὸ σῶμα ἰατροῦ χρήζει.
Sicut quorum corpus ægrotat, iis medico opus eſt.

Conf. Matth. IX, 12. Luc. V, 31. In *Exercitu* quoque olim præprimis neceſſarii habebantur æque ac in urbe. Egregie in hanc rem XENOPH. *Lib. I. παιδ. inquit: καὶ πόλεις, αἱ χρήζουσαι ὑγιαίνειν, ἰατροὺς αἱροῦνται, καὶ οἱ Στρατηγοὶ τῶν στρατιωτῶν ἕνεκεν ἰατροὺς ἐξάγουσιν. Urbes ad ſanitatem conſervandam civium indigent Medico, quem eligunt, & duces olim propter milites Medicos in caſtris ſecum ducebant.* Quemadmooum in *templo* quoque ob ſacerdotes infirmos Medicos fuiſſe docet LIGTFOOTH. *Opp. Tom. II. p. m. 516.* & cum ipſo plures alii.

Et Miniſterii Sacri in hoc orbe ſumma eſt neceſſitas. Recte ergo Sapientiſſimus Regum Salomo Prov. XXIX, 18. ſcribit: באין חזון יפרע עם, *ubi nulla eſt viſio* (ſeu verbi Dei præconium) *ibi populus rudis eſt.* Quare inter pœnas graviſſimas recenſetur ablatio candelabri Eccleſiæ, i. e. præconii veritatis Evangelicæ Apoc. II, 5. Et de triſtiſſimo ſuo ſtatu querelas effundens Eccleſia exclamat Pſ. LXXIV, 9. *Non videmus viſiones, non ſupereſt nobis propheta, nec eſt apud nos doctor aliquis!* Et inter promiſſiones maxime inſignes pertinet illa de ingenti caterva Evangelizantium Pſ. LXVIII, 12. Quare CLEMENS ALEX. *Pædag. Lib. I. cap. I.* teſtatur: *Quemadmodum corpore ægrotis Medico opus eſt, ita quorum animus*

mus æger eſt, pædagogo opus eſt. In *pugna* ſpirituali vulnera ſæpe accipiunt milites myſtici, ergo Medico opus. Eph. VI, 12. Et in miniſterio divino defatigati novarum virium ſæpe indigent, quæ applicatione promiſſionum veraciſſimi Salvatoris, confortari ſolent. Jeſ. XL, 31. Matth. XI, 28.

XVI. 14. Medici denique arte, experientia & dexteritate probati, inſigni apud veteres *honore* afficiebantur atque *mercede* inſuper ſatis ſplendida ornabantur. Unde Judæorum proverbium: אוקיר לאסיא עד דלא הצטריך ליה *Honore proſequere medicum, antequam illius indiges.* Quare & LUCIAN. *in abdicat. p. m. 510.* ſcribit: τὸ δὲ τῆς ἰατρικῆς ὅσῳ σεμνότερόν ἐστι καὶ τῷ βίῳ χρησιμότερον, τοσούτῳ καὶ ἐλευθεριώτερον εἶναι προσήκει τοῖς χρωμένοις. *Atqui ars Medica quanto eſt honoratior vitæque conducibilior, tanto convenit eſſe liberiores, qui hanc exercent.* (Qui locus manifeſto pugnat contra hypotheſin illorum, qui artem medicam olim *Servilem* tantum fuiſſe contendunt, licet Servos quoque quosdam fuiſſe Medicos, non infitiari liceat, ut ex *Pignorio, Marmoribus Felſineis Malvaſiæ, Grutero &c.* conſtat.) Uti & paulo poſt LUCIANUS teſtatur, eapropter Urbes Medicis τιμὰς καὶ προεδρίας *honores & primos conſeſſus* tribuere. Imo a gentibus *divino* ſæpe *honore* culti fuere. conf. Sing. diſſ. Cl. WOLLE *de honoribus Medicorum* ſup. cit.

Mercedem quoque medicis datam olim fuiſſe conſtat. Ita in *Sanhedr. Gem. Cap. XI.* רופא אומן תקרא ושכר הרבה תיטול *Medicus fidelis appellaberis & mercedem magnam reportabis.* LUCIAN. *in abdicat. p. m. 482.* τὸν μὲν οὖν μισθὸν τῆς θεραπείας ὁρᾶτε οἷον ἀπολαμβάνω. *Videte igitur cujusmodi mercedem curationis accipiam.* adde *p. 500.* & *in Scytha. p. m. 345.* ubi Medico Taxari hanc curationis mercedem ſolvi ab Athenienſibus teſtatur, ut niveus quotannis ad ejus monumentum equus immoletur. CICERO *Lib. XVI. ep. 9. ad Tiron.* ſcribit: *Curio miſi, ut honos haberetur Medico,* i. e. merces honoraria daretur. Quare ARISTOPH. *in Plut.* huc reſpiciens canit:

Τίς δῆτ' ἰατρός ἐστι νῦν ἐν τῇ πόλει,
Οὔτε γὰρ ὁ μισθὸς οὐδὲν ἔστ', οὔθ' ἡ τέχνη.
Quis hac in urbe ſit Medicus? ubi Medicis
Neque merces eſt ulla, neque magni ars ipſa ſit.

Et Doctoribus fidelibus convenit honos atque reverentia exhibenda, teſte Apoſtolo. 1 Theſſ. V, 12. 13. *agnoſcite eos, qui inter vos laborant, & vobis præſunt in Domino, vosque adhortantur. Quos ut maximo amore proſequamini propter opus ipſorum, rogamus.* adde 1 Cor. IV, 1. Quare contemtores atque illuſores miniſtrorum Dei judiciis graviſſimis obnoxii fuere, veluti ex fatis Koræ, puerorum Bethelitarum aliorumque patet. Et Salvator ipſe teſtatur Luc. X, 16. *Qui vos contemtui habet, me contemnit.* Præcipue autem, quia in hoc orbe maxime ob nomen Domini a mundanis hominibus negliguntur, perſecutionibus ac convitiis ſæpe obruuntur, honorem aliquando poſt hanc vitam, una cum largiſſima *mercede* conſequentur Matth. V, 10. corona vitæ ac gloriæ immarceſſibilis aliquando, Domino venturo, capita ipſorum exornabit 1 Petr. V, 3. Apoc. II, 10. Et rutilabunt inſtar ſtellarum in regno gloriæ Dan. XII, 3.

XVII. O ergo incredibilem Domini Deique noſtri benignitatem, qui *Medicus* animarum Supremus exiſtens, *medicos* quoque, non angelos ſed homines, in Eccleſia ſua conſtituit, qui *reſinam* verbi & oleum Spiritus gratiæ contritis corde applicarent! Verum quum juſtæ olim brevi ante captivitatem Babylonicam Deo cauſæ eſſent exclamandi! *Nihilne reſinæ eſt in Gilead, nullusne ſupereſt Medicus, cur non convaleſcit filia populi mei?* Certe & in N. T. non ſolum brevi ante ortum Antichriſtianiſmi, ſc. poſt Conſtantini tempora, ad quæ verba noſtra ſenſu typico-prophetico collineant, ſed & noſtris temporibus in eandem prorumpere querelam licet. Eccleſia ſane Proteſtantium externa (Gilead noſtrum) facta eſt inſtar Noſodochii ſcatentis animabus ægre & lethaliter decumbentibus, & quidem, quod triſtiſſimum, exiſtente ſatis magna Medicorum caterva, qui manum vulneribus ac morbis applicare ſtudent; verum tot animas ægras deprehendunt, quæ ſe ſanas eſſe imaginantur, nec ullis mediis indigere ſibi perſuadent, minime agnoſcentes ſe cum Laodicæa eſſe pauperes, cœcas, miſeras. Apoc. III, 15. 16. 17. Quot morbos atque *lues* ſapiens ſæpe Medicus in cœtu ſuo externo detegit? Quot in cœtibus dominatur *cœcitas* ſpiritualis, ignorantia plane inexcuſabilis; quum pretioſa collyria per præconium Evangelii large ſatis offerantur; Nemo ſane a cœcitate ſua liberari deſiderat, ne in concupiſcentiis ſuis turbetur. Quot animæ miſeræ *gangræna* concupiſcentiarum ſive carnis ſive

mundi

mundi laborant, quæ in dies augetur, omnemque mentis ſenſum ac conſcientiæ vigorem exſtinguit. *Macies* lurida invidiæ, diſſenſus ac litium debilitat, deformat atque enervat Eccleſiæ quoque Proteſtantium externæ vires. Et quis omnes membrorum ſingularium morbos recenſeret, quot vitia publica in oculos incurrentia, quot concupiſcentias clanculum foveant? Quot *vulneribus* miſera plurimorum mortalium, nomen Chriſti profitentium, conſcientia laborat, quæ non vino ſeriarum convictionum purgata, ſed ſanie inveterata corrupta, atque omni doloris ſenſu deſtituta eſt. Plures quoque ſunt, qui per tela judiciorum Omnipotentis externa haud raro vulnerantur, ſed de illis dicas oportet: Jer. V, 13. *Dominus eos percutit, ſed minime percipiunt atque ſentiunt.* Quare de Medico animarum minime ſunt ſoliciti. Quando corporis vires debilitatæ morbos accelerant, Medicus corporis accerſitur, conſulitur ac media præſcripta ſolicite ſatis adhibentur. Sed proh dolor! O pudeat animas rationales! quando anima lethaliter in peccatis aut Satanæ tentationibus decumbit, atque in agone mortis ſpiritualis quaſi eſt conſtituta, nemo eſt, qui ejus curam ſerio agat, qui animæ Medico fideli ſe tradat, ſtatumque ſuum detegat. Si in agone mortis corporalis adhuc animæ Medicus accerſitur, ab ipſo poſtulant, ut non niſi dulciſſima ſolatia & promiſſiones adferat, ne ægrotus ex ſopore conſcientiæ forte excitetur. O tempora! O mores! Nihilne ſupereſt *reſinæ in Gilead*, nonne ſuperſunt periti animarum Medici, cur Eccleſia ergo lethali fere morbo decumbit quoad plurima ſua membra? Evigilent ergo, qui adhuc his temporibus corruptis ſuperſunt, Medici animarum periti atque fideles, excutiant torporem, & vulnera Joſephi curæ cordique habeant. Manum vulneribus hiſce inveteratis admoveant ſerio, nec die nec nocte intermittant, donec curatio Eccleſiæ adſcendat & promoveatur. Exſcindant, reſecent carnem putridam & vitia inveterata carnis, cultro ancipiti verbi Dei, adhortationibus calidiſſimis, monitoriis graviſſimis, & reprehenſionibus acutiſſimis, infundant hocce vinum acre, ut vulnus dolores excitare incipiat, ſenſu conſcientiæ excitato, atque ita deſideria animarum accendant, quibus oleum lætitiæ a Deo cum Davide ad oſſa contrita denuo confirmanda expetant.

Evigilate, advertite aures o animæ decumbentes, ecce reſinam Gi-

leadis! ecce oleum lætitiæ! ecce ſanguinem Mediatoris expiatorium! qui vulnerum dolores percipit, veniat, excipiat illa, applicet hæc media, & vitam pro morte æterna capiet. Media quidem non niſi carni ingrata vobis applicare poſſumus, ſed animæ immortali maxime ſalutaria. Quare moriemini in peccatis & vulneribus veſtris deſperabundi? en heic Medicum! en heic media infallibilia!

Beatas deprædico animas, quarum vulnera reſina hac & oleo curata, & in dies nova denuo curantur. Sive enim novæ oriantur per peccati reliquias infirmitates, ſive vulnera per tela Satanæ ignea, aut per manum Omnipotentis caſtigantem infligantur, heic repoſitorium quorumcunque antidotorum inveniunt, ſc. in verbo Dei; per preces ad Medicum ſupremum confugiant, conſulant Medicos fideles animarum in terris, & ita ſæpius exclamandi anſa ipſis ſubnaſcetnr: *Celebra, o anima mea, Dominum, nec obliviſcere benignitatum ipſius, qui vitam tuam eripit a corruptione & te coronat gratia & miſericordia &c.* Pſ. CIII, 1-5.

EXERCITATIO VII.
DE
CROCODILO
SYMB. ANTICHRISTI
EZECH. XXIX, 3.

ARGUMENTUM.

Locus Ezech. XXIX, 3. breviter explicatur & ſenſus ejus prophetico-myſticus excutitur. §. I. CROCODILUM Symb. eſſe apud antiquos, tum ſolis, tum vindictæ divinæ, tum hominum callidorum, tum denique Ægypti ac Regum Ægyptiorum, docetur §. II. Antichriſti quoque figuram eſſe ex analogiis demonſtratur, quoniam Rex piſcium fluviatilium eſt crocodilus §. III. ortus crocodili ſat exiguus ex ovo eſt §. IV. animal

animal eſt terra marique vivens. §. V. oculis præditum acerrimis & pedes habens unguibus munitos. §. VI. Rictu pollet horrendo & dentibus aſperrimis, quibus omnia diſcerpit. §. VII. in cujus cauda ſingulare ejus robur conſiſtit, juxta §. VIII. & cutim gerit ſquamis denſis armatam. §. IX. Callidum eſt animal hominibus atque animalibus inſidias ſtruens §. X. In fluviis degens & paludibus, arundine ſcatentibus, præcipue Nilo §. XI. Carne viva delectatur crocodilus, aquasque mire deglutit juxta §. XII. Reti & hamis extrahi & capi tamen ſolet §. XIII. in ſpectaculis adhibitus olim §. XIV. & denique divino honore cultus apud Ægyptios §. XV. Additur epilogus moralis §. XVI.

I.

ELegantiſſima eſt Pharaonis Ægyptii deſcriptio EZECH. XXIX, 3. quando appellatur התנים גדול הרבץ בתוך יאריו *Draco magnus, cubans in medio rivorum ſuorum.* A Bocharto aliisque qui eum ſequuntur, viris doctis, jam obſervatum eſt heic commode intelligi *CROCODILUM*, qui Draconi ſimillimus, & in *rivis Nili* degebat; & quoniam Nilus Ægypti ſymbolum, commode *Regem Ægypti* ſub *Crocodili* figura delineari potuiſſe. Hoc autem loco ſenſu literali Pharaonem & quidem *Hophra* dictum Jeſ. XLIV, 30. LXX. Ὀυαφρῆν, Herodoto Ἀπρίην, indigitari cenſent. Hic de faſtu ac poteſtate ſua gloriatur hoc loco, & *Nilum* in ſpecie *ſibi* ſe *feciſſe* teſtatur; quod vel proprie de variis rivis, ex Nili flumine arte Regum Ægypti derivatis, publicorum commodorum cauſa, vel myſtice de populis Ægypti ſibi ſubjectis, tanquam peculiari populo, intelligi poteſt, judice Cel. WITS. *in Orat. Dom. Exerc. XI. §. 36.* Eodem modo Pſ. LXXIV, 14. per *capita Balænæ* in aquis *conquaſſata*, poteſtatem Pharaonis debilitatam & infractam intelligi fas eſt. Quo etiam referimus locum Pſ. LXVIII, 31. per *feram arundinis* perdendam, non tam cum Cel. BOCHARTO *Hippopotamum*, quam *Crocodilum* in arundineto Nili latitantem, & communem maxime Regum Ægypti figuram, intelligentes. Verum quum *Ægyptus* ſtylo prophetico typus quoque ſit *Antichriſtianiſmi*, qui πνευματικῶς καλεῖται, ΑΙΓΥΠΤΟΣ Apoc. XI, 8. nulli dubitamus, utramque heic conjungere Ægyptum literalem & myſticam, adeoque figuram Antichriſti ejusque fa-

ſtus ac ſuperbiæ vivam deprehendimus, id quod in hac Exercitatione, quum ab Interpretibus plerumque negligatur, demonſtrabimus.

II. Antequam id aggrediamur, paucis indicabimus, quarum in genere rerum figura ac Symb. apud antiquos exſtiterit *CROCODILUS*.

1. *Solis* Symb. apud Ægyptios olim crocodilum fuiſſe ex figura ejus ſub throno Iſidis apparente, probat PIGNOR. *in tract. erudit. de Menſa Iſiac. p. 40.* quem ut animal ſolare maxime, cum ſole convenire ſcribit JAMBLICH. *de myſt. Ægypt.* Quare & EUSEB. *de præp. Ev. Lib. III. cap. 3.* narrat, Ægyptios ſolis imaginem in navibus collocaſſe, quam crocodilus geſtaret.

2. Apud *Indos* præcipue Malabaros *crocodilus* vindices juſtitiæ divinæ ſ. *Jemma* i. e. Rhadamanti habentur, & animas defunctorum pro cujusvis meritis vel in campos Elyſios vel in Tartara deportare creduntur. Quare Siamenſium cymbæ, quibus mortuos efferunt, *crocodili* figuram exhibent. Sinenſium templa vexillis exornata deprehendes, quæ *crocodilos* referunt, quo ſigno ſacerdotes gaudia & triumphos cœleſtes deſignant, & funera hoc ſigno præeunte educuntur ad pyras. Quemadmodum ſontes ac innocentes per crocodilos explorare ſolent. Quæ omnia pluribus recenſet Cel. KÆMPFER. *in Amœnit. Exot. Faſc. II. pag. 458. ſq.*

3. Præcipue *Crocodilus* hominum *callidorum, malitioſorum* atque *impudentia* inſignium figura eſt. Ita apud LUCIAN. *in Mort. dialog. p. 241.* ποιεῖν κροκοδείλους *facere crocodilos* Philoſophis tribuitur i. e. *ſophiſmata callidiſſima*, ut interpretes obſervant. Ita PHILO *de legat. ad Caj. p. 1016.* τούτων ἦσαν οἱ πλεῖους Αἰγύπτιοι πονηρὰ σπέρματα, κροκοδείλων καὶ ἀσπίδων τῶν ἐγχωρίων ἀναμεμαγμένοι τὸν ἰὸν ὁμοῦ καὶ θυμὸν ἐν ταῖς ψυχαῖς. *Horum plerique erant Ægyptii, malæ frugi mancipia, aſpidum & crocodilorum inquilinorum venenis tincti tum corpora tum animos.* Quemadmodum & HORÆPOLLO *Lib. I. cap. 64. crocodilum* Ægyptiis hominem crudelem & inſanum pingere ſolere teſtatur. *Impudentiæ* quoque Symb. eſſe *crocodilum in Stromat. Lib. V.* CLEM. ALEX. docet.

4. Maxime *Ægypti* atque *Regum* Ægyptiorum in antiquis monu-

mentis figuram exhibet crocodilus; quum Cel. BOCHARTUS aliique cum ipſo nomen פרעה *crocodilum* ſignificare aſſerant; quod tamen ex lingua Coptica deducit & ⲡⲁⲟⲁⲣⲟ vel ⲫⲁⲟⲩⲣⲟ i. e. *Rex meus*, deſignare docet BLUMBERG. *in fundam. Ling. Copt. præf. p. 20.* Quicquid ſit, Ægypti & Regum Ægypti figuram eſſe crocodilum, non ſolum ex ſcriptis liquet ſacris Pſ. LXVIII, 31. Ezech. XXIX, 3. ſq. XXXII, 23. conf. Cel. HASÆUM *de Leviathan. Cap. III.* Cl. ZORN. *in opuſc. S. Tom. II. p. 350. & in Tom. II. explic. loc. V. T. p. 1069.* Cl. WITS. *l. c.* alios; verum etiam ex nummis antiquis, in quibus *crocodilus* apparet ut Ægypti & regni Ægyptii figura. Qualis nummus Auguſti apud OISEL. *Tab. XXVII. n. 18.* ubi κροκόδειλος δενδρίτης palmæ alligatus, cum inſcr. *COL. NEM.* in memoriam Ægypti ab Auguſto poſt Antonium captæ. Nec non nummus J. Cæſaris, ubi Crocodilus ore hians cum epigraphe *ÆGYPTO CAPTA.* OISEL. *Tab. XXXIII. n. 11.* conf. etiam Ill. SPANHEM. *in Diſſ. III. de præſt. num. p. m. 148. ſq.* BEGER. *Theſ. Imp. Rom. Tab. III. n. 22. Tab. XII. n. 16. Tab. XVI. n. 4.* HUB. GOLZ. *in faſt. Magiſtr. p. m. 170. n. 2. p. 180. n. 4. & alios.* Vide nummos binos expreſſos in *Tabula noſtra n. VIII. IX.*

5. Quare & *Antichriſti* Symb. eſſe poterit crocodilus, cum Ægyptus Apoc. XI, 8. regni ejus fuerit figura, & Pharao olim Iſraelem dura tyrannide premens, Antichriſti typum exhibuerit. Ita Pſ. LXVIII, 31. LXXIV, 14. Jeſ. XXVII, 1. per crocodilum non ſolum Ægypti Regem, ſed & Antichriſtum cum RIVETO, BORRHAO, van GIFFEN *in Comment. in Ez. XXVII.* aliisque viris doctis intelligere poſſumus. Vide etiam quæ Cel. VITRINGA cum multo eruditionis apparatu commentatur ad Jeſ. XXVII, 1. Quare & Antichriſtus comparatur cum *beſtia e mari* aſcendente. Apoc. XIII, 1. cum alluſione ad *crocodilum*, terra marique viventem.

III. Et certe crocodilus commodiſſimam Antichriſti figuram exhibet:

1. *Rex piſcium* fluviatilium eſt Crocodilus; dominatur in Nilo omnibus piſcibus reliquis; quare non ſolum הגדול dicitur in loco noſtro, ſed & הרבץ בתוך יאריו *cubare in medio aquarum*, quod domi-

nium

nium in aquas & aquarum incolas involvit, & ſeq. Comm. 4. 5. *piſces* ejus tanquam ſubditi conſiderantur. veluti PLIN. *hiſt. Lib. VIII. cap. 25.* crocodilos deſcribit contra hoſtes ſuos Delphinos pugnantes & in *ſuo tantum amne regnantes.* Dantur enim crocodili ingentis admodum magnitudinis. Veluti ÆLIAN. *de animal. Lib. XVII. c. 6.* ſcribit: *ὁ κροκόδειλος γίνεται μήκιστος πολλάκις, ἐπὶ γοῦν Ψαμμιτείχου τῶν Αἰγυπτίων βασιλέως πέντε καὶ κ. πηχῶν κροκόδειλον φανῆναί φησιν. In tam ingentem ſæpe magnitudinem excreſcit crocodilus, ut Pſammetychi Ægyptiorum Regis tempore 25. cubitorum dicant viſum fuiſſe.* Et crudeles maxime & atroces exiſtunt, quare PLUTARCH. *in Iſide* teſtatur *κροκόδειλον τῶν ἀγρίων ζώων εἶναι τὸ θηριωδέστατον*, *crocodilum ferorum animalium eſſe efferatiſſimum*, & alibi dicit eſſe *πάντων θηριωδέστατον, ὧν τρέφουσι ποταμοὶ καὶ λίμναι καὶ θάλασσαι, ζῶον, atrociſſimum omnium animalium, quæ flumina aut lacus aut maria educant.*

Tales quoque erant Reges Ægypti maxime potentes & efferatiſſimi, faſtu tumentes inſuperabili, quales deſcribuntur apud Prophetam. Nec diſſimilis eſt Antichriſtus, qui ſe Regem Regum appellare olim non dubitavit, & dominium in conſcientias hominum adfectat ſat crudele. Omnes enim qui imaginem ipſius haud adorant, flamma gladioque perſequitur, atque efficit ut *omnes parvi & magni, divites & pauperes, liberi ac ſervi characterem ejus* tanquam ſubditi & mancipia recipiant *in manu & frontibus* Apoc. XIII, 15. 16. Reges & principes terræ regnum ſuum huic tradunt beſtiæ, & illa imperium exercet in reges terræ Apocal. XVII, 17. 18.

IV. 2. Ortus crocodili eſt ſatis exilis, gignitur enim *ex ovo*, nihilominus tamen brevi temporis ſpatio in ingentem ſæpe excreſcit magnitudinem. Ita PLUTARCH. *in Iſid. ἑξήκοντα δὲ ὠὰ τίκτουσι καὶ τοσαύταις ἡμέραις ἐκλέπουσι ova ſexaginta pariunt & diebus totidem fovent.* Et HERODOT. *Lib. II. p. 129. τίκτει μὲν γὰρ ὠὰ ἐν γῇ καὶ ἐκλέπει. parit ova humi atque excludit.* Similiter PHILO *de animal. propriet. c. LXV.*

Ὠῶν δὲ σωρὸν ὁ κροκόδειλος κύει
Μετὰ δὲ τὴν ἔκλεψιν εὐθὺς τῶν τόκων
Ἔγκεντρος ἐξέρπει τις αὐτῶν σκορπίος.

Croco-

Crocodilus ovorum parit acervum, ſed his,
Poſt fœtum perfecta quam eſt excluſio,
Prorepit armatus ſagitta ſcorpius.

Adde CICERON. *de natur. Deor. Lib. II. p. m. 322.* Ingentem nihilominus dein in magnitudinem licet ovo excluſos excreſcere crocodilos ſupra vidimus.

Et quis neſcit regnorum ſæpe maximorum initia admodum eſſe exilia, quale fuit Ægyptiaci, quale & Antichriſti fuit. Paulatim enim regnum Antichriſti in Eccleſia crevit, quum initio N. T. ſtatim poſt tempora Apoſtolorum, ne minima exſtarent veſtigia, ſed per acceſſum gentium ad externam Eccleſiam ova quaſi ponerentur, quæ deinceps per varios Pſeudo-Doctores excluſa quaſi ſunt. Ex parvis ergo ſeminibus tanta excrevit arbor, ex ovo adeo exiguo tanta prodiit beſtia, cui omnes terræ Reges fere auctoritatem & poteſtatem ſuam conferunt. Apoc. XVII, 12. 13. & cui cum blanditiis ſe ſubjiciunt. Apoc. XVIII, 3.

V. 3. Inſuper notandum crocodilum eſſe animal, quod in *terra* & *mari* ſeu fluviis vivit. Docet id PHILE *de anim. propr. c. 82. p. m. 189.*

Ὁ κροκόδειλος νήχεται μὲν εὐτόνως . . .
Εἶτα διαβὰς εἰς τὸν ὄχθον ἐκ πόρου
Πίπτει κατὰ γῆς, καὶ βλέπει τὸν ἥλιον.
Crocodilus undas dum ſecat, ſcite natat.
Ad littus autem prodiens e flumine
Profectus, iſtic ſolis aſpicit jubar.

Idem teſtatur HERODOTUS *Lib. II.* quem locum citat RAPHEL. *p. 93. in annot.* ἐὸν δὲ τετράπουν, χερσαῖον καὶ λιμναῖόν ἐστι . . . καὶ τὸ πολλὸν τῆς ἡμέρας διατρίβει ἐν τῷ ξηρῷ, τὴν δὲ νύκτα πᾶσαν ἐν τῷ ποταμῷ. *Quum ſit animal quadrupes, tamen terreſtre & aquatile eſt. Plerumque diei in ſicco agit, ſed totam noctem in flumine.* Quare animal ἀμφίβιον ſeu ὑδρόχερσον appellatur. Adde SPANHEM. *de uſu & præſt. num. p. m. 150.* SALMAS. *ad Solin. p. m. 453. ſq.* Cl. HASÆUM *de Leviathan. p. m. 56. ſq.*

Quum *terra* in ſacris emblema Eccleſiæ & mare Symb. gentium exiſtat, Antichriſtus commode ſub figura beſtiæ ὑδροχέρσου proponitur, utpote qui ex mari gentium prodiit & in Eccleſiam irrepſit, quare ex-

preſſis verbis Apoc. XIII, 1. *Θήριον ἐκ τῆς θαλάσσης ἀναβαῖνον*, *beſtia ex mari aſcendens* vocatur: Quemadmodum quamplurimos gentium ritus & dogmata cum Eccleſiæ veræ dogmatibus confundere cœpit Antichriſtus, quod a variis viris eruditis jam demonſtratum eſt. Plerique enim ritus externi, quos in Antichriſtianiſmo obſervamus, ab Eccleſia Apoſtolica alienos, ex gentium ritibus manifeſto derivare poteris. Vel ſi *terram* Judaiſmi & *mare* gentiliſmi (ut in ſacris etiam fieri ſolet conf. Hag. II, 6.7.) Symbolum habeas, denuo dogmata & ritus Judæorum ac gentium in Antichriſti imperio Eccleſiaſtico commixtos deprehendere poteris.

VI. 4. Si partes & membra hujus beſtiæ conſideres, varias denuo analogias deteges.

(a.) *Oculis* præditus eſt *igneis* atque *acerrimis*, & *pedes unguibus* horrendis munitos habet, quare inter animalia *rapacia* referendus eſt crocodilus. De *oculis* ejus canit PHILE *cap. 82. de anim. propriet.*

Πίπτει κατὰ γῆς, καὶ βλέπει τὸν ἥλιον.

Projectus humi inſpicit ſolem ipſum.

HERODOTUS eapropter illum vocat *ἐν τῇ αἰθρίῃ ὀξυδερκέστατον ſub dio perſpicaciſſimum.* vide SALMAS. *in Exerc. Plin. p. m. 444.* De *unguibus* ejus AMMIANUS MARCELLINUS ſcribit: *Inſuper unguium immanitatem, quibus ita eſt armatus, ut ſi haberet etiam pollices, ad evertendas etiam naves ſufficeret.* Idem teſtatur PLINIUS apud CORN. à LAPIDE *in Ezech. XXIX.*

Myſticæ huic beſtiæ ſimili ratione *oculos acerrimos* ac *ungues rapaces* tribues, ad calliditatem ejus ſummam atque *rapacitatem* delineandam. *Callidus* eſt Antichriſtus, quoniam venturus prædicitur *cum ſignis & prodigiis mendacibus per vim Satanæ*, callidiſſimi illius Draconis, *efficacem*, ut ita *myſterium iniquitatis* propaget. 2 Theſſ. II, 7. 9. Et quis neſcit dolos, machinas & conſilia callidiſſima, quæ clanculum fovet Antichriſtus cum ſuis aſſeclis ad regnum ſuum promovendum, & animas incautas ſeducendas atque alliciendas, vide Dan. XII, 4. Ezech. XXVIII, 3-5. Jeſ. XLVII, 9. *Rapax* quoque eſt beſtia Antichriſtus, utpote per fas & nefas bona ac divitias hujus mundi rapiens & divitias colligens, veluti ex ejus deſcriptione, quæ Jeſ. XXIII, 3. Ezech. XXVII, 3. ſq. Cap. XXVIII, 5. Apoc. XVIII, 1-5. 11. 12. &c. liquet. Verum quoque animas miſeras ungui-

bus

bus ſuis alliciens rapit, & perniciei immolat, quare υἱὸς τῆς ἀπωλείας in emphaſi vocatur, non ſolum quia ipſe in corruptione jacet, ſed & alios in perniciem ſecum trahere ſtudet 2 Theſſ. II, 3.

VII. b. *Rictu* præditus eſt crocodilus horrendo, atque *dentibus* cruentis quamplurimis, quibus omnia comminuit. De *rictu oris* ejus apud omnes conſtat ſcriptores, illum eſſe horrendum; Arabes teſte Bocharto فم واسع *rictum immane patentem* ei tribuunt. Quare & PHILE *cap. 82.* canit:

> Ἀνεὶς δὲ χανδὸν εἰς τὸ κῦμα τὸ ςόμα.

& paulo poſt:

> Καὶ παραγυμνοῖ πρὸς τὸ φῶς καὶ τὴν ζέσιν
> Τοὺς τῶν γνάθων, κράτιςε, κολπώδεις τόπους.
> *Hiante vaſta gutturis voragine . . .*
> *Hiansque contra pandit ignes luminis*
> *Sinus genarum, o Imperator, concavos.*

Achilles Tatius ipſi τῶν γενύων πεδίον καὶ τοῦ ςόματος αὐλὴν tribuit, *maxillarum campum & oris aream.* Huc reſpicit quoque MARTIAL. *Lib. III. epigr. 93.*

> *Cum comparata rictibus tuis ora*
> *Niliacus habeat crocodilus anguſta.*

De *Dentibus* ejus varia memorant ſcriptores. Arabes apud BOCHART. *P. II. Lib. V. cap. XVI.* adſcribunt ipſi ſexaginta in ſuperiori & quadraginta in inferiori maxilla. AMMIANUS MARCELLINUS ſcribit: *Ordine dentium pectinato, perniciosis morſibus, quicquid contigerit, pertinaciter tenet.* Similiter PHILE *de anim. cap. 83. v. 27.*

> Οὗτος γέ τοι, κράτιςε, τῶν ζώων μόνος
> Τὴν μὲν κάτω πήγνυσι, τὴν δ᾽ ἄνω γένυν
> Κινεῖ θαμινά, τὴν τροφὴν θλῶν ταῖς μύλαις.
> *Solusque brutorum, gena quæ ſubtus eſt*
> *Fixa, movet ſubinde ſupremam, cibos*
> *Cum devoratos conficit molaribus.*

Adde SALMAS. *in Plin. Exerc. p. m. 1011.* Patet idem ex figura crocodili rictum pandentis, quæ apparet apud OISEL. *Num. Imp. Rom. p. m. 144. n. 11.*

Os quoque habet Antichriſtus, quod inſtar eſt *ſepulchri aperti* Pſ. V, 10. quo tot veritatis teſtes deglutivit & dentibus ſanguinolentis diſcerpſit, quare ebria hæc beſtia dicitur ſanguine ſanctorum, Apocal. XVII, 6. XVIII, 24. Et *os* ei tribuitur *loquens magna & blasphemias*. Apoc. XIII, 5. & comm. 6. 7. dicitur: *Aperuit os ſuum ad blasphemandum Deum, ut conviciis proſcinderet & tabernaculum ejus, & eos qui in cælo habitant. Et datum ei eſt ut bellum gerat cum ſanctis, eosque vincat, & data eſt ei poteſtas in omnem tribum.* Ordo *dentium* acutiſſimorum etiam cruenta inquiſitionis ſubſellia deſignare poteſt, quippe quorum ope hæc beſtia tot innocentes veritatis teſtes, tanquam prædam objectam, dilaceravit atque neci dedit miſerrimæ.

VIII. c. Non minus notabilis eſt crocodili *cauda* ſatis prolixa, & in qua robur inſigne poſitum ſervat, utpote illius ope non ſolum homines, ſed & animalia ſæpe robuſtiſſima unico ictu proſternere humi adſolet. Inſignis hanc in rem locus eſt HORI APOLL. *in Hierogl. Lib. I. cap. LXVII.* ὀυκ ἄλλως ἐις ἀπώλειαν φέρει ὁ κροκόδειλος ὃ ἐὰν λάβηται ζῶον, ἐι μὴ τῇ ὀυρᾷ τῇ ἑαυτοῦ διαπληκτίσας ἄτονον παρασκευάσει. Ἐν τούτῳ γὰρ τῷ μέρει ἡ τοῦ κροκοδείλου ἰσχὺς καὶ ἀνδρεία ὑπάρχει. *Non aliter ad exitium perducit crocodilus, quodcunque apprehenderit animal; niſi cauda prius cæſum invalidum reddiderit. In hac enim parte præcipua eſt crocodili vis ac robur.* Nec non PETR. MARTYR *Legat. Babyl. Lib. III.* de eo teſtatur: *Camelum, equum, juvencum & quodcunque genus quadrupedum ei occurrit, cum in terram famelicus exit crocodilus grandior, ictu caudæ acriter adeo ferit, ut illud cruribus fractis proſternat & interimat. Tanta enim eſt illius caudæ vis, ut fregiſſe quatuor uno ictu grandioris animalis crura repertus ſit aliquando.* Vide BOCHART. *Lib. V. Cap. XVII. p. 790. ſq.*

Cauda hujus beſtiæ optime deſignabit brachium ſeculare, quo imperium Antichriſti ſuſtinetur, & per quod horrendas perſecutiones in veritatis teſtes exercet. Manifeſto hoc liquet ex ſimili emblemate Apoc. XII, 4. ubi de Dracone dicitur: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & proſtravit humi.* Quod Cel. *Vitringa* optime de Diabolo per *Imperatores Romanos* & eorum tyrannidem varios Eccleſiæ Doctores de ſede ſua deturbante, ad carceres damnante & vario mortis genere

nere tollente interpretatur. Conf. Dan. VIII, 12. Idem de crocodilo myſtico conſtat, ſc. Antichriſto, qui per cornua X. i. e Reges ipſi adhærentes & ipſius tyrannidi inſervientes, horrendas in Eccleſia ſtrages edidit, teſtes veritatis humi proſtravit, dignitatibus exuit, atque hac ratione crura veræ Eccleſiæ tyrannide ſua fregit, quæ corroboranda Deus promittit. Jeſ. LVIII, 11. Sic *cadavera* teſtium in plateis *Ægypti* myſticæ a *beſtia ex abyſſo* aſcendente *proſternenda* prædicit vates Apoc. XI, 7. 8.

IX. d. *Cutim* denique *ſquamis duriſſimam in corpore* gerit crocodilus, qua contra ictus atque lanceas munitur. Quod teſtatur HERODOT. *ap.* RAPHEL. *l. c.* ἔχει δὲ δέρμα λεπιδωτὸν ἄῤῥηκτον ἐπὶ τοῦ νώτου. *Habet pellem ſquamatam circa tergum impenetrabilem.* Et ÆLIAN. *Lib. X. Cap. XXIV.* Νῶτα πέφυκε καὶ τὴν οὐρὰν ἄῤῥηκτος. λεπίσι μὲν γάρ τε καὶ φολίσι πέφρακται, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις, ὥπλισται. *Impenetrabile tergum & caudam a natura ſortitus eſt, ſquamis enim & corticibus obſepitur, & ut ita dicam, armatur.* GEORG. MARCGRAV. *hiſt. nat. Lib. VI. cap. 15. Totum corpus veſtitur cute ſquamata, ac in capite, totaque parte ſuperiore corporis ac cauda loricata. In toto autem inferiori corpore ſquamæ quadratæ ſunt.* Idem ſcribit ARISTOTELES variique recentiores ſcriptores apud BOCHART. *l. c. p. 779. ſq.* conf. etiam SALMAS. *in Plin. p. m. 443.*

Egregie hoc pingit naturam Antichriſti, qui per indurationem conſcientiæ contra omnes etiam acutiſſimas & maxime convincentes veritatis ſagittas ſe munit, easque pectore obfirmato diſcutit. Qui *efficacia erroris ſui* induratus, non credit veritati, ſed *acquieſcit in injuſtitia.* 2 Theſſ. II, 11. 12. cujus conſcientia cauterio quaſi eſt reſecta 1 Tim. IV, 2. Quare ſtudio in erroribus ſuis ſe confirmat, ſacras literas, ne per hunc veritatis enſem conſcientia vulneretur, prohibet. Præjudiciis atque ignorantiæ ſquamis horret Antichriſti eapropter corpus; quia enim veritatis amorem negligit, Deus efficacia præjudicia atque errores immiſit ipſi per juſtum indurationis divinæ judicium, ut Apoſtolus l. c. teſtatur.

X. 5. Callida eſt maxime hæc beſtia, & non *hominibus* ſolum ſed & *beſtiis*, præprimis canibus e Nilo bibentibus, *inſidiatur*, teſte ÆLIAN. *de animal. Lib. X. Cap. XXIV.* ὁ κροκόδειλος φύσει δειλός ἐστι, καὶ κακοήθης δὲ καὶ πανοῦργος, καὶ ἁρπάζει μὲν καὶ ἐπιβουλεύει μάλα ὀξέως.

 Cro-

Crocodilus natura timidus, improbus, malitioſus, fallax, cum ad rapinas tum inſidias acerrimus & promtiſſimus eſt. Huc reſpicit LUCIAN. *in vitar. auct. p. m. 120.* τοῦτο ἢν πως κροκόδειλος ἁρπάσῃ, πλησίον ποταμοῦ πλαζόμενον εὑρών. *Quod ſi hunc* (*puerum*) *ad flumen forte ambulantem crocodilus rapiat.* Idem exprimit PHILE *de animal. propr. cap. 83. v. 17.*

Καὶ τοὺς ὕδωρ ἥκοντας ἀρύειν θέρους,
Τέχνῃ φυσικῆς ἐλλοχᾷ πανουργίας.
Καλύπτεται γὰρ εἰς φρυγανώδη σκέπην.
Καὶ λανθάνων πρόεισι, καὶ διαβλέπει
Καὶ κατὰ μικρὸν γειτνιῶν συλλαμβάνει.
Quin & ſub æſtum haurire qui parant aquam,
Irretit artis callida ſolertia,
Nam frondium ſub tegmine hic reconditus,
Clam proripit ſe & proſpicit advenas,
Quos appropinquans comprehendit mordicus.

Varia etiam exempla ex *Elmacino Arabe*, & recentioribus ſcriptoribus exhibet BOCHARTUS *l. c. p. m. 772.* Notanda autem heic verba *Solini* in hanc rem ſunt, qui cap. XXXII. ſcribit: *Præterea habitant in inſula Nili homines forma exigui, ſed audacia uſque adeo perditi, ut crocodilis ſe offerant obvios: Nam hæc monſtra fugientes inſequuntur, formidant reſiſtentes.*

De inſidiis, quas *canibus* ſtruunt, vide HOR. APOLL. *p. m. 316.* Quare ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. I. cap. IV.* de canibus Ægyptiis ſcribit: οὐδὲ ἐλευθέρως ἐκ τοῦ ποταμοῦ πίνουσιν ἅμα ἐπικύπτοντες, καὶ ὅσον διψῶσι λάπτοντες. ὑφορῶνται γὰρ τὰ ἐν αὐτῷ θηρία. *Neque libere bibunt* (canes) *ex fluvio, ita ut inclinare ſe & ſitim ſuam lambendo ſatiare auſint. Metuunt enim latitantes in eo beſtias* ſc. crocodilos.

Talis quoque eſt Antichriſtus, qui ab omni tempore animas incautas, & præcipue veritatis puræ confeſſores, omni qua potuit arte, in poteſtatem ſuam redigere ſategit. Hinc minis & perſecutionibus horrendis ſæpe illos eſt inſecutus, multosque flammis & gladiis exſcidit Hab. II, 10. in *latibulis occidit innocentes, inſidiatur in latibulo inſtar Leonis, inſidiatur ut rapiat pauperem.* Pſ. X, 8. 9. omnes perimit, qui teſtimonium

Dei

Dei ſervant & contra ipſum teſtantur. Apoc. VI, 9. XIII, 15. XVII, 6. Præcipue autem *Doctoribus* Eccleſiæ (qui canes myſtici in ſcriptura vocantur) odio infenſiſſimo inſidiatur, & unguibus ſuis diſcerpere, morteque cruenta trucidare geſtit. Apoc. XI, 7.

XI. 6. Maxime autem crocodilus in *fluviis* latet, uti in *Nilo Ægypti* præprimis habitat, etiam in paludibus & *arundinetis* ſe abſcondit, quare Pſ. LXVIII, 31. ut ſupra vidimus, חית קנה *Beſtia arundinis* appellatur. Et in loco Ezech. in *medio aquarum* ſeu *fluviorum* cubare dicitur. Indiæ fluviis eum tribuit ARRIAN. *Rer. Ind. Lib. I. cap. 28.* Et *Nilo* CURTIUS *Lib. VIII. cap. 9. p. m. 250.* *Dyardenes minus celeber auditu eſt, quia per ultima Indiæ currit. Cæterum non crocodilos modo, uti Nilus, ſed etiam delphines, & ignotas aliis gentibus belluas alit.* Quare & PHILE *Cap. 83. v. 12.* canit.

Ὕδωρ δὲ τῷ στόματι πολλάκις φέρων
Ὁ κροκόδειλος οὗτος, ὃν Νεῖλος τρέφει.
Quem Nilus undis educat ſeptemfluus
Crocodilus, oris hauſtu aquas inferciens.

In paludibus quoque nonnullis aliis crocodilos reperiri, docet ADRICHOMIUS *Theatr. Terr. S. p. m. 122.* adde RELAND. *in Palæſtin. p. m. 543.* SPANHEM. *in Diſſ. de num. uſu & præſt. p. m. 148. ſq.* In ſpecie eos in *arundinetis* cubare, docet HELIODORUS *ap.* AMEL. *in V. T. Vol. II. pag. 226.*

Mare quum ſit emblema gentium efferarum atque barbararum, *fluvii* ſymbolum exhibent populorum Chriſtianorum; In *fluviis* ergo *degit* & *cubat* hic crocodilus myſticus, quia ſedem ſuam fixit inter Chriſtianos populos, iisque dominatur. Sed tamen non niſi in Ægypto myſtica, i. e. regionibus imperio Antichriſti ſubjectis, quæ Αἴγυπτος πνευματικῶς dicitur. Eſt quoque *beſtia arundineti*, quoniam totus cultus, omnisque Antichriſti religio in externis ritibus & levioribus ceremoniis conſiſtit, quæ externa ſæpe pietatis ac zeli ſpecie ſe commendant, ſed coram oculis Dei flammantibus ſubſiſtere nequeunt; verum inſtar fœni & ſtipulæ conſumentur. Omnis aſſeclarum juſtitia, & opera bona vana ſunt, & arundine leviora. Jeſ. LXIV, 6. quibus tamen ſuperbi & maximopere delectatur.

XII.

XII. 7. Crocodilus præcipue *cruda carne* veſcitur, & omne quod unguibus arripit, diſcerpit, quod ſupra docuimus; uti & *aquas* mira aviditate *deglutire* ſolet. Hirudinum turbam aperto gutture devorat, teſte PHILE *l. c. v. 22.*

Ὁ κροκόδειλος νήχεται μὲν εὐτόνως,
Ἀνεὶς δὲ χανδὸν ἐς τὸ κῦμα τὸ στόμα,
Βδελλῶν φορητὸν ἐξ ἐκείνου συλλέγει.
Crocodilus undas dum ſecat, ſcite natans,
Hiante vaſta gutturis voragine
Turbam cruentam colligit hirudinum.

Aquas deglutit, easque denuo evomit, quod idem teſtatur PHILE *cap. 83. v. 13.*

Ὕδωρ δὲ τῷ στόματι πολλάκις φέρων,
Ὁ κροκόδειλος οὗτος, ὃν Νεῖλος τρέφει,
Ἐγχεῖ μεταξὺ λανθανόντως τῶν τρίβων.
Αἷς ἂν ὀλισθάνωσι τὰ κτήνη, τρέχει
Καὶ ταῦτα δειπνεῖ συμπατῶν τῷ βορβόρῳ.
Quum Nilus undis educat ſeptemfluus
Crocodilus, oris hauſtu aquas inferciens,
Profundit ejus ſemitas aſpergine,
Ut incidens ſubvertat his lapſans pecus,
Quod ipſe protritum luto, accurrens vorat.

Talis quoque beſtia eſt Antichriſtus, quæ delectatur ſanguine martyrum, illoque ebria redditur Apoc. XVII, 6. tot animas miſeras, quæ ſub conſcientiæ dominium trahit, neci æternæ tradit. Apocal. XX, 10. XIII, 8. Præprimis autem *concupiſcentiis* dedita eſt hæc beſtia, quas inſtar *aquæ* deglutit, aliasque animas harum ope allicere ſtudet. *Voluptatis* magis amans eſt quam Dei 2 Tim. III, 4. per cupiditates carnis laſcivas varios ineſcans 2 Petr. II, 3. 18. captivas ducens mulierculas 2 Tim. III, 6. & voluptatibus hujus mundi maxime inhians. vide Jeſ. LVI, 11. 12. quare *Meretrix magna* appellatur, cujus ſcortationis vina omnes gentes biberunt. Apoc. XVII, 1. XVIII, 3.

XIII. 8. Crocodilus ſit licet animal maxime crudele atque atrox, *domari* tamen a nonnullis hominibus potuit & a *piſcatoribus hamo capi* ſolet.

ſolet. Quemadmodum dicitur Ezech. XXIX, 4. ונתתי חחיים בלחייך *Indam hamos maxillis tuis.* & Cap. XXXII, 3. *Expandam contra te rete meum.* Idem teſtatur DIOD. SICUL. *Lib. I. p. 31.* ἐθηρεύετο ταῦτα τὰ ζῶα τὸ μὲν πάλαιον ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων ἀγκίστροις, ἔχουσιν ἐπὶ δεδελεασμένας ὑείας σαρκάς. *Hæc animalia Ægyptii temporibus antiquis capiebant hamis, quibus eſcæ loco caro ſuilla erat impoſita.* Nec non HERODOT. *Lib. II. cap. 51.* apud Cel. HASAEUM *de Leviathan. Cap. II. §. 12. ſq.* qui varia quoque piſcatorum recentioris ævi, crocodilos hamis & retibus expiſcantium, teſtimonia adducit. De Tentyritis ſcribit STRABO *Geogr. Lib. XVII. p. m. 541. Tintyræ incolæ præter cæteros Ægyptios excellenter crocodilum deteſtantur & ex omnibus belluis inimiciſſimum habent. Nam cæteri, quanquam ejus animalis malitiam norint & humano generi pernicioſum exiſtiment - - - Tentyritæ erant, qui eos interdum reti in aquam intrantes educebant in locum apricationi deſtinatum. &c.* Similiter in ſeqq. *clava in os obtruſa* eos domari ſcribit idem geographus. Vide etiam SALMAS. in *Solin. p. m. 447.* ÆLIAN. *Lib. X.* cap. *21.* σαγηνεύουσι μὲν τοὺς κροκοδείλους καὶ τῶν περσεῶν ἐξαρτήσαντο μετεώρους, μαστιγοῦσί τε πολλαῖς. *Sagenis capiunt crocodilos & ex arboribus perſeis ſublimes ſuſpendunt, atque multis verberibus percutiunt.* Quare & in nummis ocurrit in arbore poſitus & religatus catena, in Symb. devictæ Ægypti. Vide GOLZ. *Faſt. Magiſtr. & triumph. Tab. CCII. n. VI.* & confer *Tabulæ noſtræ* nummos ſupra citatos.

Antichriſtus quoque quamvis flammas atque neces adverſus veritatis teſtes ſpiret, tamen fuere, qui furorem ejus cohibere potuerunt. Quando ſcilicet Jehova non ſolum in Reformatione teſtes veritatis prudentia ac robore inſtructos emiſit ceu *piſcatores*, qui *crocodilum* hunc myſticum in apricum produxere, reti & hamis convictionum veritatis adhibitis, formamque ejus horrendam coram oculis mundi detexerunt conf. Zach. X, 3. 4. Matth. XXII, 11. 12. Hac ratione faſtus ejus eſt humiliatus, & per Imperatores, qui teſtes veritatis ipſi exſtitere, clava ori ipſius quaſi obtruſa, ac perſecutionibus ejus cruentis frenum injectum eſt Apoc. VI, 12. XIV, 8. Quin imo horrendis bellis per principes chriſtianos ſubactus, brachiumque ejus fractum fuit. Pſ. X, 15.

Zach. XI, 17. Apoc. VI, 15. 16. Fiet hoc denuo ultimis temporibus, quando varii ex Antichriſti aſſeclis reti Evangelico in Eccleſiæ communionem trahentur, plurimi autem præliis & bellis horrendis deſtruentur, atque ita Babylon magna prorſus corruet & poteſtate ſua ſpoliabitur. vide Pſ. LXVIII, 22. Mich. VII, 1. Apoc. XVII, 1. 2. Theſſ. II, 8. Apoc. XVIII, 11. 12. 21. Cap. XI, 13. 14.

XIV. 9. Crocodili capti etiam in *ſpectaculis* olim adhibebantur, quod memorat STRABO *Geograph. Lib. XVII. p. m. 541. Cumque*, ait, *crocodili Romam allati eſſent pro ſpectaculo, Tintyritæ eos ſequebantur & parata crocodilis piſcina quadam & foramine in uno laterum, ut ex aqua in apricum egredi poſſent. Tentyritæ erant, qui eos interdum reti in aquam intrantes educebant in locum apricationis, ut a ſpectatoribus cerni poſſent.* Et SYMMACHUS *Lib. X. ep. 19.* Præ cæteris autem, quæ *Romana ſpectacula deſiderant, crocodilos functio theatralis efflagitat.* Nec non PLIN. *Lib. VIII. cap. XXVI. primum cum hippopotamo quinque crocodilos Romæ ædilitatis ſuæ ludis M. Scaurum temporario Euripo oſtendiſſe*, ſcribit. Plura vide apud SPANHEM. *de uſu & præſt. Num. p. m. 148.* & Cl. HASÆ. *in tract. de Leviathan. p. m. 73. ſq.*

Similiter Antichriſtus olim in ſpectaculum quaſi fuit adductus per primos Eccleſiæ Reformatores. Egregie hoc Salvator proponit in parabola Matth. XXII. 11. 12. 13. ubi Antichriſtus a Domino ſupremo viſitatus, publice coram omnibus proſtituitur & *ligatis manibus ac pedibus in tenebras exteriores projicitur.* Tunc Jeſabel hæc myſtica & meretrix magna exuebatur auctoritate ſua, atque omnis ipſorum dignitas proculcabatur Apoc. II, 21-23. Quis neſcit, quomodo veritatis teſtes miro zelo inflammati, horrenda vitia ac blasphemias, imo abominandam idololatriam Antichriſti, vivis coloribus depinxerint, ac coram oculis totius mundi expoſuerint; veluti ex catalogo teſtium veritatis, a viris doctis contexto, ac βιογραφίᾳ primorum Reformatorum conſtat.

XVI. 10. Reſtat denique, ut κροκοδειλολατρείαν, apud antiquos præcipue Ægyptios uſitatam, addamus. Scribit hac de re ÆLIAN. *de animal. Lib. X. cap. XXI.* τοὺς κροκοδείλους Αἰγυπτίων οἱ μὲν σέβουσιν, ὡς Ὀμβῖται, καὶ οἷα ἡμεῖς τοὺς Θεοὺς τοὺς Ὀλυμπίους ἄγομεν θαυμαστοὺς, ται-

τοιαῦτα καὶ ἐκείνȣς ἐκεῖνοι, καὶ τῶν τέκνων γε αὐτοῖς ἐξαρπαζομένων πολλάκις, οἱδε ὑπερήδονται. *Crocodilos colunt Ombitæ, populi Ægyptii, ſic hos venerari dignantur, quemadmodum nos Deos olympios ſolemus. A crocodilis ſuos liberos eapropter rapi mirifice gaudent.* DIODORUS SICULUS *Lib. I. p. 52.* Αἰγύπτιοι καθ' ὑπερβολὴν, ȣ̓ ζῶντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τελευτήσαντα; οἷον τȣ̀ς τε αἰλȣ́ρȣς, καὶ τȣ̀ς ἰχνεύμονας - - - καὶ τȣ̀ς κροκοδείλȣς. *Ægyptii animalia quædam ſupra modum, non viva tantum ſed & mortua venerantur, ut feles, ichneumonas & crocodilos &c.* Idem teſtatur STRABO, HERODOTUS, EUSEBIUS aliique a variis citati, & JUVENAL. *Lib. V. Sat. 15.*

Quis neſcit Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat, crocodilon adorat.

De hac κροκοδειλολατρείᾳ vide præter F. L. GOETZII *Diſſ. de ἰχθυολατρεια Lipſ. 1723. p. 18. ſq.* & apud eundem citatos autores, Cel. HASAE, *in tract. cit. p. 68. ſq.* CLASEN. *de Orac. Lib. II. cap. XI. p. 407. ſq.* PIGNOR. *Menſ. Iſiac. p. m. 41.* OISEL. *ad num. Imp. Rom. p. m. 147. & alios.*

Quis neſcit Antichriſtum divinos quoque ſibi vendicare honores, qui ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα, *ſeſe opponens & efferens ſupra omne quod Deus dicitur aut Numen, ſedet in templo Dei, præ ſe ferens,* ὅτι ἐςὶ Θεὸς, *ſe eſſe Deum* 2. Theſſ. II, 4. quare *Paſtor idolorum* vocatur Zach. XI, 17. ſive רעה האליל. Et qui faſtum horrendum, honoresque divinos, quos Antichriſtus ſibi vendicavit olim & hodie, addiſcere cupit, adeat vitas Pontificum Romanorum, & obſtupeſcet: Audiet ille, Clementem V. ſe angelorum atque hominum Dominum ac Regem, Bonifacium VIII. ſeſe Dominum totius mundi in corporalibus & ſpiritualibus, appellaſſe. Quare titulos *Sanctiſſimæ majeſtatis, Sanctiſſimi Patris &c.* ſibi vendicant, qui non niſi Deo & Chriſto competunt. Præcipue autem cultus talis huic *crocodilo myſtico* exhibetur in Ægypto πνευματικῇ i. e. Antichriſtianiſmo & regnis ipſi adhærentibus.

XVI. Hinc colligere licet, quantæ fuerit neceſſitatis, ut veræ Eccleſiæ membra ex hac Ægypto myſtica exirent, quum tanta in eadem ingraveſceret idololatria. Hinc patet, quantas merito gratias divinæ

providentiæ debeat Eccleſia Proteſtantium, quod ab hujus idoli dominio atque cultu liberata ſit. Sed optandum eſſet, ne ſupereſſent in Eccleſia externa, qui *crocodili* naturam fovent & peſſimas hujus beſtiæ qualitates imitantur. Non ſolum tot *doctores carnales*, qui dominatum in conſcientias adfectant & ſuis litant affectibus; qui dominantur gregi, minime vero, ut decet, ipſi humilitatis exemplar præbent. Qui in *terra marique* degunt, i. e. favorem hominum ſectantur, cum impiis impie, cum probis probe, converſantur; qui gratiam cum natura, mundum cum communione Dei conjungere ſatagunt, quæ tamen infinito hiatu diſtant. Qui *oculis igneis* præditi, i. e. calliditate mundana inſtructi, ſed ſimplicitate chriſtiana deſtituti ſunt, & oculos habent plenos voluptatum & concupiſcentiarum. Qui *rictum* inſtar ſepulcri aperiunt, ad famam proximi abolendam, & dentes ſæpe lividos contra veros Dei ſervos, aut animas Deum ſincero corde amantes, ſtringunt, utpote quorum ſanctam converſationem & lucem tolerare nequeunt. Qui *poteſtates* hujus mundi ſectantur, earum captant favorem, ſicque ſuam per eas fulcire auctoritatem carnalem ſatagunt. Qui *pectus* ſæpe cauterio quaſi reſectum gerunt, tot præjudiciis contra convictiones conſcientiæ ac veritatis ſeſe *armantes*. Qui *tot animas* incautas miſere ſecum *decipiunt* & neci æternæ ſubjiciunt. Qui in *arundinetis* hujus mundi & vanarum imaginationum ſeſe abſcondentes, dolos ac concupiſcentias ſuas tegere coram mundo allaborant. Verum væ falſis prophetis! quia mors eos crocodili inſtar *hamo* ac *reti* ſuo lethali ex *aquis* concupiſcentiarum aliquando extrahet, qui ex arundinetis ſuis aliquando per angelos in lucem protrahentur coram oculis Judicis ſeveriſſimi, & tanquam præda æterna Draconi infernali per juſtum Dei judicium objicientur Apoc. XX, 10.

Verum enim vero in Eccleſiæ quoque membris quam plurimis tot *crocodili* qualitates detegimus. Quotne ſuperſunt confeſſores externi, qui neglecto Chriſtianorum κειμηλίῳ ſc. humilitate, *faſtu* cordis elato Deo obnituntur? Quot hypocritæ, qui *terra marique* vivere queunt, qui ululant cum lupis, cum quibus converſantur? Proh! chriſtiani nominis dedecora! homines, qui cognitionis modulo haud vulgari imbuti, veritates Evangelii ore ſuaviſſimo atque modo plane ſingu-

gu-

gulari ad convictionem proferre queunt, & in conſortio impiorum, in ſcamnis irriſorum, horrendas atque abominandas eodem ore ſæpe evomunt confabulationes, imo Deo ejusque Evangelio, in aliorum favorem ac oblectamentum illudere ſciunt. Proh! plus quam *crocodileam hypocriſin* variorum, qui cum cor durius adamante gerant & induratum plane, tamen lacrymas falſas, quotiescunque ratio concupiſcentiarum poſtulat, effundere ſciunt! Quorum *oculi* non niſi vana reſpiciunt & concupiſcentias carnis ſectantur. Quorum *deſideria* non niſi vanis hujus orbis divitiis *inhiant*. Qui contra quævis convictionum *tela*, ſive per præconium Evangelii in eos excusſa, ſive Dei manu ſublimi inflicta, ſe muniunt præjudiciis ſuis, & caſtigari atque vulnerari ad ſalutem renuunt, ſed potius ſeſe indurant inſtar petræ. Jer. V, 13. Qui in *arundincto* hujus orbis ſecuri latent, in eodem confidunt, non cogitantes arundinem coram procellis ac flammis ſubſiſtere non poſſe. Lateant ibi tuto, abſcondant ſe hoc tempore coram oculis Dei ſecundum vanam perſuaſionem; Mors ſane deprehendet eos ſecure latentes, illa reti ſuo facile eos attinget, & hamo ſuo lethali protrahet. Satanas ſane illos laqueis ſuis irretitos ad abyſſum cum deſperatione æterna aliquando capturus eſt.

O utinam per *piſcatores* myſticos, hoc gratiæ tempore, reti Evangelico ſe ex concupiſcentiarum fluvio extrahi paterentur, atque crocodili naturam deponere diſcerent tot miſeræ animæ, concupiſcentiarum aquis, inſtar piſcium innatantes; utinam naturam ſuam feram & corruptam per gratiæ ſalutaris efficaciam infringi ſerio deſiderarent.

Beati, qui reti Evangelii ex *mari* hujus mundi protracti, inque bonorum *piſcium* numero exiſtunt, qui gratum Deo cibum per fructus obedientiæ ſalutaris exhibent. Nec Satanas nec mundus quicquam in eos dominii habet, a laqueis enim ac retibus hisce per Dei gratiam liberati ſunt. Et quando *mors rete* ſuum expandet, colligetur anima ipſorum per angelos in ſinum Abrahæ. Luc. XVI, 22.

EXERCITATIO VIII.
DE
PISCATORIBUS
MYSTICIS.
EZECH. XLVII, 10.
ARGUMENTUM.

Locus Ezech. XLVII, 10. *excutitur quoad ſenſum myſticum. §. I. PISCATORES emblema eſſe tum hoſtium Eccleſiæ, tum etiam Doctorum ejus probatur §. II. Analogiæ inter Doctores Eccleſ. & piſcatores exhibentur. Quoniam homines ſunt rudes & contemti piſcatores. §. III. maxime tamen laborioſi & tempeſtatum omnium patientes. §. IV. prudentia quoque atque ſagacitate ad fallendos piſces præditi §. V. Vigiles noctu diuque exiſtunt, & ſæpe per totam noctem piſcantur. §. VI. Interdum leve & inane extrahunt rete, nonnunquam vero grandibus & parvis piſcibus repletum. §. VII. Inſtrumenta piſcatorum præcipue erant retia, quæ expandebant. §. VIII. Nec non hami & unci, quos eſca condebant. §. IX. & ſcapha ſæpius parva per fluvios & mare trajiciunt piſcaturi. §. X. in primis notantur urinatores & margaritarum piſcatores. §. XI. Singularis quoque Piſcatorum olim ordo & corpus erat, quod certis legibus adſtrictum erat. §. XII. Denique additur mos retia conſecrandi Dĳs & prædam captam in ſacrificium offerendi a piſcatoribus. §. XIII. Quæ omnia epilogo morali ornantur. §. XIV.*

I.

Inſignis eſt, quæ Eccleſiæ poſteriorum temporum contigit, promiſſio Ezech. XLVII, 10. יעמדו עליו דוגים מעין גדי ועד עין עגלים משטות לחרמים *Stabunt piſcatores ab Engeddi usque ad Eneglaim, expandendo retia ſua. Engeddi* vel *Engadda*, ut PLINIO dicitur & JOSEPHO, eadem quæ 2 Paral. XX, 2. חצצון־תמר i. e. *tentorium palmarum*, ab ADRICHOMIO & aliis habetur: Sitam eam eſſe in præru-

ruptis & horridis montibus, qui quaſi ruinam minantur, unde nomen עין גדי *fons capri* ortum Cel. BOCHARTUS cum aliis ſuſpicatur, quia ſic inſignis fons ex ejus montibus, qui ſolis quaſi capreis pervii, profluxerit. *Aromatibus* autem & *balſamo* feracia erant hæc montana Engeddi, teſte *Brocardo*, *Adrichomio*, *Hieronymo*, & aliis, confer. Cl. ZORN. *in Opuſc. T. II. p. 458. ſq.* Sita erat hæc regio juxta mare mortuum. *En-Eglaim* ſ. Engallim vicus ſeu urbs erat itidem ad mare mortuum ſita, ubi ſc. Jordanes ſe in mare exonerat. Ergo *duplex hic terminus* ſitus erat ad *mare mortuum*, ubi piſcatores retia ſua erant expanſuri. Quum *Piſcatores*, ut illico demonſtrabimus, ſymb. ſint Doctorum Evangelii, qui rete veritatis per præconium expandunt ad capiendas animas; *mare mortuum* commodum *Antichriſtianismi* ſymb. eſſe poteſt, quum Antichriſtus beſtia e *mari aſcendens*, & *mors* quoque in ſcriptis ſacris prophetarum audiat. Ergo juxta ſenſum hujus vaticinii, piſcatores Evangelici ultimis temporibus, animas quoque varias ex mari mortuo Antichriſtianismi extrahent ac convertent, eadem ratione, qua piſces ex *mari magno* i. e. Gentiliſmo capient atque allicient.

II. PISCATORES Symb. ſunt

a. *Hoſtium* & *hominum* callidiſſimorum. Sic Jehova Amos IV, 2. minatur: *quod Iſraelem tollere uncis, & poſteritatem hamis piſcatoriis extrahere velit.* Adde Ezech. XXIX, 3. 4. ubi Pharaoni tanquam *crocodilo* idem denuntiatur judicium; nec non Hab. I, 14. 15. *Et facere homines velut piſces maris; quotquot ſunt, extrahit hamo, congregat illos plagis ſuis & reti ſuo concludit.* Ezech. XII, 13. *Expandam rete meum contra eum, & capietur ſagena mea.* conf. Cap. XVII, 20. Cap. XXXII, 3. De homine callido quoque adhibet LUCIAN. *in mort. dialogis. p. m. 263. Opp. T. I.* οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτόν σε τὸν ἁλιέα, ὥςε σόφισμα κατὰ σαυτοῦ συντέθεικας. *Imo non modo (eſcam cum hamo) quin te quoque piſcatorem ſimul abſtulit. Itaque technam iſtam in tuum ipſius caput ſtruxeras.* Adde LUCIAN. *in Piſcator. p. 183. 185. & paſſim. opp. Tom. III.* Quare & *Diaboli* ac *mortis* apud antiquos Patres emblema *piſcator* eſt. Ita CYRILL. ALEXANDR. apud SUICER. *Theſ. T. II. p. 922.* Ὁ Σατανᾶς τὸ τῆς ἑαυτοῦ δυςροπίας λῖνον καθευρύνει πανταχοῦ, καὶ σαγηνεύει εἰς πλάνησιν τὴν ὑπ' οὐρανόν. *Satanas ſuæ malignitatis rete ubique expandit & orbem ter-*

ra-

rarum erroris ſagena includit. & BASILIUS SELEUC. *orat. de Jona* apud eundem de Enocho ſcribit: Ἐνὼχ ἔμενεν ἔξω τῆς τȣ̃ Θανάτȣ σαγήνης. *Enoch extra mortis ſagenam manſit.*

b. In ſpecie autem de *Doctoribus* Evangelii adhibetur hoc emblema, veluti Jer. XVI, 61. *Ecce mittam piſcatores multos, qui piſcabuntur eos;* quod nonnulli interpretes de hoſtibus Judæorum, qui illos piſcium inſtar ex terræ ſuæ dominio in naſſas ſuas concluderent, intelligunt, melius autem de piſcatoribus myſticis N. T. qui eos reti Evangelii in Eccleſiæ veræ communionem erant attracturi, intelligi, nexus ſuadet; adde Luc. V, 10. Quare Apoſtoli a Salvatore ΑΛΙΕΙΣ ΑΝΘΡΩΠΩΝ appellantur Matth. IV, 19. Et præconium Evangelii cum *ſagena ejecta* ad capturam piſcium comparatur Matth. XIII, 47. Plurima hanc in rem Patrum loca exſtant a SUICERO, GRABIO aliisque collecta. Quare Chriſtus ipſe a THEODORETO *ep. 76.* nec non CLEMENT. ALEXANDR. *in hymno Lib. III.* Pædag. ἁλιεὺς appellatur:

Ἁλιεῦ μερόπων	*Piſcator hominum,*
Τῶν σωζομένων.	*qui ſalvi fiunt.*

Quare Judæis obſervante Cel. LIGTFOOTHO atque ex eo Cl. LAMPIO *in Joh. T. I. p. 13. præf.* דייגי תורה *piſcatores legis* audiunt Doctores, & apud PETRON. Magiſtri eloquentiæ cum *piſcatoribus* comparantur, conf. de h. l. BARTH. *adverſ. Lib. CXLIII. p. 17.* Simili ratione hanc metaphoram de ſermonibus convincentibus adhibet LUCIAN. *Hermot. p. m. 267.* ȣ̓ μανδάνω τί σοι τὰ δίκτυα ταῦτα βȣ́λεται· ἀτεχνῶς γάρ με περιβάλλεις αὐτοῖς. *Non intelligo, quid iſta ſibi velint retia, plane tamen iisdem me irretitum involvis.* Quemadmodum *piſces* hominum emblema ſunt, vide Cel. LAMP. in *præfat. in Joh. T. I. p. 13. in not.* ita *Jonathan quoque ad Gen. XLVIII, 16.* ſcribit: והיכמא דכוורא ימא סגי מסתגי במיא כדין בנוי בנוסף יתקפון לסגי בגו ארעא *Et ut piſces maris in aquis multiplicantur, ita filii Joſeph in medio terræ multitudine invaleſcent.*

III. Quam elegantiſſime hoc emblema Doctoribus Evangelii conveniat, ex analogiis patebit.

1. *Piſcatores* olim hodieque plerumque homines ſunt pauperes, contemti & idiotæ coram mundo. Huc reſpicit VIRGIL. *Lib. XII. v. 517.* *piſca-*

- piſcoſæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus.

Et OVID. *Metam. Lib. III. v. 586.*

Pauper & ipſe fuit, linoque ſolebat & hamo
Decipere & calamo ſalientes ducere piſces.

Et STAT. *Theb. Lib. VII. v. 70.*

Vixerat ille diu pauper, ſcrutator aquarum.

conf. BURMAN. *ad l. Ovid. & Barth. ad Stat. l. c.* Idem docent *Alciphronis* epiſtolæ, *Theocritus*, *Oppianus halieut.* & alii. Quare ars piſcatoria ſervorum olim erat conditio adeoque ſat vilis, vide PIGNOR. *de Serv. p. m. 268.* VARR. *Lib. III. de re ruſt. cap. ult.* Quo refer inſcriptionem apud GRUTER. *Theſ. pag. DCXLI. n. 11.* in domo Potelii:

C. FLAVIUS.
ROM.
PISCATOR.

Optime hoc convenit Doctoribus Evangelii, qui pauperes, miſeri ac contemti in oculis mundi habentur; quemadmodum & ſapientiæ Salvatoris noſtri placuit olim homines piſcatores, contemtæ atque exiguæ ſortis, ad præconium veritatis vocare, eosque ἁλιεῖς ἀνθρώπων conſtituere; ut doceret, regnum ſuum, quod ipſi erant annuntiaturi, non eſſe hujus mundi, & paucos nobiles atque potentes coram mundo eſſe vocatos. 1. Cor. I, 26. 27. Non enim quærunt terreſtria ſed cœleſtia, non reſpiciunt viſibilia ſed inviſibilia 2 Cor. IV, 18. Sunt *ſervi* Dei ejusque mancipia, emta pretio ſanguinis Domini ſui, qui non ſuam ipſius, ſed Domini gloriam atque opus promovere ſtudent, & ab ejus mandatis pendent. Jer. I, 7. 1. Cor. IV, 1. Cap. II, 1. 2.

IV. 2. Piſcatores maxime *laborioſi* ſunt, atque *tempeſtates* omniaque pericula *exantlantes.* Quare LUCIAN. *mort. dialog. Tom. III. opp. p. 37.* ſcribit: Βιὸν δὲ ἄπορον ἀπὸ καλάμȣ καὶ ὁρμίας εἶχον. *Vitam admodum difficilem egi, arundine & lino victum quærens.* Similiter PHILE *de animal. propr.* cap. 79. v. 19.

Ἀλγεῖ δὲ πικρῶς ὁ σφαγεὺς τὴν καρδίαν,
Ἕως τὸ λυπȣ̃ν τῆς λαβῆς ἀποσπάσῃ.

U Mul-

Multumque piſcator laboris devorat,
Donec revellens implicatam liberet.

Et eleganter idem exprimit OPPIAN. ἁλιευτ. α. v. 35.

Τλησιπόνοις δ' ἁλιεῦσιν ἀτέκμαρτοι μὲν ἄεθλοι,
Οὐ γὰρ ἀκινήτου γαίης ὕπερ ἀθλεύουσιν,
Ἀλλ' αἰεὶ κρυερῷ τε καὶ ἄγρια μαργαίνοντι
Ὕδατι συμφορέονται.

Tolerantibus vero laborum piſcatoribus improviſa quædam ſunt certamina, non enim immobilem ſuper terram decertant, ſed ſemper horridaque & indomitum furenti aqua circumaguntur.

Idem evenit & accidit piſcatoribus myſticis, qui laboribus indefeſſi cinguntur, non ſuam ſolum ſed & aliarum animarum ſalutem cum tremore κατεργάζοντες Phil. II, 12. 1 Theſſ. II, 9. Eleganter exprimit hoc Apoſtolus 2 Cor. VI, 4. 5. 6. 7. *Sed in omnibus nos approbantes, ut ſervos Dei, in tolerantia multa, adflictionibus, anxietatibus atque calamitatibus; In verberibus, carceribus, in exagitationibus, in laboribus, vigiliis atque jejuniis &c.* Et de ſe ipſo ſcribit Cap. XI, 26. 27. 28. *In periculis exſtiti maris, latronum, inter gentes, inter gentiles meos, in civitatibus, in ſolitudine &c. In laboribus & ærumnis, in vigiliis, in fame, in ſiti & jejuniis, in frigore & nuditate.* Quare cum *operariis* in vinea domini, ac *meſſoribus*, diei æſtum tolerantibus, cum *paſtoribus*, noctu diuque vigilantibus, cum *agricolis* & bobus agrum difficili labore colentibus &c. comparantur Matth. XX, 12. 1. Cor. IX, 9-11. Et toties *labor* πόνος, κόπος, ἔργον, tribuitur Evangelii miniſtris, vide 1 Tim. V, 17. IV, 10. 1 Theſſ. V, 12. II, 9. Phil. II, 16. Col. I, 29. 1 Cor. XV, 10. 1 Theſſ. III, 5.

V. 3. *Prudentia* atque *ſagacitas* quoque requiritur in piſcatoribus, ut certum *tempus* obſervent & curſum piſcium norint, quaudo retia projiciunt. Huc pertinet locus PLUTARCHI *de ſolert. animal. p. 976.* a Cel. LAMP. *in Joh. l. e. cit.* τὸ τῆς ἄγρας ἔργον οὐδὲ φαῦλον, ἀλλ' ὀργάνων τε παντοδαπῶν καὶ σοφισμάτων ἐπ' αὐτὰ δεινῶν καὶ ἀπατηλῶν δεόμενον ἀπείργασαι. *piſcationis opus non ſimplex aut expeditum eſt, & varia inſtrumenta & omnis generis artes atque dolos requirit.* Unde & PHILE *de anim. propr. c. 89. v. 1.*

Ὅταν

Ὅταν ἁλιεὺς ἐκτίναξας τὸν δόλον
Ὑποσπάσῃ μώραιναν.
In rete cum piſcator artibus doli
Muranulam forte egit.

& cap. 90. v. 1.

Πανοῦργος ἐστὶ τὴν φύσιν ἡ σηπία,
Τῶν θηρατῶν κλέπτουσα τὴν κακουργίαν.
Eſt verſipellis ſepiæ & vafra indoles
Piſcantium qua callide eludit dolos.

Tempus capiendi piſces optimum circa ſolis ortum & occaſum eſſe a piſcatoribus obſervandum ARISTOTEL. *Hiſt. anim. Lib. VIII. cap. 19. p. m. 246.* judicat, ſcribens: ἁλίσκονται δὲ μάλιστα οἱ ἰχθύες πρὸ ἡλίου ἀνατολῆς, καὶ μετὰ τὴν δύσιν· ὅλως δὲ περὶ δυσμὰς ἡλίου καὶ ἀνατολάς, οὗτοι γὰρ λέγονται εἶναι ὡραῖοι βόλοι. *Capiuntur autem maxime piſces ante ortum ſolis & poſt occaſum; plene autem circa ortum & occaſum ſolis. Tempeſtivi hi dicuntur eſſe retium jactus.*

Idem obſervandum eſt doctoribus Evangelii, qui ſapientia non humana ſed cœleſti inſtructi piſcaturam myſticam exercent, huc refer Prov. XI, 30. *Qui capit animas*, inſtar piſcatoris myſtici, *eſt Sapiens.* Quemadmodum primi doctores & præcones ſingulari eam ob cauſam ſpiritus ſapientiæ & prudentiæ menſura inſtruebantur Act. VI, 3. 10. 1 Cor. II, 1. 4. 6. 7. XII, 8. 2 Cor. I, 12. quæ omnibus quoque præconibus valde eſt neceſſaria Col. I, 28. Jer. III, 15. Obſervent oportet tempus gratiæ & longanimitatis, quod Deus peccatori concedit, ut durante illo, animas Deo adducere laborent. Præcipue quando *ſol juſtitiæ* per convictiones in pectore peccatoris oriri incipit, vel quando lux convictionum exſtingui videtur. Præterea obſervamus quoque circa *ſolis juſtitiæ ortum*, initio N. T. & ejus quaſi in hac Eccleſia militante *occaſum*, ultimis temporibus N. T. largiſſimam piſcium myſticorum capturam fuiſſe atque adhuc inſtare, quæ tempora ultima locus noſter Ezech. XLVII. reſpicit.

VI. 4. *Vigilia* quoque requiritur in piſcatoribus, quoniam per *totam* ſæpe *noctem* piſcaturæ inhærere eos oportet. Quemadmodum Petrus Luc. V, 5. teſtatur, *per totam noctem piſcatura defatigati ſumus.*

Et Joh. XXI, 3. *per totam noctem nihil ceperunt.* Huc reſpicit OPPIAN. *αλιευτικ. Lib. III. v. 44. ſq.*

> Τολμήεις δὲ μάλιςα ἄτρομος, ἠδὲ σαόφρων
> Εἴη, μηδ᾽ ὕπνου φιλέων κόρον. ὀξὺ δὲ λεύσσοι
> Ἐγρήσσων κραδίη τε καὶ ὄμμασι πεπταμένοισιν.
>
> *Audax vero maxime & imperterritus, atque temperans ſit, neque ſomni amans ſatietatem, acute vero videat vigilans & corde & oculis apertis.*

Quare per totam noctem ſæpius invigilando defatigantur, velut NONN. *in paraphr.* Joh. XXI. canit de Petro;

> \- - ἐννύχιον δὲ
> Οὐδὲν ἁλιτρύτῃσι δυνήσατο χερσὶ πιέζειν
> Ἑσμὸς ἅπας. καὶ πυκνὰ παλιμπετὲς ἄχνυτο Σίμων.
>
> *Per noctem vero nihil in mari laborantibus potuit manibus capere cœtus omnis, & crebro identidem moleſtiis defatigabatur Simon.*

Idem eſt præconum Evangelii officium, qui noctu diuque gregi invigilare tenentur; quare vocantur vigiles, qui nec per totam noctem quieſcunt Jeſ. LXII, 6. noctuque diuque inſtant atque perſeverant in admonitionibus non ſine lacrymis Actor. XX, 31. noctu diuque in precibus pergunt. 1 Theſſ. III, 10. Quemadmodum & adverſo & proſpero Eccleſiæ tempore, in præconio veritatis & retis ſui jactura haud ſocordes exiſtunt. 2 Theſſ. III, 8. præprimis autem nocte judiciorum Dei ingruente, ſagenam projiciunt, ut tremore ſupremi Numinis perculſos attrahant in ejus communionem. Veluti etiam ultima Eccleſiæ veſpera quamplurimi retia ſua expandent non ſine egregia benedictione, ingentem Deo copiam piſcium myſticorum concludentes, quia tunc ex *mari mediterraneo ſ. magno* gentium & *mari mortuo*, Antichriſtianiſmi, piſcium ingens copia extrahenda erit, uti docemur ex loco noſtro Ezech. XLVII, 9. 10.

VII. 5. Non animo deſperat piſcator, licet ſæpius *leve & inane* extrahat rete atque nihil capiat, ſed nova ſpe fretus novam jacturam inſtituit. Non nunquam triſtis inane rete extractum intuetur; interdum

dum tamen lætus ſagenam piſcibus variis, *magnis & parvis* repletam extrahit.

De fruſtranea piſcatorum opera vide loca citata ex ſacris Luc. V, 5. Joh. XXI, 3. & quæ canit PHILE *de anim. propr. c. 89. v. 4.*

Ἡ μὲν γὰρ εὐθὺς ἀπὸ μετρίας πόρου,
Διεξέδυ σώζουσα καὶ τὰς συννόμους,
Ὁ δέ βλέπων ἔστηκε τὸν βρόχον μάτην.
Elapſa namque per foramen parvulum,
Secum cohortem liberat ſodalium,
At ille (piſcator) *fruſtra ſtans ſagenas aſpicit.*

Idem exprimit LUCIAN. *in Hermot. p. m. 267.* ὥσπερ οἱ ἁλιεύοντες, πολλάκις καθέντες τὰ δίκτυα, καὶ βάρους τινὸς αἰσθόμενοι, ἀνέλκουσιν ἰχθῦς παμπόλλους γε περιβεβηκέναι ἐλπίζοντων, εἶτα ἐπειδὰν καμῶσιν ἀνασπῶντες, ἢ λίθος τις ἀναφαίνεται αὐτοῖς ἢ κεράμιον ψάμμῳ σεσαγμένον. *Quemadmodum hoc ſæpius piſcatoribus uſu venit, qui cum in capturam retia ejecerint & aliquid grave & ponderoſum ſenſerint, attrahunt rete, ſperantes piſcium copioſam multitudinem eſſe concluſam. Dein delaſſatis nimium, aut ingens lapis aut vas arena refertum præter ſpem illis apparet.* Similiter MARTIAL. *Lib. X. ep. 37.* canit.

Dum loquor ecce redit ſporta piſcator inani.

Adde loca a PRICÆO ad Luc. V. cit. adducta. Sæpius tamen læti concluſam extrahunt multitudinem piſcium. Joh. XXI, 6. Quemadmodum quoque NAZIANZENUS canit:

καὶ νεπόδων ἕλκουσαν ἅπαν γένος ἐξ ἁλὸς ἄρκυν.
Et ingentem piſcium pedibus carentium varii generis multitudinem mari extraxerunt.

Et ÆLIAN. *de animal. Lib. XII. cap. 43.* καὶ ἡ μὲν δικτυεία, πλουτοφόρος καὶ ἔοικεν ἁλισκομένῳ στρατοπέδῳ, καὶ αἱρουμένοις αἰχμαλώτοις τισί. *Piſcatio, quæ retibus peragitur, ſæpe ditare poteſt piſcatores propter copioſam capturam, qua piſces plurimi, ut occupatis caſtris captivi, in eorum poteſtatem veniunt.*

Idem haud raro evenire ſolet præconibus Evangelii; Nonnunquam retia ſua fruſtra ejiciunt, ut exclamare teneantur Jeſ. LIII, 1. *Domine, quis eſt, qui fidem adhibet præconio noſtro, & cui revelatur brachium*

Jehovæ. Sæpe iterum perdunt aut amittunt, quæ laboraverant 2 Joh. v. 8. Quod idem expertus eſt ſummus noſter Salvator in diebus carnis, quare regiones, in quibus fruſtra rete præconii veritatis & reſipiſcentiæ expanderat, increpat. Matth. XI, 20. 21. Quod & Judæis exprobrat Apoſtolus Act. XIII, 45-47. conf. 2 Cor. IV, 3-5. Nihilominus tamen præter ſpem quoque interdum copioſam concludunt multitudinem, qualem olim Petrus in die Pentecoſtes coëgit, prima vice rete præconii projiciens Act. II, 39-41. quod etiam ultimo N. T. tempore accidet, quando piſcatores nova Spiritus S. & prudentiæ menſura inſtructi, larga benedictione labores & moleſtias ſuas propter præconium Evangelii coronatos experientur, quoniam ex omnibus populis ingens in Eccleſiæ ſinum multitudo colligetur, vide Jeſ. XLIX, 18. 21. 22. Jeſ. LX, 3. 4. 20. 21. Apoc. XXI, 24. Pſ. LXXII, 10. Jeſ. XXVII, 12. 13. Zach. X, 9. 10.

VIII. 6. Piſcatores variis olim utebantur inſtrumentis; plerumque *ſagenas* ſeu *retia* expandebant per fluvios, illisque piſces captos extrahebant; quo in loco noſtro reſpicitur, quando piſcatores שטחי לחרמים *retia expandentes* deſcribuntur. conf. etiam Ezech. XXVI, 5. ubi eadem phraſis occurrit. Jeſ. XIX, 8. dicuntur פרשי מכמרות *expandentes retia.* Et Hab. I, 15. חרם ומכמרות *retia & ſagenæ*, quibus colligendi homines inſtar piſcium, memorantur. In N. T. leguntur: *βάλλειν ἀμφίβληστρον*, Marc. I, 16. & *χαλᾶσαι τὰ δίκτυα.* Luc. V, 4. *βάλλειν δίκτυον* Joh. XXI, 6. Similiter HESIOD. *in ſcut. Herc. v. 714.* canit:

> Ἧστο ἀνὴρ ἁλιεὺς δεδοκημένος, εἶχε δὲ χερσὶν
> Ἰχθύσιν ἀμφίβληστρον, ἀπορρίψοντι ἐοικώς.
> *Sedebat vir piſcator obſervans, habebat autem manibus piſcium rete, projecturo ſimilis.*

Et PHILE *de anim. propr. cap. 74. v. 1.*

> Τὶς ἀγεληδὸν συμπεσόντας τοὺς σκάρους
> Ἐις πλεκτὸν ἀμφίβληστρον ἐξ οἴστρου βλέπων.
> *Quis incidentes in ſagenæ vincula*
> *Videns ſcaros, amoris œſtro percitos.*

Quemadmodum vox חרם quod in loco noſtro occurrit, etiam a Targu-

gumiſtis hoc ſenſu adhibetur, quando ſcribunt: כלהין דמו לצידין דאחיד נונא בחכתא כניש ליה בחרמיה *Omnes illi ſunt ſimiles piſcatoribus, quorum ſinguli capiunt piſcem hamis ſuis & colligunt illum in rete ſuum. Vid. Cel. HARENB. in Hab. I, 16. Muſ. Brem. Vol. II. p. 60.*

Rete ergo piſcatorum figuram exhibet Evangelii ejusque præconii. Ex quot filis enim *rete* conſuitur, quæ ſingulari arte connectuntur invicem a piſcatoribus, ut ita medium capiendi piſces exiſtant, ex tot veritatibus cœleſtibus, catenatim cohærentibus, conſtat *εὐαγγέλιον σωτηρίας*, quæ per præconium ita connectuntur, ut peccatori omnis quaſi anſa elabendi præripiatur. Hoc expandunt & projiciunt miniſtri Evangelii in mare hujus mundi, annuntiantes omnibus medium ſalutis, cujus ope ex concupiſcentiis mundi carnisque extrahi queant. 2 Cor. V, 20. Rom. XV, 18. 20. 2 Cor. X, 5. Et uti piſcator in obſcurum aquæ fundum projicit rete; ita præcones Evangelii ſagenam Evangelii in profundum pectoris emittunt, neſcii quosnam ex perverſa progenie excipiant aut extrahant.

IX. 7. Inſuper *arundine* & *unco* olim utebantur piſcatores, cui *eſcam* ad piſces alliciendos injiciebant. Quemadmodum Jeſ. XIX, 8. משליכי ביאור חכה *projicientes in flumina hamum.* Et Amos IV, 2. צנות סירות דוגה *aculei & hami* ſeu unci *piſcatorum.* Et Hab. I, 15. denuo חכה, memorantur. Huc reſpicit TIBULL. *Lib. II. el. 7.*

Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces,
Quum tenues hamos abdidit ante cibus.

Nec non LUCIAN. *in Mort. dialog. p. m. 263.* καὶ νῦν Ἑρμόλαος ἔχει τὰ μὰ, ὥσπερ τις λάβραξ, καὶ τὸ ἄγκυστρον τῷ δελέατι συγκατασπάσας. *Et nunc Hermolaus mea poſſidet, lupi cujuspiam in morem ipſo hamo cum eſca pariter avulſo.* conf. & eundem de *Mercede conduct. p. m. 307. & 336.* ubi τοῦ ἀγκίστρου τὸ ἄγκυλον, καὶ τὴν ἐς τὸ ἔμπαλιν τοῦ σκόλοπος ἀναστροφὴν, *unci æris aculeum & reflexam hami aciem* memorat. Exprimit idem HOMER. *Odyſſ. Lib. XII.*

Ὡς δ' ὅτ' ἐπὶ προβόλῳ ἁλιεὺς περιμήκει ῥάβδῳ
Ἰχθύσι τοῖς ὀλίγοισι δόλον κατὰ εἴδατα βάλλων,

Ἐς

Ἐς πόντον προίησι βοὸς κέρας ἀγραύλοιο,
Ἀσπαίροντα δ' ἔπειτα λαβὼν ἔρριψε θύραζε.
Quemadmodum quoties in ſcopulo piſcator longa virga
Piſcibus exiguis dolum per eſcam immittens,
In Pontum dimittit bovis cornu agreſtis,
Palpitantem autem deinceps correptum foras projicit.

Vide & PHILOSTRAT. *Icon. Lib. I. in piſcat. OVID. Metam. Lib. XIV. v. 651.* alios.

Similes hac in re piſcatoribus ſunt proceres Evangelii, qui per convictiones ſerias verbi Divini, (quod eſt gladius biceps Heb. IV, 12. & *aculeorum* inſtar clavisque infixis ſimile Eccl. XII, 11.) animarum conſcientiam vulnerare, atque attrahere in communionem veræ Eccleſiæ ſtudent. Eum in finem convictiones atque admonitiones ſuas dulciſſimis promiſſionibus Evangelii inſtruunt, quibus animas alliciunt. Hoſ. II, 14. 2 Cor. V, 19. 20. Matth. XI, 28. 29. Jeſ. LV, 1. 2. 3. Et quando animæ reſipiſcentis appetitum excitarunt, convictionum aculeis eas quaſi ex volutabro concupiſcentiarum ſuarum, palpitantes ac trementes, eripiunt atque extrahunt. conf. Jud. v. 23. Col. I. 13. 21. 22.

X. 8. Eum in finem piſcatores in maris periculo varia ſuſtinere, & levi cymba, nautarum inſtar, aquis ſe credere tenentur. Sic de Æthiopibus ſcribit NEARCH. *in parapl. p. 17. ὀλίγοισι γὰρ καὶ πλοῖα, ἐπὶ τῷ δὲ πεποίηται, καὶ τέχνη ἐξεύρηται ἐπὶ τῇ θήρῃ τῶν ἰχθύων. Pauci enim ſcaphas habent in hunc uſum, & artem piſces capiendi norunt.* De Xerxe ſcribit JUSTINUS *Lib. II. cap. XIII. ubi cum ſolutum pontem hybernis tempeſtatibus offendiſſet, piſcatoris ſcapha trepidus trajecit.* Et de piſcatoribus canit OPPIAN. *ἁλιευτικ. I. v. 41.*

Δούρασι δ' ἐν βαιοῖσιν ἀελλάων θεράποντες
Πλαζόμενοι, καὶ θυμὸν ἐν οἴδμασιν αἰὲν ἔχοντες.
Lignis vero in exiguis procellarum famuli
Errabundi & animum in fluctibus ſemper habentes.

Huc refer quæ leguntur in inſcriptione antiqua apud GRUTER. *p. CCCXCI. n. I.* SPORTULÆ. VIRITIM. DIVIDANTUR. PRÆSERTIM. CUM. NAVIGATIO. SCAPHARUM. DILIGENTIA. EIUS. ACQUISITA. ET. CONFIRMATA. SIT. EX. DECRETO. ORDINIS, PISCATORUM.

Et

Et Præcones Evangelii theſaurum ſuum, quo animas alliciunt & lucrantur, gerunt in vaſis ſolummodo teſtaceis, ut potentia non ipſorum ſed Dei ſit 2 Cor. IV, 7. Variis in navigatione hujus vitæ & muneris ſui periculis exponuntur, quas recenſet Apoſtolus 2 Cor. VI, 4. 5. 8. 9. 10. Variis haud raro perſecutionum tempeſtatibus & fluctibus obruuntur, dum retia ſua in mare hujus mundi ejiciunt, piſcaturi animas. 2 Cor. XI, 27. 28. Semper tamen tanquam nautæ periti venti i. e. Spiritus S. operationes obſervant, & ſecundum ejus ſpiracula curſum ſuum dirigunt & jacturas retium inſtituunt. Jer. I, 7. Ezech. I, 12.

XI. 9. Nonnulli piſcatores quoque ſimul erant *Urinatores*, in profunda aquæ & maris deſcendentes, atque *margaritas* inde colligentes. De his BENJAMIN TUDEL. *in Itiner. p. 231.* באין שם שני בני ארם לקרקע הים בחבלים ומלקטים את השרצים ההם ומוציאין אותם מבקעים וצוציאים מתוכם אבנים הללו *Duo ibi homines per funes ſe in medium maris demittentes, reptilia colligunt, diffindunt & ex iis lapides margaritarum extrahunt.* Similiter apud ATHENÆ. *Deipnoſ. Lib. III. p. m. 93.* legitur: Ἰσίδωρος δ᾽ ὁ Χαρακηνὸς ἐν τῷ τῆς Παρθίας περιηγητικῷ κατὰ τὸ πέρσικον πέλαγος νῆσόν φησιν εἶναι τινὰ, ἔνθα πλείστην μαργαρίταν εὑρίσκεσθαι. Διόπερ σχεδίας καλαμίνας πέριξ εἶναι τῆς νήσου. ἐξ ὧν καθαλλομένους εἰς τὴν θάλασσαν ἐπ᾽ ὀργύιας εἴκοσιν, ἀναφέρειν διπλοῦς κόγχους. *Iſidorus Characenus in deſcriptione Parthiæ ſcribit: Perſici maris inſulam quandam eſſe, in qua uniones plurimi reperiantur, ideoque per illius ambitum caſas ex arundine temporarias exſtrui, ex quibus deſiliant* (urinando) *in mare ad ulnas viginti, conchas tantum duplices reportaturi.* Vide etiam MANIL. *Lib. V.* & SALMAS. *in Plinian. ad Solin. p. m. 1171.* & quæ nos adnotamus in *Embl. Sacr. Vol. II Exerc. X. Lib. IV. p. 553.* Huc refer inſcript. ap. GRUTER. *p. CCCLIV. n. I.* FL. ANNIO. ANNAEO. LEMONIA. FORTUNATO. PISCAT. URINATORI. Q. Q. III. &c.

Præcones veritatis ſalutaris, quæ ſub ſymb. *margaritæ* in ſacris proponitur Prov. III, 15. VIII, 11. XX, 15. Matth. VII, 6. ſunt quoque *urinatores* myſtici, qui per varia pericula & diſcrimina tentationum ac perſecutionum veritates piſcantur & in lucem protrahunt. Quales

præcipue primi Evangelii teſtes erant, & illi deinceps, qui veritatem puram in mari Antichriſtiano quaſi ſubmerſam, animo imperterrito denuo in lucem protraxerunt, cruentis ſæpe ſubmerſi tentationum fluctibus. Quare Apoſtolus dicit, verbum veritatis dignum eſſe, quod recipiatur, *propter quod fatigamur & conviciis obruimur 1 Tim. IV, 9. 10.* Mortem ipſam ſubiere lubentiſſimi olim *μάρτυρες*, etiam maxime atrocem, ut veritatis pretioſum theſaurum ſervarent Heb. XI, 33-38.

XII. 10. Apud varias gentes ſingularis *piſcatorum* erat *ordo* ſeu integer *cœtus*, ſingularibus etiam legibus adſtrictus, quemadmodum hodiedum adhuc in quibusdam locis obtinet. De *legibus* piſcatorum canit Alexis *in Lebete apud ATHEN. Deipnoſ. Lib. VI. p. m. 226.*

- - τίθησι γὰρ νυνὶ νόμον
Τῶν ἰχθυοπωλῶν, ὅς τις ἂν πωλῶν γε τὸν
Ἰχθὺν ὑποτιμήσας, ἀποδῶτ᾽ ἐλάττονος,
Ἧς εἶπε τιμῆς, εἰς τὸ δεσμωτήριον
Εὐθὺς ἀπάγεσθαι τοῦτον &c.

Qui legem ſancivit, ut piſcariorum quisquis piſcem venundat, qui pretium indicavit, ſi minori det, quam æſtimaverit, in vincula conjiciatur. &c.

De *ordine* piſcatorum exſtant monumenta veterum, quale illud apud GRUTER. *in Theſ. Inſcr. pag. CCCXCI.* n. I.

TI. CLAUDIO. ESQUIL. SEVERO
DECURIALI. LICTOR. PATRON.
CORPORIS. PISCATORUM. ET
URINATOR. Q. III. EJUSDEM. CORPORIS
OB. MERITA EJUS

& infra

EX. DECRETO. ORDINIS
CORPORIS. PISCATORUM
ET. URINATOR. TOTIUS. ALV.
TIBER. QVIBUS. EX S. C.
COIRE. LICET. S. P. P.

Simili ratione præconum Evangelii integra eſt cohors, quæ certis legibus adſtricta & ſingularem ordinem ſc. Eccleſiaſticum efficit. Veluti

uti in Claſſes & Synodos diſtribuuntur in variis locis Doctorum Evangelii catervæ, quæ ſecundum leges veritatis Evangelicæ controverſias, errores, abuſus & alia decidunt, ut ita juxta Apoſtoli monitum omnia in Eccleſia Dei ordine concinno peragantur 1 Cor. XIV, 40. Exemplum hac in re dedere Apoſtoli in concilio Hieroſolymitano cogendo, ubi Apoſtoli apoſtolicique viri cum credentibus electis membris controverſiam de circumciſione gentium credentium, ex norma legis Evangelicæ dirimebant. Act. XV. Norma autem unica eſſe debet Evangelica veritas Jeſ. VIII, 20. 2 Pet. I, 19. 20. 2 Tim. III, 15. 16. Gal. VI, 16.

XIII. 11. Nec prætermittendum denique erit, veteres piſcatores olim non *retia* modo ſua ac *ſagenas*, ſed & captam ſæpe *prædam Diis* ſuis *conſecraſſe*, imo *vota* ad capturam egreſſuros *Diis marinis* nuncupaſſe. Teſtis eſt quoad *conſecrationem retium* & hami LUCIAN. *in Piſcat. p. m. 183. Opp. T. III.* καὶ μάλα, ἢν ἡ ἱερεία μοὶ ἐθέλῃ πρὸς ὀλίγον χρῆσαι τὴν ὁρμίαν ἐκείνην, καὶ τὸ ἄγκιστρον, ὥσπερ ἁλιεὺς ἀνέθηκεν, ὁ ἐκ πειραιῶς. *Et maxime ſi ſacerdos mihi funiculum hunc & hamum, quos ex Piræo piſcator conſecravit, mihi commodare voluerit.* Et de *præda* capta *Diis* conſecrata ſcribit ATHENÆ. *Deipnoſ. Lib. VII. p. m. 297.* ἐ χρὴ θαυμάζειν, εἰ ἱερείων τρόπον ἐγχέλεις θύονται (Βοιώτοι.) ὁπότε καὶ Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ λέξεως τὲς ἁλιέας λέγει θυσίαν, ἐπιτελῦντας τῷ ποσειδῶνι ὑπὸ τὴν τῶν θύννων ὥραν, ὅταν εὐαγρήσωσι θύειν τῷ Θεῷ τὸν ἁλόντα θύννον. *Mirum autem eſſe non debet, ſi victimarum inſtar anguillas Bœoti ſacrificent, cum Antigonus Caryſtius libro de dictione ſcribat, piſcatores, quo tempore thynnos piſcantur, poſt felicem retium jactum ſacrum Neptuno peragere, & immolare Deo thynnum captum.* Huc reſpicit quoque DIPHILUS in *Mercator. apud eund. p. 227.*

Ου πώποτ᾽ ἰχθῦς οἶδα τιμιωτέρες,
Ἰδὼν πόσειδον· ἐι δεκάτην αὐτῶν ἐλάμβανες
Ἀπὸ τῆς τιμῆς, ἑκάστης ἡμέρας, πολὺ
Τῶν Θεῶν ἂν ἦσθα πλεσιώτερος.
Nunquam piſces iſtis cariores vidi:
Si igitur, o Neptune, pretii tu decimam
Partem quovis die accipies, multo
Diis omnibus futurus es ditior.

Quemadmodum Hab. I, 16. 17. memorantur, *qui ſuffitum exhibent reti & ſagenæ ſuæ*, de quo locó vide, quæ diſſerit Cl. HARENBERG. *in Muſ. Brem. Vol. II. p. 53. ſq.* & Cel. HAS. *in not. ad h. l. p. 64.* nec non AMEL. *in V. T. Vol. II. p. 164.*

Præcones Evangelii ſe una cum animabus, quas lucrantur, Deo ſiſtunt victimas vivas Rom. XII, 1. & rete præconii ſui Deo ſimul conſecrant, non ſui ipſius, ſed Dei gloriam promoventes. Pſ. CXV, 1. 2 Cor. V, 20. Deus enim per eos odorem cognitionis manifeſtum reddit quovis loco 2 Cor. II, 14. ut ipſi bona fragantia Chriſti exiſtant Deo. v. 15. Hi theſaurum veritatis gerunt in vaſe teſtaceo, ut ſupereminentia virtutis non ipſorum, ſed Dei ſit 2 Cor. IV, 7. non ſuo reti & ſagenæ ſuffitum inſtituunt ut pſeudo-Doctores, ſed potius tum ſe tum ſagenam præconii ſui Deo ſiſtunt atque conſecrant. A Deo emiſſi ſunt tanquam *piſcatores hominum*, ut animas non ſibi ſed Deo lucrarentur, easque tanquam oblationem Deo ſanctam offerrent Rom. XV, 16. Per ejus virtutem expandunt retia, ſub ejus benedicente providentia extrahunt eadem piſcibus myſticis repleta, ergo & eidem eosdem adducunt in ſacrificium complacentiæ, ipſique gratiſſimum Jeſ. LXVI, 20.

XIV. En mirum piſcium capturam! non mutorum atque ratione expertium, ſed rationalium atque immortali ſpiritu præditorum! O beatam Apoſtolorum ſortem, qui ex piſcatoribus aquatilium ἁλιεῖς ἀνθρώπων a Salvatore conſtituebantur. Felices ter & amplius piſcatores illos deprædicamus, qui ſagenas Evangelii ejicientes, non fruſtra laborant. Sed ſi unquam, certe hoc Eccleſiæ tempore caliginoſo, piſcatores myſtici ſtant mœrentes cum lacrymis ſæpe ad fluvios atque mare hujus mundi, quia tot jacturas vacuas & inanes deprehendunt, quare querula vox ad æthera aſcendit: *Quis fidem adhibet præconio noſtro, & cui revelatur brachium Jehovæ?* Jeſ. LIII, 1. Deus integras catervæ piſcatorum myſticorum emittit, qui noctu diuque ſagenas ejicere haud cunctantur, atque in admonitionibus, reprehenſionibus ac convictionibus minime defatigantur Jeſ. LXII, 6. 7. Qui dulciſſimas Evangelicarum promiſſionum eſcas animabus, aquis voluptatum carnis mundique immerſis, proponunt, ut illis eas alliciant atque in communionem Dei ac veræ Eccleſiæ attrahant, ſed fruſtra! Cupediæ carnis ac mundi dulciores cor-

corrupto palato exiſtunt, quam deliciæ illæ cæleſtes, quare Manna hoc ſuaviſſimum faſtidiunt & potius ollas carnium Ægyptiarum deſiderant. Et quamvis tempeſtatibus atque calamitatibus ſæpe ingruentibus, animæ nonnullæ aculeum convictionis attraxiſſe atque deglutiiſſe videantur, nihilominus quando ex mari hujus ævi & aquis concupiſcentiarum extrahendi ſunt, illum quaſi evomunt, & concupiſcentiis ſuis denuo liberrime innatant. Væ miſeris his animabus, qui aculeum dulciſſima eſca ſalutis inſtructum ſpernunt, atque illo ſe extrahi ex hujus mundi voluptatibus haud patiuntur; Imminebit illis aliquando *piſcator* alius, torvus, horrendus, ipſisque cum tremore atque anxietate aſpiciendus, ſc. *mors*, qui *hamo* ſuo nolentes atque invitos eos extrahet, cui reſiſtere, quem evomere non poterunt, atque ita præda triſtiſſima Plutonis infernalis exiſtent.

Quicunque ergo *aquis* corruptionis naturalis adhucdum innatat, atque in mari hujus mundi muti inſtar *piſcis* oberrat, alliciatur dulciſſimis Evangelii promiſſionibus, avido ore ac cordis deſiderio intenſo arripiat aculeum convictionis per præconium Evangelii in pectora quaſi hominum adactum, ut ita ex ſtatu naturæ miſero traducatur in gratiæ ſtatum exoptatiſſimum. Non reſiſtat *tractui* illi interno Spiritus S. quem ſæpe ſub præconio veritatis exſerit, ſequatur lubentiſſime illius ductum, atque ita ex *abyſſo* miſeriæ ſuæ liberabitur.

Nihilominus licet Piſcatores myſtici ſæpe ad Dominum ſuum queruli per preces redeant: *Domine per totam noctem piſcati ſumus, nihil tamen cepimus.* Sæpius tamen, quando minime cogitant, Deus jacturam retium mire ſecundat, ut varias adhuc Deo animas lucrentur, quare ne defatigemur, o ſodales, ne negligamus occaſionem, noctu diuque tempore opportuno & adverſo inhæreamus huic operi noſtro, tandem ſuccedet Deo benedicente. Animas, quas Deus per præconium noſtrum attrahit, Deo adducamus per manuductionem fidam & preces calidiſſimas. Non *reti* noſtro litemus aut fumum accendamus ſagenæ propriæ, ſed Deo omnem laudem & gloriam tribuamus, qui nos aptos reddit ad animas ipſi tanquam ſacrificium vivum adducendas. Sic aliquando *ſagenas noſtras* læti *ſuſpendemus* Deo ſacras, poſtquam mare hujus vitæ trajecimus, ſic in portu cæleſti quieſcemus a laboribus noſtris. Faxit.

 EXER-

EXERCITATIO IX.
DE
MYRTO
SYMBOL. ECCLESIÆ PRESSÆ.
ZACH. I, 8.

ARGUMENTUM.

Locus Zach. I, 8. breviter illuſtratur §. I. MYRTUM in ſacris ſymb. eſſe in genere juſtorum, in ſpecie Iſraelis §. II. MYRTUM Eccleſiæ emblema eſſe ex analogiis demonſtratur. Quem in finem A. *Qualitates myrti recenſentur & Eccleſiæ applicantur: ſc. quatenus eſt vel ſylveſtris vel hortenſis §. III. arbor eſt maxime pulcra & decora. §. IV. inſuper & humilis atque fragilis. §. V. Odoris tamen gratiſſimi, quare inter* ἐυοσμὲς *refertur. §. VI. Præprimis notatur, quod æſtate atque hyeme vireat, atque folia minime marceſcentia gerat. §. VII. quod ſolem amet & frigus e contrario reſpuat ac fugiat, utpote quod decorem ejus infringit. §. VIII. Ad aquas porro & litora creſcere plerumque ſoleat, quo alludi cenſemus Pſ. I, 3. §. IX. Folia myrti roſcida atque virore ſingulari prædita, lignum vero ſolidiſſimum eſſe, quare in haſtilibus conficiendis adhibitum, docetur §. X. Fructus myrti, baccas, vinum & oleum exhibentes, memorantur §. XI. B. Tranſimus ad* uſus *myrti varios, tum* domeſticos, *quatenus hortis decorem conciliat §. XII. Ambulacra grata exhibet. §. XIII. In menſis & conviviis veterum adhibita fuit §. XIV. tum* civiles, *quatenus in coronis Principum, Sacerdotum, atque Vatum adhibita §. XV. In* nuptiis *a ſponſis, &* triumphis *a Ducibus geſtata. §. XVI. & denique in funeribus exornandis veteribus uſitata fuit. §. XVII. tum* Medicos, *quos varios recenſemus §. XVIII. Tum denique* ſacros *uſus, quia myrtus Diis variis conſecrata, in feſtis adhibita, & in coronis ſacris conficiendis frequentiſſima fuit §. XIX. Quæ omnia epilogus moralis perficit. §. XX.*

I.

I.

ULTERIORI indagine digna ſane eſt viſio, quæ prophetæ contigit ZACHAR. I, 8. ubi apparet איש רכב על סוס ארם והוא עמד בין ההדסים אשר במצלה ואחריו סוסים אדמים שרקים ולבנים *VIR, inſidens equo rufo, & degens inter myrtos in profundo, quem ſequebantur equi rufi, variegati & albi.* Varia heic varii colligunt interpretes. Per *Virum* hunc Judæi cum pleriſque Pontificiis, *Ribera, Sanctio, C. a Lapide* &c. intelligunt angelum Michael, tutelarem populi Iſraelis. Alii *Alexandrum Magnum*, alii ut *Munſterus* & *Clarius Pacem* hoc ſchemate depictam eſſe cenſent. Cum pleriſque autem interpretibus *Chriſtum* ipſum intelligendum judicamus, qui Com. ſeq. *angelus* dicitur, ſc. angelus non creatus, ſed angelus *faciei* Dei & *fœderis* Jeſ. LXIII, 9. Mal. III, 1. qui & cap. VI, 12. Zach. איש vocatur. Per *Myrtos* ſive *Myrtetum* non cum Pontificiis variis *Mariam* virginem, nec cum Cl. WITSIO, *in Miſc. T. I. p. 36.* quem κατὰ πόδα ſequitur AMEL. *in V. T. Vol. I. p. 768.* Eccleſiam in genere & quidem N. T. nec cum Hebræorum interpretibus quibusdam Prophetas & Sanctos, nec cum C. *a Lapide* & qui illum ſequuntur, *familiam Eſther*, quæ הדסה appellatur; ſed potius *Eccleſiam Judaicam* reſipiſcentem & ex captivitate Babylonica reducem, (utpote ad quam miſſus Zacharias propheta, quæ hac viſione erat confirmanda de providentia Dei Iſraelis) deſignari contendimus, quæ *myrti humilis* inſtar in *valle profunda* perſecutionum conſtituta, hoſtes circumjacentes templi ſtructuram prohibere ſatagentes, tremebat & metuebat. Chriſtus ergo tanquam Imperator *rufo equo inſidens* cernitur, ad vindictam de hoſtibus Judæorum ſumendam; quemadmodum *Imperatores* olim in bello *equis generoſis* inſidebant, qua figura in nummis victores & heroes deſignantur, vide nummum apud BEGER. *Theſ. Num. Imp. Rom. Tab. XLVI. n. 18.* Et GOLZ in *faſt. triumph. p. m. 188.* vide *Tabulam noſtram præfixam*, n. X. Sequebantur autem equi *rufi, variegati & albi* ſ. candidi. Per quos non equos vacuos ſed ſeſſoribus inſtructos intelligas, & ſenſu myſtico-prophetico, non *Angelos* cum pleriſque interpretibus, aut Doctores & miniſtros Evangelii; Nec cum Judæorum interpretibus per *rufos* Romanos, per *varios* Græcos & per *albos* Perſas & Medos deſignari judicamus; ſed *Duces &*

prin-

principes monarchiæ Perſicæ, qui primo equis *rufis* inſidentes, omnia cladibus & cædibus devaſtarant, dein variis invecti, ex populis variis conductum exercitum formaverant, & denique *albis*, pacem colentes ſub Monarchia ſecunda Iſraelem dimittebant.

II. Sed pergamus ad emblema MYRTI pro ſcopo noſtro. MYRTUS הדס, *μυρσίνη*, in ſcriptis ſacris emblema exiſtit *Eccleſiæ* Dei, & quidem tum in genere, tum in ſpecie credentium ex Judæis.

a. In genere *piorum* & *juſtorum* eſt ſymbolum. Jeſ. LV, 13. pro *dumeto ſuccreſcet myrtus*, quod Chaldærus eleganter exprimit: חלף רשיעיא יתקימון צדיקיא וחלף חיביא ותקימון דחלי חטאה *Pro impiis conſurgent juſti, & pro peccatoribus conſurgent timentes peccatum.* Eodem ſignificatu adhibetur, quando vates idem cap. XLI, 19. prædicit, *in deſerto gentium exſtituram cedrum præſtantiſſimam, myrtum & oleam.* Huc pertinet Judæorum adagium אסא דקאי בינֵי חליפי אסא שמיה *Myrtus ſtans inter urticas, tamen myrtus appellatur.* i. e. pius inter improbos degens, tamen eſt pius. Quare *Targum. ad Eſth. II, 7.* והוו קרין לה הדסה על די הות צדיקתא וצדיקיא דמתילין לאסא. *Et nominarunt eam Hadaſſam, eo quod eſſet juſta, juſti enim aſſimilantur myrto.*

b. In ſpecie *Iſraelis* Symb. eſſe myrtum Judæi contendunt, veluti proverbium ſupra allatum applicant Iſraeli in *Gemar. Sanhedr. cap. VI. §. 2. p.m. 246. in Exc. Cocc.* חטא ישראל א״ר אבא בר זבדא אף על פי שחטא ישראל הוא אמר ר׳ אבא היינו דאמרי אינשי אסא דקאי בינֵי חילפי אסא שמיה ואסא קרי ליה *Peccavit Iſrael, ait Rabbi Aba bar Zabda. Etiamſi deliquiſſent, Iſraelem tamen appellat. Hoc eſt, quod vulgo dicitur: Myrtus inter urticas ſita, myrti nomen habet, atque tamen ita appellatur.*

III. Quam elegantiſſime autem Eccleſia ac populus Dei ſub Symbolo MYRTI in ſacris proponitur, ſive varias ejus *qualitates*, ſive etiam *uſus* multiplices conſideres.

A. Quod ad qualitates MYRTI, obſervandum eſt

1. Myrtum eſſe vel *ſylveſtrem* vel *hortenſem* aut domeſticam ſive ſativam. De ſylveſtri ſcribit PLIN. *hiſt. nat. Lib. XXIII. cap. IX. Myrtus ſylveſtris ſive oxymyrſine, ſive chamæmyrſine, baccis rubentibus & brevi-*

vitate a ſativa diſtat; Radix ejus eſt in honore. Caſtor oxymyrſinen myrti foliis acutis, ex qua fiunt ruri ſcopæ, ruſcum vocavit. Sativæ vel albæ vel nigræ exiſtunt, & baccas ferunt oblongas, multo ſylveſtribus majores. DIOSCORIDES ſylveſtrem μυρτάκανθαν vel ὀξυμυρσίνην appellat. Vid. HIERON. *Trag. de Stirpib. p. m. 920. MATTHIOL. ad Dioſc. Lib. I. cap. 128.* Sylveſtrem quoque memorat SEREN. SAMON. *de Med. cap. 32. v. 603.*

Præterea ſemen Myrti ſylveſtris Iaccho
Atque oleo mixtum bibitur.

Sylveſtris figura eſſe poteſt ſtatus Eccleſiæ naturalis, qui eſt efferus & a vita Dei abalienatus Eph. IV, 18. *Sativa* vero ſtatus Eccleſiæ renovati, quo in communionem Dei tranſit, & ſingulari Dei cura fovetur. Vel *Sylveſtris* Eccleſiam ex gentibus & *Sativa* Eccleſiam ex Judæis, externo Dei populo, deſignabit, quemadmodum Apoſtolus oleam *ſativam & ſylveſtrem* hoc ſenſu adhibet Rom. XI, 16-18. *Fructus ſativæ* præſtantiores ſunt fructibus *ſylveſtris myrti*, & opera confeſſorum jam converſorum Deo grata atque convenientia ſunt, quum e contrario opera externa nondum converſorum qualitatibus Deo placentibus deſtituantur.

IV. 2. Myrtus arbor eſt *pulcerrima* atque *decora*, unde juxta quosdam nomen הדמה a *pulchritudine* habet. vide URSIN. *Arbor. bibl. p. m. 478.* Quare & res *pulcræ* cum *myrto* comparantur, apud CATULL. *ep. 62.*

- bona cum bona
Nubit alite virgo
Floridis velut enitens
Myrtus Aſiæ ramulis.

Ad pulchritudinem quoque reſpicit ARISTOPH. in ὀρν.

Ἠρινά τε βοσκόμεθα παρθένια
Λευκότροφα μύρτα, χαρί-
των τε κηπεύματα.
Et vernis fruimur virgineis, mollibus
Candidisque myrtis, Gratiarumque hortenſibus.

LUCIAN. *in Amor. T. IV. opp. p. m. 185.* μυῤῥίνη τῶν δὲ λοιπῶν δένδρων ἕκαστον, ὅσα κάλλους μετείληχεν. *Myrtus & aliarum arborum ſingulæ,*

quæcunque pulchritudine ſingulari præſtant. Quare etiam PAUSANIAS *Eliac. Lib. VI. p.m. 391.* ob pulchritudinem Myrtum Veneri ſacram dicit; ῥόδον μὲν καὶ μυρσίνην Ἀφροδίτης τὲ ἱερὰ εἶναι καὶ οἰκεῖα, τῷ ες κάλλος λόγῳ. *Roſam & myrtum Veneri ſacram eſſe, quod ſtirps utraque habeat eximiam pulchritudinis ſpeciem.*

Unde VIRGIL. *eclog. VII.* huc alludens canit:

Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.

Et ſane *pulchritudo* Eccleſiæ in ſcriptis ſacris ſæpius celebratur, quam deſcribit CLEM. ALEXANDR. *Pædagog.* Lib. III. cap. II. *Pulchritudo optima animi pulchritudo eſt, quando fuerit ornata ſancto ſpiritu, & iis, qui ab eo oriuntur ornamentis, juſtitia, prudentia, fortitudine, temperantia bonorum, amore & pudore.* Hæc eſt pulchritudo, qua delectatur Rex cœleſtis Pſ. XLV, 11. quare היפה בנשים *pulcerrima fœminarum* appellatur Eccleſia Cant. I, 8. & *pulcra tota* dicitur, in qua non eſt vitium Cant. IV, 7. cujus *pulcritudo* eſt inſtar oleæ Hoſ. XIV, 7. quare & corona *decoris* appellatur. Jeſ. LXII, 3. Et quemadmodum decus & ornamentum *arboris* conſiſtit in *foliis & fructibus* ſpecioſis, ita pulchritudo Eccleſiæ in confeſſione veritatis puriſſima & operibus bonis, ſeu fructibus Spiritus S. Joh. XV, 5. Gal. V, 22.

V. 3. Myrtus arbor eſt *humilis* atque *fragilis.* DODONÆUS enim *cap. XXVI.* virilem ſtaturam myrtum vix excedere docet. *Fragilem* appellat HORAT. *Carm. L. III. od. 23.*

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

Et SERV. *ad Virg. Ecl. VII. Myrtum Veneri dicatam fuiſſe* dicit, quia *fragilis eſt, ut amor inconſtans.*

Et *teneras* appellat VIRGIL. *Ecl. VII.*

- teneras defendo a frigore myrtos.

nec non in EPIGR. *Lib. VII.* vates:

Πλέξω λευκόιον, πλέξω δ' ἁπαλοῖς ἅμα μύρτοις.
Plectam leucojon, plectam teneris myrtis.

Quare ARISTOPH. ἐν ὄρν. vocat παρθένια μύρτα *virgineas myrtos.* Et Judæi myrtum ſymb. *humilitatis* ſtatuunt in *Comm. in leg. de Feſt. Tabern.* uti R. BECHAI *fol. 183. c. 2.* ſcribit: והדס וערבה הן רמז לדרכי התשובה

התשובה הו הצער והכנעה׃ *Myrtus autem & ſalix indigitant modum converſionis, quæ fit per anguſtiam & humiliationem.*

Commodum ergo Eccleſiæ Symbolum eſt, quæ eſt *humilis* atque *fragilis* admodum, quamdiu in hoc orbe peregrina verſatur. *Humilis* eſt, quatenus non ſolum hanc virtutem didicit a Chriſto, ut exerceat erga Deum & proximum Matth. XI, 29. illaque ceu pretioſiſſima veſte ſe exornet, atque hac ratione in oculis Dei exiſtat 1. Pet. III, 3. 4. *Humilis* quoque eſt Eccleſia, ſub judiciis divinis & perſecutionibus hoſtium veritatis preſſa 1 Pet. V, 6. Jac. IV, 10. Pſ. CXIX, 25. CXX, 5. Sed & *tenera* eſt atque *fragilis*, quamdiu militat in terra, corpus enim *fragile* poſſidet, quod cum immortali & conſtanti erit aliquando commutandum 2 Cor. V, 1. IV, 7. Ipſe Deus novit Eccleſiam ſuam eſſe pulverem & flori agri ſimillimam, qui brevi tranſit. Pſ. CIII, 14-16. Jeſ. XL, 6-8.

VI. 4. *Odoris* tamen eſt *gratiſſimi* Myrtus, quare a THEOPHRASTO & aliis ἐυοσμοῖς accenſetur, & SERVIUS eam ob cauſam Veneri quoque gratam fuiſſe aſſerit *ad Virg. Ecl. VII.* Veluti Judæi in *Targum Eſth. II.* ſcribunt Eſteram ideo הרסה dictam, quia *uti ſuavis eſt odor myrti*, ita *Eſterem bonorum operum* ἐυοσμίᾳ *præſtare.* Et in *Schabb. fol. 33. c. 2.* legimus: *Circa veſperam ingreſſus Sabbathi viderunt R. Simeon Jochaides & filius ejus ſenem quendam, qui geſtabat* תרי מדאני אסא *duos faſciculos myrti, atque inter duas veſperas domum ibat. Dicebantque ei, ad quid hi tibi ſerviunt, reſpondet ſenex, ad honorandum ſabbathum*, ut ſuavi ſc. odore me oblectem, veluti explicant interpretes. Huc reſpicit HORAT. *Lib. II. Carm. od. 15.*

Myrtus & omnis copia narium
Spargent olivetis odorem
Fertilibus.

Similiter ſcribit ATHEN. *Lib. XV. Deipnoſ. p. m. 667.* διάφορος δὲ γίνεται κατὰ τὴν ὀδμὴν ἡ ἐν Αἰγύπτῳ μυῤῥίνη παρὰ τὰς ἐν ἄλλαις χώραις, ὡς καὶ Θεόφραστος ἱστορεῖ. *Myrtum vero Ægyptiam odoris ſuavitate alias omnes antecellere confeſſum; quod & Theophraſtus ſcribit.* Nec non OVID. *Lib. III. art. am. v. 690.*

Ros maris & lauri, nigraque myrtus olent.

VIRGIL. *II. Ecl. 44.*

Et vos, o lauri, carpam & te proxima myrte,
Sic poſitæ quoniam ſuaves miſcetis odores.

Et AUREL. OLYMP. *Nemeſ. Buc. Ecl. II. v. 49.*

Tum mihi cum myrto laurus ſpirabit odores.

Adde MARTIAL. *Lib. III. ep. 65.* aliaque loca obvia.

Eccleſia quoque gratum Deo fundit *odorem* per exercitia bonorum operum & confeſſionem fidei puram, quare Hoſ. XIV, 6. de Eccleſia teſtatur ſpiritus, quod decus ejus inſtar olivæ futurum ſit & *odor ejus inſtar Libani*, qui mons arboribus odoratis ſcatebat. Nomen Dei profitetur Eccleſia, quod *unguenti* inſtar eſt aromatum, quod effuſum undique ſpargit odores Cant. I, 3. Præcipue autem per bona opera gratum fundunt odorem, quare *veſtes* Sponſæ i. e. converſatio ac vita *inſtar Libani odore* pollere dicuntur Cant. IV, 10. Præcipue autem myrtus odorem exhalat, quando *vento* vehementi concutitur ſive conteritur. Et Eccleſia Dei, mediis in tentationum ac perſecutionum procellis, per preces calidiſſimas, per confeſſionem veritatis conſtantiſſimam, ac flammantem ſanctitatis zelum gratum coram Deo & hominibus odorem excitat. Pſ. LXVIII, 14. Jac. I, 2. 3. 4.

VII. 5. Myrtus quoque arbor eſt *ſemper virens, hyeme* æque ac *æſtate.* Sic Judæi in *Targ. Eſth. II. apud BUXT. in Lex. p. 154.* ואסתר יתקרי שמה הדסה בשום אסא ואין דלא אסא יבש קיטא וסתוא וכו *Eſtheræ nomen vocatur Hadaſſa, myrtus; Nam ſicut myrtus non areſcit æſtate vel hyeme, ſic juſtis eſt pars in ſeculo hoc & venturo, q. d. ſemper florent.* Folia ejus nunquam flacceſcunt, quare PLIN. *hiſt. Nat. Lib. XVI. cap. XX. p. m. 273. Harum generi non decidunt (folia) oleæ, lauro, palmæ, myrto, cupreſſo.* LUCIAN. *in amor. T. IV. opp. p. m. 185.* οὐδ᾽ αὐταὶ γέροντος ἤδη χρόνου πολιὰ καθαυαίνειν, ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ἀκμῇ σφρυγῶνται νέοις κλωσὶν ἦν ὥρια. *Neque ipſæ, quanquam longa jam ætate exacta canæ areſcentes, ſed pro vigore quaſi juveneſcentes, novis ſubinde ramis integræ apparent.* Color ejus eſt flavo-niger, adeoque maxime viridis. OVID. *Lib. IV. Faſt.*

Vos quoque ſub viridi myrto jubet illa lavari.

Quare *bicolor* vocatur apud OVID. *X. Metam. v. 98.*

Et bicolor myrtus, & baccis cærula ficus.

Et

Et *III. art. am. nigra myrtus dicitur.* Quare *color myrteus* eſt medius inter *flavum & nigrum* adeoque *conſtans*, ut ex LONG. *paſtoral. Lib. I.* obſervat Cel. JUN. *de pictur. Lib. III. p. m. 245.* adde SALMAS. *in Plinian. T. I. p. m. 531. & Comm.* ad HORAT. *Carm. L. I. od. 25.*

Optime hoc denuo *conſtantiam* Eccleſiæ pingit, quatenus in rebus *proſperis* atque *adverſis* ſemper eadem eſt, & fides ejus in mediis perſecutionibus haud perit. Differt itaque a temporariis, qui tempore æſtus ac perſecutionum deficiunt Matth. XIII, 21. Vere credens eſt *inſtar arboris plantatæ ad rivos aquarum, quæ fruges profert tempore juſto, & cujus folia non decidunt, cui omnia, quæ agit, proſpere cedunt.* Pſ. I, 3. Nomen Domini confitentur conſtantiſſime coram hominibus, ut Salvator aliquando coram Patre ſuo eos denuo profiteatur Matth. X, 32. Quare nec ingruente æſtu perſecutionum, nec hyeme tentationum deficiunt, ſed lux confeſſionis ac vitæ eorum nunquam non radiat in progenie perverſa. 1 Pet. II, 12. Apoc. II, 3. *Viridis color ſpem* figura ſua exhibet, quam ſervant in adverſis & proſperis, quoniam illa nunquam erubeſcit, utpote quæ nititur experientia probata per tolerantiam. Rom. V, 4. 5.

VIII. 6. *Solem* amare myrtus dicitur, & *frigus* præprimis decori ipſius nocere referunt ſcriptores. Huc reſpicit VIRGIL. *Ecl. VII. v. 6.*

Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
Vir gregis ipſe caper deerraverat.

Nec non OVIDIUS *amor. Lib. I. el. 15.*

Suſtineamque coma metuentem frigora myrtum,
Atque a ſolicito multus amante legar.

Quare & in calidioribus regionibus maxime arboreſcit ac inſigni cum virore procreatur, veluti in Italia, vide TAUBMANN. ad *VIRG. Lib. III. Æneid. p. m. 494.*

Pingit hoc novam Eccleſiæ qualitatem, utpote quæ ſolis juſtitiæ maxime amans eſt Mal. IV, 2. ſub cujus radiorum alis ſalutaribus incrementum nanciſcitur. Appropinquatio ad hanc lucem ejusque calorem vivificum ſummum Eccleſiæ bonum eſt. Pſ. LXXIII, 28. totas ſuas delicias ponit in Jehova, qui omnia animæ deſideria perficit. Pſ. XXXVII, 4. Amat Eccleſia lucem mediorum gratiæ, per quæ incremen-

mentum ſuum naſcitur inſtar arboris in locis irriguis plantatæ & inſtar arborum in apricis propullulantium Pſ. I, 3. 4, Quare & ſemper πνεύματι ζέοντες eſſe ſtudent Rom. XII, 11. & lucem hanc, qui zelum ſanctitatis incendit, nunquam extingui patiuntur 1 Theſſ. V, 19. Omnem vero torporem, teporem & frigus in officiis fidei & caritatis Apoc. III, 14. 15. abominantur. Phil. III, 9. Heb. XII, 2.

IX. 7. Ad aquas creſcere *myrtus* optime ſolet, & *litora* amare dicitur apud antiquos. Quo alludi videtur Pſ. I, 3. Sicut *arbor plantata ad rivos aquarum, cujus folia non decidunt & εὔκαρπος eſt;* quæ attributa optime *myrto* conveniunt. Huc reſpicit THEOCRIT. *in epigr.*

- - ἀέναον δὲ
Ῥεῖθρον ἀπὸ σπιλάδεν πάντοθε τελεθάει
Δάφναις καὶ μύρτοισι καὶ εὐώδει κυπαρίσσῳ.

Et *perenne fluentem de ſaxis undique viret lauru & myrtis & odorata cupreſſo.* nec non GRAT. FALISC. *in Cyneg. v. 129.*

Cornus & umbroſæ Veneris per litora myrtus.

VIRG. *Georg. Lib. IV. v. 174.*

Pallentes hederas & amantes litora myrtos.

CATULL. *Epigr. 65.*

Quales Eurotæ progignunt flumina myrtos.

MARTIAL. *Lib. IV. epigr. 13.*

Nec melius teneris junguntur vitibus ulmi,
Nec plus lotos apuas, litora myrtus amat.

adde OVID. *Lib. I. am. el. 2. v. 29.* TAUBMANN. *ad Virg. Cir. p. 134. &c.*

Eam ob cauſam Eccl. loc. Pſ. citato cum arbore (myrto) *ad aquas plantata* comparatur. Amat enim aquas donorum Spiritus S. & mediorum gratiæ, quæ cauſa incrementi ſpiritualis exiſtunt. Jeſ. XLIV, 3-6. promittitur largiſſima aquarum myſticarum in regionem Eccleſiæ aridam effuſio, cujus effectus futurus, *ut effloreſceret velut inter gramen, inſtar ſalicum ad aquarum fluenta.* Amat litora fluvii cryſtallini, qui ex throno Dei & agni prodit. Apoc. XXII, 1. 2. Quare comparatur cum *horto irriguo*, cujus aquæ nunquam exareſcunt aut deficiunt Jeſ. LVIII, 11. Ingruente enim æſtu tentationum ac perſecutionum, radix fidei atque amoris nunquam exſiccatur, ſed ex hac vitæ ſcaturigine

in

in dies novos ſuccos atque vitale robur nanciſcitur Joh. I, 16. Jeſ. LIX, 21.

X. 8. *Folia* ac *ramos* myrtus habet virentes, roſcidos ac teneros, *lignum* vero ejus eſt maxime ſolidum, adeo ut ex illo *tela heroum* confici olim ſolita fuerint. De *ramis* ejus CATULL. in *epith. Jul. & Mall.*

Floridis velut enitens
Myrtus Aſia ramulis,
Quos Hamadryades Deæ
Ludicrum ſibi roſcido
Nutriunt in honore.

De *foliis* ejus roſcidis & irriguis EURIPID. *in Jon.*

Ἵνα δρόσοι τέγγȣσ᾽ ἱεραὶ,
Τὰν ἀέννα‍ον παγὰν
Ἐκπορο͏̈ιεῖσαι
Μυρσίνας ἱερὰν φόβαν.
Ubi ſacer fons jugis aquæ diffuſus
Rigat myrti ſacra folia.

De *ligno* ejus ſolido canit VIRGIL. *Georg. Lib. II.*

Sed truncis oleæ melius, propagine vites
Reſpondent, ſolido Paphiæ de robore myrtus.

Quare in *haſtilibus conficiendis* adhibitam myrtum antiqui docent. Ita R. ISAAC ARAMA *in Akedat Jizchak.* locum Pſ. CXX. *væ mihi, qui dego inter Semechonitas*, explicaturus dicit: ואיך לא אזעק ולא אצטער מחיצי גבור שנונים עם נקני רתמים *Cur non clamem & non anguſter inter ſagittas robuſti acutas cum lanceis myrteis.* Et VIRGIL. *Lib. II. Georg.*

At myrtus validis haſtilibus, & bona bello
Cornus, Ituræos taxi torquentur in arcus.

Folia ſymb. ſunt *confeſſionis externæ*, quare Eccleſia Judaica ſterilis ſub N. T. comparatur cum *ficu folia* absque fructu *proferente* Marc. XI, 13. i. e. non niſi externa profeſſione Dei populum ſe fingente. *Folia* autem myrti *viridia* maxime & rore atque *guttis irrigua*, confeſſionem veritatis ſalutarem atque donis Spiritus S. ſalutaribus ditatam deſignant, quæ veræ Eccleſiæ competit, utpote quæ unctionem ſuperne na-

nacta eſt. 1 Joh. II, 20. Pſ. CXXIII, 1-3. Confeſſio ipſius eſt plena *ſpei*; quæ per virorem pingitur, utpote orta ex operationibus roris gratiæ cœleſtis & fonte ſalutis. Jeſ. XLIV, 3. Pſ. LXXII, 6. 7. *Solidum lignum* myrti corporis Eccleſiæ *robur* deſignat, quatenus amoris ac fidei vinculo unitum contra quasvis tentationes & procellas munitur Matth. XVI, 18. Et *tela* ſpititualia poſſidet in medio ſui, quibus ſe defendit contra hoſtes ſpirituales & robuſta exiſtit in Domino Eph. VI, 10. Accinguntur membra ejus robore per ſpiritum roboris ac potentiæ, qui in medio ipſius habitat Jeſ. LIX. 21. 2 Tim. I, 7.

XI. 9. Præprimis autem *fructus* quoque myrti haud vulgares notandi ſunt. Ita enim ſcribit LUCIAN. *in Amorib. p. m. 185. Tom. IV. opp.* περιττόν γε μὴν ἡ πυκνόκαρπος ἐτεθήλει μυῤῥίνη, παρὰ τὴν δέσποιναν αὐτῆς δαψιλῆς πεφυκυῖα. *Abunde vero illa frugibus denſa myrtus apud dominam ſuam copioſe naſcens, effloruerat.* De loto ſcribit ATHENÆ. *Deipnoſ. Lib. XIV. p. m. 657.* ὁ δὲ καρπὸς τὰς μὲν ἀρχὰς ὅμοιός ἐςι καὶ τῇ χρόᾳ καὶ τῷ μεγέθει ταῖς λευκαῖς μυῤῥίσι, ταῖς τετελειωμέναις. *Fructu per initia colore & magnitudine ſimili perfectis baccis myrti.* Et apud *eundem p. 653.* auctor Cheironis, quem adſcribunt Pherecrati:

Αμυγδάλας, καὶ μῆλα, καὶ μιμαίκυλα,
Καὶ μύρτα, καὶ σέλινα, κἀξ οἴνου βότρυς.
Amygdalas, mala memæcyla,
Myrti baccas, apium, ex vino uvas.

Et OVID. *art. am. Lib. III. v. 53.*

Dixit & e myrto (myrto nam vincta capillos
Conſtiterat) folium, granaque pauca dedit.

Ex quibus vinum *myrtites* confici ſolebat olim, de quo PLINIUS, DIOSCORIDES, SALMAS. in PLIN. LEMNIUS *in herb. bibl.* aliique pasſim agunt. Ex foliis ejus quoque *oleum* exprimi docet ATHENÆ. *Deipnoſ. Lib. XV. p. m. 689.* ubi inter varia oleorum genera etiam, ἀπὸ δὲ τῶν φύλλων τὸ μύῤῥινον, *ex myrti foliis myrteum oleum* recenſet, adde THEOPHRAST. περὶ ὀσμ.

Nec Eccleſia eſt arbor ſterilis ſed maxime frugifera. Fruges ejus bona ſunt opera, quæ ſunt inſtar fructus arboris vitæ Prov. XI, 30. XII, 12. 14. Quare comparatur cum horto voluptatum, qui pretioſis fructibus ſuper-

perbit Cant. IV, 13. 16. qui ſunt fructus reſipiſcentiæ Matth. III, 8. fructus juſtitiæ Phil. I, 11. bonorum operum Jeſ. III, 10. Matth. III, 10. VII, 17. & ſinceræ fidei Joh. XV, 2. 4. 5. 8. imo omnes S. Spiritus fruges, quarum catalogum exhibet Paulus Gal. V, 22. Eph. V, 9. & Jac. III, 17. 18. Ex his *vinum & oleum* exprimitur per tentationes varias & perſecutiones, per quas *doctrina gratiæ* ſalutaris in aliorum convictionem efficax ſæpe redditur, & dona Spiritus S. propagantur in Eccleſia. Aqua enim quam nanciſcuntur credentes ex fonte ſalutis iterum effluit ex ipſorum corpore in aliorum ſolatium & recreationem Joh. VII, 37. 38.

XII. B. Transeamus ad USUS *Myrti* apud veteres multiplices, quos commode diſtinguemus in uſus *domeſticos*, *civiles* atque *ſacros*.

a. Quod attinet uſus myrti *domeſticos*.

1. In *hortis* decoris & ornatus gratia inter reliquos frutices ſpecioſos apparebat olim quoque myrtus. Hinc Hierocles apud STOBÆUM inter delicias hortorum apud antiquos etiam ψαλιςὲς μυῤῥινῶνας *tonſiles myrtus* memorat teſte PASCHAL. *de coron. Lib. VII. p. 512. tondebatur* enim forcipe myrtus in varias formas ornatus cauſa. In *Regiis* autem *hortis* præcipue inveniebatur, quare EURIPID. *Electr. v. 775. ſq.*

Ἐισβάντες ἥμεν δίκροτον εἰς ἀμαξιτὸν,
Ἐνθ' ἦν ὁ κλεινὸς τῶν Μυκηναίων ἄναξ,
Κυρεῖ δέ κήποις ἐν καταῤῥύτοις βεβὼς,
Δρέπων τερείνης μυρσίνης κάρα πλόκους.
Ingreſſi ſumus tritam gemina orbita viam.
Illic ſuperbus Mycenæorum Princeps erat.
Forte autem hortis in irriguis ambulans,
Carpebat teneræ myrti coronas capiti.

Hortus cum Eccleſiæ ſymb. ſit in genere conſideratæ, frutices horti ſpecialia Eccleſiæ membra deſignabunt & qualitates eorum decentes. Ergo *myrtus* decus hortorum, deſignat membra Eccleſiæ *humilitatis* coram Deo & hominibus ſtudioſa, utpote quæ eximium Eccleſiæ decus ſunt, quia humilitas pretioſum credentium eſt ornamentum. 1 Pet. III, 4. Summus quoque Eccleſiæ ſuæ hortulanus, viſitans hortum ſuum myſticum, in *myrtis humilibus*, forcipe præconii Evangelii & convictionum Spiritus ſui ab omnibus ramis ſterilibus & incongruis purgatis, &

decenti forma præditis, maxime deliciatur, conf. Cant. I, 10. 11. V, 1. deſiderat enim cum voluptate habitare inter *contritos & humiles corde*. Jeſ. LVIII, 15.

XIII. 2. Inſuper apud veteres integra erant *myrteta* ſeu *myrtorum ſylvæ*, quæ *ambulacra* maxime grata exhibebant. Huc reſpicit VIRG. *Georg. Lib. II.*

- ſteriles ſaxoſis montibus orni,
Litora myrtetis gratiſſima.

Nec non ARSTOPH. *in ὀρν.*

Διὰ ταῦτα δὲ τὸν βάδον βαδίζωμεν,
Κανοῦν δ᾽ ἔχοντε καὶ χύτραν. καὶ μυῤῥίνας
Πλανώμεθα, ζητοῦντε τόπον ἀπράγμονα,
Ὅποι καθιδρυθέντε διαγενοίμεθ᾽ ἄν.
Propterea hoc iter eamus & caniſtrum
Habentes & ollam & myrtos erremus,
Quærentes locum otioſum ubi ſedentes degamus.

Et OVID. *Metam. Lib. XI. v. 234.*

Myrtea ſylva ſubeſt, bicoloribus obſita baccis,
Eſt ſpecus in medio, natura factus an arte,
Ambiguum, magis arte tamen, quo ſæpe venire
Frenato delphine ſedens, Theti nuda, ſolebas.

Nec non MARTIAL. *Lib. III. epigr. 58.*

Bajana noſtri villa, Baſſe, Fauſtini
Non otioſis ordinata myrtetis,
Viduaque platano, tonſilique buxeto.

Eccleſia quoque *myrtetum* tale eſt, quo reſpicitur in loco noſtro, quando Rex Meſſias *inter myrtos agere* dicitur, tanquam in valle quidem depreſſa ſed amœna. Chriſtus enim in medio Eccleſiæ ſuæ tanquam *ſylva myrtea*, tot credentibus vera fide præditis, & humilitatis, cujus ipſe eſt exemplar perfectiſſimum Matth. XI, 29. admodum ſtudioſis, habitare nunquam non adſolet, ſecundum promiſſa. Jeſ. LVII, 15. LXVI, 2. Joh. XIV, 23. Matth. XXVIII, 20. XVIII, 20. Ambulat ille in medio VII. candelabrorum, quæ ejusdem Eccleſiæ emblema exhibent. Apoc. I, 13. qui tentorium quaſi ſuum in hac Hieroſolyma erigit Apoc. XXI, 3.

Ha-

Habitat in hoc myrteto myſtico, inambulat quoque, tanquam Deus & Dominus Eccleſiæ ſuæ 2 Cor. VI, 16. Qualem ſe quoque populo Iſraelis per captivitatem duriſſimam humiliato præbuit, cum illum in Canaanem patriam reduxiſſet.

XIV. 3. In *menſis* atque *conviviis* olim lautiſſimis *myrti* quoque uſum ſingularem fuiſſe antiquis, diſcimus ex ANTIPHAN. *in Cretenſ.* apud ATHENÆ. *Deipnoſ. Lib. III. p. m. 75.*

- - πρώτιστα δὲ
Τῶν μυῤῥινῶν ἐπὶ τὴν τράπεζαν βέλομ', ἃς
Διαμασῶμ' ὅταν τι βελεύειν δέῃ,
Τὰς δὲ φιβάλεας, πάνυ καλὰς, στεφανωτρίδας.
Omnium vero primum adeſſe menſæ volo
Myrtos, quas ſi quid erit conſultandum, ego
Mandam, & quidem Phibaleas, ſpecioſas, coronarias.

Similiter ex LUCIAN. *Jaromenipp. p. m. 709.* δεῖπνε γὰρ ἤδη καιρὸς ἦν - - καὶ ἄρτον ἡ Δημήτηρ παρεῖχε, καὶ ὁ Διόνυσος οἶνον, καὶ ὁ Ἡρακλῆς κρέα, καὶ μύρτα ἡ Ἀφροδίτη. *Cœnæ jam tempus erat - - interea panem exhibebat Ceres, vinum Bacchus, carnem Hercules, myrtum Venus.* Huc quoque reſpicit HORAT. *Carm. Lib. I. od. 38.*

Simplici myrto nihil allabores,
Sedulus curo: neque te miniſtrum
Dedecet myrtus, neque me ſub arcta
Vite bibentem.

Et ANACREON. *carm. IV.*

Ἐν μυρσίναις τερείναις
Ἐπὶ λωτίναις τε ποίαις
Στορέσας θέλω προπίνειν.
Teneris ſuperque myrtis,
Super & virente loco,
Recubans bibam libenter.

adde quæ PASCHAL. *de coron. p. 515.* adducit. & STUCK. *antiq. conviv. p. m. 370.*

Eccleſia quoque per fructus Spiritus atque fidei, dulciſſimas Domino ſuo exhibet delicias, quare ad hoc convivium myſticum eum invi-

vitat Cant. V, 1. *Veniat ſponſus meus in hortum ſuum & comedat fructus illius nobiles.* Præcipue autem fructus reſipiſcentiæ & cordis humilitate ſincera contriti, majorem ipſi excitant voluptatem, quam convivis opiparæ dapes & myrtus gratiſſima. Pſ. LI, 8. Jeſ. LXII, 8. Pſ. CXLIX, 4. Prov. XI, 20. Jeſ. LVI, 4. Heb. XIII, 16. Rom. XII, 10. Et quando Deo noſtro cor contritum & ſpiritum fractum offerimus, illum nunquam contemnere, ſed tanquam gratum quoddam munus accipere, inque eodem ſumma cum complacentia acquieſcere promiſit. Pſ. LI, 19. his quoque ſingulari modo propinquum ſe fore declaravit Pſ. XXXIV, 19.

XV. b. Tranſimus ad uſus myrti *civiles*, quorum

1. Frequentiſſimus erat in *ſertis & corollis* veterum; Coronas enim *ex myrto* gerebant tum *Principes*, tum *Sacerdotes*, tum *Vates* atque Poëtæ apud antiquos.

De *Principibus* myrto coronatis ſupra vidimus ex EURIPID. *in Electr.* ubi Mycenæorum *Princeps* *δρέπων τερείνης μυρσίνης κάρα πλόκους carpens teneræ myrti corollas capiti ſuo*, occurrit. Quare & *Hercules* apud *eundem in Alceſt.* *ςέφειν κρᾶτα μυρσίνοις κλάδοις caput myrti foliis coronaſſe dicitur.* Et SUIDAS *μυῤῥινῶν* pro *ἀρχῆς ἐπιθυμῶν* dici ſolere ait, eo quod qui principatum gerebant, myrto coronarentur, ut obſervavit TORRENT. *ad Horat. Carm. Lib. I. od. 38.* & ERASM. *in adag. T. I. p. m. 714.*

Sacerdotes inſuper myrto coronatos docet TIBULL. *Lib. I. el. XI.*

Hunc pura cum veſte ſequar, myrtoque caniſtra
Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput.

Forte huc pertinet nummus duplex apud BEGER. *Theſ. num. Imp. Rom.* Tab. LV. n. XVIII. XIX. ubi Imper. Eliogabal. formam ſacerdotis indutus pateram dextra & ramum, qui myrti eſſe videtur, ſiniſtra gerens ad altare ſtans conſpicitur cum inſcriptione: SACER DEI SOLIS ELAGAB. & INVICTUS SACERDOS AUG.

Vatum denique & Poëtarum myrtum fuiſſe coronamentum, docet ARISTOPH. *in nub. p. m. 223. Act. V. ſc. II.*

Ἔπειτα δ᾽ ἐκέλευσ᾽ αὐτὸν ἀλλὰ μυῤῥίνην λαβόντα
Τεῶν Ἀισχύλου λέξαι τί μοι.

Poſt-

Poſtea juſſi ipſum myrteo ramo ornatum referre
Carmen aliquod Æſchyli.

Et OVID. *amor. Lib. I. el. 2.*

Cingere litorea flaventia tempora myrto,
Muſa, per undenos emodulanda pedes.

Et *art. am. Lib. II. v. 733.*

- - Palmam date grata juventus,
Sertaque odoratæ myrtea ferte comæ.

Et *ſupplicantes* myrto ornatos docet ARISTOPH. in σφηκ.

Ἀλλ᾽ ὡς τάχιϛα πῦρ τὶς ἐξενεγκάτω
Καὶ μυῤῥίνας καὶ τὸν λιβανωτὸν ἔνδοθεν,
Ὅπως ἂν εὐξώμεθα πρῶτα τοῖς Θεοῖς.
Quam celerrime ignem aliquis efferat,
Et myrtos & thus, ut ſupplicemus Diis.

Eccleſia quoque humilitate inſignis eſt corona Principatus, Sacerdotii & Prophetici muneris noſtri Salvatoris. In illa enim virtutem & efficaciam *principatus* ſui oſtendit, quatenus omne Satanæ dominium in cordibus eorum deſtruxit 1 Joh. III, 8. Jeſ. XLIX. 25. 26. Omne peccati dominium per ſpiritum roboris ſui, tanquam ſceptrum firmiſſimum, confregit & juſtitiæ ſubditas animas conſtituit. Rom. IV, 25. 2 Cor V, 21. Rom. VI, 22. Omnem quoque φιλαυτίαν in corde ſuorum enervans, dominium gratiæ in eodem erexit. Gal. II, 20. In illa porro decus & effectus *Sacerdotii* ſui ſummi manifeſtat, quatenus unico ſuo ſacrificio in æternum omnes electos conſummavit Heb. X, 14. eosque ab omni reatu expiatos, ſanctos & inculpatos Deo ſiſtit. Eph. V, 25. 26. qui ſacerdotii ipſius gloriam ac laudem per ſecula æterna celebrare non deſinent Apoc. V, 12-14. *Corona* denique ſunt electi, muneris Chriſti *Prophetici*, quatenus lumen ab hoc ſole juſtitiæ mutuatum inſtar Lunæ quoque reflectunt, & ita radiant in obſcura hujus mundi progenie inſtar luminum. Cant. VI, 9. 10. 1 Pet. II, 12. ambulantes, uti filios lucis decet. 1 Theſſ. V, 5. 6.

XVI. 2. In *nuptiis* & *triumphis* myrti adhibebantur tanquam lætiſſima Symbola.

(a) Apud Hebræos *Sponſis* rami myrtorum præferebantur olim in ſignum

læti ominis, quare in *Sepher Juchaſ. fol. 102.* dicitur, mortuo Rab decretum eſſe: שלא יביא הדס וענפו דקלים בניגון לפני חתנים *Myrtum & ramos palmarum ſponſis cum pompa muſica non eſſe præferendos.* Et *Raſchi* apud CRAMER. *in Comm. ad Succ.* p. 190. היו רגילים להביא הדס וענפי דקלים לשמיח לפני החתן והכלה *ſolebant myrtum & ramos palmarum afferre, ut iis coram ſponſo & ſponſa lætarentur.* Apud alias gentes ſponſi *myrto* coronabantur, quo forte reſpicit TIBULL. *Lib. III. el. 4.* quando ſponſum deſcribit:

Intonſi crines longa cervice fluebant,
Stillabat Tyrio myrtea rore coma.

Ubi *myrtea coma* capillos ſerto myrteo ornatos deſignare poterit, niſi de colore explicare malis. Plerumque tamen poſtes & limina ſponſorum *myrto* ornabantur, unde CLAUDIAN. *in nupt. Honor.*

- - venturæ ſuſpendite lumina nocti,
Hi noſtra nitidos poſtes obducere myrto
Contendant.

vide BARTH. ad *h. l.* & *ad Claudian. epigr. p. 1002.* SAGITTAR. *de Jan. vet. p. m. 219.* PASCHAL. *de coron. Lib. VII. c. 19. p. 517.*

(b) In *triumphis* & *ovationibus* myrtum adhibitam eſſe teſtatur VALER. *Lib. III. cap. 7.* & Papyrium ovantem in triumpho *myrtea corona* uſum fuiſſe ſcribit PLIN. *hiſt. nat. Lib. XV cap. 29.* vide BULENG. *de triumph. cap. XIV. f. m. 38.* Huc reſpicit OVID. *Amor. Lib. I. el. 2.*

Necte comam myrto, maternas junge columbas &c.
Inque dato curru, populo clamante triumphum
Stabis, & adjunctas arte movebis aves.

Victoribus Iſthmicis quoque *myrtea* corona data, teſte PINDAR. *Iſthm. od. VIII.*

ἀμφὶ παγκρατίου κλεάνδρῳ
πλεκέτω μυρσίνας στέφανον.
Cleandro ob victoriam Pancratii
Nectat quis coronam myrti ſplendidam.

Vide etiam de corona myrtea triumphantium PASCHAL. *de coron. Lib. VII. cap. XXI. p. 520.* DEMSTER. *ad Roſ. antiq. Lib. X. cap. XXVIII. p. m. 1002.*

Ec-

Eccleſia ſpiritu contrito & humili prædita & variis perſecutionibus probata, *corona lætitiæ*, *nuptialis* Sponſi ſui & *triumphalis* Ducis ſalutis ſuæ eſt. Quemadmodum animæ converſæ per præconium Evangelii *corona lætitiæ* ſunt Doctoribus veritatis Phil. IV, 1. ita quoque corona lætitiæ erunt Sponſo cœleſti, Archangelo Eccleſiæ, in qua delicias & omne beneplacitum habet. Pſ. XLV, 12. Quare Eccleſia *corona* in manu Dei appellatur, quæ non derelicta amplius vocanda, ſed *deliciæ Jehovæ* Jeſ. LXII. 5. 6. Ita ſponſus myſticus *corona lætitiæ* ornatus in die nuptiarum apparet, in oculis etiam mundi admirabilis Cant. III. ult. Eccleſiæ membra genuina ſignum quoque lætiſſimi *triumphi* Meſſiæ exiſtunt, quatenus per converſionem eorum triumphat in dies de peccato, Satana & mundo. Tot enim genuini veritatis teſtes, quaſi *lapides coronati*, in ſignum victoriæ erecti, conſiderantur Zach. IX. 16. Omnes, quos ex Principis tenebrarum caſtris tanquam captivos liberavit Dux ſalutis, corona quaſi triumphi ejus exiſtent in ſeculis quoque futuris Apoc. V, 9-12.

XVII. 3. In *Funeribus* quoque veterum frequentiſſime apparebat myrtus. *Tumulos myrtis* ornabant, teſte EURIPID. *in Electr v. 324. p. m. 589.*

> Ἀγαμέμνονος δὲ τύμβος ἠτιμασμένος,
> Οὐ πώποτ᾽, οὐ χοὰς, οὐδὲ κλῶνα μυρσίνης
> Ἔλαβε.
> *Agamemnonis vero ſepulcrum neglectum,*
> *Nunquam nec libamina, nec ramum myrti*
> *Accepit.*

Similiter VIRGIL. *in Culic.* de tumulo canens:

> - *Hic eſt & Spartica myrtus,*
> *Atque hyacinthus, & hic lilii crocus editus arvo &c.*
> *His tumulus ſuper inſeritur, tum fronte locatur*
> *Elogium.*

Et *Lib. III. Æneid.* docet idem vates *myrtos* in tumulis plantatas ſæpe fuiſſe: v. 22.

> *Forte fuit juxta tumulus, quo cornea ſummo*
> *Virgulta & denſis haſtilibus horrida myrtus.*

Conf.

Conf. quæ *Taubmannus* ad h. l. commentatur. nec non KIRCHMANN. *de fun. Rom. Lib. IV. p. m. 378.* & quos citat auctores. Addimus tamen adhuc inſcriptionem inſignem a nullo, quantum ſcio, adhuc obſervatam, ſc. apud GRUTER. *in Theſ. pag. DCCLIII. n. IV.* quæ huc pertinet:

ALBINIÆ. VETTI. FIL.
VALERIANÆ. PUDICISS. FEM.
&c. &c.
LECTISTERNIUM. TEMPORE. PARENTALIOR. &c.
PONATUR. ET PARENTETUR. ITEM. CORONÆ
MYRT. TERNÆ. ET TEMPORE. ROSÆ. IUL.
TERNÆ EIS PONANTUR.

Eccleſia preſſa atque humiliata coronat quaſi & *exornat ſepulchrum* atque *mortem* Ducis ſalutis ſuæ; In illa enim memoria mortis Salvatoris perpetuo viret & renovatur. Cum apoſtolo ſtigmata mortis Domini ſui in corpore gerentes Gal. VI, 17. quaſi reliquias afflictionum & mortis Chriſti explent in carne ſua electi Col. I, 24. in communionem mortis & paſſionum ejus adducti Rom. VIII, 17. 2 Tim. II, 12. fructus efficaces mortis Salvatoris ſui in ſanctiſſima vita & juſtitiæ exercitio demonſtrant Rom. IV, 25. Eph. III, 19. Phil. I, 11. Imo credentes ſunt inſtar *myrtorum ex buſto* Salvatoris propullulantium, & in ejus tumulo plantatarum, quia vi mortis ejus ad novam vitam transeunt Rom. VI, 4. & fruges vitæ proferunt, ita ut ipſi poſt mortem efflorescant & vireant æternum inſtar palmæ & cedri in domo Jehovæ Pſ. XCII. 13. 14. 15.

XVIII. c. Pergimus ad uſus myrti *medicos*, quos varios eſſe THEOPHRASTUS, DIOSCORIDES, PLINIUS aliique paſſim abunde docuerunt, vide etiam LEMN *de herb. Bibl. p. m. 78.* & RHODIGIN. *Lect. antiq. p. m. 549.* Quare apud veteres contra ebrietatem in conviviis adhibebatur, teſte ATHENÆ *Deipnoſ. Lib. XV. p. m. 676.* καὶ ὁ Φιλωνίδης δέ εἴρηκεν, ὡς ὁ τῆς μυῤῥίνης ςέφανος τὴν ἐκ τῶν οἴνων ἀναθυμίασιν ἀποκρούεται, καὶ ὁ τῶν ῥόδων ἔχει τὶ κεφαλαλγίας παρηγορικὸν πρὸς τῷ καὶ ἐμψύχειν. *Verum id a Philonide proditum eſt, e myrto coronam meri vapores prohibere, e roſis autem refrigerare & gravitatem capitis lenire.* PLIN. *Lib. XXIII. cap. IX.* ſcribit de myrto: *ſemen ejus medetur ſangui-*

ſanguinem excreantibus, datur & dyſentericis denarii pondere in vino. Et *vinum myrtiten* ad ſedanda tormina utiliſſimum dicit *hiſt. Lib. XXX. cap. 7.* Contra fœtorem oris prodeſſe myrtum canit SEREN. SAMON. *de Medic. cap. 14. v. 237.*

Lentiſcus, myrtusque emendant oris odorem.

Quare etiam ad *balnea & thermas* plantari ſolebant myrti, quo reſpicit HORAT. *Epiſt. Lib. I. v. 5.*

- - *ſane myrteta relinqui,*
Dictaque ceſſantem nervis elidere morbum
Sulfura contemni.

Et OVID. *Faſt. Lib. IV. v. 139.*

Vos quoque ſub viridi myrto jubet illa lavari.

Eccleſia per varias afflictiones probata veram quoque medicinam exhibet miſeris & decumbentibus animabus. Eſt Gilead illa myſtica, pretioſum ſervans opobalſamum Jer. VIII, 22. per admonitiones ſalutares atque convictiones, tanquam *oleum* & *myrtiten* pretioſum animæ vulnera curare atque ſanare valet. Jer. LI, 9. electi in hoc orbe ſunt inſtar *ſalis* terræ, quod mundum a totali ruina & corruptione quaſi conſervat Matth. V, 13. Muniunt pectora contra voluptates & concupiſcentias hujus mundi & animum cœleſtia ſpirantem efficiunt. Qui *balneum* baptiſmi atque initiationis ingrediuntur, atque in *lavacrum* reſipiſcentiæ cum vera cordis contritione deſcendunt, hos tuetur Eccleſia umbra ſua inſtar myrti & largiſſimis promiſſis recreat. Imo in ſinu ſuo gerit medicinam univerſalem, ſcripturam ſacram, quæ integram animæ, per Chriſtum partam, ſalutem proponit; quare quibusvis vulneribus curandis ſalutare medium exhibet, quia arborem vitæ in medio ſui ſervat Apoc. XXII, 1. 2.

XIX. d. Reſtant uſus myrti *in ſacris* veterum. Myrtus enim variis Diis atque Deabus ſacra olim fuit. In *coronis Deorum* ſacris memoratur myrtus, HORAT. *Lib. III carm. od. 23.*

Coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

Et EURIPID. *in Jon. v. 120.* l. c. ἱερὰν μυρσίνης φόβαν *ſacra myrti folia* appellat. Bacchus *myrto* coronatur apud ARISTOPH. *in ran. act. I. ſc. VII*

 Ἴακχ

Ἴακχ᾽ ὦ ἴακχε,
Ἔλθε τόνδ᾽, ἀνὰ λειμῶνα χορεύσων
Ὁσίους ἐς θιασώτας.
Πολυκάρπων μὲν τινάσσων
Ἀμφὶ κρατὶ σῷ βρύοντα
Στέφανον μύρτων.

Iacche, Iacche veni per hoc pratum tripudians ſacros ad initiantes. Fructiferam concutiens circa caput tuum virentem coronam myrtorum. *Cereri* myrteam coronam tribuit enarrator *Sophoclis* apud NAT. *Mythol. Lib. V. p. m.340.* Præcipue autem *Veneri* ſacra fuit, ut ex loco *Virgilii* notiſſimo, & OVID. *faſt. IV. v. 15. Amor. Lib. I. el. XV. v. 37. Art. am. III. v. 181.* liquet. *Dianæ* ſacram facit PAUSAN. *Lacon. Lib. III. p. m. 206.* Imo *aras Deorum* coronabant myrtis, teſte EURIP. *in Alceſt. v. 168.*

Πάντας δὲ βωμοὺς, οἳ κατ᾽ Ἀδμήτου δόμους
Προσῆλθε, κἀ ξέστεψε, καὶ προσηύξατο
Πτόρθων ἀποσχίζουσα μυρσινῶν φόβην.
Ad omnes vero aras, quæ erant in ædibus Admeti,
Acceſſit, illasque coronavit & precata eſt,
Avellens a myrti laniis comam.

Quare & in *feſtis* diebus aut myrtos manu aut in capite geſtabant, quo refer HORAT. *Carm. I. od. IV.*

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ.

Atque in feſto Tabernaculorum quoque *myrtos* geſtatas, docet JOSEPH. *antiq. Lib. III. cap. X.* φέροντας, ait, ἐν ταῖς χερσὶν εἰρεσιώνην μυρσίνης καὶ ἰλέας *geſtantes manibus ramam myrti & ſalicis.* Et myrtum per ענף עץ עבת Lev. XXIII, 40. plurimi Judæorum & Chriſtianorum interpretes intelligi cenſent, vide Cl. DACHS. *in Succ. p. 183. ſq.*

Et Eccleſia Deo ſacra eſt & conſecrata. Quare ἐκκλησία ex reliqua hujus mundi progenie perverſa evocatus atque ſeparatus eſt cœtus. *Populus Dei eſt ſanctus*, peculium Dei, qui annuntiaturus eſt perfectiones vocantis ipſum ex tenebris ad lucem admirandam divinæ communionis 1 Pet. II, 9. hinc ad populum Dei vox illa: Jeſ. LIII, 11. *Diſcedite, diſcedite, ſeparate vos illinc, impurum ne attingite, exite e medio illius, ſancti-*

ſanctificate vos portantes vaſa Jehovæ. Deo quoque ideo in deliciis habentur, quare eos חפצי בה appellat Jeſ. LXII, 3. 4. Sunt corona ipſius myſtica, & ob pulchritudinem animæ purificatæ, quæ fidei ſpeique abundat, atque conſtantiam ac fidelitatem in tentationibus exercet, maxime ipſi grati exiſtunt. Apoc. III, 7-9. Summamque per haſce virtutes Capiti ſuo Chriſto excitant lætitiam, quaſi feſtivam i. e. maxime inſignem. Jeſ. LXII, 5.

XX. Beatum ergo populum, cujus Jehova eſt Deus, in cujus medio velut *inter myrtos* hic Dux ſalutis degit! O beatum Eccleſiæ ſtatum, quando myrto ſimilis exiſtit, Deo hominibusque gratæ. Aſt ubinam noſtris temporibus Eccleſiam myrto ſimillimam deprehendere licebit? Quum Eccleſia Proteſtantium externa variis in locis ſylvæ incultæ & horridæ formam gerat, & arboribus ſylveſtribus, emortuis, vera fide & vita deſtitutis, aut etiam non niſi folia vacua proferentibus, ſimilis exiſtat.

Quam rariſſime qualitates myrtorum in membris Eccleſiæ noſtri temporis & confeſſoribus externis deprehendes. Ubi eſt *pulchritudo* illa myſtica, qua delectatur Sponſus cœleſtis, quæ conſiſtit in demonſtratione imaginis divinæ ex operationibus animæ & corporis in hoc orbe radiantis. Plurimi deſtituuntur juſtitia Chriſti, pretioſo illo ornamento, quare non niſi dedecus in oculis Dei & ſanctorum angelorum exiſtant oportet. Ubi eſt *humilitas* illa & agnitio *fragilitatis*, quam myrtus depingit? quum faſtus ac gloria hujus mundi animum vana ſpe inflet, ac plurimi vel opibus, vel honorum faſtigiis, vel fortunæ externæ dotibus ſuperbiant, & interea animam miſerrimam, imagine ac favore Dei deſtitutam gerant, nec ſe pulverem eſſe & cinerem agnoſcentes coram majeſtate divina ſe humilient Gen. XVIII, 10. Ubi eſt *odor* ille gratiſſimus myrti? quum ſpurcus peccatorum horrendorum fœtor in cœlum ſæpe aſcendat, & loco favoris divini non niſi iræ tremendos excitet effectus. Quam pauci in hyeme tentationum atque afflictionum hujus vitæ fideles perdurant inſtar *myrti*, quum eccleſia externa tot temporariis referta ſit, qui quovis vento agitati, & tempore tentationum deficiunt, qui nomen Domini ſui propter externa ſæpe commoda denegare non erubeſcunt. Ubi eſt *amor* ille, quem *myrtorum* inſtar

erga *ſolem* juſtitiæ in animo ſuo ferre deberent, qui omnes in hac ſalute delicias quærerent, & radiis juſtitiæ ipſius nunquam non illuſtrari contenderent. Phil. III, 9. quum potius corda gerant vel plane frigida atque omni amoris divini igne vacua, vel tepida Deoque abominanda. Apoc. III, 15. Quam pauci *aquas* amant myrtorum inſtar, quorum pectora ſitienti arenæ ſimilia, omni donorum Spiritus S. gratia carent & maturæ ſuæ ſtatui miſero indulgent; qui reſpuunt aquas oblatas, vel fruſtra eas hauriunt inſtar terræ ſiticuloſæ toties irrigatæ & tamen induratæ, quæ maledictioni obnoxia eſt. Hebr. VI, 7. 8. Qualia ſunt *folia* externæ confeſſionis, quales *fructus*? Confeſſio externa, quam multi adhuc præ ſe ferunt, non tamen eſt ſanctificata, folia non roſcida ſunt, ſed arida, quæ gerunt; *fructus* eorum non inſtar myrti ſunt balſamum ſalutare, fruges ſc. Spiritus, Gal. V, 22. ſed potius venenum lethale animæ, quo & alias animas incautas decipiunt, & in æternum ſecum mortem rapiunt.

Abſit ergo ut Jehova in tali *myrteto degere & verſari* queat, ut illorum frugibus deliciari, ut ipſi corona capiti huic exiſtere, ſummamque ipſi lætitiam tanquam ſponſo myſtico excitare, atque in aliorum ſalutem aliquid conferre valeant, ut potius tanquam inutile lignum, Deoque abominabile, in ignem æternum projiciendi ſint.

Evigilet ergo, quisquis in horto Eccleſiæ externæ inſtar arboris plantatus exiſtit. Adhibeat uſu ſerio media gratiæ oblata, ut illis ſterilitas naturalis corrigatur & myrtus ipſe exiſtat Deo hominibusque grata. Avide excipiat rorem & pluviam cœleſtem, i. e. præconium veritatis, quæ cor convincere & ferax reddere valet. Tempus adhuc gratiæ perdurat, ſed væ arbori, quæ nullas protulit fruges, quando tempus longanimitatis effluxit, ſane ſecuri divinæ excandeſcentiæ exſcindetur.

Aſt & *myrtetum* ſupereſt gratiſſimum Deo ambulacrum in ſylva hujus mundi horrida & inculta; ſuperſunt aurei ſeminis reliquiæ, vera Eccleſiæ cœleſtis & internæ membra, quæ per totam vitæ converſationem *Myrti* nobiliſſimæ qualitates manifeſtant, & præcipue humili corde Deo ſuo adhærent immota Pſ. LXXIII, 28. Inprimis autem myrto ſimilia exiſtunt, quando perſecutionibus hoſtium veritatis premuntur, ut in pulvere quaſi hæreant Pſ. CXIX, 25. & inſtar columbæ in petrarum fiſſuris degant Cant. II, 14. Verum his quoque membris viſio hæc eſt ſo-

ſolatii balſamum gratiſſimum, quum inde ipſis conſtet, Jehova Deum ſuum in *medio myrteti* humilis & preſſi agere, & quidem *inſidentem equo* tanquam victorem, qui populum ſuum preſſum liberaturus eſt ex omni anguſtia. Beatas ergo animas, quæ inſtar myrtorum ad aquas vitæ plantatarum fruges gerunt dulciſſimas operum bonorum & donorum Spiritus S. Hæ aliquando per mortem eradicatæ e viventium terra, in paradiſum transplantabuntur. Hæ corona lætitiæ & triumphalis exiſtent Duci ſalutis ſuæ æternum. Hæ communione Dei Dominique ſui fruentur in ſecula, frugesque gerent cœleſtes & minime perituras, atque ita Dei deliciæ exiſtent illibatæ in ſecula ſeculorum.

EXERCITATIO X.
DE
TINTINNABULIS EQUORUM
SYMB. CONFESSIONIS ET PRÆCONII VERITATIS.

ZACH. XIV, 20.

ARGUMENTUM.

Locus Zach. XIV. 20. breviter enucleatur, atque ex variis interpretum ſententiis veriſimillima exhibetur §. I. TINTINNABULI emblema indagatur, illudque in ſacris & profanis ſymbolum eſſe tum hominis facundi tum quoque confeſſionis & præconii, docetur §. II. Ubi ſimul tintinnabulorum in veſte S. Pontif. ſenſus typicus enucleatur. Analogiæ dein exhibentur inter tintinnabula & confeſſionem ac præconium veritatis, conſiderando materiam tintinnabulorum, quæ aurum, argentum, æs. §. III. Nec non formam eorum, quæ rotunda & labii figuram exhibebat. §. IV. & malleum ſeu globulum, qui ſonum efficit §. V. additur

 tur

tur inſcriptio *tintinnabulorum h. l. notanda.* §. *VI. Tranſimus ad varios eorum uſus, tum civiles & domeſticos, quod geſtari ſoleant a filiis & filiabus regiis apud orientales* §. *VII. porro a paſtoribus gregum olim & cuſtodibus murorum geſtata* §. *VIII. uti & in cubiculis & thalamis uſitata* §. *IX. nec non apud Romanos in ſuppliciis publicis a lictoribus prælata.* §. *X. Inſuper & clypeis militum ad hoſtibus terrorem incutiendum appenſa* §. *XI. & æris tinnuli ſingularis denique uſus in apibus colligendis excutitur.* §. *XII. Adduntur tum uſus ſacri, quod ſacerdotes iis in miniſterio ſacro* §. *XIII. & in incantationibus abigendis adhibuerint veteres* §. *XIV. Et tandem uſus ſingularis in phaleris equorum, ad quem in loco Zach. alluditur, notatur* §. *XV. addito epilogo morali* §. *XVI.*

I.

DIfficilis admodum interpretibus viſa fuit promiſſio, quam legimus ZACH. *XIV, 20.* ביום ההוא יהיה על מצילות הסוס ק״ לי״ והיה הסירות בבית יהוה כמזרקים לפני המזבח *Die illo erit* (*inſcriptum*) *ſuper tintinnabulis equi* (equorum) *Sanctitas Jehovæ. Et ollæ domus Jehovæ erunt inſtar pellium coram altari.* Quod ad prius tmema attinet, varia interpretum in explicando hoc emblemate & demonſtrando ſenſu prophetico divortia occurrunt. THEODORETUS in litera hærens explicat de victoria inſigni, qua ſpolia varia equorum bellicorum hoſtibus erepta, Deo tanquam victori ſuſpendenda eſſent atque conſecranda. Plurimi vero Patrum, veluti AMBROSIUS, CYRILLUS, SOZOMEN. *Hiſt. Eccl. Lib. II. c. I.* & NICEPH. *Lib. VIII. c. 29.* hoc referunt ad *fræna* Conſtantini M. quæ clavo, quo Chriſtus fuit crucifixus, ornata finguntur, quem mater Conſtantini Helena inveniſſe dicitur. CORN. a LAPIDE & GROTIUS ad tempora Maccabæorum referunt, qui Deo manubias & ſpolia hoſtium conſecraverint.

Cæterum quoad vocem מצילות inſignis occurrit in verſionibus diſſenſus. LXX. χαλίνες, Vulg. *frænum*, CHALDÆUS & HIERONYMUS *phaleras* reddiderunt; alii, ut MüNSTERUS *collaria*, alii *tegumenta* vel *ſtragula* (a צלל tegere) vel *thoracem*, vertunt, Verum a variis jam demonſtratum eſt viris doctiſſimis, melius per *tintinnabula* reddi

di poſſe, quum radix צלל ſæpius de *tinnitu* uſurpetur, vid. Hab. III, 13. Jer. XIX, 3. 1 Sam. III, 11. unde צלצלים *tintinnabula* & cymbala 2 Sam. V, 5. Pſ. CL, 5. & מצילתים *cymbala* 1 Chron. XIII, 8. Neh. XII, 27. Et *equis* apud orientales aliosque populos tintinnabula fuiſſe ornatus gratia addita infra docebimus. Jam vero in his inſcriptio legebatur illa, quæ olim in lamina illa aurea S. Pontificis, cui uni inter mortales aditus ad thronum majeſtatis Dei Iſraelis patebat, cernebatur ſc. קדש ליהוה. *Equi* in ſcriptis ſacris emblema ſunt *tum Regum* potentiſſimorum Zach. I, 8. *tum* in ſpecie *Doctorum* Eccleſiæ, utpote quibus inequitat Meſſias per verbum veritatis Pſ. XLV, 5. Pſ. LXVIII, 5. Zach. X, 5. qui generoſo animo tempore pacis ac belli in curſu Evangelii indefeſſi exiſtunt. Hos quoque in ſpecie hoc in loco intelligimus, ita tamen ut *Reges* terræ, quorum ſymb. quoque *equi* exiſtunt, non excludendos judicemus. Senſus ergo hujus loci, quantum nos aſſequi valemus, hic eſt: Tempore ultimo non ſolum Principes ac Reges terræ, hactenus Eccleſiæ hoſtes, & inſtar *equorum bellicorum* illam impugnantes, ſed & *Doctores* atque ſacerdotes, qui veritatis hactenus hoſtes exſtitere, eſſe convertendos, & in ſancta confeſſione veritatis ejusque præconio, ſingularem zelum eſſe manifeſtaturos. *Equos* enim *bellicos* ut intelligamus, ſuadent præcedentia, veluti comma 12. 15. 16. Et non *principes* ſolum gentium, ſed & Antichriſti ejusque doctores intelligendos *eſſe*, judicamus ex eo, quia non *gentes* ſolum, ſed in ſpecie *Ægypti* quoque ſc. myſticæ (quæ eſt Antichriſtianiſmus) incolæ memorantur in præcedd. præcipue Comm. 19. Ergo *Reges terræ* gloriam ſuam in novam Hieroſolymam adducent Apoc. XXI, 24. Sed & falſæ doctrinæ aſſeclæ veritatem puram atque ſanctam profitebuntur Zeph. III, 9. Jeſ. LXVI. 19. 20. in quo loco poſteriori etiam *equi*, qui ad adducendum ſemen Dei ſanctum adhibendi ſint, memorantur.

II. Sed redeamus ad ſcopum noſtrum & emblema TINTINNABULORUM excutiamus. Deſignant illa

a) *homines facundos* & in ſpecie confeſſores & præcones veritatis. Huc refero locum 1 Cor. XIII, 1. *ſi linguis hominum & angelorum loquor, & amore deſtituor*, γέγονα χαλκὸς ἠχῶν, ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον, exiſterem *æs tinniens & cymbalum reſonans acute*, de quo loco vide CLERIC. a*d Hammond. in N. T.* & AMEL. *in N. T. V. II. p. 448.* nec non Cel.

WOLF.

WOLF. *in cur. phil. ad h. l.* Ita Ulyſſes ob facundiam *crepitaculum* dicitur EURIPID. *in Rheſ. v. 497.*

- ἐςὶ δ᾽ αἱμυλώτατον
κρότημ᾽ Ὀδυσσεὺς
Eſt autem facundiſſimum crepitaculum
Ulyſſes.

Ita JUL. POLLUX *Onom. Lib. VI.* Δωδωναῖον χαλκεῖον *Tintinnabulum Dodonæum* de homine garrulo & facundo adhibet, quo refert etiam adagium: *Nola in cubiculo*: COEL. RHODIG. *Lect. Antiq. Lib. XIX.* cap. XI. quod explicat de homine garrulo & grandia domi jactante.

b) Symbolum quoque *confeſſionis & præconii* veritatis, quod per *tintinnabula* in tunica S. Pontificis ſub V. T. conſpicua præfigurabatur. Exod. XXVIII. 33. 34. XXXIX. 25. Quot autem fuerint, ſacra pagina non docet: JUSTINUS MARTYR in *dialogo cum Tryph.* XII. MAIMONIDES autem cum aliis Rabbinis LXXII. fuiſſe contendit. Conf. etiam BRAUN. *de veſt. Hebr. Lib. II. cap. V.* Cel. CRAMER. *in antiq. Moſ. Vol. I. p. 52.* per malogranata *virtutes* Apoſtolorum, per tintinnabula *dona linguarum* intelligit. Cl. LYDIUS *de re mil. p. 74.* & BENDERUS in *ſpiritu Prophetiæ p. 69. preces* per tintinnabula, quas Chriſtus in diebus carnis effudit, intelligi & præfigurari cenſent. Verum quum *tunica Pontificis* typus fuerit *pallii ſalutis* & juſtitiæ Sacerdotis noſtri ſummi, quam acquiſivit nobis Jeſ. LXI, 10. *malogranata*, quæ ſymb. apud veteres *amoris* ſunt, amorem ejus æternum & multifarium, quem in ſponſione & ſatisfactione exhibuit, & *tintinnabula* præconium Evangelii & medii ſalutis manifeſtationem per illud, deſignare apte poterunt; per præconium enim manifeſtatur S. Sacerdos in juſtitia ſua, quam peccatori acquiſivit. Quare & apud profanos autores tintinnabula *facundi præconii* ſymb. exiſtunt, ita apud LONGINUM περὶ ὕψους *ſect. XXI.* legitur κωδώνας ἐξῆφθαι *tintinnabula appenſa* i. e. *phalerata verba crepare.* Et JUVENAL. *ſat. VI. p. 439.*

- *verborum tanta cadit vis,*
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulſari.

III. Pergimus ad analogias, quæ inter confeſſionem veritatis ejus-

juſque præconium atque TINTINNABULA excitari queunt. Et quidem conſiderando A. in genere eorum *formam & uſum*, B. in ſpecie quatenus *Equis appenſa* erant.

A. *Tintinnabula* in genere ſi ſpectes, varias primo qualitates, dein uſus conſiderabimus.

א. Inter qualitates & attributa eorum

a. *Materia tintinnabulorum* notanda, quæ erat vel *aurea* vel *ærea*. *Aurea* erant ſummi Pontificis, פעמני זהב appellata Exod. XXVIII, 33. Sic DIODOR. *SIC. Lib. XVIII.* ἐςέφανωντο κεχρυσωμένῳ ςεφάνῳ καὶ παρ' ἑκατέραν τῶν σιαγόνων εἶχεν ἐξηρτημένον κώδωνα χρυσȣ̃ν. *Et ad utramque maxillam habebant tintinnabulum ex auro, coronam deauratam gerentes.* *Ærea* memorat LUCIAN. *de Dea Syr. p. m. 780. Tom. III. opp.* προΐέει ποίημα χάλκεον, τὸ ἀείδει μέγα καὶ τρῆχυ. *pulſat æreum quoddam graviter & aſpere ſonans tintinnabulum.* Et ÆSCHYL. apud LYD. *de re milit. p. 74.*

- ὑπ' ἀσπίδος δὲ τῷ
χαλκήλατοι πλάζȣσι κώδωνες φόβῳ.
Super aſpide ſeu clypeo vero errant
Tintinnabula ex ære ducta ad terrorem.

Innuit ergo hoc ſenſu myſtico argumentum præconii & confeſſionis Regum & Doctorum ultimi temporis eſſe veritates pretioſiſſimas, quæ inſtar auri depurati & æris terſiſſimi ſunt. Prov. III, 14. 15. XVI, 16. Hiob. XXVIII. 15-19. Pſ. XIX, 11. Prov. VIII, 11. Pſ. CXIX, 127. pretio enim ſuo omne aurum effoſſum ſuperat, ſplendore ſuo illud longe antecellit, & divitias ac theſauros animæ pretioſos excitat Pſ. CXIX, 98. per varios tentationum & perſecutionum ignes purgata inſtar auri veritas eſt. Pſ. XII. 7. ut æs quoque non fulgore ſolum ſanctitatis ac majeſtatis divinæ, quam manifeſtat, rutilat, verum etiam gratum atque auctum ſonum in pectore hominum excitat, ut infra videbimus latius. Conſtanter quoque inſtar auri ærisque per omnia ſecula durat veritas & illibatam ſe tuetur. Heb. XIII, 8. Luc. XXI, 33. Pſ. CXIX, 89. 1 Pet. I, 25. Jeſ. XL, 8. Matth. V, 18.

IV. b. Tranſimus ad *formam* tintinnabulorum, quam vix definire licebit. Sunt quidem, qui inſtar campanularum illa fuiſſe conjiciunt.

 Ve-

Verum oris ac labiorum formam, atque os quaſi apertum, habuiſſe conjicimus, quemadmodum AMALARIUS FORTUNATUS *Lib. III. cap. 3.* apud PIGNOR. *de ſervis. p. m. 85.* de cymbalis ſcribit: *cymbala invicem tanguntur ut ſonent, ideo a quibusdam labiis noſtris comparata ſunt.* Saltem *os* ipſis *æreum* tribuit SOPHOCLES *in Ajace.*

χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς.

Quare & *orificium tubæ κώδων* appellari ſolebat apud antiquos teſte *Scholiaſte Sophoclis* l. c. Veriſimili ergo conjectura inde colligimus, fuiſſe inſtar cymbalorum conjunctorum, atque formam rotundam intus cavam exhibuiſſe, ore aperto præditam, per quod ſonus ope malleoli ſeu globuli edebatur, quales hodiedum adhuc reperiuntur & in figuris infra adducendis conſpiciuntur.

Innuit hoc confeſſionis & præconii modum, quod fit per inſtrumentum oris & labiorum Deo conſecratorum, quare Zeph. III, 9. Jehova promittit ſe mutaturum in populis *labium*, ut *purum* ſit, quo *omnes invocent nomen Jehovæ, colendo eum humero uno;* quæ verba explicant aperte locum noſtrum, quo *Sanctitas* in tintinnabulis, labiorum forma præditis, inſcripta dicitur. *Rotunda* eorum peripheria *perfectionem* confeſſionis atque præconii veritatis, atque *univerſalitatem* ejus, quæ ultimis temporibus exſpectatur, deſignare apte poterit. Jeſ. XI, 9. LXVI. 19. 20. Jer. XXXI, 34. Non erunt tintinnabula clauſa, ſed *aperta*, quæ nomen Dei coram mundo publice profitebuntur Matth. X, 32. tanquam populus a Deo paratus & inſtructus ad celebrandas virtutes & gloriam ipſius Jeſ. XLIII, 21. 1 Pet. II, 9.

V. c. *Malleus* quoque ſeu *globulus* tintinnabulorum notandus eſt, quo ſonus dirigitur, & cujus percuſſione in aëre formatur, qui cum tintinnabulo arcte jungitur in ejus medio. Huc refer, quæ MAIMONID. in פרה אדמה *cap. XII.* ſcribit: תזוג והענבל חיבור לטמאת ולהזאה ואם הזה על אחר מהן טהרו. שניהן *Inter tintinnabulum & malleum ejus arctus eſt nexus ad immunditiem & ſparſionem, ſi ſparſerit ſuper unum illorum, tum ambo munda facta ſunt.* Et in *Schabb. fol. 57.* dicitur כטלו ענבל יהין *ſuſtulerunt malleos tintinnabulorum*, ne ſc. ſonum ederent. Et in gloſſa ענבל explicatur per לשון vel ברזל *linguam*

guam vel *ferrum interius* משמיע קול *ſonum excitans.* Huc forte reſpicit OVID. *Faſt. L. IV.*

Æraque tinnitus ære repulſa dabant.

Niſi potius cymbala concuſſa invicem intelligere velis. Saltem malleus percutiens tintinnabulum, ſonum excitat, & absque malleo, cavum & inane eſſet inſtrumentum.

Egregie hoc pingit operationes *Spiritus S.* qui quaſi *malleus* tintinnabulorum myſticus eſt, qui in medio credentium ac confeſſorum veritatis habitat 2 Cor. VI, 16. 1 Cor. VI, 19. illos agit & aptos reddit ad præconium & confeſſionem Deo gratam. Quare absque hoc Spiritu vaſa inania ſunt credentes. Recte Apoſtolus in hanc rem ſcribit. 2 Cor. III, 5. *Non quod idonei & apti ſimus per nos ipſos ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipſis, ſed quod idonei ſumus, ex Deo eſt, qui effecit, ut eſſemus idonei ad miniſterium novi fœderis, non literæ ſed Spiritus.* Et Petrus 2 Ep. I, 21. teſtatur, quod homines Dei ſancti locuti ſint ac veritates ſalutares pronuntiaverint φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίȣ. Ille eſt, qui in hisce gloriæ inſtrumentis operatur *velle & perficere.* Phil. II, 12. & omne, quod exequuntur, ab ejus virtute dependet Jeſ. XXVI, 12.

VI. d. *Inſcriptio* tintinnabulorum quoque hoc in loco noſtro memoratur, cujus rei veſtigia in antiquitatibus profanis vix deprehendes. Forte tamen huc referri poſſet locus inſignis apud DIODOR. *Sicul. Lib. V.* ὁ ὁ᾽ ȣ̃ν Κάδμος καὶ τὴν Λινδίαν Ἀθηνᾶν ἐτίμησεν ἀναθήμασιν, ἐν οἷς ἦν χαλκȣ̃ς ἀξιόλογος, κατεσκευασμένος εἰς τὸν ἀρχαῖον ῥυθμὸν, ȣ̃τος δὲ ΕΠΙΓΡΑΦΗΝ γράμμασιν Φοινικοῖς εἶχε. *Ac Cadmus quidem Minervam Lindiam donariis honoravit. Inter quæ erat Lebes æneus* (ſ. tintinnabuli genus) *dignus memoratu, antiqua concinnitate factus, habebatque inſcriptionem literis Phœnicibus.* Χαλκȣ̃ς equidem in genere *vas* quoddam *æneum* deſignat, & *Pindaro* ærei lebetes ac tripodes eadem denotantur, conf. SPANHEM. *ad Callim. p. 500.* HESYCHIUS tamen in voce χαλκόςομα, etiam cymbala & inſtrumenta muſica hac voce denotari cenſet.

Saltem in Tintinnabulis myſticis *inſcriptio* memoratur inſignis ſc. eadem, quæ in lamina aurea S. Pontificis V. T. inſculpta legebatur: קדש ליהוה. qua innuitur ea eſſe tintinnabula Deo conſecrata & vaſa

gloriæ ſuæ, adeoque & confeſſionem ipſorum ac præconium ad virtutum divinarum celebrationem vergere. *Sanctitas* enim in Eccleſia ultimorum temporum decus erit atque ornamentum Pſ. XCIII, 5. Quando Hieroſolyma nova apparebit, in quam nullus ingredietur unquam impurus, Apoc. XXI, 27. & ipſa erit *mons ſanctitatis* Jehovæ Jeſ. LXV, 25. Præcipue autem per confeſſionem puriſſimam Zeph. III, 9. & præconium puriſſimæ veritatis ſanctitatem Dei ſui ubique manifeſtabunt atque patefacient hæc vaſa gloriæ Jehovæ, quaſi nomen Dei in fronte gerentia Apoc. XXII, 14.

VII. Tranſimus ב ad varios tintinnabulorum apud veteres uſus, qui fuere domeſtici, civiles & ſacri.

α. Quod ad uſus ejus domeſticos & civiles attinet, varii erant,

1. Gerebantur olim tintinnabula a filiis & filiabus ex nobili & regia proſapia procreatis, præprimis apud Hebræos atque populos orientis antiquos. Ita *in Maſſech. Schabb. cap. VI. §. 9.* הבנים יוצאים בקשרים ובני מלכים בזוגין *Filii exeunt cum corrigiis alligatis, & filii regum cum tintinnabulis*, ornamenti ſc. cauſa veſtimentis annexis & appenſis, ut vult BUXT. *in Lex. p. 652.* adde etiam SCHMIDII notas ad h. loc. *Miſchn.* & RAMBAM *in hilc. Schab. cap. 19. qui* בזוגין הארוגין בבגדים *cum tintinnabulis intextis veſtimentis eorum*, explicat. Huc reſpicit locus Jeſ. III, 16. quando de filiabus Hieroſ. dicitur, quod ſint ברגליהם תעכסנה *tinnientes pedibus*, quod R. DAV. KIMCHI *in lib. Schoraſch. fol. 93.* exponit ſcribens; תקשרשנה בעכסים שברגליהם והוא חלי שמקשקש שנושאות הנשים ברגליהם *ſonum alicujus campanæ edebant per catenulas compedales pedibus injectas. Hoc enim fuit monile, inſtar tintinnabuli reſonans, quod geſtabant virgines in pedibus ſuis.* In genere *regium* fuiſſe *ornatum* liquet e *Targum. Schen. in lib. Eſth. cap. VI.* ubi Haman jubetur ex theſauro regio *veſtes ſericas*, margaritas, *tintinnabulis* & malogranatis ornatas depromere. Vide plura de hoc veſtium regiarum ornatu. Cl. SCHOETGEN. *Diſſ. de nolis in veſtitu Starg. 1725. p. 6. ſq.*

Et filiis ac filiabus Regis ſupremi conveniunt hæc *tintinnabula* myſtica, utpote quibus ſe cœleſti proſapia ortos demonſtrant. Ideo enim conſtituit Deus eos ſacerdotium *regium*, populum peculii, & Dei filios,

filios, ut *annuntiarent* perfectiones ejus, qui ad hocce felicitatis faſtigium ipſos extulit, 1 Pet. II, 9. præconium virtutum divinarum ac confeſſio veritatis pura ac decens ſignum eſt ſtatus ipſorum cœleſtis & τεκμήριον υἱοθεσίας, qua ſe filios & hæredes Regis Regum coram mundo demonſtrant Apoc. III, 9. Matth. V, 16. 1 Pet. II, 12. Hoc eſt ornamentum ipſorum, hoc decus, quare Eccleſia corona XII. ſtellarum i.e. veritatis Apoſtolicæ ſ. Evangelicæ ornata apparet & illuſtris Apoc. XII, 1.

VIII. 2. *Paſtores* gregum tintinnabulis percuſſis præibant armenta, eaque educere ſolebant ſono illorum apud antiquos; Ita *Gloſſa ad Bav. Kam. fol. 52.* apud BUXT. *in Lex. p. 2153.* vocem קרקשתא explicat: i.e. זוג שמקרקש בם לפני העדר *Tintinnabulum, quo ſonum edunt paſcentes ante gregem. Cuſtodes* quoque tum ædium regiarum, tum murorum urbis *tintinnabulis* utebantur apud Græcos & Romanos. De cuſtodibus murorum locus eſt inſignis aqud ARISTOPH. in ὄρνεσ.

Καὶ νῦν ἁπάντ' ἐκεῖνα πεπύλωται πύλαις,
Καὶ βεβαλάνωται. καὶ φυλάττεται κύκλῳ
Ἐφοδεύεται, κωδωνοφορεῖται, πανταχῆ.
Φυλακαὶ καθεστήκασι

Et nunc omnes (muri) portis inſtructi
Et clauſi ſunt, & cuſtodiuntur, circumquaque
Transeuntur, tintinnabulo feritur, undique
Cuſtodiæ ſtatutæ ſunt.

Janitores quoque ædium Romanorum procerum *tintinnabulis* uſos fuiſſe ex *Dione* probat Cel. CASAUBON. ad illud SUETON. *Lib. II. cap. 91. Tonantem pro janitore ei appoſitum, ideoque mox tintinnabulis faſtigium ædis redimivit.* conf. etiam quæ adducit SAGITTAR. *de Jan. p. m. 150.* & *Servis* illa appenſa docet BARTH. *Adverſ. Lib. XXXIX. cap. XIII.*

Optime quoque tintinnabula myſtica conveniunt *paſtoribus, cuſtodibusque* myſticis Eccleſiæ, ſervis Dei, Eccleſiæ doctoribus, qui ſonum veritatis Evangelii excitant per præconium, tanquam cuſtodes in muris Hieroſolymæ, qui *nec noctu nec diu ſilent* & quieſcunt Jeſ. LXII, 6. 7. qui hortatoriis, reprehenſoriis & convictoriis argumentis animas excitant ſecuras, & ad vigilantiam ac certamen contra hoſtes veritatis &

 ſa-

ſalutis incendunt. Qui gregem ſibi demandatum inſtar paſtorum paſcunt, atque præeunt præconio ac confeſſione veritatis, alliciuntque ut ſe duces ſequantur. Act. XX, 28. Jer. III, 15. Qui tanquam *ſervi* & miniſtri domus regiæ Dei, i. e. Eccleſiæ, fores ejus cuſtodiunt, & contra fures, hoſtes veritatis, defendunt per veritatis puriſſimæ tutelam. Cant. III, 7. 8.

IX. 3. In *cubiculis* & *thalamis* etiam adhibita tintinnabula legimus, quibus excitabantur *dormientes* ex ſomno, & ad labores vocabantur. Huc reſpiciunt Judæi in *Nidda fol. 17. col.* 1. מקרקש זגי דכילתא *pulſabat tintinnabula cubiculi.* Clarius hoc exprimit LUCIAN. *de Merced. conduct. Opp. T. I p. m. 334.* ἕωθέν τε ὑπὸ κώδωνι ἐξαναςὰς, ἀποσεισάμενος τȣ̃ ὕπνȣ τὸ ἥδιςον, συμπεριθεὶς ἄνω καὶ κάτω. *Deinde mane ad tintinnabulum expergefactus, diſcuſſa ab oculis dulciſſima ſomni parte, una ſurſum ac deorſum circumcurſas.* Similiter tintinnabulis lavaturi ad *thermas* & *lavacra* revocabantur, unde MARTIAL. *Lib. XIV. ep. 163.*

Redde pilam, ſonat æs thermarum, ludere pergis?
Virgine vis ſola lotus abire domum.

adde RHODIGIN. *Lect. antiq. Lib. XIX. cap. XI. p. m. 1063.*

Tintinnabula myſtica quoque medium ſunt, quo excitari ſolent homines ſopore ſecuritatis carnalis & peccatorum obruti, intonant enim illum Evangelii ſonum Eph. V, 14. *evigila qui dormis & ſurge ex mortuis, ut tibi Chriſtus illuceſcat.* Excitant otioſos ad laborem & opus illud graviſſimum, ut cum tremore ſalutem ſuam perficere ſtudeant Phil. II, 12. in memoriam illis revocantes promiſſiones de mercede gratiſſima laborum in fine diſtribuenda 1 Cor. XV, 58. Toties hac voce præconii invitant eos atque revocant ad lavacrum reſipiſcentiæ & converſionis. Veluti de Johanne Baptiſta ſacræ paginæ teſtantur, quod ſit *vox vocantis in deſerto*, quæ exclamat; *Reſipiſcite & convertimini, quia cælorum regnum appropinquavit.* Matth. III, 3. Acclamant ipſis hoc præconio: *Lavate, purificate vos, projicientes omnem factorum pravitatem coram oculis meis, & deſiſtite a ſceleribus veſtris.* Jeſ. I, 16.

X. 4. Tintinnabula etiam in *ſuppliciis* publicis adhibita legimus; quando quis capitis damnaretur, tintinnabulo ipſius ſupplicium publice ſignificabatur, præcipue quando educeretur, ut quivis illum vitaret quaſi impurum, ne pollueretur. Huc reſpicit PLAUTUS *in Pſeudol. Act. I. ſc. 3.*

Ex-

*Extra portam Metiam currendum eſt prius, Lanios inde accerſam duos cum tintinnabulis, eadem duo greges virgarum ulmearum inde *adegero.* conf. TURNEB. *adverſ. Lib. XXIII. cap. XI.* Quare Imperatores triumphantes ex curru triumphali *flagrum* & *tintinnabulum*, indicia ſuppliciorum ſuſpenſa vehebant, ut monerentur etiam adverſæ fortunæ, ne honoris hujus gradu nimium ſe extollerent, teſte BULENGER. *in triumph. cap. XXX. p. m. 79.* & *Zonara apud* ROSIN. *in Antiq. Rom. Lib. X. cap. XXIX. p. m. 1005.*

Similiter per hoc præconium deſignantur ad judicium indurati peccatis & ſceleribus ſuis, illisque ſupremum denuntiatur judicium; omnesque viciſſim qui ſalutis ſuæ curam gerunt, admonentur ab illis cavere. Illis enim, qui cives ſunt cœleſtis Hieroſolymæ acclamatur his tintinnabulis myſticis: *Diſcedite, diſcedite, ſeparate vos illinc, impurum ne attingitote, exite e medio iſtius, purgate vos, qui vaſa Jehovæ geſtatis.* Jeſ. LII, 11. Apoc. XVIII, 4. Sæpius graviſſima Dei judicia denuntiantur hocce ſono non reſipiſcentibus. 1 Cor. VI, 9. Heb. X, 31. *Horrendum eſt incidere in manus Jehovæ.* Illorum portionem futuram *in ſtagno ſulphuris & ignis* Apoc. XXI, 8. Quemque ad faſtigia honoris mundani elatum monent de futuro, ne præſentibus ſuperbiat, Deumque negligat, qui ſuperbis reſiſtit, & altos humiliat 1 Pet. V, 5. 6. Luc. I, 51. 52.

XI. 5. *Clypeis* quoque militaribus olim appenſa tintinnabula docent antiqua monumenta, ut illorum ſono, clypeis ſc. percuſſis & motis, terror hoſtibus incuteretur animusque pugnantibus adderetur. Docet id ÆSCHYL. *in Theb. p. 57.*

Τοῖαυτ᾽ αὐτῶν τρεῖς κατασκίους λόφους
Σείει, κράνους χαίτωμ᾽, ὑπ᾽ ἀσπίδος δὲ τῷ
Χαλκήλατοι κλάζουσι κώδωνες φόβον.
Talia clamans, tres umbroſas criſtas
Concutit, & comam capitis, ſub clypeo vero ipſi
Ære fuſa tintinnabula tremendum quid ſonant.

EURIP. *in Rheſ. v. 382.*

Ἴδε χρυσόδετον σώματος ἀλκὴν
Κλύε δὲ κόμπους κωδωνοκρότους
Παρὰ πορπάκων τοὺς κελαδοῦντας.
Vide auro tectum corporis robur,

Audi

Audi ſtrepitus tintinnabulorum crepitantium
A clypei fibulis reſonantes.

πορπὴ enim & πόρπαξ HESYCHIO *clypei* fibula eſt. Vide etiam LYD. *de re milit. Lib. III. cap. VI.* Ch. SCHOETG. *Diſſ. cit.* nec non Cl. BRüNING. *Ant. Græc. cap. VIII. p. 87.*

Quum *clypeus fidei* ſit ſymbolum teſte Apoſtolo Eph. VI, 16. optime ſenſu quoque myſtico clypeus & tintinnabula junguntur, quum confeſſio præconiumque veritatis fidem quoque ſequantur & junctam ſervent. Qui enim clypeum veræ fidei gerit, contra hoſtes ſpirituales & veritatis pugnaturus, confeſſione ſua magnanima & conſtantiſſima, horrorem illis incutit. Manifeſtum habemus hujus rei exemplum in πρωτομάρτυρε Stephano, qui *plenus fide ac potentia*, liberrime nomen Chriſti coram concilio Judæorum profitebatur, ita ut faciem ejus inſtar angeli intuerentur nec obſiſtere ſapientiæ & ſpiritui ejus valerent Act. VI, 8. 10. 15. Idem in variis veritatis teſtibus primitivæ Eccleſiæ etiam obſervamus, qui roborati fide coram judicibus impiis & hoſtibus veritatis, nomen Chriſti tanta cum παῤῥησίᾳ etiam inter cruciatus ſæpe horrendos profeſſi ſunt, ut contremiſcerent ſpectatores horrore ſacro.

XII. 6. Singularem denique *æris tinnuli* uſum apud veteres in alliciendis & colligendis *apibus* addimus. PLINIUS de iis *hiſt. nat. Lib. XI. cap. XX. Gaudent plauſu atque tinnitu æris, eoque convocantur.* Et CLAUDIAN. *VI. conſ. Hon.*

- *Qualis Cybeleïa quaſſans*
Hyblæus procul æra ſenex revocare fugaces
Tinnitu conatur apes, quæ ſponte relictis
Deſcivere favis.

Nec non OVID. *Lib. III. faſt.*

Ecce novæ cedunt volucres tinnitibus actæ,
Quoque movent ſonitus æra, ſequuntur apes.

Et VIRGIL. *Georg. Lib. IV.*

Nunc age naturas apibus, quas Juppiter ipſe
Addidit, expediam, pro qua mercede canoros
Curetum ſonitus crepitantiaque æra ſecutæ. &c.

Plura notari poſſent, quæ omnia collecta a Cel. LAMP. *in tract. de cymb. Lib. II. cap. XII.* deprehendes.

Ani-

Animas quoque inſtar apum, in vanitatibus hujus mundi vacuis aberrantes, hoc tinnitu myſtico revocare licet. Illas Dux ſalutis ſupremus eodem allicit, clamans; *Revertere, revertere, o Sulamith, revertere ut intueamur te.* Cant. VI, 12. Nec non: *Conſiſtite juxta vias, reſpicite & inquirite ſemitas antiquas, quænam ſit via bona & in eadem incedite, & invenietis animæ requiem.* Jer. VI, 16. Hoc ſuaviſſimo Evangelicarum promiſſionum tinnitu colligit aberrantes, inſtar gallinæ pullos ſub alis ſuis, Salvator optimus Matth. XXIII, 37. ut accelerent gradum, advolantes inſtar *columbarum ad feneſtras* & inſtar *nubis* denſiſſimæ. Jeſ. LX, 8. Regique ſuo adhæreant. Voce Evangelii advocabuntur etiam gentes alienæ ad gregem Dei, eruntque grex unus atque paſtor unus Joh. X, 18.

XIII. Tranſimus ad β. uſus *tintinnabulorum ſacros*; Ita

1. *Sacerdotes* in ſacro miniſterio tintinnabula geſtabant. Summum Hebræorum Pontificem in veſte *nolas* geſſiſſe ſupra jam ad §. II. docuimus. Trecenta ſexaginta ſex fuiſſe in hac veſte dicit CLEM. ALEX. *Strom. Lib. V. p. m. 563.* rationem myſticam addens: οἵ τε τριακόσιοι ἑξήκοντα ἓξ κώδωνες, οἱ ἀπηρτημένοι τοῦ ποδήρους, χρόνος ἐστὶν ἐνιαύσιος, ἐνιαυτὸς κυρίου δεκτὸς, κηρύσσων τὴν μεγίστην τοῦ Σωτῆρος ἐπιφάνειαν. *Trecenta autem ſexaginta ſex tintinnabula, quæ pendent a veſte talari, eſt tempus annuum, annus inquam domini acceptus, reſonans maximam Servatoris apparitionem.* alias rationes ſupra dedimus. Sed & in *ſacris gentium* adhibita *tintinnabula* legimus. Ita LUCIAN. *de Dea Syr. opp. T. III. p. m. 790.* Διῒ μὲν ὦν καθ᾽ ἡσυχίην θύουσι, οὔτε ἀείδοντες οὔτε αὐλέοντες. Εὖτ᾽ ἂν δὲ τῇ Ἥρῃ κατάρχωνται, ἀείδουσί τε καὶ αὐλέουσι, καὶ κρόταλα ἐπικροτέουσι Quod *Jac. Micyllus* interpretatur: *Jovi igitur quidem cum ſilentio ſacrificant, neque cantantes neque tibia modulantes. Aſt poſtquam Junoni primitias celebrant, & voce modulantur & tibiis canunt & tintinnabula pulſant.* Et clarius illius uſum recenſet idem *l. c. p. m. 780.* ὁ δὲ δεξάμενος τοὔνομα εὐχωλὴν ἐς ἕκαστον ποιέεται. ἅμα δὲ εὐχόμενος κροτέει ποίημα χάλκεον, τὸ ἀείδει μέγα καὶ τρηχὺ κινεόμενον. *Ille igitur accepto nomine, preces pro unoquoque facit. Precando autem pariter & æreum quoddam tintinnabulum pulſat, quod motum graviter & aſpere ſonat.*

Confeſſio & præconium veritatis præcipue quoque opus eſt *ſacer*,

dotium N. T. qui *portant hæc vaſa* ſancta Jehovæ. Jeſ. LII, 11. Hæc ſunt ornamenta myſtica, quibus apparent coram facie Dei, & quibus in toto ſuo cultu ac opere decorati incedunt. His ſe demonſtrant miniſtros admiſſionis quaſi intimæ, qui ſanctiſſimæ veritatis confeſſione & virtutum divinarum præconio Seraphinorum ordini inſeruntur, noctu quaſi diuque ingeminantes illud τρισάγιον: *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Jehova, cujus gloria terram adimplet Jeſ. VI, 3.* Summus noſter *Pontifex* typum atque exemplar hac in re dedit miniſtris ſuis, dum præconio veritatis, & confeſſione perfectionum divinarum totam ſuam vitam, doctrinam & preces ornavit, atque gratus Patri Jehovæ exſtitit. Hebr. V, 7. Joh. XVII, 1.

XIV. 2. *Tintinnabulorum* quoque ſonus in abigendis *incantationibus* ſacer & efficax apud antiquas ſuperſtitioni deditas gentes habebatur. Forſitan huc pertinet, quod legimus *in Gemar. Sanhedr. cap. VII. ed Cocc. p. 279.* חזי לי ההוא טייעא רשקליה לספסירא וגיידיה לגמלא וטרף ליה בטבלא *Vidi agyrtam qui capto enſe camelum diſſecuit, ſed cum tintinnabulum ſonuiſſet, integrum exhibuit.* Quum Lunam antiqui incantationibus obrui tempore ecclipſis crederent, *æris tinnuli* ſono illas prohibere & ſupprimere ſatagebant, cujus rei plurima apud antiquos veſtigia legimus, quo refer SENEC. *in Hippol.*

At nos ſoliciti lumine turbido (Lunæ)
Tractam Theſſalicis carminibus rati
Tinnitus dedimus.

THEOCRIT. *idyll. β.*

Θέςυλι ταὶ κύνες ἄμμιν ἄνα πόλιν ὠρύονται
Ἀ Θεὸς ἐν τριόδοισι. Τὸ χάλκιον ὡς τάχος ἄχει.
Theſtyli canes nobis per urbem latrant:
Dea adeſt in triviis, æs tinnulum quam primum ſonat.

Vide plurima loca coacervantem Cel. LAMPIUM *in tract. de Cymb. Lib. II. cap. XI.*

Sed major longe & efficax ſane vis ad Satanæ tenebrarum Principis tentationes & quaſi incantationes, quibus peccatorum animos occœcat, debellandas & profligendas deprehenditur in tintinnabulis myſticis. Quam primum enim ſub initiis N. T. ſonus Evangelii exiret in gentium, ſuperſtitionis œſtro percitarum, regiones, dominium ſatanæ veneficum,

idola

idola ejus muta, oracula doloſa & tota ſuperſtitio, corruere incipiebant. Act. XIV, 15. Sic princeps mundi ejiciebatur, & regnum tenebrarum ſubverſum fuit. Sic mendaciorum nubes hac veritatis luce fugabatur, & lux nova terræ oriebatur. Jeſ. IX, 1. 2. 2 Cor. IV, 4-6,

XV. B. In ſpecie autem hoc loco notandum eſt *tintinnabulorum* in *Equis* exornandis apud antiquos uſum fuiſſe frequentiſſimum; Præcipue autem equi bellici Ducum atque heroum inter alia ornamenta his ſuperbiebant. Inſignis hanc in rem locus eſt apud EURIPID. *in Rheſ. v. 301. ſq.*

- *ὁρῶ δὲ Ῥῆσον ὥς τε Δαίμονα,*
Ἑστῶτ᾽ ἐν ἵπποισι, Θρηκίοις τ᾽ ὀχήμασιν,
Χρυσῆ δὲ πλάστιγξ αὐχένα ζυγηφόρων
Πώλων ἔκληε χιόνος ἐξαυγεστέρων.
Πέλτη δ᾽ ἐπ᾽ ὤμων χρυσοκολλήτοις τύποις
Ἔλαμπε. Γοργὼ δ᾽ ὡς ἐπ᾽ αἰγίδος Θεᾶς
χαλκῆ μετώποις ἱππικοῖσι πρόσδετος
Πολλοῖσι σὺν κώδωσιν ἐκτύποι φόβον.
Ibi vidi Rheſum veluti Deum quendam,
Stantem in equis & Thraciis curribus;
Aurea autem bulla collum jugalium
Equorum claudebat nive candidiorum.
Pelta vero in humeris aureis figuris
Fulgebat. Gorgo velut in Palladis clypeo
Ferrea fronti equorum alligata,
Cum multis tintinnabulis ſonum terribilem edebat.

Totum locum ob elegantiam exprimere non dubitavimus: Locus autem quem DOUGTÆ. *Anal. I. p. 297. ex Euripid. Rheſ. act. III.* addit, non de equorum ſed *clypeorum tintinnabulis* agit, ut ſupra vidimus. Verum loca reliqua quæ adducit, rem comprobant & illuſtrant. Notandus quoque PHAVOR. *in Lex.* *κώδωνας*, ſcribens, *ἐν τοῖς φαλάροις καὶ χαλινοῖς τῶν ἵππων οἱ στρατηγοὶ παρὰ τοῖς παλαιοῖς εἶχον, ὥσπερ καὶ νῦν. κωδωνοφαλαροπώλους λέγει Ἀριστοφάνης τοὺς χρωμένους κώδωσι. Καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ὁμοίως, ὅσπερ ἐγὼ Βαρῖνος πολλάκις ἑώρακα.* *Tintinnabula in phaleris & frænis equorum milites apud veteres habuere, ſicut nunc*

quoque. Equos cum phaleris, tintinnabula habentibus, memorat Ariſtophanes de iis, qui uſurpant. Simile quid & Romanis uſitatum, ſicut ego Varinus ſæpius conſpexi. Adde *Comment. in* ARISTOPH. *ran.* Figuram *equorum* cum appenſis *tintinnabulis* exhibet SPON. *Miſc. erud. antiq. Sect.IX. p. 309.* nec non LIPSIUS *de cruce.* Exhibemus quoque *figuram* cum equis phaleratis & κωδωνοφόροις in *figura noſtra I. titulo præfixa*, quæ victoriam Heraclii repræſentat, & exhibetur ab OISEL. *in Num. Imp. Tab. CXV.* Similiter equi cum tintinnabulis occurrunt ante carpentum prætorianum, quod excudi fecit SCHEFFER. *de re vehic. Lib. II. cap. XVII. p. m. 252.* qui & *Lib. I. p. 183.* de tintinnabulis equorum agit.

Duplici autem ex ratione tintinnabula appendebantur equis, tum decoris cauſa atque ornatus gratia, tum ut *ſono* illorum, quem motu edunt, equos alacres redderent & excitarent in prœlio.

(a) *Decoris* gratia, quare, ut ſupra vidimus, inter phaleras & ornamenta equorum referebantur. Huc refer locum LUCIAN. *in Lucio p. m. 395. Tom. III. opp.* ubi de ſe in mulum mutato: καὶ σκεύη μοὶ ἦν πολυτελὴς καὶ ςρόματα πορφυρᾶ ἐπιβάλλομαι, καὶ χαλινὲς εἰσεδεχόμην, ἀργυρῷ καὶ χρυσῷ πεποικιλμένες, καὶ κώδωνες ἐξήπτοντό με, μέλος μεσικώταλον ἐκφωνεντες. *Eram ſumptuoſius ornatus purpureis phaleris, freno auro atque argento diſtincto. Pendebant inſuper tintinnabula, ſuavem ſonum præbentia.* Quod idem aſſerit APULEJUS *met. L. X.* in loco a DOUGTÆO & SCHEFFERO citato.

(b) Ad *excitandos* quoque equos, tintinnabula adhibita, docet locus apud PHÆDR. *Fab. II. 7.*

Ille onere dives celſa cervice eminens,
Clarumque collo jactans tintinnabulum.

Varias rationes MAGIUS *in ſing. Lib. de tintinnabulis* addere dicitur, (inſpicere autem illum non licuit.) Quare & olim κωδωνίζειν tintinnabuli ſono explorare equos & præparare ſolebant, ut ſonitus armorum in bello eo facilius tolerare adſueſcerent. Vide BOCHART. *Hieroz. P. I. p. m. 141.*

Hoc ſi ſenſu myſtico explicemus, tintinnabula hæc ſpiritualia *Equis* myſticis optime convenient, quos ſupra docuimus non modo *Reges & Principes* terræ deſignare, hactenus Chriſti regno adverſarios, ſed & *Docto-*

Doctores ultimis temporibus in deſtruendo regno Antichriſti & gentiliſmi adhibendos, qui *tintinnabulis* confeſſionis puriſſimæ & præconio veritatis ſanctiſſimæ per totum orbem inclareſcent. Hoc inſtar ornamenti pretioſiſſimi decorandi ſunt, illiusque exercitio liberrimo animoſe regnum Dei contra quasvis poteſtates contrarias defendent & propagabunt. Motu horum tintinnabulorum myſticorum terrorem incutient hoſtibus veritatis, ut pudore ſuffuſi mendacia & ſuperſtitiones abnegent, veritatisque ſuaviſſimo ſono aures præbeant atque pareant. Atque ſic ſonus Evangelii atque rumor regni Meſſiæ exibit ad fines usque terræ extremos. Jeſ. LXII, 11. LXV, 1. LXVI, 19. 20.

XVI. Beata ergo exſpectamus tempora, quando Reges & Principes terræ, regno Meſſiæ adhuc contrarii, gloriam ſuam atque poteſtatem in portas Hieroſolymæ novæ adducent, Apoc. XXI, 23. Quando Doctores, inſtar equorum generoſi animi, ad bellum Jehovæ contra tenebrarum regnum inſtructi, *tintinnabulis* præconii ſui *Sanctitatem* Regis Meſſiæ per totam tellurem manifeſtabunt. Aſt eheu tempora, quæ vivimus, his plane diſſimilia! Ubi Reges quidem terræ, equis bellicis ſimiles, inſtruuntur armis, pugnaturi, verum non ad propagandum Dei regnum & ejus gloriam defendendam, ſed ut pomœria imperii ſui extendant & propriæ gloriæ zelum manifeſtent. Ubi Doctorum quidem caterva ingens in Eccleſia ſupereſt, ſed pauci inſtar equorum generoſorum ſe gerunt, qui in tintinnabulis *confeſſionis* & *præconii* non niſi *ſanctitatem Jehovæ* inſcriptam exhiberent. Quam multi hodiedum ſuperſunt, qui teſte Apoſtolo non niſi *χαλκὸς ἠχῶν* & *κύμβαλον ἀλαλάζον* exiſtunt 1 Cor. XIII, 1. qui externe quidem profitentur veritatem puram, & per præconium quoque haud raro inculcant, verum ipſi amore veritatis deſtituti, & vaſa vacua absque gratia & ſanctitatis ſtudio exiſtunt. Qui metu hominum occupati, canibus ſæpe mutis aſſimilantur & *κώδωσιν ἀφόνοις*, nec gloriæ divinæ zelo inflammati noctu diuque in exclamando illo *τρὶς ἅγιῳ* ſeſe exercent cum Seraphinis Apoc. IV, 8.

Verum quum & omnia Eccleſiæ membra deceat eſſe equos majeſtatis Jehovæ, inſtructos tintinnabulis *confeſſionis* veritatis coram hominibus Matth. X, 32. & *præconii* virtutum ac perfectionum Dei ac redemtoris ſui Jeſ. XLIII, 21. 1 Pet. II, 9. hujus quoque qualitatis pauca hisce diebus

 noſtris

noſtris corruptis veſtigia deprehendimus. Multi in plusquam cimmeriis ignorantiæ, ſuperſtitionis ac corruptionis tenebris degunt, & caliginem majori amore proſequuntur quam lucem, quare nec ad confeſſionem genuinam nec virtutum divinarum præconium apti & idonei exiſtunt; id quod ſummo ipſis eſt dedecori, quum tot lucis media ſint conceſſa. Plurimi equidem inter dictos Chriſtianos ore confitentur veritatem ſanctiſſimam, ſed minime inſcriptionem genuinam קדש ליהוה manifeſtant, ſed potius χάραγμα mundi & Satanæ per opera tenebrarum & impuras actiones ubique produnt, & publice ſæpe in fronte gerunt per ſcelera & peccata enormia. Ubi deprehendes *præconium virtutum* divinarum in illis, quorum os & lingua non niſi vana, terrena, obſcœna ſæpe & virtutibus divinis adverſa ſonat & ebuccinat, qui de peccatis ſuis gloriantur inſtar Sodomæorum Jeſ. III, 9. Qui generoſo ſæpe animo in miniſterio peccati ac tenebrarum ſe exercent, & contra regnum lucis & ejus convictiones pugnant. Victoria talis ipſis erit dedecus æternum & miſeriæ infinitæ barathrum.

Aſt quum & hisce temporibus pauci ſaltem relicti ſint & inter Doctores & membra Eccleſiæ, qui inſtar *equorum* majeſtatis a Seſſore Chriſto exercentur in pugna ſpirituali; Illos præprimis excitare oportet hæc promiſſio ultimorum temporum. Quum SANCTITAS Jehovæ decus exiſtat domus Dei in longitudine dierum Pſ. XCIII, 5. hanc omni niſu ut promovere ſtudeant genuina Eccleſiæ membra, decet. Tuba Evangelii excitantur ad pugnam & prælium myſticum, ornentur ergo inſtar equorum bellicorum non ſolum thorace fidei & phaleris juſtitiæ Salvatoris ſui, ſed & *tintinnabulis* confeſſionis liberrimæ ac ſanctiſſimæ atque præconii perfectionum Ducis ſui ſupremi. Exeant magnanimo conatu ad pugnandum contra regnum tenebrarum, terrorem incutiant παῤῥησίᾳ ſua ac fiducia in Ducem ſalutis, omnibus veritatis & ſalutis hoſtibus, ſic procumbent adverſarii victi & agnoſcentes, ipſos eſſe inſtrumenta gloriæ Jehovæ, ipſi adamata Apoc. III, 9. Sic aliquando etiam cum Duce ſuo triumphum agent, ſedentes cum ipſo in curru ac ſella triumphali Apoc. III, 21. ſedentes equis albis triumphalibus ſequentur Ducem in cœlo, quaſi candido triumphali equo vectum Apoc. XIX, 11. 14. atque uti in hoc orbe *ſanctitatem* in fronte geſſerunt, ita & tanquam *vaſa gloriæ & ſanctitatis* rutilabunt æternum in domo patris ſui.
Matth. XIII, 43.

FINIS LIBRI QUINTI
EMBLEMATUM SACRORUM V. ET N. T.

EM-

EMBLEMATUM SACRORUM
LIBER VI.

EXERCITATIO I.
DE
CAMELO
SYMB. HOMINIS AVARI, IN SPECIE PHARISÆI.
MATTH. XIX, 24.

ARGUMENTUM.

Proverbium Matth. XIX, 24. occurrens enucleatur & ſenſus ipſius indagatur §. I. CAMELUM emblema Arabiæ, Doctorum & pſeudo-Doctorum, imo graviorum peccatorum eſſe probatur §. II. In ſpecie divitum hujus ſeculi & Phariſæorum tempore Chriſti viventium ſymb. eſſe per analogias probatur; conſiderando A. qualitates & attributa Camelorum, easque applicando. ſc. quatenus impura ex lege animalia erant. §. III. ſtupida quoque maxime §. IV. & laſciviæ dedita. Jeſ. II, 24. §. V. uti quoque ſuperba ac vindictæ cupida, unde nomen ſuum גמל *accepiſſe videntur. §. VI. nec non gibboſa ac deformia §. VII. quæ ore ſuo barritum maxime raucum & ingratum proferunt §. VIII. Et capiſtrum ori injectum, ac annulum narium geſtare ſolebant apud orientales. §. IX. Locus Lev. XI, 4. & phraſis* פרסה איננו מפריס *de camelo adhibita explicatur §. X. Se ipſum incurvare & in genua procidere ad ſuſcipienda onera hoc animal, docetur §. XI. Sitim per quatriduum tolerare poſſe & turbatam per conculcationem prius aquam bibere, obſervatur §. XII. Adduntur porro ſingularia camelorum ornamenta,* השדונים *&* ענקות *dicta Jud. VIII, 21. & 26. §. XIII.* B. *Tranſimus ad uſus camelorum, tum domeſticos, quatenus pili eorum in veſtibus adhibiti Matth.*

Matth. III, 4. lac atque caro ipſorum alimentum exhibeat orientalibus §. XIV. tum civiles, quum in mercibus pretioſis vehendis atque oneribus portandis adhiberentur. §. XV. In equitatu etiam utiles ſint veluti Dromedarii, ubi loca Jeſ. XXI, 7. LXVI, 20. illuſtrantur §. XVI. In bello denique & prælio uſitati fuerint apud veteres. §. XVII. Quæ omnia epilogo morali abſolvuntur. §. XVIII.

I.

DUra equidem, ſed veriſſima ſunt Salvatoris noſtri verba, quæ legimus MATTH. XIX, 24. *εὐκοπώτερόν ἐςι* ΚΑΜΗΛΟΝ *διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν. Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quam divitem in regnum Dei perventurum.* Varias circa hujus loci explicationem Interpretum ſententias, dum alii per *Κάμηλον*, funem nauticum, alii camelum, animal illud vaſtum, alii pilos ejus craſſiores intelligant, & per *acum* nonnulli *portam* quandam Hieroſolymæ anguſtiorem deſignari contendunt, pluribus recenſet Cel. WOLF. *in cur. Phil. ad h. l.* Quum autem vox ΚΑΜΗΛΟΣ apud auctores profanos per *η* ſcriptum *Camelum* deſignet, non opus eſt, ut funem nauticum inde fabricemus, quum impoſſibilitas rei a Salvatore deſcribatur, modo Orientalibus & Judæis maxime conſueto. Ita in *Alcor. Surat. VII. 41.* legitur إن الذين كذبوا لا يدخلون الجنة حتى يلج الجمل في سم الخياط *Qui mendacia confingunt, non ingredientur in paradiſum, donec ingreſſus fuerit camelus per foramen acus.* Et apud Judæos: ולא פילא דעייל בקופא דמחטא *Non eſt elephas, qni intrat per foramen acus*, vide hæc & plura apud Cel. MILL. *in diſſ. Sel. p. 352.* CARTWRIGT. *in Bibl. Crit. p. m. 2986.* & PETIT. *miſcell. in iisdem Bibl. p. 2761.* BUXT. *Lex. 448.* SAUB. *pal. p. 208.* Cl. SCHOETTGEN, *in hor. Talm. ad h. l.* Aliam de camelis locutionem proverbialem adhibet LUCIAN. *in Icaromenipp. T. I. opp. p. m. 686. καὶ ὁ λογοποιὸς*, inquit, *Αἴσωπος, ἀετοῖς καὶ κανθάροις ἐνίοτε, καὶ καμήλοις βάσιμον ἀποφαίνων τὸν οὐρανόν. Fabularum ſcriptor Æſopus, qui aquilis & ſcarabæis interdum & CAMELIS cœlum adiri potuiſſe demonſtrat.* Comparat ergo Salvator di-

divitem, qui bonis hujus mundi inhiat, & cœleſtia plane negligit, (quales erant Phariſæi) cum *camelo*; atque uti impoſſibile eſt camelum per anguſtum acus foramen tranſire poſſe, ita & avaro diviti, quamdiu ſarcinam curarum hujus mundi ſervat, impoſſibile futurum, ut ingrediatur per portam cœli anguſtam.

II. CAMELUS apud antiquos variorum emblema fuit.

1. In nummis paſſim *Arabiæ* felicis atque *divitis* ſymb. eſt camelus. Huc refer, quos exhibet OISEL. *Tab. XVII. n. VII.* ubi mulier ſtolata ramum thuris & calamum odoratum tenens, cui adſtat *camelus*, cum inſcr. S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI, & infra: ARAB. ADQVIS. nec non n. VIII. ubi ſimilis figura cum inſcr. ARAB. & num. XI. ubi camelus a rege ſupplice ductus, cum inſcr. REX ARETAS, qui fuit Arabiæ. vid. in *Tabul. noſtr.* n. XI. Vide etiam SPANHEM. *de uſu & præſt. num. p. m. 135. 561.* VAILLANT. *num. Imp. Vol. II. p. m. 133.* & alios.

2. Symb. quoque eſt hominum, in ſpecie Doctorum tum veræ Eccleſiæ. Jeſ. LX, 6. LXVI, 20. tum Pſeudo-Doctorum. Ita Judæi in *Sanhedr. fol. 106. 1.* de Bileamo Pſeudo-propheta adhibent adagium: גמלא אזלא למבי קרני אודני דהון ליה גזיין מיניה *Camelus ibat ad quærendum cornua, & aures quas habuit, ei præciderunt.*

3. Symb. peccatorum graviorum & enormium, quo ſenſu adhibet Salvator Matt. XXIII, 24. *οἱ διϋλίζοντες τὸν κώνωπα, τὸν δὲ κάμηλον καταπίνοντες. Excolantes culicem, camelum vero deglutientes.* Id quod *Theophylactus* apud SUICER. *in Theſ.* explicat: τὸν κώνωπα διϋλίζοντες τούτους ὀνομάζει, ὡς τὰ μὲν μικρὰ ἁμαρτήματα παραφυλαττομένους. τὸν δὲ κάμηλον, ἤτοι τὰ μεγάλα, καταπίνοντας καὶ παρορῶντας. *Culicem excolantes eos nominat, ut parva quidem peccata obſervantes, camelum autem, hoc eſt magna, deglutientes & deſpicientes.* conf. quæ ex Judæorum ſcriptis ad h. l. obſervat Cl. SCHOETTGEN. *in hor. Talmud.* & adde quæ ad illuſtrationem hujus adagii adducit BOCHART. *Lib. II. c. 3. p. I. Hieroz.*

III. Comparat ergo Salvator in loco noſtro homines avaros & divitiis ſuis inhiantes, in ſpecie autem Phariſæos, quos intendebat hoc adagio, cum *camelo*, utpote cujus A. qualitates & attributa vivam eorum imaginem exhibent.

1. Camelus animal eſt *impurum* maxime atque *fœtidum*. Lex divina Lev,

XI,4. de camelo, ruminante quidem, ſed ſciſſam ungulam non habente pronuntiat: טמא הוא לכם *impurus eſt vobis.* Similiter illum deſcribit COTOVIC. *in Itin. Hieroſ. & Syr. p. m. 403. Eſt camelus*, ait, *animal quadrupes, procerum admodum, ac multo altius equo, turpe adſpectu, odore tetrum, exili longo incurvoque collo, ſed truciori capite.* Quare etiam ob fœtorem equis eſſe intolerabilem docet BOCHART. *Hieroz. P. I. p. m. 79.* adde ÆLIAN. *hiſt. animal. Lib. III. cap. 7.*

Quadrat hoc in homines hujus ſeculi, qui impuri exiſtunt in oculis Dei, conſpurcati conſcientiam & mentem carnis impuritatibus, & fœtore concupiſcentiarum ſuarum quaſi intolerabiles exiſtunt filiis Dei, qui conſortium eorum fugiunt, atque abominantur. Jeſ. LII, 11. 2 Cor. VI, 17. Tales erant Phariſæi, quos hoc loco intendit Salvator, qui ſub externa pietatis ſpecie cordis abominationes abſcondere ſolebant, quare comparat illos Magiſter optimus cum *ſepulchris dealbatis*, quæ calce oblita externe apparent ſpecioſa, ſed repleta oſſibus & fœtore ſcatent Matth. XXIII, 27. qui manus pedesque lavabant, ſed corda abominandis ſceleribus polluta gerebant comm. 25.

IV. 2. Animal quoque maxime *ſtupidum* eſt camelus. Unde apud LUCIAN. *in ſomn. ſ. Gall.* κάμηλος ἐν Βάκτροις *Camelus in Bactris* pro homine ſtupido dicitur. Huc quoque reſpicit idem in *Alexandr. ſ. Pſeudomant. p. m. 566.* Ἐγὼ δὲ τίς ἔσομαι μετὰ τὸν νῦν βίον; κάμηλος, εἶτα ἵππος, εἶτ' ἀνὴρ σοφὸς καὶ προφήτης, ἐ μείων Ἀλεξάνδρε. *Cæterum ego quis tandem poſt hanc vitam futurus ſum: Camelus, deinde equus, poſt hæc vir ſapiens, ac vates non inferior Alexandro.*

Convenit hæc denuo qualitas hominibus hujus ſeculi, qui τὰ πνευματικὰ non capiunt, mentem habentes a Deo hujus mundi occœcatam 1 Cor. II, 14. 2 Cor. IV, 6. per boves & aſinos, natura ſua maxime ſtupidos, prudentia ac ſagacitate tamen adhuc ſuperantur Jeſ. I, 3. conf. Jer. VIII, 7. Inſtar animalium ſtupidorum ac minime rationalium ſunt, quibus fræna injicienda, ut regantur atque ducantur in ſemita Pſ. XXXII, 9. Quales etiam Phariſæi erant, qui clavem cognitionis amiſerant, adeoque licet ſapientia carnali turgerent, ἐν τοῖς πνευματικοῖς tamen brutis erant ſtupidiores. Talem ſe manifeſtabat Nicodemus, Judæorum Rabbi non infimus in Iſraele, qui de myſterio regenerationis audiens, ſtupi-

dam

dam ſuam mentem illico prodebat, quare a Salvatore pudore ſuffundebatur. Joh. III. 3 - 10.

V. 3. *Laſcivum* inſuper & *voluptatibus* deditum animal eſt. Huc reſpicit Vates Jer. II, 24. quando Iſraelem miro zelo *τοῖς* Baalim adhærentem comparat cum בכרה קלה משרכת דרכיה *camelo juniore flagrante, qui implicat vias ſuas.* Lutherus vertit in hunc ſenſum; **wie eine Kamelin in der Brunſt.** Furere etenim cameli dicuntur in coitu. Quare *in Bav. Baſr. fol. 931.* dicitur: *Si camelus coëat inter camelos alios, & reperiatur camelus mortuus juxta eum, certum eſt ipſum a coëunte eſſe occiſum.* plura conf. apud BUXTORF. *Lex. p. 64. Quare* ARISTOTEL. *hiſt. animal. Lib. VI. cap. 18.* *περὶ τοὺς*, ait, *καιροὺς τῆς ὀχείας μάχονται, διϊστάμενοι πρὸς ἀλλήλους. χαλεπὸς δὲ καὶ ὁ κάμηλος περὶ τὴν ὀχείαν ὁ ἄῤῥην, ἐάν τε ἄνθρωπος, ἐάν τε κάμηλος πλησιάζῃ. Circa tempus congreſſus maxime pugnant ac diſſident inter ſe. Camelus etiam mas furit tempore coitus, ſive homo, ſive camelus accedat.* Similiter ſcribit Scholiaſtes ARISTOPH. *in veſp. f. 349. Θερμόπρωκτος γὰρ ὁ κάμηλος καὶ λάγνος. Æſtuantioris enim culi eſt camelus & laſcivus.* Et COEL. RHODIG. *Lect. ant. Lib. VII. cap. 18.* ſcribit: *Fervidum præterea animal eſt camelus, proindeque laſcivum.*

Tales ſunt filii hujus ſeculi, qui concupiſcentias carnis amantes, viam Balaam filii Boſor ſectantur. Jud. v. 11. qui carnem ſecuti in cupiditatibus pollutionis incedunt & dominatus contemnunt 2 Pet. II, 10. qui operibus carnis inhiantes ſervi & mancipia laſciviæ exiſtunt, & non niſi carnalia ſapiunt Rom. VIII, 6. ventrem ſuum conſtituunt Deum. Phil. III, 19. Phariſæi quoque huic vitio indulgebant, externa cum ſpecie corticem legis obſervantes, ſed cor repletum rapina, immunditie ac intemperantia habentes, teſte Salvatore. Matth. XXIII, 25 - 28.

VI. 4. *Superbum* atque *vindictæ deditum* animal dicitur camelus. Collo erecto terram *ſuperbo* greſſu quatit. Quare de jactatore ſcribit HARIR. *Conſeſſ. II.* ويخبط في اساليب الاكتساب *Et pede terram quatiebat in ſemitis lucis, inſtar cameli,* conf. Cel. SCHULTENS *in not. ad h. l. p. 48.* *Vindictæ* cupido camelo tribuitur, quare a plerisque nomen hebr. גמל a retributione accepiſſe creditur. Arabes teſte *Bo-*

charto de eo ſcribunt: الناقة حقود *Camelus iram ſuam diu ſervat.* Euſtathius quoque *μνησίκακον γένος* appellat *κάμηλον.* Quo reſpicit NAZIANZENUS *Jamb. XXI.*

> Τὶ δ᾽ ἂν κάμηλος φυσικῆς ἐξ ὕβρεως
> Βροντῶσα, λαιμῷ κ᾽ αὐχέν᾽ ἐκτείνουσά σοι;
> *Quod ſi camelus ad injuriam inferendam natura*
> *Proclivis, gutture intonans & cervicem extendens.*

Quare apud Perſas in proverbium *Cameli odium* abiit, teſte *Oleario* & *Cotovico* in *Itinerariis.* Plura vide apud BOCHART. *Hieroz. P.I.p.75.ſq.*

Duplicem hanc qualitatem in filiis hujus ſeculi quoque deprehendimus, qui bonis hujus mundi inhiant. Per bona fortunæ inflato quaſi animo incedunt, divitiis ſuis ſuperbientes. Egregie illos depingit Aſaphus Pſ. LXXIII, 4-12. *Pingue ipſorum robur eſt, cingit eos torques ſuperbiæ, operit ipſos violentia inſtar ornamenti. Oculus eorum uterque præ pinguedine emicat, ſuperant cogitationes animi, & e ſublimi loquuntur. &c.* Confidunt in opulentia ſua, & in multitudine divitiarum gloriantur Pſ. XLIX, 7. Quare & vindictæ cupidi, inſidiantur proximo ſuo, cogitantes, quando morietur & peribit Pſ. XLI, 6. Utrumque attributum Phariſæis quoque proprium erat, quorum faſtus erat inſuperabilis, plebem & omnes reliquos populi nihili habentes, quare cum a Salvatore & Apoſtolis eapropter carperentur, plusquam lethali odio & vindictæ oeſtro illos proſequebantur, ut ex hiſtoria Salvatoris noſtri integra & præconii Apoſtolici relatione in Actis Apoſt. deſignata abunde liquet.

VII. 5. Camelus animal nihilominus eſt deforme & *gibboſum.* Ita nonnulli *κάμηλον* a *καμπῇ* curvatura dorſi ſ. gibbo derivant. Alii unum, alii duos habent gibbos, ita ARISTOTELES *hiſt. anim.* Διαφέρουσι Βάκτριαι τῶν Ἀραβίων, αἱ μὲν γὰρ δύο ἔχουσιν ὕβους, αἱ δὲ ἕνα μόνον. *Differunt Bactrianæ cameli ab Arabicis, quarum illæ duos habent gibbos, hæ unum tantum.* Ita & KÆMPFER. *Amœn. Exot. Faſc. IV. p. m. 724. Cameli unius ſunt in dorſo tuberis, Dromedarii dicti, ſed minores & alius generis, quam quos alit Perſia Borealis. Camelos duplicis gibbi in regno non vidi, præterquam quibus Bactriana merces ſuas & legatos mittit Tartaria.* Vide etiam PLIN. *Nat. hiſt. Lib. VIII. cap. 18.* huc reſpicit GABRIAS *Fab. XXXIV.*

Κυρ-

Κυρτὴ Θεὸν Κάμηλος ἐζήτει κέρα.
Gibboſus Deum camelus rogabat cornua.

Uti & Jeſ. XXX, 6. camelis רבשת *gibbus* in dorſo ad ferendos theſauros tribuitur, & eapropter cameli Arabibus القرامل i. e. *δίτυλοι*, *binis gibbis inſtructi* appellantur.

Pingit hoc indurationem & ſervitutem filiorum hujus ſeculi, qui duro vanitatis jugo preſſi conſcientiam callo obductam & cervicem lapidis inſtar induratam habent. Onere divitiarum hujus mundi onuſti incedunt, quo prohibentur ab aditu & introitu portæ anguſtæ ad vitam Luc. XIII, 24. Matth. VII, 13. Heb. XII, 1. In Phariſæis optime hoc delineat jugum illud *δυσβάστακτον*, quod ſuſceperant, traditiones ſc. Patrum & ritus inutiles, legi divinæ ſæpe contrarios Matth. V. & XXIII. Quare & Judæi hoc onere onuſti cum aſino onerato comparantur Zach. IX, 9. Præcipue autem juſtitia propria ex operibus legis, gibbus ille erat Phariſæorum, quod prohibebat ipſos ab aditu in regnum cœlorum Matth. V, 20.

VIII. 6. *Os* camelo eſt, ex quo *barritum* edit ingratum atque ferocem. Ita ſcribit COTOVIC. *Itinerar. Hieroſ. p. 404. Etſi vero horrido aſpectu, clamoreque ingrato ferox nimium videatur ignaris, eſt tamen præter opinionem manſuetum atque cicur, ſuisque ductoribus obſequens.* Huc reſpicit *Teblebius in Schol.* ad HARIR. *conſeſſ. I. ed. Cl. SCHULT. p. 14.* شقشقة في النفخة يخرجها فحل الابل من حلقه عند هيجانه يرجع فيها هديره ويقال الخطباء ذوي الشقاشق لتشدقهم &c. *Vox hæc notat pulmoneum quid, quod admiſſarius camelus e gutture ſuo emittit, quum æſtuat, & quo barritum ſuum ingeminat. Hinc oratores vocantur domini pulmonum, quia inter diſſerendum os dilatant flectuntque.* Quare NAZIANZEN. *Jamb. XXI.*

Βρονθῶσα λαιμῷ κ᾽ αὐχέν᾽ ἐκτείνουσά σοι.
Gutture intonans (camelus) *& cervicem erigens.*

Camelorum *barritus* ingratus jactantiæ ac vanæ eloquentiæ hominum hujus ſeculi emblema eſt, qui de ſapientia ſua, divitiis, robore ac

poteſtate gloriantur; quæ loquuntur, ex tripode quaſi dicta eſſe volunt. Egregie hos deſcribit Pſaltes od. LXXIII. v 8. 9. *Ebuccinant maligne oppreſſionem, atque e ſublimi loquuntur. Cœlis ipſis obvertunt os ſuum, & lingua eorum pervadit terram.* Vel gloriantur de peccatis ſuis inſtar incolarum Sodomæ & ebuccinant vitia ſua inſtar virtutum. Jeſ. III, 9. 10. Talis præcipue *barritus* Phariſæis faſtu & jactantia inani tumidis convenit, qui inſigni cum παρατηρήσει omnia faciebant, ebuccinabant eleemoſynas ſuas, & preces prolixas recitabant in plateis, operaque bona, quæ peragebant, publice proclamabant. Matth. XXIII, 5. 6.

IX. 7. *Frænum* tamen ori injectum & *capiſtrum*, imo *annulum* in naribus gerit camelus, quo regitur a viatoribus atque domatur. Huc reſpicit phraſis פתח הגמלים *ſolvere camelos* in diverſorio Gen. XXIV, 32. ut comedere queant, id quod *capiſtrum* ipſis injectum fuiſſe docet. Diſcimus id manifeſto ex locis Talmudicis, velut *Maſſech. Schabb. C. V. §. 1. & 3.* במה בהמה יוצאה ובמה אינה יוצאה יוצא הגמל באפסר ונאקה בחטם: *Cum quo beſtia exit e ſtabulo, & cum quo non exit? Camelus cum capiſtro & camelus fœmina cum annulo.* Et §. III. לא יקשר גמלים זה בזה וימשוך אבל מכניס חבלים לתוך ידו וימשוך *Camelos, alterum cum altero non colligant, & trahunt, ſed funes manu capiunt & ita protrahunt.* Similiter ſcribit de iis Cl. KÆMPFER. *in Amœn. Exot. Faſc. IV. p. m. 724. Adornati ad iter* (cameli) *per ſeries copulantur, ita ut ad antecedentis ephippium firmetur lorum proxime ſequentis, ex cujusque nare perforato propendens - - In deductione ſingulas ſeries ſinguli præcedunt camelarii pedites, manu ducentes primi ſemper cameli retinaculum, cujus ductui cæteri obediunt, narium funiculo laceſſiti.* Adde locum ex Arabe citatum apud BOCHART. *Hieroz. P. I. p. m. 80.* qui idem confirmat.

Innuit hoc ſervitutem & tyrannidem, cui parent divites, utpote per Deum hujus mundi occœcantur, & quaſi fræno injecto ad varia enormia peccata laceſſuntur. 2 Tim. II, 26. 1 Tim. VI, 9. *qui diteſcere cupiunt*, ait ibi Apoſtolus, *incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnoſas, quæ homines in perniciem præcipitant.* Injicit ipſis capiſtrum per avaritiæ diram tyrannidem, qua mancipia miſerrima ſeculi hujus conſtituuntur, & per cupiditates divitiarum in-

inſtar lori ſeducuntur animæ miſeræ in perniciem. Nares quaſi perforatas gerunt, i. e. conſcientiam cauterio reſectam, & uſu ſuo deſtitutam. Tales quoque Phariſæi erant, qui divitiis hujus ſeculi & concupiſcentiis dediti, mancipia ſatanæ & mundi exiſtebant, & duro fræno traditionum ſuarum quaſi coërcebantur a vero legis divinæ ſenſu ac libertate N. T. annuntiata. Matth. XXIII, 24.

X. 8. In ſpecie heic notamus, quæ Lev. XI, 4. de camelo ſcribit Legislator: מעלה גרה הוא ופרסה איננו מפריס; *ruminat quidem, ſed ſciſſam ungulam non habet*, ſc. *integram*. Notandum enim eſt, camelum animal quidem eſſe biſulcum & ungulas dividere, ſed non integras. Cel. CREMER. *antiq. Moſ. Typ. p. 232.* exiſtimat, camelum non in duo ſciſſam ungulam habere, verum biſulcum eſſe, negari non poteſt; phraſis ergo פרסה איננו מפריס intelligi poteſt de ſciſſura ungulæ integra & totali. Explicat hoc PLINIUS *hiſt. nat. Lib. XI. cap. XLV. Eſt enim*, ait, *biſculum diſcrimine exiguo: pes imus veſtigio carnoſo ut urſo, qua de cauſa in longiori itinere ſine calciatu fatiſcunt.* Idem exprimit ARISTOTEL. *hiſt. anim. Lib. II. c. I.* apud CLERIC. *in Lev. XI.* ἔστι δὲ διχηλὸν καὶ οὐκ ἀμφόδουν· Δίχηλον δὲ ὧδε ἐκ μὲν γὰρ τοῦ ὄπισθεν μικρὸν ἔσχισται, μέχρι τῆς δευτέρας καμπῆς τῶν δακτύλων· Τὸ δ᾽ ἔμπροσθεν ἔσχισται μικρὰ ὅσον ἄχρι τῆς πρώτης καμπῆς τῶν δακτύλων ἐπ᾽ ἄκρων τέτταρα. Καὶ ἔστι τι διὰ μέσου τῶν σχισμάτων, ὥσπερ τοῖς χησίν. *Biſulcum eſt animal, nec utrimque dentatum, ſed biſulcum ita eſt, ut pes parte poſteriore ſciſſus paululum ſit ad flexum digiti ſecundum, parte autem priore ſumma quadripartito findatur diſcrimine parvo, quantum primo tenus digiti inflexu, & quiddam ſit inter fiſſuras, quemadmodum anſeribus.* Adde Cl. SALMAS. *Exercit. Plinian. in Solin. Polyhiſt. T. II. p. m. 986.*

Delineat hoc hominum hujus ſeculi greſſus fallaces, qui *ruminare* ſciunt, i. e. voluntatem Domini ex verbo Dei noſcunt & confitentur, ore dicentes *Domine, Domine*, Matth. VII, 22. & temporaria ſæpe fide prædititi, in veritate verbi divini delicias ad breve tempus ponunt Matth. XIII, 20. 21. etiam externa officia pietatis, quatenus concupiſcentiis ſuis non ſunt contraria, obſervant, ut ſæpe veſtigia populi Dei legere videantur, verum quorum cor fallax eſt & doloſum. Qui quoniam pedes carneos

nec

nec integros habent, ſæpe fatiſcunt, & opus Dei doloſe ac negligenter tractant; manum aratro admovent, ſed denuo retrahunt. Tales quoque Phariſæi erant, qui carnali ſcientia turgentes, legem Dei nunquam non tractabant ſecundum corticem exteriorem, in cathedra Moſis ſedebant, tanquam Doctores, quorum labia doctrinam ſervabant, externis quoque operibus legis, quæ concupiſcentiis ſuis non averſabantur, cum inſigni zelo & pietatis ſpecie, incumbebant, ſed vera tamen juſtitia deſtituebantur Matth. V, 20.

XI. 9. In camelo notant Phyſiologi, quod *ſe ipſum incurvet* ad onera ſuſcipiendum, unde *κάμηλος* nonnullis quaſi *κάμμηρος curvans genua* dictus videtur. Ita ſcribit HOR. APOLL. *Lib. II. hierogl. c. 97.* *Ἄνθρωπον ὀκνοῦντα τὴν διὰ τῶν ποδῶν κίνησιν ποιεῖσθαι βουλόμενοι σημῆναι, κάμηλον γράφουσιν. Ἐκείνη γὰρ μόνη τῶν ἄλλων ζώων τὸν μηρὸν κάμπτει, διὸ καὶ κάμηρος λέγεται. Hominem pedibus tardum ſignificare volentes, camelum pingunt. Hic enim ſolus inter cætera animantia crura flectit, quare & κάμηρος appellatur.* Idem ſcribit ARTEMIDORUS *in Oneirocrit.* DAMIR quoque Arabs apud *Bochart. l. c. p. 80.* ſcribit: *Camelus eſt animal mirabile, quamvis ideo non mirentur homines, quia frequenter vident. Eſt enim animal magni corporis, valde docile, ſurgens cum onere gravi, & flectens genu.* Similiter COTOVIC. *Itinerar. l. c.* de camelo ſcribit: *Eſt tamen propter opinionem manſuetum admodum adeoque cicur, ſuisque ductoribus obſequens, ut ad arbitrium vocemque eorum in genua atque adeo in ventrem ſeſe demittat, ac pronum, anterioribus prius cruribus, mox poſterioribus complicatis, onera ſarcinasve tergori imponi ſinat.*

Dives quoque avaritiæ durum jugum ſuſcipit, & ad ſarcinas curarum hujus mundi ſuſcipiendas ſeſe ſubmittit. Flectit genua coram Mammone iniquo, illumque Dei ſui inſtar adorat, quare Apoſtolo *Εἰδωλολάτρης* appellatur Eph. V, 5. Terreſtria ſapit ignavus, nec deſideriis ſuis cœleſtia quærere didicit Col. III, 1. quare in pulvere hæret, atque dejecti eſt animi, qui curis ſeculi abripitur & pulveri quaſi agglutinatur. Phil. III, 19. Tales erant Phariſæi, qui per *ἐθελοθρησκείαν* durum traditionum Patrum ſuorum jugum ſuſcipiebant, bonis & divitiis terræ Canaanis externis inhiabant & ſarcinas varias concupiſcentia-

tiarum geſtabant; ſeſe ſæpius coram hominibus humiliabant per ritus externos, ut hominibus placerent, & honorum ab iis cumulo onerarentur. Matth. V, 2. 5. 16.

XII. 10. Inſuper & illud in camelo obſervatur, quod *ſitim*, aqua prius conculcationibus turbata, reſtinguat, illamque per quatuor ſæpe dies toleret, & *cibo* ſat duro ac ſterili delectetur. De ſiti camelorum ſcribit PLINIUS *hiſt. nat. l. c. Sitim & quatriduo tolerant, implenturque, cum bibendi occaſio eſt, & in præteritum & in futurum, obturbata conculcatione prius aqua, aliter potu non gaudent.* Idem teſtatur COTOVICUS *Itinerar. Hieroſ. & Syr. p. 403. Triginta, imo quadraginta continuos dies ſarcinis onuſtum absque ulla requie progreditur, æſtumque diei ferventiſſimum ſuffert, triduo, quatriduo, imo diutius ſitim tolerat & impotatum incedit. Sed cum bibendi occaſio ſe offert, ventrem implet, turbata prius conculcatione aqua.* Adde *Ill. Ch.* FüRERI *ab Aaimendorf. Itiner. Ægypt. Arab. &c. p. m. 35.* & SALMAS. *Plin. Exerc. in Solin. p. m. 987.* Cibum capiunt vel *fænum* deſerti, teſte LUCIANO *in Aſin. p. m. 371.* vel etiam *ramuſculos* arborum & plantam ſpinoſam, vulgo خر شتر i. e. *ſpina camelina* dictam, in deſertis creſcentem, teſte KÆMPEER. *amœnit. Exot. faſc. IV. p. 725.*

Divites camelis etiam hoc ſenſu ſimiles, quod de genuino animæ alimento minime ſint ſoliciti. Aquas doctrinæ ſalutares præjudiciis ſuis turbant atque contemtu ſuo quaſi proculcant; illasque non bibunt niſi præjudiciis ſuis prius quaſi infecerint. Mediis gratiæ utuntur, quando ſitim diu neglectam excitat conſcientia, ſed ita turbant, ne concupiſcentiis noceant. *Pabulo ac fæno* figmentorum humanorum delectantur, & genuinum animæ pabulum faſtidiunt. Præcipue quadrat hoc camelorum attributum in Phariſæos, qui aquas doctrinæ ſalutares ſibi & aliis turbabant præjudiciis, figmentis atque ſtatutis humanis & corruptis; id quod prolixius & membratim docet Salvator Matth. V. & VI. cap. quare ſibi & aliis regnum cœlorum hac ratione præcludebant, Matt. XXIII, 13. & erroribus lethalibus ſe cum aſſeclis ſuis filios gehennæ conſtituebant *comm. 15.* *paleam* loco frumenti exhibebant, & ipſi veſcebantur. Jer. XXIII, 28.

XIII. 11. *Ornamenta* quoque ſingularia camelorum apud veteres me-

morantur. Jud. VIII, 21. השרנים אשר בצוארי גמליהם *Lunulæ, quæ erant in collo camelorum* & comm. 26. ענקות *torques* appellantur. Erant enim torques ſeu amuleta, figuram lunæ habentes, quibus olim Arabes camelorum colla ornabant, etiam ſuperſtitionis cauſa, quia lunam maxime colebant. Hæc *lunata monilia* appellat STAT. *Lib. IX. Theb.* erantque præcipue ex auro, veluti ex Judic. l. c. conſtat. Quare & AUGUSTIN. *Quæſt. ex utroq. teſt. c. 115.* ſcribit: *Reges Median camelis delectantur ad ſeſſum, ita ut & colla eorum aureis exornent torquibus.* ISIDORI quoque in *gloſſis* memorantur *bullæ, ornamenta regalium camelorum.* vide SCHEFF. *de torq. vet. p. m. 145.* & COTOVIC. *in itinerar. l. c.* etiam *catenulas ferreas* in cruribus apud Arabes camelos, tanquam *ſanctitatis* notam, gerere, ſæpiusque *frontalibus* aureis ornari, docet *p. 404.*

Divites hujus ſeculi vero humilitatis ac timoris divini ornatu deſtituti, externo auri argentique fulgore ſe exornant, & de illo gloriantur. Eleganter in hanc rem eos deſcribit Pſaltes Pſ. LXXIII, *6. cingit eos torques ſuperbiæ, operit inſtar onamenti ipſos violentia.* Phariſæi præprimis inſtar camelorum *lunulis & catenulis* (quæ ſanctitatis notæ Arabibus erant) inſtructi apparent, dum ſuperſtitioſis *frontalibus* & *armillis* inter preces & lectiones ſacras ſeſe exornare ſolebant, quibus inſignem ſanctitatis ſpeciem populo & plebi offundebant. Matth. XXIII, 5. Quemadmodum e contrario veri doctores nomen Dei & קדש ליהוה in fronte gerunt. Apoc. XXII, 4.

XIV. B. Pergimus ad varios camelorum *uſus*, partim *domeſticos*, partim *civiles*.

1. Ad domeſticos refer, *tum pelles* eorum *pilos* proferre, in veſtibus hominum texendis utiles, *tum lac* eorum & *carnem* orientalibus olim fuiſſe in deliciis & cibis.

De *pilis* camelorum conſtat ex Matth. III, 4. eos in veſtitu uſurpatos eſſe, ubi Johannes Baptiſta ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλȣ *veſtem ex pilis cameli* geſtaſſe dicitur, quod non cum Cel. *Dieu*, *Walæo*, nec non *Elswichio* & *Münkero* apud Cel. WOLF. *in cur. ad h. l. citatis*, de *pelle cameli*, quam geſtaverit Baptiſta, ſed de *pilis camelinis rudioribus* & obiter textis intelligi cenſemus cum aliis, præcipue quum Cl. BRAUNIUS

de

de Veſt. S. p. 144. uſum pilorum cameli apud Hebræos in texendis veſtibus inſignem fuiſſe demonſtret, quos צמר גמלים *lanam camelorum* appellare ſolent. Camelorum quoque pilos aliis gentibus veſtes exhibuiſſe, docet Cl. BOCHART. *Hieroz. P. I. Lib. II. c. 2. p. m. 78.*

Lac quoque porrigunt cameli, teſte PLINIO *in hiſt. nat. Lib. XI. cap. 41. Cameli lac habent, donec iterum graveſcant: Suaviſſimum hoc exiſtimatur, ad unam menſuram tribus aquæ additis.* Quemadmodum Gen. XXXII, 14. *cameli lactantes* memorantur. Et *caro* ipſorum in *deliciis* habita, quo reſpicit ANTIPHANES apud ATHEN. *Lib. IV.*

- - ὅλον
Τέρας ὀπτήσας, μεγάλῳ βασιλεῖ θερμὴν παρέθηκε κάμηλον.
Totum monſtrum coquens, magno Regi calidum camelum appoſuit.

Et DIODOR. *Lib. II. f. 137.* ὧν αἱ μὲν γάλα παρεχόμεναι καὶ κρεοφέμεναι, πολλὴν παρέχονται τοῖς ἐγχωρίοις δαψίλειαν. *Harum aliæ lactis mulcta & carnium eſu magnas hominibus utilitates afferunt.* Adde quæ adfert BOCHART. *l. c. p. 79.* RHODIG. *Lect. antiq. p. m. 1545.* CLERIC. *in Gen. XXXII. & Lev. XI.*

Quadrat hoc præcipue in Phariſæos Pſeudo-Doctores. *Veſtes* enim *piloſæ* prophetarum olim erant & pſeudo-prophetæ cum Lupis comparantur, qui pelle ovina induti incedunt. Matth. VII, 5. Tales erant Phariſæi, qui non ſolum ipſi ſpeciem doctorum fallacem exhibebant, ſed & proſelytos doctrina ſua ac hypocriſi imbuere ſatagebant Matth. XXIII, 15. eosque ſimiliter Pſeudo-Doctores conſtituebant. *Lac* tamen exhibebant dulce inſtar camelorum, quia labia ipſorum doctrinam etiam legis ſervabant, aliis præbendam inſtar nutrimenti animæ. Sedebant in cathedra Moſis, cujus proinde legem docentes audiendi erant a populo, eorumque doctrina, quatenus cum lege Moſis conveniebat atque ex eadem hauſta erat, non erat reſpuenda, teſte Salvatore Matth. XXIII, 2. 3.

XV. 2. Inter uſus *civiles* camelorum referimus, quod

a. In mercibus *pretioſis* aut *oneribus* ferendis frequentiſſime adhibiti olim ſint atque hodiedum uſurpentur. In ſacris huc reſpicitur Jeſ. XXX, 6. על דבשת גמלים אוצרותם *Gibbo camelorum theſauros*

ros ſuos portabunt. Nec non Jeſ. LX, 6. ubi *dromades Midian aurum & thus allaturæ* dicuntur. Quemadmodum *cameli Iſmaelitarum myxaria, opobalſamum & ladanum deportaſſe* Ægyptum leguntur Gen. XXXVII, 25. conf. etiam 1. Par. XII, 40. Et quidem *onere* ſat gravi onerabantur cameli, unde proverbium Talmudicorum eſt ortum: לפום גמלא שיחנא *pro camelo ſarcina*, in *Ketuboth. f. 67.* nec non Perſarum apud WARKER. *Prov. p. 34. n. 72.* بيدم كه بسي كاي رسد حشمه جورن حون بيشتر امد شتر وبار برد *ſæpe aquam ſcaturientem exiguam vidi, quæ deinceps camelum cum onere aucta portarit.* Quare PHAVORINUS & SUIDAS in Lexicis ſcribunt: κάμηλος τὸ ἀχθοφόρον ζῶον. *Camelus eſt animal onera ferens.* De iisdem memorat DIODOR. SIC. *Lib. III f. 178.* τὰς δὲ κομιδὰς τῶν φορτίων ἐπὶ τέτων νωτοφορȣ̃ντες, ῥαδίως ἅπαντα συντελȣ̃σι. *Horum tergis onera vectant & expedite omnia peragunt.* Quare cameli apud Arabes سفن البر *naves terræ* audiunt, ob ingentem mercium molem & onera, quæ tergo ſuo in remotiſſimas oras vehunt.

Divites quoque hujus ſeculi homines ſarcina haud levi onerantur, dum non ſolum ingenti *curarum* mole premunrur, ita ut animus nunquam ad cœleſtia adſurgere valeat, ſed ſemper humi repat & terreſtria ſapiat. Phil. III, 19. Col. III, 1. 2. Verum etiam onus peccatorum nunquam non aggravent, Heb. XII, 1. atque ſimul iræ theſauros in ſe coacervent Rom. I, 18. Phariſæi in ſpecie *camelis* ἀχθοφόροις æquiparandi erant, qui jugum illud δυσβάςακτον portabant, & per traditiones ſuperſtitioſas in dies aggravabant, juſtitiam ex variis operibus moleſtis externis præ aliis multiplicare ſtudentes. Matth. V. & XXIII. & cum cœci duces populi eſſent, illumque ſecum a via juſtitiæ declinarent, ingentem judicii ac iræ divinæ molem ſibi contrahebant.

XVI. b. Plurimi camelorum etiam in *Equitatu* adhibebantur, qui Δρόμαδες & Dromedarii dicebantur, & *curſus* erant velociſſimi. In ſacris varia hujus rei veſtigia deprehendimus. Sic Rebecca cum puellis ſuis camelis inequitabat. Gen. XXIV, 16. quod idem fecit Jacob cum uxoribus & liberis Cap. XXXI, 17. uti Jeſ. LXVI, 25. per כרכרות *camelos drome-*

medarios intelligendos docet *Bochartus*. Quemadmodum & רכב הגמלים Jeſ.XXI, 7. *currus camelorum* memorantur. Quare talmudicis גמלא פרחא *camelus volans* dicitur, cujus ope intra exiguum temporis ſpatium in oras maxime longinquas pergunt, vide R. PETACH. *Itiner. p.m. 186.* & BUXTORF. *Lex. p. 448.* Ita DIODOR. SIC. *Lib. II. f. 137.* αἱ δὲ ἀνάκωλαι καὶ λαγαραὶ ταῖς συστάσεσι, δρόμαδές εἰσι, καὶ διατείνουσι πλεῖστον ὁδοῦ μῆκος, καὶ μάλιστα πρὸς τὰς διὰ τῆς ἀνύδρου καὶ ἐρήμου συντελουμένας ὁδοιπορίας. *Aliæ ſunt membris expeditis & gracili corpore, Dromedarii dicti, ad curſum adhibentur & longinquum maxime viæ ſpatium emetiuntur, præcipue quando per aridam & deſertam regionem iter faciunt.* Et quando nuntios celeres emiſſuri erant, camelis eos imponebant, ita PLUTARCHUS *in vita Eumen.* θαυμάσαντες τὸ τῶν πυρῶν πλῆθος, ἔπεμψαν ἱππαστρίαις καμήλοις ἀγγέλους πρὸς Πευκέσταν. *Ignium autem multitudinem admirantes, nuntios ad Peuceſtem camelis inequitantes celerrime miſerunt.* ZOSIM. *Lib. I.* αἱ δὲ καμήλων εἰσὶ τάχισται, καὶ ἵππους ὑπεραίρουσαι τάχει. *Hæ camelorum ſunt velociſſimæ & equos celeritate antecellunt.* Plura ex *Itinerariis* addi poſſent. Conf. Cl. BOCHART. *l. c. p. 87. ſq.*

Innuit hæc qualitas in hominibus hujus ſeculi zelum ſingularem & laborem indefeſſum, quo bona hujus mundi colligere ſtudent. Deſcribit illos HORAT. *Epiſt. Lib. I. ep. I.*

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare, pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Noctes atque dies indefeſſus curis & moliminibus ſuis omnia percurrit, & ut ſcopum ſuum aſſequatur, nulli parcit moleſtiæ aut incommodo. Tales quoque Phariſæos deſcribit Salvator, qui in externis operibus & ritibus maxime ſoliciti, imo nimii erant, *circumcurſitabant mare & terram, ut unum facerent proſelytum.* Matth. XXIII, 15. In ablutionibus, eleemoſynis, precibus & recitationibus legis alios zelo ſuo ac indefeſſo ſtudio antecellebant, ſed unicum, quod ſumme erat neceſſarium, negligebant.

XVII. c. In *bellis* denique & prœliis quoque ſtrenue ſe gerebant olim *cameli.* In ſacris Midianitæ cum camelis innumeris ad perdendam Iſraelis terram aſcendiſſe leguntur Jud. VI, 5. VII, 12. Ita JUL. POLLUX *onomaſt. Lib. I. cap. VIII. p. m. 39.* Βάκτριοι δὲ καὶ μάχονται

ἐπὶ τῶν καμήλων, καὶ εἰσὶν αὐτοῖς ἵππων μὲν ὠκύτεραι τὸ τάχος, ἐκπληκτικώτεραι δὲ διὰ μέγεθος, καὶ δασύτεραι, ἐνεργώτεραι δὲ διὰ τὸ ἄδιψον. *Bactriani etiam camelis pugnant; ſunt enim equis velociores, terribiliores magnitudine & hirſuti magis, ſtrenuiores vero propter raram ſitim.* HERODIAN. *Lib. IV. cap. 15. p. m. 217.* οἱ δὲ ἐπέκεινα βάρβαροι, ἐς ὅσον μὲν ἐποχοῦνται ἵπποις ἢ καμήλοις, γενναίως μάχονται. *Ceterum barbari, quamdiu equis aut camelis invehuntur, acerrime pugnant.* & cap. XIV. καταφράκτους τε ἀπὸ καμήλων ἔξωθεν μακροῖς δόρασιν: *præterea cataphractos camelis inſidentes, qui prælongis contis præliarentur.* Et SOLINUS cap. LXII. *Maribus camelis Bactrianos non uti in præliis ſed feminis, quod velociores ſint. Camelos aliquando nationes apud veteres in acie produxerunt, ut Urſiliani in Africa. Mahetes hodie quoque producunt.* Plura vide apud BOCHART. *Hieroz. l. c.* Et HUGON. *de militia equeſtr. Lib. I. cap. V. p. 36. ſq.* Terrore quoque ſuo camelos ſæpe equos in prælio confudiſſe atque in fugam dediſſe refert POLYÆNUS in *ſtrategematibus.*

Et filii hujus ſeculi nunquam non hoſtes exiſtunt filiorum Dei, contra quos quaſi aciem inſtruunt. Vel enim opulentia inſtructi ſimul violentiam exercent in humiles corde, illosque *opprimunt.* Eccl. III, 23. ſ. IV, 1. 2 Theſſ. I, 6. Pſ. LXXIII, 6. 10. 12. Vel etiam ſub duce & auſpiciis Principis hujus mundi hæredes cœleſtium bonorum ad ſtudium terreſtrium ſeducere, & fulgore bonorum hujus mundi a communione ſummi boni abſtrahere ſatagunt. Terrore perſecutionum & oppreſſionum ſuarum ſæpe confundunt fide imbecilles. Idem Phariſæis tribuit Salvator Matth. XXIII, 14. quod devorent ædes viduarum, easque opprimant. *Com. 13.* quod præcludant regnum cœlorum hominibus per præjudicia & ſuperſtitiones, quibus animos imbecillium debellare ſtuderent. Quare & diſcipulos Salvatoris & veritatis teſtes, ut ex actis Eccleſiæ primitivæ conſtat, gladio & flammis debellare atque exſtirpare omni niſu quærebant.

XVIII. Jure ergo meritoque Salvator adſtruere poterat, *faciliorem eſſe camelo introitum per foramen acus, quam diviti Phariſæo in regnum cœlorum.* O utinam divites & homines hujus ſeculi ſententiam hanc a ſummo Judice pronuntiatam mente attonita meditarentur, ita

ut

ut obſtupeſcerent & ſtultitiam ſuam agnoſcerent. Qui non obſtante hoc effato teſtis veriſſimi & futuri vivorum ac mortuorum Judicis, nihilo ſecius ſibi imaginantur, ſe cum ſarcina curarum hujus ſeculi & theſaurorum, quibus cor adhæret, per portam regni cœlorum anguſtiſſimam introituros. Sed impoſſibile eſt tales, qui camelorum qualitates ſuſtinent, in regnum cœlorum ingreſſuros eſſe. Qui *impuritati* ac *laſciviæ* dediti, viam carnis ſectantur & convictionibus ſpiritus puriſſimi nunquam non obnituntur, cum hominibus primævi orbis, quoniam *caro* ſunt. Qui voluptatibus hujus ſeculi indulgent ſecuri, & neſcii hoc veneno ſoporifero animam in miſeriæ barathrum præcipitari atque ſubmergi. Qui *faſtu* hujus ſeculi turgent, & honoris ſui faſtigio ſuperbiunt, alios violentia ſua ſupprimentes, & *vindictæ* cupidine incenſi, omnes amoris proximi leges violant. In rebus terreſtribus & ſeculi hujus ſatis ſagaces & callidi exiſtunt, aſt in ſpiritualibus brutis ſæpe *ſtupidiores* camelis. Qui *gibbo* turpiſſimo præjudiciorum onuſti, omnes conſcientiæ admonitiones quaſi callo obducti negligunt & enervant. Quorum *os* eſt ſepulchrum apertum, non niſi ingratum quaſi *barritum* edentes, ex corde impuro non niſi impura Deoque & ſanctis ingrata proferentes Matth. XV, 19. Quare nec qualitatem animalium ex lege purorum exhibent, licet *ruminent*, i. e. externo ore nomen Dei profiteantur, tamen *pedibus biſulcis*, greſſu in viis & ſtatutis Dei firmo ac certo, deſtituuntur Matth. VII, 22. Voluntatem Dei norunt, ſed minime exequuntur. Jac. III, 22. *Jugum* peccati & ſervitutis ſatanæ lubentes ſuſcipiunt, ſeſe *incurvantes* inſtar cameli ad ſuſcipienda onera Rom. VI, 12. omnibusque tentationibus ſeſe objicientes 1 Tim. VI, 9. *Aquas* doctrinæ ſalutaris, ex fonte ſcripturæ & ſalutis ipſis per præconium oblatas turbant præjudiciis ſuis, & ita hauriunt, ut ipſis propterea in perniciem & majorem condemnationem vergat; *conculcant* ſæpe pede profano media ſalutis, eaque contemnunt. Strenui ſatis ac *indefeſſi* exiſtunt in coacervandis divitiis ſeculi, ut pro multis annis theſaurum colligant, ſed bona cœleſtia negligunt, obliti admonitionis ſaluberrimæ Matth. VI, 33. Pergunt alacres in *via lata* ad perniciem ducente, Matth. VII, 12. ſed in anguſtam ſui abnegationis portam introire reformidant, quia ſarcinam curarum hujus ſeculi deponere nondum didicerunt Luc. XIII, 24.

Qua-

Quare inter *hoſtes* regni Meſſiæ adhuc recenſendi, quos aliquando telis iræ ſua conficiet.

Ah utinam tales per intimam conſcientiam horrore percuſſi cum diſcipulis exclamarent! *Quis ergo ſalvari poterit?* O utinam agnoſcerent prius ſerio, ipſis æque impoſſibile eſſe in regnum cœlorum qua talibus, ingredi, uti camelo ἀδυνατόν ἐςι, διελθεῖν διὰ τρυπήματος ῥαφίδος! Sic ſpes converſionis ſupereſſet, per quam introitus in cœlum poſſibilis reddi poteſt. Deponite ergo ſarcinas curarum hujus mundi, & laborem veſtrum ac curſum velocem dirigite per ſemitas juſtitiæ & curriculum præſcriptum in verbo Dei Heb. XII, 1. Suſcipite jugum illud leve & onus facile, quod Salvator aſſeclarum ſuorum humeris imponit Matth. XI,29. Contendite, ut per anguſtam portam introeatis, ne aliquando æternum præcludamini. Luc. XIII, 24.

Beati, qui depoſito onere peccati, & ſarcina curarum hujus ſeculi excuſſa, cum patientia ac fervore pergunt in curriculo pietatis, reſpicientes auctorem & conſummatorem fidei, ejusque veſtigia legentes. Heb. XII, 1. 2. Matth. XVI, 24. qui ſe incurvant per reſipiſcentiam & humilitatem, ut onus illud leve obedientiæ Chriſti ſuſcipiant, quo non prohibentur, ſed impelluntur atque idonei redduntur, ut introeant portam anguſtam. Matth. XI, 28. 29. Hi per funes amoris & juſtitiæ a Spiritu Dei dirigentur in curſu vitæ, ita ut ad metam tandem optatam perveniant. Ergo glorietur licet mundus de divitiis ſuis, grex Dei meliora bona in cœlis repoſita intuetur. Quare quum divitiæ fallaces conſcientiam divitum hujus ſeculi prement in hora mortis inſtar oneris portatu impoſſibilis, populus Dei introibit, leve portans Dei ſui onus, in regnum & gloriam cœlorum. Apoc. XXII, 14.

EXERCITATIO II.
DE
UTRIBUS RECENTIBUS,
SYMB. CREDENTIUM SUBN. T.
Luc. V, 38.

ARGUMENTUM.

Senſus loci hujus ex ſcopo Salvatoris breviter elicitur. §. I. Utres nubium uti & corporis ac denique in genere totius hominis, in ſpecie Doctorum Symb. eſſe adſtruitur §. II. Hoc loco etiam diſcipulos Chriſti per UTRES depingi ex variis analogiis oſtenditur, conſiderando materiam eorum, quæ erat vel corium vel lutum. §. III. nec non formam, quæ ſacci ſimilitudinem referebat. §. IV. ac varia attributa utrium enarrando, qualia ſunt, quod aperiri & claudi queant §. V. quod vel vacui vel pleni, vel majoris aut minoris capacitatis ſint. §. VI. follibus olim inflarentur. §. VII. Suſpenderentur in fumo atque ſuffitu præpararentur. §. VIII. Ungere præterea illos oleo, pice ſimul oblinere, annulo obſignare atque inſcriptionibus notare. §. IX. Suſpendere porro in paxillo & reponere in cella & apotheca §. X. evacuare in poculum, vel ex iis bibere conſueverint veteres §. XI. adjicitur mos illis fluviis tranandi §. XII. Ac denique varii utrium uſus notantur. Domeſtici, quoniam varios liquores, ut aquam, ſanguinem, lac & vinum, §. XIII. & arida quoque, ut aurum, fruges, farinam &c. iis indiderunt veteres. §. XIV. Civilis reſpicit utres lacrymales §. XV. Sacer denique, quia in Libaminibus adhibiti §. XVI. Quæ omnia ſuo loco diſcipulis Chriſti applicantur, & practico epilogo finiuntur. §. XVII.

I.

Salvator noſter calumnias Phariſæorum declinaturus, quod diſcipuli ſui legem transgrederentur, parabolice eos defendit, deſumto argumento tum a felicitate, qua præſente perſona Jeſu fruebantur Comm.

34. 55. *Luc. cap. V.* tum a natura N. T. cui rigor œconomiæ V. per traditiones Patrum intenſus, contrarius erat. Adeoque duabus parabolis docet, quomodo id cum impetratione *juſtitiæ æternæ* pugnet, quæ ſub veſtis ſymb. proponitur v. 36. & ſimul applicatione ſalutis, in parabola *de Utribus veteribus & novis*, qua Salvator docuit, literæ legis V. T. renuntiandum eſſe, ſi conſolationis Evangelii & ſpiritus *υἱοθεσίας* capaces exiſtere velimus. Quod exprimit Comm. 37. 38. *ἐδεὶς βάλλει οἶνον νέον εἰς ἀσκὲς παλαιές. Ἐι δὲ μήγε ῥήξει ὁ νέος οἶνος τὲς ἀσκὲς, καὶ αὐτὸς ἐκχυθήσεται, καὶ ἀσκοὶ οἱ ἀπολἕνται. Ἀλλὰ οἶνον νέον εἰς* ΑΣΚΟΥΤ ΚΑΙΝΟΥΣ *βλητέον. Καὶ ἀμφότεροι συντηρἕνται.* Quoniam Salvator in convivio erat, parabolam de vino in conviviis adhiberi ſolito optime arripit, pro more ſuo, a rebus terreſtribus ad ſpiritualia animos hominum excitans. *Vinum vetus*, heic conſideratum ut acerbius & modo corruptum, Symb. eſt doctrinæ legis per traditiones Phariſaicas corruptæ. *Vinum novum* autem doctrinæ gratiæ & conſolationis Spiritus Sancti ſub N. T. promiſſæ. Ergo *utres antiqui* depingunt corda peccatorum literæ Moſaicæ adhærentia, quæ per gratiam Spiritus S. non renovata erant. *Utres* autem *recentes* corda electorum deſignant, quæ per innovationem ſunt transformata.

II. UTRES inſtrumenta ſunt, quibus varii liquores & arida excipi olim, in ſpecie autem vina recondi ſolebant. Emblema autem exiſtunt

a. In genere variorum receptaculorum aquæ. Ita de *nubibus*, quæ aquas ſolis calore in aëre attractas ſervant, & per pluvias inſtar ex utere denuo effundunt, eleganter adhibetur Judic. V, 11. קול מחצצים בין משאבים quæ verba non cum aliis vertes: (liberati) *a ſonitu ſagittariorum inter hauſtra:* Sed potius; *De tonitru fulminantium inter utres* (cœli) i. e. nubes aquis turgidas. Sic Job. XXXVIII, 37. *quis ſapientia ſapphirinas efficit nubes, & utres cœli quis proſternit?* Et de receptaculo maris occurrit Pſ. XXXIII, 7. כנס כנד מי הים נותן באוצרות תהומות *colligens quaſi in utre aquas maris, & reponens in theſauris abyſſos.*

b. *Corporis* quoque humani emblema eſt uter, unde Arabs apud

Cl.

Cl. SCHULT. *in not. ad Harir. Conſeſſ. II. p. 77.* قال ابو البقا يكني بالوطب عن الجسم لانه وعاء الروح *Auctor eſt Abul Beka, utre circumſcribi corpus, quod illud vas ſit animæ.* Huc pertinet epigramma apud *Laërtium Lib. IX. cap. 9.*

Πτίσσετε μᾶλλον ἔτι, καὶ μᾶλλον, θύλακος ἐςι,
Πτίσσετ'. Ἀνάξαρχος δ' ἐκ Διός ἐςι πάλαι.
Tundite carnifices tritum hunc magis ac magis utrem,
Tundite. Anaxarchus jam Jovis arce latet.

Et *Epictetus* apud STOBÆUM *Tom. II. tit. 119.* νάττω τοῦτον τὸν θύλακον. *Farcio hunc ſaccum* vel *utrem*, de corpore dicit.

c. *Hominum* denique in genere figuram gerunt utres, tam quoad corpus quam animam. Sic Jer. XIII, 12. כל נבל ימלא יין *omnes utres implendi ſunt vino*, quod comm. 13. ſq. de judiciis graviſſimis, quibus habitatores terræ & Iſraëlis principes obruendi erant, exponitur. Ita filii Zionis cum *utribus teſtaceis* comparantur, *opere manuum figuli* Thren. IV, 2. Eodem ſenſu occurrit Jeſ. XXII, 24. ubi Eliakim inſtar paxilli in loco firmo conſideratur, cui *inſtrumenta craterum & utrium appendenda erant*, per quæ *corda electorum*, quæ Meſſiæ adhæſura eſſent vera fide atque amore, intelligi poſſunt. David quoque Pſ. CXIX, 83. ſe ipſum cum כנאד בקיטור *Utre in fumo* comparat, reſpectu *calamitatum* & tentationum, quibus obruebatur, licet pretioſum verbi divini *vinum* animo conditum ſervaret, ut in toto Pſalmo demonſtrat. Apud profanos idem emblema occurrit. Ita Alexis apud ATHEN. *Lib. XI. cap. 6.*

- κατά τε τὴν παροιμίαν
Ἀεί ποτ' ἂν μὲν ἀσκός, ἂν δὲ θύλακος.
Ἄνθρωπός ἐςιν.
- - *vulgo quod dici ſolet,*
Homo ſemper alias ſaccus eſt, alias uter.

Et CLEM. ALEXANDR. *Strom. Lib. IV.* καὶ ὁ Ἐπίχαρμος, αὐτὰ φύσις ἀνθρώπων ἀσκοὶ πεφυσημένοι. *Et Epicharmus, ipſa, inquit, hominum vita ſunt utres inflati.* Similiter HORAT. *Lib. II. Satyr. v. 98.* de homine vano & φιλαυτῳ.

Creſcentem tumidis infla ſermonibus utrem.

Præcipue *Doctorum* eloquentia & facundia præditorum Symb. eſt *Uter*; huc reſpicit Elihu Job. cap. XXXII. 18. 19. dicens: *Nam plenus ſum ſermonibus, coarctat me ſpiritus ventris mei. Ecce venter meus ſicut vinum, cui non aperitur,* כאובות חדשים יבקע *ſicut utres recentes, finderetur.* Timon Phliaſius apud *Jun. adag. 28. Cent. V.* Philoſophum arrogantem vocat κενεῆς οἰήσεως ἔμπλεον ἀσκόν. Et de Doctore quodam philoſopho & celebri legitur apud HARIR. *Conſeſſ. II.* اخذ يبدي ما في وطابه *Cœpit proferre, quod in utribus ipſius erat.*

III. Quam eleganter autem corda electorum & apoſtolorum cum *utribus recentibus* comparentur, ex analogiis patebit ſequentibus.

a. Si *materiam utrium* conſideres, illa plerumque *corium* fuit, & præcipue caprinum. BARTHENOR. ad *Miſchn. Schab. C. XV. §. 2.* voces נודות יין *utres vini* explicat; *e corio, quorum coire faciunt os & colligant illos*, ut docet Cl. HEBENSTREIT *in diſſ. erudita de Davidis ſui cum utre in fumo comparatione §. VII.* Et gloſſa ad *Avod. Zar. fol. 32.* רוקבאות של גוים *Utres gentilium* explicat, והן של עור, *qui ſunt ex corio.* vid. BUXT. *Lex. p. 2286. Maimon. in Comm. ad Avod. Zar.* & *Jarchi. coriaceos utres* novos & veteres memorant, & differentiam puritatis docent prolixe. vid. EZARD. *Comm. ad Avod p. 432. ſq.*

Similiter HOMER. *Iliad. Lib. III. p. m. 56.*

- καὶ οἶνον εὔφρονα, καρπὸν ἀρέρης,
Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ.
Et vinum lætum, fructum terræ,
Utre in caprino.

Vide etiam HOM. *Odyſſ. Lib. VI. p. 80.* Et EURIP. *in Cyclop. v. 523. 525.* qui ἀσκὸν ἐκ δέρμασι *utrem ex pellibus* memorat. *Artemidorus* quoque apud PRICÆ. ad Matth. IX, 17. ſcribit: ἀπὸ νεκρῶν σαρκῶν ὁ ἀσκὸς γίνεται. *Ex carnibus* i. e. *pellibus, mortuis uter componitur.* Nihilo minus quoque ex Jeſ. XXX, 14. ubi שבר נבל יוצרים *fractura utris figulorum*, mentio injicitur, & Thren. IV, 2. ubi נבלי־חרש מעשה

ידי

ידי יצר *Utres teſtacei, opus manuum figuli,* memorantur, conſtat, quosdam utres ex luto figulino conflatos fuiſſe.

Talis eſt populus Dei in hac vita. Exterior enim ipſius homo non niſi *uter caprinus* eſt atque *figulinus*, quare conqueruntur credentes de *corpore mortis* Rom. VII, 24. quo induti ſunt in hoc ævo. Sed tamen *corpus eſt mortuum*, quia membra peccati per regenerationem ſubacta & mortificata ſunt. Col. III, 9. Animales in ipſis natura quoque ſuperſunt affectus, qui tamen fumo calamitatum ac caſtigationum & per ventum ſpiritus Jehovæ ſupprimuntur atque enervantur Rom. VI, 12. Jeſ. IV, 4. Terreſtre quoque domicilium incolunt, quod luti inſtar fragile eſt, facileque diſſolvi poteſt 2 Cor. V, 1. imo ſe ipſos non niſi cinerem & pulverem eſſe fatentur Gen. XVIII, 10. Pſ. CIII, 14.

IV. b. Si *formam* ſpectes, utres olim ſaccorum noſtrorum, quibus frumentum excipimus, aliquatenus figuram habebant, uti ex antiquis monumentis liquet; ſæpius quoque figuram animalis, ex cujus pelle confecti erant, exhibebant forma ſua, uti ex MONTFAUCON. *Antiq. T. III. P. I. Lib. IV. c. IV.* docet Cel. *Hebenſtr. diſſ. cit. §. VII. Conſuebantur* autem acu in forma conſueta, unde ATHENÆ. *Lib. V. p. m. 199.* ἐφ᾽ ἧς ἦν ἀσκὸς τρισχιλίους ἔχων μετρητὰς ἐκ παρδαλῶν δερμάτων ἐῤῥαμμένος. *In eo vehebatur uter, amphorarum ter mille, ex pardalium pellibus conſutus.* Et HOMER. *Odyſſ. Lib. II.*

Ἐν δέ μοι ἄλφιτα χεῦον ἐϋῤῥαφέεσσι δοροῖσιν.

Mihi vero farinam infunde in utribus bene conſutis.

Hoc denuo non fragilitatem ſolum fidelium, ſed & ſtatum in hoc orbe contemtum delineat. Corpus habent fragile, & quaſi conſutum utrem, qui facile diſſolvi iterum morbis & morte poteſt. Phil. I, 23. 2 Cor. V, 1. Arte ſummi Creatoris conſutus eſt hic vermium ſaccus, & ex ejusdem juſſu aliquando diſſolvetur Pſ. XC, 3. Antiqui, quum ſtatum ſuum miſerum ac animi humilitatem ac ſolicitudinem externe prodituri eſſent, *ſacco* ſeſe cingebant Gen. XXXVII, 34. 1 Reg. XXI, 27. Eſth. IV, 1. Hiob. XVI, 15. Joel, I, 8. Jon. III, 6. Pſ. XXXV, 13. Jeſ. XV, 5. Jer. VI, 26. Eccleſia quoque in hoc orbe luget tum ob fiſſuras Zionis, tum ob peccata ſua & infirmitates; triſtis eſt ob clades & perſecutiones, quibus obruitur ab hoſtibus veritatis, quare nunquam non in

 hac

hac miſeriarum valle ſacci formam exhibet. Job. VII, 1. Cap. XIV, 1. 2. Jeſ. XL, 6. 7. Pſ. CXX, 5. 6.

V. c. Varia attributa utrium conſiderantes, novas analogias detegemus.

1. *Aperiri* atque *claudi* poſſunt utres, aperiuntur, qnando materia adſervanda infunditur, clauduntur, ut adſervent contentum. Ita in *Maſſech. Schab. cap. XV. §. 2.* קשרת אשה ונודות יין ושמן וקדרה של בשר *Colligat mulier utrem vini & olei, & ollam in qua caro eſt.* Et quando ex illis bibere cupiebant, etiam laxabantur utres. Hinc apud EURIPID. *in Cyclop. v. 160.*

> *Χάλα τὸν ἀσκὸν μόνον. ἔα τὸ χρυσίον.*
> *Laxa tantum utrem* (ut bibam) *omitte aurum.*

Et HOMER. *Odyſſ. X.*

> *Ἀσκὸν μὲν λῦσαν, ἄνεμοι δ' ἐκ πάντες ὄρουσαν.*
> *Utrem quidem ſolverunt, venti autem omnes eruperunt.*

Et credentes corda ſua inſtar utrium aperiunt & claudunt: Aperiunt convictionibus Spiritus S. & pulſationibus Salvatoris ſui Apoc. III, 20. aperiunt ea vera fide & agnitione miſeriæ impotentiæ ſuæ, qua vacua Deo omniſufficienti corda offerunt, cum ſuſpiriis, ut gratia ſua illa repleat. Pſ. LXXXI, 11. aperiunt ea, quando per fidem ex plenitudine Dei ſalutis haurire gratiam cum gratia ſtudent Joh. I, 16. ut ita theſauris repleantur utres ipſorum Prov. VIII, 21. 22. Aperiunt denique, quando donis conceſſis a benigno Datore etiam aliis inſervire deſiderant, ſic *ex corpore* ipſorum velut ex utre torrentes *aquæ vivæ* profluunt Joh. VII, 38. Claudunt & colligant tamen etiam hosce utres, quando gratiæ & ſpiritus dona conceſſa ſolicite adſervant, ne illis priventur per tentationes Apoc. III, 11. quare inſtar fontis obſignati & obſerati ſunt Cant. IV, 12. Quæ enim acceperunt, ſedulo ſervare tenentur Apoc. III, 3.

VI. 2. Varia utrium genera ſunt, quidam *vacui*, alii *pleni*, quidam *parvi*, alii *magni*, quidam denique *vetuſti*, alii *recentes*. Ita in עבו״ז זרה fol. LX. col. 1. זיקא מחלא & זיקא חסירה *uter plenus & uter vacuus memoratur.* Et plenum exhibet *Colophon.* apud ATHEN. *Lib. XI. p. m. 475.*

Κή-

Κήρυκας ἀθανάτοισι φέρειν μέλανος ὄινοιο
Ἄσκον ἐνιπλεῖον.
Præcones diis immortalibus ferre nigri vini
Plenum utrem.

Differebant etiam *magnitudine*, quod *Cel.* MONTFAUCON. *Antiq. Expl. T. III. l. c.* pluribus docuit, conf. etiam Cl. HEBENSTR. *diſſ. c. §. VII.* Inprimis differentia etiam apud Judæos inter *veteres* & *novos* utres obſervabatur. Ita in *Avod. Zar. f. m. 101. Gemar. Babyl.* legimus זורות הגוים גרודים חדשים מותרין ישנים ומזופפין אסורין *Utres gentilium coriacei raſi, ſi fuerint novi, ſunt conceſſi; ſi fuerint veteres aut pice obducti, ſunt prohibiti.* Et R. NISSIM in *Alpheſium Hilc. Av. Zar. fol. 360.* quem citat Cel. EZARD. *in not. ad Zar. p. 431.* legitur: שאינו מתירין בבריתא זו חדשים בשכשוך ומצריכין בישנים ערוי *Nam concedimus in Barita has utres novos poſt ſimplicem & communem ablutionem, ad veteres autem repurgandos requirimus effuſionem. Vetuſtus* quoque memoratur apud EURIPID. *in Cyclop. v. 145.*

Ὁ δ᾽ ἀσκὸς, ὃς κεύθει νῦν, ὡς ὁρᾷς, γέρων
Uter hic, qui vinum occultat, ut vides, eſt vetuſtus.

Pingit hoc varium fidelium in hac vita ſtatum. Nonnunquam ſunt inſtar *utrium plenorum*, qui gloriantur de gratia divina, quam abundanti copia hauſerunt ex plenitudine ſalutis Joh. I, 16. ita ut exclament: *Jehova eſt Paſtor meus, nihil mihi deficiet unquam* Pſ. XXIII, 1. & theſauri ipſorum ſ. ἀποθῆκαι adimpleantur Prov. VIII, 21. cum Jacobo dicentes: *Omnia habeo*, quia abyſſus omniſufficientiæ Jehovæ eſt pars ipſorum & & portio certa Pſ. LXXIII, 1. 28. Jac. I, 17. Sed & interdum *utres* ſunt *vacui*, quando cor infirmum, impotens & exarefactum ignibus tentationum Deo offerunt cum Abrahamo Gen. XVIII, 10. & Eccleſia Pſ. CXIX, 25. atque ſe *vas vacuum* eſſe conqueruntur cum Iſraele Jer. LI, 34. quando doctrina ſalutis per perſecutiones confeſſorum deficit, & ſpiritus conſolationum procul receſſit. Pſ. LI, 10. 13. 14. Dantur quoque utres *magnæ* & *parvæ* capacitatis, dum animæ quædam majori gratiæ, ſapientiæ, zeli, amoris & ſanctitatis menſura implentur, aliæ autem minori, prout placet benevolentiæ divinæ dona ſpiritus ſacra diſtri-

diſtribuere 1 Cor. XII. 11. 12. dantur infantes, adoleſcentes & viri in gratia 1 Joh. II, 12.-14. Sunt denique *novi* atque *vetuſti* utres, de quibus loquitur Salvator noſter. *Vetuſti* pingunt corda literæ legis adhærentia, quorum ante oculos velum hoc panditur, quæ inepta ſunt ad capiendam doctrinam gratiæ, veluti ex exemplo Nicodemi, Magiſtri Iſraelis, patet Joh. III, 2-9. *Recentes* autem corda deſignant per Spiritum S. innovata, quæ ſufficiente robore pollent, quo promiſſiones ſalutis capere ac ſervare valent Eph. III, 16. atque ita in pugna contra hoſtes ſpirituales perdurant.

VII. 3. Utres *inflari* ſolebant & quidem follibus, teſte CASAUBONO *ad Suet. Jul. Cæſ. c. 57.* ubi ad verba *vel innixus inflatis utribus* commentatur: *Hi utres vel inflabantur follibus, ut Suetonius indicat, & Xenophon, Cæſar, Livius, Florus, aliique e Latinis, vel ſtramentis inferciebantur, ut apud Curtium Lib. VII.* Et JUL. POLLUX *Onom. Lib. IX. cap. 7.* ſcribit: *ἀσκωλιάζειν δὲ ἐκαλεῖτο καὶ τὸ ἐπιπηδᾶν ἀσκῷ κενῷ ὑποπλέῳ πνεύματος. Vox ἀσκωλιάζειν deſignat utri vacuo ſed ſpiritu inflato ſubſilire.* In notitia Imp. folles, quibus utres in bello inflari ſolebant, pictos deprehendi, docet SCHEFF. *de re navali addend. p. m. 317.* ARISTOTELES quoque *probl. cap. XXII. §. 4. p. m. 161.* ſcribit in hanc rem cauſas inflandorum utrium proferens: *Διὰ τί τὰ περικάρπια καὶ τὰ κρέα, καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἐν τοῖς ἀσκοῖς ἄσηπτα γίνεται, ὅταν σφόδρα φυσηθῶσι. καὶ τὰ ἐν τοῖς ἀκριβῶς περιπωματιζομένοις. Quare quæ ex frugibus & carne conſtant & ſimilia, in utribus incorruptibilia ſervantur, quando maxime illi ſufflantur, & quidem in utribus curate obſeratis.*

Corda credentium quoque quaſi utres, folliculo convictionum verbi & Spiritus Sancti inflati ſunt, Agitantur enim a Spiritu S. Rom. VIII, 16. qui cordis torporem & ſocordiam folliculo ſuo excitat & attollit, ut ſint ζέοντες πνεύματι Rom. XII, 11. hac ratione corda ipſorum *dilatantur* Pſ. CXIX, 32. & ſpiritus tota occupat vento ſalutari gratiæ ſuæ, quare Eccleſia petit, ut Eurus atque Zephyrus oriantur & perflent hortum ſuum Cant. IV, 16. Hac ratione non putreſcunt in peccatis ſuis, nec dona conceſſa corrumpi permittunt in utre ſuo, ſed cuſtodiunt ea ἄσηπτα. Apoc. III, 3. Præcipue hoc diſcipulis & Apoſtolis Chriſti convenit, qui φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου 2 Pet. I, 21. operabantur,

&

& repleti Spiritu S. teſtimonium veritatis dabant Act. VI, 5. a quo inſtar venti validi in die Pentecoſtes occupabantur Act. II, 2. 4. ut ita dona, ſibi concredita pura et ſancta conſervare aliisque apte tradere poſſent, 1. Tim. IV, 14.

VIII. 4. *Suſpendi* interim ſæpe *utres* in aëre vel etiam *in fumo*, & ne corrumperentur, etiam *ſuffitu* præparari apud veteres ſolebant. Huc refer illud Davidis Pſ. CXIX, 83. הייתי כנאר בקיטור *Sum inſtar utris in fumo.* Et in genere ad ſuſpenſos utres reſpicitur Jeſ. XXII, 24. quando Eliakim conſideratur ut paxillum, cui *appenſa* quoque *inſtrumenta utrium*, id quod ſupra explicavimus. Ritum ſuſpendendi *utres in fumo* ſolide & erudite ex antiquis monumentis explicuit Cel. HEBENSTREIT in *Diſſ. ſupra cit.* quem confer: Pauca heic adducere ſufficiet. LXX. Interpretes locum Pſ. vertunt: ἀσκὸς ἐν πάχνῃ *uter in pruina*, quos plurimi ſequuntur Patres, quoniam ſub dio quoque in aëre ſuſpenſos utres habebant antiqui, uti ex *Catone, Elpidano, Galeno, Pancirollo &c.* docet *Vir Cel.* cit. §. XIV. Melius tamen ex hebr. de *fumo* explicandum eſt, quemadmodum ſcriptores quoque veteres *utres* & *cados* fumoſos ubique memorant: ita STAT. *Sylv. Lib. IV.*

Albanoque cadum ſordentem promere fumo.

MARTIAL. *Lib. XII. ep. 84.*

Fumoſæ feret ipſe tropin de fæce lagenæ.

OVID. *Lib. V. faſt. v. 518.*

Promit fumoſo condita vina cado.

Fiebat autem hoc, *tum* quia fumo vina purgari credebat antiquitas, ut docuit SALLENGR. *Th. A. R. T. I. f. 86.* *tum* quia eodem matureſcere celerius vinum ſibi perſuadebant, teſte COLUMELLA *de re ruſt. Lib. XII. cap. 6.* & BRODÆO in *Miſc. Lib. I. cap. 13.* Fumo quoque fœtorem & corruptionem acoremque pelli, adeoque cados *bonis* quoque odoribus ſuffumigatos fuiſſe, contendit COLUMELLA *Lib. XII. cap. 18.* Plura lege apud DEMSTER. *ad Roſin. antiqu. Lib. V. p. m. 542. ſq.* & in *Diſſ.* ſæpius *citata §. XVIII. ſq.*

Tales quoque utres ſunt credentes in hoc orbe. Sæpe enim per Dei providentiam directricem *fumo* calamitatum & tentationum hujus vitæ et Satanæ exponuntur. Per varias afflictiones præparantur ad ſalu-

tem Hebr. XII, 19. Act. XIV, 22. Hæ ſæpe ſuccos vitales quaſi afficiunt inſtar fumi, ut exareſcant, Pſ. XXXII, 4. Coarctant & anguſtiis quaſi emacerant ſpiritum ipſorum inſtar fumi, Pſ. XXXVIII, 1. ita ut omnis lux gaudii ex corde recedat, & non niſi tenebræ præjudiciorum ac dubiorum ipſis remaneant, quæ fidei oculum obfuſcant. Jeſ. V, 30. LIX, 9. L, 10. Pſ. XLIV, 20. Interea tamen inſtar *utrium*, hoc tentationum fumo conſervantur a putredine, corroborantur in ſpiritu, & dona ipſis conceſſa magis magisque ad maturitatem quaſi excoquuntur. Hebr. XII, 11. 12. 2. Cor. IV, 17. 18. 1. Petr. IV, 1. 2. Caro enim ſubigitur, concupiſcentiæ ſuperſiduæ enervantur, Rom. VI, 12. atque ita inſtar petræ omnes tentationum fluctus conſtanti animo perferunt, Apoc. II, 2. 3. 10. 2. Tim. IV, 7. 8. Apoc. VII, 14.

IX. 5. *Ungi* præterea, *pice* ſimul oblini, atque interdum *annulis* obſignari, ac denique *inſcriptionibus* ornari ſolebant Utres.

Unctos utres memorat VIRGIL. *Lib. III. Georg.*

Atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

Lixivia aut oleo inungi fuiſſe ſolitos, docet TAUBMANNUS *ad h. l.* Ita & JUL. POLLUX. *Onom. Lib. IX. cap. VII.* Τὸ ἀσκωλιάζειν interpretatur, ἐπιπηδᾶν ἀσκῷ κενῷ ὑποπλέῳ πνεύματος ἠλειμμένῳ, ἵνα περ ὀλισθάνοιεν περὶ τὴν ἀλοιφὴν, *inſilire utri vacuo & vento inflato atque inuncto, ut propter unguentum laberentur.*

Pice ſimul obductos eſſe utres, quando vino replendi erant, patet ex *Avod. Zar. f. 101.* ישנין ומזופפין אסורין גוי ריכבן ועיברן ונתן לתוכן יין וישראל עומד על גבין אינו חושש *Si utres fuerint veteres aut pice obducti, ſunt omnino prohibiti. Quod ſi autem gentilis eos pice obduxerit, aptaverit & vinum infuderit præſente Iſraelita, non eſt ut de uſu illorum ſit ſolicitus.* Et *R. Niſſim* cit. a Cl. EZARD. *in not. ad h. l.* דבעי׳ עומד על גביו משום דחיישינן שמא יתן בהם יין לאחר הזפת. *Quod requiritur, ut Iſraelita adſtet, ideo id fieri dicit, quia metuendum, ne forte gentilis denuo indat vinum, poſtquam pice ſunt obducti.* Imo etiam repleti utres in *orificio* pice obducebantur, quo reſpicit HORAT. *Lib. III. Od. VIII.*

Corticem adſtrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere inſtitutæ.

Ad

Ad quem locum Scholiaſtes: *intelligit vinum vetuſtum in utribus ita exſiccatum. ut depromi non poſſet, neque bibi, niſi aqua dilutum.*

Annulis quoque obſignatos fuiſſe, liquet ex HORAT. *Lib. II. Ep. II. v. 133.*

Comis in uxorem, poſſet qui ignoſcere ſervis,
Et, ſigno læſo non inſanire lagenæ

MARTIAL. *Lib. IX. ep. 89.*

Nunc ſignat meus annulus lagenam.

Et denique *inſcriptione* fuiſſe notatos, ut vina dignoſci poſſent, conjicere licet ex vetere *Scholiaſte* JUVENAL. ad *Sat. V. Vinum,* inquit ille, *de montibus Albanis, ita vetus, ut non poſſit ex inſcriptione, antiquitate deleta, cognoſci, quanti ſit temporis.* Et PETRON. *Satyr. p. 26. Statim allatæ ſunt amphoræ gypſatæ, quarum cervicibus pittacia erant* affixa cum hoc titulo. FALERNUM OPIMIANUM ANNORUM CENTUM. Vide DEMSTER. ad *Roſin. Lib. V. p. m. 543.*

Credentes ſub N. T. hac in re utribus quoque ſimiles exiſtunt, quatenus *uncti, obſignati,* & *ſigillo notati* conſiderantur in ſcriptis ſacris. *Uncti* ſunt oleo Spiritus S. qui eſt oleum illud lætitiæ, Jeſ. LXI, 3. Unctionem habent a ſancto 1. Joh. II, 27. idem enim illud Spiritus S. oleum, quod in caput ſanctiſſimi Pontificis noſtri effuſum eſt, etiam deſtillat in membra ipſius Pſ. CXXXIII, 1. 2. Hac unctione inſtar utrium *pice obductorum* conſolidantur, in fide ac *patientia* perſeverantes, & pretioſum ipſis concreditum theſaurum conſervantes ad finem. Apoc. III, 3. 11. Eph. III, 16. 17. Hac ratione ab omni *putredine* & *fœtore* peccatorum vindicantur, *durant* ſtabiliti in omnibus tentationibus, nec unquam *maculam* aut *rugam* contrahunt. Eph. V, 27. Phil. I, 10. 1. Theſſ. III, 8. 13. *Obſignati* ſunt *ſigillo* atque *annulo* Domini ſui, uti Apoſtolus 2. Cor. I, 21. 22. *unctionem* & *obſignationem* fidelium conjungit. Obſignantur ad diem redemtionis Eph. IV, 30. atque ſignati hoc ſigillo exiſtunt inviolabiles in hoc orbe Ezech. IX, 6. Pſ. XCI, 9. 10. *Inſcriptum* ſibi gerunt in fronte *nomen* Dei ſui, Apoc. XIV, 1. 2. ut ita קדש ליהוה ex illis appareat coram mundo, quod fronti & manibus impreſſum gerunt Jeſ. XLIV, 5. Apoc. XXII, 4. i. e. confeſſione ac vita ſua manifeſtant.

X. 6. *Suſpendebantur* utres vel ad *paxillum*, vel etiam *reponebantur* in *cellis* & *apothecis*. Ad *ſuſpenſionem* reſpicit locus Jeſ. XXII. infra citandus, ubi *inſtrumenta utrium in paxillo* Eliakim ſuſpendenda dicuntur. *Cellæ* & *fumaria*, in quibus reponebantur utres & cadi, ſæpius memorantur apud veteres. Sic MARTIAL. *Lib. I. ep. 27.* canit:

Egerit & nigros Maſſica cella cados.

Et COLUMELLA *Lib. XII. cap. 18. Cella quoque vinaria omni ſtercore liberanda, et bonis odoribus ſuffienda, ne quem redoleat fœtorem, acoremque.* MARTIAL. denuo *Lib. XI. ep. 40.*

Tanquam de cella ſit cadus ille tua.

nec non *Lib. XIV. ep. 116.*

Spoletina bibis vel Marſis condita cellis,
Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

PHAEDRUS *Lib. IV. fab. IV.*

Plenam antiquis apothecam cadis.

Paxillum, a quo *utres myſtici* pendent, eſt *Eliakim* ille myſticus, Salvator, qui in *domo Davidis* i. e. vera Eccleſia conſtitutus eſt *paxillum*, a quo *ſuſpenſa* ſunt *inſtrumenta utrium* i. e. corda populi ſui, quæ ipſi vera fide & amore adhærent Jeſ. XXII, 24. anima enim credentium adhæreſcit Domino Pſ. LXIII, 9. *Apotheca* autem illa & *cella* vinaria, in qua repoſiti jacent *utres* myſtici, eſt *Eccleſia* Dei, quæ eſt domus viventium. In hujus communione conſervantur & vindicantur ab omni hoſtium violentia, quia Deus ipſe hanc cellam muro providentiæ ſuæ igneo cingit, Zach. II, 5. In hac ceu fumario conſervantur, ſecluduntur a mundo, tanquam Dei ſui peculium, ac pretioſum doctrinæ ſalutaris theſaurum in recreationem Domini ſui, in dies quaſi puriorem atque ditiorem reddunt per Dei gratiam, Cant. V, 1.

XI. 7. *Utres* ſæpius *evacuabantur* in pocula atque *effundebant* vinum, vel etiam ex iis *bibendum* præbebatur convivis; evacuati autem novo denuo *replebantur*. Ita EURIPID. in *Cyclop. v. 146.*

Οὗτος μὲν ȣ̓δ᾽ ἂν γνάθον πλήσειε μȣ̃,
Ναὶ δὶς τύσον πῶμ᾽, ὅσον ἂν ἐξ ἀσκȣ ῥυῆ.
Hic certe (uter) ne buccam quidem impleret meam,
Certe bis tantus potus, quantus ex utre fluxerit.

Et

Et paulo poſt:

Καὶ μὴν ἐφέλκω, καὶ ποτῆρ' ἀσκοῦ μέτα,
Φερ' ἐκπάταξον.
Atqui afferο, & poculum cum utre;
Age excutias.

HOMER. *Odyſſ. Lib. VI.*

- - ἐν δ' οἶνον ἔχευεν
Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ.
Vinum vero infudit in utrem caprinum.

Et *preſſi* utres *paulatim* vinum emittebant, quemadmodum de utre in feſto Bacchi viuum fundente ſcribit ATHENÆ. *Lib. V. Deipnoſ. p. 199.* *ἐφ' ἧς ἦν ἀσκὸς, τρισχιλίους ἔχων μετρητὰς ἐκ παρδαλῶν δερμάτων ἐῤῥαμένος. ἔῤῥει δὲ οὗτος κατὰ μικρὸν ἀνιέμενος κατὰ πᾶσαν τὴν ὁδόν.* *In illo vehebatur uter, amphorarum ter mille, ex pardalidum pellibus conſutus, e quo per totam viam ſtillabat etiam vinum, paulatim emiſſum.*

Credentes quoque utrium inſtar non ſibi ſolis ſervant vinum pretioſæ doctrinæ & donorum Spiritus S. ſed ſeſe evacuant in aliorum recreationem ac converſionem, aquæ enim vivæ, quas ex fonte ſalutis hauſerunt Joh. I, 16. denuo *ſtillant* ex corpore ipſorum ad alios irrigandos Joh. VII, 37. 38. Vento Spiritus S. afflati & euro tentationum vulnerati ac preſſi, inſtar arborum reſiniferarum, ſuccos aromatibus ſtillare faciunt. Cant. IV, ult. In dies novos gratiæ & doctrinæ theſauros hauriunt, quos denuo in aliorum ſalutem evacuant. 1 Pet. IV, 10. Præcipue autem quando variis tentationibus ac calamitatibus premuntur, pleno ore laudem virtutum divinarum ex cordis theſauro effundunt, ad aliorum recreationem, excitationem & ſalutem, Deique ſui delectationem. Jac. I, 2-4. Heb. XII, 1. Pſ. XLII, 12. XLVI, 4. 5. Quales præcipue futuri erant diſcipuli Chriſti, qui per *XII. boves maris ænei* præfigurabantur, utpote ore ſuo aquas doctrinæ ſalutaris nunquam non cum *παῤῥησίᾳ* effundentes. 2 Cor. IV, 13.

XII. 8. Notamus denique ſingularem *utrium* pelliceorum qualitatem, qua *aquas* ipſas ſuperant *natando*, nec enim *ſubmergi aquis* queunt, ſed illis innatant, fluctibus licet perpetuis acti. Quare olim in *bellis* uſus ipſorum ſingularis erat, quibus ſæpe fluvios trajecerunt. Ita SVETON. *in Jul. Cæſ. c. 57. Si flumina morarentur, nando trajiciens*

 vel

vel inflatis utribus, ut perſæpe nuntios de ſe prævenerit. Similiter FLOR. *Lib. III. cap. V. Sed fiduciam oppidanis reſiſtendi nuntius fecit, docens, adventare Lucullum, qui, horribile dictu, per medias hoſtium naves utre ſuſpenſus & pedibus iter adgubernans, videntibus procul, quaſi marina piſtrix, evaſerat. Nec non* NONN. *Lib. XXIII. Dionyſ. v. 148.*

Ἀσκοῖς οἰδαλέοισι χέων ποιητὸν ἀήτην,
Δέρμασι φυσαλέῳ διεμέτρεεν Ἰνδὸν Ὑδάσπην.
Utribus tumidis infundens factitium ventum,
Corio inflato trajecit Indum Hydaſpem.

Pingit hoc denuo novam credentium qualitatem, utpote qui in mediis tentationum atque calamitatum hujus mundi fluctibus nunquam non ſuperiores evadunt, premuntur, non opprimuntur. Quando abyſſus abyſſum inclamat, omnesque fluctus & undæ corruunt ſuper caput Eccleſiæ, illa ſe ipſam erigens exclamat: *Quid dejicis te anima, & perſtrepis, confide Deo. qui ſalus eſt faciei meæ.* Pſ. XLII, 8. 9. 12. Non ultra vires aſcendunt tentationes, ſed ita diſpenſantur, ut tolerare eas valeat grex Dei. 1 Cor. X, 13. Præcipue hoc de diſcipulis Chriſti & Apoſtolis veriſſimum eſt, qui horrendis indies perſecutionibus obruti, periculis nocturnis, diurnis expoſiti, nunquam defecerunt, ſed conſtantes perſeverarunt in fide & doctrinæ teſtimonio 2 Cor. XI, 26-28. Apoc. II, 3.

XIII. d. *Uſus* denique utrium quosdam addemus, & quidem triplices hoc loco obſervaſſe ſufficiet.

1. *Domeſticos*, inter vaſa enim domeſtica recenſentur quoque apud veteres utres.

Includebant utribus omnis generis liquores, veluti *aquam*, *lac*, *ſanguinem*, *oleum* & præprimis *vinum* ac *muſtum*.

Aquam utribus incluſam eſſe, liquet ex Gen. XXI, 14. quando Abraham Hagaræ panem & *utrem* aquæ dediſſe legitur, ubi LXX. *ἄσκον* habent, & Chald. רוקבא *utrem* Ita in *Succah. fol. 48.* משוינן ליה גודא ומלינן ביה מיא *paravimus ei utrem & replevimus aqua.* Et in *Bereſch. Rabb. ſect. X. fol. 239.* רועה הייתי בעירי והלכתי למלאת את הנאוב מן המעיין *Paſtor fui in urbe mea, & ivi ad replendum utrem ex fonte.* Vide BUXT. *Lex. ad h. v.* Similiter HOMER. *Odyſſ. V.*

Ἐν

Ἐν δὲ οἱ ἀσκὸν ἔθηκε θεὰ μέλανος οἴνοιο
Τὸν ἕτερον, ἕτερον δ᾽ ὕδατος μέγαν.
Impoſuit autem utrem Dea nigri vini
Alium, alium aquæ magnum.

Lac quoque in utribus ſervabatur, ita Jahel aperiebat נאד החלב *utrem lactis*, ad potandum Sifferam. Jud. IV, 19. Similiter *Tebleb.* ad *Harir. Conſeſſ. I.* ut vertit Cel. SCHULT. *p. 76.* Per ﻃﻠﺎﺑﻪ (*wittab*) *intelligit utres lactis ejus, nam ea vox proprie ſignificat utrem lactis, nec ad alia ſe extendit. Intendit autem, ipſam produxiſſe præſtantiſſima eorum, quæ memoria tenebat. - - Quoniam lacte apud Arabes circumſcribitur omne bonum præſtans, quod præſtantiſſimum ſit potulentorum*

Sanguinem utribus inditum teſtatur LUCIAN. *in Charon. p. m. 151.* *ἐν ἀσκῷ αἵματος, in utre ſangvinis*, ſeu ſanguine repleto,

Oleum in *utre* memorant Judæi in *Maſſ.* שבת *cap. 15. §. 2.* ubi נודות יין ושמן *utres vini & olei* conjungunt. Et PLAUT. *Pſeudol.* Act. I. ſcen. II.

Si mihi non jam huc culleis oleum deportatur.

Præcipue tamen ad *vina* condenda & ſervanda *utres* adhibitos legimus in ſacris & profanis diptychis Joſ. IX, 4. 13. *utres vini* נארות יין Gibeonitæ ſecum geſtaſſe dicuntur. Conf. etiam 1 Sam. XXV, 18. 2 Sam. XVI, 1. 1 Sam. I, 24. X, 3. Jer. XLVIII, 11. 12. Job. XXXII, 19. in quo loco poſtremo præcipue *muſtum* utri inditum reſpicitur. Ita אבטא Cel. BUXTORF. *in Lex. ex* ע״ז *explicat de utre viatorum Arabum, in quo vinum deferebant. p. 11. Zobar* in Num. *col. 299.* apud eundem p. 684. אפיק חד זפירא מלי מין. *Produxit utrem quendam repletum vino.* Prolixe quoque in *Avod. Zar.* de puritate & impuritate *utrium vini*, quibus gentiles utuntur, agitur. Ita & HOMER. *Iliad. III.* de more Græcorum.

- *καὶ οἶνον εὔφρονα, καρπὸν ἀρούρης*
Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ.
Et vinum lætum, terræ fructum
Utre in caprino.

Et LUCIAN. *in Lexiphan p. m. 536. T. II. opp.* *οἶνος δὲ ἦν οὐ γέρων, ἀλλὰ τῶν ἀπὸ βύρσης, ἤδη μὲν ἀγλευκής, Vinum autem erat non vetus, ſed ex iis quæ in utribus offeruntur, quod jam muſtum eſſe deſierat.*

rat. Plura ex *Anacreonte, Homero, Euripide &c.* addere ſuperſedemus.

Talibus quoque utribus jure conferes credentes N. T. utpote qui *aquam* & *ſanguinem*, merita activæ & paſſivæ obedientiæ Salvatoris ſui in pectore tanquam κειμήλιον ſervant. Pſ. XXIII, 2. XLII, 2. Joh. IV, 10-14. Joh. VII, 37. & coll. I, 14. 20. 1 Joh. I, 7. V, 6. Heb. X, 19. Ap. VII, 14. Poſſident inſuper *oleum* donorum Spiritus S. utpote cujus menſura largiſſima ſuperfuſi ſunt. Jeſ. LXI, 3. Pſ. CXXXIII, 1. 2. qui inſtar olei contrita ipſorum oſſa emollit Pſ. LI, 9. 10. qui lætificat cor ipſorum, atque faciem ipſorum ſplendore majeſtatis & gloriæ imaginis divinæ colluſtrat, 2 Cor. III, 18. Continent *lac* veritatis puriſſimæ Evangelicæ Jeſ. LV, 1. Heb. V, 12. Cant. IV, 11. Jeſ. LX, 16. Joel. III, 18. utpote qua delectantur inſtar infantum recenter natorum 1 Pet. II, 2. qua & alios Dei & Eccleſiæ liberos infirmos ſuſtentant ac fulciunt. Nec deeſt ipſis *vinum* & *muſtum* i. e. dona Spiritus S. lætifica, quibus inebriantur Act. II, 13-17. Joel. III, 18. & facundi redduntur, ad profitendum nomen Dei ſanctiſſimum & celebrandas laudes ejus Zach. IX, 17. Diſcipuli præcipue *utres* erant *recentes* per Spiritum Dei regeniti & in παλιγγενεσίᾳ N. T. adaptati ad capiendum *muſtum doctrinæ* & promiſſionis *Evangelicæ*, quod etiam in aliorum crediturorum recreationem & ſalutem effundere deberent.

XIV. β. *Arida* quoque includere ſolebant utribus nonnullis. Ita *aurum* & *argentum* aliaque pretioſa in utribus recondebant antiqui. Huc reſpicitur apud HOMER. *Odyſſ. X. p. m. 131.*

Ἀλλ' ἄγε θᾶσσον ἰδώμεθα ὅττι τάδ' ἐστιν,
Ὅσσος τις χρυσός τε καὶ ἄργυρος ἀσκῷ ἔνεστιν.
Sed age celeriter videamus, quænam illa ſint,
Quantum auri argentique utri inſit.

Carnes & fructus κρέα καὶ περικάρπια in utribus recondere fuiſſe ſolitos ex ſupra cit. *Ariſtotelis* loco conſtat. In *Hieroſ. Taakith. fol. 69. trecenti utres fruſtorum panis* memorantur, vide LIGTF. *Cent. Chorogr. Matt. Cap. LV.* Huc refer 1. Sam. IX, 7. ubi vox כלי talem *utrem* ſignificare videtur, in quo reliquiæ panis congregatæ ſint. *Farinam* præcipue in utribus a corruptione vindicabant. Sic HOMER. *Odyſſ. II.*

Οἰ-

Οἶνον ἐν ἀμφιφορεῦσι καὶ ἄλφιτα, μύελον ἀνδρῶν,
Δέρμασιν ἐν πυκινοῖσιν.
Vinum in amphoris, & farinam, medullam hominum,
Utribus in denſis.

Conf. Cel. HEBENSTREIT. *Diſſ. cit. §. VIII.*

Corda credentium N. T. & diſcipulorum Chriſti utres quoque ſunt, qui capiunt *aurum* atque *argentum* juſtitiæ Salvatoris & promiſſionum gratiæ, quas inſtar pretioſi theſauri ſolicite cuſtodiunt, Apoc. III, 18. 1. Petr. I, 7. 1. Cor. III, 13. Pſ. XII, 7. Prov. VIII, 10. XVI, 16. Pſalm. XLV, 10. Capiunt quoque *cibum* ſpiritualem; Manna illud cœleſte & abſconditum in corde ſuo inſtar in urceo ſacro cuſtodiunt, Apoc. II, 17. *Farinam* puriſſimam obedientiæ fidei ſincero corde exhibent, tanquam inſtrumento puro hoc mincha myſticum offerentes, Jeſ. LXVI, 20. Sic cibum operantur non corruptibilem ſed permanentem absque corruptione in utre cordis per ſecula, Joh. VI, 27.

XV. 2. Uſum porro tangemus *civilem*, quatenus utres etiam ad *lacrymas* in mærore & luctu amicorum effuſas, *adſervandas* olim inſerviebant antiquis. Inſigne hujus ritus veſtigium occurrit Pſalm. LVI, 9. שימה דמעתי בנאדך *Pone lacrymas meas in utre tuo.* URSINUS in *Anal. Lib. V. c. IV.* putat lacrymas ut cenſum & tributum conſiderari, quod ab antiquis ſacculis oblatum. Rectius tamen Cl. JANS. AB ALMELOVEEN, P. ZORNIUS in *Opuſc. S. T. I. p. 357.* aliique obſervarunt, ad urnas & utres lacrymarum, monumentis mortuorum ab amicis appoſitos reſpici. Amici enim proximi non ſepulcrum ſolum exornabant, ut docuit prolixe KIRCHMANNUS *de funere*, ſed & lacrymas in urnis ſeu utribus in ſignum amicitiæ apponebant. Exhibet figuras talium utrium SMETIUS in *antiqu. Neomag.* & Cl. SPON. *in antiqu. erud. citati* Cl. ALMELOV. *l. c.* adde HECHTII *buſtum Luſat. in Miſcell. Lipſ. T. VII. p. 247.* Cl. NETTELBLAT *de Urnis Vet. ſepulchralibus Diſſ.* Conf. etiam *Emblem. noſtr. Vol. I. Exerc. IV. Lib. II. §. X. p. 185.*

Nonnunquam credentes cor ſuum *utrem lacrymarum* conſtituunt, quando calamitatibus hujus mundi & tentationibus graviſſimis obruti, atque in peccatis ſuis ſeſe humiliantes cubile ſuum lacrymis perfundunt tota nocte cum Davide, Pſ. VI, 7. lacrimas conſiderant cibum ſuum, Pſ.

XLII,4. ita ut pane lacrymarum ſatientur & poculo amaro ſuſpiriorum potentur. Pſ. LXX,4. 6. Oculos ſuos quaſi utres, lacrymis perpetuo ſtillantes, conſtituunt cum Jeremia Cap. IX, 1. 18. & Iſraele Thren. II, 18. Pedesque Salvatoris ſui cum peccatrice illa magna ex utre lacrymarum ſuarum tingere ſtudent, Luc. VII, 38. 44. In utre ſuo *lacrymas reſipiſcentiæ* feriæ ob peccata & infirmitates adhuc ſuperſiduas Rom. VII, 24. *lacrymas* & ſuſpiria ob calamitates & *afflictiones* hujus mundi, quibus undique obruuntur Pſ. CXXVI, 5. Pſ. CII, 10. lacrymas *deſiderii* intenſiſſimi communionis Dei, quam noctu diuque anhelant, Pſ. XLII, 1. 4. nunquam non ſervant Deoque ſuo offerunt. Pſ. LVI, 9.

XVI. 3. Reſtat denique uſus *utrium ſacer*, quatenus in *libaminibus ſacris* olim adhibebantur. Huc reſpiciunt monita & præcepta Talmudicorum toties in ע״ז. recurrentium de purgatione *utrium* gentilium, in quibus illi forte vinum libaminis habuerint, adeoque polluti ſint. De quibus etiam MAIMON. *in hilc. Maachal. Aſouroth. cap. XI.* נודת הגוים וקנקניהם שהכניסו בהם הגוים יינם אסור ליתן לתוכן יין עד שישנן שנים עשר חדש *Non licet in utres aut urceos gentilium, in quos ipſi infuderunt vinum ſuum* (ſc. libaminis) *indere vinum Judaicum, donec per XII. Menſes Judæus illos ſecum vacuos adſervaverit.* Hoc manifeſto docet EURIPID. *in Electr. v. 509. ſq.*

᾿Ηλθον γὰρ αὐτȣ̃ πρὸς τάφον, παρέργ᾿ ὁδȣ̃,
Καὶ προσπεσὼν ἔκλαυσ᾿, ἐρημίας τυχών.
Σπονδάς τε, λύσας ἀσκὸν, ὃν φέρω ξένοις,
῎Επεισα· Τύμϐῳ δ᾿ ἀμφέθηκα μυρσίνας.
Veni enim ad ipſius ſepulcrum obiter,
Ac procidens humi flevi, nactus ſolitudinem.
Libaminaque ſoluto utre, quam hoſpitibus fero,
Fudi, ramosque myrteos circa tumulum poſui.

Ejusmodi *utres ſacri* ſunt corda credentium, Deo conſecrata, utpote quæ ſe Deo ſuo tanquam libamen ſiſtunt, corpus & animam Deo in ὁλοκάυτωμα offerentes. Rom. XII, 1. Quum enim ſæpe vocentur ad martyrium, ſanguinem ſuum pro veritate inſtar libaminis Deo ſacri effundere parati ſunt. Apoc. II, 10. Et cum Apoſtolo pro libamento ſe offerunt ſuper ſacrificio & miniſterio fidei. Phil II, 17. Quod inprimis diſcipulis Chriſti

ſti

ſti convenit, qui ſanguinem ſuum pro veritatis teſtimonio & ſuper nomine Domini effuderunt, in Deo acceptum libamen. Id quod omnes genuini aſſeclæ Domini imitari oportet, Marc. VIII, 34. 35. Luc. XIV, 26. Matth. X, 37-39.

XVII. Hinc conſtat, qualia corda requirantur, quæ apta exiſtant ad vinum doctrinæ cœleſtis & donorum Spiritus S. capiendum, nimirum vaſa pura atque ſancta, utres recentes, i. e. corda per regenerationem renovata. Certe non omnes, qui ſub N. T. vivunt, ſunt *utres recentes*, quum corda cœcitate Phariſaica impleta & peccatis quaſi inveterata plurimi adhuc foveant, nomen Chriſti externe tantum gerentes; quum doctrinam Evangelii puriſſimam, licet ore ſæpe externe profiteantur, nihilominus corde deſpiciant ac contemnant. Pauci ſuperſunt in Eccleſia externa, quorum corda horum *utrium* qualitates poſſident. Ubi ſunt, qui agnoſcunt miſeriam & corruptionem naturalem, & de corpore mortis querelas cum Apoſtolo ſerias cum contritione cordis ſui effundunt? Rom. VII, 24. quum potius indurentur plurimi in peccatis ſuis antiquis, nec ullus eorum ſenſus ſuperſit. Ubi ſunt, qui per veram reſipiſcentiam & cordis humiliationem *ſacci* formam induunt, & hac ratione per agnitionem indignitatis virgam Dei vindicatricem exoſculantur? quum potius cor ſuum plurimi elevent ſecuritate carnali, nec minas omnipotentis humiles pertimeſcant. Ubi ſunt, qui corda ſua ſub diſpenſatione mediorum gratiæ deſideriis intenſiſſimis *aperiunt*, ut repleantur theſauris ſalutis, quos amantibus ipſum promittit Sapientia æterna? Prov. VIII, 24. quum plerorumque cor *uter* maneat *vacuus*, quia cœleſtia bona contemnunt & pulvere vel etiam vento imaginationis vacuo illum replent. Ubi ſunt, qui utrium inſtar in *fumo* tentationum ac calamitatum hujus mundi perdurant, atque per eundem in fide, amore ac patientia confirmantur? Renuunt potius & reformidant tentationes & caſtigationes, maluntque in lata perniciei via, in concupiſcentiis ſuis, deliteſcere, licet ſpiritus immortalis in peccatis quaſi computreſcat. 1. Petr. II, 11. Matth. XXIII, 27. Et ſi aliquando per Dei providentiam in *fumo afflictionum* quaſi ſuſpenduntur, intolerabilis ille ipſis exiſtit, & murmure minime conveniente ſe contra Dei vias muniunt. Corda multorum inſtar *utrium* veterum putreſcunt & rimis ubique pervia ſunt, quia *unctione* cœleſti carent, nec gratia Spiritus Dei confirmati ſunt;

quare licet vinum doctrinæ ſalutaris nonnunquam ſub miniſterio mediorum gratiæ ad tempus recipere videantur cum temporariis, tamen illud ſervare & tueri non valent, ſed novis tentationibus ſolicitati, illud negligunt & amittunt, adeoque ſub maledictione divina conſtituuntur Matth. XIII, 20. 21. Hebr. VI, 4-7. Satanas denuo rapit theſaurum in pectore per præconium Evangelii expoſitum, quia per *ſigillum* Dei, quod credentes munit & tuetur, nondum obſignati ſunt. Ezech. IX, 6. 7. Jacent in pulvere hujus terræ, illoque obruuntur, nec ad paxillum illud myſticum ſuſpenſi unquam vera fide fuerunt; quare licet externe membra Eccleſiæ ſe profiteantur, nunquam tamen in vera illa cella & apotheca utrium Deo ſacrorum, repoſita fuere. *Aquas* tentationum tolerare & ſuperare non didicerunt, ſed inſtar utrium rimoſorum ſubſidunt ſæpe & tempore adverſo ſuffocantur.

Excutite ergo, hypocritæ, corda veſtra, explorate an utres vacui an repleti ſint. Dicite, an *aquam* & *ſanguinem* meritorum Chriſti vera fide unquam excepiſtis? An *lac* illud ἄδολον doctrinæ ſalutaris imbibiſtis, ut illo inſtar infantum recenter natorum corroboremini? An *vinum* illud dulciſſimum gratiæ & donorum Spiritus S. unquam percepiſtis, poſt ſeriam ac ſolicitam omnium curarum & deſideriorum carnalium & terreſtrium evacuationem? An *aurum argentumque* fidei & juſtitiæ mediatoris poſſidetis? Cur ergo diutius vento vacuo inflare utres veſtros ſatagitis? Jeſ. LV, 3. Accedite vera fide, haurite precibus & deſideriis calidisſimis ex plenitudine Omniſufficientis gratiam pro gratia, *aquam*, *lac* & *vinum*, Jeſ. LV, 1. 2. aperite utres veſtros, ut repleantur, Pſ. LXXXI, 17. Projicite utres inveteratos coram throno Dei, petite, ut illos renovet gratia ſua, ut reſarciat imaginem divinam per peccata perforatam, ut ungat eos oleo Spiritus ſui, ut ita fide & gratia corroborati vinum illud cœleſte capere & ſervare valeant. Submittite corda veſtra tentationum *fumo*, quo contra corruptionem muniri queatis.

Beati certe Jeſu diſcipuli exiſtunt, qui *novi utres* per gratiam exiſtunt, qui præputium veteris hominis abjecerunt, membra terreſtria mortificarunt, mundi delicias cum concupiſcentiis carnis abnegarunt, Deoque utrem ſuum vacuum ſtiterunt. Accedite ergo cum vaſis veſtris & haurite ex plenitudine Dei veſtri gratiam pro gratia. Nemo accedere

cedere dubitet, licet cor adhuc variis infirmitatibus contra voluntatem ſuam obnoxium ſentiat, Deus enim in vaſis teſtaceis & infirmis, modo ſint vacua & aperta, theſauros pretioſiſſimos condere promiſit. Aperite utres veſtros, en manus Dei veſtri liberaliſſima per mediorum gratiæ diſpenſationem, aquam, ſanguinem, lac, vinum, imo panem cœleſtem atque aurum ſpirituale offert, Jeſ. LV, 1-3. Apoc. III, 18. Prov. VIII, 20-24. Summo vobis gaudio ducite, quoties tanquam utres probatos in fumo tentationum ſuſpenſos vos percipitis, non ignari, hac ratione in fide, amore & tolerantia vos eſſe confirmandos, Jac. I, 2.3. Perdurate in omnibus tentationibus, ſervate theſauros vobis concreditos. Quamvis varia adhuc deſiderentur in hac vita, aliquando tamen theſauris omniſufficientiæ divinæ æternis repleti, *vino novo* in regno cœlorum fruemini in ſecula.

EXERCITATIO III.
DE
VASE ELECTO
AD NOMEN DEI PORTANDUM.
Actor. IX, 15.

ARGUMENTUM.

Loci Act. IX, 15. variæ expoſitiones atque alluſiones adducuntur, & genuinus ſenſus ex parallelo Gal. VI, 17. additur, §. I. VAS in genere eſſe Symbolum verbi divini, corporis humani, hominum & in ſpecie Doctorum, probatur §. II. Comparationes inter VASA & Doctores N. T. præcipue Apoſtolos inſtituuntur, conſiderando materiam eorum apud antiquos, quæ aurum, argentum, lignum & lutum. §. III. Nec non contenta varia, ſive aquam, ſive vinum, ſive oleum & balſama aromatica, ſive theſauros pretioſos. §. IV. Uti & ſculpturas & hieroglyphicas figuras eorum apud veteres. §. V. Quemadmodum etiam ſolicite purgari & ablui ſolebant, juxta §. VI. Improprie veſtes, ornamenta & κειμήλια per vaſa quoque deſignari docetur §. VII. In ſpecie VASA

 reſpi-

reſpici, partim domeſtica in uſum heri & ornatum domus præparata §. VIII. Vaſa partim belli, quibus arma exprimi ſolent, §. IX. Et vaſa denique ſacra Sanctuarii V. T. quæ typi doctorum N. T. exiſtebant, & varia recenſentur, ſc. labrum æneum, ollæ, in quibus carnes ſacrificiorum coctæ, vaſcula ad recipiendas prunas ab altari, vaſculum, quo cinis altaris exceptus, nec non מזרקים *ſeu pelves, ex quibus ſanguis exceptus ſpargebatur. §. X. Vaſa porro thuris cum thuribulo, vaſa libaminis ſeu* σπονδεῖα, *vaſa, in quibus cineres vaccæ rufæ adſervabantur, vaſa, in quibus primitiva offerebantur, vaſa olei inunctionis & denique urna mannæ. §. XI. Quæ quum ſecundum ſenſum typicum explicata ſint, epilogo morali finiuntur. §. XII.*

§. I.

INſignis ſane eſt titulus, quo magnus gentium Doctor, Paulus poſt converſionem ornatur a Domino ſuo, quando appellatur: ΣΚΕΥΟΣ ἐκλογῆς, τȣ͂ βαςάσαι τὸ ὄνομα Χριςȣ͂ ἐνώπιον ἐθνῶν. *Vas electum ad portandum nomen Chriſti in conſpectu gentium*, Actor. IX, 15. Varia ſunt Interpretum circa alluſionem hujus loci divortia, quas ex parte recenſet Cl. SCHARBAU *in obſerv. ſacr. P. I. Obſ. XIII.* quibus adde Cl. ADAMI *in Exerc. Exeget. p. 357.* qui Paulum conſiderat tanquam Δᾳδȣ͂χον, qui ſermonem vitæ prætendit, & in vaſculo corporis teſtaceo theſaurum ſalutaris cognitionis gerit, 2. Cor. IV, 7. Nec non Cel. ALPHEN. *in hiſt. Pauli Apoſt. Diſp. XVII. p. 3. ſq.* qui in ſpecie locum Jeſ. LII, 15. confert, ubi de *aſperſione gentium* prædicitur, cui peragendæ hoc *vas electum* adhibendum erat. Cl. SCHARBAU vero locum Jeſ. LII, 11. heic inprimis in cenſum vocat, vbi נשאי כלי יהוה *portantes vaſa Jehovæ* memorantur, & ad Levitas & Sacerdotes V. T. alludi exiſtimat. Verum quum heic Paulus non conſideretur ut *portans vaſa* Jehovæ, ſed ut *vas portans nomen* Dei & quidem Chriſti, neſcio an emphaſi phraſium hac alluſione ſatisfiat. Quare quantum mihi videtur Paulus ipſe hanc phraſin propius explicare videtur in loco, quem maxime cenſemus huic parallelum, ſc. *Gal. VI, 17.* quando dicit: Τὰ ςίγματα κυρίȣ Ιησȣ͂ ἐν τῷ σώματί μȣ βαςάζω. Quod illic ὄνομα vocatur, heic dicitur ςίγματα, illic σκεῦος heic σῶμα, & vox βαςάζω utrobique expreſſa eſt. Senſus loci utriusque eodem redit, dum præconium veritatis inter varias

rias perſecutiones innuitur. Nexus quoque idem eſt, ſi conferes locum τῷ Gal. VI. parallelum 2. Cor. IV, 10. ubi de perſecutionibus Apoſtoli agitur. Quemadmodum in loco noſtro comm. ſeq. 16. actutum quaſi explicationis cauſa additur: *Oſtendam enim ei, quantum pro nomine meo pati debeat;* quod minime heic negligendum eſt. Apoſtolus ergo futurus erat *Vas electum* i. e. inſtrumentum non ſolum præſtantiſſimum ſed & a Deo electum & per ſpiritum ſeparatum, ut *portaret nomen* non ſimpliciter Dei, ſed *Chriſti*, (quare & *μοι* addit non ſine emphaſi) tanquam ejus ſervus & *ϛρατιώτης καλὸς*, ejus in paſſionibus aſſecla, ejusque quaſi *ϛίγματε* notatus, coram *gentibus, Regibus* & *Iſraele*, quibus nomen Chriſti inter perſecutiones diriſſimas annuntiaturus & manifeſtaturus publice erat.

II. Hæc proxima hujus loci nobis videtur alluſio. Verum pro ſcopo noſtro excutiamus *emblema* VASIS & quo vario ſenſu Doctoribus N.T. & Apoſtolis applicari commode queat ſecundum alia ſcripturæ loca, videamus.

VAS, Σκεῦος, כלי variarum rerum Symbolum exiſtit in ſcriptis ſacris & profanis.

a. Emblema eſt *verbi divini.* Ita in *Pirk. Aboth. cap. III. §. 14.* dicitur חביבין ישראל שנתן להם כלי חמדה. *Dilecti ſunt Iſraelitæ, quia ipſis datum eſt vas deſiderii.* i. e. verbum Dei, uti ſtatim explicant שנא״ כי לקח טוב נתתי לכם. *Sicuti dictum eſt Prov. IV, 2. doctrinam bonam vobis dedi.*

b. Pro *corpore* hominis ſæpius uſurpatur. Quod *σκεῦος ὀϛράκινον* audit 2. Cor. IV, 7. Similiter *σκεῦος* in genere 1. Theſſ. IV, 4. conf. VORST. *P. I. Cap. II. p. 25.* & *ἀγγεῖον* appellari docet Cl. GEORGIUS in *Vindic. N. T. ab Ebraiſm. pag. 81.* Adde locum LUCIAN. *de Gymnaſ. p. m. 767.* Opp. Tom. I. ubi corpus *τῷ ἀγγείῳ κεραμίῳ* comparatur. Ὄργανον dici ſæpius probat GATAK. *ad Anton. pag. 316. in not. Vas* quoque appellatur apud Latinos. Ita LUCRET. *de rer. nat. Lib. III. v. 441.*

Quippe etiam corpus, quod vas quaſi conſtitit ejus.

Et *v. 553.*

Sic Animus per ſe non quit ſine corpore & ipſo
Eſſe homine, illius quaſi quod vas eſſe videtur.

Et

Et PRUDENT. *peri Steph.*

Pone hoc caducum vaſculum,
Compage textum terrea.

Conf. etiam quæ adfert SUICER. *Theſ. V. σκεῦος p. m. 971.*

c. In genere quoque *hominum* figura σκεῦος eſt, uti docuit SUICER. *Theſ. p. m. 970.* VORST. *Phil. S. l. c.* Cl. GEORG. *l. c. p. 82.* Ex Talmudicis id probat Cl. SCHOETTGEN. *in hor. Talmud. in N. T. p. 446.* Cel. WOLF. *in cur. Phil. ad Act. IX.* & quos citat. Ne ἀσύμβολοι videamur, ex ſacris obſervamus loca ſequentia, Gen. XLIX, 5. Simeon & Levi כלי חמס *inſtrumenta violentiæ* ſeu iniquitatis audiunt. Eccleſia ſe comparat ככלי אבד cum *Vaſe perdito.* Pſ. XXXI, 13. Chaniah ſimiliter Jeſ. XXII, 28. כלי אין חפץ *vas minime deſiderabile* appellatur, uti etiam Moab Jer. XLVIII, 38. nec non Iſrael, Hoſ. VIII, 8. Gentes ככלי' יוצר ut *vaſa teſtacea* Pſ. II, 9. conſiderantur, conf. Apoc. II, 27. Adde ex N. T. Rom. IX, 22. 23. σκεύη ὀργῆς καὶ σκεύη ἐλέους, *vaſa iræ & vaſa miſericordiæ.* Nec non 2. Tim. II, 20. 21. σκεύη εἰς τιμὴν καὶ σκεύη εἰς ἀτιμίαν, *vaſa gloriæ & vaſa dedecoris.* Ex profanis ſcriptoribus addimus præter ea, quæ in *Diſſert. noſt. de pulte colocynthid. §. XVI.* notavimus, locum ex *Gem. Sanhedr. Cap. II. ed. Cocc. p. 191.* אשה גולם היא ואינה כורתת ברית אלא למי שעשאת כלי. *Mulier eſt vas imperfectum,* (i. e. uti Apoſtolus 1. Petr. III, 7. ἀσθενέστερον σκεῦος vocat,) *neque init fœdus niſi cum eo, a quo vas perfectum efficitur.* & Cap. XI. Deus cum figulo comparatur יוצר מן הטיט *hominem fingens* inſtar *vaſis teſtacei ex luto.* Et Cap. IV. §. 12. Eva comparatur קיתון של זהב *vaſi aureo.* Quemadmodum etiam docente CARTWRIGT. *ad 2. Tim. II, 21.* impii *vaſa fracta* in *Pirke Ab.* appellantur. Ex Græcis addimus LUCIAN. *mort. dialog. p. m. 278. Opp. Tom. I.* οὐ γὰρ εἶχον ἔνθα δέξαιντο τὰ τοιαῦτα παρ' ἡμῶν· διερρυηκότων ὑπὸ τρυφῆς, καθάπερ τὰ σαθρὰ τῶν βαλαντίων. Ὥστε εἴποτε καὶ ἐμβάλλοι τις ἐς αὐτοὺς ἢ σοφίαν, ἢ παῤῥησίαν, ἢ ἀλήθειαν, ἐξέπιπτεν εὐθὺς, καὶ διεῤῥεῖ. *Neque enim habebant quo facultates ejusmodi a nobis traditas acciperent, quippe rimoſi jam vitiatique deliciis, non aliter quam vaſa carie putrida. Quo fit, ut ſi quando quis in illos infundat vel ſapientiam, vel libertatem, vel veritatem, effluat illo perſtilletque.* Et dein vaſis ſeu *doliis Danai pertuſis* eos comparat ſcriptor.

d. In

d. In ſpecie *Doctorum* emblema eſt vas. Ita Paſtores i. e. Duces & Pſeudo-Doctores Babylonis Jer. XXV, 34. כלי חמדה *vaſa deſiderabilia* confringenda, appellantur. Apoſtolus in loco N. T. σκεῦος ἐκλογῆς audit. In *Pirke Ab. cap. IV.* cum קנקן *cantharo* ſeu vaſe vinum recipiente, & in *Gittin* cum קופת רוכלים *vaſe aromatoriorum* comparant Doctores ſuos Judæi, ut in diſſ. noſtr. cit. docuimus. Silentio tamen non eſt prætereundus locus inſignis apud R. SALOM. EPHRAIM AHARONID. *in Ir. Gibbor. fol. 98.* cujus excerpta copioſa ad *Sota* exhibet ACOLUTH. *de aquis amar. cap. IV.* גם כנא לפרש במה שאמרו היא השקתו בכלי" משובחים א" א"זל למורה ת"ח רו"מ בפני עם הארץ לכלי של זהב כ'ו כה'ן ממנו דומה חרש *Poteſt etiam illud, quod dicitur, ipſa potum adultero exhibuit in vaſis laudatiſſimis, de eo explicari, quod Rabbini noſtri f. m. dicunt. Cuinam ſapiens, reſpectu hominis plebeji & indocti comparandus venit? Vaſi aureo &c. Si vero illis ſe permiſceat & commodum inde comparet, vaſi teſtaceo ſimilis evadit.*

III. Vario reſpectu Doctores Evangelii cum vaſis comparari queunt.

α. Si *materiam* eorum apud veteres conſideres, diverſa olim fuit apud antiquos. In ſacris memorantur *lignea* vaſa Exod. VII, 19. Lev. XI, 32. *terrea* vel ex *luto* figuli conflata. Lev. XI, 33. XIV, 5. XV, 12. Num. V, 17. 2 Sam. XVII, 28. Jer. XIX, 11. *ænea* quoque ſeu ex ære fuſa 2 Reg. XXV, 14. 16. 1 Par. XIX, 8. Eſr. VIII, 27 *aurea* denique & argentea. Exod. III, 22. XI, 2. 2 Reg. XXIV, 13. 1 Par. XIX, 11. Eſr. VI, 5. atque *eburnea* Apoc. XVIII, 12.

Variam vaſorum materiam recenſet PAUSAN. *in Arcad. p. 484.* Ἄλλος μέν γε καὶ κρύσαλλος, καὶ μοῤῥία, καὶ ὅσα ἐςιν ἄλλα λίθȣ ποιȣ́μενα, καὶ τῶν σκευῶν τὰ κεράμεα. - - κεράτινα δὲ καὶ ὀςέϊνα, σίδηρός τε καὶ κασσίτερος, καὶ ἄργυρος, καὶ τὸ ἤλεκτρον. &c. *Vaſa vero etiam omnia, ſive vitrea, ſive cryſtallina, ſive murrhina, ſive e lapide aut teſta ſint fictili. Quin etiam cornea & oſſea vaſa, ferrum item, æs, plumbum, ſtannum, argentum & electrum &c. Figulina* e teſta vaſa memorantur in *Maſſech. Schabb. fol. XXIX. col. 2.* אפילו היא של חרס ורבי יהודה מתיר אבר אם הברה היוצר מתחילה מותר

מפני שהוא כלי *Quamvis etiam fuerit teſta figulina. At R. Judæ permittit. Quod ſi tamen figulus ab initio hanc effinxit, licet, quia eſt tamen vas quoddam.* Et fol. CXX. רבי יוסי אוסר בכלי חרש חדשים מלאין מים *Rabbi Joſe prohibet vaſa argillacea nova, aquæ plena.* Verum quoque *aurea* & argentea, atque ex pretioſis metallis conflata vaſa memorantur apud antiquos. Apud EURIP. *in Jon. v. 664.*

Χρυσέων δ' ἐκ τευχέων ῥίψω
Γαίας παγάν.
Ex aureis vero vaſis projiciam
Terræ fontem.

Et *v. 1181.*

Ἦν δὴ φερόντων μόχθος ἀργυρηλάτους,
Χρυσέας τε φιάλας.
Erat tum labor adferentium vaſa argentea
Atque aurea.

Sic apud *Athenæum* ſæpius aurea, argentea atque murrhina vaſa memorari deprehendes.

Et in magna Eccleſiæ Dei domo, dicit Apoſtolus 2 Tim. II, 20. non tantum *ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea & teſtacea, & alia quidem ad decus, alia ad dedecus.* Dona quoque Miniſtris Evangelii concredita, diverſa maxime ſunt, nec una menſura diſtributa. Dantur *vaſa teſtacea*, ſc. qui unctione cœleſti carent, abnegantes Dominum, qui eos mercatus eſt, & proinde ſibi ipſi celerem perniciem accelerantes. 2 Pet. II, 1. Dantur quoque vaſa *aurea* & *argentea*, Doctores in oculis Dei & Eccleſiæ maxime pretioſi, qui nova natura induti, radiis imaginis divinæ undique eluceſcentis, exornantur, atque ignes tentationum ac perſecutionum tolerare valent Apoc. II, 3. 10. in fide, amore veritatis, zelo gloriæ divinæ nunquam non perſeverantes Apoc. III, 8.

IV. *β.* Si *contenta* vaſorum reſpicias, variam quoque analogiam deprehendes. Præcipua notabimus.

a. Vaſa *aqua* repleta ſeu *hydriæ* memorantur in ſacris 1 Reg. XVII, 10. Num. XIX, 17. Jer. XIV, 3. Joh. II, 6. Similiter apud Judæos in *Schabb. fol. CXX. c. 2.* כלי חרש חדשים מלאים מים שאין יוכלין לקבל את

את האור *Vaſa nova argillacea, aquæ plena, quæ ignem ſuſtinere nequeunt.*

Et apud EURIPID. *in Jon. v. 1174.*

- ἔκ τε γὰρ κρωσσῶν ὕδωρ
Χερσὶν ἔπεμπε νίπτρα.
Namque ex hydriis aquam manibus
Fundebat lavacra.

Nec non HESIOD. Θεογον. *v. 784.*

- - ἐνεῖκαι
Τηλόθεν ἐν χρυσέῃ προχόῳ πολυώνυμον ὕδωρ
Ψυχρὸν ὅ τ' ἐκ πέτρης καταλείβεται ἠλιβάτοιο.
Ut ferat e longinquo in aureo vaſe aquario celebrem
Aquam frigidam, quæ a petra deſtillat alta.

b. Vaſa *vino* repleta memorantur Jer. XL, 10. quale erat vas aceto plenum Joh. XIX, 29. Et MAIMON. *in Maachal Aſuroth. cap. XI.* הלוקח כלים חרשים שאינן מזופפין מן הגוים נותן לתוכן יין מיד *Qui accipit vaſa nova, non picata, a gentilibus, poterit illico vinum infundere.* Et EURIPID. *in Jon. v. 1183.*

- ὁ δὲ λαβὼν ἐξαίρετον,
Ὡς τῷ νέῳ δὴ δεσπότῃ χάριν φέρων,
Ἔδωκε πλῆρες τεῦχος, εἰς οἶνον βαλὼν
- Φάρμακον.
- *Ille vero capiens vas eximium*
Tanquam novo jam hero gratificaturus,
Dedit vas plenum, jaciens in vinum
Venena.

c. *Olea* & *balſama* aromatica vaſis quoque indita legimus Num. IV, 9. 2 Reg. IV, 3-6. Jer. XL, 10. Matth. XXV, 4. Ita in *Maſſech. Schabb. fol. LXII. c. 1.* חכמים פוטרין בכיבלת ובצלוחות של פלייטון *Sapientes concedunt exire cum globulo & vaſculo balſami.* conf. *fol. LXXVIII. c. 2.* Et in *Gemar. Sanhedr. ed.* COCC. *cap. XI. p. m. 400.* רב יצחק איקלע לההוא אושפיזא אייתיאו ליה משחא במנא *R. Iſaac venit ad hoſpitium quoddam, in quo oblatum eſt oleum unguenti in vaſe.* JUL. POLLUX. *onom. Lib. X. c. 23.* etiam τῶν ἡδυσμάτων

ἀγγεῖα condimentorum vaſa memorat. ARISTOPH. *in Plut. act. IV. ſc. 1.* *αἱ δὲ λέκυθοι μύρου γέμουσι* *Hi autem lecythos unguento implent.* Et MARTIAL. *Lib. VII. ep. 93.*

Unguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat.

d. Vaſa *auro* & *argento* referta exhibet ARISTOPHAN. *in Plut. Act. IV. ſc. 1.*

Ἅπαντα δ' ἡμῖν ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ
Τὰ σκευάρια πλήρη 'ςὶν, ὥςε θαυμάσαι.
Argento & auro plena ſunt vaſa omnia,
Ita ut nemo ſatis poſſit admirarier.

Ejusmodi *vaſis* æquiparari queunt optime Doctores. *Hydriis* quidem, quoniam nomen Dei conſiderandum eſt inſtar *aquæ.* Ita enim inter dona N. T. etiam *aqua* apparet Jeſ. XLIV, 3. LV, 1. 2. & *cognitio nominis Jehovæ terram impletura* dicitur, *velut aquis alveum Oceani opplentibus* Jeſ. XI, 9. Hydriarum inſtar exhibent merita Salvatoris ad purificationem animæ Zach. XIII, 1. ad purgandam conſcientiam ab omni macula carnis & ſpiritus. Heb. X, 22. 23. 2 Cor. VII, 1. Quando nomen Dei in ſacris comparatur cum *vino* & *muſto*, illi ſunt amphoræ, hoc vinum condentes, & crateres illud aliis propinantes. Jeſ. LV, 1. 2. Joel III, 18. quemadmodum Apoſtoli tanquam vaſa gloriæ divinæ muſto Spiritus S. dulciſſimo repleta occurrunt in feſto pentecoſtes Act. II, 4. 13. Exhibent quoque per præconium Evangelii muſtum doctrinæ gratiæ Luc. V, 37. 38. & animabus ſiti ſalutari laborantibus propinant Jeſ. LV, 1. Cant. IV, 17. Prov. IX, 5. Nomen quoque Dei eſt *oleum* & *unguentum* illud pretioſum, cujus odor aromaticus late ſe diffundit Cant. I, 3. quod a Sancto accipiunt credentes 1 Joh. II, 27. 2 Cor. I, 21. 22. Hoc autem Doctores genuini non ſervant ſolum in pectore puro, ſed & odorem ipſius ſæpe manifeſtant ad aliorum convictionem 2 Cor. II, 15. 16. quos tanquam virgines & puellas caſtas ad Sponſi cœleſtis deſiderium hoc odore gratiſſimo alliciunt. Cant. I, 3. 4. Denique nomen Dei quoque *aurum* eſt illud pretioſum, quod ſervant Doctores Prov. III, 14. 16. Pſ. XII, 7. Hiob. XXVIII, 15-19. Prov. VIII, 19. XVI, 16. ſc. puriſſima gratiæ doctrina, quæ fulgorem majeſtatis & virtutum Dei Triunius ubique manifeſtat. Hanc tuentur Doctores, contra ſtratagemata furum, illam ra-

rapere ſatagentium. Apoc. III, 11. Matth. XIII, 19. Theſauros hoſce aperiunt quoque pauperibus Spiritu. Matth. V, 3. Jac. II, 5. Prov. VIII, 20-23. Apoc. III, 18.

V. γ. Vaſa veterum maxime *ſculpturis* atque *figuris* hieroglyphicis inſigniri atque cælari ſolebant. De his PLUTARCH. *in apopht. Reg. & Imp.* Κότυς, σκεύη πολὲ κεράμεα κομίσαντος ξένε εὔθραυστα καὶ λεπτὰ, πιθανῶς δὲ καὶ περιττῶς εἰργασμένα γλυφαῖς τισι καὶ τορείαις. Τῷ μὲν ξένῳ ἔδωκε δῶρα, τὰ δε σκεύη πάντα συνέτριψεν. *Cotys, quum hoſpes quidam ei fictilia vaſa attuliſſet, tenuia ac fragilia admodum, alioquin eleganter ac ſubtiliter ſculpturis cælaturisque adornata; hunc quidem donis affecit, ſed vaſa omnia confregit.* Ita CICER. *Lib. IV in Verr. Hydrias grandes opere Corinthio cælatas* memorat. Deſcribit ejusmodi vaſa quoque *Critias* apud ATHEN. *Deipnoſ. p. 28.*

Τυρσηνὴν δὲ κρατεῖ χρυσότυπος φιάλη,
Καὶ πᾶς χαλκὸς ὅτις κοσμεῖ δόμων ἔν τινι χρείᾳ,
Φοίνικες δ᾽ εὗρον γράμματ᾽ ἀλεξίλογα.
Ex auro ſculptas Thuſcia dat phialas.
Magnificasque domos ex ære ornantia vaſa,
Phœnicum inventum, litera nempe loquax.

Similiter MENANDER *in Piſcatore* apud ATHEN. *p. 486.*

\- - τορεύματα
Ἔνδον ἔστ᾽ ἄνδρες, ποτηρίδια τορεύματα,
Κἀκτυπωμάτων πρόσωπα τραγέλαφοι λαβρωνία.
Ac vaſa cælata domi ſunt, o viri, & pocilla, Tragelaphorumque facies exſculptæ & labronia.

Doctores quoque & in ſpecie Apoſtoli erant vaſa gloriæ Dei, præparata atque exaſciata ad celebrationem nominis divini. Uti Apoſtolus σκεῦος ἐκλογῆς *vas electum*, ſeparatum & ſpecialibus quaſi *ſculpturis* & *characteribus* gloriæ ac majeſtatis divinæ inſignitum appellatur. Inſcriptum gerunt nomen Dei ſui & agni in fronte Apoc. XXII, 4. utpote cui tanquam hero ſuo inſerviunt. Gerunt quoque ſigna & ſigilla gloriæ & imaginis divinæ tanquam ornamenta pretioſa; quibus a *vaſis dedecoris* atque *iræ* diſtingui optime queunt. Ezech. IX, 4. gerunt cum A-

 po-

poſtolo characteres & *ſtigmata Domini Jeſu in corpore ſuo.* Gal. VI, 17. atque in hisce cælaturis ſummum ipſorum decus conſiſtit.

VI. δ. In *purgandis* & *abluendis* vaſis maxime olim ſoliciti erant veteres, tum Judæi tum gentes. Judæos in Sabbathi veſpere præcipue fuiſſe occupatos מטבילין את הכלים *in abluendis vaſis* ſuis, docetur in *Schabb. fol. XXXIV. c.1.* Circa vaſa ſanctuarii hoc maxime obſervabant, unde in *Codic. Chagig. Miſchn. ult.* legitur: מטבילים את הכלים שהין במקדש ואומרין להן הזהרו שלא תגער בשלחן ובמנורה ותטמתוהו כל הכלים שהיו במקדש יש להם שניים ושלישים שאם נטמאו הראשונים יביאו שניים תחתיהן *Immergere ſolebant aquis* (ad purificationem) *vaſa, quæ erant in templo: Dicebant autem illis, cavete ne tangatis menſam aut lychnuchum & polluatis illa. Omnibus vaſis, quæ in templo erant, ſecunda & tertia erant* (iis ſimilia) *ut ſi contingeret, ea pollui, hæc eorum loco ponerentur.* Vaſa fictilia lavaſſe veteres conſtat ex EUBULO *in Dolone* apud ATHEN. *Deipnoſ. Lib. XI. p. m. 471.*

Διένιψα δ᾽ οὐδὲν σκεῦος οὐδεπώποτε
Καθαρώτατον γὰρ τὸν κέραμον εἰργαζόμην
Ἢ Θηρικλῆς τὰς κύλικας, ἡνίκ᾽ ἦν νέος.
Vas ego nunquam lavi,
Purius quidem fictile reddidiſſem ego,
Quam Thericles ſuos calices, juvenis cum eram.

Hoc quoque convenit vaſis gloriæ Jehovæ, quæ pura & ſancta eſſe oportet. Sanctitas atque puritas decet Doctores veritatis, ad illos enim vox cœleſtis exit: *Diſcedite, diſcedite, exite illinc, immunda ne attingite, exite e medio illius, purificate vos, portantes vaſa Jehovæ.* Jeſ. LII, 11. Purificant veſtes ſuas & abluunt in ſanguine agni Apoc. VII, 14. ut ita coram throno majeſtatis conſiſtere valeant v. 15. Siſtunt ſe Domino, *aſperſione purgatis cordibus* a conſcientia mala, & *abluto corpore* aqua pura Heb. X, 22. 23. Dominus enim *Sanctus* ſanctificari vult a vaſis gloriæ ſuæ. Lev. X, 3. Quare nunquam non accedere eos oportet per fidem & reſipiſcentiam ad *fontem apertum* contra omnes impuritates Zach. XIII, 1. ſeque *purgare* in illo *ab omni pollutione* carnis & ſpiritus 2 Cor. VII, 1.

VII. ε. *VASA* quoque apud antiquos improprie ſignificant *veſtes*, pre-

pretioſa *κειμήλια* atque *ornamenta* varia. Hoc ſenſu Ezech. XII, 3. Jeſ. XLVI, 19. כלי הגולה *vaſa migrationis*, veſtes itineri convenientes, ſeu etiam captivitatis inſigne denotant. Pro ornatu & *κειμηλίοις* occurrit vox כלי Nah. II, 9. Ezech. XVI, 17. Jeſ. LXI, 10. in quo poſtremo loco de *Sponſæ ornatu nuptiali* adhibetur. Pro veſtibus etiam occurrit in *Schabb.* fol. CXX. ולשבם מוציא כל כלי תשמישו ולובש כל מה שיכול דלבוש *Eo etiam educit omnia vaſa uſus ſui, & induit, quantum induere poterit.* Pluribus quoque ex ſcriptis Judæorum probat Cel. MILL. *in diſſ. ſelect. p. 260. ſq.* conf. etiam SELDEN. *de Diis Syr. Synt. II. cap. IV. p. m. 281.* In ſpecie pro mitra ſeu tegumento capitis occurrit apud EURIPID. *in Electr. v. 140.*

> Θὲς τόδε τεῦχος ἐμῆς ἀπὸ κρα-
> Τὸς ἑλοῦσ᾽, ἵνα πατρὶ γόους
> Νυχίους ἐπορθοβοάσω.
> *Depone hoc vas meo a capite*
> *Tollens, ut patri luctus*
> *Nocturnos edam voce clara.*

Quare & *σκεύη* ſæpius apud *Ariſtophanem*, *Herodianum* & alios pro *veſtibus* adhibentur.

Hoc reſpectu Doctores ſunt *pretioſa cidaris* in manu Jehovæ, cui veluti mitræ S. Pontificis Hebræorum, inſcriptum eſt קדש ליהוה Jeſ. LXII, 3. Sunt *κειμήλιον* decus atque ornamentum Eccleſiæ, quam tegunt, ornant, cujus gloriam coram mundo manifeſtant, tanquam a Deo juſtitia ac ſanctitate ornatæ. Jeſ. XL, 9. 10. LXI, 10. Pſ. XLV, 14. 15. Præcipue ſunt quaſi cidaris Eccleſiæ, cui קדש ליהוה inſculptum eſt, totum enim ipſorum in Eccleſia Dei opus eſt, nomen Domini ſanctiſſimum promovere; cum Seraphim noctesque diesque exclamant; *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Jehova.* Jeſ. VI, 3. Apoc. IV, 8. Et *ſanctitatem* in Eccleſia promovere omni conatu nunquam non contendunt. 2 Cor. VII, 1. Heb. XII, 1. 14. 1 Theſſ. V, 23.

VIII. 5. In ſpecie autem *VASA* appellari Doctores poſſunt, vel cum alluſione ad vaſa domeſtica, vel vaſa belli, vel denique vaſa ſacra templi & ſanctuarii.

a. Alluſione ad *domeſtica vaſa* appellari hoc nomine poſſunt. In *domo* enim

enim vaſa varia in uſum heri & patris familias exiſtunt. Huc reſpicit ARISTOPH. *in Acharn. Act. IV. ſcen. II.*

Πάγχρηςον ἄγγος ἔςαι.
Ad omne utile hoc vas erit.

Et paulo poſt:

Πῶς δ' ἂν πεποιθείη τις ἀγ-
γείῳ τέτῳ χρώμενος καθ' οἰκίαν.
At quomodo fidat aliquis
Hujusmodi vaſi in domo.

Ad *ornatum* domus adhibita olim eſſe, teſtatur Critias apud ATHEN. *p. m. 28. Lib. I.*

Καὶ πᾶς χαλκὸς, ὅτις κοσμεῖ δόμον ἔν τινι χρείᾳ
Magnificasque domos ex ære ornantia vaſa.

Et *Lib. XI. p. 486. ex Menandr. adducit*

- - τορεύματα
Ἔνδον ἐς' ἄνδρες ποτηρίδια τορεύματα.
Cælata vaſa domi ſunt, o viri, & pocilla exſculpta.

In ſpecie vaſa *cibis & potui* deſtinata, quæ in regiis menſis ex auro & argento erant, de quibus vide ex ſacris Eſth. I, 7. Dan. V, 23. Sic *vaſa convivii* memorat HOMER. *Odyſſ. Lib. VII.*

Ἥθην, ἀμφίπολοι δ' ἀπεκόσμεον ἔντεα δαίτης.
Sederunt, famulæ autem auferebant vaſa convivii.

Et LUCIAN. *in ſomn. ſ. Gall. p. m. 626.* inter apparatus regios etiam *vaſa argentea* plurima recenſet. JUL. POLLUX. *onom. Lib. VI. cap. XII.* Τὰ δὲ ἀγγεῖα τὰ ἐπὶ τῶν τραπεζῶν κοινῇ μὲν τεύχη ἐρεῖς, ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ &c. *Vaſa vero, quæ menſis imponuntur, communiter quidem vaſa vocabis argentea & aurea.* De his pluribus agunt ATHENÆ. *in Deipnoſ.* & STUCKIUS *in Antiquit. convival.* paſſim.

Talibus vaſis adſimilantur Doctores loco jam citato 2 Tim. II, 20. 21. ubi Eccleſia comparatur cum *domo magna*, utpote quæ eſt domus Dei viventis 1 Tim. III, 15. in qua herus eſt Caput Eccleſiæ, Chriſtus, qui in hac domo ambulat atque habitat. Joh. XIV, 23. 2 Cor. VI, 16. *Vaſa* ergo in uſum & ornatum hujus domus conſtituta ſunt præcones Evangelii, qui inſerviunt gloriæ promovendæ Heri ſui, atque vas ad

ad decus ſanctificatum & accommodatum per Spiritum ſunt uſibus Domini ſui. Non enim ſibi ipſis, ſed Domino ſuo gloriam tribuunt Pſ. CXV, 1. Sunt quoque *vaſa convivii*, quia ſimul οἰκονόμοι ſeu diſpenſatores conſtituti ſunt myſteriorum Dei, 1 Cor. IV, 1. qui cibos ſpirituales per præconium exhibent animabus fame ſitique ſincera fidei laborantibus. Matth. V, 6. Jeſ. LV, 1-3. tanquam *utres novi* muſtum doctrinæ gratiæ ſervantes & convivis myſticis recludentes, ut inebrientur. Luc. V, 37. 38. Cant. IV, 17.

IX. b. *Vaſa* quoque *belli* apud veteres frequentiſſime nominantur, quibus adſimilari Doctores non inconcinne poterunt. Inter arma Gideonis, quibus Midianitas profligavit, etiam *vaſa fictilia cum facibus* memorantur Jud. VII, 16. ad quæ reſpicit Apoſtolus 2 Cor. IV, 7. ſcribens ſe cum συνεργοῖς pretioſum *lucis theſaurum in vaſculis teſtaceis* gerere. Verum etiam *arma* in bellis uſitata, enſes, galeæ, clypei, lances &c. *Vaſa* appellari ſolent in ſacris & profanis literis. כלי המלחמה Jer. LI, 10. Deut. I, 41. Conf. etiam Jeſ. X, 28. Ezech. XXXII, 27. Jer. XXII, 7. Jeſ. LIV, 17. Ez. IX, 12. &c. ubi vox כלי de *armis* adhibetur. De arcu & pharetra כלי explicatur Gen. XXVII, 3. Quare locum Deut. XXII, 5. לא יהוה כלי גבר על אשה plerique Judæorum de muliere cum armis non in bellum mittenda explicant, uti docuit Cel. MILL. *in Diſſ. ad h. l.* quæ legitur *in Diſſ. ſel. p. 248. ſq.* adde SELD. de *Diis Syr. p. m. 281.* Similiter vox σκεύη uſurpatur apud ÆLIAN. *Lib. VI. hiſt. cap. XII.* σκεύη δὲ εἶχεν ἕτοιμα ναυσὶν ἄλλαις πεντακοσίαις. *Atque in promtu habebat (urbs) omnem apparatum bellicum pro quingentis aliis navibus.* Et XENOPH. *Lib. VIII.* παιδ. Ὅταν δὲ ἀνασκευάσωνται, συντίθησι μὲν ἕκαστος σκεύη, οἷσπερ τέτακται χρῆσθαι. Quare in caſtris conclamari olim ſolebat: *Colligite vaſa*, quando caſtra erant movenda.

Doctores quoque *Vaſorum* inſtar *bellicorum* exiſtunt, qui ex armamentario verbi divini arma ſpiritualia ad debellandos hoſtes veritatis & ſalutis depromunt & militibus myſticis exhibent, atque ut illis induantur, perpetuo monent. Eph. VI, 13. Rom. XIII, 12. Ipſi quoque ſunt *gladius* myſticus Eccleſiæ, quia efficaci veritatis præconio & defenſione, omnes veritatis hoſtes confundunt & ab Eccleſia Dei arcent. 2. Tim. II, 1-3. III, 8. 9. Sunt quoque *clypei* inſtar, qui tentationum βέλη πεπυρωμένα excipiunt & infirmos fide promiſſionibus Evangelii, precibus calidiſſimis ac ſa-

ſapienti conſilio ſublevant atque confirmant, Apoc. III, 2. 2. Theſſ. I, 11. 12. Jer. VIII, 22. Sunt quoque *arma* in manu Jehovæ & Archangeli, quibus ille regnum ſuum extendit atque hoſtes veritatis proſternit Pſ. XLV, 4. Sunt *pharetra* myſtica Herois fortiſſimi, in quibus *tela* convictionum quaſi recondit, et ex qua depromit ad animos hominum configendos. Pſalm. XLV, 6.

X. c. Supereſt ut *vaſa ſacra* Sanctuarii antiqui conſideremus tanquam *typos* Doctorum N. T. qui ſunt vaſa *ſacra* atque *pura*, Jeſ. LXVI, 20. utpote ſanguine Salvatoris ſui expiata, uti vaſa miniſterii templi V. pura atque externe ſancta eſſe decebat. Hebr. IX, 21. Ingens autem vaſorum Sanctuarii veteris erat numerus, uti ex Eſr. I, 7. 11. liquet, quorum præcipua tantum recenſebimus.

Labrum atque *mare æneum* inter vaſa apparent ſacra, ex quibus lavabant ſacerdotes manus & pedes, & forte quoque partes victimarum, Exod. XXIV, 6. XXX, 18. 1. Reg. VII, 23. Labrum autem *vas* ſacrum appellatur apud MAIMONID. in *Beth Habbechira.* ubi dicit: שהכיור מכלי הקדש ומקדש *Quia labrum erat ex vaſis ſacris quoddam, quod ſanctificabat.* Typus hoc eſſe poterat Doctorum, qui non ſolum aquas doctrinæ ſalutaris ſed & meritorum Salvatoris noſtri per præconium ſuum exhibent ſacerdotibus ſpiritualibus, i. e. credentibus N. T. quibus lavari poſſunt ab omni impuritate carnis & ſpiritus Zach. XIII, 1. 2. Cor. VII, 1.

Ita erant varia *altaris* holocautomatων vaſa ac inſtrumenta; veluti סירות *ollæ*, in quibus *carnes* ſacrificiorum Euchariſticorum coquebantur, uti ex Zach. XIV, 21. 1. Sam. II, 13. conſtat. מחתות *vaſcula* ad recipiendas *prunas* ab altari ad adolendum ſuffitum, vid. *Codic.* תמיד *c. I. §. 4.* & *cap. V. §. 5.* & חטני *vaſculum* aureum, quo *cinis* ab altari excipiebatur. Vid. *Codic.* תמיד *cap. III. §. 6.* & כלים *cap. XVI. §. 7.* Nec non מזרקים *pelves* & כפורים quibus ſanguis victimarum excipiebatur, atque deinceps ſpargebatur; De iis enim ſcribit *Jarchi* ad Exod. XXVII. כלים שקבלו בהם דם הזבחים להזות על המזבח *ſunt vaſa, quibus recipiunt ſanguinem ſacrificiorum ut ſpargerent ſuper altare.* Hæc quoque vaſa Doctores apte pingere poterant, ut סירות & מזרקים *ollæ* & *pelves* manifeſto Zach. XIV, 20. Doctorum N. T. figuram exhibent. *Ollæ* ſunt, quæ carnem ſacrificiorum in cibum præparant ſacerdotibus

myſti-

myſticis, quoniam merita ſacrificii mediatoris per ſeriam applicationem in præconio ſuo quaſi præparant, ut cibum animæ, quo ad vitam æternam ali poteſt. Joh. VI, 56. 57. Prov. IX, 1-4. Vaſcula ſunt, quæ *prunas* ab altari recipiunt ad ſuffitum accendendum, quia *donis* Spiritus S. inſtruuntur, quæ vera fide ab *altari* meritorum Chriſti recipiunt Joh. XX, 22. 23. quibus apti redduntur ad *ſuffitum* precum calidiſſimarum pro ſe & cœtu ſuo Deo offerendum, Rom. VIII, 26. & preces credentium quoque ſimul Deo quaſi exhibent, Apoc. VIII, 3. 4. Sunt *vaſcula*, quibus *cinis* ab altari adſervatur, dum memoriam mortis ac ſacrificii Chriſti nunquam non tuentur & refricant per præconium mortis, paſſionum ac meritorum ipſius, atque per diſpenſationem ſacræ Euchariſtiæ; & *reliquias mortis & paſſionum* Chriſti in *corpore ſuo gerunt*, 2. Cor. IV, 10. Gal. VI, 17. Sunt מזרקים *pelves*, ſanguinem Jeſu Chriſti excipientes vera fide, atque in corde puro adſervantes, Joh. I, 16. ex quibus denuo ſpargitur ad aliorum purificationem Jeſ. LII, 15. ſpargitur hic ſanguis meritorum mortis Salvatoris per præconium in quatuor orbis plagas, Jeſ. LXII, 11. Jeſ. XLV, 22.

XI. Porro notamus *vaſa thuris* שני בזוכי לבונה quæ panibus propoſitionis imponebantur vide *Cod.* JOMA *Cap. XI. §. V.* & TAMID. *Cap. XI. §. 5.* quemadmodum & *thuribulum*, quo thura impoſita, ad accendendum igne ſacro, de quo in GEMARA *fol. 47. Cap. I.* הוציר מחתה גרושה של קטרת מלשכת בית אבטינס *thuribulum plenum ſuffimento petebant e conclavi domus Abtines.* conf. & *Tamid. C. V. §. 4.*

Vaſa inſuper *libaminis* σπονδεῖα vel οἰνοχόαι, ut *Joſephus* appellat, quæ inſerviebant libando vino Num. XV, 9. XXVIII, 14. Exod. XXV, 29. qualia etiam erant apud gentes, veluti ex EURIPID. *Jon. v. 1190.* liquet, qui canit:

- - Κἀκέλευσ᾽ ἄλλον νέον
Κρατῆρα πληρῦν. τὰς δὲ πρὶν σπονδὰς Θεῦ
Δίδωσι γαίᾳ.
Et juſſit novum Craterem impleri, priorem vero
Libationem Dei effundit humi.

Vaſa quoque ſingularia erant, in quibus *cineres vaccæ* rufæ ad purificationem impurorum adſervabantur, quæ כלים לחטאת *vaſa ad luſtrationem*

luſtrationem appellantur a MAIMONID. *in* תרה ארומה *Cap.XIII.§.3.* Confer ex ſacris Num. XIX, 17.

Vaſa porro in quibus *primitiva* Deo offerebantur, Deut.XXVI,2. & MAIMON. *in* בכור. *C.III. §.7.* הבכורים ait, טעוכין כלי *primitiva reponenda ſunt in vaſe.* Et in *Siphre* docetur, quod divites in *calathis aureis* & *argenteis*, pauperes vero in vimineis offerant. Uti & apud gentes teſte DIOD. SICUL. πυθμένοι κριθῶν *vaſcula hordei* in feſto Cereris geſtari olim ſolebant,

Addimus *vas olei*, quo inungi ſolebant *Reges* & *Sacerdotes*, quod קין in ſacris appellatur. De eo in *hal. Melac. c.I. 8.* dicitur: כשמעמידין המלך מושחין אותו בשמן המשחה שנ" ויקח שמואל את פך השמן ויצק על ראשו *Cum Reges inaugurant, ungunt eos oleo unguenti, uti dicitur: Accepit Samuel vaſculum olei, & effudit ſuper caput ejus.*

Denique vas ſeu *urna mannæ* non prætereunda eſt ſilentio, quæ in SS. adſervabatur, Exod. XXXVII, 33. LXX. ϛάμνον χρυσȣ̃ν *urnam auream* fuiſſe addunt, conf. etiam Hebr. IX, 3. Vox צנצנת ἅπαξ λεγομένη, deſignat *amphoram* quandam operculo tectam, de qua Cel. RELAND. in *Comm. ad Num. Samarit.: Ipſa elegantia formæ oſtendit vas fuiſſe ad ornatum compoſitum, & dignum, quod inter alia ſacrarii illius ornamenta, quæ ſumma arte & induſtria erant facta, locum haberet. Quod deſuper tectum ſit operimento, aliquid in eo contineri, indicare videtur, quod pretioſum ſit κειμήλιον.*

Hæc vaſa ſingula denuo typum Doctorum N. T. exhibent. Hi ſunt *vaſa thuris* & *thuribula ſacra*, quoniam non ſolum materiam precum pro ſe & cœtu ſibi concredito in pectore puro adſervant per ſolidam doctrinæ ſalutaris cognitionem & conſervationem Apoc. III, 3. 2. Tim. II, 2. ſed & accepto per fidem igne Spiritus S. thura precum calidiſſimarum accendunt, & odorem cognitionis Jehovæ manifeſtant in omnibus locis, 2. Cor. II, 14. ubi thuribulum accenſum odorem per totam ædem ſacram ſpargebat Exod. XXX, 1. & per totum populum accendente illud Aarone, Num. XVI, 46. precibus enim ſuis pro cœtu ſimul intercedunt, 2. Theſſ. I, 11. 12. Eph. III, 14-16.

Sunt ipſi quoque *vaſa libaminis*, quoniam libamina populi Dei Deo offerunt, & vires ſuas inſtar libaminis ſacri Deo ſiſtunt, uti Apoſtolus

Phil.

Phil. II, 17. de ſe teſtatur: *σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτεργίᾳ τῆς πίςεως ὑμῶν. Pro libamento offeror ſuper ſacrificio & miniſterio fidei veſtræ.* Libamina enim ſæpe addebantur ſacrificiis Exod. XXIX, 40 IV, 3. Sacrificia autem libatoria typi erant non ſolum martyrii Salvatoris, ſed & Doctorum & teſtium veritatis, qui ſanguinem ſuum inſtar libaminis pro veritatis teſtimonio effundere parati ſunt. Apoc. II, 10. 2 Tim. IV, 6. Act. XX, 24. XXI, 13. XV, 26.

Sunt hi *vaſa* illa, quæ *cineres vaccæ rufæ* ad expiationem & purificationem immundorum a contactu mortuorum exhibent; dum merita ſacrificii Chriſti pro reatu noſtro perfectiſſimi per præconium peccatoribus, qui operibus mortuis tenebrarum animam & conſcientiam polluerunt, ad purificationem conſcientiæ proponunt. Heb. IX, 14. Spargunt hosce cineres ſuper impuros per ſeriam applicationem, ut ita de reatu convicti, merita Salvatoris vera fide arripiant. Rom. III, 16.

Vaſa illi ſunt, quibus *primitiæ ſacræ* Deo ſiſtuntur; dum per miniſterium Evangelii animas varias, tanquam gregis ſui primitias, variosque fidei ac reſipiſcentiæ fructus, per illud in cœtu ſuo productos, Deo offerunt. Jeſ. LXVI, 20. quare Apoſtolus dicit, ſe *operari Evangelio Chriſti, ut oblatio gentium* (ſc. primitiæ ex illis converſis) *fiat accepta Deo, per Spiritum S. ſanctificata* Rom. XV, 16.

Vaſa denique ſunt, quæ *oleum unctionis* effundunt in caput *Regum* ac *ſacerdotum* myſticorum i. e. credentium N. T. Apoc. I, 5. 6. Dona enim Spiritus S. & nomen Dei, quod eſt inſtar *unguenti effuſi* Cant. I, 3. ex verbo ſalutis manifeſtant & applicant vera fide illa recipientibus. Apoc. XXII, 17. Præcipue hoc convenit Apoſtolis, qui extraordinaria poteſtate inſtructi erant, dona Spiritus S. per impoſitionem manuum aliis conferendi in Eccleſia primæva. Act. VIII, 15. 17. 18. miniſtri quoque fidei populi Dei exiſtunt Doctores, & per miniſterium gratiæ offerunt unctionem ſacram, qua reges & ſacerdotes conſtituuntur. Apoc. III, 18. 2 Cor. II, 14.

Vas denique *mannæ* Doctorum typus eſſe poterat, utpote qui *manna* illud verum, panem, qui de cœlo venit, tanquam *Θεῦ οἰκονόμοι* adſervant, & ejus pretium animabus, juſtitiam Chriſti vere anhelantibus, recludunt. Prov. IX, 1-3. Jeſ. LV. 2. 3. ejusque quaſi memo-

 riam

riam in Eccleſia Dei nunquam non perituram per præconium & Euchariſtiæ diſpenſationem renovant.

XII. Hac ratione vivam genuini Doctoris N. T. imaginem heic depictam deprehendimus. O utinam omnes qui Doctorum & Miniſtrorum N. T. titulo gaudent, talia *σκεύη ἐκλογῆς* eſſent, quam felix futura eſſetEccleſiæ conditio. Sed ohe tempora triſtia, in quibus Eccleſia externa plurimis ſæpe *vaſibus rejectaneis*, doctoribus carnalibus, ſcatet; qui aliis viam ſalutis commonſtrantes voce, factis tamen ſemitam carnis ſectantur. Qui nunquam per Spiritum regenerantem *vaſa* conſtituta ſunt *ἐκλογῆς* & ad opus hocce arduum per eundem idonea reddita, ſed æs tinniens & cymbalum reſonans exiſtunt absque caritate & zelo ſanctitatis 1 Cor. XIII, 1. Væ illis, quia ſunt *vaſa dedecoris*, & confringenda erunt ferreo ſceptro judicii ſupremi, tanquam *vaſa teſtacea* inutilia. Ubi ſunt, qui *vaſa ſacra* & *pura* Sanctuarii myſtici exiſterent? quum plurimi ſanctitatem ſæpe præconii voce inculcantes, vita atque opere abnegent, & corda gerant abominationibus & concupiſcentiis impuris repleta. Qui ſacris inſerviunt turpiſſimi lucri cauſa & nunquam ex puro Dei amore ſervitio ſacro ſe manciparunt.

Væ vaſis externe ablutis ſed interne impuritate ſcatentibus, hypocritis! qui *nomen Dei* ſanctiſſimum in ore non in corde portant. Non enim niſi vaſa iræ & dedecoris exiſtunt in oculis Dei, & aliquando fæcibus excandeſcentiæ Jehovæ & deſperationis felle amariſſimo replenda.

Diſtinguant ergo ſe in hoc orbe perverſo Doctores genuini & *ἀληθινοὶ*, *vaſa decoris ac gloriæ*, quæ herum & Eccleſiam exhilarant, vaſa *ἐκλογῆς*, a reliquis rejectaneis & corruptis per Spiritum ſanctitatis ſegregata & electa, quæ nomen Dei & illud קדש ליהוה ubique ore & vita manifeſtant. Quamvis ſe quoque *vaſa* eſſe *teſtacea* ob inhærentes infirmitates adhucdum deprehendant convicti, nihilominus *pretioſum* lucis gratiæ *theſaurum* gerunt 2 Cor. IV, 7. Hauriunt pleno gutture aquas doctrinæ ex fonte ſacro, dona cœleſtia ex plenitudine Salvatoris ſui Joh. I, 16 Jeſ. XII, 3. *Nomen* Dei gerant coram mundo publica profeſſione, manifeſtatione ac defenſione, non ſine zelo ſanctiſſimo. Sanctitatis & puritatis nunquam non ſint ſtudioſi, ut vaſa Jehovæ, ni miniſterio pura exiſtant, quæ coram oculis ejus ſanctiſſimis in ſu-

ſupremo adyto aliquando conſtituta, gratia, gloria, majeſtate accelebratione repleantur æternum. Rumpatur in miniſterio ſacro vas corporis teſtaceum, reparabitur in die reſurrectionis, expolietur ſapientia divina & cum anima glorificata vas gloriæ exiſtet in ſecula.

EXERCITATIO IV.
DE
BOVE TRITURANTE,
SYMB. DOCTORUM N. T.
1 Cor. IX, 9.

ARGUMENTUM.

Locus 1 Cor. IX, 9. ex Deut XXV, 4. illuſtratur. §. I. BOUM emblema excutitur, quos agriculturæ, coloniarum, hominum quoque ac heroum, in ſpecie Doctorum ſymb. eſſe docetur. §. II. Analogiæ inter Boves & Doctores exhibentur, quia pura ſunt animalia ex lege, quæ ruminant & ungulas dividunt. §. III. Quia cornibus inſtructi, quibus gloriantur & pugnare ſolent. §. IV. oculis præditi ſunt grandibus & acutis. §. V. Pelles habent, quæ in ſacrificiis Sacerdotibus cedebant, & ceteroquin pro tegumentis adhibitæ & ſcutis galeisque conficiendis inſerviebant. §. VI. Mugitu inſigni pollent boves. §. VII. Duces gregis & principes armenti exiſtunt. §. VIII. Robore ſingulari valent. § IX. & animalia maxime laborioſa exiſtunt: §. X. Duo vel plures jugo impoſito jungebantur, laborum ſocii §. XI. Stimulo quoque ſegnes incitabantur, ubi locus Act. IX, 5. & Eccl. XII, 11. illuſtratur. §. XII. Paſcuis delectabantur irriguis boves & farragine tanquam pabulo §. XIII. Hoſtes taurorum, Lupus, Leo & muſcæ memorantur §. XIV. Sic pergimus ad USUS varios Boum apud antiquos, & quidem tum domeſticos. Quum in agris vomere ſulcandis & conferendis adhibiti fuerint, juxta §. XV. Nec non in triturandis & excutiendis, vel ploſtelli vel ungularum ope, frugibus. §. XVI. Porro in plauſtris, oneribus gravioribus & curri-

ribus honoratiorum trahendis §. *XVII.* *Et denique dona pretioſa & divitias maximas veterum conſtituerint.* §. *XVIII.* *Tum quoque uſum ſacrum, quatenus pro Diis culti præcipue apud Ægyptios & in ſacrificiis frequenter adhibiti.* §. *XIX.* *Quæ finiuntur epilogo morali.* §. *XX.*

I.

QUando Apoſtolus gravem moleſtiam, quam in munere arduo exantlandam deprehendunt præcones Evangelii, una cum inſigni inde redundante fructu ſymbolice delineaturus erat, adducebat legem Dei ſub V.T. de bove triturante latam: *ου φιμώσεις βȣ̃ν ἀλοῶντα, non obligabis os BOVI TRITURANTI* 1 Cor. IX, 9. ex Deut. XXV, 4. לא תחסם שור בדישו. Quæ ad nexum & modum allegationis Paulinæ attinent, conf. quæ differit Cl. SCHARBAU *in obſerv. S.P.I. obſ. V.p. 65. ſq.* F. WOKEN. *Moſen Harmonic. P. I. p. 177. ſq.* In lege enim Moſis myſticam ſignificationem admittendam cenſemus, uti Apoſtolus hoc loco & in parallelo I. Tim. V, 18. haud obſcure innuit, præcipue quando addit: *an Deo quoque eſt cura boum?* qua expreſſione manifeſto ad ſublimiorem hujus legis ſenſum indagandum excitat, quod contra Cel. MARCK. *in Diſſ. Phil. Exeg. in N.T. Exerc. XX. p. 594.* & SURENHUS. *in* Βιβλ. *καταλλ. p. 535.* obſervandum eſt, qui myſticum ex hac lege ſenſum proſcribere ſatagunt. Judæorum hac de lege cogitata vide apud Cel. BERNARD. *in Not. ad Joſeph. Antiq. Lib. IV. c. VIII.* nec non Cl. SCHOETTGEN. *in hor. hebr. & Talm. ad 1 Cor. IX.* Boum autem ſub emblemate miniſtros Evangelii pingi etam in aliis locis, infra docebimus, & quam eleganter Apoſtolus munus ipſorum ſub emblemate agriculturæ & trituræ, per boves peractæ, delineet, ex analogiis patebit manifeſto.

II. *Bos* ſive Taurus, inter quadrupedes domeſticos princeps, varia aqud antiquos ſenſu hieroglyphyco deſignat.

α. In genere olim *agriculturæ* ſymb. erat. Ita enim apud CAUSSINUM legimus: *γῆς τε αὐτῆς καὶ γεωργίας καὶ τροφῆς σύμβολον ὁ βȣ̃ς. Terræ & agricultura & victus Symbolum eſt bos.* vide CLEMENT. ALEXANDR. *Strom. Lib. V.* Quoniam ſe iis in colendis & ſubigendis agris,

gris, ac triturandis frugibus utebantur veteres, ut infra docebimus. Quare in ſomnio Pharaonis *ſeptem boves pingues* & pulchræ fertilitatis emblema ſunt. Et SUIDAS refert *Apim* Aegyptium, qui ſub bovis forma colebatur, fuiſſe divitem quendam, qui durante fame Alexandriæ populum ſublevarit, *τετελευθηκότι δὲ αὐτῷ ναὸν ἀνέστησαν, ἐν ᾧ βοῦς ἐτρέφετο, σύμβολον φέρων τοῦ γεωργοῦ; cujus mortui memoriæ templum erexerunt, in quo bos alebatur, hieroglyphicon agricolæ.* Ita & ABARBANEL *in Proph. prior. fol. 122.* ſcribit לכן בחר ירבעם לקחת מהמרכבה פני שור להוראתה על רבוי התבואות וברכות העמים *Idcirco Jeroboam faciem bovis ex curru* (cherubim) *elegit, quia abundantiæ frumenti & benedictionis gentium ſignum eſt.* Huc quoque pertinent nummi Græcorum apud GOLTZ. *in Num. Græc.* Tab. I. n. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Tab. II. n. 3. 7. Tab. IV. n. 2. 5. in quibus *bos* apparet *cum vitulo lactante*, addita vel *ſpica frumenti*, vel *aratro*, vel *uva*, ad denotandam regionis illius, a qua cuſi ſunt hi nummi, fertilitatem & felicem agriculturam, ut docet Cel. GOLZ *in Comm. ad h. nummos.* vide *Tab. noſtr. num. XII.* Quare & pacis ſymbolum eſt, ut ex nummis docet RUBEN. ad Tab. XXX. n. 3. BEGER. *Theſ. Imp. Rom. p. 47.*

β. Coloniarum apud antiquos in nummis Symb. frequentiſſimum exiſtit bos. Sic Commodus Imperator in ſignum novæ coloniæ exſtructæ nummos cudi fecit, in quibus cernitur cum *duobus bobus*, quos agit, cum inſcriptione S. C. COL. L. AN. COM. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. vide CHOUL. *relig. des Anc. Rom. p. 199.* Similiter apud OISEL. *Num. Imp. Rom. Tab. XXXIV. n. 11.* occurrit nummus Auguſti, ubi jugum *boum*, trahens aratrum cum homine id dirigente cernitur, in ſignum coloniæ deductæ, addita epigraphe: TI. SEMP. TI. F. GRACCUS II. VIR ITER. COL. (onia) JUL. AUGUST. EX. S. C. Adde BEGER. *Theſ. Imp. Rom. Tab. XVI. n. 13. 14. XXVI. n. 10. 11.* & alios.

γ. Hominum quoque in genere Symbolum eſt bos, præcipue *heroum* & robore alios antecellentium. Ita Principes Iſraelis Mich. IV, 12. 13. cum *bobus*, quorum *cornua ferrea* & *ungulæ æneæ* futura erant, comparantur. Gen. XLIX, 6. שׁור pro *principe* Sichem ponitur & Joſephi gloria inſtar *bovis primogeniti* dicitur Deut. XXXIII, 17. Hoſtes Meſſiæ עדת אבירים בעגלי עמים *cœtus taurorum cum vitulis populo-*

 rum,

rum, audiunt Pſ. LXVIII, 31, conf. Pſ. XXII, 13. & פרים Jer. L, 27. heroes & fortes bellatores deſignat. adde Jeſ. XXXIV, 6. 7. פרים עם אבירים eodem ſignificatu occurrentes. conf. Num. XXII, 4. Ezech. XXXIX, 18. Philippus Macedoniæ Rex in oraculo, ipſi mortem denuntiante, ſub ſimili figura proponitur: ἔστεπται, reſponſum ferebat ille: μὲν ὁ ταῦρος, ἔχει τέλος, ἔσται ὁ θύσων. *Taurus coronatus eſt, finem habet, erit qui mactet. Titus* Imperator apud PHILOSTRAT. *Lib. 6. cap. XIV.* hoc titulo ornatur: τὶς βιάσεται ταῦρον, αὐχένα οὕτω καρτερὸν, ὑποχεῖν ζυγῷ. *Quis tam valida cervice taurum jugum ſubire cogeret.* Exprimit hoc quoque eleganter HOMER. *Iliad. Lib. II.*

Ἤϋτε βοῦς ἀγέληφι μέγ᾽ ἔξοχος ἔπλετο πάντων
Ταῦρος.
Τοῖον ἄρ᾽ Ἀτρείδην θῆκε Ζεὺς ἤματι κείνῳ,
Ἐκπρεπέ᾽ ἐν πολλοῖσι καὶ ἔξοχον ἡρώεσσιν.
Velut bos in armento valde eximius eſt omnium
Taurus.
Talem Atridem poſuit Jupiter illo die
Valde præſtantem inter multos & eximium heroas.

Adde eundem *Lib. XII. Iliad.* & paſſim. Et apud BEGER. *in num. Tab. II. n. 20.* Voconius ſub figura *bovis* delineatur, ut obſervat RUBEN. *ad h. n.* vide *Tab. noſtr. n. XIII.* conf. PAPIN. STAT. *Theb. Lib. IV. v. 397. ſq. cum Comm. Barth. T. II. p. 1058.* Euripides quoque Bachum *tauro* confert in *Bacch. opp. T. II. p. m. 181.* adde SPANH. *de uſu num. p. m. 355.*

δ. In ſpecie *Doctorum* emblema in ſacris *Bos* exiſtit. Liquet hoc non ſolum ex loco noſtro & 1 Tim. V, 18. ſed & Act. IX, 5. ubi Apoſtolus Paulus ante converſionem *bovi recalcitranti* comparatur, & 2 Cor. III, 9. ubi Eccleſia *arvum* Dei dicitur, quod a bobus myſticis colitur. Similiter Jeſ. XXX, 24. & cap. XXXII, 20. per *boves* ibi memoratos commode intelligi ἐργάτας λόγου, aratores myſticos, docet Cel. VITRINGA *in Comm. h. ll.* Et HIERON. *in Jeſ. XXX.* ſcribit: *Tauri & boves, qui operantur terram, i. e. Apoſtoli & Apoſtolici viri, de quibus Apoſtolus Paulus ſcriptum interpretatur: Non alligabis os bovi trituranti.* Conf. plura ex Patribus adducta apud ARING. *Rom. ſubterr. P. II. Lib. VI. cap. 32. p. m. 320. ſq.* Præfigurabantur quoque Apoſtoli per *XII. boves*, *mare ane-*

æneum portantes, ejusque aquas ore ad purgationem ſacerdotum propellentes. 2 Par. IV, 4. 1 Reg. VII, 25. qui ad mundi quatuor oras diſpoſiti erant. Apoſtoli enim *mare* meritorum Salvatoris mundi præconio ſuo verſus quatuor mundi partes quaſi elevaturi, & doctrinam gratiæ, quam ex hoc mari myſtico hauriebant, in aliorum convictionem & purgationem communicaturi erant. vide Pſ. XIX, 5. Rom. X, 18. cap. XV, 19. Præfigurati quoque per *ſacrificia ex tauris* oblata, quum pro veritatis teſtimonio vitam & ſanguinem poſuerint & *inſtar pecudum ad lanienam* per martyria ducti ſint Rom. VIII, 36. & præcipue per *bovem* cum *primitivis* oblatum, quem Judæi in בכורים *deauratis cornibus* adductum ſcribunt, depingebantur Apoſtoli, primi veritatis martyres, gloria ac majeſtate per martyrium coronati.

III. Quam eleganter autem Doctores N. T. ſub figura BOVIS depingantur, ex analogiarum campo ſpatioſo patebit, quem ingrediemur, delibatis tantum potioribus ejus floſculis. In genere obſervamus,

α. Inter pura ex lege divina animalia apparere *bovem* Deut. XIV, 4. idque ex eo fundamento myſtico, quia *ruminat* & *ungulas* dividit. Lev. XI, 2. 3. Quare & Pſalm LXIX, 39. שור מקרן מפריס *bos cornua ferens & ungulas dividens* memoratur, qualis ſc. ad ſacrificia ſub lege antiqua adhiberi ſolebat. Et Cherubinorum animalibus כף רגל עגל *planta pedis vitulini* tribuitur Ezech. I, 7. i. e. diviſa atque firmis ungulis prædita. Vox עגל rotunditatem infert, quare Lutherus vertit **runde Füſſe.** Quemadmodum apud HOMER. *Iliad. IX.* legitur

-- εἰλίποδας ἕλικας βοῦς.

Et HESIOD. Θεογον. v. 290.

Βουσὶ πὰρ εἰλιπόδεσσι.

Εἰλίποδες, ab εἴλλω *coarcto*, *in globum cogo*, & ποῦς *pes*, dicti boves, quaſi pedes in globum coarctatos habentes.

Doctores N. T. pura exiſtunt animantia, quoniam a Deo ſegregati & purificati, puritati quoque ſtudent. Jeſ. LII, 11. *Renuntiant pudendis latebris, declaratione veritatis puriſſimæ commendant ſe ipſos apud omnem conſcientiam hominum in conſpectu Dei.* 2 Cor. IV, 2. Præcipue autem inſtar animalium purorum ex lege, *ruminant* pabulum veritatis ſalutaris meditatione continua, utpote quod nunquam ex corde vel ore

ipſorum recedit. Jeſ. LIX, 21. 2 Cor. IV, 7. Apoc. II, 13. Tit, II, 7. 8. 2 Tim. IV, 2. 3. 5. dulcedinemque hujus cibi ſpiritualis hac ratione non ipſi ſolum experiuntur, ſed & aliis commendant. Pſalm. CXIX, 103. Prov. III, 15-18. Pedibus quoque ungula bifida inſtructis incedunt in ſemita veritatis, quoniam tuto ac firmo talo ambulant, nec recedunt ad dextram vel ſiniſtram Pſ. CXIX, 133. Jer. VI, 16. corroborati virtute divina greſſus inſtituunt fidos atque firmos 1 Tim. I, 12. obſervant ſemitas Jehovæ irreprehenſi & inculpati ad diem Domini 1 Tim. VI, 14.

IV. β. In ſpecie autem varia attributa & qualitates BOUM conſideremus.

a. Bos *cornibus* inſtructus eſt, quæ non decori ſolum, verum etiam tutelæ loco exiſtunt, utpote quibus pugnant & obvios petunt Exod. XXI, 28. 29. quare apud Poëtas κερόφοροι dicti. OPPIAN. *Lib. II. cyneg.* eos deſcribit

Ἀγραυλοῦς, σθεναροῦς, κεραλκέας, ἀγριοθύμους.
Noctu in agris degentes, fortes, cornibus pollentes, feroces.

HOMER. *Iliad. Lib. VIII.*

Ἔσθοντες κρέα πολλὰ βοῶν ὀρθοκραιράων.
Edentes carnes multas boum, erecta cornua gerentium.

Illis autem præcipue iratos pugnare docet VIRGIL. *Bucol. Ecl. III.*

- - *paſcite taurum,*
Jam cornu petat & pedibus qui ſpargat arenam.

Et *Lib. XII. Æneid.*

Cum duo converſis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt &c.

Et Apollinaris juvencum πίσυνον κεράεσσι καὶ ὅπλαις *fretum cornibus & ungulis ſuis* deſcribit apud Bochartum. *Cornua* autem boum Symb. *dignitatis* & potentiæ exiſtebant antiquis. conf. CASAUBON. *ad ATHEN. Lib. V. cap. VIII.* Et SPANHEM. *in Diſſ. de uſu & præſt. Num. p. m. 365. ſq.* Cel. HAVERCAMP. in *Comm. ad Alex. Magn. Num. p. 14. ſq.* alios. adde quæ in *Embl. Sacr. Lib. I. Exerc. X.* hac de re notavimus.

Cornua pingunt *robur & dignitatem* Doctorum N. T. quod utrumque exſerunt in præconio veritatis. In doctrina veritatis ex V. & N. T. depromta, quæ quaſi duplex ipſis eſt cornu, & decus & fortitudo ipſo-

ipſorum conſiſtit. Evangelica veritas corona eſt, qua exornantur, Prov. IV, 9. Apoc. III, 11. quare XXIV. Seniores i. e. Doctores Eccleſiæ univerſalis, *coronis aureis* ornati apparent, Apoc. IV, 4. eſt corona dignitatis ipſorum regiæ ſymbolum, quia cum Chriſto quaſi ſedent in thronis tempore παλιγγενεσίας, Matth. XIX, 28. *Robur* quoque ipſorum in hoc verbo ſalutis poſitum eſt, quod eſt ſceptrum imperii ac poteſtatis, Pſ. CX, 2. quo confringunt pectora dura atque regno divino adverſa, 2. Cor. X, 3. 4. quare cum malleo comparatur, quo petræ findi & conteri ſolent, Jer. XXIII. 29. Hujus virtute robuſti exiſtunt in prœlio, Hebr. XI, 34. proſternunt veritatis hoſtes, atque perſecutiones ipſorum enervant, 2. Cor. X, 4. 5. 6. Rom. VIII, 37.

V. b. *Oculi* Boum ſat *grandes* exiſtunt & *acuti*, unde שׁרך nonnullis dicitur ab *acuto viſu*, uti *Scholiaſtes ad Lycophr.* docet apud BOCHART. *Hieroz. P. I. p. m. 279.* Ταῦρον δὲ τὸν λυγκέα λέγει διὰ τὸ ὀξυδερκές. *Taurum autem Lynceum vocat ab acumine viſus.* Licet nomen שׁיר veriſimilius a שׁרך i. e. *firmari* & *ſtabiliri*, derivandum ſit, ut docet *Vir Cel.* l. c. *Torvi* oculi alias illis tribuuntur, qui ſignum ſunt *generoſitatis.* STAT. *Theb. Lib. II.* de tauro:

Ante gregem, ſpumisque animos ingentibus effert
Nunc pede torvus humum, nunc cornibus aëra findens.

Et alibi apud Poetas

\- *torvæque decorus*
Frontis honos.

Verſatiles quoque oculos ei tribuit NAZIANZENUS, canens:

\- βοῶν τ᾽ ἀγέλην ἑλικώπων.
\- *boum gregem oculis rotundis* (vel verſatilibus) *præditorum.*

Quare *pulcritudinis* Symb. *oculi bovini* exiſtunt, eos enim in ſignum eximiæ formæ tribuit Junoni HOMERUS *Iliad. 1.*

Τὸν δ᾽ ἠμείβετ᾽ ἔπειτα βοῶπις πότνια Ἥρη.
Huic poſtea regeſſit bovinos oculos habens veneranda Juno.

Pingunt hi oculi *fidem* Doctorum N. T. qua inſtructi ſunt in miniſterio Evangelii peragendo. Quemadmodum *oculi mentis* non cognitionis ſolum ſed & fidei figura exiſtunt in ſacris, vide Eph. I, 17. Pſ. CXIX, 18.

18. Jeſ. XLV, 22. Matth. VI, 22. 23. Oculos ergo habent Doctores Evangelii maxime ſagaces & acutos, quibus non ſolum abdita veritatis myſteria nunquam non ſcrutantur & in interiorem eorum cognitionem penetrare ſtudent, 1. Cor. IV, 1. 1. Tim. IV, 15. 16. ſed & æterna & inviſibilia introſpicere fide ſatagunt cum Moſe, Hebr. XI, 26. 27. Non enim reſpiciunt quæ viſibilia ſunt, ſed τὰ ἀόρατα, 2. Cor. IV, 17. 18. Oculi fidei, quos ubique produnt, generoſi ipſorum animi teſtes exiſtunt, utpote omnia hujus ſeculi bona ſpernentes cum ſervo Dei Moſe & minas hoſtium veritatis contemnentes. Atque hac ratione *decori* exiſtunt & pulchri in oculis Jehovæ & ſanctorum, ita ut mundus ipſe *faciem eorum* inſtar angelicæ quaſi rutilantem invidis oculis intueri debeat, qualem obſervabant veritatis hoſtes in Protomartyre Stephano, Act. VI, 15.

VI. c. *Pellis* quoque boum notanda, utpote quæ *firma* atque inſignis apud veteres *uſus* fuit. *Pellis ſacrificiorum* ſub V. T. nonnunquam una cum animali offerebatur atque igne conſumebatur, vide Exod. XXIX, 14. Lev. IV, 11. Num. XIX, 5. Sæpius tamen veluti holocautomatῶν pellis ſacerdotibus cedebat, Lev. VII, 8. Excoriabatur ergo poſt jugulationem taurus, quod etiam apud gentes fiebat, teſte HOMER. *Iliad. 1.*

- Καὶ ἔσφαξαν, καὶ ἔδειραν,
Μηρὸς τ' ἐξέταμον.
Et jugularunt, excoriarunt & femora ſecuerunt.

Pellis vero boum primo quidem tegumento *pedum* inſerviebat olim, quod exprimit HESIOD. Ἐργ. *v. 541.*

Ἀμφὶ δὲ ποσσὶ πέδιλα βοὸς ἶφι κταμένοιο
Ἄρμενα δήσασθαι.
Circum vero pedes bovis in flore occiſi calceos
Aptos ligato.

Pellibus ſubſtratis porro in militia incubabant veteres dormientes, unde HOMER. *Iliad. X.*

- αὐτὰρ ὅγ' Ἥρως
Εὗδ' ὑπὸ δ' ἔστρωτο, ῥινὸν βοὸς ἀγραύλοιο.
Heros dormiebat, ſubſtraverat autem pellem bovis agreſtis.

Ex iis *ſcuta* quoque conficiebant duriſſima, quibus tela & lanceas adverſariorum declinabant. Unde HOMER. *Iliad. VII.*

Ὃς

῞Ος οἱ ἐποίησεν σάκος αἰόλον, ἑπταβόειον,
Ταύρων ζατρεφέων.
Qui ei fecit ſcutum varium, ſeptem bubulis pellibus conſtans
Taurorum ſaginatorum.

Et *galeas* ex corio bovino factas docet idem HOM. *Iliad.* X.

Κυνέην κεφαλῆφιν ἔθηκε
Ταυρείην. *Capiti galeam taurinam impoſuit.*

quæ aliis κράνος ὠμοβόϊος *galea ex crudo bovis corio* facta appellatur.

Sacrificia ex tauris ſub V. T. etiam Doctorum figuram fuiſſe, infra docebimus. Utpote qui ſæpe ob veritatis teſtimonium cruentam martyrii mortem ſubeunt, tanquam Deo ſacrificium gratiſſimum, Rom. VIII, 36. 37. Pſ. XLIV, 23. *Excoriantur* etiam & *pellis* ipſis detrahitur, quando publica docendi auctoritate privantur, ſive carcere ſive morte. Sed relinquunt quoque *pellem* ſuam vel *ſcriptis* ſuis, quæ teſtes ſunt vitæ & fidei ipſorum, vel *fructibus* præconii ſalutaris, in aliis reſiduis, Actor. XX, 31. 32. 2. Tim. I, 13. hoc eſt *depoſitum* illud, quod relinquunt, quo muniunt *pedes* credentium in ſemita ſalutis, tanquam *calceis* promtitudinis Evangelii pacis Eph. VI, 17. coll. Hebr. XIII, 7. quo *galeam* relinquunt & *ſcuta* credentibus verbo veritatis, quod annuntiaverunt, quibus armantur contra tentationum Satanæ tela ignea, & ſubtiliſſimos hoſtium veritatis ictus. Huic *incubant* ſecuri, veſtigia horum fidei heroum legentes & eodem tramite inſiſtentes, Hebr. XIII, 7. Phil. II, 12. 16. I, 27.

VII. d. Bos *mugitu* inſignis eſt, & ob illum a veteribus celebratur, utpote quo non ſolum *famem* ſuam prodit, teſte *Job.* Cap. VI, 5. אם יגעה שור על־בלילו *Anne mugit bos apud farraginem?* ſc. quando illa ſatiatur, conf. Joel. I, 18. ſed & *iram* ac *zelum* ſuum tremente grege reliquo manifeſtat hac voce horrenda; quam porro quando *ſauciatur* aut etiam *captivus* tenetur vinculis conſtrictus, emittit. Ad *famem* boum *mugentium* reſpicere videtur EURIPID. *in Bacch.* quando eos ſummo mane mugientes deſcribit *v. 689.*

– ἐξ ὕπνε κινεῖν δέμας,
Μυκήμαθ' ὡς ἤκεσε κεροφόρων βοῶν.
– *ex ſomno excitarunt corpus,*
Poſtquam audivit mugitum cornigerorum boum.

ad

ad *iram* ac *furorem* boum mugitum refert VIRGIL. *Lib. XII. Æn.*

Mugitus veluti cum prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atque iraſci in cornua tentat.

ad mugitum inter *vulnera* & *vincula* refer illud VIRGIL. *Lib. II.*

Quales mugitus fugit cum ſaucius aram
Taurus, & incertam excuſſit cervice ſecurim.

Et HOMER. *Iliad. XVIII.*

Σμερδαλέω δὲ λέοντε δύ' ἐν πρώτησι βόεσσι
Ταῦρον ἐρύγμηλον ἐχέτην, ὁ δὲ μακρὰ μεμυκὼς
Ἕλκετο.
Horrendi vero Leones duo inter primos boves
Taurum valde mugientem tenebant. Ille autem alte
Mugiens trahebatur.

Vel denique deſiderio *domum* redeundi *mugire* dicuntur tauri, quo reſpicit DIONYS. *perierg. v. 191.*

Κείνοις δ' οὔποτε τερπνὸς ἀκούεται ὁλκὸς ἁμάξης,
Οὐ δὲ βοῶν μυκηθμὸς ἐς αὔλιον ἐρχομενάων.
Illis nunquam jucundus auditur plauſtri tractus,
Neque boum ad ſtabulum redeuntium mugitus.

Mugitus boum tum *præconium* veritatis cum παῤῥησίᾳ, tum *ſuſpiria* ac *preces*, quas variis in perſecutionibus & anxietatibus effundunt Doctores, apte deſignare poterit. *Mugire* ergo inſtar boum ſolent Doctores in præconio judiciorum divinorum, inflati ſancto zelo. *Exclamant alto gutture, nec cohibent, inſtar buccinæ attollunt vocem ſuam, indicantes populo Dei delicta & domui Jacobi peccata ſua*, Jeſ. LVIII, 1. attollunt vocem ſuam contra Babelem, Jeſ. XIII, 2. Jer. IV, 5. conf. Joel II, 1. Hoſ. VIII, 1. vel etiam *virtutes divinas* ſacro zelo accenſi ebuccinant alta voce inſtar Seraphim, ita ut *poſtes ſanctuarii contremiſcant a voce inclamante ipſorum*, Jeſ. VI, 4. Apoc. IV, 4. 5. Sive *ſuſpiria* fundunt ex imo pectore ſurſum adſcendentia, quando in perſecutionibus & vinculis ob veritatis teſtimonium hærent, Pſ. CXLI, 1. Jer. XXXIII, 3. Jac. V, 4. vel *deſiderio patriæ* cœleſtis clamant ad Deum, pertæſi tot moleſtiarum hujus vitæ, quas exantlare oportet, Jon. IV, 3. Phil. I, 23. Rom. VII, 24.

VIII. e. Taurus eſt *dux* gregis atque in armento primarius, quem tremunt vaccæ & grex totus in agro, quare Rex quaſi eſt quadrupedum domeſticorum, uti Leo inter feras. Ita in *Sepher Mekor Chaim fol.101. col.4.* legitur: כי השור ידמה אל הארי בכחו והייתה על הבהמה הבקר והצאן *Quoniam Bos exæquat Leonem viribus, atque Rex eſt inter beſtias domatas, vaccas & oves.* Quare LUCIAN. *in Amorib. p.m. 199.* Ταῦρον Ἀγελάρχην *taurum gregis Principem ſeu Ducem* appellat. Exprimit hoc egregie HOMER. *Iliad. Lib.II.*

> Ἠΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ᾽ ἔξοχος ἔπλετο πάντων
> Ταῦρος (ὁ γάρ τε βόεσσι μεταπρέπει ἀγρομένῃσι.)
> *Velut bos in armento valde eximius eſt omnium*
> *Taurus (hic enim boves eminet inter congregatas.*

Quare & *decus* gregis habebatur, teſte VIRGIL. *Bucol. Ecl. V.*

> *Ut gregibus tauri, ſegetes ut pinguibus arvis,*
> *Tu decus omne tuis.*

Et TIBULL. *Lib. IV. El.1.*

> - *ſeu tardi pecoris ſim gloria taurus.*

Quo reſpicit Moſes Deut. XXXIII, 17. de Joſepho canens: בכור שורו הדר לו *quaſi primogeniti bovis decor aut gloria ipſius eſt.*

Convenit hoc quoque Doctoribus N. T. qui duces atque principes exiſtunt gregis ſibi demandati. Ἡγούμενοι eapropter expreſſis verbis appellantur Hebr. XIII, 17. Quare Apoſtoli Principes ſeu Duces Judæ, Zebulon & Naphtali audiunt Pſ. LXVIII, 28. ἐπίσκοποι τῆς ἀγέλης, quam Chriſtus ſanguine ſuo coëmit, exiſtunt, Act. XX, 28. Præeunt gregem doctrina, vita atque ſanctitatis zelo, 1. Tim. IV, 12. 15. 16. In eodem arvo doctrinæ ſalutaris paſcuntur, defendunt gregem ſuum ac tuentur. Quare & *decus* atque *gloria* exiſtunt gregis ſui, utpote quos Deus conſtituit vaſa gloriæ, quæ majeſtatis ſuæ radiis exornat, ut teſtes ſint gloriæ ipſius & in terris Deum ipſum quaſi repræſentent Luc. X, 16. Quare *ſtellæ*, fulgore majeſtatis radiantes, in manu Domini appellantur, Apoc. II. v. 1. Dan. XII, 3.

IX. f. *Robore* ſingulari præditi ſunt tauri præ reliqua armenti pecude, quare in lingua ſancta etiam אבירים i. e. *fortes, robuſti* vocantur, Pſ. XXII, 13. אבירי בשן *tauri Baſan*, conf. quoque Pſ. L, 13. LXVIII,

 31.

31. Jeſ. XXXIV, 7. Quare כוח *robur* ipſis tribuitur Prov. XIV, 4. Et loco ſupra citato ex *Mekor Chaim* בכוחו ידמה הארי *robore ſuo Leones exæquare* dicuntur. Huc refer loca a Cel. BOCHARTO *Hieroz. P. I. p. m. 287.* citata, quibus adde OVID. *ex Pont. Lib. I. ep. IV. v. 11.*

Cernis, ut in duris (& quid bove firmius) arvis,
Fortia taurorum corpora frangat opus.

Nec non HESIOD. Ἐργ. κ. v. 436.

- βόε δ' ἐνναετήρω
Ἄρσενε κεκτῆσθαι (τῶν γὰρ σθένος ὀκ ἀλαπαδνὸν)
- *boves vero duos novennes*
Comparato maſculos (horum enim robur non infirmum eſt.)

Quare STAT. *Lib. VI. Theb. armenti robora*, tauros appellat. Plura loca ex *Virgil. Oppian.* aliisque addere tædet.

Idem attributum Doctoribus N. T. applices, qui ſingulari a Deo robore inſtructi ſunt ad opus Evangelii in hac terra peragendum, licet ipſi infirmi quoad cætera homines ſint & pretioſum hunc theſaurum in vaſis teſtaceis gerant 2. Cor. IV, 7. *Robur* enim ipſorum non ex ipſis eſt ſed ex Domino, ut ibidem teſtatur Apoſtolus. *Robuſti ſunt in Domino & potentia virtutis ipſius*, qua idonei redduntur ad opus arduum, ac in infirmitate ſua mirum in modum corroborantur, 2. Cor. III, 5. 6. Col. I, 12. 2. Cor. XI, 29. XII, 9. 10. Robuſti exiſtunt *conſolationibus* divinis, Hebr. VI, 18. verboque veritatis ſuffulti, 1. Joh. II, 14. Robuſti per gratiam divinam, 2. Tim. II, 1. & per Spiritum ejus, Eph. III, 16. qui eſt Spiritus roboris ac potentiæ, Jeſ. XI, 4. Robuſti denique in *fide*, tanquam munimento, 1. Petr. I, 5. Rom. IV, 20. Hebr. XI. cap. tot. & v. 34. Quare in ſacris LXX. heroes, ſeu fortes illi ex heroibus Iſraëlis appellantur, Cant. III, 7. 8. qui robuſtum illum tenebrarum Principem robore Fortiſſimi infringunt ac ſuperant, Rom. XVI, 20. Apoc. XII, 7-10.

X. g. *Laborioſum* maxime animal eſt bos, quare & *laboris* olim indefeſſi ſymbolum exſtitit, conf. ARING. *Rom. ſubterr. T. II. p. m. 321.* *Opus* ipſi tribuitur Deut. V, 20. & Proverb. XIV, 4. teſtatur Salomo: באין אלפים אבוס בר ורב תבואות בכח שור. *Ubi nulli ſunt boves, ibi præſepia vacua exiſtunt, ſed proventuum abundantia eſt in virtute*

tute bovis ejusque laborioſitate. Similiter ἔργα ipſis tribuit HESIOD. Ἐργ. κ. v. 47.

Ἔργα βοῶν δ᾽ ἀπόλοιτο, καὶ ἡμιόνων ταλαεργῶν.
Opera vero boum ceſſarent mulorumque laborioſorum.

VIRGIL. *Lib. I. Georg.*

- *hæc cum ſint hominumque boumque labores.*

& denuo

- *ſata læta boumque labores.*

APOLLON. RHOD. *argon. Lib. IV.*

- ὅσε βοῶν κατὰ μυρία ἔκλυσεν ἔργα

Eleganter quoque hoc exprimit ÆSCHYL. *in Prometh.*

Κἄζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα
Ζεύγλαισι δουλεύοντα σώμασιν, θ᾽ ὅπως
Θνητοῖς μεγίστων διάδοχοι μοχθημάτων
Γένωντ᾽
Et boves primus jugo ſubjeci, quæ jugi collaribus
Et corporibus ſerviunt, ut homines a maximis laboribus
Sublevent.

Nec Doctores bobus hac in re diſſimiles exiſtunt, utpote qui in opere illo arduo, ipſis demandato, indefeſſo ſtudio pergere debent. Quemadmodum bobus ἔργον atque labor tribuitur, ita & Doctoribus. Stephanus potens verbis & opere dicitur Actor. VII, 22. Saulus & Barnabas ſeparati erant ad opus, ἔργον illud Dei, Act. XIII, 2. Et Paulus Corinthios ipſos, quorum ſc. ſaluti ſe mancipabat, ἔργον ſuum in Domino appellat 1. Cor. IX, 1. De Timotheo teſtatur, quod cum ipſo *opus Domini* operetur, 1. Cor. XVI, 10. quod Eph. IV, 12. *opus* miniſterii vocatur. Et 1. Theſſ. V, 12. 13. conſiderat doctores *laborantes* verbo & doctrina, qui propter opus hoc æſtimandi & honore digni erant. Imo 1. Timoth. III, 1. ἔργον καλὸν *opus pretioſum* & præclarum appellat miniſterium Evangelii, adde 2. Tim. IV, 5. Apoc. II, 2. 9. 19. III, 1. 2. 8. In labore hoc noctu diuque indefeſſi perſiſtunt, Actor. XX, 31. 1. Cor. XV, 10. 2. Cor. XI, 23. Phil. II, 16. idque cum lucta & certamine ſingulari, Col. I, 29. 1. Theſſ. II, 9. Apoc. II, 3.

XI. h. *Jugo* quoque olim onerabantur boves, partim ut illius ope vires eo facilius in labore exſerere poſſent, partim ut cum aliis ſociis adjunctis, viribus unitis moleſtiam laboris ſuſtinere valerent. Per כלי הבקר 2. Sam. XXIV, 22. dubio procul *Jugum* intelligitur. Ejus mentio injicitur in *Talmud. Maſſech. Schabb. fol. LIV. col. 2.* ואין העגל יוצא בגימון ולא פרה בעור הקופר ולא ברצועה שבין קרניה *Juvencus non exit* (in Sabbatho) *cum jugo, nec vacca cum pelle cophar, nec cum loro inter cornua.* Sic apud HESYCH. Ἐργ. *v. 815.*

- καὶ ἐπὶ ζυγὸν αὐχένα θεῖναι
Βουσὶ καὶ ἡμιόνοισι.
- *ad jugum collo imponendum*
Bobus atque mulis.

HOMER. *Iliad. Lib. XIII.* ſimiliter

Τὼ μέν τε ζυγὸν οἶον ἐΰξοον ἀμφὶς ἐέργει,
Ἱεμένω κατὰ ὦλκα, τέμνει δέ τε τέλσον ἀρούρης.
Hos (boves) quidem jugum ſolum bene politum utrinq; diſtendit,
Vadentes per ſulcum, inciditur autem fundus arvi.

AVIAN. *fab. XXVIII. v. 1.*

Vincla recuſanti, dedignantique Juvenco
Aſpera mordaci ſubdere colla jugo &c.

Cauſam impoſiti jugi exponit COLUMELLA *Lib. II. cap. 2. In opere,* inquit, *boves arcte junctos habere convenit, quo minus colla eorum labefactentur, jugumque melius aptum cervicibuss inſideat. Hoc enim genus juncturæ quam maxime probatum eſt.* Poſt labores autem ſolvebantur jugo, quare VIRGIL. *Bucol. ecl. IV.* canit:

Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator.

Quod idem teſtatur HOMERUS.

Et Doctores Evangelii *jugum* portant myſticum, quod eſt *lex fidei & amoris,* Matth. XI, 29. *jugum illud facile,* quod ſuſcipiendum eſt a Chriſto quando imponitur. Hujus applicatione & ſtudio ſincero vires ſuas in opere Domini exſerere apte poſſunt ἐργάται myſtici, Act, XX, 31. & tanquam σύζυγοι atque σύνεργοι cooperantur cum ſucceſſu in eodem Domini opere, uniti vinculo amoris, Col. II, 2. III, 14. 1. Cor. VI, 14. *Jugi* quoque loco conſiderari poſſunt omnes *tentationes* ac *perſecutiones,* quas

quas in miniſterio Evangelii ſuſtinere tenentur Doctores; (jugum enim etiam moleſtias hujus vitæ pingit, Thren. III,27.) & ſane miniſterium Evangelii multis moleſtiis & perſecutionibus ſæpe oneratur. 2 Cor. XI, 27. *Curis* quoque inſuper pro grege demandato diurnis ac nocturnis occupantur atque premuntur Act. XX, 31. 2 Cor. XI, 28. Heb. XIII, 17. Solventur quoque aliquando a *jugo* hujus laboris ardui in die mortis, quum *quieſcent a laboribus* & operum fructus *ſequentur* ipſos Apoc. XIV, 13. 2 Tim. IV, 7. 8. tunc *ἀναλύονται* a jugo hoc Phil. I, 23.

XII. i. Inſuper obſervandum eſt, ſegnes quoque in opere *boves ſtimulo* fuiſſe incitatos, Hebræis דרבן Græcis *βύκεντρον* dicto, cujus mentio injicitur 1 Sam. XIII, 21. talis ſtimulus infixus erat *baculo*, qui מלמד dicebatur, teſte KIMCHIO, quemadmodum Jud. III, 31. מלמד הבקר memoratur. Unde proverbium natum *πρὸς κέντρα λακτίζειν contra ſtimulum calcitrare.* Act. IX, 5. de quo conf. HAMMOND. ad h. l. cum *Comm.* CLERIC. *p. m. 322.* LINDHAMER *in h. l.* aliosque, quos citat Cel. WOLF. *in Cur. Phil. ad h. l.* Boves enim refractarii ſæpe recalcitrare ſolebant hoc ſtimulo incitati, ut docet Scholiaſtes antiquus PINDARI *Pyth. Od. II.* ad verba *κέντρον λακτίζεμεν: ἡ δὲ τροπὴ ἀπὸ τῶν βοῶν. Τῶν γὰρ βοῶν οἱ ἄτακτοι κατὰ τὴν γεωργίαν, κεντριζόμενοι ὑπὸ τοῦ ἀροῦντος, λακτίζουσι τὸ κέντρον, καὶ μᾶλλον πλήττονται. Allegoria deſumta eſt a bobus. Boves enim refractarii in agricultura ſtimulo incitati ab aratore, contra ſtimulum calcitrant, & eo magis punguntur.* Vide Diſſ. Cel. SCHOETG. *hor. Talmud. in Act. IX.* ubi ſing. ſuam de *κέντρῳ* diſſert. citat. Huc refer HESIOD. *ἐργ. v. 467.*

Ἀρχόμενος τὰ πρῶτ᾽ ἀρότου, ὅταν ἄκρον ἐχέτλης
Χειρὶ λαβὼν ὅρπηκα βοῶν ἐπὶ νῶτον ἵκηαι..
Incipiens arare, cum extremum ſtivæ
Manu capiens ſtimulum, boum terga attigeris.

Et TIBULL. *Lib. I. el. I.*

Nec tamen interdum pudeat tenuiſſe bidentem,
Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boves.

Alia quamplurima loca affert Cl. BOCHART. *Hieroz. P. I. p. m. 386. ſq.*

Senſu allegorico *κέντρον* convictionem per dictionem argutam denotare, vir magnus cit. l. docuit. Summus agricola, Archangelus, *ſti-*

 mu-

mulo quoque utitur ad excitandos doctores Evangelii in opere hoc arduo, ne ſegnes evadant. Varii autem ſunt hi ſtimuli. *Vel* enim ſeriis utitur reprehenſionibus atque convictionibus, in verbo veritatis deſignatis, veluti Apoc. II. & III. admonitiones exſtant acerrimæ & acutæ ab Archangelo in Eccleſiæ angelos denuntiatæ, Et Eccl. XII, 11. verba ſapientum דרבנות βȣ́κεντρα appellantur, ſimilitudine a ſtimulo boum deſumta. *Vel* per Spiritus S. internas convictiones & exagitationes eos excitat, atque per hunc ignem zelo ſancto accendit, ut πνεύματι ζέοντες exiſtant, Rom. XII, 11. *Vel* per tentationes Satanæ, carni maxime ingratas, eos in ſtudio amoris ac zeli gloriæ divinæ inflammat; quæ erant σκόλοψ, Paulo in carnem infixus, 2 Cor. XII, 7. per caſtigationes eos ex carnis ſecuritate & ſocordia erigit, quare angelo Eccleſiæ Laodiceæ teſtatur: *Quos diligo, illos reprehendo atque caſtigo*, ergo ζήλωσον καὶ μετανόησον Apoc. III, 19. *Vel* denique novis gratiæ donis, quibus caro ſubigitur & ſpiritus corroboratur. 2 Tim. II, 1. 2. eos excitat.

XIII. k. *Boves* noctu diuque *paſcuntur* in agris, cujus *gramine* tanquam *cibo dulciſſimo* fruuntur, interdum quidem in campo aperto *gramine recenti*, interdum tamen, veluti hyeme, *gramine arido* ſeu *fœno*, vel etiam pabulo mixto ex *frugibus agri*, atque in *flumine* potantur Ad cibum & pabulum boum reſpicitur Num. XXII, 4. כלחך השור את ירק השדה *ſicut delingit bos viridem agri herbam.* Elephas Job. XL, 10. *gramen inſtar bovis comedere* dicitur, quod idem de Nebucadnezare expulſo legitur Dan. V, 21. & de de Leone Jeſ. XI, 7. adde etiam Jeſ. VII, 25. Pſalm. CVI, 20. Quare locum Jer. L, 11. Arabs vertit: مثل عجاجيل في النبات ſicut *vituli paſcuntur in gramine*, ut obſervat *Bochartus*, quare apud veteres βοσκήματα βόων toties memorantur. De cibis boum canit HESIOD. ἐργ. *v. 606.*

> Χόρτον δ' ἐσκομίσαι καὶ συρφετὸν, ὄφρα τοι εἴη
> βȣσὶ καὶ ἡμιόνοισιν ἐπηετανόν.
> *Gramen autem & paleas importato, ut tibi ſit*
> *Bobus ac mulis annuum pabulum.*

Et AUREL. OLYMP. *Nemeſ. Buc. Ecl. I. v. 33.*

> *Mollis ager, lateque tacet nemus omne, quieti*
> *Aſpice, ut ecce procul decerpant gramina tauri.*

De

De cibo potuque eorum HOMER. *Iliad XVIII.*

> Μυκηθμῷ δ' ἀπὸ κόπρȣ ἐπεσσεύοντο, νομὸν δὲ
> Πὰρ ποταμὸν κελάδοντα περὶ ῥοδανὸν δονακῆα.
> *Mugitu autem ex ſtabulo ruebant ad paſcua* (*boves*)
> *Ad fluvium reſonantem rapidum & cannis abundantem.*

De בליל farragine, boum cibo, ex Job. VI, *5.* late agit BOCHART. *l. c. p. m. 300.* Interea providendi erant boves pabulo cura ſingulari, ut operi exantlando ſufficerent, quare PHÆDRUS:

> *Hæc inter ipſe dominus a cœna redit,*
> *Et quia corruptos viderat nuper boves,*
> *Accedit ad præſepe: Cur frondis parum eſt?*

Duplici ratione hoc Doctoribus Evangelii applicari poteſt, tum quoad eorum ſuſtentationem corporalem tum ſpiritualem. Quoad corporalia, pabulo quoque i. e. ſuſtentatione neceſſaria providendi ſunt hi boves myſtici, quo ſenſu Apoſt. 1 Cor. IX, 9-11. legem adducit *de bove inter triturandum non capiſtrando.* conf. Gal. VI, 6. Quemadmodum ſub V. T. Deus per decimas, primitias & portiones varias de ſacrificiis proſpexerat Levitis & Sacerdotibus de alimento; ſic idem ſub N. T. locum habet. Qui altari inſerviunt, illos quoque ex eodem vivere oportet, & Evangelium annuntiantes propter hoc præconium ſuſtentandi ſunt 1 Cor. IX, 13. 14. Senſu ſublimiori autem continua in *ruminando gramine* verbi divini ſedulitas denotatur, quemadmodum paſcua armenti hoc ſenſu occurrunt Pſ. XXIII, 1. 2. Ezech. XXXIV, 13. Noctu diuque in meditationibus verbi Dei occupati ſunt. Sæpe in aprico campo, quando libertate conſcientiæ fruuntur, paſcuntur, nonnunquam tamen quaſi in ſtabulo ſub perſecutionibus & vinculis farraginem doctrinæ collectam ruminari tenentur.

XIV. 1. *Hoſtes* taurorum ſunt non ſolum *Lupus*, animans illud rapax, illisque inſidias ſtruens, atque Leo, verum etiam *muſcæ*, quæ illos infeſtant maxime & pungunt. Ita ſcribit ARISTOTEL. *hiſt. anim. Lib. IX. cap. I.* Λύκος δὲ ὄνῳ καὶ ταύρῳ καὶ ἀλώπεκι πολέμιος. ὠμοφάγος γὰρ ὢν ἐπιτίθεται τοῖς βȣσὶ καὶ τοῖς ὄνοις &c. *Lupus autem hoſtis eſt aſino, tauro & vulpi, crudivorus enim inſidiatur bobus, aſinis &c.* Modum,

dum, quo *lupus* expugnat bovem, inſiliendo tergum ejus, exponit ÆLIAN. *hiſt. anim. Lib. V. cap. XIX.* Huc reſpicit STAT. *Theb. Lib. III. v. 45.*

- haud aliter ſaltu divertitur orbus
Paſtor ab agreſtum nocturna ſtrage luporum. &c.
Queſtibus implet agros, ſtabulique ſilentia magni
Odit, & amiſſos longo ciet ordine tauros.

De *Leone* vide HOMER. *Iliad. Lib. V.*

Ὡς δὲ λέων ἐν βȣσὶ θορὼν ἐξ αὐχένα ἄξει
Πόρτιος ἠὲ βοός.
Sicut Leo in boves inſiliens cervicem frangit
Juvencæ vel tauri.

Similiter *Iliad. XVIII.* & alibi. adde MARTIAL. *Lib. VIII. ep. LV.* AVIAN. *fab. XVIII. v. 6. ſq.* De *Muſcis*, bobus odioſis, ſcribit LUCIAN. *in encom. Muſc. p. m. 827. T. I. opp.* οὕτω δὲ ἰσχυρὰ ἐςὶν, ὥσθ᾽ ὁπόταν τι δάκνῃ, τιτρώσκει, ȣ̓κ ἀνθρώπȣ δέρμα μόνον, ἀλλὰ καὶ βοὸς καὶ ἵππȣ. *Adeo autem fortis eſt* (muſca) *ut mordens aliquid vulneret, non ſolum pellem hominis ſed & bovis atque equi.*

Pingunt hæc animalia hoſtes doctorum ac præconum veritatis. Primarius eſt *lupus* atque *leo* infernalis, Satanas, tenebrarum princeps, qui callido ſæpe dolo inſilit eosque proſternere tentat, κολαφίζει illos tentationibus horrendis 2 Cor. XII, 7. 1 Pet. V, 8. Utitur autem præcipue inſtrumentis, tum *pſeudo-doctoribus*, qui ſub ſymb. *luporum rapacium* in ſacris pinguntur, vide Matth. VII, 15. Joh. X, 12. Ezech. XXII, 27. Zeph. III, 3. tum etiam *hoſtibus veritatis*, principibus hujus mundi, Eccleſiæ & Doctorum ejus perſecutoribus infenſiſſimis, qui itidem *lupi* audiunt rapaces, vide Jeſ. XI, 6. LXV, 25. Jer. V, 6. *Muſcæ* ſimiliter hoſtium ſalutis & veritatis, tum ſpirituum impurorum, tum Pſeudo-Doctorum ſymbolum exiſtunt, quorum Dux eſt Satanas, qui בעל זבוב *Belzebub* i. e *princeps muſcarum* eapropter audit. In ſpecie Pſeudo Doctores Antichriſtianiſmi, qui etiam cum *locuſtis* comparantur, ut ex Apoc. IX, 3. infra videbimus, ſub ſymb. *muſcarum Ægypti* ſc. myſticæ occurrunt. Jeſ. VII, 18.

XV. γ. Pergimus ad USUS varios Taurorum apud antiquos, & quidem

a. *Domeſticos*, quatenus in *agris colendis*, in *triturandis* frugibus, in

plau-

plauſtris & oneribus vehendis, & denique in *cibis* mortalium maxime utiles exiſtunt.

1. In agro *vomere ſcindendo* & *frugibus conſerendis* adhibiti boves leguntur, eapropter *aratro* jungebantur, quo labore difficili maxime defatigabantur. Quod boves in arando adhibiti ſint apud *Judæos*, conſtat ex lege Deut. XXII, 10. *Bove & aſino ſimul juncto non arato*, cujus legis myſterium Apoſtolus nobis exponit 2 Cor. VI, 14. μὴ γίνεϑε ἑτεροζυγȣ̃ντες ἀπίςοις. *Ne impari jugo copulemini cum incredulis*, qua phraſi dubio procul ad hanc legem typicam reſpicit. Similiter Amos. VI, 12. *an bobus aliquis araturus eſt petram?* Jeſ. XXX, 24. quippe *boves* & aſini *terram colentes* memorantur; adde Job. I, 14. 1 Reg. XIX, 19. Ita etiam in *Talmud. Hieroſ. in Maſſ. Beruch. c. II. f. 2.* עובדא הוה בהר יהודאי דהוא קאים רדי געת תורותיה קמוי עבר חד ערביי ושמע קלה אל״ בר יודאי כר יודאי שרי תוריך ושרי דהא חריב בית מוקדש *Accidit Judæo cuidam aranti, cum mugiret bos illius. Arabs quidam iter faciens audiit mugitum ejus, dixitque ei: o Judæe, Judæe, ſolve boves tuos, atque aratra tua ſolve, nam ecce vaſtatum eſt templum ſanctiſſimum.* Apud *Græcos* quoque in arando adhibitos teſtatur HESIOD. *εργ. v. 436.*

- - βόε δ' ἐννάετήρω
Ἄρσενε κεκτῆϑαι, (τῶν γὰρ σϑένος ȣ̓κ ἀλαπαδνόν.)
Ἥβης μέτρον ἔχοντε. Τὼ ἐργάζεϑαι ἀρίςω.
Ὀυκ ἂν τώ γ' ἐρίσαντες ἐν ἄυλακι καμμὲν ἄροτρον
Ἄξειαν, τὸ δὲ ἐτώσιον ἆυϑι λίποιεν.

- - *Boves vero duos novennes*
Maſculos comparato, (horum enim robur non imbecille eſt)
Cum ad robuſtam ætatem pervenerunt. Hi ad laborandum optimi.
Non utique hi dimicantes in ſulco aratrum
Fregerint, opus vero imperfectum reliquerint.

Eleganter quoque hoc exprimit HOMER. *Iliad XIII.*

Ἀλλ' ὡς' ἐν νειῷ βόε ὄινοπε πηκτὸν ἄροτρον
Ἶσον ϑυμὸν ἔχοντε τιταίνετον, ἀμφὶ δ' ἄρα σφιν
Πρυμνοῖσιν κεράεσσι πολὺς ἀνακηκίει ἱδρώς.

Nn Sed

Sed ſicut in novali boves nigri compactum aratrum
Æqualem animum habentes trahunt. Circa autem ipſorum
Ima cornua multus erumpit ſudor.

Similiter apud *Romanos* hoc uſitatum, unde TIBULL. *Lib. II. el. II.*

Fortis arat valido ruſticus arva bove.

Et *Eleg. III.*

Agricolæque modo curvum ſectarer aratrum,
Dum ſubigunt ſteriles arva ſerenda boves.

VIRGIL. *Georg. Lib. I.*

Depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro,
Ingemere & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.

Fruges quoque pedibus ſuis terræ inculcabant, ut eo facilius radices agerent, hinc VIRGIL. *Georg. Lib. III.*

Ergo ægre raſtris terram rimantur, & ipſis
Unguibus infodiunt fruges.

Myſtice hoc quoque Doctoribus tribui apte poterit, qui in *agricultura ſpirituali* exercentur. Eccleſia enim Dei externa eſt *arvum* illud myſticum, quod colunt doctores inſtar agricolarum 1 Cor. III, 9. *arant* ſub ſpe, & ſpiritualia ſeminant. 1 Cor. IX, 10. 11. Utuntur prius *vomere legis*, quo corda hominum dura vulnerant, ut ſeria convictione quaſi conterantur, atque ita cum promtitudine animi *ſemen verbi* divini recipere incipiant. Exemplum habemus in Apoſtolis, arvum primitiarum Eccleſiæ N. T. vomere quaſi quodam ſulcantibus, ita ut corda compungerentur converſione ſalutari Act. II, 37. 38. Præparato ergo per convictiones corde, ſemen doctrinæ gratiæ illi inculcant, ita ut radices per benedictionem cœleſtem in pectore agere queat. Matth. III, 7. 8. Eph. III, 15-17. Sic repetitis admonitionibus atque convictionibus ſeriis aſpera atque inculta cordis arva adæquant, omniaque gratiæ operantis impedimenta quaſi removent. Jeſ. LXII, 12.

XVI. 2. Inſuper in *triturandis* excutiendisque frugibus inſignis *boum* olim uſus fuit, cujus veſtigia in ſacris deprehendimus, veluti in loco notiſſimo Deut. XXV, 4. quem Apoſtolus loco noſtro citat. Ex Hoſ. X, 11, & Jer. L, 11. quoque conſtat *boves fœminas in trituratione* adhibitas fuiſſe. Ad modum trituræ per boves alluditur Mich. IV, 13.

Tri-

Tritura, filia Zion, quia cornu tuum ponam ferreum & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos. Singularem de trituræ veterum modis variis tractatum edidit Cl. CHR. SCHOETTGEN. ubi varia *de tritura veterum* ex ſcriptis Judæorum ac gentium adducuntur. Vide etiam BOCHART. *Hieroz. P. I. p. 310. ſq.* FULLER. *Miſcell. Lib. VI. c. XII.* A. PFEIFEFR. *Synt Antiq. Sacr. prodrom. poſ. X. Dec. II. p. m. 50. ſq.* GATAK. *adverſ. p. m. 268. ſq.* Vario autem modo bobus utebantur, vel enim *ploſtello* Jeſ. XXVIII, 27. 1 Par. XXII, 20. Jeſ. XXV, 10. adjungebant boves, quo excutiebant grana, vel *tribuli* genere utebantur junctis jumentis, quod מורג dicitur Jeſ. XLI, 15. 1 Reg. VII, 29. vel etiam *pedibus* boum excutiebant. Ita KIMCHI *ad Jer. L, 11.* כעגלה שהיא דשה שהיא אוכלת מרישה כל היום *Sicut bos triturans, quæ per totam diem comedit de frugibus.* Apud Græcos quoque boves adhibitos poëtarum princeps *Iliad. XX.* docet *p. m. 368.*

> *Ὡς δ' ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπους,*
> *Τριβέμεναι κρῖ λευκὸν ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ:*
> *Ῥίμφα τε λέπτ' ἐγένοντο βοῶν ὑπὸ πόσσ' ἐριμύκων.*
> *Ut ſi quis ſubjugavit boves mares latifrontes,*
> *Ad triturandum hordeum album rotunda in area,*
> *Citoque tenuia fiunt ſub pedibus boum mugientium.*

Huc pertinet locus XENOPHONTIS *œcon. p. 681.* quem citat Cl. RAPHEL. *p. m. 226.* Apud *Romanos* quoque boves in triturandis frugibus adhibitos, docet *Varro* & *Columella* cum aliis. Hodie apud Orientales id adhuc obſervari teſtantur OLEAR. *in itinerar. Perſ. Lib. IV.* THEVENOT. *Itin. P. II. Lib. I. cap. 5.* alii. Triturantes ergo boves, libere comedentes fruges, ſæpe maxime pingues erant, licet ab avaris ſæpe *capiſtro injecto* prohiberentur a paſtu inter triturandum, uti Cel. BOCHARTUS aliique, quos citat Cel. WOLF. *ad 1 Cor. IX.* docuere. Ad hosce boves alluditur *Mal. IV, 2.* quando promittitur timentibus nomen Jehovæ, quod *exituri ſint* & pingues futuri inſtar עגלי מרבק *vitulorum in vinculo triturantium*, qui *exeuntes* ex area & vinculis, *pingues facti* inter triturandum, ut docuit CHALDÆUS ad h. l. vide quæ prolixe BOCHART. *de h. l.* commentatur l. c.

Doctores quoque Evangelii triturant ſenſu myſtico, inſtar boum,

 quan-

quando ſenſum myſticum & ſpiritualem literæ verbi Dei rimantur atque animabus fame ſpirituali præditis inſtar cibi dulciſſimi enucleant. 2 Cor. II,17. IV,2. 1 Cor. IV,1. *Paleam* quoque a *frumento* ſolido per trituram myſticam diſcernunt, dum diſtincta veritatis prædicatione errores perverſos atque præjudicia vana diſſipant, atque convincente applicatione veritatem, tanquam ſemen regenerationis purum, cordi inſinuant. Jer. XXIII,28. Media ergo & inſtrumenta exiſtunt, quibus utitur Spiritus S. ut involucra legis explicentur, & doctrinæ ſalutaris ſemina inde meditatione ſincera ac ſancta eliciantur, eaque in corda auditorum tanquam *horrea* quædam ſacra colligantur.

XVII. 3. Porro *in plauſtris & oneribus vehendis* inſignem operam præſtabant tauri ſive boves. Hoc teſtatur locus HESIOD. ἐργ. v. 453.

Ῥήϊδιον γὰρ ἔπος εἰπεῖν, βόε δὸς καὶ ἅμαξαν.
Ῥήϊδιον δ' ἀπανήνασθαι παρὰ δ' ἔργα βόεσσιν.
Facile enim dictu eſt, par boum da & plauſtrum.
Facile autem recuſare & dicere, boves occupati ſunt.

VIRG. *Georg. Lib. II.*

- non ullo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere plauſtra juvencis.

Et *Lib. III. circa fin.*

Ergo ægre raſtris terram rimantur & ipſis
Unguibus infodiunt fruges, monteſque per altos
Contenta cervice trahunt ſtridentia plauſtra.

Similiter HERODOT. *Lib. I* ſcribit: οἱ δέ σφι βόες ἐκ τοῦ ἀγροῦ οὐ παρεγίνοντο ἐν ὥρῃ. ἐκκληιζόμενοι δὲ τῇ ὥρῃ οἱ νεηνίαι, ὑποδύντες αὐτοὶ ὑπὸ τὴν ζεύγλην εἷλκον τὴν ἅμαξαν. *Boves vero non præſto erant ex agro ad horam, tum juvenes excluſi tempore jugum ipſi ſubeuntes plauſtrum pertraxerunt.* Conf. loca quæ adducit Cel. BOCHART. *l. c. p. 311.* & SCHEFF. *de re vehic. P. II. p. 250. & paſſim.* qui p. 86. etiam in honoratiorum curribus boves adhibitos fuiſſe docet. *Onera* quoque portabant, unde PHILE *de anim. propr. cap. XLVI.*

Πάγχρηστον ἡ βοῦς, καὶ κομίζει φορτία.
Ad omnia aptus bos, etiam onera geſtat.

Fi-

Figura denuo hac in re boves ſunt Doctorum Evangelii, qui ad quatuor animalia ſimul pertinent, quibus *currus* Jehovæ bajulatur & per totam quaſi terram promovetur, Ezech. X, 16. 17. Eccleſia enim Dei, quæ eſt *currus Dei Aminadab*, cui inſidet Chriſtus, tanquam Princeps & Dux ſalutis triumphans, a Doctoribus tanquam equis majeſtatis Jehovæ, quorum tintinnabulis קדש ליהוה inſcriptum legitur, dirigitur ac per orbem extenditur, Cant. VI, 12. Zach. XIV, 20. 21. Pſ. CX, 3. *Onus* quoque Eccleſiæ portant Doctores, quatenus curam pro animarum ſalute ſuſcipiunt, ſat grave & arduum onus, 2. Cor. XI, 28. Gal. VI, 2. Hebr. XIII, 17. Portant vaſa Jehovæ Jeſ. LII, 11. & *onus* Domini, quod leve eſt, Matth. XI, 29. mandata verbi divini, quæ ipſis impoſuit Jeſ. XIII, 1. Jer. XXIII, 33. Portant quoque *onus tentationum* ac perſecutionum, ob teſtimonium veritatis a mundo ipſis impoſitum, 2. Cor. XI, 27. 28. Apoc. II, 24.

XVIII. 4. *Boves* inter primarias veterum *divitias* referendi ſunt, quare & *dona pretioſiſſima* exiſtebant. Inter benedictiones divinas ac divitias Patriarcharum jumenta & boves recenſentur Gen. XXIV, 35. Exod. XX, 17. conf. etiam Exod. IX, 3. ubi in Pharaonis divitiis apparent, Joſ. VII, 24. & alia loca. Inſignis quoque hanc in rem locus eſt apud PAUSAN. *in Meſſen. S. Lib. IV. p. m. 285.* Ἐσπουδάκεσαν δὲ ἄρα οἱ τότε πλοῦτόν τινα συλλέγεσθαι τοιοῦτον ἵππων καὶ βοῶν ἀγέλας. Ἐι δὴ Νηλεὺς τε γενέσθαι οἱ βοῦς ἐπεθύμησε τὰς Ἰφίκλου καὶ Ἡρακλεῖ κατὰ δόξαν τῶν ἐν Ἰβηρίᾳ βοῶν προσέταξιν Ἐυρυσθεὶς ἐλάσαι τῶν Γηρυόνου βοῶν τὴν ἀγέλην. Φαίνεται δὲ καὶ Ἔρυξ τότε ἐν Σικελίᾳ δυναστεύων, δριμὺν οὕτως ἔχων ἐς τὰς βοῦς τὰς ἐξ Ἐρυθείας ἔρωτα, ὥστε καὶ ἐπάλαισε πρὸς τὸν Ἡρακλέα, ἆθλα ἐπὶ τῇ πάλῃ καταθέμενος τάς τε βοῦς ταύτας καὶ ἀρχὴν τὴν ἑαυτοῦ· πεποίηκε δὲ καὶ Ὅμηρος ἐν Ἰλιάδι, ὡς Ἰφιδάμας ὁ Ἀντήνορος τὰ πρῶτα τῶν ἕδνων, ἑκατὸν βοῦς τῷ πενθερῷ δοίη. Ταῦτα μὲν τὸν λόγον μοι βεβαιοῖ, βουσὶ τοὺς τότε μάλιστα χαίρειν ἀνθρώπους. *Fuit hoc præcipuum illis temporibus* divitiarum *ſtudium luculenta habere equorum atque boum pecuaria. Nam præterquam quod Iphicli boves Neleus expetivit, Herculi etiam imperavit Eriſteus, ut ex Hiſpania boves, quas eximia ibi ſpecie eſſe compererat, ad ſe abigeret. Ejusdem pecoris ex Erythrea abacti mira cupiditate incenſum fuiſſe Erycem in Sicilia, ex eo conſtat, quod cum in luctæ certamen cum Hercule deſcendiſſet,*

ſet, hinc Herculis boves, illinc Erycis regnum præmia victori propoſita fuerint. Teſtatum etiam in Iliade reliquit Homerus, Iphidamantem Antenoris filium boves centum ſponſalitium munus ſocero ſuo dediſſe. Quæ omnia ſatis perſpicuo argumento ſunt, bobus inprimis priſcos illos homines fuiſſe delectatos. Quare etiam *præmia* victorum ſat ſplendida apud antiquos habebantur boves. Ita LIVIUS *hiſt. Lib. VII.* de Decio memorat: *COS. advocata concione P. Decii non cœptas ſolum ante, ſed cumulatas nova virtute laudes peragit. Et propter militaria alia dona, aurea corona eum & centum BOBUS, eximioque uno albo opimo auratis cornibus donat.* Plura de his præmiis vide apud PASCHAL. *de Coron. Lib. VII. cap. VII. p. m. 477.*

Et inter ſingulares Eccleſiæ a Deo promiſſas benedictiones etiam pertinet ingens Doctorum numerus, quemadmodum Pſalm. LXVIII, 12. המבשרות צבא רב *ingentem exercitum Evangeliſtarum* promittit populo ſuo Jehova exercituum, & Jer. III, 15. רועים כלבי *paſtores ſecundum cor ſuum*, qui doctrina ac ſapientia paſcent populum Dei. Et quando privilegia populi Dei, & beneficia ſingularia a Deo fœderato ipſis conceſſa, præ aliis orbis populis, recenſentur in ſacris, *Servorum Dei* ac *Prophetarum* miſſio ac conceſſio Iſraeli facta tanquam primarium conſideratur, Jer. VII, 25. XXV, 4. XXVI, 5. XXIX, 19. XXXV, 15. XLIV, 4. Pſ. CV, 26. adde Jeſ. XL, 9. Joel. II, 23. Hebr. XIII, 7. Jer. XXIII, 4. Maledictio autem graviſſima eſt, quando Doctores avolant ac candelabrum hac ratione loco ſuo movetur, Jeſ. XXX, 20. Apoc. II, 5. atque ſignum iræ atque excandeſcentiæ Jehovæ, quando Doctoribus deſtituitur populus & Eccleſia, Pſ. LXXXIV, 9. Hoſ. III, 4.

XIX. b. Paucis addamus *uſum* quoque *ſacrum* Boum apud antiquos. Sc. *ſigna divinitatis* in tauris atque bobus obſervabant veteres, quare Deos ſuos ſæpius ſub *forma bovis* coluiſſe leguntur. Ita Ægyptii Apim ſub bovis figura venerabantur, unde PLIN. *Lib. VIII. cap. XLVI. Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur, Apim vocant.* & Oſiridem teſte PLUTARCH. *in Iſid.* οἱ ἱερεῖς βοῦν διάχρυσον ἱματίῳ μέλανι βυσσίνῳ περιβάλλοντες, ἐπὶ πένθει τῆς Θεοῦ δεικνύουσι. Βοῦν γὰρ Ὀσίριδος εἰκόνα νομίζουσιν. *Sacerdotes bovem auratis cornibus nigro amictu byſſino induentes in luctu Deæ (Iſidis) oſtentant. Bovem enim putant Oſiridis imaginem.* Plura vide de

de Boum cultu ſacro apud PIGNOR. *de Menſ. Iſiac. p.28.38.* & paſſim. Cl. ZORN. *Bibl. Ant. Exeg. p. 661. ſq.* BOCHART. *l. c. p. 339. ſq.* alios. *Soli* quoque ſacros eſſe boves, patet ex HOMER. *Odyſſ. XII.*

> Βόσκοντ' Ἠελίοιο βόες καὶ ἴφια μῆλα,
> Ἑπτὰ βοῶν ἀγέλαι.
>
> *Paſcuntur Solis boves, & pinguia pecora,*
> *Septem boum armenta.*

In *Sacrificiis* autem uſus ſacer frequentiſſimus erat *boum* apud Hebræos æque ac alias gentes. Ex ſacris conf. Lev. III, 1. IV, 10. IX, 19. XXVII, 26. Pſ. LI, 21. Hoſ. XIV, 3. Num. VII, 3. Deut. XVII, 1. 2. Par. XV, 11. 2. Sam. VI, 13. 1. Sam. XI, 7. & loca Exod. Lev. & Num. quamplurima. Prolixe quoque de hoc uſu agit BOCHART. *l.c. Cap. XXXIII. tot. p. m. 318. ſq.* In *holocauſtis*, *pacificis* & *propitiatoriis* ſacrificiis bos ex lege divina adhibebatur. *Jugulabatur* autem bos ferro, atque *excoriabatur*, *ſanguisque patera* excipiebatur a ſacerdote. Ita de juvenco diei expiationis legitur *Joma Cap. IV. §. 3.* שחטו וקבל במזרק את דמו ונותנו למי שהוא ממרס בו על הרובד רביעי שבהיכל כדי שלא יקרוש. *Jugulabat ipſum & patera excipiebat ſanguinem, dabatque ei, qui miſcebat eum ſuper ſcamnum quartum, quod erat in ſanctuario, ne concreſceret.* Idem apud *gentes* obſervatum, teſte HOMER. *Iliad. I.*

> — Καὶ ἔσφαξαν, καὶ ἔδειραν,
> Μηρούς τ' ἐξέταμον.
> *Et jugularunt atque excoriarunt, femoraque ſecuerunt.*

Et *Odyſſ. III.*

> — πέλεκυν δὲ μενεπτόλεμος Θρασυμήδης
> Ὀξὺν ἔχων ἐν χειρὶ παρίστατο, βοῦν ἐπικόψων.
> Περσεὺς δ' ἀμνίον εἶχε.
> *Adſtabat autem bellicoſus Thraſymedes acutam*
> *Securim manu tenens, bovem mactaturus,*
> *Perſeus autem vas habebat* (ad ſanguinem excipiendum.)

Plura addere tædet, quæ paſſim apud SAUBERT. *de ſacrificiis*, BOCHARTUM *l. c.* LOMEIER *de luſtrat.* aliosque reperiantur.

Docto-

Doctoribus hoc quoque applicabis cum emphaſi, qui *ſigna divinitatis* in terra gerunt; utpote imagine Dei ornati, ejusque in terra Legati exiſtentes; hos enim qui ſpernit atque contemnit, Deum ipſos ablegantem ſpernere dicitur, Luc. X, 16. Miniſtri Deo ſacri exiſtunt 1. Cor. IV, 1. qui nomen Dei gerunt in frontibus ſuis, Apoc. XXII, 4. in ſignum majeſtatis divinæ, quæ per ipſos manifeſtanda eſt. Sed & *ſacrificio* Dei ſui ſe mancipant, dum corpus ſuum Deo vivum ſiſtunt ſacrificium εὐχαρίςικον, & vitam ſuam pro veritate ponunt, Rom. XII, 1. Phil. II, 17. tanquam pecudes altiles ſæpe mactantur Deo in ſacrificium gratum, Rom. VIII, 36. *Jugulantur* enſe ac cultro hoſtium veritatis & tyrannorum regno Chriſti adverſariorum; *excoriantur*, dum bonis, privilegiis & externis titulis ſæpe ob veritatis teſtimonium privantur, Apoc. XI, 7. 8. XX, 4. 5. 6. *Sanguis* tamen martyrii eorum non perit, ſed adſervatur in memoria Eccleſiæ, & tanquam ſemen converſionis aliorum exiſtit. Sanguine enim fundata eſt Eccleſia, ſanguine ſuccrevit, ſanguine finis erit.

XX. Beatum ergo populum prædicamus, cujus boves in labore, agricultura ac tritura myſtica indefeſſo ſtudio pergunt. Sed & heic exclamare licebit: *Meſſis eſt largiſſima, ſed pauci ſunt operarii*, Luc. X, 2. ſc. qui ſedulo atque ex ſcopo puro agrum Eccleſiæ colunt. Multi ſane ſuperſunt in Eccleſia externa Doctores carnales, qui *boum* qualitates pravas imitantur & minime bonas. Qui *boum* altilium inſtar ſaginantur pinguedine, ventrem ſuum pro Deo colunt, Phil. III, 19. & turpiſſimi lucri cauſſa operantur, 1. Petr. V, 2. Qui *vitulorum* inſtar in vanitatibus hujus orbis vivunt & absque ſuſcepto jugo Chriſti, obedientiæ ſinceræ, in licentia carnis pergunt, ſuoque indulgent genio. Qui *ſtimulo verbi*, quod annuntiant aliis, conſcientiæ & judiciorum divinorum incitati, *recalcitrant*, & eo magis in ſocordia ac induratione cordis perſeverant. Certe hi boum inſtar ſaginantur bonis hujus mundi ad diem iræ & judicii, qui igne excandeſcentiæ Jehovæ aliquando inſtar ſacrificii vindictæ ejus conſumentur, Lev. X, 2. 3.

Sed & dolendum eſt, *agrum* Eccleſiæ inter tot labores atque ſudores *boum myſticorum* nihilominus ſterileſcere & paucis frugibus oppleri. Superſunt ſane adhuc Doctores, quibus animæ gregis curæ cordique ſunt, & qui *vomere* convictionum ac reprehenſionum corda dura *ſulcare*, atque

per

per veræ reſipiſcentiæ ſtudium conterere ſatagunt. Sed lapides & ſaxa ſæpe arant, fruſtraneoque operantur conatu; dum acutiſſimæ convictionum *ſtivæ* hebeſcant & penetrare haud valeant. Sic ſemen verbi gratiæ ſpargitur, ſed in agrum petroſum, ubi radices agere nequit: Serio quidem veritatem inculcare cordi animoque ſtudent præcones Evangelii, ſed quis eſt, qui recondat eam in corde puro atque contrito? In *tritura* quoque haud ſegnes exiſtunt hi boves myſtici, dum corticem enucleare & pabulum animæ myſticum puriſſimum animabus exhibere nunquam non operoſi ſunt, ſed quis delectatur hoc tritico? Non mirum ergo, Doctores genuinos triſtes ſæpe ad æthera voces emittere: *Quis recipit fide præconium noſtrum, & cui brachium Jehovæ revelatur?* Jeſ. LIII, 1.

Aſt nondum deſperemus, o σύζυγοι καὶ σύνεργοι fideles, *meſſis* nobis promiſſa eſt & ſimul præmium largiſſimum. Pergamus novo ſemper animo, quamvis labor ſit difficilis & arduus. Diſtinguamus nos vita ac converſatione noſtra a *bobus refractariis* in opere Domini. Manifeſtemus radios majeſtatis divinæ ſanctiſſima confeſſione ac vita, qui tanquam *cornua* noſtra exiſtunt, quibus robuſti exiſtimus in Domino ejusque virtute. Pateat coram oculis mundi, *ungulis* nos *diviſis* incedere, greſſu in viis Dei firmato ac minime vacillante, Hebr. XII, 12. *Ruminemur* diu noctuque veritates ſalutis, in verbo Dei revelatas, ut & alios illis ineſcare valeamus. *Mugitu* intrepido attollamus vocem noſtram absque intermiſſione, peccata populis reprobantes atque judicia Dei noſtri denuntiantes; & inter varia pericula & tentationes ſuſpiria ſurſum mittamus, unde robur nobis atque auxilium exſpectandum eſt. *Duces* exiſtamus gregis noſtri non doctrina ſolum, ſed & vita ac converſatione decenti, imo conſiliis ſalutis. *Jugum* obedientiæ Chriſti atque perſecutionum mundi lubentes ſuſcipiamus cum patientia, ſecuti Ducem ſalutis noſtræ, Heb. XII, 2.3. Si *ſtimulo* ſuo nos incitat Dominus, ne recalcitremus per impatientiam, ſed novo zelo incendamur. *Delicias* noſtras in *paſcuis* verbi gratiæ & ſalutis noctu diuque quæramus. Præcipue *laboribus* haud parcamus, *colamus*, *ſulcemus*, *conteramus agrum* cordium, *ſemina* verbi gratiæ ſpargamus, inculcemus, irrigemus, ut *fruges* proferat reſipiſcentia dignas. Non in *cortice* hæreamus, ſed *nucleum* Spiritus exhibeamus

gregi noſtro. Offeramus vires vitamque Deo in ὁλοκαύτωμα, & ſic poſt *labores* exantlatos aliquando in domicilio cœleſti æterna *quiete* fruemur.

EXERCITATIO V.
DE
FULGURIBUS,
EX THRONO DEI PRODEUNTIBUS, SYMB. VERBI DIVINI.

Apoc. IV, 5.

ARGUMENTUM.

Locus Apoc. IV, 5. excutitur, atque alludi ad Legis antiquæ in Sinai promulgationem docetur, ſimulque per fulgura Evangelii præconium depingi aſſeritur §. I. FULMINA emblema eſſe tum præſentiæ & providentiæ divinæ, tum heroum ac Imperatorum fortiſſimorum, tum armorum ac ſagittarum, tum graviſſimorum judiciorum, tum denique eloquentiæ ac præconii efficacis, probatur §. II. ubi ſimul Βοανεργὲς *explicatur. Præconii Evangelici fulgur Symb. eſſe per analogias oſtenditur, quatenus fulmen ex cœlo deſcendit atque nubibus. §. III. Materia ejus eſt ignea & ſubtilis, §. IV. inſuper ſplendore ſingulari præditum, §. V. & ſumma celeritate propellitur, quare alatum dicitur. §. VI. Porro ſingularis eſt efficaciæ, quum omnia penetret & liquefaciat. §. VII. Nec non ſtridore ſuo miro hominibus ac beſtiis terrorem incutiat. §. VIII. Cœlum, terram atque mare commoveat, nimbosque ac procellas habeat comites ſæpe horrendos. §. IX. Altiſſimas quoque arbores proſternat, turres ac domos incendat. §. X. In Dei præcipue manu ac poteſtate fulgura poni in ſacris & profanis ſcriptis, atque eapropter in loco noſtro illa e throno Dei prodeuntia conſiderari, exponimus §. XI. Sanctum præterea habebatur fulmen, quare ara ei exſtru-*

exſtructa apud gentes, & loca fulmine tacta ſacra erant, juxta §. XII. Fœdera ſolennia fulmine ſanciri & confirmari ſolebant §. XIII. Ultimo denique loco boni atque mali ominis fulgura apud antiquos fuiſſe, docemus §. XIV. & morali epilogo finem imponimus huic Exercitationi §. XV.

I.

CIrca thronum gloriæ Dei & agni obſervat Ὁραματόσκοπος ſacer *FULGURA, tonitrua & voces*, ΑΣΤΡΑΠΑΣ, βροντὰς καὶ φωνὰς, Apoc. IV, 5. Plerique quos inſpicere licuit Interpretes vel de judiciis Dei graviſſimis, quorum Symb. *fulgura* & *tonitrua* ſunt, vel de ſignis præſentiæ & majeſtatis divinæ hæc emblemata exponunt. Verum quum manifeſto his vocibus alludatur ad Legislationem in Sinai monte, ubi קל שופר חזק & קולות ברקים *tonitrua, fulgura & vox tubæ vehementior* memorantur Exod. XIX, 16. Et hanc ob cauſam Deuter. XXXIII, 2. בימינו אש דת in manu Dei dextra *Lex ignea* ſeu *ignis edictalis* eſſe dicitur, alluſione ad *fulgura* facta; uti Jovi ſuo gentes fulmina in dextra ponebant. Atque inſuper illico memorentur *VII. Lampades*, quæ Spiritus S. emblema exiſtunt, ut extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, melius *verbum veritatis* Evangelii ejusque præconium, tanquam antitypum Legis antiquæ & quod arctiſſimo nexu in ſcriptis ſacris cum Spiritus S. operationibus jungitur, Jeſ. LIX, 21. intelligi poſſe cenſemus. Diſtingui hac ratione apte poterunt hæ voces, ut *fulmina* vim illuminantem hujus veritatis, *tonitrua* commotionem ac judicia graviſſima Dei, per illam in hoſtes denuntiata, & *voces perſuaſiones* animarum per ejus *præconium* perſpicuum indicari queant. Quoniam vero hæc fulgura *ex throno* Dei exire dicuntur, qui erat in adyto, proxima forte alluſio deſumta eſt a phænomenis *Columnæ nubis & ignis*, quæ in throno ſanctuarii conſpicua, & ſignum majeſtatis Dei Legislatoris erat. Quæ etiam ob radios ignis fulgura edens concipi poterat, & in monte Sinai itidem apparuiſſe videtur. Et *ſcopus* hujus viſionis huc collineat, qui erat oſtendere ſequelas exaltationis Meſſiæ in thronum gloriæ, quas præcipue in Eccleſia ſua erat manifeſtaturus.

II. *FULGURA*, quæ hoc loco excutere libet, ampliſſimo ſenſu in hieroglyphica veterum eloquentia gaudent.

a. Fulgur frequentiſſimum olim *præſentiæ Numinis* ejusque *majeſtatis* ſymbolum *providentiæ*, ac *divinitatis* indicium habebatur. Ita fulgura tanquam majeſtatis divini Legislatoris ſigna in Sinai monte obſervamus, Exod. XIX, 16. XX, 18. & in viſione illa Ezech. I, 13. 14. Manifeſto hoc quoque docet JOSEPH. *Antiq. Lib. III. cap. IV. p. 77.* Ἀστραπαί τε ἦσαν φοβεραὶ τοῖς ὁρῶσιν καὶ κεραυνοὶ κατενεχθέντες ἐδήλουν τὴν παρουσίαν τοῦ Θεοῦ. *Fulgura terrebant videntes & fulmina demiſſa ſignificabant præſentiam Dei.* Conf. loca varia apud Cel. ELSNERUM ad Act. IX. huc referenda. Quare & Symb. *poteſtatis Deorum* atque *imperii* apud gentes exiſtebant, uti liquet ex ARISTOPH. *Plut. Act. I. ſc. 2.*

Ἀληθες, ὦ δειλότατε πάντων δαιμόνων,
Οἴει γὰρ εἶναι τὴν Διὸς τυραννίδα,
Καὶ τοὺς κεραυνοὺς ἀξίους τριωβόλου
Itane vero, o meticuloſiſſime omnium,
Sed cenſen' tu illud imperium magni Jovis,
Et fulmina ejus digna vel teruncio.

In nummis antiquis *Providentiæ* Deorum emblema ſunt, uti liquet ex nummo, quem exhibet CHOUL. *de Relig. des anc. Rom. p. m. 286.* ubi *fulmina* alata apparent cum epigraphe: S. C. PROVIDENTIÆ DEORUM. Quare Ptolomæus ΚΕΡΑΥΝΟΝ ſe appellavit in nummis, divinum ſibi arrogans honorem, ut docuit Ill. SPANHEM. *in Diſſ. de Num. uſu & præſt. p. m. 392.* Et apud BEGER. *Theſ. Num. Imp. Rom.* Tab. XI. n. 8. exhibetur *fulmen* Symb. imperii Auguſti cum epigr. Q. SALVIUS IMP. COS. DESIG.

b. Symbolum quoque fulmen eſt *Heroum* atque belli *Ducum*, imo *Imperatorum*, qui *Fulmina belli* appellari ſolebant. Sic Nah. II, 4. de hoſtibus dicit Vates, quod *Fulminum inſtar* perrupturi ſint. Huc refer etiam locum ex *Hamaſa*, apud SCHULT. ad HARIR. *p. 104.*

شهابان منا اوقدا ثم اخمدا
وكان سنا للمدلجين سناهما

Duo fulmina belli e nobis accenſa, mox exſtincta ſunt,
Quorum fulgor noctu viantibus prælucebat.

HESIOD.

HESIOD. *in ſcut. Herc. v. 321.* de heroë canit:

- ἐπὶ δ' ἱππείȢ θόρε δίφρȢ,
Εἴκελος ἀστεροπῇ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο
- *equeſtrem vero aſſiliit in currum,*
Similis fulguri Patris Jovis, ægida tenentis.

EURIPID. *in Rheſ. v. 673.*

- - τί μέλλετε
ΣκηπτȢ πιόντος πολεμίων, σῶσαι βίον
Quid cunctamini, fulmine veniente hoſtium,
ſervare vitam.

Apud PAUSAN. *Lib. X. in Phocic. p. m. 644.* Ptolomæus dicitur ἔχειν ἐπίκλησιν ΚΕΡΑΥΝΟΣ διὰ τὸ ἄγαν τολμηρὸν, *habere cognomen FULMINIS ob audaciam* ſingularem in bello, uti & LUCRET. *Lib. III. Scipiadas belli fulmen*, & VIRGIL. *Lib. VI.*

- - *geminos duo fulmina belli*
Scipiadas

memorant, ut ab aliis jam eſt obſervatum. Clearchus filium ſuum ΚΕΡΑΥΝΟΝ appellaſſe ſcribit PLUTARCH. *Orat. II. de virt. Alex.* Similiter apud STAT. *Theb. IV.* & SIL. ITAL. paſſim heroes *FULMINEI* dicuntur. L. FLOR. *de Cæſare* ſcribit *Lib. IV. cap. II.* quod *fulminis inſtar* Pharnacem obtriverit. Adde quæ adducit Ill. SPANHEM. *l. c. p. 395. ſq.*

c. Sed & *armorum, enſium, ſagittarum* atque telorum in bellis vibratorum emblema eſt *fulmen.* De Neptuni enſe canit HOMER. *Iliad. Lib. XIV.*

Δεινὸν ἄορ τανύηκες ἔχων ἐν χειρὶ παχείῃ
Ἴκελον ἀστεροπῇ.
Horrendum enſem longum habens in manu forti,
Similem fulguri.

De telis VIRGIL. *Lib. IX. Æneid.*

Sed magnum ſtridens contorta phalarica venit
Fulminis acta modo.

Quare & *fulmen* in nummis *belli* inſigne eſſe, docuit BEGER. *in Comm. ad Tab. VII. n. 10. Num. Imp. Rom.*

d. Inſuper *graviſſimorum judiciorum* ac calamitatum figuram exhibent fulgura. Sic Pſ. XVIII, 15. *Emittens tela, diſpergit illos, & fulgura jactans fundit illos.* Et Pſ. LXXVII, 19. *Illuſtrant fulgura tua orbem, contremeſcit terra commota.* coll. Pſ. CXLIV, 6. Hoc ſenſu etiam *voces, tonitrua, fulgura & terræ motus* Apoc. VIII, 5. XI, 19. XVI, 18. occurrunt; judicia enim ibi graviſſima deſignari, omnes concedunt fere Interpretes. Adde loca Deut. XXXII, 41. Pſ. XI, 6. 2 Sam. XXII, 13. 15. Hiob. XX, 25. Huc refer locum ex EURIPID. *Phœniſſ. v. 189. ſq.*

Ἰὼ Νέμεσις, καὶ Διὸς
Βαρύβρομοι βρονταὶ
Κεραύνιόν τε πῦρ αἰθαλόεν!
Io Nemeſis & Jovis
Graviter ſonantia tonitrua,
Et ignis fulminis caliginoſe!

Et *in Medea v. 144.*

Αἴ αἶ. διὰ μοῦ κεφαλᾶς φλὸξ ὀυρανία
Βαίη.
Heu, heu, utinam flamma cœleſtis caput meum feriret.

Et pro *lue* periculoſa occurrit apud eundem EURIP. in *Oreſte*, quando ἀςραπὰς νοσώδεις *fulgura morboſa* memorat.

Iræ Symb. eſt apud PROPERT. *Lib. IV. el. 9.*

Fulminat illa oculis, & quantum fœmina ſævit.

Et OVID. *Metam. XIII. v. 857.*

Quique Jovem & cœlum ſperno & penetrabile fulmen
Nerei te vereor, tua fulmine ſævior ira eſt.

e. *Eloquentiæ* denique ſingularis atque *præconii efficaciſſimi* veritatis figuram exhibent fulgura. Sic Jeſ. LI, 4. *Lex prodibit a me, & judicium meum in lumen gentium, ut fulguret faciam.* רגע enim *vibrare fulmen* ex Arabiſmo denotat. Ita plerique inter Patres, quos vide apud SUICERUM, & varii Interpretes recentiores nomen Βοανεργὲς i. e. *filios tonitru*, explicant de efficaci ac arduo myſteriorum ſalutis præconio. Cel. LAMPIUS *in prolegom. ad Joh. T. I. p. 27.* in ſpecie duos Zebedæi filios ita appellari cenſet, quia per verbum Dei a Baptiſta prædicatum erant converſi. Sic quoque Chaldæus verba Zach. IX, 14. vertit: ויהון נפקין כברקין

כברקין פתגמוהי *Et fuerunt ſicut fulgura verba ejus.* Similiter apud profanos auctores *verborum eloquentia* fulguri adſimilatur. De Lolliano Sophiſta ſcribit PHILOSTRAT. *de vita Soph. Lib. I. n. 23.* διαφαίνονται δὲ τȣ̃ λόγȣ καὶ λαμπρότητες, λήγȣσαι ταχέως, ὥσπερ τὸ τῆς ἀστραπῆς σέλας. *In ejus autem oratione ſplendida quoque dicta elucent, fulgetri coruſcantis ad inſtar micantia.* Et ARISTOPH. in *Nub. Act. I. ſcen. IV.*

Νικᾷν, πράττων καὶ βȣλεύων, καὶ τῇ γλώττῃ πολεμίζων

Quod *Friſchlinus* vertit:

Vincere agendo, conſultando, bellando fulmine linguæ.

Clarius id liquet ex ejusd. ARIST. *Acharn. Act. II. ſc. V.* ubi de Pericle:

Ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα,
Ἐτίθει νόμȣς
Fulgurabat, tonabat, omnem Græciam miſcebat,
Leges dabat.

De eodem LUCIAN. *in Demoſth. encom. Opp. T. I. p. m. 898.* ἱκανή γ᾽ ἂν σοι ȣ̓δ᾽ ἡ Περικλέȣς. ἐκείνου μέν γε τὰς ἀστραπὰς καὶ βροντὰς, καὶ πειθȣ̃ς τι κέντρον δόξῃ παραλαβόντες. *Hic ſatis erit eum cum Pericle conferre. Nam illius fulgura, tonitrua & aculeos relictos in animis audientium fama tantum accepimus.* Vide CICER. *Lib. III. de orat.* & VALER. MAX. *in exempl.* PLUTARCH. QUINTILIANUM & alios Ita CICER. *Lib. IX. ep. XXI. verborum fulmina* appellat. Conf. loca a Cel. LAMPIO de *tonitru* ejusdem Symbolo, adducta *in prolegom. ad Joh. c. l.*

III. Quam eleganter autem præconium Evangelii ſub *fulguris* emblemate depingatur, ſequentes confirmabunt analogiæ.

1. Si *originem* fulguris conſideres, illud *cælo* deſcendit ex *nubibus*, quare a Jove ſummo mitti & expelli fulgur credebatur ab antiquis. Sic ARISTOPH. *in nub. Act. I. Scen. IV.*

Ἀλλ᾽ ὁ κεραυνὸς πόθεν αὖ φέρεται λάμπων πυρὶ τȣ̃το δίδαξον,
Καὶ καταφρύγει βάλλων ἡμᾶς, τȣ̀ς δὲ ζῶντας περιφλύει.
Τȣ̃τον γὰρ δὴ φανερῶς ὁ Ζεὺς ἵησ᾽ ἐπὶ τȣ̀ς ἐπιόρκȣς.
Sed quæſo unde ignitum iſtud fulmen decidit? hoc doceas me.

Nam

Nam feriens nos & frigore percellit & amburit, & æquus
Jupiter hoc ipſum in perjuros celſa jaculatur ab arce.

Nubibus illud tribuit ARISTOPH. *in nub. Act. ſc. III.*

Λαμπρός τ' αἰθὴρ, σεμναί τε Θεαὶ νεφέλαι βροντησικέραυνοι
Ἄρθητε, φάνητ'.
O rutile æther, o venerandæ nubes, quæ fulmina vento
Mittitis, attollimini, apparete.

Et LUCIAN. *in Timon. p. m. 91.* Καὶ ἡ ἀστραπὴ συνεχὲς, ὥσπερ εἰς ἀκροπολισμὸν, προηκοντίζετο. *Fulgur continenter jaculorum in morem denſiſſime ex ſumma arce devolantium torquebatur.* Quare NONNO *in Dionyſ.* αἰθέρος ὀρχηστὴρ *ætheris ſaltator* dicitur. Huc reſpicitut in *hiſt. Tamerlan. p. 195.*

كما لبرقت قوما عطاشا غمامة
فلما راعوها اقشعت و تجلت

Ut, ſi fulgurat populo ſitienti nubes,
At ubi eam viderunt, vento pulſa diſcutitur.

Origo quoque veritatis Evangelicæ eſt cœleſtis. A Deo ſupremo ortum ducit, quippe a cujus dextra lex hæc ignea eſt Deut. XXXIII 2. præprimis derivanda eſt ex nube gratiæ divinæ & meritorum Salvatoris noſtri Jeſ. LV, 1. 2. ex fonte hoc ſalutis hauritur doctrina gratiæ Jeſ. XII, 3. quare doctrina Chriſti appellatur 2 Joh. v. 9. 10. Eapropter etiam virtus Dei ac ſapientia divina dicitur 1 Cor. I, 24. ſapientia, quæ eſt ἄνωθεν Jac. III, 17. cujus theſauri in fonte meritorum Salvatoris noſtri recluſi ſunt, Col. II, 3. ex cujus plenitudine prorumpunt hæc fulgura myſtica, atque cor peccatoris illuminant. 2 Cor. IV, 4-6.

IV. 2. *Materia* fulguris *ignea eſt*, & quidem ignem continet ſatis ſubtilem, cujus mira eſt efficacia, & miri exiſtunt effectus, quare *igneum, ardens & flammiferum* audit apud ſcriptores. Sic ap. PINDAR. *in Nem.*

Ζεὺς δ' επ' Ἴδᾳ πυρφόρον πλᾶξε ψολόεντα κεραυνόν.
Jupiter in Ida flammiferum & fumidum agitavit fulmen.

THEOCRIT. *Idyll. XXVII.*

Αὐτὸν δὲ φλογέῳ συνέφλεξε κεραυνῷ.
Ipſum vero flammeo fulmine combuſſit.

HE-

HESIOD. *Θεογον v. 707.*

Βροντήν δὲ, στεροπήν τε, καὶ αἰθαλόεντα κεραυνὸν,
Κῆλα Διὸς μεγάλοιο.
Tonitru & fulgur, fulmenque ardens,
Tela Jovis magni.

LUCIAN. *in Timon. p. 90.* τὴν τοῦ πανδαμάτορος κεραυνοῦ φλόγα, *flammam fulminis omnia ſubigentis* appellat. Quare *ignes* appellantur fulmina, VIRGIL. *Lib. I. Æneid.*

Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther.

Et verbum Dei *ignis* inſtar eſt, teſte Spiritu S. Jer. XXIII, 29. quoniam ſingularis eſt efficaciæ ad conſcientiam hominis excitandam, & cor ejus penetrandum, Act. II, 37. qualem experiebatur Felix ſub præconio Pauli, Act. XXIV, 25. nec non Agrippas, Act. XXVI, 27. 28. Accendit inſuper pectus, frigore torpens, amore ſacro veritatis, atque ipſius Dei; παιδεύει enim ita, ut zelo ſancto ſimul pectora inflammet, Apoc. III, 19. Telorum inſtar igneorum interiora pectoris compungit ac penetrat, Pſ. XLV, 6. Purum quoque inſtar ignis hoc verbum eſt, Pſalm. XII, 7. originem ducens ex Luce puriſſima & fonte omnis lucis, Deo, Pſ. XXXVI, 10.

V. 3. Fulminis inſuper *ſplendor* ſingularis notandus eſt, cujus virtute longe lateque per orbem conſpicitur atque manifeſtum ſe reddit. Quare Pſ. LXXVII, 19. dicitur: *Illuſtrant fulgura tua orbem habitabilem*, adde Pſ. XCVII, 4. Quemadmodum & ſplendor rerum eximius fulgori fulminis adſimilatur, uti vultus viri veſtibus lineis induti, ſimilis *ſpecie fulguris* dicitur, Dan. X, 6. quod idem de vultu angeli Dei refertur Matth. XXVIII, 3. Sic æneum ſerpentem *fulguris* inſtar coruſcaſſe ſcribunt Rabbini apud SAUBERT. *in Exercitat. de Serpent. æneo. §. 18.* Quare *Æſchylo in Prometh.* πυρωπὸς κεραυνὸς *fulmen igneum* ſeu rutilum *aſpectu* & NONNO *in Dionyſ.* εὐφάνης *bene lucens* appellatur. Huc refer VIRGIL. *Æneid. Lib. IX.*

- tremunt in vertice criſtæ
Sanguineæ, clypeoque micantia fulgura mittit.

Quare & *gladio fulmen* hoc ſenſu tribuitur aliquoties apud VALER. FLACC. & apud SEREN. SAMON. *cap. 48.*

 Fulmi-

Fulmine non gladii, volucris nec felle ſagittæ.

Et HOMER. *Iliad. X.*

- τῆλε δὲ χαλκὸς
Λάμφ' ὡς ἀστεροπὴ πατρὸς Διός.
- *longe autem ferrum*
Splendebat velut fulgur Patris Jovis.

Quemadmodum in ſacris quoque fulmen gladii memoratur Deut. XXXII, 41. Hab. III, 11.

Evangelica veritas ſuo quoque fulgore ſe commendat, quare in literis ſacris frequenter cum *luce* comparatur; cum *luce* in qua *Lucem inacceſſam intueri* datur Pſ. XXXVI, 10. In qua ceu luce ambulant electi Dei filii, qui ex tenebris in lucem vocati ſunt, Jeſ. II, 5. Joh. XII, 25. Quare Salomo pronuntiat, doctrinam eſſe lucem, Proverb. VI, 23. Hæc eſt lux illa, quæ oritura erat ſub N. T. ſedentibus in umbra mortis Jeſ. IX, 1. 2. Illuminat quoque hæc doctrina inſtar *fulguris* totum orbem præcipue ſub N. T. Jeſ. LX, 3. qua omnes errorum nebulæ diſſipandæ erant. *Fulgore* ſuo genuino omnes ſuperat veritates humanas etiam maxime ſpecioſas, & Θειότητα ſuam conſpicuam reddit in conſcientia hominum, 2. Tim. III, 15. 16. 2. Cor. IV, 4. 5.

VI. 4. *Celeritate* maxima præditum eſt fulgur, unico enim momento totum horizontem pererrat. Huc reſpicitur Ezech. I, 14. quando de animalibus IV. teſtatur vates, quod *excurrerent inſtar fulguris vehementiſſimi.* Et Zach. IX, 14. quando *ſagitta Dei* inſtar *fulguris* prodire dicitur. Adventus quoque Domini cum *fulgure* comparatur Matth. XXIV, 27. adde etiam Luc. XVII, 24. necnon Luc. XI, 18. Judæi quoque rem celerrimam deſcripturi ita loqui amant: והוא כמו ברקות ואש עוברת *Eſtque velut fulgur & ignis volans.* Vide ABEN-ESR. *ad Exod. VII, 11.* Celeberrimum fulguris motum deſcribit quoque HESIOD. Θεογ. *v. 690.*

- οἱ δὲ κεραυνοὶ
Ἴκταρ ἅμα βροντῇ τε καὶ ἀστεροπῇ ποτέοντο,
Χειρὸς ἀπὸ στιβαρῆς.
Fulmina autem celerrime una cum tonitru
Et fulgure volabant, manu a robuſta.

Quare *alas* ei tribuebant veteres, unde VIRGIL. *Lib. V. Æneid.*

Emicat

Emicat & ventis & fulminis ocyor alis.

VALER. FLACC. *Lib. 2. argon.*

Ægide & horrifici formatis fulminis alis
Lætus adit.

CLAUDIAN. *Lib. II. de rapt. Proſ.*

Pacificas rubri torſiſſet fulminis alas.

Quare & in variis nummis *fulmina cum alis* obſervamus ad celerrimum ejus motum deſignandum, vide præcipue CHOUL.* *de Relig. des anc. Rom. p. m. 286.*

Exprimit hoc celerrimam Evangelii per totum orbem ſub N. T. propagationem, utpote *cujus linea exitura in totam terram & ſermones ejus in extremitates orbis habitabilis*, Pſ. XIX, 5. adeo ut Paulus unicus ab Hieroſolyma ad Illyricum omnia præconio Evangelii adimpleverit, Rom. XV, 19. Quum in Pentecoſtes die feſto Petrus verba ſalutis annuntiaret, ex Medis, Perſis, Arabibus, Cretenſibus, Syris aliisque populis ingens confluxerat hominum multitudo, quæ de veritate Evangelii convicta, illam per breve temporis intervallum per totum orbem ſpargebat, Act. II, 5-12. Tales quoque ejus effectus in convictione peccatoris obſervaſſe licet, utpote qui ſæpius celerrime ejus virtute arripitur atque in curſu peccatorum ſuorum profligatur, inſtar Sauli luce cœleſti ſubitiſſime proſtrati, Act. IX, 3-7. atque inter præconium fulmine hoc cœleſti ad ſalutarem cordis contritionem redigitur, Act. II, 37.

VII. 5. Singularis quoque *fulminis* eſt ἐνέργεια atque effectus, ſubtiliſſima ſua materia quæcunque penetrat ac miro modo diſſolvit, & quorſum nihil penetrare valet, fulmen tranſit. Huc reſpicit *Auctor Catenæ Arabic. in Gen. IV.* quando de ſigno Caini ſcribit; apud J. GREGOR. *in not. ad V. T.* אלסיף מא כאן וקטע פיה ואלנאר מא כאן יעמאל פיה ואלמא מא כאן יגרקה ואלהוא מא כאן יהכבה ואלחר ואלברד מא כאן יקדר עליה. *Gladius non potuit penetrare, non ignis urere, non aqua mergere, non aër lædere, ne fulmen ipſum, aut fulgur penetrare.* Exprimit hanc fulminis naturam LUCRET. *de rer. nat. Lib. VI. v. 224. ſq.*

Hunc tibi ſubtilem cumprimis ignibus ignem
Conſtituit natura minutis, mobilibusque

Corporibus, quo nil omnino obſiſtere poſſit.
Tranſit enim valide fulmen per ſepta domorum,
Clamor uti, ac voces: tranſit per ſaxa, per æra
Et liquidum puncto facit æs in tempore & aurum &c.

Idem docet HESIOD. Θεογον. *v. 864. ſq.*

- ἠὲ σίδηρος, ὅπερ κρατερώτατός ἐςιν,
Οὔρεος ἐν βήσσῃσι δαμαζόμενος πυρὶ κηλέῳ.
Τήκεται ἐν χθονὶ δίῃ, ὑφ' Ἡφαίσȣ παλάμῃσιν.
Ὣς ἄρα τήκετο γαῖα σέλᾳ πυρὸς αἰθομένοιο.

- vel ut ferrum, quod ſolidiſſimum eſt,
Montis in cavitatibus victum igne urente,
Liqueſcit in terra divina ſub Vulcani manibus.
Sic ſane liqueſcebat terra fulgore ignis ardentis ſc. fulminis.

Delineat hoc effectus præconii Evangelici ſalutares in pectore peccatorum, quod convictionibus efficacibus penetrat, ac per ſeriam reſipiſcentiam ceræ inſtar ut liquefiat, efficit. *Vivus enim eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrat magis quovis enſe ancipiti, pertingit ad diviſionem usque animæ ac ſpiritus, compagum atque medullarum & dijudicat cogitationes & conceptus cordis*, Hebr. IV, 12. En vivam fulminis myſtici deſcriptionem. Penetrat vox hæc Dei per ſaxa atque æra, corda indurata & quibusvis præjudiciis quaſi armata, 2. Cor. X, 5. idque fulminis in morem, modo plane miro, atque imperſcrutabili. Conterit ἐνεργεία convictionum ſuarum petras duriſſimas, & ſpiritum efficit contritum, Pſ. LI, 10. Sic liquefiunt corda inſtar ceræ, Hiob. XXX, 22 & in meras lacrymas ſe diffundunt, Pſ. VI, 7. Diſſolvuntur omnia vincula peccati atque corruptionis, atque cor liberrime ſe coram gratiæ throno proſternit, Act. IX, 6.

VIII. 6. *Stridore* ſuo horrendo, quo fulgur cingitur, incutit hominibus atque beſtiis, terram incolentibus, horrorem atque tremore percutit. Huc reſpicit vates, Pſalm. XVIII, 15. ex 2. Sam. XXII, 15. *Emittit ſagittas ſuas & diſpergit eos, fulgura ſua jaculans tremore confundit eos*, adde Pſalm. CXLIV, 6. Ita HOMER. *Iliad. Lib. VIII.* canit:

Αὐτὸς

Ἀυτὸς δ᾽ ἐξ Ἴδης μεγάλ᾽ ἔκτυπε, δαιόμενον δὲ
Ἧκε σέλας μετὰ λαὸν Ἀχαιῶν, οἱ δὲ ἰδόντες
Θάμβησαν, καὶ πάντας ὑπὸ χλωρὸν δέος εἷλεν.
Ipſe autem ex Ida valde tonabat, & ardens
Miſit fulgur ad populum Achivorum. Hi autem
Obſtupuerunt & omnes pallidus timor invaſit.

Similiter VIRGIL. *Lib. IV. Æneid.*

Aſpicis hæc? an te, genitor, cum fulmina torques,
Ne quicquam horremus? cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent?

Et HORAT. *Lib. I. od. XI.*

- rubente
Dextera ſacras jaculatus arces,
Terruit urbem.

Conf. OVID. *Metam. Lib. XIV. v. 817.* LUCIAN. *in Alcyon.* quoque eleganter in hanc rem ſcribit: καὶ τὰς ἀςραπὰς ἐκείνας καὶ βροντὰς, ἀνέμων τε ἐξαίσια μεγέθη, ὑπέλαβεν ἄν τις τὴν οἰκεμένην ἅπασαν, καὶ δὴ συμπονεῖσθαι. *Nam fulgura illa & tonitrua, tam ventorum incredibiles atque immenſas magnitudines cogitantem pavor inceſſit, vereretur forſitan quispiam, univerſam jamjam ruituram mundi fabricam.* Plura addere tædet.

Præconio verbi omnipotentis nonnunquam contremiſcit quoque orbis, præcipue quando judicia divina annuntiantur. Sic peccatores tremunt coram verbo Dei Jeſ. LXVI, 2. 5. *expaveſcunt in Zione peccatores & corripit tremor hypocritas*, ſub annuntiatione judiciorum omnipotentis, exclamantes: *Quis noſtrum diverſabitur cum igne conſumente & focis æternis?* Jeſ. XXXIII, 14. Quemadmodum olim Iſraelitas tremor atque horror occupabat, quum vocem Dei, legem ſanctiſſimam promulgantem, in monte Sinai perciperent Exod. XIX. Talis tremor occupabat Saulum, fulgure veritatis proſtratum Act. IX, 5. 6. nec non Judæos in pentecoſtes feſto Act. II, 37. Impii quoque haud raro mediante præconio hujus verbi, horrore ſacro percutiuntur, excitata ſc. conſcientia, veluti ex Felicis exemplo conſtat. Act. XXIV, 25. In credentibus autem ſaluta-

rem tremorem Phil. II, 12. cum reverentia decenti excitat hoc præconium. Jer. X, 7. Jeſ. LIX, 19. Pſ. LXI, 6.

IX. 7. *Fulgura cœlum, mare* atque *terram* concutere atque commovere ſolent, plerumque *turbines, procellas* atque *tempeſtates* nubilas ſecum trahunt, comitesque habent; ex mediis autem nebulis ac turbinibus caliginoſis ignis hic pellucidus longe lateque emicat & orbem illuſtrat. Quare Jeſ. XXIX, 6. *terræ motus* ac tonitrua & fulgura conjunguntur. Exprimit hoc egregie HESIOD. *Θεογον. v. 864. ſq.*

Καῦμα δ' ὑπ' ἀμφοτέρων κάτεχεν ἰοειδέα πόντον,
Βροντῆς τε στεροπῆς τε πυρὸς ἀπὸ τοῖο πελώρου.
Πρηστήρων ἀνέμων τε, κεραυνοῦ τε φλεγέθοντος.
Ἔζεε δὲ χθὼν πᾶσα, καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα,
Θῦε δ' ἄρ' ἀμφ' ἀκτὰς, περί τ' ἀμφί τε κύματα μακρά.
Ardor autem ab utrisque occupabat nigrum pontum,
Tonitruque & fulguris igne ab iſto immani,
Igneorumque turbinum & fulminis ardentis.
Fervebat autem terra omnis, & cœlum atque mare,
Furebant autem circum litora undique fluctus magni.

Conſentit VIRGIL *Lib. V. Æneid.*

- - effuſis imbribus atra
Tempeſtas ſine more furit, tonitruque tremiſcunt
Ardua terrarum & campi, ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, denſisque nigerrimus auſtris &c.

Nec non HOMER. *Iliad. X. init.*

Ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀστράπτῃ πόσις Ἥρης ἠϋκόμοιο,
Τεύχων ἢ πολὺν ὄμβρον, ἀθέσφατον ἠὲ χάλαζαν,
Ἢ νιφετόν.
Veluti cum fulgurat maritus Junonis bene comptæ,
Parans vel magnum imbrem, immenſamve grandinem
Vel nivem. &c.

Et denique LUCRET. *Lib. VI. de rer. nat.*

- & trahit atram
Fulminibus gravidam tempeſtatem atque procellis.

Innuit hoc commotiones, quas præconium Evangelii in *terra* Judæorum

dæorum ac *mari* gentium olim excitavit. Oriente enim hoc fulmine, cœlum ac terra, mare atque aridum commovebatur ſub initiis N. T. Hagg. II, 7. horrendos illud excitabat tentationum fluctus ac perſecutionum procellas, graveſque tempeſtates calamitatum, quibus primi Evangelii teſtes obruebantur, veluti ex Actis Apoſtolicis abunde conſtat. Idem accidit, quum denuo fulgura hæc myſtica nova luce orbem illuſtrarent tempore reformationis, quando Antichriſtianismus cruentis denuo perſecutionibus puræ veritatis confeſſores obruebat, lucemque hanc ſuffocare tentabat, quæ tamen fulguris inſtar per medias perſecutionum procellas, per nebulas traditionum fuſcas, ac nigras errorum tenebras, radios ſpargebat coruſcos. Fietque denuo ſub ultimis N. T. temporibus. Jeſ. LX, 1. 2. 3.

X. 8. Fulgur altiſſimas ſæpe *arbores* proſternit, *turres*, *domos* atque *naves* incendit. Huc reſpicit Pſaltes od. XXIX, 3-9. קול *vox* (ſive tonitru) *Jehovæ ſupra aquas, vox Dei glorioſi intonat. Vox Jehovæ ſupra aquas multas. Vox Jehovæ cum potentia, vox Jehovæ cum decore. Vox Jehovæ confringit cedros, perfringit cedros Libani. Vox Jehovæ cædit flammis ignis.* HESIOD. *Θεογον. v. 690.* idem docet, canens:

- - ὁι δὲ κεραυνοὶ
Ἴκταρ ἅμα βροντῇ τε καὶ ἀστεροπῇ ποτέοντο
Χειρὸς ἀπὸ στιβαρῆς, ἱερὴν φλόγα θ' εἰλυφόωντες
Ταρφέες. ἀμφὶ δὲ γαῖα φερέσβιος ἐσμαράγιζεν
Καιομένη. Λάκε δ' ἀμφὶ πυρὶ μεγάλ' ἄσπετος ὕλη.
- - *Fulmina autem*
Celerrime una cum tonitru & fulgure volabant
Manu a robuſta, ſacram flammam circumvolventia
Crebra. Circum vero terra alma reboabat
Ardens: crepitabat vero undique igne Sylva magna.

HORAT. *Carm. Lib. II. od. X.*

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus & celſæ graviore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes.

conf.

conf. quæ ſupra *Lib. V. Exerc. I.* §. *XIII.* notavimus. De navibus fulmine percuſſis canit HOMER. *Odyſſ. Lib. 5.*

- ἐπεὶ οἱ νῆα θοὴν ἀργῆτι κεραυνῷ
Ζεὺς ἔλσας ἐκέασσε μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ.
- *Poſtquam illi navem celerem coruſco fulmine*
Jupiter jaculando diffidit medio in nigro ponto.

Illa quoque præconii veritatis vis olim ac potentia exiſtit, qua *cedri altiſſimæ* & *turres munitiſſimæ*, i. e. imperia ac regna mundi indurata, expugnatæ fuerunt. Non hoſtes ſolum veritatis potentiſſimi hoc fulmine proſtrati ſunt, quale exemplum perſecutor Chriſtiani nominis, Saulus exhibuit Act. IX, 3. verum etiam Imperatores ac Reges ſceptra ſua huic fulmini ſubmiſere, veluti Conſtantinus M. cum ſequacibus fecere. Sic integra regna gentium, fulmine veritatis illuſtrata, nomen Dei ſanctum cum tremore revereri incepere, *naveſque* maris, ſocietates gentium ſubtilibus idololatriæ artibus deditæ, fulmini veritatis victas dedere manus. Zach. XIII, 2. Jeſ. II, 18. conf. EUSEB. *hiſt. Eccl. Lib. IV. cap. XXIII.* THEODOR. *hiſt. Eccl. L. V. cap. 21. &c.*

XI. 9. In *Dei poteſtate* ponitur fulmen in ſacris atque profanis ſcriptis. Ita Deus *fulguri ac tonitru viam parare* Hiob XXVIII, 26. coll. cap. XXXVI, 30. cap. XXXVIII, 35. atque illa inſtar *ſagittarum ejaculari* Pſ. XVIII, 14. 15. adde Jer. X, 13. Pſ. CXXXV, 7. dicitur.

Ita Judæi in *Hieroſ. Borach. cap. IX. hal. 1.* על הזיקין ועל הזועית ועל הברקים ועל הבעמים ועל הרוחות אומר בריך שכחו וגבורתו מלא עולם. *Super cometas, ſuper terræ motum, ſuper fulgura, ſuper tonitrua, ſuper turbines ventorum dicat: Benedictus ſit ille, cujus potentia ac robur implet mundum.* Gentes eapropter Jovis in manu ponere fulmina ſolent. Sic EURIPID. *Jon. v. 212.*

Τὶ γὰρ κεραυνὸν ἀμφίπυρον, ὄμβριμον
Ἐν Διὸς ἐκηβόλȣ χερσίν.
An & fulmen utrinque candens & impetuoſum
Jovis eminus ferientis manibus.

HESIOD. Θεογον. *v. 71.* de Jove.

- ὁ δ' ȣ̓ρανῷ ἐμβασιλεύει
Αὐτὸς ἔχων βροντὴν ἠδ' αἰθαλόεντα κεραυνόν.

Ille

- *Ille autem in cœlo imperat,*
Ipſe habens tonitru atque ardens fulmen.

TIBULL. *Lib. I. eleg. II.*

Te Jovis imperio fulmina miſſa petant.

Quare toties apud Poëtas *τερπικέραυνος*, *fulmine gaudens* appellatur Jupiter, & *ἀϛεροπητής*, FULGURATOR, ΒΡΟΝΤΑΙΟΣ, ΑΡΧΙΚΕΡΑΥΝΟΣ &c. Quare in nummis Jupiter plerumque cernitur *dextra fulgura geſtans*, vel fulgur cum inſcriptione ΖΕΥΣ ΚΕΡΑΥΝΙΟΣ, vel JOVI FULGURATORI. Vide Ill. SPANHEM. *Diſſ. de uſu & præſt. num. p. m. 393. ſq.* Præcipue autem hoc loco notamus nummos, in quibus *Jupiter in throno* conſpicitur, *fulmina* jaculans *dextra* ſua. Qualis eſt apud VAILLANT *in Num. Imp. Rom. Tom. I. p. m. 142.* ubi *Templum* pulcerrimum porticibus ornatum apparet, in cujus *throno* ſummo *Jupiter* ſedet, *dextra fulmen* vibrans, cum epigraphe: JOVI ULTORI. P. M. TR. III. COS. II. P. P. Vide in *Tabul. noſtr. num. XIV.* Quemadmodum in loco noſtro Apoc. IV. *inſidens throno* apparet, a cujus *manu fulgura* prodibant.

In Dei quoque manu atque poteſtate recte ponitur hoc fulmen myſticum. Ille habet *ſeptem ſtellas* in manu ſua, Apoc. III, 1. Doctores enim ſpiritu ſapientiæ ac roboris inſtruit & aptos reddit ad præconium verbi ſui, vide 2. Cor. III, 5. 6. Cap. II, 14-16. 1. Cor. III, 7-9. ponit ipſe verba ſua in os ipſorum, Jeſ. LIX, 21. & per ſpiritum ſuum ducit eos in omnem veritatem, Joh. XVI, 13. Ex *throno* quoque ipſius exeunt hæc fulgura, partim quia ipſe præparavit ea in ſalutem & convictionem populi ſui, partim quia per ſpiritum ſuum quoque mittit cum efficacia in corda peccatorum, ut convertantur, 2. Cor. IV, 6. Rom. I, 16. Act. II, 37. & præconium veritatis ad ſalutem quoque fructus eſt & ſequela dominii ac imperii, quod Chriſtus Eccleſiæ caput poſt exantlatas paſſiones occupavit in throno Patris ſui, Act. II, 33. Pſ. CX, 2.

XII. 10. *Sanctum* habebatur apud antiquos fulmen, quare non ſolum aras illi dicabant veteres, ſed & res vel loca fulmine tacta habebantur *ſacra*. Huc reſpicit ARTEMIDOR. *Lib. II. cap. VIII.* ὁ κεραυνὸς τὰ ἄσημα τῶν χωρίων ἐπίσημα ποιεῖ, διὰ τὰς ἐνιδρυμένας βωμὰς καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας. *Fulmen loca obſcura illuſtria reddit propter aras im-*

poſitas & facta in iis ſacrificia. Teſtis quoque hujus rei eſt Lapis apud GRUTER. *fol. XXI. Inſcript. IV.*

DEO FULGERATORI
ARAM
ET LOCUM HUNC
RELIG.
EX HARUSPIC. SENT.
Q. PUBLILIUS FRONT.
POS. ET D. D.

Quemadmodum apud *Plutarchum* Βωμὸς ἀςραπῆς memoratur. Plura vide apud SALMAS. in *Plin. Exercit. Tom. II. p.m. 1136.* Cl. C. L. CRELLII *Diſſ. de Puteali Libonis Witt. 1729. §. V. ſq.* Et homines fulmine icti ſacri habebantur, teſte *Artemidoro* & aliis; vide LOMEIER. *Epimenid. ſ. de Luſtrat. vet. gent. cap. XXIX. p. m. 350. ſq.* KIRCHMANN. *de funer. Rom. Lib. I. cap. III. p. 11. 15.*

Præconium veritatis Evangelii *ſacrum* quoque exiſtit, Deoque unice conſecratum, ubi illud vires ſuas exſerit, ibi *ara* ſacra Deo maximo erigitur, cor enim peccatoris illo ſalutari fulmine percuſſum Deo dicata conſtituitur ara, in qua ſacrificia laudis offeruntur, Rom. XII, 1. Et homines hoc fulmine percuſſi ſacrum Deo exiſtunt ſacrificium, Rom. XV, 16. In præconio enim veritatis, Dei gloria ac animarum ſalus unice intendi debet Pſ. CXV, 1. Rom. I, 16. 1. Cor. II, 1-5. 2. Cor. IV, 2. 7. II, 15. Quamprimum etiam fulmina hæc myſtica ex throno Dei & agni exibant in gentiliſmum, omnes idolorum aræ ſubvertebantur, & corda credentium Deo ſacra altaria erigebantur, in quibus holocauſta veteris hominis & euchariſtica novi hominis Deo immolabantur, Rom. XV, 16. quod & ultimis N. T. temporibus denuo accidet, Jeſ. LXVI, 20.

XIII. II. Præprimis veteres *fulgure fœdera* inita a Diis confirmari credebant, quemadmodum olim fœdera *ſacrificiis igne cœleſti combuſtis* apud Dei populum confirmabantur, Gen. XV, 17. Lev. IX, 24. 1. Reg. XVIII, 38. 39. quod & ſacrificio Habelis contigiſſe, multi viri docti ex Gen. IV, 4. colligunt. Apud gentes quoque fœdera fulmine ſanciri credebantur, unde VIRGIL. *Lib. XII. Æn.*

Audiat

Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit,
Tango aras, mediosque ignes & numina teſtor.

In connubii fœdere confirmando idem ſignum fauſtum habebatur, unde VIRGIL. *Lib. IV. Æneid.*

- fulſere æther & conſcius ignis
Connubii.

ac CLAUDIAN. *Lib. II. de rap. proſerp.*

- niſi Jupiter æthere ſummo
Pacificas rubri torſiſſet fulminis alas,
Confeſſus generum. Nimbis Hymenæus hiulcis
Intonat, & teſtes firmant connubia flammæ.

Conf. quæ ad h. locum commentatur BARTH. *p. m. 916. ſq.*

Fœdera quoque ſacra, quæ cum Deo erigimus, per fidem ac reſipiſcentiam, præconio veritatis Evang. confirmantur, ſc. per promiſſiones infallibiles, quas in eodem Deus fœderatis ſuis conſignavit. Et quando peccator conditionibus fœderis adſtipulatur, Spiritus S. promiſſiones ἐυαγγελίȣ de ſalute æterna ipſi applicat & certiorem ipſum reddit de gratia Dei & adoptione ipſi conceſſa, Rom. VIII, 16. Gal. IV, 6. Sicque luce hac ſalutari confirmantur credentes, atque obſignantur ipſis beneficia gratiæ æterna, 1. Petr. I, 3. Act. XIV, 22.

XIV. 12. Ultimo denique loco addimus *Fulgura* apud antiquos interdum *boni* fauſtique, nonnunquam etiam *mali* atque infauſti *ominis* habita fuiſſe. Veſtigia hujus rei etiam in ſacris deprehendimus. Tonitru cum fulgure etenim ſæpius *iræ divinæ* ſignum exſtitit, veluti 1. Sam. VII, 9. 10. Exod. XIX, 16. Pſ. L, 1. 2. nonnunquam & ſignum *gratiæ* divinæ, veluti tempore effuſionis Spiritus S. ubi phænomena *tonitru* & *ignei fulguris* quoque apparent, Act. II, 1. 2. adde Act. IX, 3. Similiter apud gentes *felicis* ſæpe ominis fuit, uti apud PINDAR. *Pyth. IV.*

Ἐκ νεφέων δέ οἱ ἀν -
τάϋσε βροντᾶς ἄισιον
φθέγμα: λαμπραὶ δ᾽ ἦλθον ἀκτῖ-
νες ϛεροπᾶς ἀπορηγνύμεναι.
E nubibus vero ei reſpondit
Tonitru fauſtus ſonus;

 Splen-

Splendidique venerunt radii
Ex fulgure erumpentes.

Sæpius quoque apud OVID. veluti *Metam. Lib. VII. v. 619.*

Ille notam fulgore dedit, tonitruque ſecundo
Accipio, ſintque iſta precor felicia mentis
Signa tuæ, dixi, quod das mihi, pigneror, omen.

HOMER. *Iliad. II.*

Ἀςράπτων ἐπιδέξι', ἐναίσιμα σήματα φαίνων, i.e.
A dextro Pater immenſo ſplendore coruſcans,
Affulſit nobis lætantibus omine dextro.

Quare & SALUTIS Symb. eſt fulgur. Veluti in nummis apud CHOUL. *Relig. des Anc. Rom. p. m. 63. 99.* OISEL. *Num. Imp. Rom. p. 154. num. 3. 7. 8.* Jupiter cum fulgure cernitur cum inſcript. JOVI CONSERVATORI, vel DEEENS. SALUTIS. Vel etiam ſigna *iræ* Deorum habebantur, unde VIRGIL. *Lib. I. Georg.*

Ipſe Pater, media nimbrorum in nocte, coruſca
Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
Terra tremit, fugere feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis ſtravit pavor.

Plura addere paſſim obvia, operæ haud erit pretium.

Quadrat hoc egregie in præconium Evangelii, quod teſte ſummo Apoſtolo 2. Cor. II, 15. 16. *aliis qui pereunt, eſt odor mortis ad mortem, & aliis qui ſervantur, odor vitæ ad vitam.* Eſt enim gladius biceps, vulnerans pectora hominum tum ad perniciem quoad induratos, tum ad ſalutem quoad reſipiſcentes, Hebr. IV, 12. Rom. I, 16. 2. Cor. IV, 3. 4. Præconium hoc aliis judicia futura & æternum exitium præſagit, dum peccatoribus, in peccatis ſuis perſeverantibus, flammas iræ divinæ denuntiat, 2. Theſſ. I, 8. 9. Rom. I, 18. ut ita peccatores Zionis expaveſcant & tremor occupet hypocritas, quin horrendum erit in vivi Dei manus ultrices procidere, Jeſ. XXXIII, 14. Hebr. X, 29-31. Reſipiſcentia autem ſalutari Deo ſeſe ſubmittentibus omen eſt hoc fulmen myſticum ſalutis, conſervationis ac felicitatis eorum æternæ, utpote quibus gratiæ ac favoris divini τεκμήριον eſt infallibile, & quos de ſalute ipſorum æterna certiores reddit, 1. Cor. XV, 58. 2. Theſſ. I, 10.

XV. En

XV. En vivam efficaciæ præconii Evangelici delineationem per fulgura e throno Dei & agni prodeuntia! O utinam hæc fulgura his quoque temporibus noſtris ſimilem vim & efficaciam exſererent! Sed proh dolor tot corda in cœtu externo Eccleſiæ exiſtunt indurata, quibus fulgura hujus præconii etiam luculiſſima non niſi fulmen ex pelvi videntur. Intones atque denunties illis flammas iræ divinæ ultrices, convincas illos, Deum eſſe ignem conſumentem minime reſipiſcentibus, omnia hæc tela tanquam a petra repercuſſa deprehendes absque ulla pectoris indurati contritione. Quare triſtiſſima ſemper in ore Præconum Evangelii manet querela: *Quis fidem habet prædicationi noſtræ & cui revelatur brachium Jehovæ?* Jeſ. LIII, 1. Quot ſuperſunt animæ cœcæ, quibus toties fulgur hoc oculos illuſtravit, ſed novis indies præjudiciis per tenebrarum principem ſunt occœcatæ, 2 Cor. IV, 4. Quando cœlum nubibus atque imbribus obfuſcatur, & fulgura cum tonitru horrendo terram concutiunt, tremere atque obſtupeſcere quidem adhuc plerumque ſolent peccatores. Sed licet Supremus fulmina excandeſcentiæ ſuæ per miniſtros ſuos & eorum præconium in ipſos quaſi detorqueat, æs quaſi triplex circa pectus gerunt, omnesque Jovis Fulguratoris ſupremi minas ſpernunt. Sæpius altitonans fulgura judiciorum ſuorum in ipſos acuit, inſtarque cedrorum illos humi proſternit, quare pro tempore manui omnipotentis ſeſe ſubjicere coguntur cum tremore, ſed ſublata Dei manu puniente, tollitur omnis reverentia ac tremor coram Deo. Væ illis, qui fulmina cœleſtia in gratiæ ſpatio negligunt, tremor ſane oſſa eorum percurret, quando ipſum judicem aliquando inter fulgura quaſi & tonitrua, ſaltem fulmina iræ vindicatricis dextra tenentem, in nubibus adproperantem invitis oculis adſpicient, atque irreſiſtibili ipſius fulgure in barathrum æternæ miſeriæ deturbabuntur.

Beatum ergo prædicamus Dei populum, qui tremit coram fulgure verbi ipſius in tempore, quorum oculi luce ipſius candenti illuſtrantur, & ipſius efficaciam in pectoris ſui natura quoque indurati ſalutari contritione experti ſunt. Quare pectora quoque ſua Deo fulguratori in *aram* ſanctam dicarunt, in qua ſacrificia Euchariſtica ipſi nunquam non offerunt, Rom. XII, 1. Ipſis fulgur hoc e throno Dei per miniſterium ſacrum prodiens

 diens

diens omen eſt *ſalutis*, & τεκμήριον gratiæ divinæ Rom. I, 16, quo in dies accenduntur novo zelo hunc Jovem Βροντᾶιον, cujus fulgura cœlum & terram illuſtrant æternis laudibus celebrandi.

EXERCITATIO VI.
DE
VII. FACIBUS IGNEIS,
ARDENTIBUS CORAM THRONO DEI,
SYMB. SPIRITUS S.
APOC. IV, 5.

ARGUMENTUM.

Locus Apoc. IV, 5. explicatur, cujusque alluſio indicatur §. I. Faces donorum Spiritus S. emblema eſſe docetur, quum faces pro quovis lumine pro radiis ſolis & ſtellarum ponantur §. II. & pro fulmine in ſpecie ejusque coruſco lumine §. III. nec non pro oculis §. IV. inſuper Symb. ſint vitæ atque immortalitatis §. V. uti & Evangelii ſalutis & legis divinæ. §. VI porro iræ & excandeſcentiæ, nec non amoris flagrantiſſimi. §. VII. Docemus inſuper idem ex variis earum uſibus tum domeſticis & civilibus, tum ſacris. Noctu enim a ſervis faces præferebantur dominis, in claſſibus deducendis & navibus faces in turribus ſpecularibus erigebantur. §. VIII. Regibus quoque præferri ſolebant tanquam majeſtatis & imperii ſignum. §. IX. in conviviis inſuper frequenter adhibebantur §. X. atque in nuptiis ſolennibus §. XI. veluti etiam in bello atque prœliis. §. XII. nec non in ludis, certaminibus atque triumphis. §. XIII. & denique in funeribus, exequiis atque tumulis veterum §. XIV. Adduntur uſus ſacri, quatenus Deorum in manibus ponuntur, eorumque in ſacris nocturnis frequenter adhibitæ fuere. §. XV. In conſecrationibus, initiationibus atque luſtrationibus veterum, §. XVI. & denique in feſtis ſolennibus accendi ſolebant. §. XVII. Quæ finiuntur epilogo morali. §. XVIII.

I. Vidi-

I.

Vidimus ſuperiori Exercitatione per *fulgura* e throno prodeuntia optime efficaciſſimum verbi veritatis præconium deſignari, jam vero præter fulgura Apoc. IV, 5. etiam *VII. FACES IGNEÆ ardentes coram throno* conſpiciuntur, quæ explicantur per *VII. SPIRITUS Dei*; adeoque optime verbum ac Spiritus in Eccleſiæ regimine arctiſſimo nexu juncta, heic quoque coram throno Dei & agno (qui Eccleſiæ regimen depingit) per Symbola egregia junguntur. Alluſionem autem hoc loco denuo deſumtam eſſe ex ſanctuario veteri, atque ad *Candelabrum* ſeptem *ellychniis* ſeu *facibus ardentibus* in Sancto olim conſtitutum, reſpici, Interpretes varii jam obſervarunt. Quum vero in V. Sanctuario candelabrum non ante thronum ſed in Sancto erat, heic coram throno *ſeptem faces* apparent. Difficultatem hanc recte tollit Cel. VITRINGA ad h. l. obſervans, *velum* in templo Jeſaiæ Cap. VI. myſtico non apparere, quod morte Chriſti erat ſublatum; adeoque ut ſanctum cum adyto quaſi conjunxerit, atque ita VII. lampades etiam ante thronum apparentes concipi queant. *Candelabrum* figura erat *Eccleſiæ* Apoc, I, 20. *Rami* ergo Symb. Doctorum, & *lux* ipſa non Evangelii ſolum ſed & *donorum* & *operationum* Spiritus S. emblema exiſtit. Quare & *faces* ſ. *lampades* non aureæ ſed πυρὸς *igneæ* apparent, quæ ex igne puriſſimo divinitatis originem habent.

II. FACES atque tædæ elegantiſſimam *donorum* atque *operationum Spiritus S.* figuram exhibent, ſive variam illarum apud antiquos ſignificationem hieroglyphicam, ſive inſignes & multiplices earum apud veteres uſus conſideres.

A. Si veterum ſcientiam hieroglyphicam evolvimus, FACES

a. in genere pro quovis *lumine*, pro radiis *ſolis* ac luce *ſtellarum* uſurpari animadvertimus. Ita Gen. I, 14. 15. Sol cum Luna *lampadum* inſtar in expanſo cœli conſiderantur; & *ſtella* illa myſtica, cadens e cœlo myſtico, per apoſtaſian a vera Eccleſiæ doctrina deficiens, cum *lampade* ardente comparatur Apoc. VIII, 10.

Soli quoque faces tribuit antiquitas, veluti apud EURIPID. *Jon. v. 1466.*

— ἐκ ἔτι νύκτας δέρκεται,
Ἁλίȣ δ᾽ ἀναβλέπει λαμπάσι.

- *non amplius noctem videt,*
Solis vero facibus illuſtrata rurſus intuetur.

Et GRAT. FALISC. *Cyneget. v. 422.*

- *clarique faces ad ſolis, ut omne*
Exſudent vitium.

Nec non LUCRET. *de rer nat. Lib. V. v. 974.*

Dum roſea face ſol inferret lumina cœlo.

Pro ſtellis quoque uſurpantur apud eundem LUCRET. *Lib. II. v. 206.*

Nocturnasque faces cœli ſublime volanteis.

Nec non *Lib. V. v. 1189.*

Luna, Dies & nox & noctis ſigna ſevera,
Noctivagæque faces cœli; flammæque volantes.

Et dona Spiritus S. in ſcriptis ſacris ſæpius *luci* comparantur, lumini, quod ex Solis juſtitiæ fonte ortum, radios ſuos terræ tenebris obſitæ communicat. Mal. IV, 2. *Luci*, quæ viam commonſtrat ad montem ſanctitatis. Pſ. XLIII, 3. 4. *Luci*, in qua veram intueri Lucem datur Pſ. XXXVI. 10. quæ impiorum oculos fugit Pſ. XLIX, 20. in qua ambulant electi Pſ. LXXXIX, 16. Eph. V, 9. Jeſ. II, 5. Hæc eſt *Lux illa vitæ*, qua illuſtrantur homines, quos viſitat omnipotens Job. XXXIII, 30. quæ prorumpit inſtar *auroræ* iis, qui in tenebris eam exſpectant Jeſ. LVIII, 8. 10. Uti *radii ex ſole*, ita dona Spiritus S. ex fonte ſalutis, Chriſto oriuntur, ex *throno* ipſius exeunt hæc lumina Apoc. IV, 5. XXII, 1.

III. b. In ſpecie quoque pro *fulmine* occurrunt *faces*, cujus radii illuſtrant orbem habitabilem. Job. XXXVII, 3. Pſ. LXXVII, 19. XCVII, 4. Ita canit EURIPID. *in ſupplic. v. 1010.*

- - ἔνθεν ἐςὶ σὸς
Πόσις, δαμαθεὶς λαμπάσιν κεραυνίοις.
- - *illic eſt tuus*
Maritus, domitus face fulminis.

Et *in Bacch. v. 594.*

Ἅπτε κεραύνιον αἴθοπα λαμπάδα,
Σύμφλεγε, σύμφλεγε δόματα πενθέως.
Incende fulmineam flagrantem facem,
Combure, combure domum Penthei.

NONN.

NONN. quoque in *Dionyſ. XLVIII.*

Καὶ πυρὶ μάρναῖο Βακχὸς, ἐς ἠέρα δαλὸν ἰάλλων.

Atque hoſtes ferit igne, facem Deus aëre vibrans.

Fulmen quoque non Evangelii ſolum verum etiam operationum Spiritus S. aptiſſimum emblema exiſtit, quare Ezech. I, 13. in medio animalium, quæ Eccleſiam univerſalem pingunt, etiam ſpecies לפידים *Facum* apparet, quæ ad operationes *Spiritus* efficaces reſpicit, & quarum fulgor inſtar *fulminis* eſſe dicitur. Inſtar *fulminis e cœlo* dona Spiritus S. deſcendunt a *Patre luminum*, Jac. I, 17. e throno Dei & agni prodeunt inſtar fluvii cryſtallini Apoc. XXII, 1. *Operationes* in cordibus electorum quoque fulminis effectibus haud diſſimiles exiſtunt, dum cor induratum peccatoris mira efficacia penetrant, illudque conterunt, ac ut liqueſcat per veram reſipiſcentiam inſtar ceræ, efficiunt. Heb. IV, 12. Zach. IV, 6. 2 Cor. X, 4. 5.

IV. c. *Oculi* inſuper vivaces *faces* appellantur. Ita Dei oculi Dan. X, 6. *tædis ardentibus* comparantur, de quo loco ſtatim agemus. Matt. VI, 22. oculus quoque *fax* ſ. *lucerna corporis* appellatur. Similem in modum TIBULL. *Lib. II. el. IV.* oculos *faces* appellat:

Uror, io remove, ſæva puella, faces.

Et PROPERT. *Lib. I. el. 3.*

Non oculi geminæ ſidera noſtra faces,
Nec ſi qua Arabio lucet bombyce puella.

LIBANIUS *Declam. IX.* ſimili metaphora utitur: Ὀφθαλμοὶ δὲ ἀφιᾶσι βολὰς τῶ ἡλίω μαρμαρυγαῖς ἁμιλλώμενοι, μεγάλαυχον ἤδη, καὶ γαῦρον καὶ προσηνὲς ὁρῶντες· καταλάμπονται δὲ παρειαὶ ταῖς γλήναις αὐτῷ. Τὸ δὲ ἐρύθημα τῶ προσώπω τῷ τῶν λαμπάδων ἀντιςράπτει πυρὶ. *Oculi radios ejaculantur ſolis fulgoribus contendentes, generoſum modo & ſuperbum & lene cernentes. Collucent vero genæ pupillis ipſi. Rubor etiam in vultu lampadum igni perfulgurat.* Huc refer illud VIRGIL. *Æneid. L. XII. v. 101.*

- *totoque ardentis ab ore*
Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.

Adde loca, quæ notavimus *in Exerc. noſtr. ad Apoc. II, 18. in MUS. BREM. Vol. II. p. 636. ſq.*

Similiter *Spiritus S.* inſtar *oculorum* Dei conſideratur. Ita Apoc. V, 6. agnus 7 cornua & 7 *oculos* habere dicitur, qui explicantur per 7 *Spiritus Dei, exeuntes in terram*, phraſi deſumta ex *Zach. III, 9. IV, 10.* ubi *VII. oculi in lapide* & in *manu Zerubabelis*, ejusdem Spiritus Dei in Eccleſia N. T. per omnes earum viciſſitudines & periodos, operationes pingunt. Sic Iſrael Jeſ. III, 8. *oculis* majeſtatis divinæ obniti dicitur, quod Cap. LXIII, 10. reniti & exacerbare *Spiritum* ipſius vocatur. Pſ. XXXII, 8. *oculo ſuo* conſilium dare populo ſuo promittit Jehova, quod Spiritu ſuo facere ſolet. *1 Reg. IX, 3. 2 Par. VII, 16. oculi Dei* in Templo eſſe perpetuo dicuntur, quod de *columna gloriæ* intelligas, quæ etiam *Spiritus Dei* ſymbolum exſtitit, uti ex Hagg. II, 9. 10. conſtat.

V. d. *Faces* atque *Lucernæ* quoque *vitæ* Symb. exiſtunt in ſacris & profanis diptychis. Huc refer phraſin נר רשעים ידעך *Lampas impiorum extinguetur* Prov. XIII, 9. XXIV, 20. Job. XVIII, 6. XXI, 7. qua non ſolum mors temporalis & ſubitanea, ſed & ſpiritualis & æterna depingitur. Sic etiam אור החיים *Lumen vitæ* memoratur. Job. XXXIII, 30. Judæi apud BUXTORF. in *Synag. Jud. cap. 15.* שכבה נירו של עולם *quia* (mulier) *extinxit lucernam mundi*, explicant; שגרמה מיתה לאדם הראשון *quia cauſata eſt mortem Adamo primo.* Quare CLEMENS ALEX. *Strom. II. p. 421.* Πλάτων, inquit, μὲν οὖν ἐν τοῖς ἐκτὸς ἀγαθοῖς τάττει τὸν γάμον, ἐπισκευάσας τὴν ἀθανασίαν τοῦ γένους ἡμῶν, καὶ οἱονεὶ διαμονήν τινα παισὶ παίδων μεταλαμπαδευομένην. *Plato matrimonium collocat in bonis externis, adſtruens noſtri generis immortalitatem & quandam perpetuitatem, qua poſteritas poſteritati lampadem viciſſim in manus tradit.* ISIDORUS eapropter *Lib. XVI. etymol. c. IV.* ſcribit gentiles per tot *lucernas ſepulchrales* mortuis ac ſepultis additas, ſpem ſuam de animarum immortalitate teſtari voluiſſe. Idem ſane ac fidem in futuram reſurrectionem ac vitæ renovationem veteres Chriſtianos lucernarum uſu in funeribus ſignificaſſe, nemo facile negabit. Simili metaphora utuntur Patres in ſcriptis ſuis, vide URSIN. *Anal. Sacr. P. I. p. 308.*

Spiritus quoque Sanctus eſt *Lux illa vitæ*, quæ illuminat mentem peccatoris & accendit lucem notitiæ gloriæ Dei, in facie Jeſu Chriſti 2 Cor. IV, 6. auctor eſt *vitæ* ſpiritualis, oſſa mortua halitu ſuo ad vitam

re-

revocans Ezech. XXXVII, 9. Eph. II, 1. 5. Spiritus enim eſt, qui *vivificat*, ut ipſe Servator teſtatur Joh. VI, 67. conſentit Apoſtolus 2 Cor. III, 6. Et ipſe conſideratur ut *vita* fidelium, *in quo ipſi vivunt*, Gal. V, 23. Phil. I, 22. 1 Pet. IV, 6. Ille etenim eſt, qui virtute ſua novæ vitæ exordia in cordibus electis operatur Joh. III, 5. ſimulque eadem perducit, atque ita credentium vitam in dies gratia ſua conſervat, tuetur, auget. Jeſ. XL, 31. Rom. VII, 22. 2 Theſſ. I, 11. 12. & vitam æternam denique concedit. 2 Cor. III, 18.

VI. e. *Evangelium* porro ſalutis & *Lex* divina ſub hac figura delineatur. Ita doctrina V. & N. T. ſub ſymb. duarum *olearum* & *Lampadum*, in conſpectu Dei poſitarum, proponitur Apoc. XI, 4. hæc erat Lampas illa & *lucerna novæ Hieroſolymæ, quæ ſimilis erat lapidi pretioſiſſimo, qualis eſt jaſpis, inſtar cryſtalli lucidiſſimi.* Apoc. XXI, 11. Quare Johannes Baptiſta appellatur *Lucerna ardens*, in cujus *luce* exultabant *credentes* Joh. V, 35. Per confeſſionem puriſſimam veritatis hujus ſplendent electi ut *faces in hoc orbe* Phil. II. 15. adde Zach. IV, 2. ubi ſub ſymb. *candelabri aurei cum VII. Lampadibus* occurrit. Lex quoque apud Judæos ſub eodem emblemate deſcribitur in *Elle haddeb. Rabb. ſect.* והיה עקב ubi Deus hominem alloquitur: נרי בידך ונרך בידי נרי בידי זו התורה ונרך בידי זו הנפש אם שמרת את נרי אני משמר את נרך ואם כיבית את נרי אני מכבה את נרך *Lucerna mea eſt in manu tua, & lucerna tua eſt in manu mea, Lucerna mea eſt in manu tua, iſta eſt Lex. Lucerna tua eſt in manu mea, iſta eſt anima. Si cuſtodieris lucernam meam, cuſtodiam lucernam tuam, ſed ſi exſtinxeris lucernam meam, exſtinguam lucernam tuam.*

Similem metaphoram de *doctrina* ſalutis & *Spiritu S.* adhiberi, non mirum eſt, quum illius hic ſit fons atque auctor, & arctiſſimo inter ſe connubio jungantur. Jeſ. LIX. 21. 2 Cor. III, 6. In hac *luce lux* ſalutaris conſpicitur Pſ. XXXVI, 10. per lucem Spiritus Sancti in cognitionem veritatis cœleſtis perducimur. Pſ. CXLIII, 10. 2 Cor. IV, 5. 6. Veritas Evangelii absque operatione Spiritus S. quaſi mortua eſt litera, ſed per ejus efficaciam vivificat. 2 Cor. III 5. 6. Sic *lux & veritas* conjunguntur Pſ. XLIII, 3. 4.

VII. f. Præcipue quoque notari meretur, *Faces* apud antiquos tum *iræ* atque *excandeſcentiæ* tum *amoris* flagrantiſſimi figuram exiſtere. Utrius-

triusque ſymb. exiſtunt in loco Dan. X, 6. & Apoc. II, 18. ubi Deo oculi inſtar *lampadum* ignis tribuuntur, quam phraſin in *MUS. BREM. Vol. II. l. c.* excuſſimus. Pro *amore* occurrunt Cant. VIII, 6. qui ibidem cum *flamma Jehovæ* comparatur; quare Angeli ob zelum amoris ſanctiſſimum *flammæ* ſeu *faces* audiunt. Pſ. CIV, 4. Similiter apud TIBULL. *Lib. II. el. V.*

Acer amor, fractas utinam tua tela ſagittas
Si licet, extinctas aſpiciamque faces.

OVID. *Amor. Lib. I. el. I. v. 8.*

Quid? ſi præripiant flavæ Venus arma Minervæ,
Ventilet accenſas flava Minerva faces?

Quare Cupidini, Deo amorum, *faces* tribuit antiquitas, & in nummis cernitur alatus *cum facibus* in dextra, vide *Num. VIII. Tab. 2.* apud SPON. *Itiner. p. m. 114.*

Iræ ſymb. eſſe faces atque judiciorum, liquet ex HERODIAN. *Lib. III. cap. XIII. §. 4.* ἥτε περὶ ἐκεῖνα σπȣδὴ καὶ φιλονεικία διάφορον ἔχȣσα καὶ ἀντίπαλον ἀεὶ τὴν γνώμην, τῶν ἀδελφῶν ἐτάραττε τὰς ψυχὰς, ἐναύσματά τε ἔριδος καὶ ἔχθρας παρεῖχε. *Quo fieret uti ſtudio certamineque ſemper in diverſum tendente, etiam animi juvenum diſtraherentur, quibusdam quaſi admotis contentionum atque inimicitiarum facibus.* Conſentit VIRGIL. *Æneid. L. I.*

- ſævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Quod imitatur STAT. *Theb. V. v. 695.* Calumnia ac furor eapropter apud LUCIAN. *in Calumn. opp. T. I. p. 841.* deſcribitur, ὑπόθερμος καὶ παρακεκινημένος, οἷον δὴ τὴν λύτταν καὶ τὴν ὀργὴν δεικνύοντα, τῇ μὲν ἀριστερᾷ δᾷδα καιομένην ἔχȣσα, *vultu ipſo & geſtu corporis efferam rabiem & iram æſtuanti pectore conceptam, præ ſe ferens, ſiniſtra facem tenens flammivomam.* Quare Furiis *faces* tribuunt veteres, quales apparent in nummis, vide SEGUIN. *ſelect. Numiſm. p. m. 180.*

Pingit hoc Spiritum Dei, qui tum *amoris* tum *judicii* ſpiritus eſt. Ita appellatur *Spiritus charitatis* 2 Tim. I, 7. & inter fructus hujus Spiritus etiam *charitas* recenſetur Gal. V, 22. Eph. V, 9. quemadmodum Rom. XV, 30. *charitas Spiritus* memoratur. Et inſtar *ignis* conſideratur Rom. XII, 11. quando ζέοντες πνεύματι *ardentes Spiritu*, eſſe jubemur. Eſt quoque

que *Spiritus judicii* Jeſ. IV, 4. רוח בער ורוח משפט *Spiritus ardoris & judicii.* Quare Salvator Joh. XVI, 8. teſtatur Spiritum, quem miſſurus eſſet, mundum *convicturum de peccato*, *de juſtitia & de judicio.* Ita Antichriſtus, homo perditionis, *ſpiritu oris* Domini conſumendus dicitur 2 Theſſ. II, 8, ex Jeſ. XI, 4. ubi *ſpiritu labiorum* ſuorum Jehova impium aboliturus prædicatur.

VIII. B. Quam eleganter Spiritus S. operationes in Eccleſia Dei cum *facibus* comparentur, liquet ex variis earum apud veteres uſibus, quas in *domeſticos* & *civiles* atque *ſacros* diſtinguimus.

א. Si domeſticos & civiles inquirimus, faces

1. *Noctu* præcipue uſurpatas deprehendemus in ducendis viatoribus. Ita in *Tamid. Cod. cap. I.* de Pontifice dicitur: אירע קרי לאחר ס״ם יוצא והולך לו במסיבה ההולכת תחת חבירה והנרות מכאן ומכאן. *Si nocturnus accidiſſet caſus, ibat per cochleam ſub templo, lucentibus undecumque facibus.* Et in *Mæd Katon. fol. 12. n. 2.* כיון דבליליא בעי גברי יתירי ובעי מדוכרי דנורא *Quia noctu opus habet viris multis & facibus.* Veteres Romani habebant *lampadophoros*, qui noctu lucernas Domino præferebant, quod pluribus docuit PIGNOR. *de ſerv. p. m. 127. ſq.* & ab amori deditis noctu geſtatas *faces* docet SAGITTAR. *de Jan. p. m. 283.* Ad uſum earum in deducendo *viatore* reſpicit illud ARISTOPH. *in Ran. Act. V. ſc. V.*

> Φαίνετε τοίνυν ὑμεῖς τȣ́τῳ
> Λαμπάδας ἱερὰς, χἄμα προπέμπετε.
> *Præferte facem, & prælucete*
> *Huic, & honeſte illum deducite.*

Nec non HOMER. *Odyſſ. Lib. IV.*

> Ἀι δ᾽ ἴσαν ἐκ μεγάροιο, δάος μετὰ χερσὶν ἔχȣσαι.
> *Illæ ibant ex ædibus, facem in manu gerentes.*

In *claſſibus ducendis* etiam faces uſurpabant antiqui, quare POLYÆN. *Lib. VI.* ſcribit: ἐκέλευσεν ἆραι τȣ̀ς λαμπτῦρας, ὅις αἱ τȣ̃ Διονύσȣ νῆες εἵποντο. *Juſſit extolli faces, quas Dionyſii naves ſequebantur.* Quare in mari *turres* habebant ſpeculares, ex quibus *faces* ardentes navibus viam monſtrabant, quo reſpicit SENECA *in Agamemn.*

- & clarum manu
Lumen nefanda vertice e ſummo efferens,
In ſacra ducit perfida claſſem face.

Et STAT. *Lib. III. Sylv.*

- trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ.

Plura vide apud BOOT. *animadv. Sacr. Lib. II. cap. VI. §. 12. ſq.* & quæ notamus in *Emblem. noſtr. Lib. III. Exerc. IX. p. 247. nec non Lib. V. Exercit. I. §. X. ſ.*

Spiritus S. luce ſua verus eſt *viæ dux*. Quare Eccleſia petit Pſ. CXLIII, 3. 4. *Mitte lucem tuam & veritatem tuam, ut me deducant & adducant in montem ſanctitatis tuæ & in tabernacula tua, ut accedens ad altare Dei, ad Deum fortem, auctorem lætitiæ meæ, te cithara celebrem o Deus mi.* Nec non Pſ. CXLIII, 10. *Manifeſta mihi beneplacitum tuum ut faciam, quia es Deus meus, ſpiritu tuo bono deduc me in terram rectitudinis.* Et promittitur Eccleſiæ Jeſ. LVIII. 8. *Tunc erumpet velut aurora lux tua, & ſalus tua protinus effloreſcet, & præcedet te juſtitia tua, gloria Jehovæ ducet agmen tuum.* Similiter Cap. LX, 1-3. *Surge, illuceſce, ſiquidem oritur lux tua & gloria Jehovæ orta eſt ſuper te. Tenebræ terram operiut & caligo gentes, ſuper te autem orietur Jehova & gloria ejus conſpicua erit. Ut gentes adducantur ad lucem tuam, & leges ad ſplendorem.* Ille eſt *Pharus* illa myſtica, cujus lux navim Eccleſiæ per ſyrtes & pericula maris hujus mundi tuto ac ſecure deducit ad portum ſalutis. Quoniam hic Dominus ſanctiſſimus illum tuetur, tuto manebit, licet furat mare & fluctibus ſuis montes abſorbeat Pſ. XLII, 2-6. *Miniſtri* Evangelii ſunt Lampadophori myſtici, qui lucem hanc per præconium ſalutis præferunt animabus in tenebris oberrantibus, ut in luce ambulare diſcant. Joh. XII, 36. 1 Theſſ. V, 4. 5. 2 Cor. IV, 6. 7. Jeſ. II. 5.

IX. 2. *Faces* quoque olim *imperii* & *majeſtatis* inſigne apud gentes quasdam fuere, quare Regibus præferri ſolebant. Teſtatur id HERODIAN. *hiſt. Lib. I. cap. VIII.* ὃδὲν ἧττον μέν τοι καὶ ὁ Κόμμοδος ἐφύλαττε τὰς τιμὰς τῇ ἀδελφῇ. καὶ γὰρ ἐπὶ τοῦ βασιλείου θρόνου καθῆστο ἐν τοῖς θεάτροις, καὶ τὸ πῦρ προεπόμπευεν αὐτῆς. *Nihilo tamen ſecius priſtinum illi honorem Commodus reliquit uſurpandum. Nam & ſella impera-*

peratoria ſedere in theatro & ignem de more præferri patiebatur. Et *Lib. II. Cap. III.* Ἡμέρας ἐν καταλαβέσης, κατῆλθεν ἐπὶ τὸ συνέδριον τῆς βελῆς, ἔτε τὸ πῦρ ἐάσας ἑαυτῷ προπομπεῦσαι, ἔτε τι ἄλλο τῶν βασιλικῶν συμβόλων εἰς ὕψος ἀρθῆναι. *Igitur, poſtquam diluxit, in curiam ſe contulit, neque ignem ſibi præferri neque ulla principatus inſignia paſſus attolli.* Quo reſpicit ANTONIN. *de rebus ſuis Lib. I. §. 17.* ὅτι δυνατόν ἐςὶ ἐν αὐλῇ βιῶντα, μήτε δορυφορήσεων χρήζειν, μήτε ἐσθήτων σημειωτῶν, μήτε λαμπάδων καὶ ἀνδριάντων τοιῶν δέ τινων. *Poſſe in aula ita degi, ut nec ſatellitio, nec veſtitu inſigni nec funalibus ſtatuisque ejusmodi opus ſit.* conf. quæ JUST. LIPS. *ad Tacit. annal. L. I.* commentatur. Simili ratione explicandus CORIPPUS, qui de Imperatoris adventu canit:

- - prænuncius ante
Signa dedit curſor, poſita de more lucerna.

Adde URSIN. *Anal. Sacr. P. I. p. m. 71.* BRISSON. *de Reg. Perſ. Princ. Lib. I. p. m. 83.* Quod ex more Dei Iſraelis, qui tanquam rex hujus populi *columna ignis* præibat in deſerto, deducendum eſſe, facile conjicere licet.

Convenit hoc σύμβολον quoque Spiritui S. qui eſt πνεῦμα τῆς δόξης 2 Cor. III, 8. 9. quare & δόξα Θεῦ pro ipſo Spiritu S. occurrit. Apoc. XXI, 11. 23. cum alluſione ad ſymb. externum majeſtatis divinæ ſub V. T. *columnam* ignis, quæ ſimul *Spiritum S.* præfigurabat. Rex & caput Eccleſiæ ſuæ per operationes Spiritus S. manifeſtat majeſtatem ſuam Act. II, 33. & *imperium* ſuum in Eccleſia per eundem exercet, quare cum *Sceptro* majeſtatis & imperii comparatur alias Spiritus Dei Pſ. CX, 2. XLV, 7. & e *throno* Dei & agni prodire dicitur Joel III, 18. Apoc. XXII, 1. dominatur per eundem Chriſtus in cordibus electorum 1 Cor. III, 16. coll. Eph. III, 16. 17. Joh. XIV, 23. Jeſ. LIX, 21.

X. 3. Frequentiſſimus etiam *tædarum* uſus in *conviviis* antiquorum extitit; præprimis, quum convivia ſolennia *noctu* celebrari olim ſolerent, ut docet CASAUB. ad *Perſ. p. 353.* & pluribus evicit Cl. ADAMI *in obſ. Sacr. p. m. 128. ſq.* quare *lampadibus* opus erat, quas ſolennitatis gratia multiplicabant. De his HOMER. *Odyſſ. Lib. VII.*

Ἑςα-

Ἔςασαν αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες,
Φαίνοντες νυκτὰς καλὰ δώματα δαιτυμόνεσσιν.
Stabant ardentes faces manibus geſtantes
Illucentes nocte per domum convivantibus.

ARISTOPH. *in Plut. Act. IV. ſc. IV.*

Ἔοικε δ᾽ ἐπὶ κῶμον βαδίζειν. Φαίνεται
Στέφανον γέ τοι καὶ δᾷδ᾽ ἔχων πορεύεται.
Mihi videtur iturus ad aliquod convivium.
Apparet: Nam coronam geſtat & facem.

Et LUCRET. *Lib. II.*

Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.

Nec non HORAT. *Carm. Lib. VIII. od. 7.*

Sume, Mecænas, cyathos amici
Soſpitis centum, & vigiles lucernas
Profer in lucem.

Plura vide apud STUCK. *Antiq. Conviv. p. m. 413.* J. U. BULENG. *de Conviv. Lib. III. cap. 25.* H. C. L. STOCHAUSEN. *de cultu Lumin. Antiq. Cap. IX. §. 5.* alios.

In *convivio* myſtico N. T. quod ſub fine *noctis* umbrarum antiquæ legis celebrabatur, *faces* quoque hæ myſticæ convivas exhilarabant. Quare inter judicia graviſſima Judæis denuntiata etiam illud apparet, quod ipſi tanquam filii regni *expellendi* ſint in *tenebras exteriores* (quaſi e cœnaculo myſtico) quum multi ex oriente & occidente *accubituri* in hoc convivio, & luce ampliſſima gratiæ & donorum Spiritus S. exhilarandi ſint Matth. VIII, 11. 12. Et quando Chriſtus *cœnat cum anima*, poſtquam *fores* deſideriorum cordis ei *aperuit* pulſanti Apoc. III, 20. etiam *faces* ſpiritus gtatiæ exhilarant animam, illuminant cordis receſſus, & ipſe in luce Jehovæ exultare eam jubet. Jeſ. LVI, 9. Pſ. XXXVI, 9. 10. *Facibus* quoque his ſacris anima ad *cœnaculum* myſticum communionis divinæ *deducitur noctu* tentationum ac perſecutionum, ne titubet aut aberret Pſ. XLIII, 3. 4. Pſ. XXIII, 2. 3. Aqoc. VII, 16.

XI. 4. Similis uſus earum in *Nuptiis* antiquorum occurrit Quum enim Nuptiæ *veſpera* potiſſimum celebrarentur, *facibus* quoque quam pluri-

plurimis opus erat, quibus Sponſa atque Sponſus præcipue deducebantur. In ſacris huc alludit Salvator in parabola Matth. XXV, 1. ſq. quando decem virgines *Sponſo cum lampadibus* obviam *procedentes* memorantur. Nec non Luc. XII, 35. quando jubet, *ut lumbi ſuccincti & lucernæ ardentes exiſtant, ſimilesque evadant ſervis, dominum a nuptiis exſpectantibus.* Apud Judæos hunc morem obtinuiſſe, ex *Aruch in* לפר docet Cl. LIGTFOOTH. *in hor. hebr. ad Matt. p. m. 368.* ubi Judæi ſcribunt: *Mos eſt in terra Iſraelitica, ut ſponſam ducant a domo patris ſui in domum Sponſi, ferantque ante eam circiter decem baculos ligneos, in uniuscujusque ſummitate vaſculum inſtar ſcutellæ habentes, in quo eſt figmentum panni cum oleo & pice. Ex his accenſis facem ei præferunt.* Apud *Græcos* idem obtinuiſſe, liquet ex EURIPID. *in Phœniſſ. v. 346.*

> Ἐγὼ οὔτε σοι πυρὸν ἀνῆψα φῶς
> Νόμιμον ἐν γάμοις.
> *Ego vero neque lucernam ardentem accendi*
> *Legitimam tibi in nuptiis.*

Et *in Medea v. 1027.*

> Πρὶν λέκτρα καὶ γυναῖκα καὶ γαμηλίους
> Εὐνὰς ἀγῆλαι, λαμπάδας τ᾽ ἀνασχέθειν.
> *Priusquam connubium & uxorem & nuptiales*
> *Lectos ornarim, facesque ſuſtulerim accenſas.*

Similiter HESIOD. *in Hercul. v. 174.*

> Ἦγον τ᾽ ἀνδρὶ γυναῖκα. Πολὺς δ᾽ ὑμέναιος ὀρώρει.
> Τῆλε δ᾽ ἀπ᾽ αἰθομένων δαΐδων σέλας εἰλύφαζε.
> *Ducebant viro uxorem, multusque hymenæus oriebatur.*
> *Et procul ab ardentibus facibus fulgor reſplendebat.*

Nec non HOMER. *Iliad. Lib. XVIII.*

> Νύμφας δ᾽ ἐκ θαλάμων δαΐδων ὑπολαμπομενάων
> Ἠγίνεον ἀνὰ ἄστυ.
> *Sponſas autem ex thalamis tædis ſubaccenſis*
> *Ducebant per urbem.*

Apud Romanos idem accidebat in nuptiis, quare MARTIAL. *Lib. XII. ep. 42.* canit:

Barbatus rigido nupſit Calliſtratus Afro,
Hac qua lege viro nubere virgo ſolet.
Præluxere faces, velarunt flammea vultus.

Adde OVID. *Triſt. IV. v. 32. V. 33. Ep. ex Pont. II. v. 55. Metamorph. L. IV. v. 346.* ut alia loca a BARTHIO ad *Claudian.* & *Stat.* paſſim, a DEMPSTER. *ad Roſin. Antiq. Rom. p. m. 615.* a KIPPING. *antiq. Rom. p. m. 699.* aliisque notata transeam.

In nuptiis Eccleſiæ myſticis doctores N. T. inſtar *famulorum* Meſſiæ & *virginum* Sponſæ amicarum, *faces* quoque ſpirituales præferunt Sponſæ, per præconium Evangelii & promiſſionum largiſſimæ menſuræ donorum Spiritus S. Quare *Matth. XXV.* cit. *virgines fatuæ* doctores carnales, dona Spiritus S. aliis annuntiantes, ſed *oleo* fidei ac gratiæ deſtitutos; & *virgines prudentes*, genuinos doctores, unctione cœleſti inſtructos, deſignare apte poterunt. Spiritus S. gratia atque Lux cœleſtis *Sponſam deducit* in thalamum Sponſi myſtici. Pſ. CXLIII, 10. Cant. II, 4. Jeſ. LVIII, 11. Pſ. XLIII, 3. 4. Pſ. LXXXIV, 11. 12. tenebras & impedimenta cordis diſpellit luce ſua, & animam pellicit in communionem Chriſti. Ezech. XVI. 6-14. Hoſ. II, 14. 19. 20.

XII. 5. In *bello* inſuper *faces* frequenter adhibitas fuiſſe, varia confirmant veterum teſtimonia. Non enim ſolum iis *ſigna* dare belli ſolebant, ſed & *illis accenſis* in hoſtes *irruebant*. Sæpius in ſacris huc alluditur. Ad πυρφόρους antiquos, qui *faces* gerebant, illisque in hoſtem projectis tempus congreſſus indicabant, alludit *Salvator* Luc. XII, 49. πῦρ ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν, tanquam ſacerdos πύρφορος, qui pugnam inter ſemen mulieris & ſerpentem inchoaturus erat. Ad pugnam cum facibus reſpicit locus Jeſ. LXVI, 15. *Jehova dimicaturus eſt cum flamma & gladio ſuo contra omnem carnem.* Nec non Pſ. LVII, 5. ubi hoſtes Eccleſiæ cum *leonibus immanibus*, להטים בני אדם *flammis filiis hominum*, i. e. πυρφόροις, qui facibus irruunt ardentibus, comparantur. Nah. II, 5. ubi hoſtes *facibus* adſimilantur, qui *ceu fulgura* perrumpunt. Et Zach. XII, 6. duces Judæ diſponendi prædicuntur ut *fax ardens*, *invadens manipulum.* Quemadmodum & Gideon *faces* ad prœlium exeuntibus cum tubis diſtribuiſſe legitur Jud. VII, 16.

Apud profanos ſcriptores varia veſtigia hujus ritus deprehendo. Quod

Quod *facibus* ſignum belli datum ſit, docet EURIPID. *in Phœniſſ. v. 1386.*

Ἐπεὶ δ' ἀφείθη πυρσὸς, ὡς Τυρσηνικῆς
Σάλπιγγος ἠχὴ, σῆμα φοινίου μάχης,
Ἦιξαν δρόμημα δεινὸν ἀλλήλοις ἔπι
Poſtquam autem miſſa eſt fax, ut Tyrrhenicæ
Tubæ ſonitus, ſignum cruentæ pugnæ,
Saltaverunt contra ſe mutuo atroci ſaltu.

Et in *Electr. v. 694.*

- εὖ πυρσεύετε
Κραυγὴν ἀγῶνος τοῦδε.
Vos vero facibus accenſis clamorem edite
Certaminis.

Huc reſpicit quoque STAT. *Lib. V. Sylvar.*

Talia dum celebras, ſubitam civilis Erinnys
Tarpejo de monte facem, Phlegræaque movit
Prælia.

Adde BARTH. *in Comm. ad Stat Sylv. IV. v. 5. & Theb. X. v. 921.* STOCHAUSEN. *l. c. cap. VIII. §. 3. ſq. cum not.* Cl. OUTHOF. *in Obad. p. 336.* BUCHER. *Antiq. Bibl. p. 700. Facibus* quoque *mœnia accendebant* in prœlio, quod docet HERODIAN. *hiſt. Lib. VIII. cap. IV. §. 30. p. m. 346.* quo reſpicit EURIPID. *in Troad. v. 531.*

Πᾶσα δὲ γέννα Φρυγῶν
Πρὸς πύλας ὡρμάθη
Πεύκᾳ ἐν οὐρείᾳ.
Totum autem genus Phrygum
Ad portas ruit facibus cum montanis.

Spiritus quoque Dei eſt, qui populum Dei *accendit* ad *pugnam ſpiritualem* cum Satana, mundo atque carne. Ille eſt πύρφορος myſticus, qui *facem præfert* ſua illuminatione, ut credentes hoſtibus ſalutis animoſe obviam procedant. Arma enim ipſorum non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia & fortia coram Deo 2 Cor. X, 4. armatura Dei ejusque Spiritus eſt, qua induuntur Eph. VI, 13. Hæc ſunt *arma lucis*, qua induuntur per Spiritum Dei. Rom. XIII, 12. virtute Spiritus S. proſternunt hoſtes ſpirituales & perſiſtunt in campo Eph. VI, 12. Ipſi credentes faten-

tentur cum Joſaphato, in nobis nullæ exiſtunt vires ad tantæ hoſtium multitudini prævalendum. 2 Chron. XX, 12. per Chriſtum autem & Spiritum amoris ipſius *longe ſuperiores evadunt* Rom. VIII, 37. per *Spiritum* fidei robuſti ac *fortes* exiſtunt Rom. IV, 20. Hebr. XI, 34. Eph. III, 16. 1 Tim. I, 12.

XIII. 6. In *ludis* ac *certaminibus* veterum nec non in *triumphis* faces geſtatas legimus. PAUSANIAS *Lib. I. Attic. p. m. 58.* deſcribit certamen: Ἐν Ἀκαδημίᾳ, inquit, δέ ἐςι Προμηθέως βωμὸς, καὶ θέουσιν ἀπ᾽ αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν, ἔχοντες καιομένας λαμπάδας. Τὸ δὲ ἀγώνισμα, ὁμοῦ τῷ δρόμῳ φυλάξαι τὴν δᾶδα ἔτι καιομένην, ἐςίν. Ἀποσβεσθείσης δὲ, οὐδὲν ἔτι τῆς νίκης τῷ πρώτῳ, δευτέρῳ δὲ ἀντ᾽ αὐτοῦ μέτεςιν. *In Academia eſt Promethei ara, a qua homines in urbem accenſas lampadas præferentes decurrunt. In eo enim certamen eſt, ut in curſu accenſæ conſerventur. Cujus enim fax exſtincta fuerit, is victoria ſucceſſori cedit.* Quas faces alterum alteri tradere conſueviſſe docet PLATO *Lib. VI de Legib.* Huc reſpicit LUCRET. *Lib. II. v. 78.*

Et quaſi curſores vitai lampada tradunt.

Et *Scholiaſtes Pindari p. 15.* teſtatur ejusmodi certamen *Corinthi* fuiſſe: Γίνεται, inquit, οὖν τῆς Ἀθηνᾶς ἑορτὴ ἐν Κορίνθῳ, ἐν ᾗ καὶ ὁ ἀγὼν τελεῖται, καλούμενος Λαμπαδοδρομικὸς, ἐν ᾧ ἔτρεχον οἱ νεανίαι, λαμπάδας κρατοῦντες. *Agitur quoque feſtum Minervæ Corinthi, in quo etiam certamen celebratur, quod vocatur Lampado-curſorium, in quo currebant adoleſcentes, tenentes lampadas.* Vide C. RHODIG. *Lect. antiq. Lib. II. c. 27.* DEYLING. *obſ. S. P. II. p. 419.* ZORN. *Bibl. antiq. Exeg. p. 962.* STOCHHAUSEN *de cultu Lumin. Cap. XI. p. 192. cum not.*

In *triumphis* quoque faces adhibitas, ex *Livio*, *Suetonio*, *Floro*, aliisque patet. Imperatores enim triumphantes inter tibias tubasque reſonantes & *faces plurimas* vel a ſervis, vel ab elephantibus geſtatas domum deduci ſolebant. De Jul. Cæſaris triumpho ita ſcribit DIO *Lib. XLIII. p. 147.* τῇ δὲ τελευταίᾳ τῶν νικητηρίων ἡμέρᾳ, ἐπειδ᾽ ἂν ἐκ τοῦ δείπνου ἐγένοντο, ἔς τε τὴν ἑαυτοῦ ἀγορὰν ἐσῆλθε βλαύτας ὑποδεδεμένος, καὶ ἄνθεσι παντοδαποῖς ἐςεφανομένος, καὶ ἐκεῖθεν οἴκαδε παντὸς μὲν ὡς εἰπεῖν τοῦ δήμου παραπέμποντος. Πολλῶν δὲ Ἐλεφάντων λαμπάδας φερόντων ἐκομίσθη. Conſentit SUETON. *in Jul. Cæſ. cap. XXXVII.* Quare

re & in nummis *Victoria* in curru triumphali cum palma & *face* apparet. Vide nummum apud Cel. HAVERCAMP. *in diſſ. de Num. Alex. M. p. 98. n. XXVI.* Idem docet *Bulenger*, *Modius*, *Panvinius*, aliique, qui de Romanorum triumphis ſcripſere, auctores.

Ad certamina λαμπαδοφόρων ſæpius reſpicit Apoſtolus in ſcriptis ſuis, veluti 2 Tim. IV, 7. *τὸν δρόμον τετέλεκα, τὴν πίστιν τετήρηκα, curſum abſolvi, fidem ſervavi*, tanquam lampadophorus, qui facem fidei ardentem ſervans, finem curriculi attigit. Gal. III, 3. collat. cap. V, 7. ubi Apoſtolus *δρόμον* in *Spiritu* & *carne* diſtinguit; & Deum ipſis *Spiritum* (ceu lampada) *ſubminiſtraſſe* teſtatur.

Deus quoque Doctoribus & miniſtris Evangelii verbi ſui lampada tradit, ut in certamine fidei alios lumine ſacro excitent, viamque præmonſtrent Act. XXVI. 17. 28. 2 Cor. IV, 4. 5. Eph. I, 16. 17. 18. Ipſi credentes lampada fidei, cujus auctor eſt Spiritus, ſervantes in curriculo hujus vitæ decurrunt, ut metam illius attingant. Phil. III, 8. 9. 1 Pet. I, 9. *Triumphabunt* quoque aliquando in nuptiis Agni, lampades ardentes ſervantes, atque cœleſti Imperatori obviam euntes, venienti in nubibus cœli. Luc. XII, 35. 1 Theſſ. IV, 16. 17.

XIV. 7. In *funeribus* & exequiis denique *facibus* utebantur antiqui. Sic VIRGIL. *Æneid Lib. VI.* Miſeni funus deſcribens, canit:

- *& ſubjectam more parentum*
Averſi tenuere facem, congeſta cremantur
Thurea dona.

Nec non MARTIAL. *Lib. VIII. ep. 43.*

Effert uxores Fabius, Chriſtilla maritos,
Funereamque toris quaſſat uterque facem.

OVID. *Faſt. Lib. II.*

Conde tuas, Hymenææ, faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœſta ſepulcra faces.

In ipſis tumulis & ſepulchris *lampadas* & tædas ardentes collocabant, huc refer inſcriptionem apud GRUTER. in *Inſcr. Theſ. fol. MCXLVIII. n. XVII.*

HAVE. SEPTIMA. SIT. TIBI
TERRA. LEVIS. QVISQ.
HUIC. TUMULO. POSUIT

ARDENTEM. LUCERNAM
ILLIUS. CINERES. AUREA
TERRA. TEGAT.

Huc refer, quæ ſcribit SUETON. *in Auguſt. cap. XCVIII. Hujus Masgabæ ante annum defuncti, tumulum cum ex triclinio animadvertiſſet turba magna, multisque luminibus frequentari, verſum compoſitum ex tempore clare pronuntiavit.*

Κτίςϐ δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρέμενον.

Ad quæ verba CASAUBONUS ſcribit: *Fuit enim moris in tumulis cereos ponere: quæ conſuetudo poſtea ad honorem martyrum a Chriſtianis eſt translata, ut indicat ſæpe Hieronymus.* Conf. KIRCHMANN. *de funer. Rom. Lib. II. cap. 3. p. m. 83.* MEURS. *de funere cap. XLIX.* QUENSTEDT. *de Sepult. Vet. cap. VI.* LAURENT. *de funer. Antiq. c. I. & IV.* LICET. *de ſepulch. Lucernis* aliosque quamplurimos, quos citat Cl. STOCHAUSEN. *l. c. p. 333. ſq.*

In morte quoque credentium fax eſt Spiritus S. qui ipſis prælucet, quando ambulant per vallem umbræ mortis Pſ. XXIII, 4. Qui eſt *lux* illa, quæ ducit ipſos & deducit ad montem ſanctitatis Dei, ut ingrediantur cœleſte adytum, Deumque cithara celebrent immortali. Pſ. XLIII, 3. 4. Tumulus ipſorum his quaſi *facibus* coronatur, dum fructibus Spiritus S. credentes etiam poſt mortem inſignes & illuſtres in hoc orbe exiſtunt. *Beati ſunt mortui in Domino, Spiritus inquit, quieſcent a laboribus ſuis, & opera ipſorum ſequentur eos.* Apoc. XIV, 13. Lux etenim etiam *conſeminata* eſt juſtis, ut aliquando poſt mortem ipſis oriatur Pſ. XCVII, 11. Col. I, 12.

XV. ב. Supereſt ut paucis *uſus ſacros* tædarum conſideremus.

a. In *Deorum Dearumque* manibus non ſolum ponebantur faces, ſed & in *cultu* eorum ac *miniſterio ſacro* frequentiſſimus earum uſus fuit. *Baccho* faces tribuit EURIPID. *in Bacch. v. 306.*

Ἔτ' αὐτὸν ὄψει κἀπὶ δελφίσιν πέτραις
Πηδῶντα σὺν πεύκαισι, δικόρυφον πλάκα
Βάλλοντα.

Præterea videbis eum in delphicis ſaxis
Salientem cum facibus & bicipitem rupem
Percutientem.

Veſtæ

Veſtæ quoque faces paſſim in nummis tribuuntur, veluti apud CHOUL. *relig des anc. Rom. p. 42.* ubi virgo cum face apparet & inſcribitur: VEST. AUR. QUIRINA. Nec non apud SEGUIN. *num. ſelect. p. 353.* ubi duplex Veſta cum face in ſiniſtra occurrit, addita epigraphe: VESTA FELIX. & VESTA. P.R QUIRITIUM. Dianæ quoque fax tribuitur in nummis, vide CHOUL. *p. 87. n. 1.* & PIETAS cum face cernitur, vide VAILL. *Num. Imp. T. II. p. m. 16.* In ſacris Deorum nocturnis frequentiſſime faces adhibitas legimus. Huc refer illud ARISTOPHANIS *in Ran. Act. I. Scen. VI.*

> \- *καὶ δᾳδων γέμε*
> *Ἄυρατις προσέπνευσε μυςικωτάτη.*
> *Et Facum me aura aliqua adflavit*
> *Secretiſſima.*

Et CLAUD. *de rapt. Proſerp. Lib. I.*

> \- *templumque remugit*
> *Cecropidum, ſanctasque faces attollit Eleuſis.*

Quare *faces* in nummis quoque *Sacerdotii* ſymbolum exiſtunt & cultus Deorum. Sic apud BEGER. *Tab. XVII. n. XXII.* & apud OISEL. *Tab. CX. n. XI.* exſtat nummus, in quo *duæ faces* apparent cum epigraphe: SACERDOS. DIV. AUGUSTI, quæ ſymb. ſacerdotii Auguſti. Quare LACTANT. *Lib. VI. cap. I.* de gentium cultu ſcribit: *Mactant opimas & pingues hoſtias Deo quaſi eſurienti, profundunt vina tanquam ſitienti, accendunt lumina tanquam in tenebris agenti.* Et apud BEGER. *Tab. XXI. n. XV. ara cum face* religionis & *cultus* Deorum Symb. eſt. Vide nummos binos expreſſos *in Tab. noſtr. n. XV. XVI.*

Et *faces* hæ myſticæ quoque *coram throno* Dei apparent i. e. *Sanctuario Dei*, quia Spiritus S. in cultu Dei fax & tuba exiſtit Sacerdotibus myſticis N. T. Ille eſt, qui illuminat intellectum populi Dei, ut ſciant, quomodo Deus colendus ſit; quum eum in Spiritu & veritate colere oporteat Joh. IV, 24. Pſ. CXIX, 18. Eph. I, 17. 18. ducit eos in omnem veritatem Joh. XVI, 13. deducit eos *facis* inſtar in montem ſanctitatis in hac vita & gloriæ poſt hanc vitam. Pſ. XLIII, 3. 4. Ille quoque eſt, qui aptos eos reddit in cultu divino, & zelo ſacro incendit. Rom. XII, 11. Gal. V, 8. Phil. III, 3. Quare templa Spiritus S. qui in ipſis habitat, ap-

appellantur. 1 Cor. III, 16. 2 Cor. VI, 16. Quare cultus Dei ſub. N. T. vocatur *miniſterium Spiritus.* 2 Cor. III, 6. & in *Spiritu ambulare* Rom. VIII, 1. Eph. II, 2. quod alias vocatur in *luce ambulare* Jeſ. II, 5. Joh. XII, 35. 1 Joh. I, 7. tanquam ſacerdotes inter faces has myſticas.

XVI. b. In *conſecrationibus*, *initiationibus* atque *luſtrationibus* facum quoque uſus ſingularis exſtitit. Sic in *conſecratione* Fauſtinæ victoria alata cum face apparet in nummo apud OISEL. *Tab. CIV. n. 5.* cum inſcriptione: ÆTERNITAS. Deſcribit conſecrationem Imperatoris HERODIAN. *hiſt. Lib. IV. cap. II.* Τȣ́των δὲ συντελεσθέντων, λαβὼν λαμπάδα, ὁ τὴν βασιλείαν διαδεξάμενος, προσφέρει τῷ οἰκήματι. οἵτε λοιποὶ πανταχόθεν πῦρ περιτιθέασι. Πάντα δὲ ξηρὰ ἀνάπλεια εὐμερῶς ὑπὸ τȣ̃ πυρὸς, φρυγάνων τε πλήθȣς καὶ θυμιαμάτων ἐπιθέντες. *Quæ ubi celebrata ſunt, facem capit imperii ſucceſſor, eamque tabernaculo admovet. Tum cæteri omnes ignem undique ſubjiciunt, cunctaque illico fomitibus illis aridis odoramentisque referta, igni valido corripiuntur. &c.*

In *expiationibus* earum uſum celebrat LUCIAN. *in Necyomant. p. m. 107.* ἐπὶ τὸν Τίγρητα ποταμὸν ἀγαγὼν, ἐκάθηρε τέ με, καὶ ἀπέμαξε καὶ περιήγνισε δᾳδὶ καὶ σκίλλῃ. *Ad Tigridem me fluvium ducens purgavit ſimul atque abſterſit, faceque luſtravit & ſquilla.* Nec non in *Philoſoph.* ἐς γὰρ τὸν ἀγρὸν ἐλθὼν ἕωθεν ἐπειπὼν ἱερατικά τινα ἐκ βίβλȣ παλαιᾶς ὀνόματα ἑπτὰ, θείῳ καὶ δᾳδὶ καθαγνίσας τὸν τόπον. *In agrum mane profectus, cum ſeptem quædam ſacra nomina ex vetuſto libro recitaſſet, ſulphure & face locum expians.* Similiter EURIPID. *in Iphig. v. 1223.*

- - ὡς φόνῳ φόνον
Μυσαρὸν ἐκνίψω, σέλας τε λαμπάδων, τά τ' ἄλλ' ὅσα
Προὐθέμην ἐγὼ ξένοισι καὶ θεᾷ καθαρσίᾳ.
- - *ut cæde cædem*
Eluam abominandam, & fulgorem lucernarum & reliqua,
Quæ ego propoſui hoſpitibus, & ad purificationem Deæ pertinent.

Et ARISTOPH. *in Ran. Act. V. ſcen. II.*

Ἀλλά μοι ἀμφίπολοι λύχνον ἅψατε,
Κάλπισι τ' ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε,

Θέρ-

Θέρμετε δ' ὕδωρ
Ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.
Ferte facem famulæ celeres mihi,
Situla aquam e liquido date flumine,
Calefacite undas,
Hæc ut ſomnia fontibus abluam.

Spiritus quoque Dei eſt *fax* omnis *expiationis*, *purificationis* atque *conſecrationis* populi Dei. Eſt enim illud ſigillum, quo obſignantur & conſecrantur tanquam Dei peculium Eph. I, 13. IV, 30. 2 Cor. I, 21. 22. Expiat ipſorum peccata & juſtificat ipſos Tit. III, 5. 1 Cor. VI, 11. tanquam ignis ſacer ſacrificia ipſorum accendit & grata coram Deo reddit 1 Theſſ. V, 19. *Sanctificat* & purgat quoque credentes ab omni carnis & ſpiritus inquinamento Jeſ. IV, 4. 1 Theſſ. V, 23. 2 Theſſ. II, 13. Rom. XV, 13. 16. Tanquam *fax comburit* omnes impuritates ipſorum, quia eſt רוח בער Jeſ. IV, 4. diſpellit impura ac ſterilia tenebrarum opera, tanquam lux illa ſalutaris, qua peccator conſtituitur filius lucis. 1 Theſſ. V, 5. 8. Eph. V, 8. 9. atque ita in communionem veræ lucis accedunt, ambulantes in luce ſanctitatis, purificati per ſanguinem Chriſti ejusque Spiritus. 1 Joh. I, 6. 7. 1 Cor. VI, 11.

XVII. c. In *feſtis* denique variis in Symbolum ſolennitatis atque lætitiæ *faces* geſtari atque accendi multiplices olim ſolebant apud Judæos æque ac reliquas mundi nationes. Ita Judæi in feſto *circumciſionis lucernas* accendere plurimas ſolebant, docente LIGTFOOTH. *Opp. T. II. p. m. 237.* Similiter in *Sabbathis*, docente BUXTORF. in *Synagog.* paſſim. Similiter in *feſto Tabernaculorum* viros magnates באבוקות של אור cum *facibus ardentibus* proceſſiſſe & *δοξολογίας* ingeminaſſe, docent MAIMONIDES *tract. de appar. Templ. C. VII. §. VI. cum not. de Veil*, aliique Judæorum Magiſtri. In Bacchi feſto *faces* geſtatas, docuit EURIP. *in Bacch. v. 145. & v. 306.* Et ARISTOPH. *in Nub.* canens:

- *σὺν πεύκαις σελαγεῖ*
Βάκχαις Δελφίσιν ἐμπρέπων,
Κωμαστὴς Διόνυσος.
- *qui facibus igneis*

Inter Thyadas emines,
Comeſſator Iacche.

Alia quoque feſta *facibus* celebrata docet LUCIAN. *in mort. peregr. p. m. 292.* ἢ καὶ νὴ Δία τελετήν τινα ἐπὶ αὐτῷ ςήσεσθαι, νυκτέριον, καὶ δᾳδουχίαν ἐπὶ τῇ πυρᾷ. *Aut per Jovem feſtivitas illi nocturna ſacrificabitur, aut feſtum facibus juxta pyram celebrandum.* Quare PAUSAN. *Lib. II. p. 130.* πυρσῶν ἑορτὴν *feſtum tædarum* memorat. Plura qui deſiderat, adeat Cl. SPENCER. *in Opp. p. m. 1120. 1122. ſq.* STOCHAUSEN *de cult. Lum. cap. VII. cum not.* LAMY *de Tabernac. p. m. 671. ſq.* URSIN. *analect. P. I. p. m. 309. ſq.*

Spiritus denique omnis quoque *lætitiæ* ac *feſtivitatis* Eccleſiæ fax eſt atque auctor. *Regnum Dei conſiſtit in juſtitia, pace atque gaudio in Spiritu S.* Rom. XIV, 17. Ille eſt, qui in cordibus contritis excitat gaudium atque exultationem, ut *oſſa* denuo *exhilarentur* conquaſſata. Pſ. LI, 10. Salvator noſter eum in finem unctus eſt oleo lætitiæ, *ut conſolationes adhiberet lugentibus Zionis, ut daret loco cineris ornatum, & unguentum lætitiæ loco luctus.* Jeſ. LXI, 1-3. Pſ. XLV, 8. *Lætitia* quoque inter fructus Spiritus S. recenſetur Gal. V, 22. 1 Theſſ. I, 6. Quare Spiritus κατ᾽ ἐξοχὴν audit ὁ παράκλητος Joh. XV, 26. qui annum ſalutis feſtivum annuntiat animæ de peccatis ſuis ſolicitæ Jeſ. LXI, 2. 2 Cor. VI, 2. Et auctor denique exiſtit *æternæ lætitiæ* ac gaudii perennis in gloria. Jeſ. XXXV, 10. Pſ. XVI, 11. Col. I, 12.

XVIII. Beatos ergo merito deprædicamus illos, quibus aditus ad hoc Sanctuarium myſticum & thronum Dei patet, ut in *facibus* hisce *coram throno* exultare queant. Adeo excellentes ſunt operationes Spiritus S. in Eccleſia Dei, ut felices exiſtant omnes, qui illas experiuntur. Verum enim vero quam pauci erunt inter externæ Eccleſiæ membra, quæ vires harum *facum* myſticarum experti ſunt. Quum corda plerorumque vel plane frigeſcant, omni amoris atque fidei ardore deſtituta, atque in ſtatu naturæ obdurata. Quorum intellectus plusquam cimmeriis ignorantiæ atque præjudiciorum tenebris obfuſcatus eſt, & qui vim Spiritus illuminantem nondum ſunt experti, licet in die Evangelii ſub luce mediorum gratiæ vivant. Sunt alii, qui quidem luce cognitionis præditi, gloriantur de donis Spiritus S. ipſis conceſſis, verum quum cogni-

gnitio ipſorum non ſit ſanctificata, & opus Spiritus Dei, vana eſt ipſorum lux & fatua, quæ per φιλαυτίαν, quam fax illa doloſa accendit, animam in meras tenebras præcipitat. Sunt qui nec frigidi, nec ζέοντες exiſtunt ſed tepidi, qui *faces* has agnoſcunt & venerantur, ſed corda ſalutari amoris divini flamma haud accenſa poſſident, & quos ex ore ſuo evomiturum ſe Salvator pronuntiat Apoc. III, 15. 16. His omnibus *fax doloſa* viam præmonſtrat, & quibus non niſi abyſſus tenebrarum portio cedet. Evigila ergo anima, quæ *faces* ſequeris fatuas & ſeductrices, accede ad thronum gratiæ & *faces* cœleſtes elige. In Evangelii luce lucem hanc intueri tibi datur. Sit illa tibi lux in via & candela in ſemitis tuis. Hæc lux illa *vitæ* eſt, quæ mortis diſpellit tenebras, & te ad æternæ lucis communionem aptam reddit. *His facibus* accende cor tuum tepidum, & amoris in eodem ſcintillas, ut flamma Dei exiſtas, Cant. VIII, 6. *Has* elige viæ duces, quando per vallem tenebricoſam hujus mundi incedis, ne vacilles & in avia & præcipitia ruas. His dirige *navem* fidei tuæ per Syrtes & pericula maris myſtici hujus ævi, ne illis abſorbearis. His *dominium* tuum in carnem exerce, demonſtra, manifeſta. *His armatus* in pugnam cum hoſtibus ſalutis deſcende, ſic triumphabis glorioſe. His *armis lucis* induta, perge in *certamine* tibi propoſito; curre in ſtadio determinato, nec brabeum tibi aliquando deficiet. His *facibus* inſtructa *accede* ad *Sanctuarium* Dei tui, & ſacrificia juſtitiæ, quæ corde ſincero offeres, gratiſſima ipſi exiſtent. His *initiari*, his *purificari* ſtudeas; calidiſſimis expete precibus, ut hac *face* Deus omnes cordis tui impuritates exurat, expiet, deleat.

Beati ergo exiſtunt, quorum pectora *face* hac cœleſti irradiata, ad communionem *Lucis inacceſſæ* pervenere, adeoque tenebras mentis naturales ita inſpexere, ut noctu diuque hanc lucem deſideraverint. Quorum corda flammis his cœleſtibus *accenſa*, zelo divini amoris ardent inſtar τῶν Seraphim. Qui nunquam non ad *thronum Dei* & agni, coram quo hæ *faces* rutilant, per preces & ſuſpiria accedunt, & illarum *ignibus* in dies inflammantur. His orta eſt *fax vitæ* ſalutaris; his viam commonſtrat hæc *lucerna* per deſerti hujus mundi valles obſcuras; hi tanquam *faces* in hoc orbe radiant virtute facis hujus cœleſtis, pergunt in certami-

ne *ſervantes* hancce *facem*, & aliquando duce eadem per *tenebras* mortis traducentur ad thronum lucis, ac in *feſto* æternæ lætitiæ his facibus exultabunt.

EXERCITATIO VII.

DE
CITHARIS AUREIS,
SYMB. PRÆCONII VIRTUTUM DIVINARUM.

Apoc. V, 8.

ARGUMENTUM.

Loci Apoc. V, 8. ſenſus & alluſio excutitur. §. I. CITHARAS varia hieroglyphice pingere, docetur, præcipue laudis ac celebrationis alicujus §. II. Quod per analogias explicatur, conſiderando materiam citharæ, quæ ex lignis pretioſis & inauratis erat. §. III. tum formam earum multiplicem. §. IV. nec non varias illarum chordas ex inteſtinis ovium conflatas & vario numero adhibitas §. V. Uti & diverſarum fidium concentum atque ſuaviſſimam harmoniam. §. VI. Porro plectrum, quo pulſabantur, quod vel aureum vel eburneum exſtitit §. VII. Inſuper ornamenta, inſcriptiones & emblemata cithararum apud antiquos, §. VIII. ſuavem præterea & acutum earum ſonum, quo beſtiæ & homines, imo Dii ipſi recreari & affici credebant antiqui, & quo affectus turbidi ſedari ſolebant. §. IX. Dein Citharœdos & Cithariſtas deſcribimus, & ſingularem artem, citharam pulſare, conſtituiſſe, docemus §. X. & denique Situm *varium citharæ, quæ vel manu tenebatur, vel ex arboribus ſuſpendebatur & altaribus, vel columnæ imponebatur, explicamus §. XI. Atque ita tranſimus ad uſus varios, ſc. in proceſſionibus publicis & choreis §. XII. in prœliis & triumphis §. XIII. in conviviis feſtivis præcipue nuptialibus §. XIV. in Sacris Judæorum æque ac Gentium. §. XV.*

ubi

ubi poſtremo de Deorum, in ſpecie Apollinis, cithara agitur § *XVI. & morali applicatione finitur Exercitatio* §. *XVII.*

I.

Elegantiſſimam miniſtrorum Evangelii in Eccleſia Dei univerſali deſcriptionem deprehendimus *APOC. V, 8.* quando XXIV. Senioribus non *phialæ* ſolum *aureæ*, *thure repletæ*, ſed & *CITHARÆ* tribuuntur. *Seniores XXIV.* a quatuor animalibus, quæ Eccleſiam univerſalem N. T. pingunt, bene diſtinguendi, doctores Eccleſiæ deſignant, cum alluſione, non ad XII. Patriarchas V. T. & XII. Apoſtolos N. T. ſed ad XXIV. Claſſes, in quas olim a Davide Sacerdotes & Levitæ diſtributi leguntur. Sic non XXIV. tantum familiæ Sacerdotum, per Ephemerias in templo munus ſacrum obeuntium, ſed & Levitarum XXIV. ordines memorantur in diptychis antiquis 1 Chron. XXIV. & cap. XXV tot. Horum autem antitypum, Doctores N. T. hoc loco deſcribi, ex eo patet, quia *citharis* inſtruuntur, tanquam Levitæ myſtici 1 Chron. XXV, 1. 2. *& thuribulis aureis*, tanquam *Sacerdotes* ſpirituales. Utroſque autem & Sacerdotes & Levitas V. T. typos doctorum N. T. & Evangelii miniſtrorum fuiſſe, ex innumeris in V. & N. T. ad perſonas & cultum eorum alluſionibus liquet. conf. præcipue Mal. III, 3. Rom. XV, 16. Apoc. IV, 4. 1 Cor. IX, 13. 14. Heb. XIII, 10.

II. CITHARÆ ergo depingent præconium veritatum ſalutarium Evangelii, & virtutum divinarum, cum *thuribula* preces & interceſſiones pro membris Eccleſiæ delineent.

CITHARA Hebr. כנור, Græcis *κιθάρα* dicta, inter inſignia inſtrumenta Muſica aqud antiquos Judæos æque ac gentes apparet, ejusque frequens in Muſica templi mentio occurrit. Illius uſum ſatis antiquum eſſe docet Moſes Gen. IV, 21. XXXI, 27. & Job. c. XXI, 12. XXX, 31. Erat autem inſtrumentum præ cæteris ſuaviſſimo ſono præditum, quare in ſpecie illud Doctorum N. T. miniſterium pingit, quo virtutes Dei celebrant, aliosque auditores ad eandem Dei laudem excitant, quare citharæ *Dei κατ' ἐξοχὴν* appellantur Apoc. XV, 2.

CITHARAM laudis atque *celebrationis* tum Regum atque perſonarum illuſtrium, tum præcipue Dei Symb. eſſe, ſacra & profana confirmant

 mant

mant teſtimonia. Hoc ſenſu Meſſias teſtatur *ſe ænigma ſuum in cithara aperiturum* Pſ. XLIX, 5. i. e. laudes Patris ſui decantaturum. Quare Jehova *cithara celebrandus* dicitur. Pſ. XXXIII, 2. XLIII, 4. LVII, 9. 10. LXXI, 22, 23. XCII. 4. 5. 6. XCVIII, 5. CXLVII, 7. CL, 3. Quare CLEMENS ALEX. *Pædag. Lib. II.* ſcribit ex Pſ. CL. καὶ ἐν κιθάρᾳ αἰνεῖτε αὐτόν. Κιθάρα νοείσθω τὸ ϛόμα, οἱονεὶ πλήκτρῳ κρουόμενον τῷ πνεύματι. *Et in cithara celebrate eum. Per citharam os intelligitur, quod Spiritu tanquam plectro pulſatur.* Præcipue quia citharæ in decantandis heroum laudibus adhiberi ſolebant. Teſtatur id HOMER. *Iliad IX.*

Τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ.
Τὴν ἄρετ' ἐξ ἐνάρων, πτόλιν Ἠετίωνος ὀλέσσας,
Τῇ ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν
Illum autem invenerunt animum oblectantem cithara dulci ſona,
Quam ceperat e ſpoliis, urbe Eëtionis deſtructa.
Hac is animum recreabat, canebat autem glorioſa geſta heroum.

Et AMMIAN. MARCELL. *Bardi quidem fortia virorum illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* Quare *cithara* pro *cantu* ac *celebratione* ponitur apud PROPERT. *Lib. II. el. X.*

Nunc volo ſubducto gravior procedere vultu,
Nunc aliam citharam me mea Muſa docet.

III. Elegantiſſima inter præconium virtutum divinarum in miniſterio Evangelii & citharas harmonia exiſtit.

a. Si conſideremus *materiam*, ex lignis אלמגים Salomo eas confici curavit. 1 Reg. X, 11. 12. quæ non *citrum* vel pinus, ut Cel. TILL. conjicit, ſed potius *hebeni* præſtantiſſimum genus fuiſſe videtur, quod ex India deducebatur, & non ſingulari ſolum ſe *ſplendore* ſed & *conſtantia* & *durabilitate* ſe commendabat, ut a viris doctis eſt obſervatum. *Aureæ* quoque memorari in loco noſtro videntur ex contextu. Saltem *auratas* & *deauratas* memorant antiqui. Sic VIRGIL. *Æneid. Lib. I.*

- *cithara crinitus Iopas*
Perſonat aurata.

Similiter HOMERUS φόρμιγγα χρυσείην memorat *citharam auream*; Et

Et ATHENÆUS *Lib. V.* docet citharas in ſolenni pompa deauratas fuiſſe. THEOCRIT. *in Idyll.* *φόρμιγγα πύξινην* *citharam buxeam*, & ARISTOPH. *in ὀρν.* *ἐλεφαντόδετον φόρμιγγα* deſcribit, i. e. *ex ebore* confectam.

Innuit hoc, ad præconium virtutum divinarum animas requiri ſanctas, in fide atque amore divino perſiſtentes. Qui enim virtutes Dei vocantis ex tenebris in lucem celebrare volunt, genus electum, ſacerdotium regium, & populus ſanctus eſſe debent 1 Pet. II, 9. Et miniſtri Evangelii vaſa gloriæ electa exiſtant oportet. Act. IX, 15. Qui animas habent ſanctificatas & *ſplendore* imaginis divinæ radiantes, tanquam lumina in hoc orbe Matth. V, 14 15. 16. qui *auro* fidei ornati, gloriam ſuam coram oculis mundi manifeſtant Apoc. III, 9. Zach. XIV, 20. Qui denique inſtar *ligni ebeni* in veritatis amore conſtantes perſeverant, nec ulla concupiſcentiarum carnalium carie, nec perſecutionum ardore inde divelli ſe patiuntur. Rom. VIII, 35-39. adeoque *pretioſi* exiſtunt in oculis Dei & animarum, illorum ope ad laudes Dei excitandarum.

IV. b. Pergimus ad *formam* citharæ apud antiquos, quæ diverſiſſima fuit. Deſcribit eam ſecundum omnes partes LUCIAN. *in dial. Deor. Opp. T. I. p. m. 194.* *χελώνην νεκρὰν εὑρὼν, ὄργανον ἀπ᾽ αὐτῆς συνεπήξατο. Πήχεις γὰρ ἐναρμόσας, καὶ ζυγώσας, ἔπειτα καλάμους ἐμπήξας, καὶ μαγάδιον ὑποθεὶς, κατὰ ἐντεινάμενος ἑπτὰ χορδὰς, μελῳδεῖ πάνυ γλαφυρὸν, ὦ Ἥφαιστε, καὶ εὐαρμόνιον.* *Teſtudine mortua alicubi inventa, inſtrumentum ex ea compactum dedit. Brachiis enim adaptatis, & jugo ſuperinducto, deinde calamis (chordarum anſulis) infixis, fundoque infra & quaſi quodam dorſo ſubjecto, atque inde ſeptem chordis ſuſpenſis & intentis, jucundum quid modulatur & concinnum.* HIERONYMUS triangularem, alii quadrangularem illis formam adſcribunt. *Rotundam* & *concavam* ipſis formam tribuunt nummi plurimi paſſim obvii, quos ex parte collegit Cel TILL. *in tract.* Dicht-Sing-und Spiel-Kunſt der alten Hebräer. *p. m. 86.* Quare concavam quoque memorat HOMER. *Odyſſ. Lib. XVII.*

— *περὶ δέ σφεας ἤλυθ᾽ ἰωὴ*
Φόρμιγγος γλαφυρῆς, ἀνὰ γάρ σφισι βάλλετ᾽ ἀείδειν.

cir-

- circum autem venit ſonitus
Citharæ concavæ, ipſis enim incepit canere.

Novam hæc forma præconum virtutum divinarum qualitatem pingit, qui pro menſura donorum Spiritus S. ipſis conceſſa, vaſa quoque diverſa gloriæ exiſtunt, & quisque pro modulo ſuo in celebratione divinarum perfectionum vires intendit. 1 Cor. XII, 4-11. 27-30. Eph. IV, 11. Rom. XII, 7. 8. forma *triangularis* ad *Dei triunius* laudem deſignandam, *quadrangularis* autem & *rotunda* ad perfectionem celebrationis Entis ſumme perfecti referri poſſet. *Concava* illarum qualitas, quæ ſonum intendere ſolebat, illum ante omnia ad celebrationem Dei aptum eſſe docet, qui cor omni *φιλαυτίᾳ* vacuum, & ſuæ impotentiæ ac indignitatis (ut ita loquar) intime conſcium poſſidet. Gen. XVIII, 10. XXXII, 10. 1 Cor. II, 1-3. 2 Cor. XII, 9. Gal. IV, 13. 1 Cor. II, 16. Cap. III, 5. 6.

V. c. Variis inſuper *fidibus* inſtructa erat cithara, quarum numerus diverſus occurrit in antiquis diptychis. Sic 1 Chron. XVI, 21. *octo chordarum cithara memoratur.* Apud Græcos præcipue *ſeptem chordas* habebat. Quare EURIPID. *in Jon. v. 881.* canit:

Ὦ τὰς ἑπταφθόγγου μέλπων
Κιθάρας ἐνοπάν.
O ſeptem fidibus inſtructæ, ſuaviter edens
Citharæ vocem.

Et in *Epigramm. Lib. I.*

\- ἑπταμίτῳ τείχισας ἐν κιθάρῃ.
\- *in cithara ſeptem fidibus prædita ſtruens.*

PINDAR. *in Pyth.* φόρμιγγα ἑπτάκτυπον, *citharam ſeptem ſonos edentem* memorat. Quod etiam innuit HORAT. *Lib. I. Carm. od. II.*

Tuque teſtudo reſonare ſeptem
Callida nervis.

JOSEPHUS citharam *decem chordarum Lib. VII. antiq. c. XII.* deſcribit. Dantur etiam XII. imo XVIII. & XX. chordarum. Vide PIGNOR. *de Serv. p. 80. in fig. expreſſis* & TILL. *l. c.*

Fides plerumque erant ex *inteſtinis pecudum;* patet hoc ex loco inſigni in *Maſſech. Kinn. Cap. III. hal. VI.* אמר רבי יהושע זה הוא שאמרו כשהוא חי קולו אחר וכשהוא מת קולו שבעה כיצד

כיצד קולו שבעה שתי קרניו שתי חצוצרות שני שוקיו שני חלילין עורו לתוף מעיו לנבלים בני מעיו לכנורות *R. Joſua dixit. Quodnam eſt illud animal, de quo perhibent, quod quamdiu vivat, unicam tantum emittat vocem, mortuum autem voces ſeptem. Quomodo igitur voces ſeptem? Duo ipſius cornua duas præſtant tubas, gemina crura totidem fiſtulas, ex pelle fit tympanum, ex inteſtinis præparantur nablia, & ex iisdem conficiuntur fides ad citharam.* Et HOMER. *Odyſſ. Lib. XXI.*

Ὡς ὅτ᾽ ἀνὴρ φόρμιγγος ἐπιστάμενος, καὶ ἀοιδῆς
Ῥηϊδίως ἐτάνυσσε νέῳ ἐπὶ κόλλοπι χορδὴν
Ἅψας ἀμφοτέρωθεν ἐΰστρεφὲς ἔντερον οἰός.
Sicut autem quando vir citharæ peritus & cantus
Facile extendit novo in ſinu chordam,
Tangens utrinque bene retortum inteſtinum ovis.

Fides in hac cithara myſtica deſignare apte poſſunt veritates Evangelicas, quæ materiam laudis divinæ exhibent. Veritates enim hominem ad celebrandum Dei nomen excitantes, quaſi *viſcera agni Dei* mactati pro peccatis mundi ſunt. conf. Johann. I, 29. Pſ. XL, 9. Heb. X, 7. 9. 10. in illis fontes miſericordiæ & benignitatis divinæ recluduntur. Diverſitas harum chordarum diverſas ſalutis veritates, quæ virtutes divinas explicant, & peccatori in memoriam revocant, deſignat: quæ ad *denarium* numerum referri queunt, quia ſumma harum veritatum in *decalogo* reperitur; vel ad *ſeptenarium*, qui perfectus habebatur ad perfectionem veritatum æque ac laudis divinæ ſub N. T. delineandam, utpote quæ per omnes ſeptem N. T. viciſſitudines propaganda, & æterna denique Dei celebratione coronanda erat.

VI. d. Singularis porro *fidium* citharæ concentus & *harmonia* celebratur ab antiquis, quæ diverſo licet tono præditæ, ſuaviſſimum tamen concentu ſuo ſonum excitant. Reſpicit huc Apoſtolus 1 Cor. XIV, 7. *Atqui vitæ expertes res, quæ ſonum edunt, veluti tibia & cithara, niſi ſonis ſuis (diverſis) diſtinctionem dederint, quomodo quis ſciet, an tibia canatur an cithara.* Cithara eapropter concentrix appellatur in illo EURIPID. *in Jon. v. 164.*

 Οὐδὲν

Ὀυδέν σ' ἁ φόρμιγξ ἁ Φοίβου
Σύμμολπος τόξων ῥύσαι τ' ἄν.
Nihil te cithara Phœbi
Concentrix, a ſagittis liberabit.

Concordia eapropter a quibusdam quaſi conchordia, ab harmonia chordarum dicta videtur. Et cithara ipſa *harmoniæ* ſingularis emblema eſt, teſte PLUTARCH. *περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας* in fin. ubi ſcribit: *Οἱ πάλαι Θεολόγοι πρεσβύτατοι φιλοσόφων ὄντες, ὄργανα μουσικὰ Θεῶν ἐνεχείριζον ἀγάλμασιν· οὐχ ὡς λύραν που καὶ αὐλὸν, ἀλλὰ οὐδὲν ἔργον οἰόμενοι θεῶν οἷον ἁρμονίαν εἶναι καὶ συμφωνίαν. Priſci Theologi, philoſophorum vetuſtiſſimi, inſtrumenta Muſica in manu Deorum imaginibus poſuerunt. Non ſane quod eos lyra aut cithara ludere putarent, ſed quod nullum Deo opus convenientius eſſe judicarent, quam conſonantiam & harmoniam.* Simili ratione loquitur CICER. *Lib. II. de Republica*, in fine. Alia loca eandem harmoniam Lyræ confirmantia adducit Cel. LAMP. *in Comm. Pſ. XLV. p. m. 54. ſq.*

Optime hac ratione delineatur ſuaviſſima veritatum cœleſtium harmonia; variam enim & diverſam illæ laudis divinæ materiam exhibent, quæ vel demonſtrationem juſtitiæ Dei ac ſanctitatis illibatæ, vel etiam clementiæ, benignitatis ac gratiæ declarationem concernit. Sed tamen ad eandem Dei ſummi celebrationem pias animas accendit. Pſ. XXXI, 20. Pſ. LXXXIX, 6-10. Rom. XI, 33-36. Innuit præterea harmoniam laudis divinæ tum in Eccleſia triumphante tum militante, a tota creatura decantandæ, veluti Apoc. V, 6. 11. 13. in viſione, XXIV. ſeniores una cum IV. animalibus, nec non multa Angelorum millia, atque omnes creaturæ in cœlo & in terra atque ſub eadem, dulciſſima copula junguntur, tanquam in celebratione Dei & agni mire conſonantes. adde Pſ. CL. 1-6. CXLVIII, 1-14. Unus enim idemque Spiritus omnia membra hujus corporis myſtici agit, vivificat & zelo ſacro incendit. Eph. IV, 4-12. Pſ. CXXXIII, 1. 2.

VII. e. Fides ut ſonum ederent, *plectro* percuti atque agitari ſolebant olim. *Aureo plectro* id factum eſſe, teſtis eſt EURIPID. *in Herc. fur. v. 349.*

Μολπᾷ Φοῖβος ἰαχεῖ,
Τὰν καλλίφθογγον κιθάραν
Ἐλαύνων πλήκτρῳ χρυσέῳ.

Can-

Cantu Phœbus reſonat,
Sonoram citharam
Pulſans aureo plectro.

Exprimit idem HOMER. *hymn. in Apoll.*

- τοῖο δὲ φόρμιγξ
Χρυσέε ὑπὸ πλήκτρε καναχὴν ἔχει ἱμερόεσσαν.
Hujus autem cithara aureo a plectro ſtrepitum habet amabilem.

Eburneum plectrum memorat VIRGIL. *de Orpheo:*

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum
Jamque eadem digitis, jam pectine pulſat eburno.

Talem quoque memorat ANACREON *in od. p. 84.* Alias etiam *digito*, præcipue pollice, tangebantur, unde MAXIMIN. *in elegiis.*

Nunc niveis digitis, nunc pulſat pectine chordas.

Et TIBULL. *Lib. II. el. V.*

Nunc age cum cithara carminibusque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba meas.

Plectrum quo fides myſticæ tanguntur, atque ut ſonum edant, incitantur, eſt *Spiritus S.* quare CLEMENS ALEX. *Pædagog. Lib. II.* Κιθάρα, inquit, νοείσθω τὸ στόμα, οἱονεὶ πλήκτρῳ κρεόμενον τῷ πνεύματι. *Cithara denotat os, quod ſpiritu tanquam plectro pulſatur.* Quemadmodum enim ſine plectro aut pollicis tactu chordæ mutæ exiſtunt atque nullum ſonum edere valent, ita absque Spiritu veritates Evangelii ſunt *litera mortua*, quæ ſolum per Spiritum Dei vivificari poteſt. 2 Cor. III, 5-7. & organa quoque gloriæ divinæ absque Spiritus hujus operatione nihil quicquam efficere poſſunt, ſed illo agente cum efficacia virtutes divinas enucleant. 1 Cor. II, 2-5. qui hoc ſpiritu παῤῥησίας incitantur, etiam cum demonſtratione potentiæ loqui poſſunt. 2 Cor. IV, 13. Ille eſt *ignis ſacer*, quo labia tanguntur & apta redduntur ad gloriam regis ſupremi in toto orbe decantandam Jeſ. VI, 5-10. Hic quoque per *digitum* illum, quo chordæ ſolicitantur, indigitatur, uti idem *manus*, *brachium & digitus* Dei ſæpius in ſacris appellari ſolet. Quare Doctores cum 7. ſtellis in *manu* Dei conferuntur. Apoc. III, 1.

VIII. f. *Citharæ* variis *ornamentis* decorari ſolebant apud veteres, ſc. *figuris*, *ſculpturis*, atque emblematibus, ut eo ſplendidiores apparerent. Talem deſcribit LUCIAN. *adverſ. indoctum. Opp. T. II. p. m.762.* Τὴν μέν γε κιθάραν αὐτὴν ὑπερφυές τι χρῆμα, εἰς κάλλος καὶ πολυτέλειαν. Χρυσȣ̃ μὲν τȣ̃ ἀκράτȣ πᾶσαν, σφραγῖσί τε καὶ λίθοις ποικίλοις κατακεκοσμένην Μȣσῶν μεταξὺ καὶ Ἀπόλλωνος καὶ Ὀρφέως ἐντετορευμένων, θαῦμα μέγα τοῖς ὁρῶσι. *At cithara, viſu mirabile, apparatu dives, ex puriſſimo auro fabricata annulis & gemmis paſſim ornata, ſuisque locis Muſarum, Apollinis & Orphei imaginibus ſculpta, ſpectatores ſuſpenſos animis tenebat.* Nec non HOMER. *Iliad. Lib. IX.*

- φόρμιγγι λιγείῃ
Καλῇ, δαιδαλέῃ (ἐπὶ δ' ἀργύρεος ζυγὸς ἦεν.)
- *cithara dulciſona,*
Pulchra, ingenioſe facta, ſuperne autem argenteum jugum erat.

Uti & BASIL. *in Jeſ. fol. 142. At apud te jacet Lyra, auro, denteque Elephantino interſtincta & variegata, in ſublimi quopiam altari velut ſtatua & idolum dæmonum.*

Vaſa gloriæ divinæ ſimiliter ſculpturas atque imagines Dei ſui gerunt. Nomen Dei & agni gerunt in fronte ſua Apoc. XIV, 1. cap. XXII, 4. ſigillo Dei ſui ornantur atque obſignantur tanquam peculium ipſius 2 Cor. I, 21. 22. Eph. IV, 30. gerunt tanquam organa electa Dei τεκμήρια & ſtigmata Chriſti Domini in corpore ſuo Gal. VI, 17. variis enim donis Spiritus S. inſtruuntur atque ornantur, ut coram mundo pateat, cujus gloriæ præcones exiſtant; ſc. illius, qui eos vocavit e tenebris ad lucem admirabilem. 1 Pet. II, 9. adaptati & idonei redditi ad celebrandum Dei nomen per Spiritum ejus 2 Cor. III, 6. 7. Radii imaginis divinæ ex tota eorum converſatione elucent, ut mundus quoque agnoſcat, eos eſſe a Domino amatos. Apoc. III, 9.

IX. g. Citharæ ſonus maxime eſt *acutus*, ſed tamen etiam *ſuavis*, qui *homines* atque *beſtias* demulcere credebatur, & præcipue ad debellandos affectus animi turbidos adhibebatur, uti patet ex Davidis exemplo, qui Saulis ſpiritum furibundum citharæ ſuæ ſono ſuaviſſimo emollire ſolebat 1 Sam. XVI, 17. 24. XVIII, 9. XIX, 9. Spiritus quoque prophe-

phetiæ ejusmodi inſtrumentorum ſono excitari ſolebat, uti exemplum Eliſæ docuit 2 Reg. III, 15. Acutum ſonum illi tribuit VIRGIL. *Lib. Ciris.*

Unde etiam citharæ voces imitantur acutas.

Suavem ſonum illi tribuit PINDAR. *in Nem.* quando γλυκεῖαν, & in *Olym.* ἡδυμένην i. e. *dulcem* ac *ſuaviter ſonantem* appellat. Sono ſuo feras & homines delinire poſſe citharam docent antiqui. Ita EURIP. in *Alceſt. v. 578.*

Σὺν δ' ἐποιμαίνοντο χαρᾶ μελέ-
ων, βαλιαί τε λύγκες,
Ἔβα δὲ λιποῦσ' Ὀθρυ-
ὸς νάπαν λεόντων
Ἀδαφοινὸς ἴλα,
Ἐχόρευσε δ' ἀμφὶ σὰν κιθάραν,
Φοῖβε.
Et ſimul paſcebantur oblectatione carminum
Maculoſæ Lynces,
Ivit autem linquens Othryum
Saltum, Leonum
Fulva cohors.
Saltavit autem circa tuam citharam,
Phœbe.

Huc reſpicit LUCIAN. *in Gall. p. m. 607.* καὶ ὑπετέμνετο τὴν εὐφροσύνην, οὐκ ἐῶν ἀκούειν τῶν κιθαριζόντων καὶ ᾀδόντων. *Planeque voluptatem interpellatione minuebat, quum non ſineret exaudire eos, qui cithara & voce canebant.* Nec non OVID. *Lib. XII. metam. v. 157.*

Non illos citharæ, non illos carmina vocum,
Longaque multifori delectat tibia buxi.

Imo Deos ipſos ac immortales cœli incolas citharæ ſono delectari, docet HOMER. *hymn. in Apoll.*

Ἀυτίκα δ' ἀθανάτοισι μέλει κίθαρις καὶ ἀοιδή.
Statim immortalibus curæ eſt citharaque & cantus.

Inſtrumenta gloriæ divinæ ſono præconii virtutum divinarum animas mortalium afficiunt. *Acutus* illius ſonus, qui ſanctitatis ac juſtitiæ divinæ rationes pandit, vulnerat conſcientias, penetrat corda atque ad

 ſalu-

ſalutarem reſipiſcentiam excitat. Act. XXIV, 25. Cap. II, 37. Sed & *ſuaviſſimus* illius ſonus animas credentium mira voluptate afficit, ita ut exclament Pſ. XCII, 2. *O quam bonum eſt celebrare Jehovam, pſallere nomini tuo, o excelſe: annuntiare quovis mane benignitatem tuam & fidem tuam quavis nocte.* Dura quoque pectora, quæ *feris* rapacibus ſimilia exiſtunt, hocce præconio ſæpe flectuntur, ſedantur & ad venerationem Numinis excelſi excitantur. Veluti ex quamplurimis martyrum exemplis liquido conſtat, qui mediis in flammis & cruciatibus Deum animo heroïco & lingua volubili celebrantes, gentium effera corda ad amoris divini ſtudium pellexerunt. Deo quoque laudes, quas a mortalibus accipit, maxime placere, ſi ſincero corde ipſi offeruntur, teſtatur Spiritus S. paſſim. Pſ. LXV, 2. LXXXIV, 5. Pſ. CXLVII, 1. Cœlites ipſi laude divina delectantur, & in opere hoc indefeſſi pergunt Pſ. CXLIII, 1. 2. 3. Apoc. V. tot.

X. h. Citharam pulſare ſingulare olim *artificium* fuit, quare perſonæ hujus artis peritæ, *Cithariſtæ* atque *Citharœdi* dictæ, quorum hæc eſt differentia, ut illa vox citharam pulſantes, hæc ad citharam, quam pulſabant, ſimul canentes deſignet, ut ex ſacris & profanis ſcriptis patet. Hujus artis David erat peritiſſimus 1 Sam. XVI, 16. De Alexandro ſcribit ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. III. cap. 33.* quod ἔπω πρόσηβος, ἐμάνθανε κιθαρίζειν. Τῦ δὲ διδάσκοντος κρῦσαι κελεύσαντος χορδήν τινα σὺν μέλει, καὶ ἣν ἀπήτει τὰ κιθαρίσματα &c. *quum nondum ad puberem ætatem perveniſſet, citharam didicerit pulſare. Magiſter autem jubebat chordam quandam tangere modulis convenientem, & quam poſtulabat artis ratio &c.* Sine inſtitutione hanc artem exerceri non poſſe, teſtatur LUCIAN. *in Lib. Quom. hiſt. ſcrib. ſit. p. m. 406.* & in Hippia p. m. 741. κιθαρίσαι δυνάμενον magni pretii habendum eſſe judicat. Quare EURIPID. *in Taur.*

Φοῖβον ἐν κιθάρᾳ σοφὸν
Phœbum citharœdum peritum

appellat, & citharœdum deſcribit HOMER. *Odyſſ. XXI.*

Ὡς ὅτ᾽ ἀνὴρ φόρμιγγος ἐπιστάμενος καὶ ἀοιδῆς,
Ῥηϊδίως ἐτάνυσσε νέῳ ἐπὶ κόλλοπι χορδήν.

Sicut

Sicut autem quando vir citharæ peritus & cantus,
Facile extendit novo in ſinu chordam.

Citharœdi olim magni habebantur, quare MARTIAL. Lib. III. ep. IV. in eos invehitur invide, nec non JUVENAL. *Sat. L. III.* Et *Lib. V. ep. 75.* ſcribit:

Artes diſcere vult pecunioſas?
Fac diſcat citharœdus aut choraules.

Quare ſingulari *veſtitu* & *coronis* ornabantur, quod docet CORNIFICIUS *Lib. IV. ad Herenn. Uti citharœdus cum prodierit optime veſtitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta, & cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata.* SUETONIUS cap. XXV. de Nerone teſtatur: *Sacras coronas in cubili circum lectos poſuit, item ſtatuas ſuas citharœdi habitu, qua nota etiam nummum percuſſit.* Quem nummum vide apud BEGER. *Num. Imp. Rom. Tab. XX. n. 24.* ubi Nero cum cithara & pallio cernitur, addita epigraphe: PONTIF. MAX. TR. POT. IMP. P. P. S. C.

Et ſane qui myſticas haſce citharas ita pulſare deſiderat, ut auribus Dei gratus exiſtat, hujus artis peritus ſit oportet, quæ in ſchola cœleſti doctore Spiritu S. addiſci poteſt. Deus ipſe teſtatur, ſe ſibi populum adoptaſſe ad decantandas laudes ſuas. Jeſ. XLIII, 21. qui cor ad Deum celebrandum præparatum & doctum poſſidet Pſ. LVII, 8. Spiritus Dei eſt, qui fulgorem majeſtatis divinæ in organis gloriæ revelat, ac perfectionum divinarum decentiam aperit, ut ita ad Deum decenter celebrandum apti reddantur atque inſtruantur tanquam lactentes, ex quorum ore Deus ſibi robur præparavit. Pſ. VIII, 3. Doctores N. T. ſunt *citharœdi myſtici*, qui in hac arte indefeſſo ſtudio exercentur, aliosque in eadem inſtruere contendunt. 2 Tim. II, 1. 2. Qui eapropter magni faciendi tanquam honore digni. 1 Theſſ. V, 12. 13. & mercedem aliquando largam, imo coronam gloriæ æternam reportaturi ſunt. 1 Pet. V, 4. 2 Tim. IV, 7. 8.

XI. i. Citharam pulſaturi *manu* eam tenebant, vel etiam *columnæ* imponebant, vel ad aquas *ſedebant* canentes, unde OVID. *Faſt. Lib. II. v. 115.*

Ille ſedens citharamque tenet, pretiumque vehendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.

Et

Et *III. artis amat. Lib. v. 319.*

Nec plectrum dextra, citharam tenuiſſe ſiniſtra,
Neſciat arbitrio fœmina docta meo.

Sic paſſim innumis citharœdi vel tenentes manu citharam, vel columnæ imponentes eas conſpiciuntur apud *Begerum*, *Oiſelium*, *Golzium.* Interdum tamen *ſuſpendebant*, & quidem triſtes, ex *arboribus* & truncis. Huc refer Pſ. CXXXVII, 1. 2. *Ad fluvios Babylonis ſedentes ploravimus. Ad ſalices in ea ſuſpendimus citharas noſtras.* Ita Alcinous poſt convivium, certamen initurus, citharam ſuſpendiſſe legitur apud HOMER. *Odyſſ. Lib. VIII.*

Κὰδ δ' ἐκ πασσαλόφιν κρέμασε φόρμιγγα λιγεῖαν.
E palo autem ſuſpendit citharam ſtridulam.

Quod & cum aliis organis factum teſtatur VIRGIL. *Ecl. VII.*

Hic arguta ſacra pendebit fiſtula pinu.

Et in gemmis fiſtulas ex arbore ſuſpenſas exhibet PIGNORIUS *in tract. de Magn. Deum matre p. m. 18.* Similiter in *aris* & *putealibus* ſuſpendebant, ita in nummis apud GOLZ. *Faſt. Conſ. p. 195. n. VI.* ubi ara coronata apparet, & utrinque ſuſpenditur cithara, cum inſcriptione: PUTEAL SCRIBON. Adde p. 196. n. I. Sic in nummo apud BEGER. *Tab. LIV. n. 19.* apparet Apollo citharam, quæ *aræ innititur*, tangens,

Manu fidei tenenda ac ſervanda eſt cithara laudis divinæ, utpote quæ ſimul in celebratione divina operoſa eſſe debet, quum ſine fide impoſſibile ſit Deo placere. Heb. XI, 6. Fide enim corroboramur in adverſitatibus hujus vitæ, ut in ipſis tentationibus celebrationis divinæ haud immemores exiſtamus Jac. I, 2. 3. per illam ſervamus ac tuemur hanc citharam myſticam, atque excitamus animam ad laudes divinas Pſ. LVII, 8. 9. 10. *Triſtes* tamen quandoque præcones ſuas citharas *ſuſpendunt*, quando fides infirma exiſtit & tentationes ingraveſcunt; tunc os ſæpe obmuteſcit, lingua tacet, & cor tepore frigeſcit. Pſ. LXXXVII, 8-10. citharaque eorum in threnos & lamenta mutatur Hiob. XXX, 31. Sæpius quoque in *ara divina* reponunt, & ſacrificio ac meritis Salvatoris ſui innituntur, ejusque interceſſione. 1 Joh. II, 2.

XII. ב. Transeamus ad varios cithararum apud Veteres Uſus, quos in lætis occaſionibus frequentiſſimos fuiſſe deprehendemus. Sic

a. In

a. In *Proceſſionibus* publicis ac præcipue *Choreis* apud Judæos æque ac gentes citharas reſonaſſe legimus. Ita Laban Jacobum cum tibiis & *citharis* deducturus erat. Gen. XXXI, 27. Prophetarum chorus *cithariſtas* præeuntes habebat 1 Sam. X, 5. Arca fœderis in ſolenni proceſſione cum *citharæ* ſono deducebatur a Davide in domum Obed Edomi 2 Sam. VI, 5. necnon in domum Dei 1 Par. XVI, 28. Quare choreæ & citharæ junguntur Pſ. CXLIX, 3. Apud profanos ſcriptores veſtigia quoque hujus moris exſtant. Sic EURIPID. *Iphig. in aul. v. 1037.*

Μετά τε φιλοχόρε κιθάρας
Συρίγγων θ᾽ ὑπὸ καλαμόεσσαν, ἔςασαν ἰαχάν.
Et cithara amante choreas
Et tibiis, calamis formatam
Ediderunt vocem.

Similiter HOMERO *Odyſſ. Lib. VIII.* κίθαρίς τε χοροί τε *citharæ & chori* junguntur. Nec non THEOGN. *in ſentent. v. 789.*

Τερποίμην φόρμιγγι καὶ ὀρχηθμῷ, καὶ ἀοιδῇ.
Oblector cithara & choreis & carminibus.

Ita & LUCIAN. *de ſaltatione p. m. 105. opp. T. IV.* παίδων χοροὶ συνελθόντων ἐν αὐλῷ καὶ κιθάρᾳ, οἱ μὲν ἐχόρευον, ὑπωρχῦντο δὲ οἱ ἄριςοι προκριθέντων ἐξ αὐτῶν. *Ingreſſi vero puerorum chori, tibia & cithara præcinentibus ſaltabant, quos ſubſecuti optimi, facto delectu choreis excipiebant.* Ac denique HESIODUS *in Hercul. ſcut. v. 280.*

Αἱ δ᾽ ὑπὸ φορμίγγων ἄναγον χορὸν ἱμερόεντα.
Illæ autem ad citharam ducebant choreas amabiles.

Præcones & citharœdi myſtici præcipue quoque in cœtu confeſſorum, qui conveniunt in atriis Jehovæ, laudes divinas enumerare ſtudent, tanquam in cœtu ſanctorum Pſ. LXXXIX, 6. heic auguſta deprædicantur, & cantores per choreas decantant carmina cœleſtia Pſ. LXXXVII, 3. Os ipſorum annuntiat juſtitiam Jehovæ & ſalutes ejus innumerabiles Pſ. LXXI, 15. Quare XXIV. ſeniores una cum IV. animalibus, nec noctu diuve quieſcunt, ſed in celebrandis virtutibus ac majeſtate Dei viventis in ſecula indefeſſi occupantur Apoc. IV. 8-11. Imitantur hac ratione exemplum Ducis ſui, Meſſiæ, qui nomen Jehovæ fratribus ſuis enuntiaturus, & in media congregatione celebraturus erat Pſ. XXII, 23. conf. Pſ. XL,

 10. 11.

Jo. II. XXXV, 18. Et ita cœtus Sanctorum ipſe ad Dei laudes accenditur Pſ. CXLIX, 1.

XIII. b. In *prœliis* atque *triumphis* publicis, poſt victoriam ab hoſtibus reportatam, *cithararum* ſonus audiebatur, atque feſtivitatem augebat. Joſaphatus in triumpho devictis Ammonitis & Moabitis, Hieroſolymas ingrediebatur præeuntibus citharœdis ac tubicinibus. 2 Paral. XX, 28. conf. 1 Macc. XIII, 51. Huc alluditur Jeſ. XXX, 32. quando Jehovæ *tympana* & *citharæ*, Aſſurem debellaturo, tribuuntur. Sic in victoria Agni *citharœdi* occurrunt Apoc. XIV, 1. 2. XV, 2. Apud gentes *in bellum* quoque profecturi *citharas* adhibebant ad animos militum excitandos. Sic GELL. *Lib. I. Noct. Attic.* ſcribit: *Cretenſes prœlia ingredi ſolitos memoriæ datum eſt, præcinente ac præmoderante cithara greſſibus.* Pariter ATHENÆ. *Lib. XIV. Deipnoſ. cap. VI.* καὶ οἱ ἀνδρειότατοι Λακεδαιμόνιοι μετ᾽ αὐλῶν στρατεύοντο. Κρῆτες δὲ μετὰ λύρας, μετὰ δὲ συρίγγων καὶ αὐλῶν Λυδοί. *Fortiſſimi quidem Lacedæmonii cum tibia ſub ſignis ſunt. Cretenſes cum lyra* (cithara,) *cum fiſtulis & tibiis Lydi.* Et PAUSAN. *in Lacon. Lib. III. p. m. 193.* ὅτι Λακεδαιμόνιοι τὰς ἐξόδους ἐπὶ τὰς μάχας, οὐ μετὰ σαλπίγγων ἐποιοῦντο, ἀλλὰ πρός τε αὐλῶν μέλη καὶ ὑπὸ λύρας καὶ κιθάρας κρούσμασιν. *Lacedæmones in prœlia exeunt, non ad tubæ cantus, verum ad tibiarum modos ac lyræ atque citharæ pulſus.* Quare inter *ſpolia citharam* refert HOMER. *Iliad. II. p. m. 156.* In *triumphis* tamen etiam citharas adhibitas fuiſſe, docet BULENGER. *de triumph. cap. XXX. Præibant* (*triumphanti*) *Imperatori lictores, tunicis puniceis amicti, chorus cithariſtarum & Satyrorum Hetruſcæ pompæ ritu cinctorum, ornamentorumque coronis aureis.* Adde etiam DEMPSTER. *ad Roſin. Antiq. Rom. Lib. X. p. m. 1058.*

In certamine cum hoſtibus veritatis æque ac ſalutis ac triumpho de iiſdem, laudis Dei atque Ducis ſui non obliviſcitur Eccleſia. Docuit experientia quod teſtes veritatis in conflictu cum Ethnicis & Antichriſto, primis temporibus in celebratione virtutum divinarum animo plus quam heroico perſeverarint & hoſtes conſtanti confeſſione nominis divini in pudorem dederint. Meditationibus quoque de perfectionibus divinis tanquam dulci citharæ ſono credentes adhucdum excitantur, ut in certamine cum hoſtibus ſalutis indefeſſi pergant. Robur omnipotentis

tis inſuperabile ſibi proponentes, ipſi robuſti exiſtunt in Domino & robore virtutis ipſius Eph. VI, 10. Aliquando etiam *citharas* tangent triumphantes, ſtantes ad mare vitreum Apoc. XV, 2. & cum Agno triumphum agentes in monte Zion Apoc. XIV, 1-3.

XIV. c. In *conviviis* ſolennibus præcipue autem *Nuptialibus* citharæ pulſabantur frequenter. Huc reſpicit Vates Jeſ. V, 12. *in quorum conviviis eſt cithara, nablium, tympanum, tibiaque ac vinum.* Et ad citharas nuptiales alludi videtur Jeſ. XXIII, 16. *Sume citharam, circumi civitatem, o meretrix oblivioni tradita, optime pulſa, utere cantico plurimo, ut tui renovetur memoria.* Ita LUCIAN. *in Deor. Dialog. p. m. 19.* ὁ δὲ κιθαρίζει ἐν συμποσίῳ, θαυμαζόμενος ὑφ' ἁπάντων. *Ille autem citharam pulſabat in convivio, omnibus ipſum admiratione proſequentibus.* Idem in *Icæromenippo p. m. 711.* ἐν τῷ δείπνῳ ὅ τε Ἀπόλλων ἐκιθάρισε. *Inter cœnandum vero Apollo citharam pulſabat.* Similiter HOMER. *Odyſſ. VIII.* canit:

Ἤδη μὲν δαιτὸς κεκορήμεθα θυμὸν ἐίσης,
Φόρμιγγός θ', ἣ δαιτὶ συνήορός ἐστι θαλείῃ.
Jam quidem convivio explevimus animum æquali,
Citharaque quæ convivio congruens eſt lauto.

Et *Odyſſ. Lib. XVII,*

- ἐν δέ τε φόρμιγξ
Ἠπύει, ἣν ἄρα δαιτὶ θεοὶ ποίησαν ἑταίρην.
- *intus vero cithara*
Sonat, quam convivio Dii fecerunt amicam.

Adde ARISTOPH. *in Nub. Act. V. ſcen. II.* BARTH. *ad Claud. p. 247.* PIGNOR. *de ſerv. p. m. 75.* alioſque.

Præcipue in *Nuptialibus* conviviis citharæ ſonabant, quod liquet ex HOMER. *Iliad. XXIV.*

Πάντες δ' ἀντιάασθε θεοὶ γάμου· ἐν δὲ σὺ τοῖσι
Δαίνυ', ἔχων φόρμιγγα, κακῶν ἕταρ' αἰὲν ἄπιστε.
Omnes autem interfuiſtis Dii nuptiis, interque tu hos
Epulabaris, geſtans citharam, o malorum ſodalis perfide.

Et *Odyſſ. Lib. XXIII.*

Ἀυτὰρ θεῖος ἀοιδὸς, ἔχων φόρμιγγα λιγεῖαν,
Ἡμῖν ἡγείσθω φιλοπαίγμονος ὀρχηθμοῖο,
Ὥς κέν τις φαίη γάμον ἔμμεναι.
At divinus cantor, tenens citharam ſtridulam,
Nobis præeat ſaltatione feſtiva,
Ut aliquis dicat nuptias eſſe.

In *convivio* myſtico & quidem *nuptiali* N. T. etiam citharæ laudis divinæ audientur. Quando ſonitus turbæ ingentis audietur dicentium: *Hallelujah! Gaudeamus & exſultemus, & demus ipſi gloriam, quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus paravit ſe. Beati enim, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.* Apoc. XIX, 6. 7. 9. Sic ultimis N. T. temporibus, quando bona Jehovæ coacervabuntur, frumentum, muſtum, oleum & altilia; & convivium illud purum, vini defœcati, præparabitur, in celſitudine Zionis jubilabunt, virgines cum puellis in choreis & ſenes canentes tripudiabunt. Jer. XXXI, 12. 13. atque laus Dei ad exteras usque gentes penetrabit. Similiter quando Chriſtus animam cœna ſua excipit Apoc. III, 20. & irrorat illam voluptatum rivulis ac deliciis communionis ſuæ, in laudes ejus illa erumpit, & linguam cum corde promtiſſimo citharam conſtituit Pſ. LVII, 8-12. LXV, 1. 5. LXVI, 8. 9 14-16. XXXVI, 6-10. & paſſim. Pſ. CXLVII, 12. 13. 14. Idem facient electi, quando cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo in convivio cœleſti accumbent, ubi citharas immortales laudis Dei æternæ & nunquam finiendæ pulſabunt, lætitia exultantes in ſecula. Pſ. XVI. 11. ubi *Lætitiarum ſatietas* & נעימים *muſica gratiſſima coram facie ejus erunt æternum.*

XV. d. In *ſacris* quoque tum Judæorum tum Gentium frequentiſſimus *Citharæ* uſus obtinuit. Quis neſcit in cultu V. T. Levitas *citharas* quoque præter nablia, pſalteria aliaque inſtrumenta muſica tractaſſe, iisque laudes Dei Iſraelis decantaſſe. Conf. 1 Reg. X, 12. 1 Par. XVI, 16. XXV, 1. 2 Par. V, 12. XXXIX, 25. Neh. XII, 27. Talis erat *cithara Davidis*, qua Dei laudes tractavit, quam ſupra lectum ipſius ſuſpenſam & ſub media nocte ſonum edidiſſe, fingunt *Judæi in Berachoth fol. III. col. 2.* qua Pſalmos & odas ſacras, quas compoſuit, decantare ſolebat. Quod idem Levitæ in *feſtis ſacris* & cultu publico, etiam inter ſacrificia, e XV. gradibus, quibus inſiſtebant, imitari ſolebant, ut ex ſupra cit. locis patet.

tet. Adde Pſ. LXXXI, 2. 3. 4. qui in *feſtis* hoc factum docet. In ſacris gentium quoque *citharas* adhibitas ex Dan. III, 5. 7. 15. diſcimus. Illarum ſacerdotibus quoque *citharæ* tribuuntur, quod diſcimus ex illo VIRGILII *Æneid. Lib. VI.*

Nec non Threicius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum,
Jamque eadem digitis jam pectine pulſat eburna.

Et HORAT. *Lib. III. od. 3.*

Tuque teſtudo reſonare ſeptem
Callida nervis
Divitum menſis, & amica templis.

Nec non THEOGN. *in ſentent. v. 758.*

Φόρμιγγ' αὖ φθέγγοιθ' ἱερὸν μέλος, ἠδὲ καὶ αὐλῶ,
Ἡμεῖς δὲ σπονδὰς θεοῖσιν ἀρισσάμενοι.
Cithara rurſus ſonet ſacrum melos, ſeu tibia,
Nos vero libationibus Deos placantes.

Unde nummi bini Domitiani apud CHOUL. *de la Relig. des Anc. Rom. p. m. 284.* exſtant, ubi apparet *Sacerdos* mactans bovem, alter fiſtulam, alter citharam tenens, ad altare ſtante & offerente Imperatore. Vide nummum expreſſum *in Tabula noſtra num XVII.* Nero quoque *citharam* tenens, tanquam Sacerdos in nummis cernitur cum epigr. PONTIF. MAX. TR. POT. IMP. P. P. vide nummum in *Tabula noſtra num. XVIII.* In Bacchi *feſto* citharas pulſatas fuiſſe, docet ATHENÆUS *Deipnoſoph. Lib. V. p. 201.* ἐν οἷς κιθαρισαὶ συνεφώνεν τριακόσιοι, ἐπιχρύσες ἔχοντες ὅλας κιθάρας. *Inter quos cithariſtæ trecenti concinebant, aureas citharas totas pulſantes.*

Tales quoque *citharistæ* in loco noſtro apparent *coram throno* Dei, qui in *Sanctuario* conſtitutus erat, adeoque tanquam Levitæ & *Sacerdotes* myſtici citharas ſacras tractabant in cultu Dei & agni, throno inſidentium. Non enim ſolum Doctores N. T. qui filiis Levi adſimilantur in ſcriptis ſacris, in cultu divino laudis ac celebrationis perfectionum Summi Numinis ſtudioſos eſſe decet, atque aliis in glorificatione Nominis Dei præire. Pſ. CXXXIV, 1. 2. *Celebrate Jehovam omnes ejus miniſtri, qui ſingulis noctibus in domo Dei degitis. Attollite manus veſtras ſancte,*

 & be-

& benedicite Jehovæ. Sed & tota Eccleſia in hoc opere haud negligenter verſari tenetur. Quare IV. animalia noctu diuque abſque ulla mora & ſilentio τρισάγιον illud repetebant, & halleluja Deo ſuo occinebant Apoc. IV, 8. 9. in ſancta Dei domo ipſum celebrant indeſinenter Pſ. LXXXIV, 5. & quando ſacrificia myſtica, fructus fidei & reſipiſcentiæ offerunt, perfectiones Dei ſui enarrare non obliviſcuntur. vide Pſ. XX, 4. 5. 6. Quare petit Eccleſia, ut per lucem & veritatem Dei adducatur in montem ſanctitatis, ut ingredi queat & Deo ſalutis ſuæ cithara grates perſolvat Pſ. XLIII, 3. 4.

XVI. e. Superſunt denique *Deorum* atque cœlitum *citharæ*, apud veteres nationes celebratiſſimæ. Antiquitas enim ipſis Diis *citharas* adſignat. *Apollini* ob facundiam dubio procul citharam tribuunt, uti apud HOMER. *hymn. in Apoll.*

- - - ἄναξ Διὸς υἱὸς Ἀπόλλων,
Φόρμιγγ' ἐν χείρεσσιν ἔχων, ἀγαθὸν κιθαρίζων.
- - - *Rex, Jovis filius, Apollo*
Citharam tenens manibus, mire cithara ludens.

nec non TIBULL. *Lib. II. el. V.*

Phœbe fave, novus ingreditur tua templa ſacerdos
Huc age cum cithara, carminibusque veni.

EURIPID. *in Jon.* φόρμιγγα Φοίβου *citharam Phœbi* memorat. Sic in nummis apud CHOULIUM p. 204. ſq. Apollo cernitur cum Lyra, cum inſcriptione; APOLLINI AUGUSTO. it. APOLLINI COMITI. & apud BEGER. *Tab. LX. n. 6.* cum epigraphe: APOLL. CONSERVAT. & Tab. LXI. n. 4. apud OISEL. *Tab. I. n. 8.* cum inſcr. CÆSAR DIVI. F. & *Tab. XXXVII. n. 9.* APOLL. SALUTARI. adde *Tab. XXXVIII. n. 1. ſq.* Et denique apud SEGUIN. *p. 74.*

Θεάνθρωπος quoque noſter, qui Dux eſt chori cœleſtis atque Eccleſiæ militantis, in celebratione nominis divini præivit & citharam myſticam in ſtuporem auditorum pulſavit olim. Totum enim opus ipſius in hac terra erat, *glorificare nomen Patris ſui.* Joh. XVII, 4. nomenque ipſius decantavit coram mundo. v. 6. 26. cap. XVIII, 20. cap. VIII, 26. 28. 29. Erat enim antitypus *S. Pontificis*, qui nomen יהוה in fronte gerens, ejus perfectiones ubique in plena luce collocabat. Joh. I. 18. In cœ-

cœlo quoque, qua caput Eccleſiæ & agnus mactatus, chorum ducit, & cithara immortali laudes Patris ſui decantat, tanquam præſes Chori cœleſtis angelorum atque animarum beatarum, qui novum illud canticum de victoria agni ſimul concinit. Pſ. XL, 4. Pſ. LXXXIX, 6. 8. Et uti Apollo auctor citharæ pulſandæ habebatur, ita Salvator noſter vere auctor exſtitit celebrationis divinæ, per mortem enim ſuam fundamenta illius jecit. Agnus enim mactatus librum poſtquam aperuiſſet, XXIV. ſeniores cum IV. animalibus & omni creatura hallelujah accinebant Deo. Apoc. V, 8-14.

XVII. Quam beata ergo tempora exiſtunt, in quibus *citharæ* quamplurimæ in Eccleſia Dei reſonant, præeuntibus Præconibus Evangelii, ſequente toto choro confeſſorum veritatis. Aſt proh tempora nubila, triſtia, ſquallida, quæ vivimus! Si reſpicis *Levitas* myſticos, quam rariſſime illos citharas laudis divinæ cum zelo ſincero pulſantes audies. Duces in choro hoc ipſi obmuteſcunt, ſæpius linguam Canaanis non didicerunt, muti canes exiſtunt. Sint licet, qui tanquam æs Dodonæum aures auditorum ſono eloquentiæ humanæ titillare ſtudent, non tamen ad veram Dei laudem & virtutum ejus ſanctiſſimarum præconium eos accendere ſatagunt. Harmonia dulciſſima inter vitam & præconium ipſorum deeſt. Semper eadem chorda oberrant, e libris docti, ſed per experientiam & Spiritus S. inſtructionem minime illuſtrati. Ipſi averſantur meditationem ſanctiſſimarum Dei perfectionum, quare nec aliis eam commendare cum ſucceſſu queunt.

Et quamvis per Dei gratiam etiam hodiedum in Eccleſia externa ſinceri & periti ſuperſint *citharœdi*, qui *plectro* Spiritus S. quo inſtructi ſunt, has *fides* pulſant, animasque ad laudes Dei excitare omnibus, quibus poſſunt, viribus contendunt; pauci tamen etiam inter confeſſores externos ſupereſſe deprehendes, qui auribus benignis excipiunt. Minime delectantur ſeculi hujus homines ejusmodi tonis, aures ſurdas ipſis præbent, & non niſi threnos & lamenta habent, quamvis animæ cœlites hoc ſono ſæpius tanquam ſummis deliciis exhilarentur. Patulas ſæpe aures præbent *obſcœnis cithararum cantibus*, in ſocietate mancipiorum Satanæ recitatis. Deſcribit illos Amos cap. VI, 4. 5. 6. *accumbentes in lectis eburneis, & in ſpondis ſuis diffluentes, comedentes agnos gregis & vitulos pinguiſſimos.* *Mo-*

Modulantes ex ſono nabliorum, & Davidis inſtar meditantur inſtrumenta muſica. Exhaurientes crateres vini & præſtantiſſimis unguentis ſeſe ungentes. Multi blasphemiis nomen Dei ſanctiſſimum proſcindunt, & quod ore confitentur, turpiſſima converſatione, quæ vitiis & abominationibus ſcatet, denuo abnegant. Væ illis! quia heic *citharas* & cantilenas meretricias mundi ſectati ſunt, *cithara* certe ipſorum aliquando in luctum & lamenta deteſtabilia convertetur.

Aperiat ergo aures, quisquis ſonum Evangelii adhuc percipit. Quoties o mortales! doctores veſtri cum Johanne coram vobis *tibiis cecinere, & non ſaltaſtis?* quoties *citharas* tetigere, & ſono illarum non excitati eſtis? Aſcendite in montem Zionis, audite *citharædos* myſticos, ſed ne aures denuo inſtar aſpidis ſurdæ obduretis. Si dulces hosce Evangelii ſonos diutius aſpernitis, certe maledictiones & fulmina Ebal aures aliquando veſtras adimplebunt. Invitamini his citharis ad *nuptias agni* cœleſtes, ad *convivium* lautiſſimum deliciarum ſupracœleſtium, cur illas contemnetis? *Cithara* ſua *David* irrequietum Saulis Spiritum tranquilla pace recreare poterat, & hac *cithara* promiſſionum Evangelii omnes conſcientiæ querelæ & angores depelli poterunt.

O beatum ergo populum, qui hujus *citharæ* ſonum novit! beatos illos! qui in domo Dei habitant, qui Deum ſemper celebrant! Qui in ſchola Spiritus S. hanc pulſare *citharam* laudis divinæ *didicerunt.* Hos decet tanquam Levitas myſticos in hac arte indefeſſo ſtudio eſſe occupatos, ut ſe atque alias animas ad hoc opus dulciſſimum excitent. Vos eſtis populus, quem ſibi adaptavit ad celebrandum nomen ſuum. Quando triſtia vos obruunt tempora, ne *ſuſpendite citharas* veſtras, ſed manibus fidei ſervate, cogitate etiam noctu de inſtrumentis muſicis veſtris, & motu hujus citharæ animum renovate, ne in tentationibus vacilletis Pſ. LXXVII, 7-10. Diſcite heic cithara mortali decantare perfectiones Dei veſtri, licet adhuc infirmo *pollice*, ſic aliquando ad chorum XXIV. ſeniorum traducti, citharas illas aureas coram throno Dei & agni plectro immortali pulſaturi, laudes Triunius Dei canetis in ſecula.

EXER-

EXERCITATIO VIII.

DE

LOCUSTIS

EX FUMO ABYSSI PRODEUNTIBUS, SYMBOL PSEUDO-DOCTORUM ANTICHRISTIANISMI,

Apoc. IX, 3.

ARGUMENTUM.

Locus Apoc. IX. excutitur, & ſenſus propheticus breviſſime indicatur §. I. Cicadas *nobilitatis apud Athenienſes, hoſtium & exercitus hoſtilis & denique præconum, muſicæ & pſeudo-doctorum Symb. eſſe docetur §. II. Quod poſtremum per analogias demonſtratur, quatenus locuſtæ e terra progenitæ, & in Apoc.* ex fumo abyſſi *prodiiſſe dicuntur §. III. forma externa maxime variant & plurima earum genera reperiuntur. §. IV. Caput locuſtæ cornibus inſtructum, quare in Apoc.* coronam geſtans *deſcribitur. §. V. Oculi ipſis exiſtunt hebetes, ſed dentes acuti, qui* Leonum eſſe *in Apoc. conſiderantur. §. VI. Alas habent ſonoras, cruribusque ſaltando ſeſe attollere ſolent. §. VII. Cutim gerunt duriſſimam & quaſi loricatam §. VIII. Cauda quoque inſtructæ ſunt plurimæ, cui in Apoc.* ſcorpionum aculei *adſcribuntur. §. IX. Stridor porro earum atque cantus, quo delectantur, notatur §. X. Numerus inſuper & multitudo earum fere infinitus, quare* exercitus Dei *appellantur. §. XI. Copia earum inter judicia Dei graviſſima recenſetur, quatenus arbores & agros cum paſcuis devaſtant, famemque & peſtem poſt ſe relinquunt. §. XII. Rore vivunt cicadæ, nec niſi in æſtate apparent & audiuntur. §. XIII. Vento denique plerumque in mare præcipitantur vel a volucribus cœli & beſtiis devorantur. §. XIV. Quæ omnia coronantur epilogo morali. §. XV.*

I.

Locus APOC. IX, 3. difficillimum ſiſtit emblema propheticum, quod ut ex antiquitatibus ſolide eruatur, dignum judicamus. Occurrunt ibi *LOCUSTÆ* ex *fumo abyſſi* prodeuntes, *aculeis* inſtructæ inſtar *ſcorpionum*, *coronis* inſtar auri ornatæ, & *pilos muliebres* habentes &c. Varia ſunt Interpretum in explicatione hujus emblematis divortia. Pontificii nonnulli illud de *Luthero* ejusque aſſeclis explicant, veluti *Bellarminus*. Alii, velut *Beda*, *Thomas Aquinas* &c. de hæreticis variis ſub Conſtantino dominantibus. CORN. a LAPIDE & cum eo JUNIUS &c. de diabolo & dæmonibus malis intelligunt, quod & aſſerit Cel. MILL. in *diſſ. ſel. p. 181.* *Medus* cum aliis Arabes ſeu Mahumedanos ipſos, deſignari contendit, quos refutat Cel. GURTLERUS *in Theolog. Prophet.* Plerique tamen interpretes conſentiunt hoc loco per LOCUSTAS intelligendos eſſe *Pſeudo-Doctores Antichriſti*, qui eſt ἀπολλύων אבדין *filius perditionis*, veluti *Ligtfooth. Marckius*, *Witſius*, *Grellotus*, *Biermannus*, *Cel. Andala*, & præcipue Cl. H. G. SNABELIUS *Theol. Brem. Cel. in Amœnit. Theol. Embl. p. 295. ubi ſpecial. diſſ. de locuſtis biblicis emblemate Jeſuitarum* exſtat. Ab horum Interpretum graviſſimorum parte vix diſcedere poſſumus. Cum non ſolum, ut viri docti oſtendunt, Tuba V. illud tempus, quo pſeudo-doctores Antichriſti caput erexerunt, reſpiciat, ſed & omnes in loco Apoc. IX. memoratæ qualitates locuſtarum in eos quadrent. *Stella* e cœlo cadens Symb. eſt pſeudo-Doctoris inſignis, a vera Eccleſiæ Apoſtolicæ communione deficientis, qui ſane eſt illius temporis Antichriſtus. Tunc *fumus* errorum ex *abyſſo* prodiit, doctrina falſa, præcipue de purgatorio, miſſa & aliis inde deductis erroribus. Hinc ortæ *locuſtæ*, non in ſpecie Jeſuitæ, ſed varii Pſeudo-doctorum ordines, quum locuſtarum, ut infra videbimus, ingens ſit varietas. Hæ locuſtæ non læſuræ erant *gramen*, ſed *homines*, ut indicaretur, eſſe myſticas, quæ animas hominum peſtilentiali errore infecturæ eſſent, & illos, quos ſeduxerunt, conſcientiæ morſibus eapropter eſſe obruendos, cum *gramen* i. e. veros electos lædere & in mortem veneno ſuo lethali præcipitare non poſſent. Sed tantum per 5. menſes manſuræ erant, utpote per quod ſpatium locuſtæ in regione quadam apparent, adeoque breve tantum tempus. Similes futuræ *equis bellicis*, quia perſecutores teſtium veritatis

tatis futuri. *Coronis* auro ſimilibus ornatæ, quia imperium in animas falſum, & dominium in conſcientias affectaturi. *Facies* earum *humanæ* ſimilis, quia callidi, ſagaces, chriſtianos ſe ſimulantes. *Capillos mulierum* habituræ, quod non ſolum mollitiem eorum ac luxuriam, ſed & blanditias, quibus animas allicere ſtudent, deſignat. *Dentes* autem earum *Leonum* erant dentes, ad deſignanda convicia, criminationes, & invidiam, imo voracitatem & rapacitatem eorum. *Loricis ferreis* inſtructæ, ad calliditatem eorum, qua contra veritatis argumenta & convictiones ſeſe indurant, deſignandum. *Sonitus alarum* ut *ſtrepitus curruum* ſc. bellicorum, ad depingenda conſilia & molimina cruenta, quibus confeſſores exſcindere, flammaque & ferro delere ſatagunt. *Aculei* ipſarum, qui *ſcorpionum* ſunt, & *caudis* inhærent, blandiloquentiam depingunt, cujus ope animas incautas lethali vulnere afficiunt, illos inficientes veneno ſuo & erroribus lethalibus & vulnera conſcientiæ poſtmodum graviſſima relinquentes, quod pluribus exſequemur illico.

II. Ex his, leviſſimo quæ tantum digito tetigiſſe ſufficiet, ſponte liquet, *Locuſtas* has optime deſignare Pſeudo-doctores Antichriſtianiſmi.

Antequam autem in campum comparationum ulterius deſcendamus, LOCUSTAS varia ſenſu hieroglyphico deſignare, obſervabimus.

α. *Cicadæ* apud Athenienſes *nobilitatis* inſigne erant, quare τεττιγοφόροι dicti, aureas enim cicadas crinibus innodabant, ut ſignificarent, ſe indigenas eſſe & nobiles; quod CICERO docet *orat. pro Flacco.* Exprimit hoc quoque ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. IV. cap. 22.* οἱ πάλαι Ἀθηναῖοι ἁλουργῆ μὲν ἠμπείχοντο ἱμάτια, ποικίλους δὲ ἐνέδυον χιτῶνας. κορύμβους δὲ ἀναδέμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν, χρυσοῦς ἐνείροντες αὐταῖς τέττιγας. *Veteres Athenienſes purpureas veſtes induere ſolebant, & variis amiciri tunicis; corymbis etiam implicabant capillos, iisque aureas cicadas inſerebant.* Idem confirmat THUCYDID. *Lib. I.* nec non ATHENÆ. *Deipnoſ. Lib. XII.*

β. In ſacris paſſim *cicada hoſtium* atque *exercitus hoſtilis* Symb. exiſtit. Hoſtes enim illis comparantur ob *multitudinem*, vide Judic. VI, 5. VII, 12. Jer. XLVI, 23. Nah. III, 15. 17. Sæpius enim Deus judicia ſua horrenda per *locuſtas*, inſtar exercitus hoſtilis, in populos exercuit. Vide Deut. XXVIII, 38. Pſ. LXXVIII, 46. Amos VII, 1. quare etiam inter plagas Ægyptias

gyptias occurrunt. Exod. X, 4. Huc refer locum 2 Reg. XV, 25. ubi Pekah dicitur percuſſiſſe Pekajah את ארגוב ואת אתה cum *locuſtis & leonibus*, i. e. cum *maximis* & *minimis* ejus aſſeclis, *heroibus* & *militibus*. Conf. etiam Joel. I, 4. II, 4-10. Ita *Chaldæus* Joel II, 25. per *locuſtas* & *bruchos* עממיא אומיא ולישנא ומלכותא *Nationes, populos, linguas & regna* intelligit. R. TANCHUM itidem ad *Joel I, 4-6.* ſcribit:

انه لا يبعد ان يكون جميع ما ذكره في هذه القصة من امر الجراد وافعاله مثل مجي الاعدا وكثرتهم واخرابهم البلاد ونهبهم لها *Non abſurdum eſt dicere, quæ memorantur de natura locuſtarum, earumque actionibus, parabolicam eſſe expreſſionem de invaſione inimicorum, eorumque multitudine & devaſtatione regionis, ejusque corruptione.* Quod idem varii Chriſtianorum interpretes confirmant. Vide POCOCK. *ad Joel. p. 12. ſq.* Similiter JOSEPH. *de bello Jud. Lib. V. c. 7.* ſcribit: καθάπερ ὑπὸ τῶν ἀκρίδων καλόπιν ὕλην ἐστὶν ἰδεῖν ἐψιλωμένην πᾶσαν, ὅτω τὸ κατὰ νώτȣ τῆς Σίμωνος στρατιᾶς ἐρημία κατελείπετο. *Sicuti poſt locuſtas ſylvæ cernuntur ſpoliatæ frondibus, ſic quoque poſt terga exercitus Simonis vaſtitas relinquebatur.*

γ. Symb. quoque *Rhetorum*, *præconum*, hominum *eloquentia* & *muſices* arte inſignium, imo *pſeudo-doctorum* exiſtunt *locuſtæ*. Sic LUCIAN. *in Pſeudo-logiſta, init. p. m. 625. opp. T. III.* Archilochum comparat cum cicada. ἐκεῖνος τοίνυν πρὸς τινὸς τῶν τοιȣτων ἀκȣσας κακῶς, τέττιγα ἔφη τὸν ἄνδρα εἰληφέναι τȣ πτερȣ. εἰκάζων ἑαυτὸν τῷ τέττιγι ὁ Ἀρχίλοχος, φύσει γὰρ λάλῳ ὄντι καὶ ἄνευ τινὸς ἀνάγκης. *Ille cum male a quodam iſtorum audiiſſet, cicadam ait comprehendiſſe alis hominem: Comparans ſe ipſum cicadæ Archilochus (poëta loquax) quia natura eſt animal ſtridens & absque neceſſitate vocale.* adde eundem in *Rhetor. præcept. pag. 721.* ubi *Rhetorem* cum *cicada* quoque confert. Eodem ſenſu adhibet HOMER. *Iliad. III.*

\- ἀλλ᾽ ἀγορηταὶ
Ἐσθλοὶ τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵτε καθ᾽ ὕλην
Δένδρῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.
\- *Sed præcones*

Boni,

Boni, cicadis ſimiles, quæ in ſylvis
Arbori inſidentes, vocem ſuavem emittunt.

Quare populi eloquentia, dicacitate & muſica cantuque inſignes in nummis per *cicadas* deſignari, obſervat GOLZIUS *in Num. Græc.* Imo oraculi Delphici vaticinia & reſponſa fallacia in nummis per *cicadam* pinguntur, conf. GOLZ. *Num. Græc. Tab. VIII. n. IX. & X.* & quæ ad hos nummos commentatur idem p. 38. ſq. Vide nummum ejusmodi expreſſum in *Tab. noſtr. præfixa n. XIX.* CAUSSIN. *in Symb. Sap. cap. XLIX.* locuſtas quoque *ſimulatorum* & *mendacium hominum* emblema eſſe docet. Optime ergo Pſeudo-doctores, Rhetores mendaces, pingit in loco noſtro.

III. Pergamus ad analogiarum ſegetem largiſſimam, quæ inter LOCUSTAS & Pſeudo-doctores Antichriſtianiſmi intercedunt.

(1.) Locuſtæ *ex terra* naſci dicuntur ab antiquis. *Scholiaſtes* antiquus *ad Thucyd. Lib. I.* rationes reddens, cur Athenienſes locuſtas in capillis geſſerint, ait: διὰ τὸ αὐτόχθονες εἶναι, καὶ γὰρ τὸ ζῶον γηγενές. *Quia indigenæ ſunt, quippe hoc animal e terra naſcitur.* PLIN. quoque *hiſt. Nat. Lib. XI. c. 29.* ſcribit: *Locuſtæ naſcuntur in rimoſis locis. Ova quæ autumni tempore pariunt, ea durant hyeme ſub terra.* Unde Hebr. גוב a *ſcrobe* vel *fovea*. in qua naſcitur, hoc inſectum nomen habet. Arab. enim *e terra oriri* جبا notat. *Ova* enim locuſtæ terræ immittere ſolent, ex quibus dein calore ſolis pulli excluduntur. Judæi quoque in *Maſſ. Schabb. c. VI.* ביצית החרגול *ovum locuſtæ* memorant. Huc reſpicit LUCRET. *de rer. nat. Lib. V. v. 800.*

Ova relinquebant excluſæ tempore verno,
Folliculos ut nunc teretes æſtate cicadæ
Linquunt, ſponte ſua victum vitamque petentes.

Maxime fœcundum eſſe hoc animal, ut in uno ſeptuaginta & amplius ova numerata fuerint, teſtantur phyſici, vide BOCHART. *Hieroz. p. II. p. 442.* & Cel. SCHEUCHZ. *diſſ. de locuſtis §. III.*

Locuſtæ myſticæ quoque prodeunt ex *terræ abyſſo* & quidem *vapore* illius. *Vapor* utpote corruptus ſimul eſt doctrinæ perverſæ & errorum peſtiferorum & quidem ex *abyſſo* i. e. regno tenebrarum, ortorum. Deſignatur ergo hoc emblemate ortum horum Pſeudo-docto-

rum non eſſe ex *cælo*, unde miſſi conſiderantur veri Eccleſiæ doctores, ſed ex *inferno*, quum legati & mancipia Satanæ, tenebrarum principis exiſtant. *Fumo errorum* impregnati, in illo viventes, alias animas illo inficientes, vitæque lumen & convictiones omnes exſtinguentes. Quum enim veritati repudium dederint hi Pſeudo-doctores, efficacia errorum atque mendaciorum indurati ſunt juſto Dei judicio, ut fidem habeant doctrinis falſis ac doloſis 2 Theſſ. II, 9-12. Quare Antichriſtus etiam ut beſtia ex *terra ſurgens* conſideratur. Apoc. XIII, 11.

IV. (2.) *Forma externa* maxime variant locuſtæ, & *genera* earum quamplurima recenſentur in ſacris æque ac profanis ſcriptis. *Talmudiſtæ in Hier. Taanith. f. 69. octoginta genera locuſtarum cum Iſraelitis Babylonem migraſſe* docent. In ſacris literis novem ſpecies ילק, חרגיל חסיל, חגב, גזם, גוב, ארבה, צלצל, סלעם memorantur, quas explicat impigerrimus BOCHART. *in Hieroz. l. c.* ALDROVANDUS autem XXXVIII. locuſtarum figuras ſiſtit. Judæi eas diſtingui & enumerari omnes poſſe negant. *Damir* Arabs apud Bochartum ſcribit: *Locuſtarum ſunt variæ ſpecies, quædam enim ſunt flavæ, quædam albæ, quædam rubræ, quædam nigræ. Quædam magni corporis, quædam parvi.* Et clarius adhuc MARCELL. VIRGIL. *ad Dioſcor. L. II.* apud eundem: *Variavit admirabili artificio locuſtas Natura &c. Sunt enim, quæ virides, quæ nigræ, quæ liventes, quæ aliqua parte hunc, aliqua illum colorem oſtendunt. Sunt, quæ ſimplicibus, quæ pluribus alis volant, quæ alis carentes ſaltant, quæ utroque hoc motu privatæ ingrediuntur tantum. Sunt quæ longioribus, quæ brevioribus cruribus ſint, & in his pluribus brevioribusque, & paucioribus longioribusque internodiis. Sunt, quæ canant, quæ mutæ ſint, quæ per diem, quæ in tenebris tantum audiantur.*

Pingit hoc egregie varios Clericorum & Pſeudo-Doctorum in Antichriſtianiſmo *ordines & claſſes*, per varias leges, habitus & mores a ſe invicem diſcrepantes. Dum alii nigro, alii albo, alii lurido atque ſquallido, alii mixto, alii ſimplici habitu, alii calceati, alii diſcalceati appareant. Sunt qui in publicum prodeunt *emiſſarii*, ſunt qui in cœnobiis *latent* tecti. Quis omnes eorum ordines, quos variavit miro artificio ſuperſtitio, recenſebit. Vide de his HOSPINIAN. *de origine Monach. Lib. VI. cap. XIV. & Lib. V. cap. VII.* Quidam majori, quidam minori poteſtate inſtructi ſunt.

V. (3.)

V.(3.) *Caput* Locuſtæ notandum eſt cum *cornibus* ſuis. ALBERTUS *Lib. XXVI. figuram equini capitis* illis tribuit, cum aliis apud ALDROVANDUM *l. c.* quod & Joel. cap. II, 4. confirmatur כמראה סוסים מראהו *ſicut aſpectus equorum aſpectus ejus.* THEODORETUS *ad h. l.* ait: Εἴ τις ἀκριβῶς κατίδοι τὴν κεφαλὴν τῆς ἀκρίδος, σφόδρα τῇ τοῦ ἵππου ἐοικυῖαν εὑρήσει. *Locuſtæ caput ſi quis attente conſideret, id reperiet equino capiti ſimillimum.* Vide GRELLOT. *prodr. Apoc. p. 108.* Certe nonnullæ earum, præcipue in Africa, equi caput referunt, prout ex figuris earum liquet, quas exhibent ALDROVANDUS, JOB. LUDOLPHUS & Cl. SCHEUCHZER. *in diſſ. de Locuſtis bibl. fig. I.* *Facies* autem *humanæ* ſimilis dicitur Apoc. IX, 7. Certe dantur apud Orientales, qui *vultum humanum* præ ſe ferunt, ut ex icone, quam Cel. LUDOLPH. *in diſſ. de locuſtis bibl. p. 14.* ex theſauris Indiæ refert, clariſſime patet. Vide *figuram expreſſam in Titulo noſtro n. 3.* Cornua plerumque bina gerunt in capite, quod vel eſt *glabrum* vel etiam *hirſutum.* Hanc ob cauſam *corona & pili muliebres* illis tribuuntur ſenſu myſtico. Apoc. IX, 7. 8. Arabes docente Bocharto قرن الجراد شعران في راسه *coru nlocuſtæ, pilos duos, quos in capite habent*, appellant. uti & Judæi *in Joma fol. 77.* קרני סלעם *cornua locuſtæ* memorant. Vide BUXTORF. *Lex. p. 1490.* Reſpicit huc CLAUDIAN. *in epigr. VII.*

Horret apex capitis, medio fera lumina ſurgunt
Vertice, cognatus dorſo dureſcit amictus.

Præcipue quum & nonnullæ pilos a latere vultus prominentes habeant, veluti ex icone illius Indicæ locuſtæ apparet, quam præfiximus. Conf. etiam quæ *Bochart. l. c. p. 456.* hac de re ulterius diſſerit. Caput autem cum *corpore compactum* deſcribit LUCIAN. *in Encom. muſc. p. m. 823. opp. T. I.* ubi de muſca: τὸ δὲ ἄλλο σῶμα, ἡ μὲν κεφαλὴ λεπτότατα αὐχένι συνέχεται, καὶ ἔστιν εὐπεριάγωγος, οὐ συμπεφυκυῖα, ὥσπερ ἡ τῶν ἀκρίδων. *In reliquo vero corpore caput quidem tenuiſſimum collo continetur & eſt verſatile, non compactum & affixum humeris, ut eſt locuſtarum.*

Similiter *locuſtis* myſticis *cornua* competunt, quod exprimitur Apoc. IX, 7. quando *coronæ* ipſis tribuuntur, non aureæ, ſed *auro ſimiles.*

Cornu

Cornu enim & *corona* ejusdem dignitatis ac auctoritatis atque imperii Symb. exiſtunt. Pingit ergo *auctoritatem* ac *dominium*, quod in conſcientias exercent Pſeudo-doctores, cujus inſigne gerunt in capite, utpote *coronæ* formam raſam in capite geſtantes; adeoque ſimile dominium affectant, quale *Regibus* competit, qui *aureas* geſtare ſolent *coronas*. Quis neſcit, qualem ſæpe tyrannidem exerceant hi domini, ut ipſis ſæpe regibus ſceptra rapiant, illosque ſuo dominio ſubjiciant. *Capita* gerunt inſtar *equorum*, ad prælium inſtructorum. Quatenus noctu diuque meditantur & omnibus viribus contendunt, ut ferro flammaque confeſſores puræ veritatis, qui venerari ipſos nolunt, exſcindant, perſequantur & deleant. *Capilloſum* eorum eſt caput inſtar *capitis muliebris*, quod artes, blanditias, adulationes & dolos tectos innuit, quibus animas credulas & incautas irretire & allicere ſtudent, quemadmodum olim *capillis ornatis* & comtis *meretrices* allicere ſolebant amaſios ſuos. Et quum *capilli longi* & muliebres etiam *luxus* & *luxuriei* apud veteres emblema ſint, ſimul mollities, voluptates & luxus in vitæ ratione depinguntur hac phraſi, cujus exempla PLATINA *in vitis Pontific.* plurima exhibet. Quod autem quædam *vultum humanum* haberent, innuit, quosdam eorum ita callidos eſſe & aſtutos ut Chriſtianos genuinos & veræ fidei confeſſores ſe ſimulent, & dolos pectoris condere ſciant, ut pietatis ſpeciem præ ſe ferant, ſed virtutem abnegent. 1 Tim. III, 5.

VI. (4.) *Oculos* locuſtæ habent admodum obſcuros atque *truces*, plurimique clauſos eos & pelle quaſi tectos gerunt, veluti ex oculari eorum inſpectione patet. Huc reſpicit CLAUDIAN. *in Epigr. VII.* de locuſta canens:

- *medio fera lumina ſurgunt*
Vertice.

Dentes autem habent maxime acutos, quibus arborum cortices ſæpe diſcindere valent. Quare Joel. I, 6. שני אריה *dentes leonum* i. e. rapaces illis tribuuntur, vel ut *Anacreon* vocat, χάσμ᾽ ὀδόντων *hiatus dentium.* PLINIUS *hiſt. Lib. XI. cap. 29.* de locuſtis teſtatur, quod *omnia morſu corrodant & fores ſæpe tectorum. Simeon ben Jacob* apud *Ludolphum* שלשת זוגות שניים *tria paria dentium* eis tribuit. *Piſades* μυριόστομον ξίφος *enſem decies mille acierum.* Quare Amos IV, 9. dicitur oliveta

יאכל

יאכל הגזם *conſumet locuſta*, גזם a tondendo & dentium acumine dicta, ut docuit Cel. BOCHART. l. c.

Depingit hoc denuo qualitates Pſeudo-Doctorum, utpote quibus *oculi* ſunt ſordidi, feri, fuſci & invidi. Vera *fide* enim, qui eſt oculus illuminatus, deſtituuntur. Quoniam mendaciis adhærent, oculos ipſorum princeps tenebrarum errorum nebulis obfuſcavit. 2 Cor. IV, 4. 2 Theſſ. II, 7-11. In omnibus operibus ſpecioſis, quæ produnt, *oculus* tamen impurus & minime ſimplex i. e. ſcopus perverſus & pollutus elucet. Matth. VI, 23. *Oculis* denique *occæcatis* aſtu Satanæ incedunt in tenebris, & lividis *invidiæ* vultibus intuentur veros Dei ſervos, imaginem cœleſtem gerentes. *Dentes* ipſis Apoc. IX, 8. tribuuntur, quales ſunt *Leonum rapacium* Pſ. LVIII, 6. Gen. XLIX, 9. Dum non ſolum mira aviditate bonis hujus mundi inhiant, poſſeſſiones ac hæreditates per fas ac nefas ad ſe rapiunt, & viduarum domos deglutiunt: Verum etiam mira truculentia ac perſecutionibus horrendis gregem Dei infeſtant. Quis neſcit ſtupenda crudelitatis monumenta, quæ locuſtæ hæ myſticæ in Gallia, Sileſia, Moravia, Hungaria aliisque regionibus reliquerunt, ubi multa millia confeſſorum inſtar *Leonum rapacium* neci dederunt.

VII. (5.) *Alæ* quoque plurimis locuſtis tribuuntur. Quare Apoc. IX, 9. *φωνὴ πτερύγων ſonitus alarum* memoratur de locuſtis. *Alas* ſuas vibrantes ſonum excitare ſolent ſtridulum. PLIN. *Lib. XI. cap. 29. Tanto volant alarum ſtridore, ut aliæ alites credantur.* Judæi locuſtis סלעם dictis ד׳ כנפים שחופות רוב אורך ורוב היקף גופו *quatuor alas, quibus teguntur, longas valde & amplas in ambitu corporis* tribuunt apud HOTTING. *Leg. Hebr. Jur. CLI. p. 207.* DIODOR. SICUL. *hiſt. bibl. Lib. III. p. 114.* τῇ χρόα τȣ͂ πτερώματος εἰεχθὲς καὶ ξυπαρὸν *alarum colorem turpem ac ſquallidum iis adſcribit.* uti & LUCIAN. *de Dipſad. p. m. 823.* de ſcorpionibus commentatur: θάτερον δὲ ἐναέριον καὶ πτηνὸν, ὑμενόπτερον δὲ, οἷα ταῖς ἀκρῖσι καὶ τέττιξι. *Alterum vero aërium & volucre, membraneis alis, quales locuſtis & cicadis.*

Sunt & aliæ, quæ *alis* deſtituuntur, ſed pedibus & præcipue *cruribus* duobus poſterioribus *ſaltando* ſe elevant, uti apud *Hottinger. l. c.* Judæi illis tribuunt ד׳ כנפים וד׳ רגלים ושני כרעים לנתר בהן על הארץ *Quatuor alas & quatuor pedes & duo crura, quibus*

ſaltant ſuper terram. ex Lev. XI, 21. ubi *duo crura* ſupra pedes eis Moſes adſcribit. Similiter ARISTOT. de *part. animal. Lib. IV. cap. 6.* τὰ δ' ὀπίσθια (σκέλη) μείζω τῶν μέσων, διά τε τὴν βάδισιν, καὶ πρὸς τὸ αἴρεσθαι μᾶλλον ἀπὸ τῆς γῆς ἀναπετόμενα. ὅσα δὲ πηδητικὰ αὐτῶν ἐστι, μᾶλλον τοῦτο φανεροῖ οἷον αἱ ἀκρίδες. *Poſteriora crura mediis longiora ſunt, ut melius ambulare queant, & attollantur facilius de terra, cum avolare volunt. Quod planius oſtendunt ea quæ ſaliunt, ut locuſtæ.* LUCIAN. *in encom. Muſc.* locuſtæ πτῆσιν μετὰ πηδήματος *volatum cum ſaltu* adſignat. Ad ſaltum locuſtæ etiam reſpicit Job. cap. XXXIX, 20. conf. *R. Sal. ad h. l.* nec non Jer. LI, 27. *equi ſaltantes ut locuſtæ.*

Alæ quoque & alarum ſonum tribuit locuſtis myſticis Spiritus S. Apoc. IX, 9. *Sonitus alarum ipſarum, ut ſonitus curruum, equis multis ad prælium properantibus.* *Alæ* ergo deſignant *exercitus*, uti exercitus Romanorum כנף שקצים *ala abominationum* appellatur Dan. IX, 27. conf. Jeſ. VIII, 8. Jer. XLVIII, 40. Dan. VII, 4. Hoſ. VIII, 1. Et his alis *ſonus* tribuitur inſtar *curruum*, i. e. bellicorum & præcipue falcatorum, qui *falces* inſtar alarum utrinque habebant ferreas, adeoque ſonitum in motu & prœlio excitabant. Jer. XLVI, 2. Quod deſignat, Pſeudo-Doctores robore, audacia & brachio ſeculari non eſſe deſtitutos. Utpote totos atque integros ſæpe exercitus inſtruunt, ad debellandos confeſſores veritatis; Reges & Principes hujus terræ ſolicitant, ut auctoritate ac poteſtate ſua hæreticos exſcindant. *Claſſicum* ſæpe horrendum canunt, *anathemata* cruenta cudunt, & illud *ad ignem! ad furcam! ad rotam! ad carceres!* toties ingeminant, quoties veritatis aſſeclas perſequuntur. Adeo, ut *ſonitu* ſuo Eccleſiam ſæpe perterrefaciant. Quod *cruribus* poſterioribus ſe *elevent* locuſtæ & ſubſiliant, innuit tum *vacillantem* eorum *fidem* atque greſſus in via veritatis fallaces, tum *levitatem* religionis ipſorum, utpote levi pede omnes difficultates ſubſiliunt, & a recta linea ſemper aberrant. 2 Theſſ. II, 10. 12.

VIII. (6.) *Cutim* gerunt locuſtæ admodum *duram* & quaſi *loricis* duriſſimis armatam, veluti ex icone locuſtæ Indicæ, quam in titulo depictam dedimus, ad oculum patet. Apoc. IX, 9. θώρακας ὡς θώρακας σιδηροῦς habere dicuntur. Conſentit CLAUDIAN. *in epigr. cit.*

- *cognatus dorſo dureſcit amictus,*

Arma-

Armavit natura cutem, dumique rubentes
Cuſpidibus parvis multis acuere rubores.

In dorſo autem nonnullæ variis notis diſtinctæ erant, quod docet ÆLIAN. *de Animal. Lib. X. cap. 13.* Τῶν δὲ Ἀραβίων τε καὶ τὸ πολύμορφον καὶ πάντα γραφικὸν ἐλέγξαι, καὶ ταῦτα οὐ μόνον τὰ γενναῖα, ἤδη δὲ καὶ τὰ ἀδοξότερα, οἵτε ἀκρίδες καὶ οἱ ὄφεις. Χρυσοειδῆ οὖν ἰνδάλματα ἐπ' αὐτῶν κατέστικται. *Arabiorum animalium varius color & forma multiplex omnem picturam longe multumque ſuperat, neque modo animalia generoſa permulta colorum varietate picta atque ornata ſunt, ſed etiam ignobilia. Etenim locuſtæ & ſerpentes aurei coloris notulis diſtinctæ apparent.* Talem locuſtam per ילק סמר. Jer. LI, 27. intelligi probat Cl. BOOT. *Animadv. S. Lib. III. cap. 3. p. m. 36.* Fabulam tamen ſapit, quod Rabbi Hieroſolymitanus apud JOB. LUDOLF. *diſſ. de Locuſt. p. 7.* de ח & ט forma in locuſtarum Aſiæ dorſo apparente narrat.

Locuſtæ myſticæ *cutim* quoque *armatam* quaſi *loricis*, & induratam, *cuſpidibusque* horridam habent. Utpote præcordia ſua muniunt contra quasvis veritatis convictiones. Olim enim *loricis* pectus contra tela munire ſolebant veteres: Ita Pſeudo-doctores obdurant cor ſuum contra tela veritatis, quæ per argumentorum pondera, ad ipſos de mendaciis convincendos, per teſtes veritatis tanquam arcitenentes myſticos emittuntur; tela hæc infringunt in ſui ipſius perniciem 1 Pet. III, 16. efficacia enim errorum ſuorum indurantur juſto Dei judicio, quia omnem veritatis vim enervant protervi 2 Theſſ. II, 11. 12. ſimulque *cuſpidibus* quaſi muniti ſunt, quibus pungunt ac lædunt alios, conviciis ſc. mendaciis, criminationibus & variis calumniis, quibus proſcindunt ſibi contrarios. Notis tamen atque *ſignis* ſuis ſeſe diſtinguunt, non ſolum ſigno *crucis*, quod ubique produnt, ſed & *charactere* beſtiæ, quod in fronte gerunt. Apoc. XIII, 16.

IX. (7.) *Cauda* quoque locuſtarum Orientalium notanda eſt, quia Apoc. IX, 3-6. 10. *aculei* caudis ipſarum adſcribuntur, quibus *pungunt* inſtar *ſcorpionum.* Hoc genus *locuſtæ caudatæ* Rabbinis *in chol. fol. LXV.* ערצוביא appellatur, teſte BUXTORF. *in Lex. ad h. v.* Similiter in tract. cit. ſcribunt: חרגול ריש לו גבחת וריש לו זנב *Chargol*

(lo-

(locuſtæ genus) *cui eſt gibbus ſimul atque cauda*, qualem etiam in titulo noſtro expreſſimus. Verum in caudis ipſis aculeos poſſidere locuſtas naturales, vix ex hiſtoricis demonſtrare licet; Alia tamen ratione *locuſtas* & *ſcorpiones* comparat PAUSAN. *in Bœot. p. 573.* *ἀνὴρ Φρὺξ ἤγαγεν ἐς Ἰωνίαν σκορπίον ταῖς ἀκρῖσιν ὁμοιότατα πτερὰ ἔχοντα.* *Homo olim Phryx ſcorpium in locuſtarum modum pinnatum in Ioniam attulit.* Scorpiones autem aculeos venenatos gerere, vel ex OVID. *faſt. IV.* liquet:

Scorpius elatæ metuendus acumine caudæ.

Quod pluribus teſtimoniis confirmat BOCHARTUS *in Hieroz. P. II. l. c.*

Cauda in ſacris eſt prophetæ falſitatem docentis emblema. Jeſ. IX, 14. Quum ergo locuſtis *caudarum aculei* venenati adſcribantur, innuit. *infirmos* ex his Pſeudo-Doctoribus, præcipue in propagandis erroribus venenatis eſſe occupatos, qui lingua ſua utuntur inſtar aculei venenati ad homines veritatis amantes, conviciis & calumniis proſcindendos. Vel etiam *ſcamna inquiſitionum* horrendarum per *caudam* intelligere poſſemus, utpote quibus teſtes veritatis angunt, cruciant & martyrii minis terrorem incutiunt. Vel denique *accuſationes* & convicia, quibus teſtes veritatis obruunt, illis depictas deprehendimus, veluti Pſ. LVIII, 5. CXL, 4. hoc ſenſu emblema occurrit.

X. (8.) *Stridor* atque cantus porro locuſtarum maxime notari meretur. Quare PHILE *de animal. propr. v. 64. cap. XXX.* *τέττιγα φιλῳδὸν* *locuſtam cantus amantem* appellat. HESIOD. *ἐργ.* h. 11. *ἠχέταν τέττιγα* *ſonantem cicadam*, THEOCRIT. *εἰδ. ζ.* *τέττιγες λαλαγῶντες* *locuſtas reſonantes* vocat. in *Epigr. Lib. I.* *λάλος τέττιξ* *locuſta loquax* dicitur. LUCIAN. *in Rhetor. præcept. p. 721.* *τέττιγας τὰς μελίττας ὑπερφωνεῖν* *locuſtas apes cantu ſuo ſuperare* teſtatur. Huc refer illud NEMESIAN. *Buc. ecl. I.*

Dum fiſcella tibi flaviali, Tityre, junco
Texitur & raucis reſonant tua rura cicadis.

Et VIRGIL. *Buc. Ecl. II.*

At mecum raucis, tua dum veſtigia luſtro,
Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadæ.

Quod idem canit HESIOD. *ἐν ἐργ.*

ἠχέτα

- ἠχέτα τέττιξ

Δένδρεῳ ἐφεζόμενος λιγυρὴν καταχεύετ᾽ ἀοιδήν.

Reſpicit etiam huc HOMER. *Iliad. III.*

- τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵτε καθ᾽ ὕλην

Δένδρεῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

- *cicadis ſimiles, quæ in ſylva*

Arbori inſidentes ſuavem vocem emittunt.

Et denique LUCAN. *in Panegyr.*

Sic & Aëdoniæ ſuperantur voce cicadæ,

Stridula cum rapido faciunt convicia ſoli.

Pingit hoc blanditias & adulationes, promiſſiones atque dulcia argumenta, quibus Pſeudo-Doctores alios in partes ſuas trahere ſtudent. Quare Tyro myſticæ cithara tribuitur, in qua *canticum meretricium* modulari dicitur. Jeſ. XXIII, 15. 16. Quum enim minis, perſecutionibus ac flammis nihil amplius efficere queunt, adulationibus, promiſſis & blanditiis animas allicere ſtudent. Veluti ex hiſtoriis perſecutionum teſtium veritatis liquet, & quotidiana adhuc in Gallia, Bohemia aliisque regionibus experientia docet. Huc refer carmina NIGELLI *in Catalogo teſtium veritat. Lib. XIX.*

Omnes ſunt fures, quocumque charactere ſancto
Signati veniant, magnificentque Deum.
Ne credas verbis, ne credas veſtibus albis,
Vix etenim factis eſt adhibenda fides.
Quorum vox levis, vox Jacob creditur eſſe,
Cætera ſunt Eſau, brachia, colla, manus.

Verum promiſſa eorum & blanditiæ non niſi *ſtridor* locuſtarum exiſtunt, qui *lucente ſole* durat, & deſinit in fumum. Quod enim dulciſſimis verbis promittunt, nunquam diutius ſervant, quam donec ſcopum ſuum attigerint. Vel denique pingit tot *cantiones, lectiones* horarum, precumque recitationes ſonoras, quibus otioſi monachi occupantur.

XI. (9.) *Numerus* locuſtarum eſt fere infinitus, ac multitudo earum innumerabilis. Quare hoſtium multitudo ſtupenda cum locuſtarum copia comparatur Jud. VI, 5. Jer. XLVI, 23. Nah. III, 15. 17. Quare

 & magnus

& magnus Dei exercitus appellatur Joel II, 25. apud Arabes quoque ſæpius جند الله الاعظم *Exercitus Dei omnipotentis* audiunt ארבה eapropter a רב multitudine dicta videtur. conf. Joel I, 6. Integra earum nubes memoratur apud ſcriptores. Sic PORPHYR. *Libr. I. de abſtin.* ἄλλῳ δὲ στρατῷ πεινῶντι κατὰ τὴν Λυβίην ἐνέπεσε νέφος Ἀκρίδων. *Alii etiam exercitui fame oppreſſo circa Libyam nubes locuſtarum adfuit.* Deſcribit eas THEVENOT. *in coll. Part. I. p. 12.* vertente Clerico: *Feruntur* (locuſtæ) *per aërem nubium inſtar confertæ, quæ nubes 15. aut 18. millia paſſuum longæ ſunt & in latitudinem novem aut 12. millia patent. Usque adeo aërem obſcurant, ut ſereniſſimum cœlum quaſi nubilum reddatur, ubi hærent.* SURIUS *ad ann. 1541* de locuſtis circa Polon. ſcribit: *Hæ tanta multitudine provolarunt, ut duo milliaria in longum & latum cubito tenus ita occuparent, ut ſolis quoque ſplendorem a toto illo terræ ſpatio ſua denſitate excluderent.* AVENTIN. denique *Annal. Boj. Lib. VII. p. 477. Locuſtarum tum ingens vis ab orientis ora erupit, ſenas alas habebant, dentibus geminarum in morem nitentibus armatæ erant. Nubium more ſolis conſpectum auferebant, longitudine quinque ac triginta millia paſſuum, latitudine decem occupabant.* In Oriente quoque quam plurimæ exiſtunt, quare apud Arabes eſt proverbium, obſervante *Bocharto* مال كالجراد *opes inſtar locuſtarum*, id eſt valde copioſæ & abundantes.

Et quis multitudinem monachorum atque clericorum Antichriſtianiſmi recenſebit innumeram? Seculo XII. Bernardus fundavit CLX. monaſteria, Clericis referta. In concilio Conſtantiæ Sec. XV. Cœnobia S. Benedicti in Europa numerata ſunt 15. millia centum & ſeptem, in quibus numerus Clericorum plusquam *centena & vicena millia.* Si quis ſolum Jeſuitas per Europam, Aſiam & Africam in Indiæ usque remotas oras ſeſe extendentes enumeraret, integrum ex iis exercitum conſcriberet, & Locuſtarum nubem denſiſſimam. Ita Generalis quondam Minoritarum Pontifici Romano ex ſolo Franciſcanorum ordine triginta millia hominum ad bellum contra Turcas obtuliſſe legitur.

XII. (10.) Locuſtarum copia inter pœnas & judicia Dei graviſſima recenſenda eſt, utpote *gramina, fruges & arbores* conſumunt, devaſtant atque

atque omnia fame corrumpunt, & quando moriuntur *peſtem* ſæpe graviſſimam excitant, qua multa hominum millia pereunt. Conf. ex ſacris Amos IV, 9. Exod. X, 5. Joel I, 7. 11. 12. II, 25. Deut XXVIII, 38. Huc reſpiciunt Judæi in tract. *Talm.* תענית Cap. III. על אלו מתריעין בכל מקום על השדפון ועל הירקון על הארבה ועל החסיל ועל החיה רעה ועל החרב מתריעין עליהן מפני שהיא מכה מהלכת: *Ob has plagas in omni loco buccinis clangunt: utpote ſi uredo, rubigo, locuſta, bruchus, immanes feræ beſtiæ & hoſtiles exercitus terram quandam vexarint, tum eorum cauſa buccinæ inflantur, ſiquidem eſt plaga late ſe diffundens.* Et TACIT. *ann. XV. cap. V. Nam exorta vis locuſtarum ambederat, quicquid herbidum aut frondoſum.* Ita PISIDAS *de opif. mundi.*

Τήκει τὰ δένδρα, καὶ μαραίνει τὴν πόαν.
Arbores tabefacit & herbam marcidam reddit.

Et VIRGIL. *Georg. III.*

Inde ubi quarta ſitim cœli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbuſta cicadæ.

Idem teſtantur Hiſtorici, ſic in *Paralip. ad Chron. Abb. Urſperg.* de locuſtis ſcribunt: *Volabant ordinatis aciebus, loca frugum & arborum, in quas cadebant, devorabant, nil præter terram & fimum ſordidum relinquentes.* MUFFETUS apud *Bochart.* teſtatur: *Non ſolum morſu ſegetibus, paſcuis, pratis, hortis pomariisque nocent. Sed ſtercore item nigro, viridi, mordace, gravi biloſaque, inprimis atque acri ſaliva, quam multam ex ore inter rodendum fundunt.* Varia in hanc rem teſtimonia leges apud *Job. Ludolf. diſſ. de locuſtis,* paſſim.

Sed *peſtem* ſæpius inde ortam teſtatur *Franc. Piacenza* ap. *Ludolf.* ſcribens: *Felicitatem regis in luctum eſſe converſam ob inundationem locuſtarum, quæ frugibus omnibus abſumtis corruperint terram fame & infecerint aërem peſte.* Similiter anno 1541. in Longobardia elevatæ in nube locuſtæ ex aëre dicuntur cecidiſſe, quæ legumina, herbas & grana omnia depaſcentes induxere famem & quorundam deſperationem. Habuiſſe quoque digiti longitudinem, turgida capita, ventres obeſos & ſanie refertos. Itaque exſtinctas intolerabili fœtore aërem corrupiſſe. SCHEDELIUS quoque in *Chron.* putredine ſua locuſtas aërem infeciſſe & gene-

& generalem hominum interitum excitaſſe, teſtatur. Quod de locuſtis in Judæam miſſis itidem memorat *Hieronym. ad Joel. I.*

Et ſane inter judicia graviſſima Eccleſiæ recenſenda eſt multitudo Pſeudo-doctorum, qui non ſolum *gramen* doctrinæ ſalutaris corrumpunt venenata ſua ſaliva figmentorum humanorum, & famem ſpiritualem excitant, ſed & ſceleribus ſuis horrendis omnia inficiunt. Egregie hac de re canit MANTUANUS *Lib. III. calamitat.*

Hi quoque qui nomen de religione ſuperbum
Uſurpant, tanquam ſanctis a patribus ortum.
Se jactent, ovium molli ſub vellere fraudes
Mente Lycaonias ſervant & crimine ſordent.
Quod ſpeciem virtutis habent, ſcelus omne colorat.
Inviſi ſuperis, fœdaque libidine olentes.
Heu fruſtra inceſtis iterant ſacra orgia dextris.
Polluti - - - -
Sancta Deum vanis penetralia vocibus implent,
Irritant, iraſque movent. - -
Sacrilegum genus ex adytis templiſque Deorum
Pellite, ne longos ſcelera hæc vertantur in uſus.

POLYDORUS quoque VIRGILIUS de hiſce exclamat: *Hinc cognoſcere licet, quam conducibile eſſet, haſce hominum fæces tanquam membra Chriſtianæ religionis agnata conterere, abſcindere, cremare, ne ſuis ſordibus divini cultus nitorem & munditiem diutius conſpurcarent.* Non ſolum enim Pſeudo-doctores hi inutilia terræ pondera ſunt, quæ fruges tantum & opes conſumere nata, verum etiam concupiſcentiis & ſceleribus ſuis horrendis, quibus cœnobia ſcatent, judicia Dei graviſſima cient, & peſtilentialibus ſuis erroribus peſtem Eccleſiæ excitant, quibus tot millia animarum in mortem ſpiritualem præcipitantur. 2 Pet. II, 1-3.

XIII. (11.) *Rore vivunt* cicadæ, & non niſi *æſtate*, lucente ſole apparent atque cantant, in *hyeme* enim durare non poſſunt. Huc refer illud VIRGIL. *Ecl. V.*

Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ.

THEOCRIT. *in Idyll. IV.*

Μὴ πρῶκας σιτίζεται, ὥσπερ ὁ τέττιξ.
Non rore veſcitur, uti locuſta.

Similiter ſcribit ATHENÆ. *Lib. II.* ὅτι δὲ τὸ ὕδωρ ὁμολογουμένως ἐστὶ τρόφιμον, δῆλον ἐκ τοῦ τρέφεσθαι τινὰ ἐξ αὐτοῦ μόνου τῶν ζώων, ὥσπερ τοὺς τέττιγας. *Quod aqua vim nutriendi egregiam habeat, manifeſtum eſt ex eo, quoniam inde ſolum nonnulla animalia nutriuntur, veluti locuſtæ.* Et ANTIPATER *in Epigr.*

Ἀρκεῖ τέττιγας μεθύσαι δρόσος.
Sufficit locuſtas rore inebriari.

PHILE *de animal. propr. Cap. XXV.*

Οἱ νυκτερινῆς ἐμφορούμενοι δρόσου
Τὸν ῥυθμὸν ἐντείνουσιν εἰς μεσημβρίαν.
Nam rore paſtæ (locuſtæ), quem creat nox humida,
Ad usque rythmum prorogant meridiem.

Adde PLIN. *Lib. XI. c. XXVI.* TAUBMANN. *ad Virgil. p. 56. &c.* In *æſtate* autem ſolum eas vivendo durare & canere, liquet ex illo NEMES. *Buc. ecl. IV. v. 41.*

— *Solus cano, me ſonat omnis*
Silva, nec æſtivis cantu concedo cicadis.

Et VIRGIL. *Buc. Ecl. XI.*

Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.

Confer quæ ad *Nemeſ.* loc. cit. commentatur doctiſſimus BURMANN. *p. m. 452. ſq.* ita & ÆLIAN. *de animal. Lib. III. cap. 38.* ψυχροὶ δὲ ἄρα ὄντες τὴν σύγκρασιν οἱ τέττιγες, εἶτα μέν τοι πυρουμένου τοῦ ἡλίου ᾄδουσιν, Θεόφραστος λέγει. *Cicadas propter frigidam corporis temperiem non canere, ait Theophraſtus, quoad ſol jam præcedente die incaluerit.*

Innuit hoc Pſeudo-Doctorum Antichriſtianiſmi luxum atque vitæ rationem, qui pinguedine terræ paſcuntur, deliciasque ac voluptates hujus mundi ſectantur, atque in luce gaudiorum hujus ævi vivere amant. Exprimit hoc GANFREDUS *de ſtatu Curiæ Rom.* apud WOLF. *Lect. mem. T. I. p. 340.*

Grana Ceres mittit & grandia dona Lyæus,
Transmittit fœtus pinguis oliva ſacros.

 Deli-

Deliciæ ſi quis ubi ſint, ignorat, in urbem.
Tendat, et inveniet omne quod orbis habet.
Quando vocat tempus patres ad prandia ſacros,
Adſtat diverſis menſa repleta cibis.
- - - - -
Mos eſt angelico vivere more viris.

Et BERNHARD. *in planctu* apud eundem *Wolf. p. 543.*

De Chriſti patrimonio
Sub pompis & præconio
Viventes, intumeſcunt.
Intenti voluptatibus,
Et mundi vanitatibus,
De cappis erubeſcunt.

Quare ingruente hyeme judiciorum divinorum, quæ juxta vaticinia Prophetarum eos manent, etiam aufugient, peribunt, & Eccleſia aliquando his inutilibus terræ ponderibus liberabitur.

XIV. (12.) Singularem quoque obſervationem heic meretur, locuſtas vento plerumque *valido* in *mare* præcipitatos fuiſſe, quando e terra & agris erant abolendæ. Legimus hoc in judicio Ægyptiaco, Exod. X, 19. quando locuſtæ ad preces Moſis abigendæ erant, *Deus vertit ventum occidentalem & ſuſtulit locuſtas, defixitque eas in mare carectoſum* ſ. rubrum. Similiter teſtatur PLIN. *Lib. XI. cap. 29. Eſt & alius earum obitus. Gregatim ſublatæ vento in maria aut ſtagna decidunt.* OROS. *quoque Lib. IV. cap. 11. Repentino*, ait, *arreptæ vento, atque in globos coactæ portatæque diu per aërem, Africano pelago immerſæ ſunt.* Idem apud hiſtoricos recentiores legimus, ita REGINO *in annal. L. II. Spatium diurni itineris quatuor aut quinque milliaribus extendebatur, pervenerunt autem usque ad mare Britannicum, in quo, Deo volente, violento ventorum flatu impulſæ atque demerſæ ſunt.* Pluribus id confirmat teſtimoniis Cel. LUDOLF. in *diſſ. cit. p. 9. & 10.* Adde BOCHART. *l. c. p. 463.* Cel. SCHEUCHZER. *diſſ. de Locuſt. bibl. p. 10.* & alios. Vel etiam *avium* et cœli *volucrium* cibus exſtitere, prout docuit JOB. LUDOLF. *de locuſt. p. 2. ſq.* Quomodo vero in oriente etiam *hominum cibi* exſtiterint, plura vide apud BOCHART. *l. cit. p. 444. & 479.* WORM. *antiq.*

tiq. hebr. corrupt. p. m. 138. ſq. STUCK. *antiq. conv. p. m. 176. ſq.* RHODIG. *Lect. antiq. p. 1566.* WITS. *miſc. II. p. 510.* LIGTF. *opp. T. II. p. 264. 436.* ADAMI *obſ. p. 102.* *Faſcic. Cren. T. IV. p. 385. T. V. p. 514.* DOUGT. *Anal. S. II. p. 3. ſq.* CAMERAR. *hor. ſubc. I. 83.* Has fuiſſe שלוים illas, quas in deſerto comediſſe Iſraelem, pluribus probabiliter docuit Cel. LUDOLF. *diſſ. cit.* & Cl. SCHEUCHZER. *in diſſ. de locuſt. §. XIV. ſq.*

Idem ſane interitus Antichriſto in ſacris prædicitur. Jeſ. XI, 4. *improbus* ille, κατ ἐξοχὴν dictus, ſpiritu ſeu *vento* oris Jehovæ interimendus dicitur. Et 2 Theſſ. II, 8. *Sceleratus* ille perditionis filius πνεύματι ϛόματος Κυρίȣ *Spiritu oris Domini* abolendus pronuntiatur. Et in mare præcipitandum eſſe prædicit Joh. Apoc. XVIII, 21. *Suſtulit angelus ille fortis lapidem, inſtar molæ magnæ, & projecit in mare, dicens: Ita cum impetu projicietur Babylon, urbs illa magna, nec amplius invenietur.* Utpote ultimis temporibus Deus teſtes veritatis Spiritus S. menſura largiſſima inſtruet, qui errores Antichriſtianiſmi cum ſingulari efficacia & ſucceſſu adorientur, confundent, multosque ex ejus aſſeclis veritati ſubjicient; alios vero Deus ipſe judiciis graviſſimis devaſtabit, ut illorum memoria ex terra deleatur, & quaſi in *mare* projecta peribit Babylon myſtica. Imo *aves* quoque cœli invitantur ad comedendam carnem beſtiæ hujus myſticæ Apoc. XIX, 17. 18.

XV. En ergo vivam Pſeudo-doctorum Antichriſti imaginem. O utinam felix illud tempus appropinquaret, quando terrarum orbis ab hisce locuſtis myſticis liberabitur. O utinam *quinque illi menſes*, quibus homines & Eccleſiam infeſtare ipſis datum eſt, effluxiſſent. Incepit in reformatione Deus ſanctiſſimus *vento ſuo* validiſſimo, verbo veritatis per Spiritum ejus efficaci, locuſtas hasce depellere, & Eccleſiæ dulce pabulum puræ veritatis reſtituere. Sed ohe quamplurima in Bohemia, Sileſia, Gallia aliisque regionibus Eccleſiæ arva ab iisdem denuo vaſtata deprehendes hodie. Et quis novit, quam nubem harum locuſtarum noſtris regionibus Deus per judicia ſua juſtiſſima aliquando inducturus ſit, quum gramen veritatis ac mediorum gratiæ a membris & confeſſoribus externis pedibus quaſi conculcetur. Jam faſtidiunt animæ dulce illud pabulum, ſed eheu famem aliquando immittet juſtiſſimus rerum arbiter, quando beſtiæ hæ crudeles, ex abyſſo aſcendentes, poteſtate a

Summo Numine inſtruentur, per graviſſimas perſecutiones arva hæc virentia devaſtandi.

O utinam multi quoque eorum, qui ex Antichriſtianiſmo exierunt, illiusque errores deteſtantur, proprietates *locuſtarum* non demonſtrarent in vita ac converſatione ſua, doctores æque ac confeſſores Eccleſiæ. Qui in ſtatu naturæ e terra geniti, perſeverant, terreſtria ſapiunt & cœleſtia negligunt, atque in fumo præjudiciorum contra veritatis ſanctitatem indurantur. Quorum *oculi*, per principem tenebrarum obfuſcati, non vident claram Evangelii lucem. 2 Cor. IV, 4. *Dentes* gerunt lividos atque mordaces, quibus Deum æque ac proximum ſuum ſæpe proſcindunt, quibus bona hujus vitæ per fas & nefas ad ſe rapiunt, quaſi Deo non aliquando rationes eſſent reddituri. Qui *cruribus* incedunt minime firmis, & utroque pede in via ſalutis per levitatem animi claudicant. Qui *frontem* gerunt ſilicis inſtar & *pectus* quaſi *loricis* ferreis armatum contra quævis convictionum veritatis & conſcientiæ tela, ſuaque culpa ſeſe ad perniciem indurant. Quot carnales ſæpe exiſtunt doctores, qui non niſi ἦχος reſonans & cymbalum tinniens exiſtunt, veritates ore ſuo pronuntiant, ſed absque ſenſu & amore veritatis; qui non niſi delicias & voluptates mundi ſectantur & hyemem tentationum propter veritatis teſtimonium reformidant inſtar *locuſtarum*. O utinam Deus Eccleſiæ aream & arva ab hisce locuſtis inutilibus purgaret, illasque vento Spiritus ſui diſſiparet! Ut ita in agro Eccleſiae plantæ juſtitiæ atque arbores frugiferæ multiplicarentur, ac gramen mediorum gratiæ ſalutarium abundaret in pabulum animarum ſalutis deſiderio anhelantium. Id quod ultimis exſpectamus temporibus. Felix! beata illa tempora qui attinget, & a ſummo ovium paſtore ad rivulos aquarum & arva pinguia gratiæ & gloriæ deducetur æternum.

EXER-

EXERCITATIO IX.
DE
FALCE ACUTA
IN MANU FILII HOMINIS,
SYMBOL. JUDICIORUM.
APOC. XIV, 14.

ARGUMENTUM.

Locus Apoc. XIV, 14. breviter explicatur §. I. FALCIS emblema propius excutitur, illamque ſermonis acuti, mortis atque judiciorum divinorum emblema eſſe docetur §. II. Quod per analogias oſtenditur, conſiderata materia falcium, quæ erant ex ferro vel ære. §. III. Nec non forma, quatenus lunæ dimidiæ figuram exhibebant. §. IV. Acutæ maxime erant, & exacuebantur tempore meſſis. §. V. Manubrio quoque inſtructæ erant & dextra agitabantur. §. VI. Pergimus dein ad uſus falcium apud antiquos, potiſſimum in meſſe ad reſecandas ariſtas maturas. §. VII. Nec non in vindemia ad reſecandas uvas maturas. §. VIII. Uti & in graminibus, herbis ac fruticibus demetendis. §. IX. Quemadmodum etiam arborum cortices illis ſecare, & varia nomina ac characteres & verba incidere ſolebant juxta §. X. Porro inter arma lethalia, ad jugulandos boves & homines, recenſentur, quare earum in bellis uſus frequens exſtitit. §. XI. Ubi ſimul de enſibus & curribus falcatis diſſeritur, & locus Pſ. LXVIII, 18. explicatur. §. XII. Quæ omnia denique ſuo loco judiciis divinis applicata, epilogo morali & practico, ut vocant, finiuntur. §. XIII.

I.

Viſio notabilis eſt, quæ Johanni contigit Apoc. XIV, 14. ſq. Conſpiciebat *ſedentem in nube candida, qui homini erat ſimilis, habens coronam auream in capite, & falcem acutam in manu ſua*, cui angelus ex tem-

templo prodiens acclamabat. *Immitte falcem tuam & demete, quia hora meſſis adeſt, quum aruit terræ meſſis.* Id quod ille in nube ſedens eſt executus. Dein occurrit quaſi in nova viſione *alius angelus* itidem *falcem* tenens, cui ab angelo, ab altari prodeunte, & poteſtatem in ignem habente, injungitur, ut *botros vineæ terræ demeteret*, quia *uvæ ejus maturuerant.* Duplex judicium heic ſub duplici ſchemate proponitur, alterum ſub ſymb. *meſſis ariſtarum falce demetendæ*, alterum ſub emblemate *botrorum vineæ vindemiæ tempore* reſecandarum. Illud judicium in Eccleſiam externam Proteſtantium, hoc judicium in Antichriſtum, vitem Sodomæ, depingere videtur. *Sedens in nube* non principes terræ, nec etiam angelum creatum, uti Interpretibus nonnullis viſum eſt, ſed ipſum *Chriſtum* deſignat, tum quia *hominis filio ſimilis* dicitur, quæ manifeſta eſt Chriſti mediatoris deſcriptio. conf. Cap. I, 13. ſq. *tum* quia inſidere *nubi candidæ* dicitur, adeoque notatur ille, qui ſub V. T. in columna *nubis igneæ* & lucidæ apparuit, qui eſt filius Dei, qui in *nube* aliquando etiam tanquam Judex & hominis filius glorificatus apparebit. Matth. XXV, 31. *Angelus e templo prodiens*, per vocem ἄλλος diſtinctus ab hoc filio hominis & Archangelo, non angelum creatum, ut plurimi exiſtimant Interpretes, ſed angelos & doctores Eccleſiæ illorum temporum, depingit; qui e *templo prodeunt*, a Deo inſtructi & incitati per Spiritum ipſius, & *clamant voce magna* ad ſedentem in nube, i. e. precibus calidiſſimis expetunt purgationem Eccleſiæ a palea & zizaniis impiorum, quibus ager Eccleſiæ externæ ſcatet; ut Chriſtus *falce* judiciorum ſuorum demetat zizania, ad ignem colligenda, & triticum in horreum colligendum. Alluditur autem ad ritum *fruges demetendi* in terra Canaan, qui fiebat ex juſſu præfectorum Templi, tres legatos cum *falcibus* ad *meſſem* emittentium, ut ex Codic. *Menachoth. f. LXV.* obſervat Doctiſſ. LIGTFOOTH.. Quod ulterius perſequi noſtri non eſt inſtituti.

II. FALCES emblema apud antiquos exiſtunt

a) *Sermonis acuti* atque ſententiæ, quæ cum ſingulari acumine profertur, quo refer illud NONNI *Panopolitæ.*

Χείλεσιν ὀ παλάμῃσιν ἀερϳάζων λάλον ἅρπην.
Labiis non artibus tollens falcem loquacem.

b. *Mor-*

b. *Mortis* quoque Symb. eſt falx, uti liquet ex illo EURIP. *in Hypſipyle*:

- κᾆτα δ' ἄχθονται βροτοὶ,
Ἐις γῆν φέροντες γῆν ἀναγκαίως δ' ἔχει
Βίον θερίζειν, ὥςε κάρπιμον ςάχυν.
- *dolent tamen homines & ægre*
Ipſos ſepeliunt. Eſt autem neceſſarium
Vitam demeti, veluti gravidas ſpicas.

c. *Judiciorum* denique graviſſimorum, quo refer locum noſtrum, illique parallelum ex *Joel. III, 18.* vel 13. ſec. cod. hebr. שלחו מגל כי בשל קציר *Mittite falcem, nam maturuit meſſis*, quod *Paraphraſtes* reddit אושטו בהון חרבא ארי מטא זמן קצהון *Protendite in eos gladium, nam pervenit tempus finis eorum.* Uti OVID. *Metam. Lib. V. v. 103.*

Huic Chromis amplexu tremulis altaria palmis,
Demetit enſe caput.

Sic Saturnus apud LUCIAN. *in Cronoſolon. p. m. 945. Opp. T. II.* judicia ſua denuntiaturus transgreſſoribus legis ſuæ καὶ εἰπὲ αὐτοῖς, ἔφη, ὅτι ἢν μὴ τȣτο ποιῶσι, μάτην ἐγὼ τὴν ἅρπην ταύτην ὀξεῖαν περιφέρω. *Et illud, inquit, illis dicito, niſi ſervarint hanc (legem), tum ego profecto ſine cauſa hanc falcem acutam circumfero.* Et denique OPPIAN. ἁλιευτικ. ε.

Δεξιτερῇ δ' ἅρπην εὐήκεα χειρὶ τιταίνει,
Manu autem dextra falcem acutam tenens ad puniendum.

Quare et *Beda* in locum noſtrum, per *falcem* intelligit *judicialem dirimendi ſententiam, quæ nullatenus evitatur. Inter ipſam quippe ſumus, quolibet fugere conemur. In falce enim quicquid includitur, intus cadit.* Similia ſcribit HIERONYMUS *in Marc. IV.*

III. Elegans ſane inter falces & judicia divina exiſtit analogia, quam paucis explicabimus.

1. Si materiam falcis conſideres, ex *ferro* vel *ære* olim conflata illa exſtitit. HESIOD. Θεογον *v. 161.*

Αἶψα δὲ ποιήσασα γένος πολιȣ ἀδάμαντος,
Τεῦξε μέγα δρέπανον
Statim vero cum procreaſſet genus cani ferri,
Fabricavit magnam falcem.

Ple-

Plerumque tamen ex *ære*, unde ſæpius apud *Nonn.* & alios χαλκήλατος ἅρπη audit, i. e. *falx ex ære ducta.* LUCRET. *Lib. V. de rer. nat.* talem memorat:

Verſaque in opprobrium ſpecies eſt falcis ahenæ.

Et VIRGIL. *Lib. IV. Æneid.*

Falcibus & meſſæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ.

Atque SOPHOCL. *in Tragœd.* ῥιζοτόμ.

Ἡ δὲ βοῶσα ἀλαλαζομένα γυμνὴ
Χαλκέοισιν ἤμα δρεπάνοις.

Quum autem *æs* non ſolum *fulgore* ſingulari ſe commendet, ſed & *firmitate*, unde TIBULL. *Lib. I. el. VIII.*

Hic doucit dura cædere falce comam.

Imo *æs* vim purgandi & luſtrandi poſſidere crederetur apud veteres, quare herbas ſacras *ænea falce* recidendas eſſe ſupra docuit *Virgilius*, ad quem quæ *Taubmannus* commentatur, conferes; Judicia divina quoque *falci ex ære ductæ* conferenda erunt. Utpote quæ radiant fulgore *majeſtatis*, *ſanctitatis* ac *juſtitiæ* divinæ, quas perfectiones Summus Judex in judiciis ſuis exſerit & demonſtrat, & quas celebrant teſtes judicii divini, ad mare vitreum victores conſtituti Apoc. XV, 2. 3. 4. & agnoſcunt XXIV. ſeniores Apoc. XI, 16-18. Judiciorum quoque divinorum *conſtantia* atque *immutabilitas* deſignatur per æneam materiam, quia omnia exequitur Numen ſanctiſſimum ex decreto Vigilum æterno, quod eſt immutabile. *Jehova exercituum conſtituit conſilium, quis faciet irritum? & manum ejus extenſam quis avertet unquam?* Jeſ. XIV, 26. 27. Dan. IV, 35. Sunt denique judicia divina ſæpius *luſtratoria* ac *purgatoria*, quatenus populus Dei per illa a ſcoriis peccati & impuritatum reatu purificatur, tanquam æs et aurum per ignem. Per judicia enim erudiuntur, ne cum mundo pereant 1 Cor. XI, 32. Per eadem purgat aream ſuam Deus. Matth. III. 12.

IV. 2. Si *formam* conſideres falcis, illa *curva* erat, & enſis incurvati figuram ſeu *Lunæ curvatæ* ſpeciem exhibebat, unde VIRGIL. *Georg. Lib. I.*

Et curvæ rigidum falces conflantur in enſem.

Et *Georg. Lib. II.*

neque

- - - *neque illæ*
Procurvam exſpectant falcem, raſtrosque tenaces.

AVIAN. *Fab. XXI.*

Sed poſtquam curvas dominum comprendere falces
Frugibus & veram ſenſit adeſſe manum.

Nec non HOMER. *Odyſſ. XVIII.*

Ἐν ποίῃ δρέπανον μὲν ἐγὼν εὐκαμπὲς ἔχοιμι.
In herba falcem ego bene flexam haberem.

Similiter APOLLON. *Argon Lib. III.* ἅρπην memorat εὐκαμπῆ, *falcem bene incurvatam.*

Falces ea propter dubio procul curvas fabricavit antiquitas, ut eo certius gramina, fruges, ariſtas atque frutices demetere poſſent; magnam enim illorum copiam in circulo ſuo comprehendit falx, atque omnia, quæ comprehendit, ſimul acie ſua demetit. Optime ergo denotabit judicia divina eſſe *inevitabilia*, utpote quæ *effugere* nemo unquam poteſt. Quare HIERONYMUS in Marc. IV. ſcribit: *Falces præcidentes ramuſculos deſignant poteſtatem ſuperni judicii, quæ evitari non poteſt, ſed omnia circumplectendo præcidit.* Quos enim virga & falx judicii divini complectitur, illi etiam ſub iisdem iram Supremi perſentiſcunt; horrendum quippe eſt in manus haſce Dei vivi cadere! Heb. X, 31. Quare idem Apoſtolus Cap. II, 3. ſcribit: *Quomodo effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Et teſte Jobo C. XI, 20. *oculi impiorum deficient, & non erit ipſis perfugium ab ira divina.* conf. Cap. XX, 20. adde varia loca, quæ judicia Dei hominibus haud evitabilia eſſe teſtantur: Jer. XXV, 35. XXXII, 4. XXXIV, 3. XLII, 17. XLVIII, 8. Dan. XI, 42. Matth. III, 7. & emphatice Apoſtolus Rom. II, 3. teſtatur: *Cogitas autem hoc, o homo, qui damnas talia facientes & ipſe facis, fore, ut effugere Dei judicium queas?*

V. 3. *Acuta maxime falx erat, quare in loco noſtro* δρέπανον ὀξὺ *falx acuta* appellatur. Quemadmodum aciem ei tribuit VIRGIL. *Georg. Lib. II.*

Ipſa acies falcis nondum tentanda, ſed uncis
Carpendæ manibus frondes.

VALER. FLACC. *Argon. Lib. VI.*

- *Illum acies curvæ ſecat undique falcis.*

Et LUCIAN. *in Cronoſolon.* Saturno ἅρπην πάνυ τεθηγμένην *falcem præacutam* adſcribit. Similiter OPPIAN. in loco ſupra citato εὐήκεα appellat *acuminatam.* Et Heſiod. Θεογον. *v.175.* aſperos ei & acutos dentes tribuit:

- - ἐνέθηκε δὲ χειρὶ
Ἅρπην καρχαρόδοντα.
Indidit vero manui Falcem aſperis & acutis
Dentibus inſtructam.

Tempore præcipue meſſis *acui* ſolebant falces, quod teſtatur HESIOD. ἐργ. *v.573.*

Ἀλλ' ἅρπας τε χαρασσέμεναι, καὶ δμῶας ἐγείρειν
Φεύγειν δὲ σκιερὺς θώκυς, καὶ ἐπ' ἠῶ κοῖτον,
Ὥρη ἐν ἀμήτυ.
Sed falceſque acuito, ſervosque excitato,
Fugito autem umbroſas ſedes & matutinum ſomnum,
Tempore meſſis.

Uti Q. CALABER *Lib. IV.*

Κέρσῃ τις δρεπάνῳ νεοθηγεῖ.
Demetat aliquis falce recens acuminata.

Innuit hoc effectus judiciorum graviſſimos, utpote quibus nemo reſiſtere poteſt. Deus eſt, qui occidit et vivificat, qui percutit & ſanat, & nemo eſt, qui manum ejus effugere poteſt. Deut. XXXII, 39. Nullus gladium ipſius acutum evadet. Si in infernum deſcenderent, manus ipſius inde eos protraheret, ſi in altum adſurgerent, inde ipſos detruderet. Amos IX, 2. 3. *Sagittæ* enim judiciorum ipſius ſunt acutæ, quæ penetrant in cor hoſtium ſuorum, ut procidant coram eo Pſ. XLV, 6. Deus quippe vindex juſtiſſimus, niſi convertatur improbus, *gladium ſuum acuit*, arcum ſuum adduxit, ſagittasque præparavit; ſagittas ſuas adaptavit inſtar armorum lethalium. Pſ. V, 12-14. Quare falce hac hoſtes ſucciduntur, nullo reſiſtente, ſed procidunt illico percuſſi. conf. Pſ. IX, 4. XVIII, 38. LXVIII, 2. 3. Et vulnerantur neceſſario, vel ad *mortem*, veluti hoſtes Dei indurati, vel etiam ad *ſalutem*: qui ſc. Deo ſeſe ſubjicientes, ejusque poteſtatem agnoſcentes, ipſi homagium præſtant. Pſ. II, 12. CX, 2. Gen. XLIX, 10. VI. 4.

VI. 4. Falces *manubrio* inſtructæ erant, quo agitari aptius *dextræ* ope poſſent. Dextra enim tenebant & agitabant eas; quare qui eas manu tenebat, ad ſecandum ſeſe promtum eſſe declarabat. Uti in *manu* filii hominis heic falx quoque conſpicitur. Quare Talmudicis מגל יד ומגל קציר *falx manualis & meſſoria* dicitur in *in Kol. cap. XIII.* Et HESIOD. *ſcut. Hercul. v. 291.* deſcribit vindemiaturos:

Ὀι δ᾽ ἐτρύγων ὄινας, δρεπάνας ἐν χερσὶν ἔχοντες,
Ὀι δ᾽ αὖτ᾽ ἐς ταλάρους ἐφόρουν ὑπὸ τρυγητήρων
Λευκοὺς καὶ μέλανας βότρυας.
Alii autem vindemiabant vites, falces in manibus habentes,
Alii in calathis ferebant a vindemiatoribus acceptos
Albos & nigros racemos.

Idem *in* Θεογον. *v. 174.*

\- - ἐνέθηκε δὲ χειρὶ
Ἅρπην καρχαρόδοντα.
Indidit vero manui ejus falcem acutis dentibus inſtructam.

Et paulo poſt:

\- δεξιτερῇ δὲ πελώριον ἔλλαβεν ἅρπην.
Dextra vero accepit falcem immanem.

Depingit hoc modum ſapientiſſimum, quo Deus judicia ſua exſequi ſolet, quod per varia *inſtrumenta*, quibus utitur, efficit, quæ manu providentiæ ſuæ dirigit ad ſcopum, quem ſibi præfixit. Ita *Reges & Principes* hujus terræ ſæpius *manubrium in falce* Dei exiſtunt, quod dextra Dei omnipotens agitat in perniciem hoſtium ſuorum vel caſtigationem populi ſui. Ita Aſſyrius *virga iræ ipſius* & *baculus excandeſcentiæ in manu Dei* appellatur, Jeſ. X, 5. de quo Comm. 15. Jehova loquitur, dicens: *An gloriabitur ſecuris contra agitantem ipſam, an magnificabit ſe ſerra, contra agitatorem ſuum?* Dextra omnipotentiæ ſuæ, omnes creaturas diſponit inſtrumenta vindictæ ſuæ, ſi Deus contra nos, quis inter omnia creata pro nobis? Rom. VIII, 33. Sic judicia, quæ in Ducem ſalutis noſtræ cumulanda erant, quando gladius contra ipſum evigilaturus erat Zach. XIII, 7. per inſtrumenta iræ executus eſt ſummus judex, ita ut nihil ipſi acciderit, quam quod *manus* Jehovæ antea determinaverat Act. IV, 27. 28. Et quoniam dextra Jehovæ eſt robuſta ac

irreſiſtibilis, facile patet, quando illa agitat hanc falcem, quod nemini illam effugere detur. Deut. XXXII, 29. quis coram ira ipſius conſiſtet, quæ petras diſrumpit. Nah. I, 4-6. quis coram igne hoc æterno durabit? Jeſ. XXXIII. 14.

VII. 5. Si uſus varios *Falcium* apud antiquos conſideremus, obſervabimus adhibitas illas fuiſſe

(a.) potiſſimum in *Meſſe*, ad demetendas ac reſecandas ariſtas maturas. Ita Deut. XVI, 9. tempus meſſis deſcribitur, tanquam a quo *falx immitti in ſegetem* cœpit. Huc pertinet Lex Dei Deut. XXIII, 25. חרמש לא תניף על קמת רעך *Falcem non agitabis in ſegetem proximi tui.* Eodem reſpicit phraſis prophetarum: *haſtas ſuas tundere* & convertere in *falces* Jeſ. II, 4. Mich IV, 3. quæ eſt deſcriptio pacis, quando falces tuto in ſegetes immitti & fruges maturæ in horrea colligi queunt; & phraſis oppoſita *tundere falces in haſtas*, quæ eſt belli delineatio Joel III, 10. Phraſis prior in ſcriptis quoque Judæorum ſæpius occurrit, vide *Talmud. Maſſ. Schabb. Fol. LXIII. col. 1.* eandemque exprimit MARTIAL. *Lib. XIV. ep. 34.*

Per me certa ducis placidos curvavit in uſus,
Agricola nunc ſum, militis ante fui.

Ad *falcium* in meſſe uſum reſpicit MAIMONID. *de jure paup. & peregr. Cap. IV. §. 1.* איזהו לקט זה הנופל מתוך המגל בשעת קצירה או הנופל מתוך ידו כשמקבץ השבלים ויקצור *Quid eſt ſpicilegium? Quod cadit e falce tempore meſſis, vel quod cadit e manu, cum meſſor colligat ſpicas, ut demetat.* Similiter HOMER. *Iliad. XVIII.*

Ἐν δ' ἐτίθει τέμενος βαθυλήιον, ἔνθα δ' ἔριθοι
Ἤμων, ὀξείας δρεπάνας ἐν χερσὶν ἔχοντες.
In eo etiam ponebat campum altæ ſegetis, ibi autem meſſores
Metebant, acutas falces in manibus habentes.

VIRGIL. *Georg. Lib. I.*

- - - neque ante
Falcem maturis quisquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos & carmina dicat.

OVID.

OVID. *Lib. III. amor. el. X.*

Prima Ceres docuit turgeſcere ſemen in agris,
Falce coloratas ſubſecuitque comas.

Et AVIAN. *Fab. XXI.*

Sed poſtquam curvas dominum comprendere falces,
Frugibus & veram ſenſit adeſſe manum.

Huc pertinet nummus apud OISEL. *Tab. LVIII. n. 1.* ubi quatuor anni tempeſtates deſignantur, & æſtas per puerum, qui falcem manu geſtat, cum inſcriptione: FELICIA TEMPORA. conf. BEGER. *Num. Imp. Rom. Tab. LXV. n. 8.* & vide *Tabulam noſtram præfixam n. XX.*

Hinc translata eſt metaphora viſionis noſtræ propheticæ. *Meſſis* enim ultimum eſt in intentione agricolæ & finis operum agri, adeoque in genere deſignat *finem* temporis certi, hominibus ad ferendas fruges reſipiſcentia dignas præſtituti. Quare Salvator meſſem Symb. *συντελείας τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ* eſſe declarat Matth. XIII, 40. *Ariſtæ* ergo depingunt homines ipſos, qui fruges reſipiſcentiæ & grati animi gerere debent. *Has demetit* falx judiciorum divinorum, quando maturuerunt tempore Meſſis i. e. quando tempus longanimitatis effluxit & hora judicii divini appropinquat. Quemadmodum autem meſſor ariſtas, bono ſemine turgidas, una cum zizaniis demetit, colligens ariſtas graves in horrea, ſed zizania igne comburens: Ita judex juſtiſſimus per falcem mortis vel judiciorum ſuorum homines demetens, pios colligit in horrea cœli, ſed impios in barathrum ignis æterni conjicit. Matth. XIII, 40-43. Per *meſſem* ergo *ariſtarum* judicia in *Eccleſiam externam*, quæ *ager* eſt ſpicis tritici boni & zizaniis repletus, commode deſignatur.

VIII. b. Alter *falcium* uſus frequentiſſimus erat in *vindemia* & *vineis* ſecandis, tam apud Judæos quam gentes. Sic apud MAIMONID. *in tract. de jur. paup. & peregr. Cap. IV.* dicitur: היה בוצר וכרת את האשכלו והוסבך בעליו ונפל לארץ נפרט אינו פרט *Si quis in vindemia amputet (falce) botrum, isque foliis implicetur, & decidat in terram, quod defractum eſt, non reputatur pro uva decidua.* Huc refer locum ſupra cit. ex HESIOD. *in ſcut. Hercul. v. 292.*

Οἱ δ' ἐτρύγων οἴνας, δρεπάνας ἐν χερσὶν ἔχοντες.

Οἱ δ' αὖτ' ἐς ταλάρους ἐφόρουν ὑπὸ τρυγητήρων,
Λευκοὺς καὶ μέλανας βότρυας, μεγάλων ἀπὸ ὄρχων.
Hi quidem vindemiabant vites, falces manibus tenentes,
Alii autem in calathis ferebant a vindemiatoribus acceptos
Albos & nigros racemos, magnis ex vitibus.

Similiter OVID. *Lib. XIV. Metam. 649.*

Falce data frondator erat, vitiſque putator,
Induerat ſcalas, lecturum poma putares.

Maturas autem ſolum falce demetere ſolebant, unde COLUMELLA *de re ruſt. Lib. III. cap. ult. Primum neceſſe eſt, ut vindemiatorum aleam ſubeat, neque enim ſingulis totidem antiſtites dare poteſt, qui obſervent, quique præcipiant, ne acerbæ una cum maturis demetantur.*

In putanda vite eaque purganda a ramis ſuperfluis & ſterilibus, etiam falces adhibitas legimus. Huc refer illud PROPERT. *Lib. II. el. XIX.*

Illic aſſidue tauros ſpectabis arantes,
Et vitem doctam ponere falce comas.

Et VIRGIL. *Bucol. ecl. III.*

Atque mala viteis incidere falce novellas.

Atque *ecl. IV.*

Non raſtros patietur humus, non vinea falcem.

Hinc metaphora deſumta in viſione ſequenti Cap. noſtri comm. 17-20. quando alius *Angelus* cum *falce* prodibat ex adyto cœli, cui acclamabat angelus alter: *Immitte falcem acutam & vindemia botros vineæ terræ, quia uvæ ejus maturuere.* Quod judicia Dei pingit in *vitem Sodomæ,* Deut. XXXII. 32. i. e. Antichriſtianismi derivanda, quæ ſubſecutura eſſent judicia, in Eccleſiam externam Proteſtantium immiſſa. *Uvæ maturæ* deſignant membra Antichriſtianiſmi, ſanguineo peccatorum & ſcelerum reatu turgentia, quæ tempus longanimitatis effluxum attigerunt, & *falce* judicii divini demetenda erant. Erant autem non niſi *acini* maturi, ſucco peſtifero repleti. Egregie hanc Sodomæ vitim deſcribit MANTUAN. *in Carminib.*

Ad Romam converte oculos, luxumque fluentem
Aſpice, & indignos Chriſti propagine mores.
Tota in capreolos it vinea, tota comantem

Effluit

Effluit in ſylvam, foliis ſpargentibus umbram
Peſtiferam ſegeti, dulces neque parturit uvas.
Hos ſteriles ramos, nemus illud inutile trunca.

Quare falce judiciorum amputanda hæc vitis, ita tamen ut rami nonnulli purgarentur, quo uvas dulces ferre poſſent; quum nonnulli ex Antichriſtianiſmi confeſſoribus tempore ultimo adhuc convertendi ſint ex teſtimonio prophetarum.

IX. c. *In graminibus, herbis & floribus* reſecandis & foliis ac *fruticibus* demetendis quoque falces uſitatas fuiſſe teſtantur antiqui. Huc reſpiciunt HOMER. *Odyſſ. XVIII.*

Ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ ὅτε τ᾽ ἤματα μακρὰ πέλονται,
Ἐν ποίῃ δρέπανον μὲν ἐγὼν εὐκαμπὲς ἔχοιμι.
Tempore in verno, quando dies longi ſunt,
In gramine falcem ego quidem curvam haberem.

VIRGIL. *Lib. IV. Æneid.*

Falcibus & meſſæ ad Lunam quæruntur aënis
Pubentes herbæ.

PROPERT. *Lib. IV. eleg. 2.*

Da falcem & torto frontem mihi comprime fœno,
Jurabis noſtra gramina ſecta manu.

Uti & APOLLON. *Lib. IV. argon.* *καλαμήτομον ἅρπην calamos ſecantem falcem* memorat. Et OVID. *Epiſt. heroid. VI.*

Diraque cantata pabula falce metit.

Frondes arborum quoque illis demeti docet OVID. *Metam. Lib. IX. v. 383.*

- - *ab acutæ vulnere falcis,*
A pecoris morſu frondes defendite noſtras.

Sed eum in finem id ſæpius fiebat, ut *fruges* eo melius ferrent. Exprimit hoc OVID. *Metam. XIV. 628.*

Rus amat & ramos felicia poma ferentes;
Nec jaculo gravis eſt, ſed acuta dextera falce:
Qua modo luxuriem premit, & ſpatiantia paſſim
Brachia compeſcit, fiſſo modo cortice virgam
Inſerit & ſuccos alieno præbet alumno.

Eosdem effectus judiciorum divinorum obſervamus in animabus mor-

mortalium. Omnis homo *gramen* eſt & *herba agri* & omnis ejus gloria inſtar *florum* campi, quando falx judicii divini illum tangit, exareſcit inſtar fœni. Jeſ. XL, 6-8. 1 Pet. I, 24. Præprimis impios ſicut gramen cito ſuccidendos, & inſtar herbæ viridis decidere teſtatur Pſaltes Pſ. XXXVII, 2. conf. Pſ. CXXIX, 5-7. per mortem quoque inſtar graminis vita noſtra demeti ſolet, teſte Pſ. XC. 5. 6. CIII, 15. 16. Jac. I, 10. 11. Verum etiam credentes, qui ſunt arbores frugiferæ, purgantur ac putantur falce judiciorum divinorum, ut largiores fruges ferant. Illius etiam ope inſeruntur Chriſto, arbori vitæ, cujus ſucci vitalis participes redduntur. Omnem enim palmitem frugiferum purgat & putat agricola cœleſtis, ut plures fruges adferat, & manent in Chriſto, vera vite, per fidem & ſalutares judiciorum divinorum effectus ipſi inſerti. Joh. XV, 2-5. per caſtigationes enim divinas *fruges ſalutares & tranquillas juſtitiæ* promoveri, docet Apoſtolus Hebr. XII. 11. comprimuntur quippe propullulantes carnis concupiſcentiæ & reſecantur hac falce acuta. Gal. V, 24. VI, 14. Rom. VI, 5. 1 Pet. IV, 1. 2.

X. d. *Falcibus* incidebant arbores, vel ut eo majora incrementa nanciſcerentur, vel nomina quoque *figuras* atque *characteres* varios illis inſculpebant. Teſtatur hoc OVID. *heroid. epiſt. V. v. 21.*

Inciſæ ſervant a te mea nomina fagi,
Et legor, Oenone, falce notata tua.
Et quantum trunci, tantum mea nomina creſcunt,
Creſcite & in titulos ſurgite recta meos.

Similiter CALPURN. SICUL. *ad Nemeſ. Buc. ecl. I.*

Sed quænam ſacra deſcripta eſt pagina fago,
Quem modo neſcio quis properanti falce notavit?
Adſpicis ut virides etiam nunc litera rimas
Servet & arenti nondum ſe laxet hiatu.

Nec non ARISTENET. *Lib. VI. epiſt. 10.* τοῖα δὲ εἶπε ὦ δένδρα, καὶ νῦς ὑμῖν γένοιτο καὶ φωνὴ, ὅπως ἂν εἴπητε μόνων Κυδίππη καλὴ, ἤγουν κατὰ τῶν φλοιῶν ἐγκεκαλαμμένα φέροιτε γράμματα. *Utinam inquiebat & mens vobis arbores & vox eſſet, hoc unum dictitaretis, Cydippe pulchra, vel corticibus inſcriptas ferretis hoc ipſum teſtantes literas.* Et denique VIRGIL. *Eclog. X.*

teneris-

- teneriſque meos incidere amores
Arboribus, creſcent illæ, creſcetis amores.

Per judicia quoque & præcipue illa, quibus populum ſuum Deus afficit, Deus quaſi notas ſuas illi imprimit. Judicia enim Dei a domo Dei incipiunt, 1 Pet. IV, 17. qui ſui amantes caſtigat Heb. XII, 6. Per judicia interna, quæ per ſpiritum judicii exequitur, inciſæ hæ arbores myſticæ ſtillant ſucco grati odoris, inſtar arborum reſiniferarum Cant. IV, 16. His characteres amoris ſui tenerrimi ipſis imprimit, quare Apoſtolus gloriatur, ſe ſtigmata Chriſti in corpore ſuo geſtare Gal. VI, 17. Scopus caſtigationum non eſt alius, quam ut creſcant in amore, pietate ac ſpe, nec cum mundo pereant 1 Cor. XI, 32. Hebr. XII, 11. Sic nomen Dei in fronte ſua gerunt, qui ex θλίψει μεγάλῃ prodeunt & cum agno in monte Zion conſtituti apparent Apoc. XIV, 1. 2.

XI. e. *Falces* quoque inter *arma* & *inſtrumenta lethalia* referendæ ſunt. Illis enim *boves* jugulaſſe veteres, conſtat ex PAUSAN. *in Corinth. Lib. II. p. m. 152.* τέσσαρες δὲ ἔνδον ὑπολειπόμεναι, γρᾶες, αὗται τὴν βοῦν εἰσι κατεργαζόμεναι: δρεπάνῳ γὰρ, ἥτις ἂν τύχῃ, τὴν φάρυγγα ἀπέτεμε τῆς βοός. *Eam* (bovem) *quatuor anus relictæ falcibus exceptam conficiunt, earum una, ut caſus tulerit, bovis jugulum præſecat.* Hominum quoque capita *falce* demetere ſolebant. ARISTOPH. *in Ran. Act. II. ſc. IV.*

Ἐγὼ δὲ τὸν λάρυγγ᾽ ἂν ἐκτέμοιμί σε,
Δρέπανον λαβοῦσ᾽, ᾧ τοὺς κόλικας κατέσπασας.
At ego guttur tibi falce excinderem lubens,
Quo panes deglutiiſti cinericios.

Quare in *bello* quoque & certamine illarum uſus viguit. Teſtis eſt GRAT. VALISC. *in Cyneget. v. 342.*

Terribilemque manu vibrata falarica dextra
Det ſonitum, & curva rumpant non pervia falce;
Hæc tua militia eſt.

Huc quoque reſpicit LUCRET. *Lib. V. de rer. nat. v. 1292.*

Inde minutatim proceſſit ferreus enſis,
Verſaque in opprobrium ſpecies eſt falcis ahenæ.

Et ferro cœpere ſolum proſcindere terræ,
Exæquataque ſunt creperi certamina belli.

Et in *oppugnationibus* adhibitas docet KIPPING. *antiq. Rom. Lib. III. cap. IV. §. II.* & TACIT. *hiſt. Lib. III. cap. XXVII.* §. 4. *Paulum inde, ait hic, moræ, dum e proximis agris ligones, dolabras & alii falces ſcalasque convectant, tum elatis ſuper capita ſcutis, denſa teſtudine ſuccedunt.*

Judicia quoque divina *lethalia* ſunt arma, tum reſpectu hoſtium tum populi Dei. Si judicia, quæ Deus in hoſtes ſuos effundit, conſideres, illis ſæpe præcipitantur in corporalem & æternam mortem. Demetit ipſis ſpatium gratiæ, & vitam morte ſubitanea ipſis eripit. *Momento ſæpe exſcinduntur, pereunt & terroribus conſumuntur.* Pſ. LXXIII, 19. Et in æternam quoque mortem conjiciuntur, in barathrum ſulphuris & ignis, quæ eſt *ſecunda mors.* Apoc. XXI, 8. Sed & reſpectu populi Dei *lethalia arma* exiſtunt judicia, quibus homo vetus jugulatur inſtar victimæ, quibus interimuntur membra terreſtria Col. III, 5. enervatur, internecioni datur, crucifigitur & aboletur corpus peccati Rom. VI, 6. ne aliquando cum mundo toti pereant 1 Cor. XI, 32. *Bellum* quoque hisce judiciorum falcibus indicit Deus hoſtibus ſuis & pugnat contra eos hisce armis. Jer. L, 25. Jeſ. LXIII, 10. Jer. XXI, 5. 6.

XII. ſ. Præcipue notanda ſunt *inſtrumenta bellica*, *falcibus* munita, vel earum formam habentia, qualia erant *enſes* & *currus falcati.*

Enſes falcati ſæpius memorantur ab antiquis ſcriptoribus. Ita VIRGIL. *Lib. VII. Æneid.*

Lævas cetra tegit, falcati cominus enſes.

LUCIAN. *de domo p. m. 809.* τὸ δ᾽ ὅσον ἔμψυχον μένει, τῇ ἅρπῃ κόπτεται. *Reliquum autem, quod animatum eſt, falce i. e. enſe falcato reſecatur.* Conf. LIPS. *analect. ad Milit. Rom. Lib. III. cap. 3.* BARTH. *ad Stat. Achill. II. p. m. 1759.* SIL. ITAL. *Lib. III. de Afr.* itidem de eo canit:

Verſicolor contra cetra & falcatus ab arte
Enſis.

Conf. effigies *enſium falcatorum* in nummis apud Oiſel. *Tabul. XXXI. n. 1. 2.*

Huc pertinent quoque *currus falcati.* Tales erant dubio procul

רכב

רכב ברזל Jud. I, 19. IV, 3. 13. ubi Vulgata verſio *currus falcatos* habnt, adde Joſ. VII, 16. De his canit LUCRET. *Lib. III. de rer. nat.*

Falciferos memorant currus abſcindere membra,
Sæpe ita deſubito permiſta cæde calentis.

Sic CURTIUS *Lib. III. & IV. ducentas quadrigas falcatas & centum currus falcatos* memorat. SUIDAS quoque δρεπανηφόρα τέθριππα *currus falciferos* deſcribit. HESYCHIUS ait: δρεπανηφόρα ἅρματα τὰς Μακεδόνας φασὶ πρώτες χρήσασθαι. *Currus falcatos ajunt Macedones primum uſurpaſſe.* Illis enim hoſtes perrumpunt & conterunt quampluximos. Quod teſtatur VALER. FLACC. *Argon. Lib. VI. v. 424.*

Ipſe recollectis audax Ariaſmenus armis
Deſilit, illum acies curvæ ſecat undique falcis,
Partiturque rotis.

Plura conf. apud HUGON. *de milit. Equeſtr. Lib. I. p. m. 44.* SCHEFF. *de re vehic. Lib. II. cap. XV. p. m. 190.* LYD. *de re militar. Cap. X. p. 138. ſq.* Nec non Cl. SCHULTZ. *diſſ. ſing. de curribus ferreis in oriente bellicis.*

Enſis falcatus eſt verbum domini, quod Apoſtolus vocat gladium Spiritus Eph. VI, 17. quare os Meſſiæ gladius acutus dicitur Jeſ. XLIX, 2. & verba, quæ miniſtri Evangelii ad convictionem proferunt, inſtar gladii conſiderantur Cant. III, 8. Zach. IX, 13. Per verbum ſuum & præcones ejus Deus judicia ſua quoque exſerit, quia denuntiant judicia ſua & precibus quoque ſuis illa in rebelles peccatores derivant. Jeſ. LVIII, 1. Apoc. XI, 5. Cap. VI, 10. Luc. IX, 54. hic eſt gladius, quo accinctus eſt heros ille, qui veſtes ſanguine hoſtium conſpurcatas gerit. Jeſ. LXIII, 1. Pſ. XLV, 4.

Currus falcati ſymb. ſunt *Angelorum*, quorum miniſterio Deus judicia ſua exſequitur. Docet hoc locus inſignis Pſ. LXVIII, 18. רכב אלהים רבתים אלפי שנאן *Curruum Dei ſunt myriades & millia acuminatorum.* Vox שנאן a שנן *acuere* ad currus referri & *currus acuminatos* i. e. *falciferos* denotare apte poteſt. Deus enim hic conſideratur, ut Dux exercitus, cujus *currus bellici* ſunt myriades. Quia omnes creaturæ ipſi inſerviunt ad puniendos hoſtes, & ipſæ angelorum myriades, qui ſæpe executores judiciorum divinorum, præcipue ſub V. T. exiſtebant. conf. Jeſ. XXXVII, 36. 2 Reg. XIX, 35. 2 Chron. XXXII, 21.

XIII. Hæc ſi quis conſideret mente attenta, nonne ille tremere incipiet,

cipiet, quum tanta Eccleſiæ Proteſtantium impendeant judicia, quum tempus inſtet, quo Filius hominis in nube appariturus eſt, falcem manu tenens acutam, cui acclamat angelus e templo prodiens: *Immitte falcem tuam, quia meſſis maturuit.* Certe ſuſpiria doctorum & præconum Evangelii fruſtra laborantium, & piorum ſub ſceptro impiorum ad cœlum clamantia, ad nubes usque penetrant & non niſi judicia Dei juſtiſſima excitant. Certe ſi tot per orbem terrarum ambulantia altiſſimi judicia attendimus, Filium hominis *falcem* jam *manu tenere*, paratum ad eandem agitandam, videbimus. Securis ad arborum radices poſita eſt, quævis arbor, quæ frugibus deſtituitur, abſcinditur atque in ignem conjicitur. Matth. III, 10. Certe *Meſſis* quoque noſtra exaruit, omnia gratiæ media fruſtranea exſtitere & ager externus Eccleſiæ non niſi zizania profert, ubi ſteriles dominantur avenæ & infelix lolium. Nos ſumus *vitis* illa, quam Dominus plantavit in colle pingui, irrigavit rore mediorum gratiæ, atque exſpectat ab eadem fruges decentes, ſed proh! non niſi acinos maturos producit, fruges malitiæ, hypocriſeos & ſecuritatis carnalis. Certe menſura peccatorum noſtrorum impleta eſſe videtur, quis novit, quamdiu falcis judiciorum adhuc expers Eccleſia Proteſtantium manebit. Saltem Antichriſtus inſtar *meſſoris* paratus eſt ad nutum Dei per perſecutiones cruentas multa confeſſorum millia *demetere*, cujus ſæpius jam ſpecimina edidit. Et quamvis hæc judicia adhuc differantur, quis neſcit *mortem*, tenebrarum Principem & terrorum, *falcem acutam* manu tenere, quibus vitam noſtram mortalem ſæpius præter omnem ſpem demetere ſolet. Et væ illis, qui inter zizania reperientur, quoniam filius hominis meſſoribus aliquando angelis præcipiet, ut illa colligentes in caminum ignis projiciant.

O utinam ergo ad conſpectum Filii hominis cum falce acuta contremiſcerent ſecuri Zionis, & fructus reſipiſcentia dignos proferre ſtuderent. Nondum Dominus exſeruit falcem pro meritis, ſed exſpectat reſipiſcentiam peccatorum. Sed tamen *exacuit falcem ſuam* & præparavit ad immittendam ſegeti aridæ, ut qui reſipiſcentiam agere renuunt, exſcindantur.

Quando autem Deus pro ſapientia ſua *falcem* judiciorum ſuorum reapſe exſerit, agnoſcamus ab una parte, quam horrendum ſit in manus Dei vivas incidiſſe; ab altera vero ſimul nosmet humiliemus ſub manu

Dei altiſſima; attendamus ad convictiones, quas per *falces* præconii veritatis in conſcientia noſtra excitare ſtudent angeli myſtici, quibus zizania & lolium concupiſcentiarum carnis reſecare, & ſeminis verbi gratiæ incrementum promovere ſatagunt. Accipiamus *falcem* hanc dextra fidei & veterem hominem *jugulemus*, ut vires dominii ipſius in corpore mortali enerventur. Quando *falcem caſtigationum* adhibet agricola cœleſtis & ſurculos voluptatum & concupiſcentiarum naturalium reſecare ſolet, carnem noſtram lubentes illi ſubmittamus dicendo: *Percute, feri, reſeca in hac vita, quæ incrementum gratiæ impediunt, modo fiam ſurculus gratiæ & gloriæ in paradiſo cœleſti.*

Beati ergo prædicandi, qui *Filium hominis acutam falcem dextra tenentem* oculis fidei prævident, qui felicis inſtar tritici in agro Eccleſiæ creſcunt inter ſpinas & zizania impiorum, lilii inſtar inter acanthos, qui exſpectant Domini adventum & ſuſpiria fundunt: *Immitte falcem tuam*, Domine; Angeli enim meſſores ipſos colligent, falce mortis aliquando reſectos, in horrea cœleſtia, ubi ipſi metent cum gaudio, quæ heic per fidem inter lacrymas ſeminarunt. Pſ. CXXVI, 5. 6.

EXERCITATIO X.
DE
TORCULARI MYSTICO
SYMB. IRÆ DIVINÆ.
Apoc. XIV, 19.
ARGUMENTUM.

Locus Apoc. XIV, 19. breviter excutitur §. I. TORCULAR emblema eſſe judiciorum divinorum, imo abundantiæ bonorum, in ſpecie Jeſ. V, 2. Scholæ tentationum docetur. §. II. Comparatio inſtituitur inter torcular & judicia divina, quatenus uvæ maturæ illi injiciebantur §. III. & quidem falce reſectæ in illo colligebantur §. IV. Dein vel aſſeribus impoſitis ope vectis exprimebantur §. V. vel etiam pedibus nudis in eodem calcabantur, quo loca Jeſ. LXIII. Apoc. XIV. & Gen. XLIX. reſpicere doce-

tur §. VI. Calcatores torcularium apud veteres homines erant contemti & conditionis exiguæ, quibus erat præfectus datus. §. VII. Locus, ubi torcularia ſtruebantur, erant vel vinea ipſa, vel montes & colles. §. VIII. Quum premerentur uvæ, effervеſcere, ſpumare & crepitare ſolebat ſuccus ipſarum §. IX. Expreſſis uvis lacus muſto ſcatent, & diffluebant ſæpe montes illo. §. X. Ad lacus torcularium bibere ſolebant cum ſingulari luxu antiqui. §. XI. Hymnos præterea cantare, ſaltationibus & choreis indulgere. §. XII. Olivæ etiam in torcularibus exprimebantur, unde Gethſemane dicta videtur, & quo varia loca V. T. alludunt. §. XIII. Torcularia veterum ex petris & lapidibus ſtructa fuiſſe docetur §. XIV. Omnia epilogo morali finiuntur §. XV.

I.

In præcedenti Exercitatione docuimus, *Falcem* non ſolum in Meſſem ſed & vindemiam eſſe agitatam, jam conſequentias luſtrabimus, quomodo uvæ maturæ falcibus reſectæ in TORCULARI collectæ atque expreſſæ fuerint, ut ita ſuccus ipſarum purpureus largiſſime effluxerit. Docet id Vates ſacer Apoc. XIV, 20. 21. καὶ ἔβαλεν ὁ ἄγγελος τὸ δρέπανον αὐτοῦ εἰς τὴν γῆν, καὶ ἐτρύγησε τὴν ἄμπελον τῆς γῆς, καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν ληνὸν τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ τὴν μεγάλην. καὶ ἐπατήθη ὁ ληνὸς ἔξω τῆς πόλεως, καὶ ἐξῆλθεν αἷμα ἐκ τῆς ληνοῦ ἄχρι τῶν χαλινῶν τῶν ἵππων, ἀπὸ σταδίων χιλίων ἑξακοσίων. *Atque immiſit Angelus falcem ſuam in terram & vindemiavit vineam terræ, & projecit* (ſc. uvas ejus) *in TORCULAR magnum iræ divinæ. Et calcabatur torcular extra Urbem, ſanguisque ex torculari profluebat aſcendendo ad frena equorum, per ſtadia mille ſexcenta.* Judicia heic divina depingi, jam in ſuperiori exercitatione docuimus. Deſumta autem hæc eſt viſio ex prophetiis tum Jacobi Gen. XLIX, 11. tum Jeſaiæ Cap. LXIII, 1-6. præcipue Joel. III, 13. quas prophetias loco noſtro parallelas eſſe, cenſemus, confer *Volum. II. Emblem. noſtr. p. 131. ſq.* Quum autem viſio præcedens Eccleſiam Proteſtantium reſpiciat, hanc *Antichriſtianiſmum* concernere contendimus, tum ex analogia cum Jeſ. LXIII, 1. ubi ex *Edom* procedere calcator torcularis dicitur, quod Antichriſtianiſmum deſignat, tum quia idem ſub emblemate *vitis Sodomæ* occurrit Deut. XXXII, 32. & denique nexus prophetiæ eodem nos ducere videtur.

II. a.

II. a. *TORCULAR judiciorum divinorum* emblema in ſacris & profanis eſſe ſcriptis ſolet. Sic Thren. I, 15. גת דרך אדני לבתולת בת יהודה *Torcular calcavit Dominus virgini, filiæ Judæ*, quod de interitu juvenum & robuſtorum Iſraelis explicatur in ſeqq. Jeſ. LXIII, 1.2. Meſſias occurrit כדרך בגת ſicut *calcans torcular*, cujus veſtimenta ſanguine uvarum conſperſa ſunt, quod explicat ipſe, comm. 6. ואבוס עמים באפי ואשכרם בחמתי *Conculcavi populos in ira mea & inebriavi eos excandeſcentia mea.* Eodem ſenſu occurrit emblema Joel. III, 13. & Apoc. XIX, 15. ubi ληνὸς τȣ̃ οἴνȣ τȣ̃ θυμȣ̃ καὶ τῆς ὀργῆς τȣ̃ Θεȣ̃ memoratur. *Kimchi* quoque ad loc. Joel. III, 13. de *torculari abundante* ſcribit היא משל לשפיכת הדם *Metaphora eſt, quæ effuſionem ſanguinis deſignat.* Et *Chald. Paraphr.* eundem locum vertit: *Mittite in eos gladium, venit enim tempus finis eorum, deſcendite, concultate interfectos fortes eorum, ſicut quod calcari ſolet in torculari.* Varii quoque interpretes *Pſalmos*, quibus inſcriptio eſt על הגתית de *paſſione* & judiciis, quibus Meſſias patiens obrutus eſt, agere contendunt, allegoria deſumta a *torcularibus preſſis.* conf. IRHOV. *Conject. in tit. Pſalm. p. 89.* quod tamen melius de melodia quadam Gathitis & Philiſtæis uſitata explicari forte poterit. Fundamentum hujus emblematis in eo ſitum videtur, quia *homines* quoque prelo ſ. torculari ſubjecerunt, atque ita interfecerunt. Sic princeps Midianitarum Seb *in torculari peremtus* legitur Judic. VII, 25. Et in *Sanhedrin Gem. C. XI.* legitur de interfectore Goliathi. קמטיה ואותביה תותי בי סדיא איתעביד ליה ניסא מכא ליה ארעא מתותיה *Prehenſum illum conſtrictumque torculari ſubjecit. Factum autem eſt miraculum, ut terra mollita ſubſideret ipſi.*

b. Bono autem ſenſu torcular abundantiæ proventuum ac divitiarum Symbolum in ſacris eſſe ſolet. Sic Prov. III, 10. promittit ſapientia honorantibus ipſam horrea, ſaturitate repleta, & *torculariorum lacus muſto perrumpentes.* Quod idem promittitur Iſraeli Joel. II, 24. Quare defectus muſti in torculari, inter maxima annonæ famisque ſigna refertur. Hoſ. IX, 2. 2 Reg. VI, 27. Veluti etiam uvas in nummis paſſim abundantiæ ſymb. eſſe, docuimus *in Vol. II. Emblem. S. p. 114.*

c. *Torcular* Jeſ. V, 2. Matth. XXI, 33. Marc. XII, 1. in *vinea* Eccleſiæ aliis eſt *altare*, ex quo ſanguis victimarum diffluere ſolebat. Aliis eſt *crux* Chri-

Chriſti, ut varii Patres volunt. Aliis ut Cel. *Vitringæ*, templum & loca ſacra. *Aliis* ſancti veritatis teſtes. Forte *ſcholæ tentationum*, per quas credentes exercentur ut fructus fidei edant, intelligi poſſent.

III. Priori ſenſu ergo in loco quoque noſtro torcular adhibetur, quum ληνὸς τȢ̃ θυμȢ̃ τȢ̃ ΘεȢ̃ *Torcular iræ divinæ* appellatur. Elegans quoque eſt, quam heic obſervare poſſumus, analogia.

1. *Uvæ* tempore autumni, quando *maturæ* ſunt, prelo ſubjici ſolent. Quare & in loco noſtro vox angeli auditur: τρύγησον τȣ̀ς βότρυας τῆς ἀμπέλȣ τῆς γῆς, ὅτι ἤκμασαν αἱ ϛαφυλαὶ αὐτῆς. *Vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ ſunt uvæ ipſius.* Tales deſcribit HOMER. *Odyſſ. VII.*

- ἑτέρας δ᾽ ἄρα τετρυγόωσιν,
Ἄλλας δέ τραπέȣσι· πάροιθε δέ τ᾽ ὄμφακές εἰσιν.
Ἄνθος ἀφιεῖσαι, ἕτεραι δ᾽ ὑποπερκάζȣσι.
- *alias autem vindemiant,*
Alias vero calcant. Longæ autem uvæ maturæ ſunt.
Florem emittentes, nonnullæ aliquando matureſcunt.

Et TIBULL. *Lib. I. eleg. IV.*

Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certa lucida ſigna vice.

Nec non OVID. *in Remed. amor. v. 189.*

Temporibus certis maturam ruſticus uvam
Deligit, & nudo ſub pede muſta fluunt.

Et denique autumni tempus delineat CALPURN. SICUL. *ad Nemeſ. Eccl. I. v. 1. ſq.*

Nondum ſolis equos declivis mitigat æſtus,
Quamvis & madidis incumbant præla racemis,
Et ſpument rauco ferventia muſta ſuſurro.

Similiter OVID. *Faſt. IV. v. 897.*

Venerat autumnus, calcatis ſordidus uvis.

Sic judicia ſua exercet Dominus in hoſtes ſuos, illo tempore, quod definivit in decreto ſuo, quo effluxo uvæ hæ tanquam ad maturitatem perveniſſe, viſæ ſunt. Utpote Deus certum peccatori ad reſipiſcentiam ſpatium concedit & interea longanimitatem exercet, quo tamen ad finem ver-

vergente, flammas excandeſcentiæ exſerit. Pſ. L, 20. 21. tunc tempus judicii appropinquaſſe dicitur Apoc. XIV, 7. Hoſ. IX, 7. Sic Jeſebeli myſticæ tempus reſipiſcentiæ datum erat, ut converteretur a ſcortatione, ſed non reſipuit. Apoc. II, 21. Et primi mundi incolis centum et viginti dies conceſſi ſunt, antequam torculari excandeſcentiæ Dei ſubjicerentur Gen. VI, 3. Ninivitis autem quadraginta dies Jon. III, 5. & ficui infrugiferæ populi Judaici tres anni Luc. XIII, 7. *Maturæ* ſunt uvæ, quando menſura peccatorum per hoc tempus longanimitatis ad *ἀκμὴν* pervenit, veluti peccata Sodomæ cœlum aſcendiſſe leguntur. Sic peccata coacervantur ad diem excandeſcentiæ Jehovæ. Rom. I, 18. qui eſt autumnus ille myſticus. De Antichriſti uvis maturis legimus Apoc. XVIII, 5. *Nam accumulata peccata ejus pertigere ad cœlum usque, & recordatus eſt Deus ſcelerum ipſius.*

IV. 2. *Reſectas* ergo hoc tempore uvas ope *falcium colligebant* veteres & coacervabant in *torculari*. Quod refert MARTIAL. *Lib. III. ep. 58.*

Hic poſt Novembres, imminente jam bruma,
Seras putator horridus refert uvas.

Nec non ANACREON *Carm. LII.*

Τὸν μελανοχρῶτα βότρυν
Ταλάροις φέροντες ἄνδρες
Μετὰ παρθένων ἐπ' ὤμων.
Calathis nigros racemos
Juvenes viri reſectos
Humero ſuper valente
Lepidæ & ferunt puellæ.

Similiter HESIOD. *in Scut. Herc. loc. alibi cit.*

Οἱ δ' ἐτρύγων οἴνας, δρεπάνας ἐν χερσὶν ἔχοντες.
Οἱ δ' αὖτ' ἐς ταλάρους ἐφόρευν ὑπὸ τρυγητήρων
Λευκοὺς καὶ μέλανας βότρυας, μεγάλων ἀπὸ ὄρχων.
Hi quidem vindemiabant vites, falces manibus tenentes,
Alii autem in calathis ferebant a vindemiatoribus acceptos
Albos & nigros racemos, magnis ex vitibus.

AUREL. OLYMP. *Nemeſ. Buc. Ecl. III. v. 40.*

- decerpunt vitibus uvas,
Et portant calathis.

Denique HOMER. *Iliad. XVIII.*

- ὅτε τρυγόωεν ἀλωὴν,
Παρθενικαὶ δὲ καὶ ἠίθεοι ἀταλὰ φρονέοντες
Πλεκτοῖς ἐν ταλάροισι φέρον μελιηδέα καρπόν.

- quando reſecabant vineam
Virgines & pueri innupti, pueriliter ſapientes,
Textis in calathis portabant dulcem fructum.

Pingit hoc inſtrumenta judicii divini, & quidem illa, per quæ ad eadem colliguntur. Duplici autem miniſterio utitur Deus vel *Angelorum* vel *hominum.* Per angelos ſæpe colligit hoſtes, ad illos iræ ſuæ tremendis judiciis obruendos, ut docuit Salvator Matth. XIII, 41. *Filius hominis angelos ſuos mittet, & colligent ex regno ſuo omnia ſcandala & injuſtitiæ deditos, quos projicient in caminum ignis.* Quod & ultimo die accidet in συντελείᾳ κόσμȣ. Matth. XXV, 31. Uti olim quoque ſub V. T. per angelorum miniſterium, tanquam vindices transgreſſionis legum divinarum, tremenda iræ ſuæ ſpecimina exſeruit. Sed & *tum* principum ac magnatum hujus terræ, *tum* Doctorum & præconum Evangelii miniſterio Deus utitur in judiciis exſerendis. Principibus *falcatos enſes* tradit in manus, quibus hoſtes majeſtatis ſuæ trucidant, exſcindunt, atque trucidatos in manus vindictæ æternæ divinæ colligunt. Quod & *Antichriſto* accidet ultimis temporibus Apoc. XVII, 16. 17. XVIII, 8. XIX, 20. Doctoribus autem *falces* verbi & minarum judicii tradit, quas in peccatores minime reſipiſcentes agitant, eosque hac ratione quaſi colligunt in torcular vindictæ divinæ. Hic eſt *gladius oris* Dei, quo Antichriſtus perimendus erat Apoc. XIX, 21. 2 Theſſ. II, 8. Jeſ. XI, 4.

V. 3. Duplici autem modo collectæ in lacum uvæ præparabantur. Primo quidem nonnunquam *aſſeribus* impoſitis & *vecte* ſuperaddito exprimebantur. Huc reſpiciunt Rabbini in *Miſchn. Talm. Schabb. Cap. I. m. 9.* vertente *Schmidtio* ושוין אלו ואלו שטוענין קורת בית הבה ועגולי הגת *Invicem ſibi largiuntur, licere onerare trabem trapetis & aſſeres rotundos torcularis.* Et in *Baſr. fol. 67. c. 2.* המוכר בית הבר מכר את הנסרים ואת היקבים *Qui vendit torculare, vendit ſimul aſ-*

ſeres

ſeres & lacum. Et in *Schebbüth Cap. VII.* קוטב diſtinguitur a בד, per quod *Aruch* intelligit *vectem* ſeu lignum grave torculari impoſitum. Vel etiam *ſaxis* graviſſimis onerabant ad exprimendos racemos, quod docent *Columella de re ruſt. & alii.* Ad hunc morem reſpicere videtur HORAT. *Lib. I. od. 20.*

Cæcubum & prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam.

Et CALPURN. SICUL. *ad Nemeſ. Buc. ecl. I. v. 2.*

Quamvis & madidis incumbant præla racemis,
Et ſpument rauco ferventia muſta ſuſurro.

Et ſane ira divina eſt *oneris* inſtar graviſſimi, quibus premuntur peccatores & hoſtes majeſtatis ſupremæ. Sic Job. XXXI, 23. *Pavori mihi eſt exitium a Deo forti, cujus oneri non prævalere poſſum. Manus* enim Dei *gravis* admodum exiſtit, quibus incumbit, ſub eadem ſuſpiria profunda trahunt. Hiob XXXIII, 7. Et Pſ. XXXII, 4. eleganter hoc exprimit David: *Nam interdiu & noctu gravis erat ſuper me manus tua, ut converterentur humores mei in ſiccitates æſtivas. Gravis* eſt ira Jehovæ, contra hoſtes ſuos exardens Jeſ. XXX, 27. *Manus* Dei graviſſima premit inſtar *ſaxi* graviſſimi Pſ. XXXVIII, 3. Quod exprimit Pſaltes od. LXXXVIII, 8. *Super me incumbit excandeſcentia* (inſtar vectis ſeu ſaxi torcularis) *omnibus irrumpentibus fluctibus tuis affligis me.* Et v. 16. 17. *perfero terrores tuos; incumbunt mihi æſtus tui, & conturbationes tuæ reſcindunt me.* Nullum enim eſt gravius onere iræ divinæ, ſub cujus prelo Filius hominis in *Gethſemane* tanquam olei torculari ſuſpiria fundebat, & vermis inſtar coccinei premebatur, ut ſanguis ipſius venis exſiliret. Luc. XXII, 44.

VI. 4. Alter modus uvas in torculari exprimendi, *miniſterio pedum* peragebatur, quibus plerumque uvæ collectæ *conculcabantur.* Sic Neh. XIII, 15. *calcantes torcularia* דורכים גתות *in Sabbatho*, memorantur; adde *Jud. IX, 27. Jer. XXV, 30. Jeſ. XVI, 10.* Quo etiam pertinent loca Jeſ. LXIII, 2. 3. Apoc. XIV. nec non Gen. XLIX, 11. *Tingit vino veſtes, & operimentum ſuum ſucco uvarum* ſc. tanquam *calcans torcular*, in quo uvæ rubicundæ premuntur pedibus. Ritus hujus veſtigia in *Baſr. fol. 25.* deprehendimus, ubi עצורי memorantur *calcatores torcularium*,

 qua

qua voce Chaldæus in locis Jeſ. XVI, 10. Jud. IX, 27. &c. utitur. Apud profanos Scriptores ſæpius mentio illius recurrit. Sic apud HESIOD. *Scut. Herc. v. 301.*

Ὁι γε μὲν ἐτράπεον, τοὶ δ' ἤρυον.
Alii quidem calcabant (uvas) *in lacu, alii hauriebant.*

HOMER. *Odyſſ. L. VII.*

- ἑτέρας δ' ἄρα τε τρυγόωσιν,
Ἄλλας δὲ τραπέουσι
- *alias autem vindemiant,*
Alias vero calcant.

ANACREON. *Carm. LII.*

Καλὰ ληνὸν δὲ βαλόντες
Μόνον ἄρσενες πατοῦσι
Σταφυλὴν, λύοντες οἶνον.
Sed ubi in lacum dederunt,
Maribus premuntur uvæ,
Pedibus merum reſolvunt.

TIBULL. *Lib. I. el. V.*

Aut mihi ſervabit plenis in lintribus uvas,
Preſſaque veloci candida muſta pede.

AUREL. OLYMP. *Nemeſ. Buc. ecl. III.*

- - *vindemia fervet*
Collibus in ſummis, crebro pede rumpitur uva,
Nudaque purpureo ſparguntur pectora muſto.

OVID. *II. Epiſt. IX. ex Pont.*

Muſta ſub adducto ſi pede nulla fluant.

Denique PROPERT. *Lib. III. el. XV.*

Dummodo purpureo ſpument mihi dolia muſto
Et nova preſſantes inquinet uva pedes.

Conf. loca, quæ citavimus in *Emblem. S. Vol II. Exerc. V. Lib. III. p. 130.*

Pes ſymb. eſt dominii, poteſtatis atque vindictæ. Hoſtes enim præcipue victos & ſuperatos *pedibus conculcare*, moris olim erat, vide Joſ. X, 24. Quare ſub pedibus *cadere* vel *jacere* Symb. eſt ſubjectionis 2 Sam. XXII, 39 Pſ. XVIII, 39. Pſ. VIII, 7. XLI, 10. XLVII, 4. Pſ. CX, 1. Quando

do ergo *Filius hominis* inſtar *calcantis lacum* proponitur, hoſtes ejus, ſub *pedibus* poteſtatis & vindictæ ipſius, victi conſiderantur. Quam ob cauſſam *pedes* ipſi tribuuntur inſtar *chalcolibani* Apoc. II, 18. Dan. X, 6. quem locum in *Muſ. Brem. Vol. II.* latius excuſſimus. Et ſub *pedibus ejus caligo eſſe* dicitur 2 Sam. XXII, 10. Pſ. XVIII, 10. alluſione deſumta a columna nubis & ignis, per quam judicia ſua Deus ſæpe in hoſtes olim exſeruit. conf. Pſ. LXXIV, 3. Ergo Jeſ. LXIII, 2. 3. *pede* ultionum hoſtes inſtar *uvarum* in torculari calcaturus proponitur. Simili ratione explicandus locus Pſ. LVIII, 11. *Lætabitur juſtus* (Meſſias ſervus Dei juſtus) *quum videbit ultionem;* (ab hoſtibus Judæis v. 5-7.) *pedes ſuos tinget ſanguine improbi* (inſtar calcantis torcular.) Huc pertinet Phraſis *pulverem pedum Dei lingere* Jeſ. XLIX, 23. quod victis hoſtibus & ſub *pedibus* vindictæ conculcatis competit. Pede ergo vindictæ quoque *conculcandæ* erant *uvæ maturæ* Vineæ Sodomæ myſticæ, ita ut omnis earum vis ac potentia enervaretur.

VII. 5. Singularis olim conditionis erant *calcatores torcularium*, homines plerumque plebeji, pueri & puelli, *nudis* pedibus conculcantes uvas, quorum dux erat *præfectus torcularis*. Opus fuiſſe *moleſtum* & hominum vilioris conditionis, liquet ex Job. XXIV, 11. בין שורתם יצהירו יקבים דרכו יצמאו. *Inter muros ipſorum oleum exprimunt* (ut vertit Chald. a יצהר oleum) vel etiam *æſtum meridiei patiuntur*, (ut vertit Cl. *Schultens* ab arab. ظهر) *calcant torcularia & ſitiunt.* Quare & in *Ketub. fol. 111.* legitur: בעולם הזה יש בו צער לבציר ולדרוך *In ſeculo hoc non ſine gravi moleſtia vindemiatur & calcatur lacus.* Homines autem plebejos adhibitos fuiſſe docet BARTENOR. *ad Miſchn.* טהרות Cap. IX. §. 8. imo homines abjectos & gentes præcipue lacus calcaſſe ex *Miſchn.* עבודה זרה Cap. IV. §. 8 ſq. docuit Cl. HOHEISEL *in Jeſ. diffic. p. 336.* Quemadmodum *ſervi* erant apud Romanos PRÆLATORES dicti, qui torcularia calcabant, vide PIGNOR. *de Serv. p. 265.* *Præfectus* torcularium *CUSTOS torcularium* dicebatur, teſte eodem l. c. Sic apud Rabbinos in *Taboros Cap. X.* memorantur הבדרין הנכנסים היוצאים. *Torcularii* ſeu prælatores *ingredientes & exeuntes*, teſte BUXTORF. *in Lex. p. 260.* *Calcatrices* quoque memorantur in *Bereſch. Rabb. ſect. 71.*

Nudos autem calcaſſe torcularia veteres, ſaltem *nudo pede*, docet

AUREL. OLYMP. NEMES. *Buc. ecl. 3.*

- - crebro pede rumpitur uva,
Nudaque purpureo ſparguntur pectora muſto.

Et CALPURN. SICUL. *ad Nemeſ. Buc. ecl. IV.*

Ut nudus ruptas ſaliat calcator in uvas.

Nec non OVID. *Triſt. Lib. VI. el. 20.*

Diſſiluit nudo preſſa bis uva pede.

Uti & in *remed. amor. v. 190.* idem:

Temporibus certis maturam ruſticus uvam
Deligit, & nudo ſub pede muſta fluunt.

Meſſias Jeſ. LXIII, 3. ſe *ſolum* calcaſſe torcular teſtatur, & veſtes gerit ſanguine conſpurcatas, inſtar calcantis lacum, cui inter calcandum uvarum ſuccus veſtes polluit. Ergo Meſſias eſt *Prælator* ipſe tanquam *filius hominis*, i. e. homo abjectus, qui *ſervi formam* induit Phil. II, 7. qui ut poſſit omnes hoſtes Eccleſiæ ſub pedibus conculcare Rom. XVI, 20. Pſ. CX, 2. 3. exinaniri debuit, & contemtus eſt factus in oculis mundi, ita ut faciem ab eo abſconderent Jeſ. LIII, 2. 3. abjectiſſimus virorum, imo vermis non vir. Pſ. XXII, 7. Solus quoque exiſtit, cui judicium a Patre eſt conceſſum, quia eſt filius hominis Joh. V, 22. 27. *Nudo* quoque pede vindictæ ſuæ i. e. publice exſerto calcat hoc torcular, uti *brachium denudatum* ſymb. eſt potentiæ publice demonſtratæ Jeſ. LIII, 1. Ezech. IV, 7. quoniam veteres denudato brachio pugnare ſolebant, veluti ex nummis imperatorum adhuc patet. Et Jeſ. LII, 10. dicitur: *Denudavit Jehova brachium ſanctitatis ſuæ, ut videant omnes terræ fines ſalutem Dei noſtri.* Adeoque & *denudato pede*, i. e. vindicta publica coram oculis totius mundi, Antichriſtianiſmum erat aboliturus & ad incitas redacturus. Apoc. XVIII, 3. 9. 21. XIX. 20. 21. Quando autem per inſtrumenta vindictæ ſuæ judicia exſequitur Deus ſ. filius Dei, ipſe eſt *præfectus* & arbiter ſupremus prælatorum Apoc. XIX, 13. 14. qui ſub ejus auſpiciis torcular myſticum calcant. v. 17. 18. Cap. XVIII, 6. 7.

VIII. 6. Locus, ubi *Torcularia* veterum conſtituebantur, erat in *montibus* & *collibus*, in quibus vites creſcebant, adeoque in *vinea* ipſa, quemadmodum Jeſ. V, 2. גם יקב חצב בו *etiam torcular in vinea ſua excidiſſe* dicitur Deus, conf. Matth. XXI, 33. Marc. XII, 1. ubi ληνὸς & ὑπο-

ὑπολήνιον *in vinea effoſſum torcular* memoratur. Quemadmodum MAIMONIDES quoque *T. IV. hilcoth* שכירים *Cap. IV.* §. 8. Torcularia hebræorum plerumque in *hortis & montibus* fuiſſe exſtructa, teſtatur. Similiter *Gethſemane* hortus erat, in quo dubio procul גת שמן *torcular olivarum* erat, unde nomen accepit, de quo infra dicemus. Huc quoque refer locum apud AUREL. OLYMP. NEMESIAN. *Ecl. III. v. 43.*

- celerique illidere planta,
Concava ſaxa ſuper properant, vindemia fervet
Collibus in ſummis, crebro pede rumpitur uva.

Adeoque *extra urbes* erant, uti Zach. XIV, 10. *torcularia Regis extra* Hieroſolymas memorantur, quæ non in intima ſed extramurali urbis parte e regione turris Hananaël fuiſſe contendimus, contra *Grotium*, in quibus vina vel olea Regum Hieroſolymitanorum exprimi ſolebant. conf. ADRICHOM. *de terra S. p. 150.* LAMY *de Tabernac. p. m. 658.*

Similiter in loco noſtro legimus; quod ἐπατήθη ὁ ληνὸς ἔξω τῆς πόλεως, *calcatum ſit torcular extra urbem.* Per τὴν πόλιν non heic intelligimus Babylonem, quæ in Apocal. ἡ πόλις ἡ μεγάλη appellatur, ſed illam, quæ in ſacris κατ' ἐξοχὴν ἡ πόλις *Civitas* & civitas ſancta appellatur, ſc. Hieroſolyma myſtica i. e. Eccleſia vera; & optime obſervatum eſt a Cl. LIGTFOOTHO, alludi ad Hieroſolymam literalem, extra quam in monte oliveti torcularia plurima vini & olei fuiſſe, manifeſtum eſt. *Extra urbem* ergo i. e. extra veram Eccleſiam calcatum eſt hoc vindictæ divinæ torcular, quia judicia in ſolum Antichriſtianismum effundenda erant, & Deus Eccleſiæ ſuæ parcere decreverat. Quod autem in *montibus* & *collibus* torcularia erant, vel pingit judiciorum divinorum ſublimitatem vel publicam eorum demonſtrationem, ut terrori eſſent ſpectatoribus. Uti Eccleſia *civitas in monte*, quæ per ſanctitatis ſplendorem longe lateque conſpicua eſſet, appellatur Matth. V, 14. 15. Et in iisdem ſæpe locis, ubi menſura peccatorum impleta eſt, hæque uvæ myſticæ ad maturitatem pervenere, judicia ſua exercet Dominus: Uti in vineis ipſis & collibus, in quibus uvæ matureſcebant, torcularia calcari ſolebant. Apoc. XVII, 1-6. Gen. XVIII, 20. 21. Cap. XIX, 24.

IX. 7. Quum premerentur & calcarentur uvæ ſucco turgidæ, maxime *effervescere*, *ſpumare & crepitare* ſolebant torcularia, ita ut circum-

ſtan-

ſtantes muſto ſæpius *conſpergerentur.* Exprimit hoc CALPURN. SI-CUL. *ad Nemeſ. ecl. I. v. 2.*

Quamvis & madidis incumbant prœla racemis,
Et ſpument rauco ferventia muſta ſuſurro.

Nec non VIRGIL. *Georg. Lib. II. v. 6.*

- tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager, ſpumat plenis vindemia labris.

Et PROPERT. *Lib. III. eleg. XV.*

Dummodo purpureo ſpument mihi dolia muſto,
Et nova preſſantes inquinet uva pedes.

Huc quoque pertinet illud AUREL. OL. NEMES. *Ecl. III.* ſupra cit.

- - vindemia fervet
Collibus in ſummis, crebro pede rumpitur uva,
Nudaque purpureo ſparguntur pectora muſto.

Et paulo poſt.

Pronus at ille lacu bibit, & crepitantibus haurit
Muſta labris, - - - -
Atque alius latices preſſis reſupinus ab uvis
Excipit, at potis ſaliens liquor ore reſultat
Spumeus, inque humeros & pectora diffluit humor.

Eleganter hoc quadrat in effectus judiciorum divinorum, quos demonſtrant hoſtes ejus ſub iisdem gementes. *Fervent* atque *ſpumant* uvarum inſtar, quando horrenda contra Deum ejusque juſtitiam demonſtrantem verba evomunt, atque furoris œſtro perciti, contra Deum ipſum murmurant atque recalcitrant. Exemplum habemus in Pharaone ſub judiciis divinis Deum animo ſuperbo contemnente Exod. IX, X. Similiter Apoc. XVI, 9. homines præ æſtu judiciorum nomini Dei blasphemias dicebant, qui plagas illas dirigebat. Et comm. 10. 11. *linguas præ livore momordiſſe, Deumque in cœlis inter dolores conviciis oneraſſe dicuntur.* Quemadmodum etiam ſub judiciis æternis *ſtridor dentium & ejulatus* locum habebit Matth. VIII, 12. Matth. XXIV, 51. XXV, 30. Sed illorum excandeſcentia, fervor ac fremitus contra Deum, nihil aliud eſt quam ſtrepitus ſtipulæ in flammis Mal. IV, 1. Jeſ. XXXIII, 14. Sed & cavendum eſt ſpectatoribus torcularis calcati, ne conſpergantur ſpumante hoc liquore. Qua-

Quare Apoc. XVIII. 4. 5. vox e cœlo ad Dei populum audiebatur, quum *torcular illud iræ magnum* calcandum eſſet: *Exite, vos, qui populus eſtis Dei, ne participes reddamini peccatorum ejus, ne plagarum quoque illius partem capiatis. Peccata enim ejus cœlum aſcenderunt, atque Deus in memoriam revocavit ſeu monumentum ſtatuit injuſtitiarum ipſius.*

X. 8. Expreſſis uvis torcularia *muſto* purpureo *ſcatent*, quod inde diffluit in *lacus* (ὑπολήνια) ſuppoſitos, præcipue quando *ſucco plenæ* eſſent uvæ. Imo *montes ipſi*, in quibus *torcularia* erant, ſæpe *muſto diffluebant.* Huc refer Amos IX, 13. *Ecce dies venient, quibus attinget meſſorem arator, & calcator uvarum ſeminantem, & diffluent montes muſto & omnes colles colliqueſcent.* conf. *Joel. III, 18.* Chald. Gen. XLIX, 12. vertit יטיפון נעוהי בחמר. *ſtillabunt torcularia ejus vino.* Sic *plena* torcularia celebantur ab antiquis. TIBULL. *El. I. Lib. I.*

Nec ſpes deſtituat, ſed frugum ſemper acervos
Præbeat, & pleno pinguia muſta lacu.

Et CLAUD. RUTIL. *Itin. Lib. I. v. 149.*

Interea Latiis conſurgant horrea ſulcis,
Pinguiaque Heſperio nectare præla fluant.

Huc quoque reſpicit *Chaldæus Paraphraſtes*, quando verba Jeſ. LXIII, 2. vertit: מטא דין יסמקין טורין מדם קטילין ומישרין יפקין במעצרא *Quare rubent montes ex ſangvine occiſorum, & valles egrediuntur ſicut vinum in torculari.* Quum enim plerumque *rubentes uvæ* in Oriente creſcerent, quæ expreſſa ſuccum *inſtar ſanguinis* ſtillarent, hinc *ſanguis uvarum* memoratur Gen. XLIX, 11. Et in loco noſtro exivit αἷμα ἐκ ληνȣ̃, *ſanguis ex torculari*, ubi non cum pleriſque Interpretibus ſanguinem proprium, ſed דם ענבים *ſanguinem uvarum*, intelligimus. Uti Apoc. XIX, 13. veſtis Meſſiæ αἵματι βεβαμμένη *ſanguine* ſc. uvarum tincta dicitur, uti ex Comm. 15. liquet; adde Jeſ. LXIII, 2. Conf. pluribus hac de re diſſerentem Cl. JAC. HASÆUM *in Tom. IX. Hiſt. crit. Reipubl. Liter. ad fragment. Heſiod.* & J. H. MAJ. *ad Apoc. XIV. in T. XIV. Hiſt. Crit. Reip.* Quare *purpurea uva* dicitur, qui color ſanguini etiam tribuitur, docente Cl. JAC. HASÆO *in Bibl. Brem. T. III. p. 267. ſq.*

Torcular quoque vindictæ divinæ ſæpe *ſanguine uvarum* ſtillat, ita ut *montes* illo irrigentur & colles. Quare in loco noſtro *ſanguis e lacu usque*

 ad

ad frænos equorum per ſtadia 1600. exiviſſe dicitur. Quod, uti quilibet facile videbit, transfertur ad internecionem hoſtium in prœlio, ubi equis inſidendo pugnatur; & tanta internecio deſignatur, ut integri ſanguinum fluvii effundantur, ut ſanguis hoſtium occiſorum altitudine ſua aſcendat habenas equorum. Sicuti Apoc. XIX, 11. 14. Chriſtus tanquam Dux belli equo inſidens albo occurrit, quem ſequitur exercitus, itidem albis vectus equis, tanquam e prœlio redeuntes & triumphantes. Si vero ſenſum *μυστικότερον* deſideres, *ſanguis uvarum* denotabit *reatum ſanguineum*, quem Deus juſtiſſimis & graviſſimis ſuis judiciis publice manifeſtat, illumque eſſe multiplicem & quaſi ad cœlum aſcendentem, per ſpecimina excandeſcentiæ ſuæ publica declarat. Uti de Antichriſtiana Babylone dicitur Apoc. XVIII, 5. quod *peccata ejus accumulata* fuerint, adeoque & reatus ad *cœlum pertigerit.*

XI. 9. Ad lacus torcularium *bibere* ſolebant cum ſingulari *luxu* veteres. Huc refer Judæorum dictum in *Pirke Aboth. Cap. IV. ſect. 20.* הלומד מן הקטנים למה הוא דומה לאוכל הענבים קיהות ושותה יין מגתו והלומד מן הזקנין למה הוא דומה לאוכל ענבים בשולות ושותה יין ישן *Qui diſcit a juvenibus, cui ſimilis eſt? ei qui uvas edit immaturas & bibit vinum e torculari ſuo. Qui autem diſcit a ſenibus, cui ſimilis eſt? ei qui edit uvas maturas & bibit vinum vetus.* Huc quoque reſpiciunt in *Erubin. fol. XCIX. col. 2.* quando dicunt: *Non ſtabit homo in loco privato & bibet in loco publico, aut in loco publico & bibet in privato.* וכן בגת *Sic ſe res habet cum bibente e torculari.* Similiter in *Gemara fol. 30. col. 1.* אבל אוכל הוא בשר מליח ושות היין מגיתו *Sed edat, ſi velit, carnem ſalſam & bibat muſtum e torculari.* Idem exprimit AUREL. OLYMP. NEMES. *Buc. ecl. 3.*

- laſciva cohors, ſibi pocula quisque
Obvia corripiunt, quod ſors dedit, hoc capit uſus.
Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco:
Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit.
Pronus at ille lacu bibit & crepitantibus haurit
Muſta labris, alius vocalia cymbala mergit:
Atque alius latices preſſis reſupinus ab uvis
Excipit, at potis ſaliens liquor ore reſultat. Huc

Huc refer illud HORAT. *Lib. I. od. 20.*

- *& prælo domitam Caleno*

Tu bibes uvam.

Et POLITIAN. *in ruſtic.*

Ille manu tenſa pronus bibit, alter ab ipſo
Sugit muſta lacu, crepitantibus hauſta labellis.

Quemadmodum Deut. XXXII, 13. Iſrael *oleum ex petra ſugere* dicitur, quod ad morem bibendi ex torcularibus reſpicit, ut infra videbimus.

Quum *torcular* ſymb. ſit excandeſcentiæ Dei & *ſanguis uvarum* ſymb. *reatus*, *bibere* ex torculari ſignificabit *partem capere reatus* & ſimul *iræ divinæ*. Hoc eſt quod explicat Spiritus S. Apoc. XVIII, 4. *Exite, ne participes exiſtatis peccatorum ejus, adeoque & ex plagis ejus accipiatis.* Qui enim *biberunt* ex vino efferveſcente ſcortationis ejus, & poculum plenum abominationibus & immunditie acceperunt, etiam muſto excandeſcentiæ divinæ ſatiabuntur. Cap. XVII, 4. XVIII, 3. Reges ergo & principes terræ, qui bibunt ex poculo ſcortationum Babylonis myſticæ, etiam potabuntur poculo reatus ejus, & excandeſcentiæ Jehovæ calicem evacuabunt. Apoc. XIV, 8. 10. Jeſ. LI, 17. Apoc. XVIII, 9.

XII. 10. *Hymnos* cantare, *ſaltationibus* & *choreis* indulgere, & mira cum voluptate ad torcularia calcata *tripudiare* ſolebant antiqui. Ad quem morem ſæpius in ſcriptis ſacris alluditur. Sic Sichemitæ *vindemiantes vineas & calcantes uvas recitabant carmina feſtiva* Jud. IX, 27. Huc reſpicit Vates Jeſ. XVI, 10. *Deſiit lætitia & exultatio in arvis, & in vineis non cantatur, nec carmina agitantur. Vinum in torcularibus non calcatur*, & *celeuſma ceſſavit.* quod idem Jer. XLVIII, 3. repetitur. Et Jer. XXV, 30. *vox* ſeu *celeuſma*, quale eſt calcantium torcular, Deo tribuitur. Adde Pſ. IV, 8. & præcipue Jer. XXXI, 12. *Venient jubilantes in excelſis Zionis* (montibus vineis abundantibus) *Et confluent ad bona Jehovæ*, ſc. *ad fruges*, *muſta & olea* (in his montibus expreſſa). Comm. 13. *Tunc lætabitur virgo in choro, juvenes ac ſenes pariter &c.* quod tempore vindemiæ fieri ſolebat. In quo loca bona N. T. ſub ſymb. *muſti* proponuntur & lætitia ſpiritualis Eccleſiæ deſignatur. Ad eundem morem alludi cenſemus Ezech. VII, 7. *appropinquat dies vexationis* ולא הד הרים & non ſonus ſeu *echo montium*, i. e.

 mon-

montium vineis abundantium, qui tempore vindemiæ cantibus ſonoris reſonabant. Apud profanos ſcriptores quoque hujus ritus documenta plurima exſtant. Uti POLLUX *Onom. Lib. IV.* ἐπιληνίȣ αὐλήματος ἐπὶ βοτρύων θλιβομένων *carminis epilenii de uvis contritis p. m. 185.* mentionem fecit. Deſcribit inſtar omnium illud HOMER. *Iliad. XVIII.*

- ὅτε τρυγόωεν ἀλωὴν
Παρθενικαὶ δὲ καὶ ἠΐθεοι ἀταλὰ φρονέοντες,
Πλεκτοῖς ἐν ταλάροισι φέρον μελιηδέα καρπόν.
Τοῖσιν δ' εν μέσσοισι παῖς φόρμιγγι λιγείη.
Ἱμερόεν κιθάριζε, λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδε
Λεπταλέῃ φωνῇ. τοὶ δὲ ῥήσσοντες ὁμαρτῇ
Μολπῇ τ' ἰϋγμῷ τε, ποσὶ σκαίροντες ἕποντο.

- *Quando vindemiarent vineam,*
Virgines & juvenes innupti pueriliter ſapientes,
Textis in calathis portabant dulcem fructum.
Hos autem inter medios puer citharam ſonoram
Suaviter pulſabat: Chorda autem belle reſonabat
Tenella voce. Hi autem pulſantes terram ſimul
Cantuque ſibiloque pedibus tripudiantes ſequebantur.

Quod idem docet ANACREON *Carm. LII.* a variis cit. Conſentit AUREL. OLYMP. NEMES. *Buc. ecl. 3.*

- - *vindemia fervet*
Collibus in ſummis. &c.
Omnia ludus habet, cantusque chorosque licentes,
Ut Venerem jam vina movent.

Et CALPURN. SICUL. *ad Nemeſ. Buc. ecl. IV.*

Ut nudus ruptas ſaliat calcator in uvas,
Ut quoque turba bono plaudat ſignata magiſtro,
Qui facit egregios ad pervia compita ludos.

In vineis apud *Hebræos* quoque *ſaltaſſe* virgines docetur in תענית. Cap. IV. m. 8. ubi חולות בכרמים *Saltantes in vineis filiæ Hieroſolymitanæ* dicuntur.

Innuit hoc lætitiam & triumphum, quem teſtes veritatis & veræ Eccleſiæ membra agent tempore judiciorum, quæ Deus in hoſtes verita-

ritatis effundet. *Videntes enim juſti lætantur & innocens ſubſannat eos.* Hiob. XXII, 19. *Lætabitur juſtus, quum viderit ultionem, & tinget ſanguine improborum pedes ſuos* Pſ. LVIII, 11. Ita & Apoc. XII, 11. 12. teſtes veritatis occurrunt tanquam victores per ſanguinem agni, & additur: *Hilares eſtote cœli & qui habitatis in eis.* Pæana quoque canent ſervi Dei, quando torcular iræ Dei magnum calcabitur, & Babylon deſtruetur. Apoc. XVIII, 20. *Exulta ſuper ea cœlum, exultate ſancti Apoſtoli & Prophetæ, quoniam Deus noſter de ea pœnas ſumſit.* Et Turba ingens in cœlo audiebatur cantans: *Hallelujah ſalus & gloria & honor & virtus Domino Deo noſtro. Quia vera & juſta ejus ſunt judicia, meretricem illam magnam, quæ ſcortationibus ſuis terram devaſtaverat, damnando & vindicando ſanguinem ſervorum ſuorum ex manu ejus: atque denuo echo repercuſſa eſt: Hallelujah.* Apoc. XIX, 1-3. conf. v. 7. & Apoc. XIV, 2. ubi ſonus *cithariſtarum* memoratur, adde Apoc. XV, 2.

XIII. 11. In *torcularibus* etiam *olivæ* exprimi ſolebant, præcipue in oriente, ubi *oleæ* quamplurimæ reperiebantur. Quo referunt nonnulli Hiob XXIV, 11. יצהירו vertentes: *oleum exprimunt inter muros*, quod tamen de tolerantia æſtus explicandum ſupra diximus. Melius huc quadrat locus *Mich. VI. 15. Seres aſt haud metes, calcabis olivas* (in torculari) *at non unges te earum oleo.* adde Joel. II, 24. ubi *lacus olei & muſti* memoratur. Ita & *Kimchi* & *R. Sal. Ben Melech.* ad voc. פורה Jeſ. LXIII, 3. eam a confringendis uvis & olivis dictam eſſe ſcribunt; לפי שדורכים ורוצצים הענבים או הזיתים לתוכה מענין *Quoniam calcantes & conterentes uvas vel olivas, eas contundunt in duo.* Similiter in *Scheviith. Cap. VIII.* טוחן הוא בבית הבר *Molit in trapeto* ſc. olivas. בר enim trapetum ſ. torcular notat. Et *Cap. VII.* אין עושין זיתים בבר ובקוטב. *Non exprimebant olivas in torculari & prælo.* Huc refer illud VIRGIL. *Lib. II. Georg.*

Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis.

POLLUCI *Onom. Lib. X. cap. 29.* ὄρος dicitur. Unde etiam procul dubio dicta eſt *Gethſemane* quaſi גת שמן *Torcular olei*, non גיא רשמני ut *Druſio* placet, *vallis olei*, nec עץ שמני *arbor olei*, ut *Capellus* exiſtimat. Quum enim mons olivarum hiſce arboribus abundaret, facile conjicere licet, in eodem quoque *torcularia olivarum* fuiſſe.

Torcularia olivarum, oleo abundantia, etiam *bonorum abundantiæ* ſymb. ſunt in ſacris. Sic Hiob XXIX, 6. Quum tingerem pedes meos ſ. greſſus butyro וצור יצוק עמדי פלגי שמן *Et rupes funderet apud me rivos olei*, ſc. ex torculari expreſſos. Similiter Deut. XXXII, 13. ויניקהו דבש מסלע ושמן מחלמיש צור *Deditque ei ſugendum mel e petra, & oleum e rupe petroſa.* Forte *mel* דבש, quod omnis generis dulces fructus & liquores deſignat, *muſtum dulce* ex torcularibus lapideis denotabit, & *oleum ex rupe*, ſimiliter oleum in lacu petroſo expreſſum. Denique Deut XXXIII, 24. ubi Aſer dicitur טבל בשמן רגלו *intingere pedem ſuum in oleo*, quod ad *calcationem olivarum* in torculari, quæ pedibus peragi ſolebat Mich. VI, 15. reſpicere apte poteſt. Quando autem *Torcular*, ut hoc loco, iræ Divinæ ſymb. eſt, *calcatio olivarum*, quæ preſſæ oleum pingue fundunt, *tum* Chriſti, qui eſt *olea vitæ*, paſſionem ac contritionem per paſſiones iræque divinæ pondus, tum credentium caſtigationes & tentationes deſignabit. Uti Chriſtus in *Gethſemane* tanquam oliva ſub pondere & prælo iræ Patris Judicis preſſus, integros olei Spiritus gratiæ rivulos effudit. Cant. I, 3. 14. Et obſervatu dignum eſt, quod obſervent *Rambam* & *Bartenor. ad Sebach c. XIII.* quod *ſtrues lignea*, in qua comburebatur vacca rufa in monte oliveti, גת *torcular* ſit appellata. Uti Chriſtus in hoc loco tanquam antitypus *vaccæ rufæ* per torcular iræ divinæ ſubactus fuit.

XIV. 12. *Torcularia* veterum *durabilia* maxime erant, non enim quovis anno nova conſtruebantur, ſed ab autumno ad autumnum durabant, præcipue quia ex materia durabili conſtabant, *petris* enim inciſa, vel ex *lapidibus* conſtructa erant. Diſcimus hoc ex Jeſ. V, 2. ubi dicitur יקב חצב בו *torcular excidit in ea.* Vox enim חצב excidere aliquid *ex rupe* denotat: Sic Jeſ. LI, 1. reſpicite אל צור חצבתם ad rupem, ex qua exciſi eſtis, & אבני מחצב 2 Reg. XII, 12. *lapides cæſi* appellantur. Pari ratione id liquet ex loco ſupra citato Deut. XXXII, 13. quando *ſugere* dicuntur oleum מחלמיש צור *ex duriſſima petra* (vocem enim *Kimchi* חזק הצורים *robur petrarum* interpretatur). Sæpe enim *crepitantibus muſta labris bibere & ſugere* ſolebant calcantes uvas atque olivas, ut ſuperius docuimus. Exprimit hoc quoque AUREL. OLYMP. NEMES. *Ecl. III.*

- - *celerique illidere planta*

Concava ſaxa ſuper properant, vindemia fervet
Collibus in ſummis, crebro pede rumpitur uva.

Ubi per *concava ſaxa* lacus & ὑπολήνια concavata, ex ſaxis exciſa intelligas.

Pingit hoc iræ atque excandeſcentiæ Jehovæ *conſtantiam* atque *ſoliditatem.* Uvæ licet ſucco generoſo turgeant & muſtum preſſum uteres diſrumpere ſoleat, tamen ferreum lacium perrumpere non poſſunt. Sic licet hoſtes Eccleſiæ inſtar Sennacheribis ſeſe attollant ſuperbo faſtu ac Deo ſupremo convicia dicant, tamen per judicia ſua Deus illis annulum narium injicit & capiſtrum. Jeſ. XXXVII, 29. contra robur excandeſcentiæ ipſius, quæ petras & fundamenta montium disrumpit, nemo inſurgere valet, ſed quisquis ſit, ſub manu ejus humilis procumbit. Pſ. LXXXIX, 10. 11. 1 Pet. V, 6. Dan. IV, 35. Durat quoque excandeſcentia ejus in ſecula æterna, quæ impios premet in ævum Joh. III, 36. *manet ſuper ipſis.* conf. Deut. XXXII, 22. Jeſ. V, 25. X, 4. Pſ. II, 12. Apoc. VI, 16. 1 Theſſ. I, 10. 2 Theſſ. I, 7. 8. Nititur enim exercitium iræ divinæ æterno ac immutabili ejus decreto Rom. IX, 22. & ſanctitati ipſius inviolabili, vi cujus odium ſuum contra peccatum demonſtrare nunquam non tenetur. Pſ. V, 5-7. Pſ. L, 20. 21. Rom. I, 18.

XV. Ex his liquet, quanta adhuc judicia immineant Antichriſtianiſmo. Verum adhucdum durat tempus longanimitatis divinæ, nondum enim vindemiæ hujus myſticæ tempus determinatum appropinquavit, quare ſuperbit atque floret hæc vinea Sodomæ & purpureis ſubrubet undique uvis. Gloriatur de opibus & pinguedinibus ſuis, quibus ineſcat Reges & principes hujus ſeculi. Ramos ſuos longe lateque exſerit, & illos, ſub umbra ipſius qui habitare recuſant, ferro flammaque exſtirpare ſatagit. Unde tot arva feracia cœtuum veræ confeſſionis umbra lethali ſua enecavit, veluti deſerta Bohemiæ, Ungariæ, Salisburgi, Moraviæ &c. teſtantur. O utinam *angeli* e templo prodeuntes clamarent ad *Falcitenentem* in nubibus: *Immitte falcem & vindemia vitem hanc terræ.* i. e. precibus calidiſſimis genuini confeſſores & veritatis teſtes Deum fatigarent, ut Eccleſiam ſuam liberaret ab umbra hac mortis.

Aſt ohe ipſa Proteſtantium Eccleſia *viti* tali haud eſt diſſimilis, cujus uvæ vindemiandæ & in torcular excandeſcentiæ Jehovæ projiciendæ ſunt.

ſunt. Certe nos ſumus *vinea illa*, quam Deus plantavit in colle pingui, atque rore cœleſti mediorum gratiæ largiſſime irrigavit, jureque merito fructus exſpectat reſipiſcentia dignos. Sed eheu non niſi acinos ingrati atque doloſi animi plerique palmites proferunt; ita ut juſtæ Agricolæ Supremo querelæ exprimantur: *Quid faciam amplius ad promovendum vitis meæ incrementum, quod nondum feci, cur ergo protulit labruſcas?* Fruges, quæ ſæpe corda indurata proferunt, non niſi uvæ venenatæ vitis Sodomæ exiſtunt, quæ Deo abominationi ſunt. Multi non niſi *folia* externæ confeſſionis gerunt, ore ſuo nomen Dei pronuntiantes, ſed peccatis turpiſſimis dedecorantes, atque in cordis ſteriliate & perverſa malitia nunquam non perſeverantes.

Nonne ergo hosce racemos, reatu ſanguineo turgentes, & ad maturitatem judicii adſcendentes, aliquando Deus in excandeſcentiæ ſuæ torcular projiciet? *Conculcabit* eos pede vindictæ ſuæ exſerto, quum longanimitatis tempus neglexerint, & quis eſt qui manui ipſius reſiſtere valebit; nonne his quoque horrendum erit incidere in manus Dei vivi ultrices?

Reſipiſce ergo, o *vinea Domini*, quæ hoc nomine ſuperbis, Chriſto veræ viti per vivam fidem ut inſeraris, omni contende ſtudio, ut ſucco Spiritus ipſins vitali implearis, atque illius virtute, gratas atque dulciſſimas Agricolæ, cæleſti fruges proferre queas. Non ſufficiet te externo foliorum (cognitionis ſc. & confeſſionis) apparatu eſſe inſtructam, ſed fructus fidei ac ſpiritus poſtulat a te Vinitor ſupremus Matth. III, 10. Et niſi fruges dignas geres, *falce* judiciorum ejus reſecaberis, & tanquam inutile lignum in ignem conjicieris.

Verum eſt quoque *vinea Salomoni* cœleſti in *Baal-hammon*, quæ frugibus ipſum recreat gratiſſimis, ex qua dulces ſæpe botros fructuum fidei & Spiritus S. percipit, iisque delectatur Cant. VI. Hanc *tuebitur*, eumque in finem turri ac muro providæ ſuæ curæ illam cingit, ne vulpes doloſæ eam diripiant ac devaſtent. Hanc *irrigat* quotidie rore cœleſti gratiæ ſuæ, atque ſub illius *umbra* habitare delectatur. Jeſ. V, 1. 2. Joh. XIV, 23. Hanc *falce* Spiritus ſui ac veritatis *purgat*, ut in dies copioſiores & meliores fruges proferat Joh. XV, 2. 3. 5. Heic quoque *torcular* excidit, non ut pede excandeſcentiæ ejus uvas proculcet, ſed ut per varias tentationes & afflictiones, a paterna ejus manu derivatas, purgentur, ac dulces Spiritus S. operationes ac fruges exſerant, in Dei aliarumque animarum recreationem. Cant. IV. 16. V, 1. Joh. VII, 37. 38. Et quamvis etiam tanquam *racemi generoſi* in *torcular* perſecutionum projiciantur, ut ſanguinem pro veritate fundant, non tamen iræ divinæ pede conculcabuntur, ſed excipiet animas eorum Deus benigna manu ſua, atque cœleſti in regno cœlorum muſto *recreabit* æternum. Matth. XXVI, 29.

FINIS LIBRI VI. EMBLEMATUM S.

EXERCITATIO
DE
XII. THRONIS APOSTOLORUM ET JUDICIO IN XII. TRIBUS ISRAEL.
AD
Matth. XIX, 28.

ARGUMENTUM.

Nexus & ſcopus hujus loci proponitur §. I. II. Conditio propoſita, quæ eſt ſequela Domini, *explicatur §. III. Præmium ipſum propius delineatur, docendo prius, quorſum alludatur phraſi* XII. Thronorum §. *IV. Locucutio* ſedendi in throno *latius excutitur, & emblema eſſe tum regiæ §. V. tum judicialis §. VI. tum doctoralis, §. VII. tum denique divinæ dignitatis atque auctoritatis docetur §. VIII. Quæ ſignificatio quadruplex Apoſtolis applicatur §. IX. In ſpecie numeri XIInarii ratio additur §. X. & decentia hujus præmii demonſtratur §. XI. Altera præmii pars ſc.* judicium in XII. tribus Iſrael *exponitur §. XII. XIII. Pergimus ad tempus præmii, quod eſt: ἐν παλιγγενεσίᾳ, per quam Oeconom. N. T. intelligendam eſſe cenſemus, notatis quatuor circa hanc vocem ſententiarum divortiis. §. XIV. XV. Argumenta pro hypotheſi noſtra coacervantur. §. XVI. XVII. XVIII. XIX. Et objectiones contrariæ ſolvuntur §. XX. XXI. XXII. Transimus ad deſcriptionem hujus temporis propiorem, docendo emphaſin nominis* Filii hominis *§. XXIII. quid per ejus* gloriæ thronum *intelligatur, & quando ac quomodo illi* inſidere *Chriſtus dicatur, exponimus §. XXIV. XXV. XXVI. Adjicimus denique implementum hujus promiſſi in quadruplici Eccleſiæ παλιγγενεσίᾳ §. XXVII - XXX.*

I.

Quum ante biennium ſummi mihi a Facultate Theologica Academiæ Ultrajectinæ, in Theologia honores decernerentur, ſchediaſma quoddam de *παλιγγενεσία* N. T. Diſſertationis loco conſcripſeram. Quod quum paucis tantum innotuerit, & locus ille MATTH. XIX, 28. integer ulteriori ſcrutinio dignus eſſet, illud inſerto ſchediaſmate memorato hac occaſione inſtituere mecum decrevi. Verba loci hæc ſunt.

Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὑμεῖς οἱ ἀκολουθήσαντές μοι, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ. Amen dico vobis, quod vos, qui me ſecuti eſtis, in renovatione, quum ſederit Filius hominis in throno gloriæ ſuæ, vos etiam ſederitis in XII. Thronis, judicantes XII. tribus Iſrael.

II. Continent hæc verba inſignem præmii Apoſtolis concedendi promiſſionem, quam Magiſter optimus, a Petro rogatus Comm. 27. *Quid ipſi* (Apoſtoli) *omnia in ſequela Domini abnegantes, retributionis loco ſint reportaturi?* commate hoc graphice deſcribit. Petro autem Apoſtolo hanc proponendi quæſtionem anſa fuerat data per Chriſti Salvatoris colloquium cum divite illo Juvene inſtitutum; quippe qui externo legis cortici inhærens, propriam ex operibus legis juſtitiam ſectabatur, atque animum voluptatibus carnis ac mundi vanitati inhiantem in ſinu gerebat. Hunc ergo Salvator convicturus *Comm. 21.* præcipit, ut omnia divendat ad cœli meliores theſauros acquirendos, atque ſequelam Domini eligat. Quod conſilium ſaluberrimum quum dives ille non ſine animi mœrore ac indignatione recedens reſpuiſſet, juxta *comm. 22.* Magiſter ſapientiſſimus, commodam ita nactus occaſionem, divitiarum hujus mundi fraudes atque pericula exponit *Comm. 23. 24.* & difficultatem a diſcipulis hac de re motam ſolvit. *Comm. 25. 26.* Hoc perpendens Petrus, conſilium hoc Salvatoris ſui ſe cum reliquis diſcipulis eſſe ſecutum declarat, & quid ipſis inde præmii eſſet exſpectandum, ſcire geſtit *Comm. 27.* Quum autem conſilium Domini in duplici mandato conſiſteret, tum in ſequela Domini, tum abnegatione omnium, duplex quoque præmium Salvator promittit, præmium ſequelæ *Comm. 28.* præmium abnegationis omnium. *Comm. 29.*

III. In conſideratione ergo præmii ſequelæ Domini, obſerva *tum* conditionem, quæ eſt *ſequela Domini; tum* præmium reale promiſſum; quod eſt *ſeſſio in XII. thronis & judicium in 12. tribus Iſrael; tum* denique tempus, quo concedendum erat hoc præmium.

A. *Conditio* latet in verbis: ὑμεῖς οἱ ἀκολουθήσαντές μοι. *Vos qui me ſecuti eſtis*, & porro *ſequimini*, eſt enim tempus ἀόριστον, quo conditio hæc limitatur, adeoque ſequelam primo inſtitutam & absque ullo reditu continuatam deſignat. Vocem autem ἀκολουθέω heic ſenſu ſuo latiſſimo explicandam cenſemus, nec cum quibusdam interpretibus ſolam corporis ſequelam intelligimus, qua Apoſtoli omnibus cognatis, parentibus, domibusque paternis relictis Chriſti pediſſequæ facti, ipſum undique cingebant comites Matth. IV, 22. Luc. V, 11. Idem enim fecerat quoque Judas, quem tamen nullus hujus præmii hæredem conſtituet unquam. Vocis hujus ἀκολουθεῖν ſignificatum eruit Cl. OLEAR. *obſerv. ad h. l.* quam *Suidas* interpretatur ὁμοίως διαπράξασθαι, quæ phraſis exemplar quoddam in omnibus factis, verbis, totaque converſatione imitari, deſignat. Apoſtolis ergo optime phraſis ἀκολουθεῖν in relatione ad Magiſtrum ſuum tribui poterat, quia *exemplar* erat perfectiſſimum, quod nunquam non per totum vitæ, doctrinæ ac mortis ambitum imitari tenebantur. Chriſtus enim fuit ὑπολιμπάνων ὑπογραμμὸν, ἵνα ἐπακολουθήσωμεν τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ. 1 Pet. II, 21. coll. Hebr. XII, 2. Phil. II, 5. Matth. XI, 29. & dedit Apoſtolis ſuis ὑπόδειγμα, ut facerent καθὼς αὐτὸς ἐποίησεν. Joh. XIII, 15. *Sequebantur* ergo Chriſtum Apoſtoli a. Qua *Doctorem diſcipuli*, quemadmodum Eliſa *ſequebatur* Eliam 1 Reg. XIX, 20. 21. utpote cujus *doctrinam* ſanctiſſimam ſectabantur & publice ubique profitebantur. Matth. X, 27. 32. 1 Cor. II, 2. & quæ didicerant ad pedes hujus Gamalielis, aliis quoque tradebant. 2 Tim. I, 8. Act. II, 32. Sequebantur etiam Doctorem & Magiſtrum *ſanctitate* vitæ, doctrinamque hanc *morte* ſimili confirmabant. Quamvis variis obruebantur accuſationibus, nullum tamen aliud ipſis imputari ſcelus poterat, præter præconium veritatis in nomine Jeſu, nomine Judæis adeo exoſo Act. IV, 16. 17. Quare non flagella ſolum & pericula ſuſtinebant quamplurima 2 Cor. XI. Sed & morte etiam martyrii cruenta teſtimonium veritatis obſignarunt Act. XII, 2. XX, 24. Phil. II, 17. ut taceam *miracula*, quibus tanquam

μιμηταὶ Doctoris ſummi ſimiliter doctrinæ teſtimonium ἐδόξασαν. Act. III. IV. V. IX. XII. b. Qua *Sacerdotem* ſequebantur inſtar *filiorum Levi*, qui ſucceſſores futuri ſacerdotis hujus, non quidem in expiatione populi, quam ſolum Summus ille Pontifex ſemel ſuſcepit Heb. X, 14. Sed ut ſacrificia ſpiritualia per miniſterium Evangelii Deo offerrent gratiſſima & per ignem Spiritus S. ſanctificata Rom. XV, 16. qui doctrinam ſacri cultus ab hoc Sacerdote Summo didicerant, ut aliis porro ſacerdotum filiis communicarent Apoc. III, 3. 2 Tim. II, 1. 2. qui *precibus* pro populo ipſis concredendo intercederent 2 Theſſ. I, 11. 12. & *benedictiones* Evangelii largiſſimas in Iſraelem myſticum pronuntiarent. Eph. I, 17. 18. 2 Cor. XIII, 13. Apoc. I, 4. 5. 6. c. Denique ſequebantur ipſum *Regem miniſtri Regii*, quare Salvator Joh. XII, 26. poſtulat: ἐμοὶ διακονῇ τις, ἐμοὶ ἀκολουθείτω & Cap. XVIII, 36. ſibi tanquam Regi ὑπηρέτας tribuit, veluti Apoſtoli & diſcipuli comparantur cum *LX. heroibus*, qui thronum atque lecticam Regiam Salomonis myſtici cingunt Cant. III, 7. 8. Erant enim Apoſtoli Regis noſtri miniſtri admiſſionis, ut vocant, intimæ, quibus conſilia regni ejusque adminiſtrationis communicabat, qui poſt ipſius deceſſum Legati in hac terra & Rectores Eccleſiæ futuri erant 2 Cor. V, 20. Matth. X, 7. 8. 16. 40. Eph. IV, 12.

Obſervat equidem Vir Cl. G. OLEAR. *ad h. l.* ex Hieronymi conſenſu, Salvatorem heic non repetere *derelictionem* omnium, ſed ſolummodo *ſequelam ipſius*, quoniam relictio omnium non adeo magnum eſſet factum, nullumque ad hanc rem momentum haberet. Verum ſi comma ſequens conſideres, Salvatorem illic demum *derelictionem* omnium approbare, & novum Apoſtolis eapropter præmium promittere deprehendes, adeoque in loco noſtro oculum intendere ſolum ad ſequelam ipſius, huicque conveniens deſignare Apoſtolis brabeum, conſtat.

IV. B. Pergimus ad præmium inſigne, quod Salvator Apoſtolis tanquam *μιμηταῖς* atque ſucceſſoribus ſuis promittit, expreſſum verbis ſeqq. καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ. Ubi notamus

א. *Auctoritatem* ipſis concedendam: *Seſſuri erant in XII. thronis*. Sub imagine *throni* ſacra æque ac profana diptycha inſigne honoris, gloriæ, dignitatis atque majeſtatis faſtigium exprimere ſolent. Et quum

œco-

œconomia N. T. ſæpius ſub emblemate *Regni*, ac *regni cœlorum* in ſacris occurrat Matth. III, 2. IV, 17. XIII, 45. 46. XXII, 1. XXV, 1. Joh. XVIII, 36. & in loco noſtro parallelo Luc. XXII. 28-30. Diſcipuli quoque regnum Meſſiæ exſpectabant, licet veram ejus indolem nondum recte percepiſſent Matth. XX, 21. 22. Luc. XXIV, 21. phraſin hanc a more Regum hujus mundi, qui proceres & primates throni adſeſſores conſtituunt, deſumtam eſſe, *Calvinus* noſter & *Bullingerus* contendunt. Quoniam vero Salvator heic *duodecim thronos* memorat, in quibus *judicaturi* ſint *Apoſtoli XII. tribus Iſrael*, potius alludi cum viris Doctiſſimis a) cenſemus ad XII. φυλαρχους ſeu נשיאים *tribuum Iſraelis*, qui נשיאי המטות *Principes tribuum* Num. I, 16. VII, 2. & קריאי העדה evocati ſeu *Apoſtoli cœtus* audiunt, LXX. ἐπίκλητοι, qui convocabantur, quando de rebus arduis judicandum eſſet, ut exponit *Vatablus* & ἄρχοντες τῶν φυλῶν ſ. ἀρχίφυλοι καὶ φύλαρχοι. Deut. XXI, 28. זקני שבטים *ſeniores tribuum* appellantur, LXX. φύλαρχοι. Imo נשיאים κατ᾽ ἐξοχὴν *Principes* dicuntur Num. XVII, 17. XXI, 18. Simul autem *ſupremos caſtrarum Duces* eosdem fuiſſe ex Num. II, 2. 3. colligimus. Tempore Regum adhuc ſupererant, quaſi proximi a Rege, ut diſcimus ex 1 Chron. XXVII, 1. 16. XXVIII, 1. Egregium ergo hi XII. נשיאים typum conſtituebant XII. Apoſtolorum Regis Meſſiæ, hi erant נשיאים *Principes* Pſ. LXVIII, 28. *Principes Zebulon & Naphtali, inter quos dominatur Benjamin ille parvus.* Hi erant quaſi קריאי העדה κλητοὶ Ἀπόστολοι. Rom. I, 1. qui ſimul *duces* erant myſtici מהנים Eccleſiæ militantis atque triumphantis Cant. VI, 12. 1 Tim. I, 18. VI, 12. 2 Tim. IV, 7. Hebr. XIII, 17. ἡγούμενοι myſtici inſtar Gideonis 2 Cor. IV, 7.

V. Ut autem phraſin *SEDENDI IN THRONO* penitius examinemus, obſervamus illam in ſacris atque profanis voluminibus

a. *Regiæ dignitatis* atque imperii emblema eſſe. Regum enim atque Principum eſt, *ſedere in throno*, atque imperare b). De Salomone teſtatur Parens Rex 1 Reg. I, 35. *& ingreſſus* ſedebit in ſolio *meo*, *& ipſe*

a) Videatur Cl. WITSIUS *in Symb. Apoſt. p. m. 358.* Cel ROELL *in Epiſt. ad Eph. T. I. p. 47.* nec non Ven. SCHARBAU *in Obſervat. ſacr. T. II. p. 410. not.*

b) Ex profanis itidem ſcriptoribus teſtimoniis fere innumeris id demonſtrare

& ipſe regnabit *mei loco; præcepi enim eum anteceſſorem in Iſraele & Juda.* Quare *comm. 46. throno regni* inſidere dicitur. Deinceps quoque magnificum ex ebore & auro *thronum* ſibi *regium* exſtrui curavit idem Princeps 1 Reg. X, 10. De Joaſe dicitur, quod ſederit in *throno Regum* 2 Reg. XI, 19. Et Jojakimi Regis ſolium collocatum videmus ſupra ſolia reliquorum Regum 2 Reg. XXV, 31. qualis honor Hamani, proximo a Rege quoque obtigit Eſth. III, 1. adde Jeſ. XIV, 9. 13. Jer. XVII, 24, &c. Quare thronus pro poteſtate regia uſurpatur Jer. I, 15. Jeſ. XLIII, 10. XLIX, 38. Luc. I, 52.

VI. b. Sedere inſuper in throno *Judicum* olim erat, quare non Re-

re poſſemus, quorum nonnulla adducere libet. Hebræorum, Græcorum, reliquarumque nationum Regibus ſedere in thronis in more erat poſitum. De Rege Judæorum ſcribit MAIMON. ה״ מלכ״ *Cap. II.* וישב על כסא מלכות בפלטרין שלו ומשים כתר בראשו *Reſidet ſuper thronum Regium in palatio ſuo, gerens coronam in capite ſuo.* Thronum regium quoque deſcribit BENJAMIN TUDEL. *in Itiner.* ועשה שם כסאו של זהב ואבן יקרה ועטרת זהב תלויה בשלשלת של זהב על כסא: *Is thronum ſuum ex auro & gemmis exſtrui fecit, & auream coronam ex catena aurea ſub throno ſuſpenſam habuit.* Quare thronus *regiæ dignitatis* ſymbolum eſt, teſte MAIMON. *mor. neb. p. I. cap. IX.* ובעבור שהכס׳ אמנ׳ ושבו עליו בעלי הגדולה והעוצם במלכי והיה הכסא דבר נמצא מורה על גדולת הראוי לו ומעלתו ועוצם עניינו *Quia vero* in throno ſedent *Magnates & potentes, ut Reges, ideo docet nos vox* thronus *de magnificentia, potentia & dignitate ejus, cui attribuitur.* Conf. GAULMIN. *ad Lib. de vita Moſis Cap. VI.* CARPZOV. *ad* משפט המלך *p. m. 243.* GRELLOT. *prodr. Apoc. p. m. 46.* alios. Apud *Græcos* etiam *thronum* regium dominii ac poteſtatis ſupremæ inſigne eſſe, vel ex ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. VII. c. 1.* liquet: ἐπεὶ δὲ ἐκάθισεν αὐτὴν ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τοῦ θρόνου, καὶ ἔγνω διὰ χειρὸς γνώμης ἔχουσα πάντα. *Quum vero Rex eam collocaſſet ſuper thronum, ipſa cognovit, in ſua omnia eſſe poteſtate, & a ſuo conſilio omnia pendere.* Et HERODIAN. *Lib. I. cap. 8.* καὶ γὰρ ἐπὶ τοῦ βασιλείου θρόνου καθῆστο. *In throno quoque regio conſidebat.* Quare *thronus* pro regno occurrit apud *Herodot. Lib. VIII. p. 438.* citante Cl. RAPHELIO *in annot. Herod. p. 214.* Et *ſedere* idem eſt ac regnare, ut pluribus probat BARTH. *ad Stat Theb. I. Tom. II. p. m. 98.* adde Cel. LAMP. *in Pſ. XLV. p. 229.* Romanorum denique Reges in ſella curuli ſediſſe, docet VALER. MAX. *Lib. V. cap. 7.* *Pompejus filium Ariobarzanem & Regem appellavit & diadema ſumere juſſit & in curuli ſella ſedere coëgit.* conf. ROSIN. *Antiq. Rom. Lib. VII. cap. 3.*

Reges ſolum, quando *jus* erant *dicturi*, ſolia conſcendebant & tribunalibus inſidebant, veluti exempla Salomonis 1 Reg. VII, 7. nec non Herodis Act. XII, 21. declarant, atque eapropter ſedere in throno & judicare conjunguntur Jeſ. XVI, 14. Verum etiam *Judicibus* ſua erigebantur tribunalia atque throni, qualis tribuitur Moſi ſedenti & judicanti populum Exod. XVIII, 13. nec non Judici & Sacerdoti Eli 1 Sam. I, 9. IV, 3. conf. etiam Neh. III, 7. VIII, 4. & præcipue locum Pſalm CXXII, 5. ubi כסאות למשפט *throni ad judicium* memorantur. Pilato porro Judici *βῆμα* ſive ſolium elatum tribuitur Matth. XXVII, 19. Joh. XIX, 13. nec non Gallioni Act. XVIII, 12. Salvator ipſe tanquam *Judex* appariturus, *throno* inſidebit in die judicii univerſalis Matth. XXV. 32. Et antiquus ille dierum, ſupremus omnium arbiter, *throno igneo* inſidens conſideratur Dan. VII, 9. 10. confer quoque Apoc. XX, 4. c)

VII. c.

c) Apud alias quoque gentes Reges jus dicturi thronos conſcendebant, quare ATHENÆUS de Parthorum Rege ſcribit *Lib. XII. cap. 2.* ὁ δὲ θρόνος, ἐφ᾽ ᾧ ἐχρημάτισε καθήμενος, χρυσοῦς ἦν, ὃν περιεστήκεισαν τέσσαρες κιονίσκοι λιθοκόλλητοι χρυσοῖ. *Thronus autem, ſuper quo judicabat ſedens, aureus erat, quem circumambiebant quatuor aureæ columellæ gemmis diſtinctæ.* Et APOLLON. *Argon. Lib. II.* apud CI. LAMP. *in Pſ. XLV. p. 234.* ſcribit:

> Αὐτὰρ ἐν ὑψίστῳ βασιλεὺς μόσσυνι θαάσσων,
> Ἰθείας πολίεσσι δίκας λαοῖσι δικάζει
> *Sed Rex in celſo throno conſidens multis*
> *Populis jus æquum dijudicat.*

Judicibus quoque Hebræorum throni adſignantur in *Talm. Gemar Sanhedr. fol. 7. col. 2.* עשרה שיושבין בדין קולר תלוי בצואר כלם, *omnium, qui in judicio ſedent, decemvirorum collo impendet collare.* In Synedrio Hebræorum Pontifex Summus conſidebat in ſolio excelſo medio, conſidentibus reliquis in ſemicirculo judicibus. Ita *Thoſaphta* apud *Moſen Mikkotſi* הנשיא יושב בראש והזקנים מימינו ומשמאול *Principis ſedes fuit in medio, ac ſeniorum reliquorum a dextra & ſiniſtra.* Idem affirmat ABARBANEL *in Paraſch. ad Deut. XVII. 8. fol. 365.* vid. JOH. SAUBERT. *Palæſtr. p. m. 287.* Græci ſimili ratione ſolia judicibus tribuunt; memorat enim ÆLIAN. *Lib. II. cap. XV.* τοὺς τῶν Ἐφόρων θρόνους, ἔνθα εἰώθασι καθήμενοι χρηματίζειν, καὶ τῶν πολιτικῶν ἕκαστα διατάττειν. *Thronos Ephororum, in quibus ſedentes, jus dicere, & de iis, quæ ad Rempublicam pertinerent, conſtituere conſueverunt.* Nec non DION. HALICARN. ἀρχαιολ. Ῥωμ. *Lib. IV. p. 229.*

Δικαστὰς

VII. c. *Doctorum* præterea apud veteres invaluit conſuetudo *ſedendi in ſolio*, adſtantibus diſcipulis, quos præceptis ſapientiæ imbuere ſolebant. Huc pertinet dictum Salvatoris Matth. XXIII, 2. 3. *ἐπὶ τῆς Μωσέως* ΚΑΘΕΔΡΑΣ *ἐκάθισαν οἱ Γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι. πάντα οὖν ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε.* Huc quoque refero Luc. II, 46. ubi Chriſtus in templo deprehenditur *καθεζόμενος ἐν μέσῳ τῶν Διδασκάλων*, *ſedens in medio Doctorum*, ipſe docens, quoniam teſte *Ligtfooto* Rabbini diſcipulos aptos ad docendum ſecum conſidentes admittebant d). Quemadmodum & Salvator idem populum doctu-

Δικασταὶ καθεζόμενοι δίῃτων καὶ περὶ τῆς πρὸς ἀλλήλους ὁμοφροσύνης κοινὰς ἐποιοῦντο βουλάς. Conſidebant judices, qui litem componerent, tum de mutua gentis concordia conſilia communia capiebant. adde HOMER. *Odyſſ. XI. v. 567.*

d) Salvatorem Luc. II, 46. more Doctorum conſediſſe pluribus demonſtrat Cel. DEYLING. *obſ. Lib. III. p. 286.* & ſingulari nuper diſſertatione evicit Cl. MATTH. HUISTENDAHL. *de ſeſſione Chriſti in templo. Havn. 1733.* Pertinet huc onyx inſignis, quem poſſidet Epiſcopus Bamberg. teſte WAGENSEIL. *in Sot. p. 996.* ubi figuram expreſſam invenies, qua Chriſtus ſedens inſtar Doctoris, adſtantibus diſcipulis apparet. Quam ob rem Judæi inter ritus creandi Doctorem quoque מעמו על ספסף *collocationem in cathedra* referunt, vide BUCHER. *Antiq. Bibl. p. 645.* conf. plura apud Cel. LAMP. *in Joh. T. II. p. 366. in not.* & quos citat, nec non ADAMI *Exerc. Exeg. p. 285.* Inſignem tamen addimus locum ex R. PETACH. *Itinerar. p. m. 174. ed. Wagenſeil.* ובירת גדול יש לראש הישיבה ומחפה במעילים יהוא מלובש בגדי זהב והוא יושב למעלה והתלמידים יושבים על הקרקע *Eſt vero Archiſynagogo domus ampliſſima, aulæis obducta, &, ipſe veſtibus induitur aureis, & docens in ſublimi cathedra ſedet, diſcipulis humi conſidentibus.* Apud Græcos aliasque gentes *Oratores* quoque ad populum dicturi & peroraturi thronos conſcendiſſe, vel ex ARISTOPH. *in Ran. Act. V. c. V.* diſcere licet:

- - Σὺ δὲ τὸν θρόνον
Τὸν ἐμὸν παραδὸς Σοφοκλεῖ τηρεῖν.
- - τοῦτον γὰρ ἐγὼ
Σοφίᾳ κρίνω δεύτερον εἶναι.
Tu vero thronum meum committe Sophocli,
ut tueatur, - - hunc enim ego ſua ſapientia a me eſſe ſecundum ſtatuo.

Et

doctūrus in monte conſidebat, tanquam ſolio Matth. V,1. quare in apologia quoque ad Judæos ipſum capientes teſtatur *καθ' ἡμέραν πρὸς ὑμᾶς ἐκαθεζόμην διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ* Matth. XXVI, 55.

VIII. d. Supereſt ut quædam de *throno majeſtatis divinæ* ſymbolo addamus. In ſcriptis enim ſacris nihil eſt frequentius, quam *Deo & Chriſto* thronum tribui Pſ. LXXXIX, 15. juſtitia & judicium מכון כסאו firmamentum ſolii ſive throni ipſius vocatur, nec non Pſ. XCVII, 2. tanquam vindex juſtitiæ in ſolio ſedere dicitur Pſ. IX. 5. 6. cujus ſolium in cœlis Pſ. XI, 4. & ſolium eſt ſanctitatis Pſ. XLVII, 9. Inprimis autem Chriſto regi atque Capiti Eccleſiæ ſuæ thronus majeſtatis & *μεγαλωσύνης* vindicatur, uti infra latius docebimus, confer interea Jeſ. VI, 1. Apoc. IV, 2. Ezech. I, 26. Jeſ. XIV, 16. Apoc. I, 4. IV, 2. 5. XIV, 3. 5. XIX, 4. Apoc. III, 21. e)

IX. Hæc

Et paulo poſt:

Καὶ ψευδολόγος, καὶ βωμολόχος,
Μηδέποτ' εἰς τὸν θᾶκον τὸν ἐμὸν
Μὴ δ' ἄκων ἐγκαθεδεῖται.
Et vaniloquus ſcurra, homo futilis
Unquam interea ſedem iſtam meam,
Invitus licet, occupet.

e) Gentes ſimiliter *Diis ſuis* atque *Deabus* Thronos adſignant ſplendidiſſimos, majeſtatis glorioſæ ſigna. Ita de Jove ſcribit PAUSAN. *in Eliac. Lib. V. p. m. 306.* *καθέζεται μὲν δὴ ὁ Θεὸς ἐν θρόνῳ χρυσοῦ πεποιημένος καὶ ἐλέφαντος. ὁ δε Θρόνος ποικίλος μὲν χρυσῷ καὶ λίθοις, ποικίλος δὲ καὶ ἐβένῳ τε καὶ ἐλέφαντι.* *Sedet in ſolio Deus ex auro & ebore factus. - Solium ipſum fulget auro & pretioſis lapidibus, neque in eo vel ebenum vel ebur deſideratur.* De Æſculapio teſtatur idem in Corinth. *κάθηται δὲ ἐπὶ θρόνου, ſedet vero in throno*, ſceptrum gerens. Et in *Arcadic. p. 469.* Junonem deſcribit Deam: *αὐτήν τε καθημένην ἐν θρόνῳ, καὶ παρεστῶσας Ἀθηνᾶν καὶ Ἥβην. Illam autem ſedentem in throno & Minervam cum Hebe adſiſtentem.* Quare Diana ΠΡΩΤΟΘΡΟΝΙΑ appellatur, & toties ΘΕΟΙ ΣΥΝΘΡΟΝΟΙ memorantur, veluti in inſcriptionr Antinoi apud SALMAS. *ad Spart. p. 38.*

ΘΕΟΙΣ ΑΔΕΛΦΟΙΣ ΣΥΝΘΡΟΝΟΙΣ ΤΟΙΣ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ.

In nummis quoque antiquis Deos thronis inſidentes obſervamus, quemadmodum apud OISEL. *Tab. XXXV. n 6.8* Jupiter dextram armatus fulmine throno inſidet, cum epigraphe: IVPITER CUSTOS. & IOVI ULTO-

 RI.

IX. Hæc omnia attenta mente conſiderantes, facile detegemus, quale Apoſtolis præmium, *ſeſſionis in throno ἐπαγγελία*, adſignetur Non ergo cum interpretibus nonnullis *thronos proprie* dictos, in futuro judicii die quaſi ex nube ſplendida conſtruendos intelligimus, quam hypotheſin infra ſuccidemus. Et ſane, qui loca parallela Luc. XXII, 29. 30. nec non Apoc. III, 21. curatius perpendet, de ſenſu hujus phraſis myſtico nullus dubitabit amplius.

Seſſio proinde *in thronis* Apoſtolorum delineat

a. Dignitatem eorum *regiam*, quemadmodum *Principes* appellantur. Pſ. LXVIII, 28. & ſimul cum reliquis fidelibus *Reges* per ſanguinem Chriſti conſtituti ſunt Apoc. I, 5. 6. *ſceptrum*, quod gerunt, eſt veritatis verbum, atque Evangelium pacis Pſ. XLV, 7. Pſ. CX, 2. quo gentium corda conterentur in diebus N. T. ultimis Apoc. III, 26. 27. *Corona* ipſorum ſunt animæ converſæ per miniſterium Evangelii, de quibus Apoſtolus teſtatur, quod futuræ ſint *χαρὰ καὶ ςέφανος αὐτȣ̃ gaudium atque corona ipſius.* Phil. IV, 1. *Satellites* ipſorum regii ſunt Angeli, ſpiritus miniſtratorii Hebr. I, 14. qui cuſtodiunt atque defendunt ſervos Dei fideles Pſ. XCI, 11. 12. Matth. XVIII, 10. Pſ. XXXIV, 8. 2 Reg. VI, 17. *Subditi*, quibus imperant, omnes ſunt vocandi ad Eccleſiæ communionem, quos ſceptro veritatis Regno Dei ſubjiciunt Apoc. III, 9. 26. 27. 2 Cor. X, 4. 5.

b. *Poteſtatem* quoque *Judicii* innuit hæc phraſis, quatenus doctrina ipſorum norma omnium actionum erat conſtituenda, ut quotquot ſecundum hanc regulam ambulaturi erant, pax ſuper ipſis eſſet & miſericordia Gal. VI, 16. & viciſſim vindicta flammæ ignis perſecutura eſſet contemtores Evangelii 2 Theſſ. I, 7. 8. Quare Apoſtolus Rom. II, 16. teſtatur, quod Deus de rebus occultis ſit judicaturus *ſecundum Evangelium ipſius.* Quod ſtatim latius diducemus, quando *τὸ κρίνειν*, quod Apoſtolis tribuitur, explicabimus.

c. Au-

RI. Similiter cum victoriola & inſcriptione: IOVI VICTORI *Tab. XXXVI. n 5.* Cybele, Deorum mater, in throno conſpicua cernitur apud eundem in *Tab. XLV. n. 1. 2 3.* cum epigraphe: MATRI DEUM SALUTARI. MATRI MAGNÆ. Imperatoribus quoque in Deorum numeris relatis *ſella curulis* dicabatur, & quidem ut DIO Lib. XLIV. ſcribit: *ἐξ ἴσȣ τοῖς δὲ Θεῶν ſimilis Deorum thronis.*

c. Auctoritatem inſuper *Doctoris* Evangelici depictam ſub hoc emblemate deprehendimus, quæ Apoſtolis poſt aſcenſionem Chriſti Magiſtri ſui erat concedenda. Quemadmodum Eliſa poſt abitum *Eliæ*, *pallio* ac Spiritu ipſius inſtructus, Prophetæ munere fungebatur; ita Apoſtoli poſt diſceſſum Summi Doctoris juſtitiæ, ſpiritu ipſius in die Pentecoſtes ex alto induendi, Doctores veritatis Evangelicæ infallibiles, per orbem emittendi erant ad omnes creaturas Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 16. a quorum ore & doctrina omnia convertendorum millia pendere debebant Act. II, 37. 38. XIII, 46. 47. 48. Imo poſt mortem, ipſorum præconium norma inſtitutionis omnium credentium per omnia N. T. ſæcula futura erat, quare *portæ* novæ Hieroſolymæ ex *margaritis XII.* exſtructæ dicuntur, Apoc. XXI, 21. quia non niſi per fidem in doctrinam XII. Apoſtolorum, dabitur aditus in Eccleſiæ veræ tum militantis tum triumphantis communionem veluti *in Emblematibos noſtris* ad h. l. fuſius docemus. Hanc ob cauſam Eccleſia comparatur cum muliere, quæ coronam ex XII. ſtellis compoſitam caput ornatum geſtat. Apoc. XII, 1. quoniam doctrinam Apoſtolicam omnium meditationum ac deſideriorum normam conſtituit, atque in ea decus ac majeſtatem ponit ſummam, ſimulque per eam æterno gloriæ regno potitur.

d. Radios denique *Majeſtatis divinæ*, quibus Apoſtoli præprimis in regno gloriæ induendi erant, ſeſſio hæc in *thronis* deſignare apte poterit. Non enim ſolummodo cum reliquis fidelibus ad imaginem divinam perfecte transformabuntur Pſ. XVII, 15. 2 Cor. III, 18. & majeſtatis divinæ radiis illuſtrati fulgebunt inſtar ſolis Matth. XIII, 43. corpusque gerent glorificatum ad inſtar corporis glorificati Chriſti Phil. III, 20. ſed & majori gloriæ ac majeſtatis luce præ reliquis doctoribus & credentibus emicabunt, velut Luna inter ſtellas minores, 1 Cor. XV, 41. Dan. XII, 3. ut in *meditationibus noſtris de æternitate Beatorum* demonſtramus. Erunt ergo Σύνθρονοι τȣ̃ Χριςȣ̃. Apoc. III, 21. ipſique in gloria ſimiles 1 Joh. III, 2. Cave tamen, ne ipſos cum Enthuſiaſtis in Deos quoque transformandos concipias.

X. Non tamen abſque ratione graviſſima optimus Magiſter *XII.* ipſis *thronos* adſignat. Numerus *duodenarius* quum apud veteres *perfectionis* fuerit ſymbolum, ut alibi demonſtrabimus, Salvator quoque

perfectionem regni ſui atque dignitatis Apoſtolorum intendere potuiſſet numero hocce perfecto. Verum quum illico *XII.* tribus memoret ſapientiſſimus Doctor, & ſupra a nobis demonſtratum ſit, alludi hac promiſſione ad dignitatem XII. φυλάρχων, quibus regia atque judiciaria, ut ita loquar, poteſtas competebat in XII. tribus Iſrael, *XII. quoque thronos* XII. hisce φυλάρχοις myſticis adſignat. *Duodecim* ſibi legatos elegit Salvator, ut indicaret, illos eſſe, qui XII. tribus Iſrael ſceptro veritatis paſcere & ad Deum, a quo defecerant, reducere deberent Matth. X, 5. 6. tanquam antitypos XII. ἀρχιφύλων. Eodem modo LXX. diſcipulos alios ad diſperſas Iſraelis oves emiſit Luc. X, 1. 17. qui conveniunt cum LXX. ſenioribus Iſraelis ſub œconomia antiqua. Cæterum Apoc. IV, 4. obſervamus numerum *duodenarium* duplicatum, ubi *XXIV. throni* circa thronum Dei & agni memorantur, quibus inſidebant *XXIV. Seniores*. Plurimi hujus loci interpretes intelligunt XII. Patriarchas una cum XII. Apoſtolis, Doctoribus ſc. V. & N. T. univerſalibus. Verum alibi jam docuimus alludi in hac viſione ad *caſtra Iſraelitarum* in deſerto, ubi *thronus Dei & agni* i. e *arca fœderis* cum columna nubis & ignis, in medio caſtrorum apparebat; illum cingebant tentoria Levitarum atque Sacerdotum, qui in XXIV. claſſes diſtribuebantur; adeoque reſpondent iis hi XXIV. Seniores, tanquam Doctores Eccleſiæ univerſales. Exteriorem ambitum conſtituebant caſtra XII. tribuum, quæ in IV. caſtra capitalia diviſa erant Num. II. & ex Judæorum teſtimoniis *quatuor* hæc *animalia* in vexillis gerebant, cum quibus ergo *quatuor animalia* in Apoc. quæ deſignant Eccleſiam univerſalem, ex quatuor mundi partibus colligendam, conveniunt. Hi XII. Apoſtoli ſedentes in thronis juxta thronum Meſſiæ Regis, præfigurabantur per *XII. leones* in gradibus *throni Salomonæi* 1 Reg. X, 20. *Aſſeſſores Leonis* de tribu Juda Apoc. V, 5. eodem magnanimo robore regnum Meſſiæ promoventes, atque cum eo triumphantes Apoc. III, 21.

XI. Verum quum ex veterum loquendi more oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcant, paucis addemus, quomodo hæc promiſſio *ſeſſionis in thronis*, ſi ſenſu eam intelligas myſtico, directe oppoſita ſit *ſtatui Apoſtolorum* illius temporis, quo omnia abnegantes in ſequela Chriſti varias calamitates & miſerias exantlare debebant.

1. *Re-*

1. *Regiam* dignitatem, qua in thronis ſedentes gaviſuri erant, opponit *contemto* ipſorum *ſtatui* coram Judæis, utpote qui Regem ſequebantur Jeſum, qui ſcandalum Judæis & ſtultitia Græcis erat. 1 Cor. I, 23. qui non niſi plebem & filios terræ aſſeclas habebat, nec ullum Phariſæorum aut *ἀρχόντων* ſibi conciliare valeret, & omnibus eſſet exoſus, quibus convitiis a Judæis Salvator proſcindebatur. Pauperrimus erat ex vaticiniis Prophetarum Rex, quia regnum ipſius non erat hujus mundi Joh. XVIII, 36. qui non habebat, quorſum caput reclinaret Matth. VIII, 20. Imo cui *thronus* coram hoc mundo futurus erat crux, *corona* ex ſpinis contexta, *ſatellites* latrones atque malefici; miſerrimi ergo coram mundo hi ipſius miniſtri familiares futuri erant. Verum regiam eis dignitatem heic promittit in Regno ſuo myſtico ac glorioſo.

2. Poteſtatem ipſis tribuit *judiciariam*, quaſi retributionem & præmium pro tot *fulminibus* atque *anathematibus*, quæ ex cathedra Moſis & Synedrio magno in capita ipſorum derivanda erant. Ad præſides Synedrii ducendi erant & condemnandi Matth. X, 17. 18. Joh. XVI, 20. adde Act. VI. XII. XVI. XXIII. &c. Licet ergo heic coram mundo condemnarentur, & tanquam rei coram judicibus hujus mundi & Synedrio Judæorum ſiſterentur, tempus tamen appropinquaret, quando judices illorum futuri erant: præcipue Judæi per ipſorum præconium atque doctrinam judicandi imo condemnandi eſſent. Rom. II, 16. 2 Theſſ. I, 7. 8.

3. *Contradictioni* doctrinæ & præconio ipſorum & *perſecutioni* ob eandem opponit ſeſſionem in throno tanquam *Doctoris*, auctoritate publica docentis. Jam quidem ob præconium Evangelii omnibus futuri erant exoſi Matth. X, 17. in omnibus Judæorum Synagogis contradictionem experturi; Verum poſtquam Spiritum ſapientiæ & roboris, poſt thronum gloriæ ſuæ conſcenſum, Salvator effuderat, cum auctoritate docere poterant & *τὰς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν*, imo corda eorum quaſi gladio hoc bicipite diſſecare Act. II, 37. Præcipue quum & poſt mortem ipſorum præconium doctrinæ Apoſtolicæ norma futura fidei Eccleſiæ per omnia N. T. ſecula, veluti ſupra jam docuimus.

4. *Ignominiæ* denique & *convitiis* horrendis, quibus Apoſtoli a Judæis erant polluendi, opponit *majeſtatis divinæ* radios, quibus in futuro ſeculo etant colluſtrandi. Jam *περίψημα* erant atque *περι κα-*

 θάρ-

ϑάρματα 1 Cor. IV, 13. *tanquam* ſordes in mare projici a gentibus ſolitæ: *tanquam* ſegmenta carnis ſacrificiorum inutilia; *tanquam* homines ſcurræ, futiles, & inutilia terræ pondera, & qui maledictionis piaculum futuri. Tales habiti a mundo & præcipue a Judæis Apoſtoli. Verum præmium eapropter ſat amplum reportaturi erant Matth. V, 10. Σύνϑρονοι τȣ̃ χριςȣ̃, & participes gloriæ ipſius cœleſtis. Corpus ipſorum horrendis perſecutionibus tanquam περικάϑαρμα projectum, radiis gloriæ colluſtratum ad corporis Chriſti glorificati inſtar transformandum, luce gloriæ radiaturum erat in ſeculo futuro.

XII. ב. Transeamus ad auctoritatis hujus demonſtrationem atque executionem, quam Apoſtolis tribuit Salvator verbis ſequentibus: *κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τȣ̃ Ἰσραήλ.*

α. ISRAELIS nomine in Sacris non Patriarcha ſolum, Iſaeides, (qui nomen יעקוב a ſupplantatione Eſavi fratris & ישראל a certamine & victoria de Angelo Dei, quo per preces calidiſſimas quaſi ſuperior evaſit, nactus eſt) ſed & *poſteri* ipſius veniunt. Filiorum enim ipſius familiæ in XII. tribus excreverunt, & ſeparata ab his in cultum ſacrum tribu Levi, Num. II, 33. Joſephi tribus, in duas diſtributa, numerum reſarcivit.

Vox autem ΦΥΛΗ in genere certam hominum deſignat multitudinem, ex uno eodemque ſanguine procreatorum. Φυλή etenim quaſi a φύω naſco, progermino, ſurculum ex eadem radice progerminantem qualemcumque notat, & improprie de homine uſurpatur. Hebræi hanc vocem per מטה & שבט exprimunt, quæ *ſceptrum* atque *baculum* deſignant, quaſi populum, qui ſceptro ſe ſubjicit & illo regitur. Quemadmodum Iſraelis, in XII. φυλὰς diſtributi, quæque tribus ſuum habebat φύλαρχον, quorum imperii & poteſtatis inſigne, מטה ſceptrum ſeu baculus fuiſſe videtur, vide Num. XVII, 17. XXI, 18.

Non autem ſolos carnales Jacobi poſteros, doctrinam Chriſti reſpuentes, nec ſolos ex iiſdem credentes intelligere, ſed utroſque heic conjungere licet. XII. enim tribus hoc loco abſque ulla reſtrictione memorantur. Quando ſoli electi intelliguntur, CXLIV. millia obſignatorum ex XII. tribubus memorata videmus Apoc. XIV, 1. Cap. VII, 4. Et quum duplex judicium Apoſtolis conveniat tum in credentes, tum in

in incredulos, utroſque hoc loco intelligere fas eſt. Et quum Iſrael quoque Iſraelem myſticum i. e. Eccleſiam N.T. deſignat, quæ ex gentibus quoque conſtat, heic *XII. tribus Iſrael*, quæ Eccleſiam V. T. conſtituebant, Eccleſiam univerſalem N.T. ſimul deſignare apte poterunt.

XIII. β. Ipſam auctoritatis demonſtrationem exprimit ſacer ſcriptor voce κρίνοντες. Triplicem autem hujus vocis emphaſin adnotamus. 1) Singularem alicujus perſonæ ὑπεροχὴν & dignitatem innuit, veluti Gen. XIX, 9. a LXX. Interpretibus adhibetur pro *dominari*, ut Lutherus vertit, nec non Judic. I, 1. ubi de imperio & de dominio judicum Iſraelis occurrit, adde loca varia Pſ. IX, 9. Jud. X, 2. 3. XII, 7. 13. XV, 20. XVI, 31. 1 Reg. III, 9. 2 Reg. XV, 5. XXIII, 22. præcipue Prov. XXIX, 14. ubi de Rege fidele uſurpatur. Hanc ob cauſam quoque haud raro occurrit pro *vindicare*, *tueri*, *defendere* populum, vide Deut. XXXII, 36. Pſ. XLIII, 1. CXXXV, 14. Hebr. X, 30. quod Regum atque Principum eſt f) 2. Quando judicibus tribuitur, tum *condemnandi*, tum *abſolvendi* g) ſignificatu gaudet. Priori ſenſu uſurpatam vocem κρίνειν deprehendes Gen. XV, 14. Exod. V, 1. 2 Par. XX, 12. Pſ. IX. 20. Jeſ. LXVI, 16. Joh. III, 18. VII, 51. XII, 47. 48. Act. XXIII, 3. Rom. II, 1. XIV, 10. 1 Cor. XI, 31. poſteriori autem Gen. XX, 6. Pſ. VII, 9. Apoc. XI, 18. 3) Singularis denique hujus vocis emphaſis eſt, qua idem dicit ac μαρτυρεῖν, quo ſenſu illam Salvator adhibet Joh. VIII, 15. & cum voce μαρτυρεῖν permutat κρίνειν. h)

Re-

f) Hoc ſenſu vocem hanc apud *Xenophontem Cyrop. Lib. VIII.* occurrere docuit Cl RAPHEL. p. 314. vide etiam Cel. WOLF. *cur. Phil. ad Hebr. p. 733.* quare & מרינה Hebræis dici præfecturam obſervat GROTIUS ad Matth. XIX.

g) Sæpiſſime hanc ſignificationem vocem κρίνειν admittere, docet SUICER. *Theſ. T. II. c. 160.* HACSPAN. *in not. ad Matth. VII. p. 43.* Cl. LAMPE *in Joh. III, 18. in not.* Cel. WOLF. *cur. ad Evang. p. 105. 288. 630. &c.*

h) Vide quæ ad hunc locum commentantur Cl. RAPHEL. *in ſemicent. Annot. phil p m 684.* nec non Cel. WOLF. *in cur. Phil. ad Evang. p. 888.* Quare & doctrina legis משפט *judicium*, toties audit in ſacris, præcipue Pſ. CXIX. Et Doctores Judæorum appellantur *fundamentum legis* ועמודי ההוראה ומהם חק ומשפט יוצא לכל ישראל *& columnæ doctrinæ ex quibus prodit ſtatutum* & judicium *in Iſraelem*, apud MAIMON. *in* יד חזקה *tract.* מ״מ *C. I. §. I.*

Reſpondet ergo hæc vox triplici ſignificationi *ſeſſionis in throno* & largiſſimum ſenſum fundit. Κρίνοντες erant Apoſtoli 1) in *throno regio* tanquam φύλαρχοι, qui ſceptro veritatis populum ſibi concreditum regebant, atque paſcebant gregem Dei 1 Pet. V, 2. qui rebelles quoque & immorigeros ſceptro ferreo comminationum divinarum erant proſtraturi Apoc. II, 21. 22. tanquam ἡγέμενοι præeuntes in acie Hebr. XIII, 17. & populum Dei vindicantes a periculis imminentibus Ezech. XXXIII, 6-9. cincti gladio veritatis Cant. III, 7. 2) in *throno judicii* ſedent κρίνοντες, utpote qui infallibiles fidei atque doctrinæ judices ſunt, Spiritu Dei Sancto impleti, qua prærogativa præ reliquis N. T. Doctoribus gaudent. Ipſi judicia Dei graviſſima modo infallibili denuntiaturi erant præcipue in rebelles Judæos, & excidii illius Hieroſolymæ atque templi teſtes veraces futuri, illius aliquando implemento juſtificandi. Ipſi denique judicium abſolutionis a peccatis infallibile pronuntiare in reſipiſcentes poterant, data ipſis a Summo Eccleſiæ capite, hac poteſtate Matth. XVI, 19. Joh. XX, 22. 23. 3) In *throno* denique *Doctorum* ſeſſuri erant κρίνοντες, quia Doctores futuri erant publici univerſalis Eccleſiæ per omnes N. T. viciſſitudines, quorum effata poſteris fidei norma erant conſtituenda Gal. VI, 16. quemadmodum etiam portæ XII. Hieroſolymæ novæ una cum XII. fundamentis doctrinam XII. Apoſtolorum reſpiciunt Apoc. XXI. ut ſupra jam monuimus.

XIV. c. Invadamus autem arcem difficultatis, quæ hoc loco præcipue ſita eſt in deſcriptione *temporis*, quo gloria hæc Apoſtolorum apparitura erat, quod delineat Salvator: ἐν παλιγγενεσίᾳ, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ. Difficultatem, quam Interpretes circa variorum codicum interpunctionem movent (quum alii comma ante παλιγγενεσίᾳ omittant, & vocem hanc connectant cum ἀκολουθήσαντές μοι, alii autem comma ponant, ita ut tempus deſignet vox παλιγγενεσία, quo præmium Apoſtolis eſſet concedendum) paſſim enodatam deprehendes i). Verum quomodocunque etiam comma ponas,

i) Vide ſi lubet Cel. WOLF. *cur. Phil. ad h. l.* nec non ſing. diſſert. Cl. SPANGENBERGII *in Matth. XIX*, 28-30. *Jen. 1729. pag. 16. ſq.* Et Cel. WALTER *diſſ. ſing. ad h. l. Rint. 1731.*

ponas, ex hypotheſi noſtra ſenſus æque commodus elicietur. Oeconomiam enim N. T. quæ arctiſſimo nexu cum Oeconomia gloriæ cohæret, per παλιγγενεσίαν intelligendam eſſe, contendemus illico. Si ergo hanc vocem referas ad ἀκολουθήσαντες, deſignabit Apoſtolos Chriſti in erigenda atque adminiſtranda Oeconomia nova quaſi adjutores eſſe. Sin ad ſequentia, ὅταν καθίσῃ rejicias, tempus itidem N. T. deſignabit, quod cum exaltatione Mediatoris in thronum gloriæ incepit. Quæ poſterior tamen hypotheſis & codicum plurimorum conſenſu, & interpretum ſolidiſſimorum calculo, & loci paralleli Luc. XXII, 28. 29. attenta conſideratione confirmata, præferenda nobis vidntur. Adeoque verba ſequentia: ὅταν καθίσῃ, tanquam propiorem temporis deſignationem, quod generalius per παλιγγενεσίαν indicatum fuerat, conſideramus.

XV. א. In genere ergo tempus delineat Salvator, dicens: ἐν παλιγγενεσίᾳ. Vox hæc ex πάλιν & γένεσις compoſita *tum* rei alicujus reſtaurationem in ſtatum priſtinum, *tum* mentis in aliud corpus migrationem, *tum* futuram mundi innovationem, *tum* regenerationem hominis ſupernaturalem, *tum* corporis ex pulvere reſtaurationem apud veteres deſignat, quod pluribus docuere Viri citati, GATAKERUS, OLEARIUS, SPANGENBERGIUS, WALTERUS & Cl. IRHOVIUS *in tract. ſing. de παλιγγενεσίᾳ Veterum.* Id quod ulterius demonſtrare ſupervacaneum exiſtimamus. Quæritur autem, quum vox hæc diverſo admodum ſignificatu gaudeat, quo ſenſu potiſſimum illam a Salvatore adhibitam eſſe credamus? Maximus ſane Interpretum pro cujusvis hypotheſi & genio heic oritur diſſenſus. Quadruplex autem præprimis illorum hypotheſis notari meretur, quarum prima regenerationem animæ in converſione, altera reſurrectionem mortuorum, tertia ſeculum futurum & quarta denique Oeconomiam N. T. intelligendam defendit.

(α) Pauciores ſunt, qui *regenerationem* mentis per Spiritum Dei in converſione intelligunt k). Nituntur autem hi fundamentis ſequentibus,

k) Pauci ſunt, qui hanc tuentur, veluti HILARIUS, *autor operis imperfecti, quod Chryſoſtomo* tribuitur, ARETIUS & Cel. WALTER, diſſ. cit. qui etiam CALVINUM citat, qui tamen, ut ejus verba docent, de Oeconomia Nova intelligit.

bus, *tum* quod ςιγμὴ in nonnullis codicibus occurrat poſt vocem παλιγγενεσίᾳ, & ante eam poſt μοι omittatur; *tum* quod ſcopus Chriſti fuerit arrogantiam Petri de carnali regno ſomniantis compeſcere, & aliis levioris momenti rationibus, quas refert Cel. WALTER *in diſſ. cit.* §. *XII.* Verum, ut huic ſententiæ non immoremur, obſervaſſe ſufficiet; tum phraſin ἀκολȣθεῖν ἐν παλιγγενεσίᾳ eſſe minime uſitatam & obviam, quum alibi Salvator phraſin ἀκολȣθεῖν ſolam adhibeat, quæ latiſſimæ quum ſit ſignificationis, etiam hoc loco ſenſum commodum atque realem per ſe fundit: *Tum*, quod codices plurimi ςιγμὴν inter voces ἀκολȣθήσαντές μοι & ἐν παλιγγενεσίᾳ ponant, *tum* denique ſcopus Salvatoris plane aliis ſit, ut ex §. II. manifeſto ad oculum patet.

(β.) Per παλιγγενεσίαν *mortuorum reſurrectionem* deſignari cenſent Interpretes l), qui *ſeſſionem in thronis & judicium in duodecim tribus Iſrael* ſecundum literam intelligunt, idque ultimi judicii tempore, ἐν ἀναςάσει πάντων fieri contendunt, conferentes locum Pauli 1 Cor. VI, 2. 3. ubi de *judicio Sanctorum in angelos & mundum* agitur, quem excuſſimus in *meditat. noſtris vernac.* Vorboten der Ewigkeit. *p. 283.*

(γ.) Cum his fere conſentiunt illi, qui notionem τῆς παλιγγενεσίας latius extendunt, & futurum ſeculum, beatamque æternitatem ſimul comprehendi autumant m). Quoniam ſc. παλιγγενεσία novam mundi reſtaurationem apud antiquos deſignat, eandem ergo & hoc loco ſeculi

l) Huc pertinent Patres antiquæ Eccleſiæ quamplurimi, a variis Interpretibus notati, ſc. EUTHYMIUS, THEOPHYLACTUS, HIERONYMUS, imprimis AUGUSTINUS, qui in *Epiſt. ad Pelag. Lib. III. cap. 3.* teſtatur: παλιγγενεσίαν hoc loco nemine ambigente reſurrectionem noviſſimam notare. Conf. eundem de *Civit. Dei. Lib. XX. cap. 21.* Adde etiam GATAKER. & SUICER. qui varios citant Patres. Cel. MOSHEM. *diſſ. de die Chriſti ab Abrah. viſa in Bibl. Brem. Tom. II. p. 239.* nec non Cel. HASÆI *notata ad h. l.* Eandem ſententiam defendunt GROTIUS, MUSCULUS, MUNSTERUS, TIRINUS, LYRA, FERUS, STELLA, DU VEIL, LYSERUS, GERHARD. *in 1. Pet. p. 59.* CAPELLUS, MOSHEMIUS *l. c.* HOMBERG. *parerg. p. 61.* BUDDEUS *Theol. dogm. p. 672.* alii.

m) Hanc hypotheſin tuentur JOS. MEDE, TH. BURNET, WINDET. *de vita funct. ſtatu*, MARTIANÆUS, ECCARDUS & OLEARIUS, conf. WOLF. *Cur. ad h. l.* adde CLERIC. *ad Hammond.* & Cl. SPANGENBERG. *l. c.*

culi futuri innovationem & reſtaurationem a Salvatore intendi exiſtimant.

(δ) Sunt denique Interpretes præcipue inter Proteſtantes eruditi atque ſolidi n), qui παλιγγενεσίαν de Oeconomia N. T. explicant, idque non ſine argumentis graviſſimis.

(ε.) Ut denique noſtrum de hoc ſententiarum divortio judicium qualecunque pro ingenii modulo declaremus, poſteriori ſeu quartæ ſententiæ calculum adjicimus, ita tamen, ut παλιγγενεσίαν hanc non cum memoratis Interpretibus ad *initia Oeconomiæ Novæ*, ſed & ad *ſequentia illius ſecula*, imo *ipſius* in gloria *conſummationem*, i. e. ad *omnem Eccleſiæ* tum militantis per varias N. T. viciſſitudines *renovationem*, tum triumphantis referamus. Phraſin enim ἐν παλιγγενεσίᾳ, ἰσοδυναμοῦσαν eſſe cenſemus τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, quo nomine Eccleſia N. T. tum militans tum triumphans ſæpius inſignitur in ſcriptis N. T. totaque ſalutis Oeconomia in Eccleſia N. T. per omnia tempora in œconomiam gloriæ ſeſe extendens. & quaſi effundens intelligitur. Ex hoc proinde fundamento per παλιγγενεσίαν nos hoc loco intelligimus 1) Renovatum Eccleſiæ ſtatum per abrogationem V. T. & cultus Levitici; 2) renovatam Eccleſiæ per Reformationem faciem; 3) renovandam ultimis N. T. temporibus Eccleſiæ conditionem; 4) denique conſummate inſtauratum Eccleſiæ triumphantis ſtatum & futuri ſeculi gloriam.

XVI. Vocem autem hanc non ad reſurrectionem nec ad ſolam futuram vitam, ſed Oeconomiam N. T. toties renovandam, ſimul eſſe referendam, probamus,

1. Ex nexu hujus promiſſi cum *præced. Comm. 27. & ſequenti comm. 29.*

Duplex

n) MACARIUS hiſce Interpretibus facem prætuliſſe videtur, ſcribens hoc impletum eſſe, ὅταν ὁ Κύριος ἀνελήφθη εἰς οὐρανόν. Huc quoque referenda verba CALVINI noſtri, quibus docet innui *tempus, quo ad Chriſti adventum priorem mundus renovari cœperat & ex mortis tenebris in lucem emerſerat.* Ex recentioribus interpretibus huc refer VITRINGAM *in Jeſ. T. II. p. 213.* HULS. *de vall. Proph. p. 42.* Cl. LAMP. *in Pſ. XLV. p. 570.* ROELL. *ad Epheſ. T. I. p. 47.* CAMERON. TURRETINUM, VAN TIL; D' OUTREIN. *in parabol. p. 552.* RUS *in harm. p. 997.* LINDHAMER. *in Act. p. 509. not.* Cl. FOERTSCH. *diſſ. de judicio Sanctorum ſuper mundo §. VI.* WITS. *in Symb. Apoſt. Exerc. XII. §. 20. & denique* Cl. ZORN *opuſc. Sacr. T. I. p. 440. ſq.*

Duplex enim moleſtia erat propoſita, in cujus compenſationem Apoſtoli gratioſum a Salvatore præmium exſpectabant; quarum altera erat *ſequela Domini*, altera *derelictio* atque abnegatio omnium hujus mundi bonorum. Duplicem ergo quoque mercedem promittit Salvator *Comm.* 28. 29. *Sequelam* ſui Dominus compenſaturus erat *ſeſſione* in XII. thronis & judicio in 12. tribus ipſis concedendo. *Comm.* 28. Pro *abnegatione* omnium, ἑκατονταπλασίονα *hujus* & *futuræ vitæ bona ſpiritualia* recepturi erant *comm.* 29. Quemadmodum autem præmium pro abnegatione omnium non hanc ſolum ſed & futuram vitam, non illam ſolum ſed & hanc reſpicit: Similiter præmium *ſeſſionis in throno* non ad futuram ſolum ſed & hanc quoque vitam, adeoque ad utramque referendum eſſe colligimus, adeoque vox παλιγγενεσία commode ad præſens & futurum ſeculum referri apte poterit.

2. Idem evincimus ex locis parallelis, quales agnoſcimus Marc. X, 30. ubi expreſſis verbis legimus νῦν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, καὶ ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ, *Nunc hoc tempore præſenti & in ſeculo venturo.* Addimus quoque Luc. XVIII, 30. ubi idem aſſeritur. Præcipue autem notandus eſt locus Luc. XXII, 28. 29. 30. in quo *ſequela* Domini exprimitur per διαμένειν μετὰ τοῦ χριστοῦ ἐν τοῖς πειρασμοῖς αὐτοῦ. *Comm.* 28. & præmium additur, non ſolum *ſeſſio* in *thronis & judicium in XII. tribus Iſrael*, ſed & *convivium lautiſſimum*, quo a Chriſto erant excipiendi Apoſtoli; & quod notandum, phraſis noſtra ἐν παλιγγενεσίᾳ ibidem exprimitur per parallelam: ἐν τῇ βασιλείᾳ μου. Jam vero, quis negabit, phraſin βασιλείαν τοῦ χριστοῦ *regnum Meſſiæ*, deſignare tempus Oeconomiæ N. T. & œconomiam gloriæ cum ea conjunctam? Quis negabit regnum non ſolum gloriæ ſed & gratiæ Chriſto a Patre eſſe diſpoſitum in teſtamento pacis, adeoque & regnum non gloriæ ſolum ſed & gratiæ adminiſtrandum, a Chriſto quoque Apoſtolis eſſe diſpoſitum? Simile quid promittitur teſtibus veritatis. Apoc. XX, 4. ſc. *thronus* imperii atque dominii in hoſtes veritatis victoriæque per doctrinam & teſtimonium ipſorum reportandæ; atque κρίμα i.e. poteſtas *judicandi*, condemnandi adverſarios veritatis, quæ promiſſio ultima N. T. tempora & ſeculum futurum ſimul reſpicit.

XVII. 3. Liquet idem ex propiori vocis παλιγγενεσίας conſiderati-

ratione. Non equidem negare licet, vocem hanc (quod ſupra memorati viri eruditi abunde docuerunt) apud veteres Eccleſiæ Patres frequentiſſime *Reſurrectionem* denotare, atque vi etymologiæ quoque hanc ſignificationem admittere lubenter. Verum quum Patres in hoc loco Matth. XIX. per *παλιγγενεσίαν reſurrectionem* intellexerint, & hanc promiſſionem ad ultimum judicii diem retulerint, non mirum cuiquam videbitur, eosdem hanc vocem, tanquam ex ſcriptis ſacris & ſpeciatim ex hoc loco deſumtam, uſurpaſſe ad reſurrectionem futuram deſcribendam. Aſt hanc vocem ſolummodo eapropter reſurrectionem deſignare, quis aſſeret & probabit? Quod autem hæc vox Oeconomiam N. T. varie renovatam, quæ in Oeconomiam gloriæ transfertur, etiam deſignet, probamus

aa.) Ex conſideratione nativæ illius ſignificationis; *παλιγγενεσία* enim eſt quaſi nova poſt corruptionem *generatio* & reſtauratio alicujus rei. Teſtis eſt locus ISIDORI apud SUICER. l. c. *ὅτι τὰ Ἰουδαϊκὰ πράγματα τέλεον οἴχεται, καὶ παλιγγενεσίαν οὐκ ἕξει. Quod res Judaicæ prorſus peſſum iverint, nec unquam reſtaurandæ eſſent.* Jam vero quamnam magis commodam Salvator optimus ſeligere vocem potuiſſet ad Oeconomiam N. T. vivis coloribus depingendam? quæ non ſolum eſt antiqui fœderis atque teſtamenti poſt corruptionem per rituum Leviticorum abuſum, quaſi nova inſtauratio; verum etiam per carnales confeſſores, hæreticos & veritatis hoſtes ſæpius turbata atque corrupta, denuo reparanda atque renovanda erat ſequentibus ſeculis. *Vetera* enim præterire, & cuncta *nova* fieri oportebat, non ſolum in principiis N. T. 2 Cor. V, 17. ſed & in fine & ultimis ejus temporibus Apoc. XXI, 5. Jeſ. XLIII, 18. 19. Quod idem indicatur per phraſin parallelam & Synonymam *novi cœli* atque *novæ terræ*, quæ promittitur. Apoc. XXI, 1. Jeſ. LXV, 17. Hæc eſt *innovatio faciei* terræ myſticæ. Pſ. CIV, 30. Hæc eſt *ἀποκατάστασις* illa *πάντων* Act. III, 21. quæ ſucceſſive in Eccleſia N. T. per omnes viciſſitudines usque ad ultimum Chriſti adventum conſummanda erat.

bb.) Locis illis Patrum Eccleſiæ, qui per *παλιγγενεσίαν* mortuorum reſurrectionem intelligunt, opponimus locum inſignem, a Cel. *Haſæo*, ut video, jam obſervatum ſc. CLEMENT. ALEXANDR. *Pædag. Lib.*

 II. p.m.

II. p. m. 168. l. D. Λὼτ δὲ ὁ δίκαιος, παραπέμπομαι γὰρ τῆς ΠΑΛΙΓΓΕΝΕΣΙΟΥ ΟΙΚΟΝΟΜΙΑΣ τὴν ἐξήγησιν. ἐκ ἂν ἐπὶ τὴν ἄθεσμον ἐκείνην προήχθη μίξιν, μὴ ἐχὶ καταμεθυσθεὶς πρὸς τῶν θυγατέρων, καὶ ὕπνῳ καρωθείς. *Loth autem juſtus* (*Regenerationis enim Oeconomiæ*, potius Oeconomiæ renovatæ, *in præſentia omitto expoſitionem*) *non ad illum nefarium adductus eſſet coitum, niſi inebriatus fuiſſet a filiabus, ſomnoque oppreſſus & gravatus.* Primo quidem obtutu locus hic obſcurus videtur, verum ex ſcopo Scriptoris & nexu explicandus eſt. Scopus ſc. hujus autoris erat ſomni nimii vitia & pericula graphice ad aliorum convictionem proponere, eum in finem in præcedentibus ex 1 Theſſ. V. docuerat, filiis lucis & diei in N. T. minime convenire nocti indulgere & ſomni vitiis. Jam pergit & exemplum Lothi ex V. T. adducit, monens in parentheſi, ſe jam miſſis exemplis & argumentis ex N. T. deſumendis ad exempla V. T. transire, quale erat Lothi. Adeoque per οἰκονομίαν παλιγγενέσιον Oeconomiam novam ſive N. T. intelligit.

XVIII. 4. Addimus argumentum non minori robore munitum, ex altera temporis hujus deſcriptione petitum, quod exprimit Salvator: ὅταν ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπυ καθίσῃ ἐπὶ θρόνυ δόξης αὐτῦ. *Quum ſederit filius hominis in throno gloriæ ſuæ.* Vocula ὅταν clare docet, tempus heic innui, & quidem illud ipſum, quo παλιγγενεσία hæc futura erat, veluti Cl. *Færtſchius* atque ex eo Cl. *Zornius* l. c. urgent. Jam vero Chriſtum Salvatorem gloriæ thronum ſtatim poſt aſcenſionem in cœlos atque elevationem in caput Eccleſiæ Epheſ. I, 20. modo occupaſſe, nemo dubitabit, qui loca Matth. XXVI, 64. Act. II, 33. Apoc. III, 21. Hebr. VIII, 1. vel obiter absque præjudiciis inſpiciet. Ab illo ergo tempore, quo Chriſtus thronum gloriæ conſcendit, παλιγγενεσία inchoari cœpit, & per reliqua N. T. decurrentia ſecula continuata eſt. Et quotiescunque Chriſtus gloriam ſuam e throno majeſtatis in Eccleſia ſingulari modo demonſtrat, hæc παλιγγενεσία quoque renovatur & publice manifeſtatur.

XIX. 5. Adjiciamus inſuper varias difficultates, quibus hypotheſis illa, quæ reſurrectionem intelligendam cenſet, & ad judicii diem ultimum hanc promiſſionem rejicit, premitur.

aa) Si literali ſenſu, quod illi faciunt interpretes, *thronos* Apoſtolo-

rum

rum intelligas, reliqua hujus promiſſi præmia ſimul literaliter exponenda eſſe, nexus ſuadebit neceſſario. Ergo ſimul ex loco parallelo Luc. XXII, 29. 30. *menſam* domini literalem, & *convivium*, in eadem cum Chriſto, proprium intelligas oportet, quod autem minime cum natura regni Chriſti convenire, illico docebimus.

bb.) Si Apoſtoli *judicaturi* ſunt proprio ſenſu credentes & incredulos, ergo *judicabunt* quoque *ſanctos*. Jam vero ſanctis in die ultimo tanquam judicibus tribuitur judicium 1 Cor. VI, 2. 3. quomodo ergo illi, qui judices futuri, ab Apoſtolis proprie judicari poterunt. Nec Apoſtolis tanquam judicibus in die judicii proprie κρίμα in reliquos competit, ſed Judici ſummo. Præterea heic XII. tantum tribus Iſrael judicandi dicuntur, Apoſtoli autem in die judicii non tribus Iſrael, ſed & omnes gentes incredulas, doctrina & teſtimonio ſuo judicabunt, illos ſc. omnes, quibus Evangelium fruſtra annuntiatum eſt. Non ergo tale heic judicium intelligi apte poterit.

XX. Pergamus & argumenta primaria hypotheſis adverſariæ, quæ παλιγγενεσίαν de *Reſurrectione* capiendam defendit, paucis excutiamus.

Primum, quod urget Cel. BUDDEUS nec non Cl. SPANGENBERG. ll. cc. in eo ſitum eſt, quod non temere a ſenſu literali ſit recedendum interpreti, ubi nulla ſuadeat neceſſitas. Verum hoc loco, ut a literali ſenſu recedamus, omnino opus eſt. Inſpiciamus locum Luc. XXII, 29. 30. parallelum; intelligamus itidem, *thronum* gloriæ Salvatoris literalem, *thronos* Apoſtolorum literales, *judicium in 12.* tribus Iſrael literale & proprie dictum in die judicii; Suadebit ergo nexus, ut *menſam* Domini literalem, ut *convivium* cum Chriſto, proprie dictum intelligamus. Nonne ergo his conceſſis, ſenſus hujus loci fabulas Turcarum, gentium, rudiorumque Judæorum de conviviis lautiſſimis & voluptatibus carnalibus in ſeculo futuro ſomniantium, optime confirmaret. Quum ergo *comedere & bibere in menſa Domini* phraſis ſit deſumta a more Regum & Principum hujus mundi, qui proceres & magnates, ipſis a conſiliis intimis *menſæ regiæ* adſeſſores & convivas recipiunt; & ſenſu myſtico tum de ſummo Apoſtolorum honore, tum de requie ac deliciarum ſpiritualium ac cœleſtium abundantia exponenda

ſit,

ſit, collat. Matth. VIII, 11. 12. ſumma requiret ultro neceſſitas, ut in reliquis hujus promiſſionis phraſibus a litera quoque recedamus.

Alterum, quod additur argumentum, ex vocis παλιγγενεσίας ſignificatione uſitatiſſima, derivatur. Præcipue Cl. OLEARIUS ex teſtimoniis *Clem. Alexandr. Dionyſ. Areop. Baſilii* atque *Epiphanii* vocem hanc *reſurrectionem* & *futuram terræ* in die judicii *innovationem* deſignare demonſtrat, atque eapropter eodem quoque ſenſu heic gaudere contendit. Non equidem nego, vocem hanc apud Patres antiquos hoc ſenſu adhiberi ſæpius, nec infitiari lubet, eandem vi etymologiæ reſurrectionem ſignificare poſſe; verum conſequentias inde deductas: ergo & in hoc loco eodem ſenſu & ſignificatione gaudere, minime concederem, quum argumenta ſuperius propoſita contrarium evincant. Oppoſuimus ibidem aliam hujus vocis ſignificationem apud Patres ex *Clemente Alexandrino*, & fundamentum atque anſam, cur Patres reſurrectionem hac voce expreſſerint, dedimus atque expoſuimus.

XXI. Supereſt ut paucis difficultates atque objectiones, quæ alicujus eſſe momenti videntur atque contra hypotheſin noſtram moventur, diſcutiamus.

aa.) Oeconomiam N. T. intelligi non poſſe, ex eo autumat Cel. OLEARIUS, quoniam illa tempus eſſet laboris non retributionis, afflictionum non gloriæ, quum tamen præmium, retributio ac gloria promittatur Apoſtolis?

Verum quamvis Oeconomia N. T. tempus laboris ſit atque afflictionum, præcipue quoque Apoſtolis tale exſtiterit in principio, non tamen ſequitur, Apoſtolos per totam vitam inter varias afflictiones, multo minus poſt mortem, durante Oeconomia N. T. nullo unquam præmio, recreatione atque fructu laborum fuiſſe gaviſos. Rex atque Princeps hujus ſeculi in throno ſuo, ſtipantibus ipſum primatibus imperii, ſedere, dominari, gloriamque ſuam per judicia & victorias varias demonſtrare facile poteſt, licet cum variis hoſtibus adhuc ſuperandis ipſi pugnandum ſit. Certe Apoſtoli in mediis ſæpe afflictionibus, laboribus imo perſecutionibus, dulcia carpere præmia & reges ſe atque judices demonſtrare poterant. Conf. Act. XVI, 23. 26. 39. Cap. XIII, 45-52. Præcipue autem poſt mortem per omnia N. T. tempora

præmia laborum nacti ſunt in terra, licet in cœlis viverent, ut ſuperius in explicatione præmii ipſius prolixe docuimus.

bb.) Inſtat Cl. SPANGENBERGIUS; Si verba: *ſedebitis judicantes 12. tribus Iſrael*, de Oeconomia exponere velis, ſenſum inde hunc elice-res: *Utemini auctoritate infallibili in condemnandis perverſis hominum doctrinis*, atque hac ratione Eccleſia Romana facili negotio infallibili-tatem Clericorum inde derivare poſſet.

Aſt regerimus 1) ſenſum plane alium & *tum* nexui phraſium, *tum* ſcopo Salvatoris, *tum* conditioni Apoſtolorum convenientem τῇ phraſi κρίνοντες δώδεκα φυλὰς tribui poſſe, ut ſupra vidimus. 2.) Si ſenſum memoratum elicere inde placeret, conſequentia tamen, quæ inde eli-citur, minime procederet. Quoniam Apoſtolis infallibilis docendi auctoritas eſt conceſſa, ergo & omnibus ita dictis Clericis Pontificiorum eadem competit. Minime. Infallibilitas enim Apoſtolorum in doctrina donum fuit Spiritus Dei extraordinarium, quo reliqui N. T. doctores, etiamſi genuini, ſequentibus ſeculis deſtituebantur.

XXII. cc.) Contra argumentum noſtrum a propiori temporis de-ſcriptione: *quando filius hominis in throno gloriæ ſuæ ſederit*, deſum-tum inſurgit idem Vir Cl. & *pag. 21. diſſ. cit.* diſtinguit inter *thronum Patris* & inter *thronum Filii*, & τὸ *ſedere in throno Patris*, quod Chri-ſto in ſacris tribuitur, opponit τῷ *ſedere in throno Filio* proprio. Chri-ſtum *thronum Patris* poſt aſcenſionem conſcendiſſe aſſerit, donec omnes hoſtes ſubegerit 1 Cor. XV, 54. 55. In die autem judicii *thronum ſibi* quaſi proprium, i. e. gloriæ occupaturum ex Matth. XXV. adeoque & hoc lo-co *thronum Filii* intelligendum eſſe contendit.

Satis ingenioſa hæc eſt diſtinctio, ſed fundamentis, ſi propius ex-cutitur, ſolidis deſtituta corruit. 1.) enim ex collatione attenta locorum Pſ. XLVII, 9. & LXXXIX, 15. Jeſ. XVI, 5. Zach. VI, 13. Apoc. IV, 2. 3. ſponte liquet, Filium Dei *thronum ſuum*, κατ᾽ ἐξοχὴν dictum, jam poſt aſcenſionem, imo durante Oeconomia N. T. conſcendiſſe, nec demum in die judicii ultimo illum eſſe erigendum. 2) θρόνος μεγαλωσύνης Hebr. VIII, 1. qui idem eſt cum throno δόξης, Chriſto tribuitur tan-quam Sacerdoti, adeoque relato ad Eccleſiam N. T. & quidem in ter-ris adhuc militantem æque ac aliquando triumphantem. 3.) ex Dan.

 VII,

VII, 9. 13. 14. conſtat manifeſto, *thronum judicii*, quem Filio κατ' ἐξοχὴν tribuit alibi ſcriptura ſacra, etiam *Patris*, antiqui dierum, *thronum* eſſe, adeoque & hanc diſtinctionem ſubleſtæ fidei eſſe. 4.) Ut taceam, Deo Patri æque ac Filio in ſcriptis ſacris ſymbolicum attribui thronum, qui gloriæ ipſorum atque majeſtatis ſummæ emblema exhibet. 5.) Quemadmodum denique Apoc. III, 21. eundem *Patris* & *Filii* thronum *victoribus* adſignari deprehendimus, quia ejusdem cum Capite & Duce ſuo gloriæ, quam a Patre nactus erat Filius, participes futuri erant victores.

Reliqua autem argumenta, quibus *Vir Clariſſ.* erudite aſſerit, etiam ſeculum futurum per παλιγγενεσίαν comprehendi, facile admittimus, quum Oeconomiam N. T. una cum Oeconomia gloriæ hoc loco intelligendam, atque utramque commode conjungendam eſſe, ſupra docuerimus.

XXIII. b. Propius autem tempus præmii delineat Salvator optimus, addens: ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ ἐπὶ θρόνȣ δόξης αὐτȣ̃.

Se ipſum apellat υἱὸν ἀνθρώπȣ, *FILIUM HOMINIS*, nomine in ſacris frequentiſſimo. Hebr. dicitur בן אנוש & בן ארם Pſ. VIII, 5. LXXX, 18. Dan. VII, 13. Eſt illud, quod Salvator in diebus carnis ſuæ ſæpiſſime adhibuit, & Judæis quoque haud ignotum exſtitit, qui Meſſiam בן ארם appellant, uti ex teſtimoniis o) variis conſtat.

Cauſas denominationis hujus ſat graves reddere poſſumus, quum nomen ſit, quod ſingularem emphaſin comprehendit. Deſignat enim

1. *Filius hominis hominem verum*, qui corpore & anima præditus eſt, ſeu hominem ex homine natum. Quemadmodum olim ſub V. T. hoc nomine a Prophetis fuit inſignitus, ut futuram ipſius incarnationem ſignificaret Spiritus S. Equidem calumniatur R. LIPMANNUS in *Nizach. p. 179.* אנוש eſſe generis maſculini, & proinde Chriſto noſtro, qui filius ſit mulieris, peſſime adſcribi. Conſtat autem ex *Kimchi*, *Abendama* & aliis, phraſin בן אנוש & בר אנוש idem eſſe ac אנוש ſeu ארם. Syrus plerumque *hominem* ܒܪܢܫܐ *filium hominis* appellat. Quo nomine

r) vide LIGTFOOTH. *oper. Tom. II. p. 718. Tom. I p. 541.* Cel. LAMP. *in Joh. Tom. I. p. 484.* Cl. BUCHER. *antiq. Bibl. p. 840.* nec non Cel. CARPZOV. *in diſſ. de Filio hominis ad antiquum dierum delato, & alios.*

mine ipſum *Adamum*, qui ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ fuit, etiam inſignit 1 Cor. XV, 45. uti erudite obſervat. Cl. LYSIUS *de uſu Ling. Syr. p. 20.* Vide etiam LIGTFOOTH. *T. I. p. 198.* Verum ergo ſe hominem, carnis atque ſanguinis, inſtar filiorum hominum, vere participem, profitetur hac deſcriptione Salvator noſter. Hebr. II, 14.

2. *Abjectum* atque *viliſſimæ conditionis* hominem, præcipue quum eruditi obſervent בז אדם & בר אנוש opponi ſolere τῷ בן איש, per quem hominem, a parentibus robore ac gloria conſpicuis natum, intelligi cenſent ex collatione Pſ. XLIX, 3. LXII, 10. Quare בר אנוש & בן אדם deſignaret hominem *vilis* admodum *ſortis*, imo hominem miſerum, fragilem, contemtum, miſeriarum mole onuſtum, collato Job. XXV, 6. Pſ. VIII, 5. Quare LXX. in loco Pſ. XLIX, 3. בני אדם per γῆ γενεῖς *terra natos* reddunt i. e. *plebem*, quæ Judæis עם הארץ appellari ſolet. Et Gen. VI, 2. ubi *filii Dei* & *filiæ hominum* opponuntur, Hebræorum Scholiaſtæ per בני אלהים intelligunt *Principum filios*, vel ut SYMMACH. vertit υἱὲς τῶν δυναςευόντων, & per *filias hominum* ſervas atque *ancillas*. *Contemtus* ergo homo erat Meſſias, Judæis ſcandalum & Græcis ſtultitia 1 Cor. I, 23. utpote qui μορφὴν Δέλε aſſumſerat Phil. II, 7. frater noſter factus, tentatus fuit in omnibus Heb. IV, 15. qui per paſſiones humiliatus, vermis non homo futurus Pſ. XXII, 7. qua Mediator omnes noſtras in ſe ſuſcipiens infirmitates factus erat vir dolorum Jeſ. LIII, 4. 10. Contemtus & abjectiſſimus virorum, doloribus undique affectus. Com. 3.

3. Licet ergo abjectiſſimæ ſortis hominem hæc phraſis deſignet, nihilominus tamen, ſi emphaſin vocum conſideremus in alia relatione ſimul tamen hominem *præ aliis conſpicuum* atque notandum innuit, qui duplici quaſi articulo notatus, Ὁ υἱὸς ΤΟΥ ἀνθρώπε, ſupra ſortem reliquorum hominum elevatur, & cui utraque vox *tum* υἱὸς *tum* ἄνθρωπος ſingulari cum emphaſi competit. Eſt enim *filius* ille nobis datus Jeſ. IX, 5. בר filius ille, quem oſculari oportet vera fide Pſ. II, 12. adde Heb. V, 8. quæ loca nomen hoc ipſi qua Deo ſeu Immanueli vindicant. Eſt quoque האדם *ille homo* Pſ. VIII, 5. ἄνθρωπος Ἰησῦς 1 Tim. II, 5. Quemadmodum etiam multi Gen. VIII, 12. per האדם, *propter quem* Deus terram non amplius erat perditurus, Meſſiam cum Cl. *Rambachio*

chio intelligunt. Quare egregiam *Mediatoris* atque *Immanuelis* in hac phraſi deſcriptionem deprehendimus.

4. Hominem quoque *Maſculum* innui ex eo contendimus, quia non זרע proles, ſoboles, ſed בן & בר appellatur i. e. *proles maſcula*. Apoc. XII, 5. Jeſ. IX, 5. Præfigurabatur per *ſacerdotes* V.T. quorum *maſculi* ſolum filii ad munus ſacrum apti declarabantur, quum apud gentes reliquas etiam fœminea ſæpe proles adhibita fuerit, ut ex monumentis antiquis conſtat. Sacrificia quoque *maſcula* ad aram Jehovæ adducenda huc refert Cel. VOGET *in orat. de natatilibus ad aram* יי *non factis*; verum in ſacrificiis etiam proles fœminea non ex columbis ſolum ſed & armentis admittebatur, veluti exemplum *vaccæ rufæ* docet. Potius huc referendi *Reges*, quorum *maſcula* proles regni hæres plerumque conſtituebatur, & non niſi deficiente illa, fœmina admittebatur. Meſſias quoque *maſculus* erat filius, magnanimus ille heros, robore ac fortitudine pollens. Jeſ. LXIII, 1-6. Pſ. XLV, 4. Sacerdos ille altiſſimi ex ordine Melchiſedeci Pſ. CX, 4. Zach. VI, 13. Hebr. V, 10. VIII, 1. qui conſummatus ſalutis noſtræ Dux exiſtit, Heb. II, 10. & unico ſacrificio omnia conſummavit Cap. X, 14. Robuſtus ille, qui robuſtum fortitudine pollens majori ſuperavit Jeſ. XLIX, 20. 26.

5. Novum ex hac phraſi ſenſum detegemus, ſi conſideremus eum vocari *filium* τȣ͂ ἀνθρώπȣ *hominis* cujusdam *inſignis*, adeoque e *ſtirpe* præ aliis notanda, oriundum. Filius enim erat primi hominis τȣ͂ אדם κατ᾽ ἐξοχὴν dicti, quare *ſecundus Adam* appellatur, & quemadmodum ille πρῶτος Ἀδὰμ & πρῶτος ἄνθρωπος audit, ita Chriſtus ἔσχατος Ἀδὰμ & ὁ δεύτερος ἄνθρωπος. 1 Cor. XV, 45-47. Ille radix erat familiæ hominum corruptæ, hic radix familiæ ſanctæ & regenitæ Rom. V, 18. 19. Erat inſuper *filius* τȣ͂ *Abraham*, qui אב רם pater excelſus ſeu *excelſi* ſc. Immanuelis quoque futurus, ſeminis illius benedicti Gen. XXII, 18. Atque dein nomen אברהם addito ה ex nomine יהוה, ipſi datum cenſent Interpretes, quia Immanuel יהוה ex ſemine ejus procreandus erat. Erat denique filius *Davidis*, adeoque ex regia ſtirpe ortus, quo nomine ſæpius gaudet Meſſias 2 Sam VII, 19. Rom. I, 3. Matth. XII, 23. cap. XXII, 44. cap. XXI, 9. Luc. XX, 41. Optime ergo ſcribit R. BECHAI ad תורה fol. 149. והוא משיח בן דויד שהוצא משבט יהודה מיוחד

מיוחד שבכול שבטים. *Is eſt Meſſias*, filius David, *qui orietur ex tribu Juda, omnium tribuum maxime inſigni.*

6. Aliam adhuc in hac phraſi emphaſin latere animadvertemus, ſi conſideremus, quod υἱὸς non ἀνθρώπων ſed ἀνθρώπȣ quaſi *unius hominis* proles vocetur. Non enim ſecundum ordinarias naturæ leges duorum hominum ope natus eſt, ſed ex *uno homine* ſc. matre, modo extraordinario per virtutem Spiritus S. progenitus eſt Luc. I, 35. *Surculus ex terra* appellatur Jeſ. IV, 4. quaſi antitypus Adami primi quem ex γῇ παρθένῳ progenitum docent Judæorum magiſtri, veluti obſervat Doctiſſ. SNABEL. *in diſſ. de Adamo typo Chriſti*, quæ recuſa in *Amœnitat. Theol. Embl.* eſt.

7. Typum denique hac denominatione Servator implet *Ezechielis* atque *Danielis*, Prophetarum in captivitate populi Dei inſignium, qui uterque hoc titulo בן אדם inſignitur. Quomodo prioris Prophetæ antitypus fuerit Meſſias, pluribus exſequitur Cel. WALTER in *diſſ. de Ezechiele* βιβλιοφαγ. *p. 13. ſq.* conf. loca Ezech. II, 1. III, 3. XXXIII, 2. 12. Dan. VIII, 17. Cauſam cur Ezechiel Danielque ſoli inter Prophetas hoc titulo tanquam Meſſiæ typi fuerint inſigniti, addunt viri docti, præprimis Cel. VOGET. l. c. quoniam alter e ſacerdotali Ezech. I, 3. alter e regia ſtirpe prognatus Dan. I, 3. commode Meſſiam *ſacerdotem* ſimul atque *Regem* delineare typo ſuo poterant. Et quum uterque in captivitate populi Dei quaſi fulcra exſtitere, futuri *Redemtoris* ex captivitate typum gerere apte poterant. Optime ergo ORIGENES hanc in rem ſcribit in *caten. ad Cap. II. Ezech.* Συνεχέςατα μὲν καὶ δι' ὅλης προφητείας τὸ, υἱὲ ἀνθρώπȣ, λέγεται πρὸς τὸν Ιεζεκιὴλ, σπανιώτερον δὲ πρὸς τὸν Δανιὴλ, ὧν ἑκάτερος ἐν τῇ αἰχμαλωσίᾳ τύπος ἦν τȣ̃ πρὸς τȣ̀ς αἰχμαλώτȣς ἡμᾶς ἐξεληλυθότος Ἰησȣ̃ τȣ̃ Σωτῆρος ἡμῶν. *Frequentiſſime per totam prophetiam compellatur Ezechiel illa voce Fili hominis, rarius autem Daniel. Quorum uterque in captivitate figura erat ejus, qui ad nos captivos venit Jeſus Salvator noſter.* Vide POSSINI *Spicileg. Evang. §. 32. p. m. 75.*

Non autem primaria hujus denominationis cauſa eſt humilitas Salvatoris noſtri, ſed uti ex ſeria harum rationum conſideratione ſponte liquet, *munus ipſius Mediatoris* depingitur, veluti Salvator non obſcure

 Joh.

Joh. V, 27. innuit, dicens judicium ſibi a Patre eſſe traditum, quia eſſet *Filius hominis* i. e. *Mediator.*

XXIV. Huic ergo competit καθίσαι ἐν θρόνῳ δόξης. Quid *ſedere in throno* in genere deſignet, ſupra §. V. latius docuimus. Obſervamus autem heic non abſque graviſſima ratione Salvatori θρόνον δόξης tribui. Emphaſi hujus denominationis minime ſatisfaciunt illi, qui *thronum* in nubibus *glorioſum* atque ſplendidum intelligunt. Non enim thronum auro gemmisque ſplendidum, nec ſola luce radiantem, ſed majeſtatem Mediatoris noſtri ſplendidiſſimam ac ſummam intelligere fas eſt, id quod ex ſuperioribus manifeſto ſatis liquet.

Per θρόνον δόξης autem alludere videtur Salvator ad *thronum majeſtatis*, quem in *adyto* ſanctiſſimo *inter Cherubinos* erexerat Jehova, in quo כבוד יהוה ſc. in *nube & igne* conſpicua erat. Quoniam ergo כבוד יהוה i. e. δόξα κυρίου ſuper hoc throno reſidebat Exod. XL, 34. 35. 2 Chron. V, 13. 1 Reg. VIII, 10. 11. optime θρόνος δόξης כסא כבוד audit. Jer. XVII, 12. Præcipue quoniam in hac *columna* Angelus fœderis apparebat, qui vere eſt כבוד יהוה, unde R. BECHAI ad תורה fol. 9. ſcribit: השליח הזה הוא כבוד הנקרא שכינה *Legatus hic eſt gloria, quæ vocatur Schechina.* Quare ſanctuarium Pſ. XXVI, 8. מקום משכן כבודך τόπος σκηνώματος δόξης. Arca quoque fœderis & propitiatorium θρόνος χάριτος appellatur Hebr. IV, 16. Hæc eſt ratio cur Θεανθρώπῳ in ſacris cum alluſione ad Cherubim vel arcam atque propitiatorium *thronus* tribuitur. Huc refer phraſin ישב על הכרובים *ſedere ſuper Cherubim*, tanquam in throno Pſalm. LXXX, 1. quem locum alibi latius excutimus p). Conf. inſuper loca Exod. XXV, 27. Num. VII, 89. 1 Sam. IV, 4. 2 Sam. VI, 2. 2 Reg. XIX. 15. Pſ. XCIX, 1. Eodem alluditur Jeſ. VI, 1-3. ubi Jehova filius in viſione prophetica apparet *ſedens in ſolio excelſo*, *fimbriis ipſius implentibus templum.* Heic etenim Angelus fœderis concipitur *nube gloriæ* circumdatus, tanquam *veſte* regiæ majeſtatis, cujus fimbriæ latiſſimæ thronum & ſanctuarium implebant; uti de *nube* gloriæ legitur, quod *impleverit* Sanctum SS. 1. Reg. VIII, 10. 11. Huc itidem refero locum *Ezech. I, 26. 27.* ubi *thronum* obſervamus, cujus ſpecies erat *lapidis* quaſi

Sap-

p) Vide *Emblem. noſtr. ſacr. V. & N. T. Tom. II. Lib. III. Exerc. IV. p. 86. ſq.*

Sapphirini, cui inſidebat *ſpecies hominis*, qui una cum throno undiquaque quaſi *igne* & *ſplendore lucis* cingebatur ſurſum atque deorſum. En ergo hoc denuo loco tibi repræſentatum *Angelum fœderis* in *propitiatorio*, *amictum* nubis & ignis columna lucida, & confer Ezech. X, 1. Addimus locum *Dan. VII*, 9. ubi *thronus* cum *rotis* quaſi *igneis* ſcintillis & flammarum ignibus rutilans, conſpicitur a Propheta. Ubi eadem occurrit alluſio ad *arcam fœderis*, quæ non ſolum ut *thronus* ſed & *currus* Dei conſideratur in ſacris, & veriſimiliter *rotis* inſtructa erat. His addo locum *Zach. VI*, 13. ubi Meſſiæ thronus in templo tum ſacerdotalis tum regius tribuitur, eſt enim thronus Ducis ſalutis noſtræ conſummati. Nec non Pſ. XCVII, 2. quando *baſis throni* divini *juſtitia & judicium* vocatur, & *nubes* cum *caligine* inſidentem ſolio cingere dicitur, Angelus quoque fœderis in nube ſuper arcam apparens Lev. XVI, 2. deſignatur. Idem in mentem nobis revocamus, quando *Pſalm. XLVII*, 9. Deum fœderis inſidere על כסא קדשו *ſolio ſanctuarii* ſ. ſanctitatis legimus, quoniam ex throno adyti ſanctitatis ſuæ radios ſæpius manifeſtare ſolebat Sanctus ille Iſraelis Jeſ. XII, 6. Jeſ. VI, 3. Lev. X, 3. Eandem alluſionem obſervabis in *Apocalypſi* Johannis Cap. IV. V. VII. XII. XXI. XXII. quando toties *thronus Dei & Agni* deſcribitur, phraſibus ab arca & propitiatorio deſumtis, uti alibi oſtendimus q).

XXV. Intelligimus autem per hunc δόξης thronum ſenſu myſtico non *locum* aliquem glorioſum & ſplendidum, veluti cœlum, qui *thronus* etiam Dei appellatur Jeſ. LXVI, 1. Matth. V, 34. Quemadmodum apud gentes quoque alias *cœlum* hoc titulo inſignitur. Euripidi ἕδος Διὸς πολύαςρον, atque *Theocrito* ζανὸς θρόνος *Jovis thronus* appellatur, quod varii ad Matth. V. Interpretes obſervarunt. Verum *thronus gloriæ*, quem ſibi filius hominis tribuit, *regnum ipſius glorioſum* cum inſigni majeſtate conjunctum, hoc loco deſignat. Ipſi Judæorum Magiſtri teſtantur, ſymbolo throni *regnum & poteſtatem Dei* deſignari. De throno ſcribit MAIMONID. *mor. neboch. P. I. c. 9.* הו אות עצמתו וגדולתו אשר אין צריך שיחצוב דבר חוץ מעצמו, *per illum intelligitur ipſa Dei potentia vel robur & magnificentia, quæ non exiſtimanda ſunt eſſe*

q) Confer quæ in *meditationibus noſtris* vernac. *de Cœlo atque inferno p. 344. & 459. notavimus.*

eſſe aliquid extra ipſius eſſentiam. Similiter ex Patribus ſcribit CHRYSOSTOM. *homil. XVII. Tom. VII.* Θρόνον ὅταν ἀκέσῃς τῦ Θεῦ, θεοπρεπῶς νοητέον θρόνον, τῦτ᾽ ἐστιν ἐξυσίαν, βασιλείαν, κυριότητα &c. plura loca excitat SUICER. *in Theſ. Tom. II. p. m. 1409.* Quare duplicem quoque Deo thronum ſc. judicii & miſericordiæ tribuunt Judæi in *Avod. Zar. c. 1.* כיון שרואה העולם כולו מתחייב ברין עומר מעל מסא הרין ויושב על כסא רחמים *Quando videt totum mundum damnabilem eſſe in judicio, ſurgens a throno judicii conſidet in throno miſericordiæ.* Quoniam ſc. utraque virtus *juſtitia & miſericordia ex regimine* Dei emicat & in eodem exſeritur. Eandem ob rationem Deus in Alcorano toties رب الاعرش *Deus throni* appellatur r), utpote cui poteſtas competit & dominium.

XXVI. Sedet ergo filius hominis in *throno gloriæ* 1) qua *Rex glorioſus*, qui majeſtate ac gloria omnes hujus ſeculi Reges & Principes longe ſuperans, βασιλεὺς βασιλέων καὶ κύριος κυρίων appellatur Apoc. XIX, 16. μόνος δυνάστης ſummus & ſolus Monarcha cœli terræque, βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριευόντων 1 Tim. VI, 15. qui minor quidem per exinanitionem Angelis factus, ſed gloria deinceps ac majeſtate coronatus eſt per exaltationem Pſ. VIII, 6. & conſtitutus caput totius Eccleſiæ Eph. I, 19. 20. ornatus nomine, in quo omnia eorum, qui in cœlis, terra atque inferis exiſtunt, genua flectenda ſunt. Phil. II, 10. qui gloria ſua totam tellurem adimplet. Jeſ. VI, 3.

2) Sedet in *throno gloriæ* tanquam *Judex glorioſus*, qui thronum judicii occupat igne ſanctitatis atque juſtitiæ rutilantem. Dan. VII, 9. 10. 13. cujus throni baſis eſt judicium atque juſtitia Pſ. XCVII, 2. *Non judi-*

r) Singularis quoque locus eſt, quem ex *Midraſch Jalkuth Rubeni* de throno gloriæ divinæ adducit Cel. MILL. *in diſſ. ſel. p. 347.* ראיתי רגיון נהר של אש שיוצא מלפני הקב״ה מתחת כסא הכבוד והוא עשוי מזיעת החיות שסבולים הכסא ומזיעים אש מאימתו של הקב״ה *Videbam Region fluvium ignis, qui coram Deo benedicto ſub throno gloriæ oritur, originemque habet e ſudore ſanctorum animalium i. e. Angelorum, Dei thronum bajulantium, qui præ timore Dei ſudorem ſudant igni ſimilem.* Et paulo poſt *aquam niveam* ſub throno ponunt, quæ confer cum Apoc. XXII, 1. *fluvio cryſtallino* e throno Dei prodeunte, & cum phænomeno præſentiæ divinæ ſub V. T. ſcil. columna Nubis & Ignis.

judicat ille ad aſpectum oculorum nec ad auditum aurium; ſed juſtitiam conſtituit cingulum lumborum & fidem cinctum femorum ſuorum Jeſ. XI, 3-5. Non ſolum enim aliquando in die judicii poſtremo throno glorioſo quaſi in nubibus formato inſidebit, atque tanquam judex glorioſus in oculis totius mundi conſpicuus apparebit. Matth. XXV, 31. Sed & per omnia judicia, quæ in Eccleſiæ N. T. regimine, præcipue contra veritatis hoſtes exſequitur, gloriam atque ſummam majeſtatem ſimul exſerit. Apoc. XI, 17. 18. Apoc. XIV, 7. Cap. XV, 3. 4.

3) Sedet inſuper in throno gloriæ tanquam *Doctor glorioſus*. Non enim docet hic Propheta magnus, a Deo immediate excitatus, inſtar Phariſæorum atque ſcribarum in *cathedra Moſis* ſedentium, ſed cum ſingulari *δυνάμει* atque efficacia, quæ nulli unquam homini mortali in terris conceſſa fuit. Joh. VII. 28. 29. Stupendis hic Doctor glorioſus miraculis effata ſua ſtabilivit, quibus ſe eſſe illum *Prophetam* vere *magnum*, a Moſe promiſſum, Deut. XVIII, 18. confirmavit. Qui in ſinu Patris ſui edoctus myſteria abſcondita revelavit Joh. I, 18. & cujus doctrina cœleſtis per omnia N. T. ſecula ſingularem in animabus convertendis *ἐνέργειαν*, ad gloriam Regis Meſſiæ & Ducis ſalutis noſtræ, erat manifeſtatura. Rom. I, 16. Act. II, 27. Heb. IV, 12. Jeſ. LIX, 21. Et tanquam Summus Pontifex in ſolio ſuo ſedet Zach. VI, 12. qui אורים ותמים Sapientiæ cœleſtis in pectore gerit, illisque tum doctores tum credentes illuminat. 2 Cor. IV, 4. 5. Deut. XXXIII, 8.

4.) Sedet denique in throno Gloriæ tanquam *Θεάνθρωπος glorioſus*, & *filius Dei*, qui vi naturæ ſuæ divinam poſſidet majeſtatem, nec ut rapinam eam ducat, opus habet. Phil. II, 6. Thronus quippe divinæ majeſtatis Patris, ipſius quoque thronus eſt, ſimulque cum Patre eundem occupat. Apoc. III, 21. V, 1. 6. 7. quoniam eſt *ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως αὐτῦ* Hebr. I, 3. quare etiam Filium eodem honore & cultu devenerari oportet, quo Patrem proſequimur Joh. V, 23. ita ut tota tellus Eccleſiæ adimpleatur gloria & majeſtate inſidentium throno gloriæ Jeſ. VI, 3.

XXVII. Supereſt ut verbo implementum largiſſimæ hujus promiſſionis attingamus, id quod in notabiliori & quidem quadruplici *παλιγγενεσίᾳ* Eccleſiæ N. T. deprehendemus.

I. In *prima* Eccleſiæ παλιγγενεσίας, quæ per aſcenſionem Chriſti in cœlos & ſeſſionem ad dextram Patris confirmata eſt, Apoſtoli *ſederunt in thronis XII. judicantes XII. tribus Iſrael.* Quando ſc. poſt effuſionem Spiritus S. robore ex alto induti, qua DOCTORES publici doctrinam Evangelii annuntiarunt omni creaturæ Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 20. Matth. XXIV, 14. & doctrina ipſorum non in Judæa ſolum atque Samaria, ſed & in Tyro, Phœnicia, Syria, Arabia, reliquisque orbis habitabilis partibus divulgata eſt. conf. Act. XI, 19. Cap. IX, 36. XIII. 1-3. XXI, 3. Gal. I, 17. Act. XIV, 4-7. 19. 23. Cap. XVI, 1-3. XXI, 16. XVIII, 23. adde EUSEB. *hiſt. Eccl. Lib. II. cap. 16.* primitias implementi manifeſti deprehendimus in præconio Petri & Apoſtolorum, quod in die Pentecoſtes coram Elamitis, Phrygiis, incolisque Europæ, Aſiæ atque Africæ in hoc feſto congregatis inſtituebant, Act. II, 5. 9-11.

Apoſtoli quoque REGES conſtituti myſtici atque Principes Regis Regum, hinc Pſ. LXVIII, 28. *principes* Zebulon, principes Naphtali & Judæ appellantur, qui ſceptro veritatis Evangelicæ, quod ex Zione erat proditurum Pſ. CX, 2. varios populos ſubjugabant atque obedientiæ fidei ſubjiciebant. 2 Cor. X, 5. 6. regnoque Satanæ ejusque inſtrumentis arma inferebant. Gal. II, 5. dominaturi ſemini ſerpentis & draconi infernali. Marc. XVI, 17.

JUDICES denique erant XII. tribuum Iſraelis, præcipue regno Chriſti adverſantium, quibus judicia graviſſima nomine Judicis ſupremi annuntiabant atque in perduratos ac rebelles derivabant, confer Act. VII, 51-54. Cap. XIII, 46-52. Cap. II, 19. 20. Rom. XI, 8. Pſ. L, 1. 2. Matth. XXII, 7. Cap. XXIII, 35. *Judices* quoque doctrinæ reſpectu credentium ex Judæis ſeſe demonſtrarunt in concilio Hieroſolymitano Apoſtoli Act. XV, 22. 25. 28. quare omnes Apoſtolicæ doctrinæ, inſtar unicæ normæ, conſtanter tenaces exſtitere Act. II, 46. quemadmodum etiam *portæ Hieroſolymæ novæ* (in quibus judices ſedere olim ſolebant) ex *XII. margaritis* conſtare dicuntur Apoc. XXI, 21. quia doctrina Apoſtolica unica civium illius norma & regula futura erat. Gal. VI, 16.

XXVIII. II. Quum vero poſt mortem Apoſtolorum virorumque Apoſtolicorum Eccleſia in doctrina æque ac moribus non ſolum per acceſſionem plurimarum *gentium*, quæ externa ſolum profeſſione doctri-

nam

nam Apoſtolorum amplexabantur; Sed & per ortum *Antichriſti* ejusque aſſeclarum, mire & miſere corrupta eſſet, nova per Dei providentiam ipſius oriebatur παλιγγενεσία, dum doctrina Eccleſiæ fundamentalis de juſtificatione peccatoris per dogmata profana de purgatorio, ſatisfactionibus humanis, indulgentiis, interceſſionibus ſanctorum &c. prorſus enervata, ad *Apoſtolicæ doctrinæ* normam reformaretur, adeoque Apoſtolorum *thronus* & cathedra in Eccleſia denuo erigeretur, per reſtaurationem doctrinæ purioris apoſtolicæ & abrogationem dogmatum humanorum. Tum *thronum judicii* denuo occupabant Apoſtoli, quando convicti tot meretricis illius magnæ aſſeclæ, & pudore ſuffuſi, veritati cedere cogebantur, unde ex ipſo Papatu teſtes veritatis apoſtolicæ, qui eam juſtificarunt, ſurrexere, ut ex WOLF. *in Lect. Memorab. p. II.* aliisque conſtat. Reliqui autem, qui blasphemias doctrinæ apoſtolicæ dixere indurati, judiciis ſæpe horrendis & manifeſtis a Deo obruti ſunt & abſorpti Apoc. VI, 12. 15. XVI, 10. XIV, 8. exempla quoque horrenda memorat *Wolf. l. c.* & PLATINA *de vitis Pontif.* paſſim. Tum *thronum dominii* conſcenderunt quaſi denuo Apoſtoli, victores triumphantes cum Agno conſtituti in monte Zion Apoc. XIV, 1-3. XV, 2. XVII, 14. Sic ligatis manibus pedibusque projectus eſt foras homo nuptiali *juſtitiæ Chriſti* veſte haud indutus Matth. XXII, 11. Sic Reges & principes Antichriſtianiſmi iram Dei experti, fugere a facie Domini, & Eccleſiam Apoſtolicæ doctrinæ tenacem perſequi amplius non potuerunt. Apoc. XVI, 15-17. ſic in *lectum* projecta meretrix nec dominari nec ſeducere amplius potuit confeſſores Apoc. II, 22. Atque hac ratione mores quoque corrupti abrogati, veritatis Apoſtolicæ ἐνέργεια reſtituta & manifeſtata eſt publice in Eccleſia. Id quod concilia *Baſileenſe*, *Conſtantienſe*, *Piſanum* & reliqua dudum expetiverant.

XXIX. III. Quum vero ſuccedentibus ſeculis primus veritatis Apoſtolicæ amor ejusque conſervandæ pius fervor, per varia ſchiſmata & ſectas in Eccleſia Proteſtantium ortas, denuo ceſſaſſet, & Eccleſiæ membra plurima quoad nomen tantum mortem Antichriſtianiſmi effugiſſent, reapſe tamen mortua eſſent. Apoc. III, 1. 2. Eccleſiæ nova παλιγγενεσία requirebatur, quam exſpectamus ultimis N. T. temporibus, quando *novum* illud *cœlum*, *terraque nova* conſpicua apparebit Jeſ. LXV, 17.

 Apoc.

Apoc. XXI, 1. & novæ Hieroſolymæ gloria ac ſplendor in Eccleſia ſeſe manifeſtabit. Tum denuo Apoſtoli *thronos XII.* adſcendent, *Doctores* publici Eccleſiæ denuo & univerſales futuri, quia exſtirpatis omnibus hæreſibus, ſectis atque erroribus, ſola doctrina Apoſtolica fidei Eccleſiæ atque ſcientiæ fundamentum erit unicum Jeſ. LIV, 11. Portæ enim novæ Hieroſolymæ *ex XII. margaritis* exſtructæ Apoc. XXI, 21. aditum in Eccleſiam, per ſolam fidem in doctrinam XII. Apoſtolorum, patere docent. Sic *duo teſtes* reviviſcent Apoc XI, 11. 12. *Judices* quoque Eccleſiæ tunc futuri Apoſtoli, quod non ſolum portæ XII. Hieroſol. novæ ſimul innuunt, ſed & *fundamenta XII.* hujus urbis, quæ inſignita erunt *XII. nominibus* Apoſtolorum Apoc. XXI, 14. Tunc lites Eccleſiæ omnes ceſſabunt, quia Jehova unicus erit judex, nullæ ſectæ veritatis Apoſtolicæ ſtudium deturpabunt. conf. Zach. XIV, 20. 21. Apoc. XXI, 27. XXII, 15. Joel. III, 17. Sic denique *Reges* futuri Apoſtoli, quia ultimis temporibus omnes terræ habitabilis *Reges* ipſorum doctrinæ & ſceptro ſeſe ſubjicient, gloriamque ſuam in novas Hieroſolymas inferent Apoc. XXI, 24. Jeſ. LXVI, 12. Sic procident omnes hoc ſceptrum adoraturi atque exoſculaturi. Jeſ. XLIX, 23. LX, 10. 11. 14. omneſque gentes humeris unitis uni Domino ſervient, qui annuntiabitur ipſis labiis puris Zephan. III, 9.

XXX. Conſummabitur IV. hæc Apoſtolorum gloria in ultima Eccleſiæ παλιγγενεσίᾳ ſc. ſtatu illius triumphante in ſeculo futuro. Tum *ſedebunt Apoſtoli* in thronis, rutilabunt inſtar fulgoris cœli Doctores, qui multos ad juſtitiam Chriſti æternam adduxerunt Dan. XII, 3. tanquam *ſtellæ* gloria ſua ac majeſtate reliquos Doctores ſuperantes. 1 Cor. XV, 41. 42. Ipſorum doctrina norma erit *judicii* univerſalis, uti ſupra ex Rom. II, 16. 2 Theſſ. I, 7. 8. docuimus. Tunc *Reges* ſedebunt cum Chriſto in throno, ſuperatis omnibus hoſtibus Apoc. III, 21. 22. ejusdem cum ipſo regni Matth. XXV, 34. & gloriæ participes æternum. Joh. XVII, 24. XII. 26. XIV, 3. 1 Joh. III, 2. atque ita cum Chriſto, tanquam nomen ejus *in fronte gerentes, regnabunt in ſecula ſeculorum.*

Apoc. XXII, 4. 5.

F I N I S.

EXER-

EXERCITATIO
DE
GLORIA MESSIÆ
IN VISIONE PROPHETICA.
JESA. VI, 1-4.
demonſtrata.

ARGUMENTUM.

Scopus viſionis hujus breviſſime, ejusque Interpretes indicantur §. I. Alluſio ad Sanctuarium antiquum detegitur §. II. In viſionis explicatione ipſa, throni *emblema excutitur §. III. cur illi* inſidere *dicatur Jehova, docetur §. IV. Veſtium Regis myſticarum ſplendor explicatur, obſervando alluſionem ad columnam Nubis & Ignis §. V. emblema illud propius examinando, & quid per* fimbrias *intelligatur, indicando §. VI. VII. Quomodo hæ templum adimpleviſſe dicantur §. VIII. Deſcribuntur porro ſatellites hujus Regis, ubi per SERAPHIM non angelos ſed præcones Evangelii intelligendos eſſe probatur §. IX. illosque vere dici poſſe* שרפים accenſos *&* lucentes *§. X. oſtenditur. Attributa τῶν Seraphim evolvuntur, ſc. quare dicantur* ſtantes ממעלו *i. e.* juxta ipſum, *ubi emblema τȣ̃* ſtare *ex ſacris & profanis monumentis enucleatur §. XI. Porro cur* alis *inſtructi appareant, & quid illæ depingant? §. XII. Quid τὸ* tegere faciem binis *alis? §. XIII. atque* tegere pedes *iisdem §. XIV. & denique τὸ volare alis innuat, §. XV. exponitur. Pergimus ad explicationem præconii τῶν Seraphim, ubi quid* clamor mutuus *ſignificet? §. XVI. quid pronuntiatio τȣ̃ τρισαγίȣ* illius קודש קודש קודש *deſignet? §. XVII. Quid phraſis* כל הארץ מלא כבודו *innuat? §. XVIII. proponitur. Paucis denique ſequelæ tum clamoris τῶν Seraphim, tum gloriæ Meſſiæ conſiderantur, ſc. quid* poſtes *commovendi clamore, ſenſu hieroglyphico dicant §. XIX. Quid* fumus, *quo* domus *implenda dici-*

tur, ſignificet? §. *XX. Implementum viſionis hujus propheticæ in exaltatione Meſſiæ & inchoata Oeconomia N. T. quærendum eſſe, breviſſime indicatur* §. *XXI. Et epilogo morali finis huic Exercitationi imponitur* §. *XXII.*

I.

Quamvis non deſint inter Eruditos, qui viſionem hanc propheticam Jeſ. VI, 1-4. ſingulari cum ἀκριβείᾳ excuſſerunt, veluti præter Cel. VITRINGAM *in Comm. ad h. l.* eminent Cl. WITSIUS *in Miſcell. S. T. II. Exerc. I.* & MARCKIUS *in Diſſert. ad ſel. loc. V. T. Exerc. XIV. p. 440. ſq.* Nihilo tamen ſecius ſpicilegium quoddam in eadem mihi relictum eſſe putavi. Præcipue quum in eruendo variorum in hac Viſione adhibitorum emblematum ſenſu ſublimiore adhuc varia meſſis ſuperſtes exiſtat.

Conſentiunt omnes fere Interpretes, deſcribi hac viſione futuram gloriæ Meſſiæ in Oeconomia N. T. demonſtrationem, quod erudite atque more ſuo, ſolide ſatis probat Cel. VITRINGA; atque ex hoc unico argumento herculeo contra omnia contrarium ſentientium molimina confirmari poterit, quod Spiritus S. hac de re teſtimonium habeamus infallibile Joh. XII, 41. quando *Meſſiæ gloriam* Vati eſſe in viſione exhibitam Apoſtolus pronuntiat, ubi per αὐτὸν, qui Comm. 41. memoratur, eundem intelligendum eſſe, qui *Comm. ſeq. 42.* αὐτὸς, in quem credebant nonnulli ἄρχοντες, deſcribitur, contextus aperte confirmat. Quare per אדני Prophetæ apparentem in ſpecie *Filium Dei*, Meſſiam, intelligendum eſſe, ultro patet; qui אדני cum emphaſi appellatur Mal. III, 1. quia caput, fundamentum & lapis angularis Eccleſiæ N. T. exiſtit, & Pater per Filium cooperante Spiritu S. Oeconomiam N. T. diſpenſat. Quare non opus eſt, ut diu diſputemus, an heic Deus Triunus, an vero Pater, an Filius ſit intelligendus? quum Pater per Filium regnet; quare Meſſias qua Θεάνθρωπος heic in throno conſpicitur & præciſe per אדני intelligitur, ita tamen ut duæ reliquæ perſonæ non excludantur, quamvis in viſione hac ſub ſpeciali ſymbolo non repræſententur. De charactere temporis, ſc. *anno, quo mortuus eſt Uzias*, nihil dicemus, quum

quum Cel. *Vitringa & Witſius* ll. cc. illum curate ſatis examinaverint, rationesque ſolidas, cur præciſe hoc loco memoretur, expoſuerint.

II. Quod ergo ad viſionem ipſam attinet, conſiderabimus *tum* gloriam Regis Meſſiæ *Comm. 1. tum* ſatellites atque eorum zelum *Comm. 2. 3. tum* denique effectus, atque ſequelas notabiles. *Comm. 4.*

A. De Gloria Regis Meſſiæ teſtatur Vates *Comm. 1.* אראה את אדני ישב על כסא רם ונשא ושוליו מלאים את ההיכל *Conſpiciebam Dominum ſedentem in ſolio excelſo & elato, ipſiusque fimbriæ adimplebant ædem.* Diximus in exercitatione noſtra de *habitante ſuper cherubim* §. *XV.* in *Emblem. ſacr. Part. III. Exerc. IV. p. 109.* viſionis hujus ſymbola deſumta eſſe ex ſanctuario V. T. atque throno Dei viſibili, in adyto templi erecto, ubi per *columnam nubis & ignis* (quæ inſtar *veſtis glorioſæ regiæ* conſideratur) ſuper operculo propitiatorii, adſtantibus *duobus cherubinis*, reſidebat, tanquam in throno regio. Phraſes autem atque ſcenam hujus viſionis illuc eſſe referendas, patet; *tum* ex eo, quod thronus hic conſpiciatur in æde ſacra ſeu *templo*, per quod adytum interius intelligendum eſſe, infra videbimus; *tum* ex phraſibus reliquis, quando *Seraphim*, (qui iidem cum Cherubim exiſtunt) & *fimbriæ veſtis* ſc. templi aream *implentes* (quibus ad impletum nubis columna adytum 1 Reg. VIII, 10. reſpicitur) & denique *fumus ædem adimplens*, memoratur, qui ad ignis phænomena, ædem replentia, referendus eſt, ut infra docebimus. Præcipue quum per viſibilem illum in ſanctuario Dei thronum non niſi glorioſum Meſſiæ in Eccleſia N. T. regimen delineatum fuiſſe, extra omnem dubitationis aleam ſit poſitum. Quare voce אראה innuitur, non ſolum ſenſibus Prophetæ realiter ejusmodi ſymbola fuiſſe objecta & revera apparuiſſe, verum hanc quoque viſionem eſſe *propheticam*, & futuram gloriæ Meſſiæ in Eccleſia N. F. demonſtrandam deſignaſſe; quum Prophetæ ראים *Videntes* audiant in diptychis ſacris, quoniam per Spiritum prophetiæ futuras res prævidere ſolent.

III. Duplici autem ratione gloria Meſſiæ delineatur, conſiderando throni ipſius excellentiam atque veſtium ejus ornatum magnificum.

א. Prius exprimit Vates, quando ipſum teſtatur ישב על כסא רם ונשא *ſediſſe in throno amplo & excelſo.*

כסא

כסא *thronum* atque ſolium amplum atque magnificum, quale eſt Regum, denotare ſolet; ortum juxta quosdam a rad. כסה *tegere*, trahens, quoniam ſellæ regum olim tapetibus pretioſis tegi ſolebant, ut conjicit FORERIUS *ad h. l.* Deſcribitur autem tanquam רם ונשא amplus & elatus. Vox רם tum amplum & magnificum, tum forma procerum eſſe hoc ſolium innuit, conf. Num. XXIV, 7. Deut. I, 28. Pſ. LXXXIX, 25. Ezech. XXXI, 4. Voce autem addita נשא illum quoque loco quaſi edito atque ſublimi apparuiſſe, innuitur, conf. Jeſ. II, 2. LII, 13. Alluſio ergo deſumta eſt ab *arca fœderis*, ſuper cujus operculo inter Cherubinos *thronus gloriæ* divinæ erectus erat, veluti in *Exerc. præced. de XII. Thronis Apoſtol.* docuimus. *Thronus* autem ille viſibilis typus erat regiminis Eccleſiæ per Filium Dei adminiſtrandi, & quidem tum militantis tum triumphantis. Illud eſt non ϑρόνος ſolum χάριτος verum etiam ϑρόνος μεγαλωσύνης τῆς σκηνῆς ἀληϑινῆς. Heb. IV, 16. Cap. VIII, 1. De *throni* emblemate latius egimus in *Exercit. citat.* docentes thronum *regiæ* dignitatis, poteſtatis porro *judicum* atque *Doctorum* emblema eſſe. Deo *thronum* & quidem *gloriæ* tribui apud Judæos, pluribus docet GRELLOT. *prodr. Apoc. p. 46.* Cl. MILL. *diſſ. ſelect. p. 372.* & WINDET. *de vita funct. ſtatu. p. 126.* qui eſt ſymbolum majeſtatis ac potentiæ divinæ, uti recte inquit MAIMON. *in Mor. Neb p. I. c. 9.* כל מקום נשאר האלוהים ריהי באורו רזהרו במקדש או שמים נקרא כסא *Omnis locus, quem Deus ad manifeſtationem ſplendoris & gloriæ ſuæ deſtinavit, ut cœlum vel ſanctuarium vocatur thronus.* Quoniam autem in adyto templi gloriam ac majeſtatem olim viſibili modo Deus manifeſtabat, *thronus* ejus ibi erectus dicebatur. Jam vero ſub N. T. deſtructo ſanctuario veteri, non in cœlis ſolum, qui eſt thronus gloriæ divinæ Jeſ. LXVI, 1. ſed & in σκηνῇ ἀληϑινῇ Eccleſiæ ſuæ, gloriam & virtutes ſuas manifeſtat Jehova, quare & illa eſt *thronus* ipſius & præcipue Filii Dei Matth. XIX, 28. qui eſt caput & rex Eccleſiæ conſtitutus Eph. I, 20. ſq. quod idem per thronum Dei in propitiatorio, in quo Angelus Fœderis nube amictus apparebat olim, præfiguratum fuit. Jam vero in regimine Eccleſiæ tum juſtitiæ tum gratiæ ſuæ majeſtatem exſerit hoc Caput myſticum, quare thronus ejus eſt *gratiæ* & *juſtitiæ* Jeſ. XVI, 5.

Jer. XXIII, 5. Uti & Judæi in Sanhedr. כסא אחד לדין ואחד לצדקה *thronum alterum judicii alterum miſericordiæ Deo tribuunt.*

IV. Quando proinde Jeſaias Dominum *throno inſidentem* conſpicit; monetur illum eſſe Caput Eccleſiæ ſuæ Θεάνθρωπον, qui primogenitus fratrum factus, poteſtatem dominii conſecutus, atque populum ex omni gente colligendum ſceptro veritatis eſſet gubernaturus Jeſ. XVI, 5. Pſ. CX, 2. 3. atque inſuper hunc eſſe qui *juſtitiæ, clementiæ*, atque reliquarum perfectionum *majeſtatem* in Eccleſiæ regimine publice demonſtraturus eſſet. Reges enim vel *leges daturi*, vel *judicaturi*, vel *majeſtatem* ſpectatoribus & miniſtris manifeſtaturi, ſolia conſcendere ſolebant olim. Idem in Eccleſia N. T. Meſſias exaltatus erat manifeſtaturus. *Legem* novam amoris atque fidei daturus Joh. XIII, 34. Cap. XV, 12, 17. imo cordibus ſubditorum regni inſcripturus erat Jer. XXXI, 33. Hebr. VIII, 10. quare ſedens cernitur tanquam Legislator unicus, qui ſervare & perdere poteſt. Jac. IV, 12. *Judicia* quoque e throno gloriæ ſuæ exſerturus erat in hoſtes regni ſui atque rebelles, quare thronus ipſi igneus tribuitur Dan. VII, 9. 10. non quidem regum terreſtrium more ad aſpectum oculorum, ſed in juſtitia & fidelitate Jeſ. XI, 4. 5. præcipue Judæos rebelles ſceptro roboris contriturus erat. Matth. XXVI, 46. Act. II, 19. 20. Rom. XI, 20. *Majeſtatem* denique atque *gloriam* ſuam, ex hoc regimine Eccleſiæ plenis radiis emicantem, agnituræ erant omnes gentes, quum exaltato ipſi nomen ſupra omne nomen eſſet concedendum, atque in illo omnia in cœlo terraque genua flectenda. Phil. II, 9. 10. & coram ipſius throno procidentes doctores cum reliquis Eccleſiæ membris fulgorem majeſtatis ipſius adoraturi eſſent. Apoc. IV, 9-11. adde Cap. V. tot. Hanc ob cauſam conſpicit Propheta ipſum inſidentem *throno amplo & excelſo*, utpote ut hic diſtinguatur & evehatur ſupra *thronum* externum in ſanctuario V. T. & ſupra omnes *Deorum* gentium thronos, imo thronos denique magnificos *Regum* hujus terræ atque orbis etiam potentiſſimos. Futurus enim erat Βασιλεὺς βασιλέων & Κύριος κυρίων Apoc. XIX, 16. Μόνος ille Δυνάστης Monarcha ſupremus, cujus *thronus* in cœlos usque pertingebat, quia dominio ipſius cœlum terraque ſubjecta erant Jeſ. LXVI, 1. 2. adeoque נשׂא erat *maxime elatus*. Verum & magnificentia, majeſtate & conſtantia thronos reliquos ſupra memoratos infinitum ſuperabat.

V. ב. Altera gloriæ Meſſiæ delineatio in veſtium ipſius ſplendore ſita eſt: ושוליו מלאים את ההיכל *Et fimbriæ ejus adimplebant adytum.* Vocem שולין non cum Interpretibus quibusdam ad *thronum* ejusque baſin, ſed ad *veſtes* inſidentis referamus oportet, quum vox שולים non niſi de veſtium ſyrmate & oris, in ſacris adhibeatur, veluti ex locis Exod. XXVIII, 33.34. Jer. XIII, 22. Thren. I, 9. Nah. III, 5. conſtat; ſæpius enim non legitur in inſtrumento antiquo. Proponitur ergo Meſſias tanquam *Regio pallio* indutus, cujus ſyrmata & oræ latiſſime ſeſe diffundunt. Deſumta autem phraſis eſt a *columna nubis*, in qua apparebat olim inter Cherubim Angelus fœderis, quæ *veſtis* inſtar erat *ſplendidiſſimæ*, qua amiciebatur ille Mediator, & quæ ſe per totum adytum diffundebat. *Columnam* enim nubis ſæpius inſtar *veſtis* in ſcriptis ſacris conſiderari, pluribus jam docuit Cel. LAMP. *in Bibl. Brem. Tom. III. faſc. ult. §. 22. 31. & Th. Haſæus Tom. IV. faſc. VI. p. 1032. ſq.* Ἀσύστατα ergo ſunt, quæ J. PLACEUS & B. LAMY *in tabern.* cogitant de *pallio Pontificis M.* cujus ora tintinnabulis exornata erat, & quod illorum ſono templum quaſi adimplere poterat. Non etenim ut Sacerdos ſed ut Rex ſatellitibus cinctus, & gloriæ majeſtatem e throno erecto manifeſtaturus, proponitur in ſcena hac prophetica; atque ex συναφείᾳ phraſium liquet Spiritum S. in eadem ad thronum V. T. alluſione pergere, cujus certiſſimum habemus τεκμήριον in locis Exod. XL, 34. & 1 Reg. VIII, 10. 11. ubi eadem phraſi de columna nubis declaratur, quod מלא את בית יהוה *impleverit domum Jehovah.*

Vox autem היכל a rad. יכל *valere*, *potens eſſe*, deducta *baſilicam* ſeu *Regiam* quandam deſignat vel palatium regium, uti manifeſtum eſt ex Pſ. XLV, 16. תבאינה בהיכל מלך *introibunt in palatium Regis.* conf. Jeſ. XXXIX, 7. 1 Reg. XXI, 1. &c. Et quoniam Templum ſub V. T. palatium Dei & Regis Iſraelis erat, illud quoque hoc nomine inſigniri ſolet, & quidem in genere ſanctum & adytum ſanctiſſimum, quod poſterius quoque דביר appellatur. Sic Mal. III, 1. quando Dominus ad היכלו templum ſuum venire dicitur, pro templo in genere adhibetur. Kimchi rationem hujus denominationis redditurus ſcribit, templum in אולם היכל & דביר porticum palatium & adytum fuiſſe diviſum, ſed omnes tres partes appellari היכל a majori

ſc. ejus

ſc. ejus parte. Ergo proprie ſanctum, ſed tamen etiam Sanctum Sanctorum ſimul denotare vox hæc commode poteſt, quo ſenſu Eſr. V, 14. manifeſto adhibetur, in quo loca vaſa tum Sancti tum adyti, vaſa הכלא Hieroſolymitani appellantur. Non ergo thronus hic concipi poterit in *porticu* erectus, uti conjicit *Cel. Witſius*, vel in atrio extra templi portam, vel ſupra templum quaſi in aëre juxta alios, ſed revera in adyto, ubi thronus Dei viſibilis olim conſpiciebatur a S. Pontifice, hac tamen differentia, ut *fimbriæ* veſtium magnificarum inſidentis non adytum ſolum, ſed & ſanctum impleviſſe cenſeantur, præcipue quum heic velum inter ſanctum & adytum ſublatum eſſe innuatur haud obſcure; ita ut nubes gloriæ & ſanctiſſimum & ſanctum ſimul impleverit.

VI. Hæc de litera, inquiramus hujus rei myſterium. *VESTES* Meſſiæ & quidem *pallium regium*, quale heic intelligi, ex ſuperioribus conſtat, ſymb. exiſtunt *tum* majeſtatis ac gloriæ inſignis, *tum* meritorum ipſius tanquam Θεανθρώπȣ & Mediatoris, quæ per paſſiones acquiſivit.

a. *Gloriæ* & *majeſtatis* divinæ ſymbolum eſſe veſtes, conſtat ex Pſ. XLV, 4. ubi Meſſias הוד והדר *accingere gloriam & majeſtatem* dicitur, ſc. tanquam veſtem Imperatoriam ſeu paludamentum quoddam, quem locum pluribus excutit Cel. LAMP. *in Comm. h. Pſ. 170.* adde Pſ. XCIII, 1. & præcipue Pſ. CIV, 1. 2, ubi הוד והדר לבשת : עטה אור כשלמה *majeſtatem & decus induiſſe, operiens ſe luce inſtar veſtimenti* dicitur Jehova. Quare etiam *Paraphr. Chald.* locum noſtrum reddit ומזין יקרה אתמלי היכלא *& a ſplendore gloriæ ejus impletum eſt templum.* Uti Regibus atque Imperatoribus *veſtes* plerumque ſplendidæ & magnificæ tribui adſolent. Salomoni *Matth. VI, 29.* ubi veſtes ejus δόξα appellantur conf. 2 Reg. X, 25. & Herodi Act. XII, 21. adde locum Eſth. I, 4. de regio ornatu Artaxerxis, de quo JOSEPH. *Lib. XI. antiq. Jud Cap. VI.* teſtatur, quod ſederit ἐπὶ τȣ̃ θρόνȣ, τὸν βασιλικὸν περικείμενος κόσμον, ὃς ἦν ἐκ ποικίλης μὲν ἐσθῆτος, χρυσȣ̃ δὲ καὶ λίθȣ πολυτελȣ̃ς, *in throno, regio indutus ornatu, qui conſtabat ex veſte variegata auro atque gemmis pretioſis.* adde ÆLIAN. *var. hiſt. Lib. I. cap. 22.* ARRIAN. *Lib. IV.* HERODOT. *Lib. VI.* XENOPH. κυροπαιδ. *Lib. VIII.* alioſque, qui ſplendidarum veſtium regiarum mentionem injiciunt. Diis quoque

gen-

gentes *veſtes ſplendidas*, ad gloriam & majeſtatem eorum deſignandam tribuunt. HOMER. *in hymn. de Mercur.*

Πολλὰ δὲ φοινικόεντα καὶ ἄργυφα εἵματα Νύμφης,
Οἷα Θεῶν μακάρων ἱεροὶ δόμοι ἐντὸς ἔχουσιν.
Multæ autem purpureæ & ſplendidæ veſtes Nymphæ,
Quales Deorum beatorum ſacræ domus ſervant.

Veneri ſimiles tribuit idem in hymno; nec non de Luna in hymno de eadem canit:

Εἵματα ἑσσαμένη τηλαυγέα δῖα Σελήνη.
Veſtes induta procul lucentes Diva Luna.

ut alia loca taceam.

b. *Meritorum* quoque atque *juſtitiæ* æternæ per Meſſiam acquiſitæ ſymb. eſſe *pallium*, conſtat ex Pſ. XLV, 9. מר ואהלות קציעות כל בגדתיך. *omnes veſtes tuæ ſunt myrrha, aloë & caſia:* Quoniam odor & fructus meritorum Meſſiæ, tanquam pretioſiſſimum unguentum, in Eccleſia Dei ſe manifeſtaturus erat. Ita מעיל הצדקה *pallium juſtitiæ* memoratur Jeſ. LXI, 10. Et quando Meſſias *alam ſuam* ſupra Eccleſiam expanſurus dicitur, ſæpius ad alam veſtium ipſius i. e. meritorum, reſpicitur, vide Ezech. XVI, 8. quemadmodum in nummis Jupiter ſub ala veſtis clientes ſuos protegens, & clementia expanſis veſtium fimbriis miſeros recipiens, cernitur, vide Cel. LAMP. in *Pſ. XLV. Exerc. VII.* Obſervandum autem heic eſt veſtes Meſſiæ hoc ſenſu adhibitas ſæpius ut veſtes Eccleſiæ quoque conſiderari, *juſtitia* enim ipſius eſt *juſtitia noſtra* Jer. XXIII, 6. quam per fidem ut veſtes candidas induimus, & quibus ipſe nos exornat. Zach. III, 1-5. Ezech. XVI, 10. quare *Chriſtum induiſſe* dicimur. Gal. III, 27. Hinc *fimbrias* ejus *templum* i. e. Eccleſiam *repleviſſe* legimus in loco noſtro, quia fructus juſtitiæ ſuæ communicat Eccleſiæ; quod per *veſtium diviſionem*, quæ poſt peractam crucifixionem peragebatur Joh. XIX, 23. 24. deſignatum quoque fuiſſe, multi Patres & Interpretes recentiores contendunt.

VII. Idem quoque *columna nubis & ignis*, quæ veſtis Meſſiæ throno adyti inſidentis erat, præfigurabat. *Ignis* enim lucens & radios fulgidos exſerens, majeſtatem ac gloriæ divinæ fulgorem in Θεανθρώπῳ noſtro delineabat, quo ſenſu columna hæc כבוד יהוה toties appellatur.

conf.

conf. Dan. VII, 9. 10. *Nubes* autem clementiæ & *donorum gratiæ* ſymbolum exiſtebat, quare Angelus fœderis *nube amictus* & *iridem in capite* gerens apparet. Apoc. X, 1. adeoque nubes merita & juſtitiam Meſſiæ, quæ nos ab æſtu iræ divinæ tegit, deſignare apte poteſt. conf. Jeſ. IV, 4. Pſ. XCI, 4. Mal. IV, 2.

In ſpecie autem *veſtium* emblema adhibetur, quia rationes analogicæ ſunt aptiſſimæ. *Gloria* ac *majeſtas* Meſſiæ *veſti* adſimilatur, *tum*, quia arctiſſimum cum eſſentia ipſius nexum habet, eſt enim ipſe *ἀπαύγασμα τῆς δόξης τȣ͂ Θεȣ͂* Heb. I, 3. & qua Mediator *induit* gloriam ac majeſtatem poſtquam exinanitus eſſet; hoc eſt illud nomen ſupra omne nomen, ita ut in ipſius nomine omnia genua flectantur Phil. II, 9. 10. *tum*, quia per majeſtatem hanc ſeſe diſtinguit ab omnibus Diis dictitiis, dum ipſe rapinæ loco non reputat Deo eſſe æqualem Phil. II, 6. & majeſtate ſua antecellit omnes Reges hujus terræ tanquam *βασιλεὺς τῶν βασιλέων* & Dominus dominantium. 1 Tim. VI, 12. *tum* quia *decus* & *ornamentum* Meſſiæ conſiſtit in gloria ac majeſtate ipſius. Pſ. XXI, 6. Zach. VI, 13. Pſ. XCIII, 1. CIV, 1. cujus fulgor manifeſtus redditur per totum orbem, ſtupente atque in ejus admirationem rapto tum angelorum tum creaturarum omnium reliquarum choro. Apoc. IV. & V.

Similiter *merita* atque *juſtitia* Meſſiæ cum veſte comparantur, *tum* quia ex illis *agnoſcitur* tanquam verus noſter mediator, a Deo promiſſus atque per prophetas delineatus, utpote qui æternam juſtitiam adducturus eſſet. Dan. IX, 24. qui futurus erat Jehova Juſtitia noſtra Jer XXIII, 6. & ita diſtinguendus a typicis Mediatoribus V. T. qui veram adducere juſtitiam non poterant. *Tum* quia per hanc juſtitiam non ſolum ſe ipſum contra quasvis Satanæ tentationes atque inſultus munivit, verum etiam populum ſuum tegere poteſt, ne peccati & corruptionis nuditas appareat, quare veſtis hæc ab ipſo acquirenda & emenda eſt per fidem Apoc. III, 18. *Tum* denique quia per juſtitiam inſtar *pallii Regii* conſideratam, dominium ſuum in Eccleſia exercet. Juſtitia enim ipſius æterna fundamentum eſt imperii ipſius. Jeſ. XVI, 5. Pſ. LXXXIX, 15. XCVII, 2. atque per hujus applicationem poteſtatem ſuam ac majeſtatem regiam in Eccleſia manifeſtat. Pſ. XLV, 7. 8. Jeſ. LX, 21. Jer. XXIII, 5.

Specialiſſime vero *fimbriæ* veſtium a Propheta hoc loco memoran-

 tur,

tur, quæ ſunt oræ ſeu extremitates veſtium; *tum* quia deſcribitur in hac viſione exercitium imperii Meſſiæ in *Eccleſia militante*, poſtquam exaltatus eſſet ad dextram Patris ſui (ut ex nexu hujus propheticæ viſionis liquet) quæ quaſi infimam partem gloriæ ac majeſtatis Meſſiæ intueri & primordia juſtitiæ acquiſitæ apprehendere poteſt, quum plenior faciei divinæ atque majeſtatis ejus contemplatio, atque plena meritorum ejus poſſeſſio in cœlis ſit reſervata. 1 Cor. XIII, 9. 10. 12. Pſ. XXXI, 20. 1 Joh. III, 2. *Tum* ad *amplitudinem* gloriæ ipſius atque meritorum juſtiſtiæ ejus per totam Eccleſiam diſpenſandorum, deſignandam: Extremitates enim veſtium & præcipue palliorum Regiorum apud orientales erant amplæ atque laxæ. Quare in ſeq. *totam terram implere dicitur gloria ejus.* & Pſaltes od. VIII, 2. exclamat. *Quam magnificum, o Domine, eſt nomen tuum per univerſam terram?* Quemadmodum & merita ipſius in commodum Eccleſiæ univerſæ, per totum orbem diſperſæ cedunt. Jeſ. XLV, 22. Joh. I, 29. id quod per diviſionem *veſtium* Salvatoris in *quatuor partes* diſtributarum præfiguratum olim fuit Joh. XIX, 23. *Tum* denique, ut *multiplicem* variarum virtutum ac perfectionum divinarum variorumque ipſius donorum in Eccleſia militante manifeſtandorum ſplendorem ſignificaret, *fimbrias* memorat Spiritus S. utpote quæ olim variis ornamentis & plicis exornari ſolebant. Quod ſub V. T. quoque per *fimbrias* pallii S. Pontificis *malogranatis* ac *tintinnabulis* exornatas delineabatur, quæ ſc. fructus meritorum ac ſacrificii Summi noſtri Pontificis atque ſuaviſſimum Evangelii ſonum ſignificabant.

VIII. Haſce fimbrias *templum* myſticum *adimpleviſſe* legimus. Per *templum* ſeu *palatium* illud intelligimus Eccleſiam N. T. & quidem tum militantem, quæ per Sanctum, tum triumphantem, quæ per adytum præfigurabatur; Quum autem thronus in adyto fuerit, & extremitates veſtium illi inſidentis ſanctum implere dicantur, quilibet videt, adytum concipi tanquam *velo ſuo* privatum, & cum ſancto unitum. Adeoque Eccleſia N. T. intelligitur, quæ rupto velo carnis Chriſti cum Eccleſia triumphante arctiſſimo vinculo unita exiſtit. Hebr. X, 19. 20. Cap. XII, 22. 23. Hoc eſt *palatium* Dei myſticum, quemadmodum *eburnea palatia* Meſſiæ tribuuntur Pſ. XLV, 9. *In hac* Rex Meſſias habitat tanquam regia ſua aula. Joh. XIV, 23. 2 Cor. VI, 16. *in illa* gloriam ac majeſtatem ſuam ſubditis ſuis conſpiciendam præbet,

bet, utpote quam theatrum gloriæ ſuæ conſtituit. 1 Pet. II, 9. *in qua* familiariter cum electis conſueſcit atque converſatur Cant. I, 4. & *quam* inſtar regiæ domus magnificis exornat donis & divitiis pretioſiſſimis. Jeſ. LIV, 11. 12. Apoc. XXI, 11. ſq. Præcipue autem in hac æde myſtica omnia reperies myſtice, quæ olim in palatio Dei ſancto ſive templo conſpiciebantur; quum vaſa non ſolum ſacra ſed & ſtructura quoque templi myſtico & typico ſenſu abundent, quod a quamplurimis Viris Doctiſſimis, *Coccejo*, *D'outreinio*, *Vitringa*, *Lundio* aliisque eſt demonſtratum prolixius.

Phraſis autem *implere*, hoc loco adhibita, non absque ratione gravi adhibetur. Hæc etenim non ſolum abundantiam ac omniſufficientiam (ut ita loquar) meritorum Meſſiæ ac manifeſtiſſimam gloriæ ac virtutum ipſius demonſtrationem innuit. Joh. I, 14. 16. Eph. I, 22. 23. verum etiam copioſiſſimam donorum gratiæ menſuram, qua Eccleſia primæva N. T. eſſet exhilaranda, deſignat conf. Jeſ. XLIV, 2. 3. Joel. III, 1. 2. Pſ. LXV, 5. Et quemadmodum nubes olim totam ædem extenſione ſua replebat, ſic gloria atque gratia Meſſiæ totam Eccleſiam accumulatura erat, tum militantem in terra, tum triumphantem in cœlo. Hag. II, 9. 10. Pſ. XXIII, 1. 5. 6.

IX. B. Pergimus ad SATELLITES Meſſiæ, thronum ipſius cingentes, eorumque zelum. *Comm. 2. 3.* Satellites hujus Regis in genere appellantur SERAPHIM. שרפים, in ſpecie deſcribuntur *ſtantes juxta ipſum ſex alis inſtructi &c.*

α. SERAPHIM a. שרף, *καίειν*, *ἐμπυρίζειν* in genere corpora denotat *ignita* ſeu *igne candentia*, quare Kimchi מלאכי אש explicat *angelos igneos.* Conferunt nonnulli Seraphim cum *τοῖς Theraphim*, quum ש & ת ſæpius permutari ſoleant, præcipue hæc duo fuiſſe eadem contendit Cel. SPENCERUS *de Leg. Hebr. p. 355. & 953. edit. nov.* Verum Seraphim hosce noſtros ab illis Syrorum idolis *τοῖς* תרפים maxime differre, ex iis, quæ de Theraphim tum ſcriptura ſacra tum Judæorum monumenta, quæ conferas apud Cl. VAN DALE *de Divination. p. m. 665. ſq.* docent, manifeſto patet; adde etiam Cel. HOTTING. *hiſt. Orient. Lib. I. cap. VIII.* & Cl. WICHMANSHAUS. *Diſſ. de Theraphin Witt. 1705.* Potius *Seraphim* atque *Cherubim* easdem eſſe figuras, licet nomine differant, ex analogia deſcriptionis eorum in ſacris aperte conſtat; quum thronus Dei heic conſpiciatur cinctus *τοῖς* שרפים

nemi-

nemini non patet, hos Seraphim eosdem eſſe, qui Cherubim alias appellantur, & qui in propitiatorio, quod erat thronus Dei ſub Oeconomia antiqua, conſtituebantur.

Quæritur autem a viris eruditis, quorum ſymb. & figura fuerint hi שרפים. Communis plerorumque Interpretum etiam maximi nominis, ſententia eſt, *angelos* indigitari, quemadmodum Judæorum quoque Magiſtri τȣ̀ς *Seraphim* ad certum Angelorum ordinem referunt, conf. Cel. MILL. *Diſſ. ſel. p. m. 374.* nec non WINDET. *de vita funct. ſtat. p. m. 126. ed. Cren.* Ante alios illud pluribus argumentis evincere ſtudet Cl. MARCK. *in Exerc. Text. V. T. Exerc. XIV. §. IX. ſeq.* Cel. COCCEJUS angelos & beatos Spiritus, & qui hunc ſequitur VITRINGA in Comm. h. l. & Angelos & miniſtros Dei in terra conjunctim intelligendos cenſent. Licet autem angelos denotare poſſe τȣ̀ς שרפים non negem, quemadmodum *Cherubim* Angelorum quoque Symbola fuiſſe & figuras, alibi prolixius demonſtravi, nihilo tamen ſecius hoc loco in ſpecie Miniſtros Dei & quidem in ſpecie Apoſtolos ſeu primos Eccleſiæ N. T. miniſtros intelligendos eſſe judicamus. Angelis enim minime conveniunt ea, quæ in viſione hac τοῖς Seraphim tribui videmus. *Primo* quidem *pedes tegere alis*, illis plane non tribui poterit, quum phraſis hæc manifeſto ad impuritatem & labem originalem ac converſationem impuram reſpiciat, ut deinceps demonſtrabimus, quæ Angelis ſpiritibus puriſſimis tribui nequit. *Secundo clamor* Seraphinorum, qui phraſi vocem humanam deſignante exprimitur, & cujus potentia *poſtes templi* commoti tremebant, non niſi coacte & vix tamen angelis adſignari poterit, quum nullus inde ſenſus commodus erui poſſit; optime vero miniſtris Dei in terra competat, ut infra videbimus. *Tertio* miniſterium purificationis circa Miniſtros Eccleſiæ peragendæ tribuitur hoc loco τῷ השרף, qua ratione autem hoc de angelis verum ſit, nullus video, quum miniſterio fidelium, ad illos tuendos ac conſervandos in terra fungi quidem dicantur Heb. I, 14. ſed in convertendo & ſanctificando homine nunquam adhibiti legantur. Quare quum heic Meſſias throno impoſitus cernatur & Seraphim illum cingant, melius ad Miniſtros illos hoc referendum judicamus, qui in erigendo throno Eccleſiæ novi fœderis auxiliatrices quaſi manus admoverunt. Adeoque eosdem intelligen-

gendos eſſe credimus per Seraphim, qui in Apocal. per *XXIV. Seniores* intelliguntur, phraſi a XXIV. Claſſibus Sacerdotum deſumta. Urget equidem Cel. *Marckius* l. c. varia in hoc viſo occurrere, quæ Miniſtris Dei in terra tribui non poſſent, cujus contrarium ex ſequenti emblematum excuſſione patebit ultro. Et licet hæc omnia non *ſolis Apoſtolis* tribui queant, uti porro Vir Cl. objicit, hoc non impedit, quo minus de illis hoc loco intelligi queat, ſuadente ſcopo & nexu viſionis; Nec enim *ſolis Angelis* hæc adſignari queunt, ut ex ſequenti explicatione agnoſcetur, ut taceam, varia reperiri in eadem, quæ Angelis minime adſcribi queunt. Accedit quod tota viſio deſumta ſit ex ſanctuario V. T. ubi thronus cum Cherubim apparebat, quos Cherubinos Miniſtros Eccleſiæ in genere deſignaſſe ſenſu typico primario, alibi jam demonſtravimus.

X. Sed evolvamus vim nominis שרף, ut inde pateat, quam eleganter tribui queat Apoſtolis & miniſtris Dei in Eccleſia N. T. primæva. Illam etenim vocis שרף emphaſin radix ſpirat, ut corpora & figuras deſignet, non *igne ſolum accenſa* verum *igne* quoque *micantia* atque candentia. *Flammæ* atque *ignes* ſingulari ἐνεϱγείᾳ præditi, & fulgore penetranti oculos perſtringentes, qualitates atque attributa Miniſtrorum Dei depingunt, & quidem eaſdem, quæ per Cherubinos *aureos* delineari ſolent, *auri* enim fulgor *igneus* eſt.

a. Adeoque שרפים i. e. *igne ſacro* quaſi *accenſi* erant primi Evangelii præcones, utpote extraordinaria Spiritus S. menſura præditi, qui ſub emblemate ignis proponitur in ſacris conf. Jeſ. IV, 4. Matth. III, 11. Apoc. IV, 5. VIII, 5. XV, 2. Act. II, 3. & per ignem ſacrum altaris præfiguratus olim erat conf. 1 Theſſ. V, 19. Marc. IX, 49. Et quoniam præter ordinem inſignibus ignei Spiritus donis inſtructi erant, κατ᾽ ἐξοχὴν שרפים *igniti* ſeu igne accenſi appellari poterant. Quum & altero loco *verbum* Dei per *ignem* in ſcriptis ſacris delineetur, veluti ex Jer. XXIII, 29. Apoc. XI, 5. Pſ. XXIX, 7. Deut. XXXIII, 2. ultro conſtat; Apoſtoli quoque merito hoc quoque *igne accenſi* erant, utpote legem fidei ſingulari zelo inculcantes & veritates Evangelii pleno ore promulgantes, idque cum ſingulari æque ἐνεϱγείᾳ ac παῤῥησίᾳ, adeoque *linguis* quaſi *ignitis* inſtructi Act. II, 4. Cap. IV, 8-13.

b. Igne ergo ſacro accenſi hi Seraphim, *fulgore* quoque *igneo* rutilabant, & quidem

1. *Majeſtate* & *gloria* inſigni, cujus olim ſymb. ignis atque flamma lucida extitit, conf. Pſ. LXXVIII, 14. Ezech. I, 4. 13. 27. Nah. II, 3. Dan. VII, 9. 2 Reg. II, 11. Quemadmodum *ignes* pro fulgore ponuntur apud ſcriptores profanos, ſic STAT. *Theb. IV. v. 265.*

Igneus ante omnes auro micat, igneus oſtro.

Unde *ignea forma* eſt regia, plena majeſtatis, docente BARTH. *ad Claud. Nupt. Hon. p.* 773. Erant enim Apoſtoli quaſi intimæ admiſſionis miniſtri Meſſiæ in regno ipſius adminiſtrando, quos radiis imaginis divinæ illuſtratos, ſelegerat ex progenie hujus orbis obſcura, ut fungerentur miniſterio δόξης περισσευούσης καὶ ὑπερβαλλούσης 2 Cor. III, 9. 10.

2. Singulari *mentis* illuminatæ *acumine* & *perſpicacia*, cujus emblema *ignis* & quidem oculorum eſſe ſolet in ſacris, conf. Apoc. I, 14. XIX, 12. Dan. X, 6. id quod in *Exerc. de oculis Domini flammantibus probavimus. V.* MUS. BREM. *Tom. II. p. 637. ſq.* Erant enim filii Meſſiæ, ab ipſo Domino edocti, qui radiis hujus juſtitiæ Solis continuo illuſtrati in adyta myſteriorum regni ipſius introducebantur. Joh. I, 18. Multi Prophetæ non viderant, quæ ipſis videre & mentis acie ſcrutari licuit. Matth. XIII, 16. 17. quoniam fungebantur miniſterio N. T. quod erat δόξης, in oppoſitione V. T. quod umbris erat obſitum 2 Cor. III, 10-13.

3. Singularis *amoris divini* ac *gloriæ ipſius zelo*, qui per flammas deſignari ſolet in ſacris. vide Cant. VIII, 6. Zeph. I, 18. III, 8. Ezech. XXXVI, 5. Joh. II, 17. & apud poëtas *ignes* & *flammæ* toties pro amore ponuntur. VAL. FLACCUS *Lib. VIII.*

- *ſponſæ flammatus amore.*

Et *Lib. VI.*

At Regina virum, neque enim Deus amovet ignem,
Perſequitur luſtrans, oculisque ardentibus hæret,
Labitur & ſævæ trahitur dulcedine flammæ.

Amor etenim ſincerus criterium erat genuinum miniſtrorum regni Meſſiæ Joh. XXI, 17. cujus efficacia in derelictione omnium, quæ hujus mundi ſunt & ſequela Domini ſeſe exſerebat. Matth. XIX, 27-29. Zelus gloriæ divinæ ſcopus & norma omnium actionum & paſſionum ipſorum

erat.

erat. Noctu diuque illi invigilabant & quascunque hujus mundi tribulationes tolerabant. 2 Cor. XI, 2. ſq. Apoc. II, 2. ſq. & hoſtium non obſtante furore, gloriam Regis ſui defendebant Act. V, 29. 33. Act. VI, 10.

XI. β. Attributa horum Seraphim varia memorantur, *tum* quæ ſitum, *tum* quæ formam, *tum* denique opus ipſorum concernunt.

a. Quod ad ſitum eorum attinet, dicuntur עמדים ממעל לו *ſtantes juxta eum ſuperne.* Nonnulli Interpretum cum *Vatablo* vertunt *ſupra ipſum* phraſin ממעל לו, atque angelos in ſublimi ſupra thronum quaſi volantes concipiunt, veluti Cl. WITS. *in Exerc. ad h. l. c.* idque ob ſignificationem phraſis hujus, quæ nunquam non verti debeat *ſupra.* *Grotius* cum aliis *juxta* vertit, ſecutus *AbenEſra & Kimchium.* Verum quantum ego video, recte *Chaldæus* ſenſum hujus phraſis exprimit, vertens ברומא קדמוהי *in ſublimi coram ipſo;* quod genius linguæ & compoſitio harum particularum concedit, & alluſio, unde deſumta eſt, ad Cherubinos in propitiatorio ſtantes confirmat. Non ergo heic *ſupra* thronum aut huic inſidentem ipſos evehere licet, ſed *juxta* thronum vel ſedentem in eo in ſublimi conſtitutos heic conſideremus oportet. Quemadmodum phraſis ממעל ſæpius hoc ſignificatu occurrit in ſacris. conf. Dan. XII, 6. 7. & Jeſ. XIV, 13. ממעל לכוכבי *in ſublimi juxta ſtellas.* & alibi phraſin græcam ἐπάνω etiam hoc ſenſu adhiberi docuit JAC. HAS. *in Bibl. Brem. Cl. I. f. III. p. 312.* Et quum Miniſtrorum ſit juxta dominos ſtare, optime hoc Seraphinis tribuitur, qui conſiderantur inſtar miniſtrorum Regis Meſſiæ, throno inſidentis. Verum ſingularis quoque emphaſis in phraſi עמד latet. *Stare* enim in ſcriptis ſacris & profanis varia deſignat.

1. Idem eſt ac *miniſtrare*, quoniam Miniſtrorum erat ſtare coram Domino, quemadmodum de ſervis Salomonis coram throno ipſius *ſtantibus* legimus 1 Reg. X, 8. conf. etiam loca Gen. XLV, 1. XLI, 46. Judic. III, 19. 1 Sam. XVI, 16. XXII, 6. 2 Reg. XI, 11. Jer. LII, 12. Et Chaldæus quoque phraſin עמד לפני plerumque παραφράζει קדמי שמש, ita ut ſtare coram aliquo, & miniſtrare alicui, idem ipſi ſit vide 1 Reg. XVII, 1. Jer. XV, 19. Servorum quoque apud alias gentes erat *ſtare*, teſte MARTIAL. *Lib. IV. ep. 66.*

Nec tener Argolica miſſus de gente miniſter,
Sed ſtetit inculti ruſtica turba foci.

Et OVID. *Faſt. Lib. II.*

Stat puer, & manibus læta caniſtra tenet.

Optime ergo tribuitur primis Evangelii præconibus, qui ſervi & miniſtri Regis Meſſiæ in adminiſtrando regno ipſius erant. Quemadmodum præfigurabantur olim per *XII. Leones* ſtantes in throno Salomonis a dextra & ſiniſtra. 1 Reg. X, 20. Eum in finem quoque Apoſtolus declarat, ut quivis ipſos reputet pro ὑπηρέτας τȣ͂ χριςȣ͂. 1 Cor. IV, 1. qui tanquam ſatellites regii gloriam Regis ſui ubique deprædicare & manifeſtare ſtuderent. Quare in ſcriptis ſuis ſe δȣ́λȣς Chriſti appellare ſolent Apoſtoli, vide Rom. I, 1. 2 Pet. I, 1. Jac. I, 1. Col. I, 23. 25. IV, 17. 1 Theſſ. III, 2. Eph. III, 7. &c.

2. *Stare* inſuper pro *venerari* aliquem, imo pro *cultu divino* in ſacris & profanis diptychis ponitur. Sacra operaturi coram Domino ſtare dicebantur, conf. Exod. XXIX, 23. Lev. IX, 5. Deut. IV, 10. V, 31. XVIII, 5. 7. 1 Reg. XVII, 1. Pſ. CXXXIV, 1. & in precibus fundendis ſtare ſolebant, vide Jer. XV, 1. Matth. VI, 5. Marc. XI, 25. Luc. XVIII, 11. Luc. I, 19. Ita *Targum* locum Gen. XVIII, 22. *Abraham ſtabat coram Domino* παραφράζει: עד כדון בעי רחמין על לוט ושמש בצלו קדם יי *Abraham autem adhuc quærebat miſericordiam pro Lotho & ſtabat miniſtrandi gratia coram Domino.* Et MAIMON. *in* תפלה. *Cap. V.* אין מתפללין אלה מעומד *Nequit precatio fundi niſi a ſtante.* Notum quoque illud eſt MARTIAL. *Lib. XII. ep. 78.*

Multis dum precibus Jovem ſalutat
Stans.

Ac VIRGIL. *Æn. Lib. VI.*

Stabant ornatæ primi transmittere curſum.

Et pro toto cultu & veneratione occurrit apud OVID. *Triſt. Lib. III. v. 289.*

Quum ſteterit Jovis æde, Jovis ſuccurret in æde.

Et VIRGIL. *Lib. VIII. Æn.*

- Jovis ante aras, paterasque tenentes
Stabant.

Vene-

Veneratio ergo atque cultus miniſtrorum Evangelii primorum, quem Chriſto Regi exhibent, ſimul innuitur hac phraſi. Agnoſcebant enim per illuminationem Spiritus S. extraordinariam majeſtatem Regis ſupremi, qui multas in capite coronas geſtat, ut majeſtas ipſius ſupra regum hujus terræ gloriam evehatur, illumque ſequuntur Ducem. Apoc. XIX, 13-16. non ſuam ſed hujus Regis gloriam quærebant, qui miſit ipſos. 2 Cor. IV, 5. Cap. II, 15. 16. Act. IV, 19. 20. & præcipue in precibus continuis coram Domino ſtabant, iisque fervidiſſimis, vide exemplum notatu digniſſimum Act. IV, 29-31.

3. *Stare conſtantiam* & *fortitudinem* quoque innuit, quare de iis qui de hoſtibus ſuis victoriam reportant, uſurpatur, & in genere firmitatem rei aut perſonæ deſignat. Ex ſacris conf. loca Exod. IX, 11. XIV, 13. Joſ. XXI, 44. 2 Reg. X, 4. Jer. XXII, 30. Dan. VII, 4. Dan. XII, 1. 1 Cor. X, 12. Phil. I, 27. 1 Theſſ. III, 8. Eph. VI, 10. 11. Similiter occurrit apud ſcriptores profanos, veluti apud VIRGIL. *Lib. V. Æneid.*

Stat gravis Entellus, niſuque immotus eodem.
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.

Et *Lib. IX. Æneid. v. 376.*

State viri, quæ cauſa viæ? quive eſtis in armis?

Et *Lib. XII. v. 398.*

Stabat acerba fremens, ingentem nixus in haſtam,
Æneas, magno Juvenum & mœrentis Iuli
Concurſu lacrymisque immobilis.

Quare *cadere* & *labi* dicebantur, qui in prœlio ſuccumbebant.

Conſtantia ergo & *fortitudo* Miniſtrorum Evangelii primorum hac phraſi innuitur, quam in opere Domini & militia Jehovæ prodebant. Quare comparantur cum LX. heroibus, qui lecticam Salomonis cingunt, omnesque cincti gladio coram ipſo ſtant. Cant. III, 7. Nullis laboribus, moleſtiis, perſecutionibus, minis aut promiſſis infringi poterant vel a cultu divino alienari; ſed quo magis pericula irruebant, eo audentiores ſtabant. 2 Cor. XI, 23-30. 2 Cor. IV, 8-10. 1 Cor. IV, 12. Lapides erant & columnæ, quibus veritas Evangelii inſculpta durabat, dum profeſſionem illius ad buſta usque defendebant. Apoc. II, 10. Zach. IX, 16.

4. Stare inſuper παῤῥησίαν inſigni cum *honore* junctam innnuit, præ-

cipue *ſtare coram Rege* ſeu perſona illuſtri, conf. Prov. XXII, 29. Jeſ. XXXVI, 13. Zach. III, 5. Matth. XXVII, 11. Luc. XXI, 35. Act. II, 14. V, 25. XVII, 22. XXVI, 26. Pſ. XLV, 10. 1 Reg. X, 8. Apoc. XV, 2. Sicuti doctoribus ob παῤῥησίαν tribuitur, vide Cel. LAMP. *in not.* ad *Joh. I, 27. p. 414.* VITRING. *Archiſyn. p. 203.* & Seder Olam Lectores & Oratores עומדים על דוכן *ſtantes in cathedra* occurrunt. Huc refer illud apud VIRGIL. *Lib. VII. Æneid.*

Et juxta genitorem aſtat Lavinia virgo.

Simul ergo inſignis miniſtrorum Dei honor denotatur, quibus faciem non ſolum Regis Regum intueri, ſed & coram ipſo ſtare & gloriam majeſtatemque ipſius intueri datur. Apoc. VII, 15. qui ſingulari cum παῤῥησίᾳ ad gratiæ thronum accedunt Heb. IV, 16. Quemadmodum de Stephano veritatis teſte luculento legimus, quod omnes in Synedrio ſedentes faciem ejus inſigni παῤῥησίᾳ rutilantem aſpexerint, qualis angeli facies eſſe ſolet. Act. VI, 15. Docebant verbum Dei cum multa παῤῥησίᾳ & animi lætitia. Act. IV, 20. 31. XXVIII, 31. 2 Cor. III, 12. VII, 4.

5. Denique ſingularis animi *promtitudo*, *ſpontaneitas* atque *vigilantia* in opere atque auxilio præſtando innuitur phraſi *ſtare* juxta vel coram aliquo. Ex ſacris confer loca quamplurima Gen. XXVIII, 13. Jeſ. XXI, 8. XLI, 5. Ezech. I, 7. X, 3. XLVII, 10. Dan. X, 5. Hab. II, 1. 1 Cor. XVI, 13. Eph. VI, 14. Cant. III, 7. Dan. XII, 1. Mich. V, 3. Act. VII, 56. Ex profanis adde VIRGIL. *Æneid. Lib. VIII.*

In ſummo cuſtos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat pro Templo.

OVID. *Faſt. Lib. V. v. 135.*

Stant quoque pro nobis & præſunt mœnibus urbis.

Quare Duces militibus ſuccurrentes in curribus *ſtantes* occurrunt, in illo STAT. *Theb. VI. v. 425.*

Senſerat adductis alium præſagus Arion
Stare ducem.

Et paſſim in nummis cernuntur ſtantes in curribus. Uti quoque græcis adjutores παραστάται appellari ſolebant. *Spontaneitatis* autem Symb. eſſe τὸ ſtare, exinde patet, quia ſacrificiis tribuitur. Unde VIRGIL. *Lib. II. Georg. v. 495.*

Et

Et cornu ductus ſtabit ſacer hircus ad aram.

Ut plura loca taceam. Eodem ſenſu Apoſtolis tribui poterit, utpote qui ſumma animi cum lubentia totos ſeſe Domino ejusque miniſterio conſecrabant. Quare currui populi ſpontanei עמינדב adſimilantur, qui rapidiſſimo curſu fertur Cant. VI, 12. Noctu diuque invigilant operi demandato Jeſ. LXII, 6. 7. Act. XX, 31. Heb. XIII, 17. nec unquam defatigati in hoc opere ſubſident, ſed pergunt ultra Apoc. II, 3. 2 Cor. IV, 16. & ad quæcunque adverſa toleranda promti exiſtunt. Act. XXI, 13.

XII. b. Aſt propius formam horum Seraphim contemplemur, quæ Comm. 2. ulterius deſcribitur; ſc. *ſex alis* inſtructi erant, quarum *uſus* additur triplex; *binis tegebant facies, binis tegebant pedes & binis volabant.*

1. ALÆ in hisce Seraphim hieroglyphicæ ſunt, variasque Miniſtrorum Dei & Eccleſiæ qualitates deſignant. Et quidem

aa. *Celerrimam* eorum operationem ac promtitudinem expeditam in munere ſacro. *Alæ* enim celeritatis atque motionis rapidiſſimæ ſymb. exiſtunt in ſcriptis ſacris. conf. Pſ. LV, 7. Jeſ. LX, 18. Pſ. CXXXIX, 9. Jeſ. XL, 31. Hab. I, 8. Quare angelis, ſpiritibus celerrimis tribuuntur Dan. IX, 21. Apoc. VIII, 13. XIV, 6. & telis Pſ. XCI, 5. nec non vento Hoſ. IV, 19. Conſentiunt diptycha profana; Ita MAIMON. *in Mor. Neb. p. I. c. 49.* דע כי כל מתנועע תנועה ממהרת מאד יתואר בעופפות להורות על מהירות התנועה *Scito omnia ea, quæ motu celerrimo moventur, propter motus celeritatem volare dici ſolere. Spiritibus* tribuuntur, teſte *Tertulliano*, qui dicit: *Omnis ſpiritus ales;* nec non Mercurio celerrimo Deorum nuntio. *Telis* quoque vendicat eas EURIPIDES *in Oreſt. v. 274.*

Τόξων πτερωτὰς γλυφίδας.
Arcuum alata tela.

Fulmini denique adſignantur & *ventis* in illo *Lib. V. Æneid.*

- *& ventis & fulminis ocyor alis.*

Et CLAUDIAN. *Lib. II. de Rapt. v. 218.*

\- *Jupiter æthere ſummo*
Pacificus rubri torſiſſet fulminis alas.

Et quæ ſunt loca plurima alibi obvia. Innuitur ergo indefeſſum in propagatio-

tione Evangelii & dilatandis regni Meſſiæ pomœriis, Apoſtolorum ſtudium atque progreſſus celerrimus. Paulus enim de ſe teſtari poterat, ſe ab Hieroſolymis usque ad Illyricum omnes interjacentes regiones Evangelii præconio adimpleviſſe Rom. XV, 19. Quod per celerrimum & rapidiſſimum rotarum Ezechielis motum Ez. X, 11. præfigurabatur. Quare de curſu Apoſtolorum & Evangelii ſeu verbi Dei legimus 2 Theſſ. III, 1. Gal. I, 2. adde Pſ. XIX, 5. Rom. X, 18.

bb. *Alæ* rei aut perſonæ additæ apud antiquos *myſteriorum* atque *rerum abſconditarum* emblema exhibebant. Sic PSEUDO-ATHENAGORAS *Erotic. Lib. I. cap. 6.* Deum κνεφαῖον dictum coluiſſe Thebæos docet, idcirco quod nec oculis ſpectari nec animo comprehendi poſſet: ſc. ab Ægypt. *Kneph*, hebr. כנף, quæ *alam* ſignificat, Deos enim *alatos* pingebant, quod erat ſymbolum λόγȣ δυσευρέτȣ, καὶ κεκρυμμένȣ, καὶ ȣ̓ φανȣ̃. *Mentis cognitu difficilis & occultæ nec palam apparentis.* Vide HUET. *Dem. Evang. prop. IV. p. m. 85.* Quare ſomniis nocturnis *alas* tribuit EURIPID. *in Hecub. v. 70.*

- ὦ πότνια χθὼν
Μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων.
- *o veneranda terra,*
Nigras alas habentium mater ſomniorum.

Et *Spectris* ἀορατοις idem in *Hecub. v. 704.*

- ȣ̓ με παρέβα φάσμα
Μελανόπτερον.
Non me præteriit ſpectrum nigris
Alis præditum.

Noctique ipſi eas adſcribit *in Oreſte v. 178.* idem.

Adeoque hac ratione denotatur, hosce Seraphim eſſe miniſtros & ſcrutatores arcanorum & regni Dei myſteriorum hactenus abſconditorum. Quare tanquam privilegium diſcipulorum ſuorum conſiderat Salvator τὸ *noſſe myſterium regni Dei* Marc. IV, 11. Matth. XIII, 11. ipſis revelatum erat myſterium, quod a ſeculis non fuit cognitum Rom. XVI, 25. hinc οἰκονόμοι myſteriorum Dei appellantur 1 Cor. IV, 1. utpote quibus Deus notum fecit myſterium illud, quod a ſeculis non innotuit hominum filiis,

liis, nunc autem revelatum fuit ſanctis ipſius Apoſtolis. Eph. III, 3. Col. I, 26. 27. quod myſterium etiam eloqui ipſis datur Col. IV, 3.

cc. *Majeſtatis* inſignis & gloriæ figuras eſſe *alas* ex antiquitate liquet. Forte hoc ſenſu explicandus locus Pſ. XVIII, 11. ubi *currui Cherub inſidere & volare* dicitur Jehova, quod majeſtatis ſuæ demonſtrationem innuit. Judæi *alas majeſtatis* divinæ memorant, allusione ad *columnam gloriæ* ſeu שכינה, cui alas tribuit ſacra ſcriptura, quod pluribus docuere viri Cel. orbis eruditi Lumina, Cel. LAMP. *in Bibl. Brem. Tom. III. p. 1014. ſq.* nec non HASÆ. *in ead. Bibl. Tom. IV. p. 1035. ſq.* Sæpius כנפי שכינה *alas majeſtatis divinæ* a Judæis celebrari, patet ex MAIMON. *in Iſſur. Bia. c. XIII. §. 4. &c.* לדורות כשירצה הכותי להכנס לברית ולהסתופף תחת כנפי השכינה. *Quando gentilis* (Chuttæus) *in fœdus Dei recipi vult & requieſcere ſub alis majeſtatis divinæ.* Et plurimis locis aliis, quæ congeſſit Cl. SCHOETTGEN *in hor. Talmud. p. 209. ſq.* Quare Diis etiam alas tribuit Theologia gentium. VIRGIL. *Æneid. V. v. 657.*

Cum Dea ſe paribus per cœlum ſuſtulit alis.

Quod pluribus G. CUPERUS, URSINUS aliique, quos citat Cel. LAMP. l. c. docuere. Quemadmodum *alæ* pro *inſigni decore* occurrunt apud HOMER. *Iliad. XIX.* ubi Achillis arma ſplendida deſcribit;

Τῷ δ' ἠΰτε πτερὰ γίνετ', ἄειρε δὲ ποιμένα λαῶν.

Ei vero tanquam alæ erant, evehebantque Ducem populorum.

quod verſ. ſeqq. *τεύχεσι παμφαίνων armis totus fulgens* explicatur. Hoc denuo ſenſu alæ competunt Apoſtolis, utpote qui *gloriæ* miniſterio funguntur. 2 Cor. III, 7-11. ad quod per Spiritum gloriæ ac majeſtatis ſupremæ idonei redduntur Comm. 5. 6. gloriam ac majeſtatem Numinis ſupremi ubique manifeſtantes Jeſ. VI, 3. Pſ. LXXXVII, 3. Col. I, 27. 1 Tim. I, 11. Imo ipſi gloriæ divinæ imagine colluſtrantur 2 Cor. IV, 6. quare glorioſi & magnifici hujus terræ audiunt Pſ. XVI, 3. tanquam Legati Dei, qui majeſtatem Supremi repræſentant 2 Cor. V, 20. Luc. X, 16.

dd. *Potentiæ* denique ac *poteſtatis* inſignis figura ſolent eſſe alæ, præcipue quum avium & in ſpecie aquilarum robur maxime in alis ſitum ſit; & quoniam illis ſeſe defendunt, atque pullos ſuos tuentur, ſimul *tutelæ* ac *protectionis* delineatio in alis latet. Varia ex ſacris in hanc rem coacervari loca poſſunt, conf. præ reliquis Deut XXXII, 11. Ruth. II, 12. III, 9.

Pſ. XVII, 8. XXXVI, 8. LVII, 2. LXIII, 8. XCI, 4. Jer. XLVIII, 40. XLIX, 22. & *Dan. IX, 27.* ubi per כנף *Templum* intelligendum, in quo tutela Iſraelis ejusque protector Deus in שכינה habitabat, recte docuere viri quidam docti. adde Mal. IV, 2. Matth. XXIII, 37. Hoc ſenſu Judæi phraſin תותי כנפיך הוי *ſub alis tuis ſunt*, i. e. *in poteſtate tua* exiſtunt, ſæpius adhibent, vide BUXT. *Lexic. Talm. p. m. 1057.* Notum eſt illud EURIPIDIS *in Troad.*

Νεοσσὸς ὡσεὶ πτέρυγας εἰσπιτνῶν ἐμὰς

Inſtar pulli ſub meas confugiens alas.

conf. Cl. ALBERT. Ven SCHARBAU & Cel. ELSNER. *ad Matth. XXIII, 37.* obſervationes.

Apoſtoli quoque alis ſuis inſtar gallinarum protecturi erant pullos ſuos i. e. animas & cœtus, quos per ſemen Evangelii incorruptibile non ſine dolore ad novam vitam parturiverant. Gal. IV, 19. nutrientes illos inſtar infantum recens genitorum 1 Cor. III, 1. 2. quos intime diligebant inſtar filiorum. 2 Cor. VI, 12. 13. omnia tolerantes propter illos, ſe ipſos in ipſorum ſalutem tradentes, eosque foventes inſtar nutricis, foventis nutricium. 1 Theſſ. II, 7-10. Defendunt illos alis promiſſionum Evangelii contra quosvis hoſtium ſalutis inſultus & vitæ hujus tentationes. *Comm. 11. 12.* 1 Pet. I, 13. 14. 15. 1 Joh. II, 14-16.

XIII. 2. Triplicem autem alarum myſticarum uſum recenſet Vates.

aa. Primus declaratur verbis: בשתים יכסה פניו *binis tegebant facies ſuas.* Ex hisce ſponte liquet primariam horum Seraphim formam fuiſſe humanam, alis aquilinis præditam, humana enim facies velari & operiri ſolet, & quidem varias ob cauſas, quas ſi ex antiquitatibus eruemus, ſapientiſſimas hujus ſymboli rationes detegere poterimus.

1) A mulieribus, virginibus atque ſponſis facies in ſymb. verecundiæ & *pudicitiæ* atque *caſtitatis* velari atque tegi ſolebat. Ita de Rebecca legimus ſponſa, quod adveniente ſponſo caput peplo operuerit. Gen. XXIV, 65. Sponſa apud Hebræos ſub חפה ſeu *tegumento* capitis ducebatur a ſponſo, de quo ritu BUXTORF. *in Sponſal Hebr.* & Cl. SELDEN. *de uxor. hebr.* nec non Cl. BUCHER. *in antiq. bibl. p. 35. ſq.* prolixe agunt. Virgines peplo opertas fuiſſe ex Jeſ. III, 16. liquet. Quare & *Jonathan* ad *Num. V, 18.* ſcribit: ותנא רבי ישמעאל לבנות ישראל שלא יצאו

האוריתא ראש בפרוע יצאו *Et tradit R. Iſmael interdictum eſſe ex lege filiabus Iſrael, ne capite prodeant non operto.* Helenam quoque VIRGILIUS *Lib. I. Æn.* velatam deſcribit v. 654.

Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivæ Helenæ.

Conf. de virgin. Rom. STUCK. *Ant. Conv. L. II. cap. 28.* URSIN. *anal. P. I. p. 374. ſq. alios.* Hinc nummi apud OISEL. *in Theſaur. Num. Imp. Rom. p. 434.* conſpiciuntur, in quibus virgo caput velata apparet, cum epigraphe PUDICITIA. Vide nummum expreſſum in *Emblem. noſtr. Sacr. Vol. II. Tabul. II. n. 3.* Caſtitas atque pudicitia quoque a virginibus myſticis i. e. Doctoribus N. T. Prov. IX, 3. Pſ. LXVIII, 26. requiritur. In opere & miniſterio Evangelii caſtum atque a mundi amore alienum cor Deo ſiſtunt. 1 Tim. V, 22. Tit. I, 7. 8. 1 Tim. IV, 12. ſoli Deo cum animi verecundia ſeſe ſubmittunt, inque illius celebratione omnes nervos intendunt.

2. Velatus vultus *tectumque* caput ſignum *ſubjectionis* atque *ſervitutis* olim extitit. Huc dubio procul reſpicit Apoſtolus 1 Cor. XI, 10. docens mulieres *ἐξȣσίαν* in capite gerere debere i. e. *κάλυμμα* tegumentum, quod Symb. eſt ſubjectam eſſe ipſam viro, qui *ἐξȣσίαν* in ipſam exercet. Quo referri quoque ſolet locus Gen. XX, 16. de *velamine faciei Saræ*, quod in ſignum, ſe viro nuptam illique eſſe ſubjectam, geſtatura eſſet. De Regina Hecuba ſcribit EURIPID. *in Hecub. v. 486.*

\- *κεῖται συγκεκλεισμένη πέπλοις*
\- *jacet involuta velaminibus.*

quod vſ. 495. explicat

Ἀυτὴ δέ δȣ́λη - - ἐπὶ χθονὶ
Κεῖται
Illa vero ſerva ſ. ſubjecta, *in terra jacet.*

Servos quoque & miniſtros Regi ſupremo ſe ſubjectos profitentur hi Seraphim, quemadmodum Apoc. IV, 10. occurrunt tanquam *procidentes*, genua ſc. flectendo, atque *adorantes* viventem in ſecula. Servi ſunt a Deo coemti pretio ſanguinis ſui Apoc. V, 9. Selegit ipſos ex hoc mundo & ſegregavit ſibi in miniſterium. Joh. XV, 19. Ita puellæ & ancillæ Summæ Sapientiæ appellantur Prov. IX, 3. Qui tanquam ſervi

Nnn 2 man-

mandata Domini ſui promte exſequuntur Pſ. CIV, 4. & ab ipſius voluntate pendent. 1 Tim. V, 21. Cap. VI, 12-14.

3. Tecta præterea facies *reverentiæ* ac *venerationis* ſignum olim eſſe ſolebat, quare *ſacra* operaturi tecto & velato capite incedebant. Hoc ſenſu Moſes veneraturus Deum in rubo apparentem, *faciem velaſſe* legitur Exod. III, 6. ſimiliter Elias in ſpelunca conſtitutus 1 Reg. XIX, 13. Gentes itidem caput in ſacris velaſſe patet ex illo VIRGIL. *Lib. III. Æn.*

Purpureo velans adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat & omnia turbet.

Huc quoque pertinet locus EURIPID. *Iphig. in Taur. v. 1215.*

Σὺ δὲ μένων αὐτȣ̃ πρὸ ναῶν τῇ Θεῷ.
- - τί χρὴ με δρᾷν;
Πέπλον ὀμμάτων προσθέσθαι,
Tu autem mane hic ante Deæ templum.
- - *Quid oportet me facere?*
Tegere oculos peplo.

Huc refer teſtimonia Judæorum a Cel. LAKEMACH. *obſ. P. II. p. 234.* citata.

Reverentiam ergo teſtantur Seraphim, quam exhibent Supremo Numini, quando alis caput tegunt. Adorant enim illum ſumma cum animi ſubmiſſione tanquam Dominum ac Deum ſuum, viventem in ſecula Apoc. V, 14. Verſantur coram throno ſanctuarii ipſius, ipſique ſerviunt in templo ſuo dies atque noctes. Apoc. VII, 15.

4. Tecta facies inſuper animi *ſoliciti*, de *reatu* ſuo convicti atque eapropter *demiſſi* atque *humilis*, imo *ſupplicis*, olim ſignum fuit. Ex ſacris vide 2 Sam. XV, 30. XIX, 4. Pſ. LXIX, 8. Eſth. VI, 12. Jeſ. XXV, 7. Jer. XIV, 3. 4. Ezech. XXIV, 17. 22. Plerique quoque Interpretes pœnitentiæ Petri ſignum, voce ἐπιβαλὼν expreſſum, huc referunt Marc. XIV, 72. Quare etiam de Romanis ſcribit PLUTARCH. *in Quæſt. Rom.* τȣ̀ς δὲ Θεȣ̀ς ȣ̃τω (ἐπικαλύψαντες τὴν κεφαλὴν) προσεκύνȣν, ἢ ταπεινȣ̃ντες ἑαυτȣ̀ς τῇ ἐπικρύψει τῆς κεφαλῆς &c. *Deos autem hac ratione* (ſc. *capite operto*) *adorant, ut velato capite animi demiſſionem ſignificent &c.* De Helena HOMER. *Il. III.*

ἕζζει-

- ἔδδεισεν δ' Ἑλενὴ Διὸς ἐκγεγαυῖα,
Βῆ δὲ καταχομένη ἑανῷ ἀργῆνι.
- *Timuit autem Helena, Jove nata,*
Ivit cooperta velo candido.

Symbolum quoque eſſe *reatus* atque convicti de eo animi, patet ex ÆSCHIN. *in orat. contra Cteſiph.* κἂν μὴ θέλω ἀποκρίνεσθαι ἀλλὰ ἐγκαλύπτομαι καὶ ἀποδιδράσκω, ἐκκαλύψειν μέ φησι προσελθὼν, καὶ ἄξειν ἐπὶ τὸ βῆμα. *Quod ſi reſpondere noluerim ſed oculos velaro, minatur ille ſe acceſſurum & retecturum eſſe me & perducturum ad tribunal.* Plura loca apud DOUGT. *anal. S. P. I. p. 209.* & LYD. *flor. ſparſ. p. 104.* leges. In *ſupplicatione* autem ritum velandi caput obtinuiſſe, docet Cel. LAKEM. *obſ. P. II. p. 218.* Adde locum ex EURIPID. *in Supplic.* ubi Theſeus matrem, quæ antea dixerat

Ἄντομαι ἀμφιπιτνῦσα τὸ σὸν
γόνυ &c.
Precor, cadens ad tua genua ſupplex &c.

vſ. 286. alloquitur:

Μῆτερ, τί κλαίεις, λέπτ' ἐπ' ὀμμάτων φάρη
Βαλῦσα τῶν σῶν.
Mater quid ploras, (ſupplicando) *tenue peplum*
Ponens ſuper oculos tuos.

Tegunt quoque oculos ſuos Miniſtri Evangelii convicti de corruptione ſua ac reatu coram Deo ſanctiſſimo, cujus oculi puriſſimi omne impurum deteſtantur Hab. I, 13. norunt ſe non eſſe puros ſpiritus, ſed peccatores per Chriſtum ſalvandos 1 Tim. I, 15. quare humiliant ſeſe quaſi operto capite coram throno gratiæ & propitiatorio unico, Rom. III, 25. confeſſione reatus ſui & ſupplicatione ſincera Hebr. IV, 16. ut gratiam inveniant in oculis Domini Deique ſui. 1 Tim. I, 16. & ſupplicant quoque pro aliis coram throno gratiæ 1 Tim. II, 1-3.

5. Quemadmodum denique *oculi velantur*, ne aſpiciant coruſcationes luminis aut ſolis, quas tolerare nequeunt. Eapropter *facies Moſis*, majeſtatis divinæ radiis micans, velo tegebatur, quia oculi Iſraelitarum fulgoris hujus ignes ſuſtinere non valebant. Exod. XXXIV, 32. ſq. Sic hac ratione ſignificaretur, miniſtros Dei mortales quum ſint & peccatores in

hac terra Majeſtatem divinam coruſcantem intueri non poſſe, utpote quod in hac vita nulli contigit mortali, ſed poſt hanc vitam renovatis plene ad imaginem Dei concedetur. 2 Cor. III. 18. Pſ. XVII, 15.

XIV. bb. Alter alarum uſus denotatur phraſi ובשתים יכסה רגליו *Et binis tegebant pedes ſuos.* *Per pedes* in ſcriptis ſacris intelligitur (1) tota corporis pars inferior, imo ipſæ partes, quæ *ἀτιμώτεραι καὶ ἀσχημονέστεραι* habentur. Ita Judæis מימי רגלים *aqua pedum* pro urina dicitur, conf. 2 Reg. XVIII, 27. & phraſis מבין רגליו procul dubio ad femora reſpicit, ut Interpretes obſervant ad Gen. XLIX, 10. Sic *pedes tegere* Jud. III, 24. 1 Sam. XXIV, 4. pro ventrem levare dici, communis eſt Interpretum ſententia, ut DRUSIUS *in quæſt.* WASER. *in menſ. antiq.* & GATAKER. *in Cinno* docuere, quoniam, ut Caſaubonus & Gronovius obſervant, veſtibus laxis & longioribus in peragendo hoc negotio pedes tegere ſolebant antiqui, quamvis Cel. HASÆUS in *Bibl. Brem. T. IV. ſomnum* hac phraſi innui contendat. Tota ergo pars corporis inferior una cum pedibus hoc loco per רגליו intelligitur, præcipue quum humana ipſos præditos fuiſſe forma extra omnem dubitationis aleam ſit poſitum. (2) Symbolice *pedes* omnes in genere hominis actiones, totamque ejus operoſam vitam deſignant; quia homo ad æternitatem creatus ſemper ambulans vel in via recta vel perverſa deprehenditur. Sic verbum Dei dicitur lampas pedum noſtrorum Pſ. CXIX, 105. id eſt actionum tum internarum tum externarum. Et Prov. IV, 26. *motus pedum noſtrorum* eodem ſenſu *lance quaſi librare* jubemur. Eccl. IV, 17. *obſerva pedem*, inquit vates, *quando templum Dei ingrederis;* quod de actionibus iterum internis & externis capiendum eſt. Eodem modo EURIPID. *Jon. v. 223.*

> Θεμὶς γυάλων ὑπερβῆναι
> Λευκῷ ποδί.
> *Fas eſt ſepta templi transire*
> *Albo pede.*

Adde Job. XXXI, 5. Pſ. CXIX, 59. 101. Pſ. XXVI, 12. Cant. V, 3. Jeſ. LVIII, 13. Heb. XII, 13. &c.

Pedes ergo tegunt Seraphim myſtici, non ac ſi opera ſua atque cogitationes coram Deo abſcondita eſſe crederent, quum potius omnia coram

ram oculis ipſius detecta patere ſciant Heb. IV, 13. ſed 1) declarant ſe intime eſſe convictos, varias in corde ipſorum ſupereſſe concupiſcentias corruptas, quæ coram oculis Dei ſanctiſſimis conſiſtere nequeunt. Uti gentium doctor ipſe Paulus de ſe teſtatur Rom. VII, 18. *Novi enim, in me, (hoc eſt carne mea) nihil boni habitare.* Et comm. 24. exclamat: *O me miſerum! quis me eripiet ex corpore mortis hujus?* Et 1 Cor. IX, 27. *corpus* peccati & variis concupiſcentiis cinctum ſeſe ὑπωπιάζειν καὶ δουλαγωγεῖν teſtatur. 2) Inſuper & actiones ſuas non puras coram Deo eſſe, dignas quæ tegantur coram oculis ſanctiſſimis, hac figura teſtantur. Quum enim ſol & luna non puri exiſtant coram Domino, etiam in miniſtris ſuis haud ἀμώμοις varia deſiderat Jehova Hiob IV, 18. XV, 15. greſſus ipſorum ſæpe adhuc vacillant. Pſ. XXXVIII, 17. LXXIII, 2. quare deſiderant enixe, ut tegantur coram Deo juſtitia ſc. Mediatoris ſui exaltati. Phil. III, 9. Pſ. XXXII, 1. 2.

XV. cc. Tertius denique uſus additur verbis ובשתים יעופף *Et binis volabant.* Symbolum alarum, quibus τὸ volare proprium eſt, ſupra jam excuſſimus, quare heic in ſpecie quid *τὸ volare* alis innuat, dicemus.

1. In genere quidem *promtitudinem* ipſorum in miniſterio ſacro phraſi hac deſignari ex ſupra dictis liquet, ſciunt enim opus Domini non negligenter eſſe tractandum, quum maledictio talibus denuntiata ſit Jer. XLVIII, 10. quare cum zelo ac animo haud defatigato opus Domini peragunt 1 Cor. XVI, 10. 2 Tim. IV, 5. Quemadmodum *volare* dicuntur, qui in opere ſuo alacres & animoſi exiſtunt. Vide Jeſ. LX, 18. Jer. XLVIII, 9. 40. Hab. I, 8. Sic de ducibus animoſis VIRGIL. *Lib. XII. Æn. v. 125.*

> *- nec non mediis in millibus ipſi*
> *Ductores auro volitant oſtroque decori.*

Et de Turno *Lib. XII. v. 328.*

> *Multa virum volitans dat fortia corpora leto.*

Et *v. 650.*

> *- medios volat ecce per hoſtes.*

2. In ſpecie autem τὸ volare ad *meditationes* atque *deſideria* rerum *cœleſtium* atque *inviſibilium* refertur in ſacris & profanis ſcriptis. Ex

ſacris

ſacris conf. Jeſ. XL, 31. Pſ. LV, 7. Jeſ. LX, 18. Jeſ. LVIII, 14. Col. III, 1.2. De alis cherubinorum etiam ſcribit CLEMENS ALEX. *Strom. Lib. V.* *πτέρυγες δὲ, λειτεργίαι τε καὶ ἐνέργειαι αἱ μετάρσιοι δεξιῶν τε ἅμα καὶ λαιῶν δυνάμεων. Alæ autem ſunt miniſteria & operationes ſublimes, dexterarum ſimul & ſiniſtrarum poteſtatum.* Huc refer illud *Euripidis* apud CLEM. *Lib. IV. p. 543.* *χρύσεαι δή μοὶ πτέρυγες περὶ νώτῳ, καὶ τὰ Σειρήνων ἐρόεντα πέδιλα ἁρμόζεται, βάσομαί τ' ἐς αἰθέρα πολὺν ἀερθεὶς Ζηνὶ προσμίξων. In meo dorſo ſunt pennæ aureæ & aptantur grata Syrenum talaria, iboque in immenſum ſublatus æthera, Jovem conventurus.* CHRYSOSTOMUS quoque *homil. XI. T. V. p. 56.* *ὑπὸ τȣ̃ πόθȣ πτερωθεῖσα καὶ πρὸς τὸν ȣ̓ρανὸν ἀναβᾶσα τῇ διανοίᾳ, ὡς αὐτὸν ὁρῶσα τὸν θεὸν ȣ̔́τω μετὰ πάσης αὐτῷ θερμότητος διελέγετο. Præ deſiderio in altum alis ſubvecta & mente in cœlum aſcendens, quaſi Deum ipſum videns, ita ſummo cum fervore cum eo colloquebatur.*

Ergo *tum* ſublimes Miniſtrorum Evangelii meditationes atque contemplationes, *tum* deſideria rerum cœleſtium atque inviſibilium *volatu* ſignificantur. Quaſcunque tribulationes ac perſecutiones ſuſtinebant animo haud infracto, *μὴ σκοπȣ̃ντες τὰ βλεπόμενα, ἀλλὰ τὰ μὴ βλεπόμενα.* 2 Cor. IV, 16-18. Veritatum ſublimium, quæ captum rationis longe adſcendebant, ſcrutatores erant diligentiſſimi, *σοφίας Θεȣ̃ ἐν μυςηρίῳ, ἐν ἀποδείξει πνεύματος* ruſpatores ſapientiſſimi 1 Cor. II, 4-9. Deſideria omnia quaſi alata ſurſum mittebant, contendentes attingere brabeum, quod cœleſtis vocatio proponebat. Phil. III, 9. 20. Col. III, 1. 2.

XVI. C. Opus τῶν Seraphim conſiſtit in celebratione ac præconio perfectionum divinarum, *Comm. 3.* propoſitum: ubi

aa) Modus præconii exprimitur: קרא זה אל זה *Clamavit hic ad illum.* Dum *clamare* dicuntur, & quidem uti vox notat, alta voce, Jeſ. LVIII, 1. Jer. XXXI, 6. & quod ex ſeq. Comm. 4. conſtat, innuitur

1) Παῤῥησία præconum, utpote qui ſpiritu libertatis ac lætitiæ præditi erant, quemadmodum Apoſtolus teſtatur 2 Cor. IV, 13. *quoniam habemus ſpiritum fidei, ſecundum quod ſcriptum eſt, credidi ergo loquor, nos quoque credimus ergo loquimur.* Et in ipſo pentecoſtes feſto Act. II, 11. ſpiritu *παῤῥησίας* inſtructi Apoſtoli loquebantur animoſi *μεγαλεῖα τȣ̃ Θεȣ̃.*

2) Mo-

2) *Momentum graviſſimum* argumenti, quod pronuntiabant, deſignatur; quod dignum erat, ut omnes in ſecuritate carnis dormientes mortales auribus & corde reciperent. Et certe argumentum præconii ipſum illud erat, in cujus meditatione ac celebratione tota cœlitum beatorum turba ſecula futura erat transactura Apoc. IV, 8-11. Omnes ergo nervos in pronuntiando hoc argumento intendiſſe hos Seraphim docetur hac voce.

3) *Zelum* inſuper ardentiſſimum, quo accenſi flagrabant hi miniſtri, denotat vox קרא. conf. Dan. IV, 11. V, 7. Jon. II, 3. III, 8. Quo mage perfectiones divinæ ab hominibus hujus ſeculi & a pſeudo-prophetis obfuſcarentur, eo majori cum zelo Seraphim hi myſtici illas decantaturi erant, obſtupeſcentibus omnibus Act. II, 1-20. Cap. VI. 8-15.

4) Denique argumentum hujus præconii longe lateque *oras* quoque *diſſitas* impleturum eſſe, hac voce indicatur; *Sonus* enim præconii Apoſtolici exiturus erat ad extremitates cœlorum & ultimas telluris oras. Pſ. XIX. 5-7. Rom. X, 18. Per illos Salvator erat manifeſtaturus Ἐυαγγέλιον illud *αἰώνιον*: Jeſ. XLV, 22. *ad me reſpicite & ſalvamini omnis orbis extremitates.* Adde Jeſ. LXII, 13. 14.

Phraſis autem זה אל זה non duos tantum fuiſſe Seraphim, vel duos fuiſſe choros innuit, per quos Prophetas V.T. & Apoſtolos N.T. intelligendos eſſe, qui in decantandis perfectionibus divinis coadunentur, multi Interpretes exiſtimant. Sed quum heic miniſtri N.T. intelligantur, phraſis זה אל זה etiam de pluribus inter ſe relatis adhiberi poteſt, veluti phraſis כזה וכזה Jud XVIII, 4. *hæc & talia*, & כזאת וכזאת, ſignificat. Ergo זה אל זה *alter ad alterum* verti poteſt, quod de pluribus intelligendum. Innuit autem *tum* mutuum horum præconum amorem, quo alter alterum ad celebrationem nominis excitare atque accendere ſtudebat; *tum* ſingularem illorum harmoniam ac conſenſum, quoniam omnes unum eundemque ſibi ſcopum gloriæ divinæ fixerant, quem unitis viribus attingere ſtudebant. 1 Cor. II, 2. 2 Cor. IV, 5. unanimiter coronas ſuas coram throno agni deponentes. Apoc. IV, 10.

XVII. bb. Argumentum celebrationis divinæ exhibent verba: קדוש קדוש קדוש יהוה צבאות מלא כל הארץ כבודו

Sanctus! Sanctus! Sanctus! Jehova Zebaoth, & omnis terra impleta eſt gloria ipſius.

Memoratur ergo objectum celebrationis, quod eſt יהוה צבאות, quod nomen divinum in ſacris ſæpius eſt obvium, Deoque tribuitur, tum ut ſapientia ejus ſumma atque poteſtas ſuprema, tum eſſentia ipſius æterna ac immutabilis illo deſignetur; prius innuit vox צבאות, poſterius nomen יהוה. Nulli autem dubitamus, quin per hunc Jehova Zebaoth ſtricte Meſſias intelligatur, quia Vates Comm. 5. ſe *Regem Jehova Zebaoth* vidiſſe teſtatur; adeoque idem ille, qui olim in throno ſanctuarii in columna nubis & ignis apparebat. Et qui in throno externo adyti tanquam יהוה צבאות proponebatur, quoniam non ſolum bini Cherubim in propitiatorio adſtantes, ſed & tota eorum cohors in parietibus & velis ſanctuarii ſculpta & picta *exercitus Dei* pingebat; & ad hunc Jehova, Iſraelis Deum, ſtatis & ab ipſo *ordinatis temporibus* cum ſacrificiis & precibus accedebat populus Dei.

Argumentum celebrationis duplex eſt, quod ad duplex viſionis propheticæ tmema relationem obtinet. Ad *ſeſſionem in throno excelſo* reſpicit illud קדוש ter repetitum; ad *fimbrias* domum replentes phraſis ſequens כל הארץ מלא כבודו.

In priori argumento explicatur *ſeſſio* Meſſiæ in *throno excelſo*, ejusque efficacia, quando exclamant Seraphim: קדוש קדוש קדוש. *Sanctitas* heic ſenſu non ceremoniali nec relativo ſed ſtrictiſſimo ſumenda eſt, quia tribuitur Meſſiæ tanquam *Jehova*. Deſignat ergo perfectiſſimam illam Dei voluntatem, qua omnia agit ex amore ſui, convenienter ſummis ſuis perfectionibus ad gloriam ſuam; adeoque & creaturas extra ſe, hasce perfectiones ſuas vel agnoſcentes atque æſtimantes, vel odio habentes & negligentes, aut beneficiis exornat, aut judiciis obruit. Ex his ſponte liquet *Sanctitatem* Dei reliquas Dei perfectiones quaſi in compendio exhibere & ſimul comprehendere, adeoque hos Seraphim *ſanctitatem* Dei proclamantes, zelo ardentiſſimo, omnes ſimul ipſius perfectiones celebrare. *Sanctitas* autem ad divinam Meſſiæ naturam reſpicit, veluti gentes quoque eapropter titulum SANCTITATIS Diis ſuis vendicarunt. Quemadmodum in antiquis inſcriptionibus apud *Gruterum* & nummis paſſim obviis legimus: JOVI STYGIO. SANCTO, SYLVANO.

NO. SANCTO, LIBERO. PATRI. SANCTO, APOLLINI. SANCTO, vide Cl. ZORN. *Bibl. antiq. Exeg. P. I. p. 59. ſq.* Innuit ergo hic clamor *τῶν* Seraphim: קדוש &c. *tum* argumentum præconii Meſſiæ non aliud futurum, quam demonſtrationem Sanctitatis divinæ in opere ſalutis elucentis, quam Meſſias publice erat manifeſtaturus; *tum* confeſſione ſua hosce miniſtros Sanctitatem Dei triunius & Regis ſui ubique eſſe inculcaturos atque ad conſcientiam demonſtraturos. conſ. 1 Cor. VI, 11. Eph. V, 8-11. 1 Pet. I, 15-17. 1 Joh. I, 7. 1 Theſſ. V, 23.

Triplex vero *τῦ* קדוש repetitio myſterio quoque non caret. Varii heic varias adducunt rationes, quas apud Cel. *Vitring.* & *Marck.* l. c. leges. *Trinitatem* hoc loco deſignari, tum Patres plurimi cum Auguſtino aliique Interpretes agnoſcunt, quod contra Judæos aſſerit M. T. STRUNTZ in בחירד״ו מספר קבוצים §. *VI. p. 19. ſq.* Et HELVIC. *faſc. III. Cren. p. 242.* Verum non ſimpliciter ſanctitas eſſentiæ Triunius Dei hoc loco deſignatur, ut plurimi contendunt, qui Seraphim de Angelis intelligunt; ſed de *demonſtratione Sanctitatis* Dei Triunius in *exaltatione* Meſſiæ Regis Jehova Zebaoth in throno gloriæ. *Sanctitas Dei Patris* manifeſtabatur in exaltatione Meſſiæ per præcones Evangelii, quando publice teſtabantur, per paſſiones & mortem Chriſtum conſummatum fuiſſe ſalutis Ducem. Heb. II, 10. & juſtitiæ divinæ non alio modo ad ſalutem peccatoris ſatisfieri potuiſſe, quam morte filii Dei. 2 Cor. V, 20. 1 Pet. I, 18. Tit. II, 14. *Sanctitas* quoque Filii in plena luce collocabatur, utpote qui ſe ipſum in morte pro nobis ſanctificavit Joh. XVI, 19. & per Spiritum æternum ſe inculpatum obtulit Deo, ut emundaret conſcientias noſtras. Heb. IX, 14. Cap. VII, 26. Non enim ſe tradidit, ut peccator eo liberius peccare poſſet, ſed ut ſanctificaret ſibi populum peculii, accenſum ſtudio bonorum operum, quibus ipſe cum Patre ſanctificari i. e. celebrari poterat Tit. II, 14. Joh. XV, 8. Scopus quoque ſeſſionis in throno non alius erat, quam ut ſanctificetur ab appropinquantibus. 1 Pet. I, 15. 16. Heb. X, 19-23. *Sanctitas* denique Spiritus S. demonſtrabatur in adminiſtratione regni Meſſiæ, per ſubjectionem cordium ſceptro ejus, quæ per operationes Spiritus S. peragebatur. Pſ. CX, 2. atque ita Spiritum S. eſſe, qui opus ſanctificationis perficeret, publice declarabatur 1 Cor. VI, 11 Joh. III, 5. qui mundum de pec-

 cato

cato erat convicturus & ſanctificationem in ſubditis regni Meſſiæ promoturus. Jeſ. IV, 4.

XVIII. Alterum celebrationis Seraphicæ argumentum exprimitur verbis: *Et omnis terra repleta eſt gloria ipſius.* Sponte liquet ex nexu, hæc verba quaſi explicationem exhibere phraſis emblematicæ: *fimbriæ ejus replebant templum*, quam ſupra in hunc ſenſum expoſuimus. כבוד a pondere & gravitate dicta, pondus atque ſummam quaſi omnium perfectionum divinarum dicit, innuit decus atque fulgorem ex perfectionibus divinis plena luce radiantem, oculosque creaturarum ſtringentem. Hic fulgor ex opere relucet naturæ atque omnibus Dei operibus externis Pſ. CIV. tot. Pſ. CXLVIII. tot. præcipue tamen ex *opere ſalutis*, quod exaltatus Meſſias executioni dedit. Ex illo enim radii æque ſanctitatis ac juſtitiæ divinæ, quam reliquarum ſc. ſapientiæ, benignitatis, miſericordiæ, veritatis &c. pleno lumine ſcintillant. 1 Pet. II, 9. Jeſ. XLIII, 21. Joh. XVII, 1. 4.

Latiſſime autem ſeſe diffundebat hic ſplendor, quum *omnem terram* illo *repletam* aſſerat Spiritus S. Non *tota terra* ſc. Canaan, in qua olim populo Dei fœderato ſolum hanc gloriam intueri concedebatur, ſed *omnis* & univerſa intelligitur *terra;* quoniam poſt exaltationem Regis Meſſiæ omnes regiones, populi ac nationes gloriam Jehovæ agnituri erant. Jeſ. XL, 5. adeoque שכינה non amplius in cancellis adyti includenda, ſed etiam apud gentes manifeſtanda erat. Hagg. II, 8. 9. 10. Jeſ. XI, 10. XLII, 1. 6. LXII, 1. 2. adde Apoc. V, 8-14.

Et quando omnis terra *implenda* dicitur gloria Dei Zebaoth, innuitur non ſolum *evidentiſſima* perfectionum ejus ubivis terrarum demonſtratio, ſed & *efficacia* ac fructus hujus manifeſtationis, ita ut veſtigia earum in toto orbe & variis populis ubique relinquerentur, qui a tenebris ad lucem Dei glorioſam vocandi & ad imaginem ejus transformandi erant 1 Pet. II, 9. 2 Cor. III, 18. idque per miniſterium præconum Evangelii, per quos *manifeſtatur lux notitiæ gloriæ Dei in facie Chriſti* 2 Cor. IV, 6.

XIX. C. Supereſt, ut paucis ſequelas & effectus hujus glorioſæ apparitionis Jehova Zebaoth contemplemur ex Comm. 4. qui duplices ſunt.

α. Sequela clamoris τῶν Seraphim erat; וינעו אמות הספים מקול

מקול הקורא. *Et contremiſcebant poſtes liminum a voce clamante.*

Per קול הקורא *vocem clamantem* ſeu *clamantis* ſc. uniuscujusque τῶν Seraphim (adeoque non *Dei*, quem heic nonnulli Interpretes intelligunt) denotatur ſonus quaſi vehementior per Seraphim excitatus in hac celebratione, ſc. *articulatum* illud & interiora cordium humanorum *penetrans* Evangelii præconium, quod ſingulari cum *efficacia* ſeſe manifeſtaturum erat, quemadmodum tremendos hujus קול יהוה effectus recenſet Pſaltes Od. XIX, 3-8. Quem in finem vox קול adhibetur, quæ etiam de tonitru occurrit in ſacris, ut eo evidentius ἐνέϱγεια hujus præconii delineetur.

Non mirum ergo, *poſtes liminum* ſc. domus (de qua ſtatim) *contremuiſſe* & *commotos fuiſſe*. Quoniam אמות etiam cubitos notat, hinc *Münſterus* cum Judæis nonnullis conjicit, poſtes per ſpatium aliquot cubitorum fuiſſe remotos. Vocem autem נוע non ſolum tremorem ſed & vehementiorem diſcuſſionem atque diſſolutionem innuere, Viri docti jam obſervarunt. Verum quid myſterii ſub hoc aſſerto lateat propius diſpiciendum. Qui per Seraphim angelos intelligunt, miſere heic ſe torquent, ut commodum huic locutioni ſenſum tribuere valeant. Plerique intelligunt concuſſionem *templi* Hieroſolymitani, ejusque *deſtructionem* per Romanos, aſt quomodo hæc ſequela clamoris τῶν Seraphim fuerit, demonſtrare vix poterunt. Ergo quum phraſes hasce non proprio ſed metaphorico ſenſu capiendas eſſe nexus emblematum viſionis hujus ſuadeat, per *poſtes liminum* ſc. templi, ejusque portæ intelligimus *Doctores* & *Sacerdotes* Eccleſiæ Judaicæ, per *templum* externum deſignatæ. Illi enim *fulcra* erant Eccleſiæ antiquæ & *aditum* in eandem pandere debebant populo (januæ namque *præconii veritatis* ſymb. exhibent, vide 1 Cor. XVI, 2. 2 Cor. II, 12. Col. IV, 3. Apoc. III, 8.) Et quum *poſtibus templorum* olim vel leges affigerentur, vel inſcriberentur, teſte RUTIL. NUMITIAN. *Lib. I. Itiner.*

Intrantemque capit, diſcedentemque moratur,
Poſtibus affixum dulce poëma ſacris;

Imo *Deorum* nominibus inſignirentur, quod pluribus docet DESID. HERALD. *in animadverſ. ad Arnob. Lib. VI.* facile liquet, optime *do-*

ctores populi, qui doctrinam ſalutis publice proponere aliis & nomen Dei manifeſtare tenentur, per eos intelligi. Uti & Apoc. III, 12. comparantur cum *columnis*, quibus nomen Dei inſcriptum legitur; & ſimili emblemate per *poſtes* delineantur Judæorum doctores Amos IX, 1.

Tremere ergo atque *diſſolvi* poſtes debebant *voce clamantium*, quatenus *cathedra* Moſis per *præconium* Apoſtolorum confundenda, in ruborem ac conſternationem danda, imo tandem diruenda atque ſubvertenda erat. conf. Act. IV, 15-18. Ezech. XXXIV, 2. 10. Zach. XI, 8 ubi *tres paſtores*, i. e. ſectæ tres doctorum Judæorum celeberrimæ) *exſcindendi* dicuntur; adde Dan. IX, 26. Heb. VII, 18. Jeſ. XXIV, 23. Multi tamen etiam inter illos ſalutari cordium compunctione perculſi verbo Evangelii ſeſe ſubmiſſuri erant Act. II, 37. 38. qualis erat Nicodemus Joh. III, 1. 2. 10. inter primitias converſorum Doctorum & Magiſtrorum Iſraelis recenſendus.

XX. *β*. Altera gloriæ Meſſiæ ſequela exprimitur verbis והבית ימלא עשן *Et domus impleta eſt fumo.* Varii ſunt Interpretes, qui heic *excidium templi* ejusque *combuſtionem* innui exiſtimant, adeoque phraſin hanc ſenſu proprio intelligunt. Verum ſenſu hieroglyphico eſſe capiendam, præcedentia ſuadent. *Fumus* autem variarum rerum emblema exiſtit, *tum* iræ atque excandeſcentiæ divinæ, quæ toties in ſacris inſtar ignis dicitur fumare עשן, conf. Exod. XIX, 18. Pſ. CXLIV, 5. 2 Sam. XXII, 9. Pſ. XVIII, 9. LXXIV, 1. Jeſ. LXV, 5. Deut. XXIX, 20. Apoc. XIV, 11. Similiter apud profanos ſcriptores: ita LUCRET. *Lib. III. de nat. rer.*

Nec nimis irai fax unquam ſubdita percit
Fumida, ſuffundens cæcæ caliginis umbras.

Et de Caco VIRGIL. *Lib. VIII. Æn.*

Ille autem, (neque enim fuga jam ſuper ulla pericli eſt,)
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit.

Imo *excidii* atque *perniciei* ſymbolum eſſe docent loca Apoc. XIX, 3. Jeſ. XIV, 31. XXXIV, 10. Uti de Trojæ excidio canit EURIP. *in Hecub. v. 911.*

- - κατὰ δ᾽ αἰθάλου
Καπνοῦ κηλῖδ᾽ οἰκτροτάτᾳ κέχρωσαι.

circum

- - *circum vero fuliginoſi*
Fumi macula miſerrima denigrata es.

Tum quoque *precum* figuram exhibet *fumus*, reſpectu habito ad *ſuffitum* ſacrum, qui preces præfigurabat. Quare ſuffitus toties *fumus* appellatur Apoc. VIII, 4. Pſ. CXLI, 2. Et apud Judæos in *Berach. fol. 43.* משתעלה תמרתו *ex quo aſcendit fumus ejus* i. e. ſuffitus. Adde EURIP. *in Androm. v. 1022.*

Ὀυδ᾽ ἔτι πῦρ ἐπιβώμιον ἐν Τροίᾳ
Θεοῖσιν λέλαμπεν καπνῷ θυώδει.
Neque amplius ignis in ara Trojæ
Diis lucet fumo adorato.

Martyrii inſuper picturam eſſe ex Cant. III, 6. ubi per תמרות עשן *palmam* ſeu *columnam fumi* martyres intelligunt, varii Interpretes probant.

Falſæ denique *doctrinæ* atque *ſuperſtitionis* emblema eſt *fumus*, uti diſcimus ex Apoc. IX, 2. 17.

Jam quæritur quo ſenſu fumus hoc loco ſit capiendus, alii de *excidio* templi externi, alii de *martyriis* teſtium veritatis in Eccleſia prima, alii de *precibus* calidiſſimis intelligunt. Verum quum dubio procul Spiritus S. in eadem alluſione ad שכינה pergat, locum parallelum heic conferre oportet ex Apoc. XV, 8. ubi poſtquam phialæ iræ ſeptem angelis traditæ eſſent, dicitur: καὶ ἐγεμίσθη ὁ ναὸς καπνȣ̃ ἐκ τῆς δόξης τȣ̃ Θεȣ̃, καὶ ἐκ τῆς δυνάμεως ἀυτȣ̃. *Et impletum eſt templum fumo, & gloria Dei & potentia ejus. Fumus autem ex* ignis *columna* prodire concipitur, uti ex loco Jeſ. IV, 5. manifeſto colligimus. Non ergo cum Cel. Interpretibus quibusdam *majeſtatem* Dei in locis Jeſ. VI, 4. & Apoc. XV, 8. quæ per δόξαν denotatur & כבוד, ſed *ſequelas* gloriæ divinæ, per *graviora judicia* ſeſe exſerentis intelligamus oportet, quod nexus loci utriusque confirmat. *Domus* ergo *Eccleſiæ Judaicæ* externæ, quum doctores ejus confundendi & cathedra eorum ſubvertenda eſſet, ſimul *fumo judiciorum* divinorum erat implenda. Gloria Jehovæ in judiciis ſeſe manifeſtatura erat graviſſimis, *tum* excidio populi & devaſtatione urbis & templi per Romanos Dan. IX, 26. Jeſ. XXIX, 6. Joel II, 30. conf. JOSEPH. *de bell. Jud. Lib. IV. cap. XVII. &c.* & adde Matth. XXII, 7. Luc. XIV, 43. Matth. XXIII, 38. XXIV, 2. atque diſſipatione eorum

eorum per omnes gentes absque Deo fœderato, absque templo, ſacrificiis, Rege &c. Deut. XXXII, 26. Jeſ. VI, 11. 12. Amos VIII, 11. 12. Hoſ. III, 4. *tum* in ſpecie *occœcatione* atque *induratione* populi hujus, quæ in loco noſtro v. 9. 10. graphice depingitur, & eleganter Judæis applicatur Joh. XII, 39. 40. Act. XXVIII. 25-27. adde Jeſ. XXIX, 9-11. Matth. XII, 43-45. Rom. XI, 7. 8. 2 Cor. III, 14. Quod judicium per *fumum* egregie depingitur. Sicut enim *fumus* ex *igne ſuppreſſo* ortus, *aërem* & ſolis *lucem obfuſcat*, *ſitim* auget & *oculis* maxime *nocet*, ſimiliter per judicium indurationis, quod ex ignis majeſtatis & gloriæ divinæ neglectu ac ſuppreſſione oritur, omne cognitionis ac gratiæ Dei lux infuſcatur atque exſtinguitur, conſcientiæ angores multiplicantur, atque mentis oculi nigro quaſi callo obducuntur. 2 Cor. IV, 4. Act XXVIII, 27.

XXI. Ex ſupra jam dictis ſponte liquet in viſione hac *Meſſiæ exaltationem* depingi cum ſequelis ipſius, & quidem illam, quæ contigit ſtatim poſt aſcenſionem in cœlis, in initio N. T. quod omnes phraſes ſimul confirmant. Quemadmodum ſequelæ hujus viſionis in Cap. noſtro Comm. 9. 10. propoſitæ, tum Joh. XII, 39. 40. tum Act. XXVIII, 25-27. directe Judæis in principio novæ Oeconomiæ viventibus applicantur. Locum ergo noſtrum ex parte parallelum eſſe Matth. XIX, 28. in priori Exercitatione expoſito, ex diligenti collatione ultro patebit.

Et certe tunc apparuit Meſſias in *ſolio excelſo* & *elato*, quatenus poſt exinanitionis ſtatum imum, ſummum gloriæ ac dominii faſtigium attigit. Act. II, 33. Luc. XXIV, 26. Joh. XX, 17. Heb. IX, 7-12. Heb. I, 13. Apoc. III, 21. Apoc. I, 18. Heb. II, 7. I, 4. 5. 6. atque *regnum* œconomiæ N. T. occupavit, ita ut ſolium ipſius ſupra omnium hujus orbis Regum thronos fuerit exaltatum. Zach. VI, 12. Num. XXIV, 17. Jeſ. IX, 6. Jer. XXIII, 5. Rex Regum, & princeps Regum terræ conſtitutus Apoc. I, 5. Apoc. XIX, 16. Luc. I, 32. Dan. VII, 14. II, 44. Pſ. VIII, 7. Matth. XXVIII, 18. Phil. II, 9. 10. Huc pertinent viſiones parallelæ Apoc. IV. & V. cap. occurrentes.

Tunc *fimbriæ gloriæ & majeſtatis* ipſius implebant *templum* Eccleſiæ. Joh. I, 14. Zach. VI, 12. Heb. I, 6. Pſ. VIII, 2. Apoc. IV, 4. 10. 11. V, 8-14. & perfectiones divinæ plena luce in nova Oeconomia radiantes etiam ab *omni* & univerſa *terra* agnoſcebantur, celebrabantur. Phil. II, 9. 10.

9.10. Apoc. V, 13. Tunc glorioſum erat nomen ejus in univerſa terra Pſ. VIII, 2. Mal. I, 11. Matth. XXIV, 14.

Qualitates *τῶν Seraphim* quomodo reapſe in Apoſtolis & primis Evangelii præconibus deprehendantur, ex illorum conſideratione, ſupra inſtituta, ſatis evidenter conſtat. Hi certe *luce* veritatis *nova* quaſi induti ex alto Act. I, 8. omnes veli Moſaici tenebras pellebant, veritatis Evangelicæ lucem ubique manifeſtabant Matth. XXVIII, 19. & in propagatione regni Meſſiæ ſingulari *zelo* ardebant, uti ſupra viſum eſt. Τρισάγιον illud tum præconio tum confeſſione ſua ubique decantabant, ſanctitatem tum Patris, tum Filii, tum Spiritus S. in omnibus ſcriptis ſuis paſſim inculcantes, & ſanctificationem Dei Trinunius ultimam omnium actionum & totius miniſterii metam ponentes Matth. VI, 9. 1 Pet. III, 15. 1 Pet. II, 9. 1 Cor. III, 11.

Et ſic *poſtes liminum* tremuere commoti ac ſede ſua diruti, imo *tota domus fumo* judiciorum divinorum impleta fuit. Quando poſt excidium Hieroſolymitanum cathedra Moſis una cum templo ſubverſa, & tres paſtores, ſectæ Phariſæorum, Sadducæorum atque Eſſæorum exciſi ſunt Zach. XI, 8. Imo tota gens Iſrael judiciis iræ divinæ, gladio, flamma, fame ac captivitate partim deleta, partim occœcationis barathro immerſa eſt Rom. XI, 7. 8. cujus veſtigia hodiedum in Judæis adhuc manifeſta deprehendimus. 2 Cor. III, 14.

XXII. O ergo admirabilem Regis noſtri Meſſiæ gloriam! o majeſtatem infinito ſplendore omnem Regum hujus terræ auctoritatem antecellentem! Beatos jure meritoque deprædicamus Servos, qui coram throno hoc gloriæ conſtituti, Regis cœleſtis ſatellites exiſtunt, qui inſtar *τῶν* Seraphim ſacro gloriæ divinæ igne accenſi, ſanctitatis quoque radiis lucent.

Pudeat ergo tot otioſos atque tepidos throni Meſſiæ ſatellites, qui nomen tantum gerunt Dei miniſtrorum, ſed officia eorum negligunt. Qui inter Seraphim falſo ſe reputant, dum vel perverſo gloriæ ſuæ & φιλαυτίας zelo ardent, quo gloriam Regis Meſſiæ pedibus conculcant, vel fatali odio proximum ſuum proſequuntur, ignibus accenſi infernalibus. Vel etiam cor gerunt omni amoris divini atque veritatis vacuum, qui opus Dei negligenter tractant, & vulnera Joſephi parum curant. Qui in decantatione virtutum Jehovæ Zebaoth & præſertim SANCTITATIS

ejus ſegnes exiſtunt, & potius perverſis vitæ moribus ſanctitatis ideam in ſe & aliis incruſtare ſatagunt. Væ mercenariis hisce ſatellitibus! quibus Rex aliquando ſententiam feret: *nunquam vos agnovi, procul hinc recedite operarii iniquitatis.*

Non mirum ergo eſt, quum pauci in progenie hujus mundi ſuperſint vere Seraphim inter Eccleſiæ externæ Doctores, paucos quoque eorum exiſtere in cœtu ipſo æmulatores. O beata tempora Apoſtolica! quando doctorum zelo Seraphico incenſorum exemplar tot imitatores inter Chriſtianos trahebat; quando lux veritatis non cor ſolum ſed & converſationem exornabat, & radiis undique lucidiſſimis fulgebat. O triſtia, quæ jam vivimus tempora! ubi ſancti defecere in orbe, tenebræ ignorantiæ, indurationis atque vitiorum peſſimorum confeſſores quamplurimos obruunt. *Thronus* equidem Meſſiæ erectus eſt in orbe, ſedet ille in excelſo ſolio gloriæ ac poteſtatis, talemque ſe per præconium Evangelii manifeſtat, ſed ohe quam pauci delectantur in meditationibus gloriæ ipſius? quam pauci τρισάγιον illud nocte diuque repetunt *& ore* per confeſſionem, *& corde* per timorem ac reverentiam ejus, *& facto*, per ſanctam in orbe perverſo vitæ rationem?

Quisquis ergo vere τῶν Seraphim numero inſertus eſt, evigilet e torpore ſuo, per fidem & reſipiſcentiam nova luce, novo igne accendi ſtudeat, atque ita alios ad opus illud ſanctiſſimum, beatiſſimum, imo decentiſſimum glorificationis atque celebrationis virtutum divinarum, accendat. Noctu diuque absque requie per meditationem, celebrationem atque demonſtrationem in toto vitæ curriculo SANCTITATEM Dei Triunius decantet; ſic opus inchoabit, quod Spiritus puriſſimi absque labe, Angeli, cœlitesque beati in ſecula æterna continuabunt. Terque quaterque beatus, qui huic aliquando choro inſeretur!

EXER-

EXERCITATIO DE GLORIA ECCLESIÆ, SEU MULIERE SOLE AMICTA, XII. STELLIS CAPUT ORNATA, ET LUNAM PEDIBUS PREMENTE.

APOC. XII, 1.

ARGUMENTUM.

Subjectum hujus viſionis Eccleſiam N. T. eſſe ex variis argumentis probatur §. I. Prologus de viſione magna in cœlo apparente explicatur §. II. Cur Eccleſia mulier *appelletur §. III. docetur. Emblemata dein obvia exponuntur. Solem ſymb. eſſe Chriſti Mediatoris, ex ſcriptis ſacris & profanis eruitur §. IV. Cur Chriſtus in hac viſione in ſpecie ſub ſolis figura proponatur, demonſtratur §. V. Quare Eccleſia illo* amicta *dicatur, inquiritur, oſtendendo veſtes lucidas emblema eſſe majeſtatis divinæ, quum Diis tribuantur §. VI. in nuptiis a ſponſis & in triumphis ab imperatoribus geſtatas eſſe §. VII. porro eas ſymb. eſſe ſapientiæ, juſtiſtitiæ, ſanctitatis, gratiæ ac gloriæ ex diptychis ſacris & profanis demonſtratur §. VIII. Pergimus ad alterum emblema, Lunæ ſc. quam variarum rerum, in ſpecie regiminis Eccleſiaſtici figuram eſſe ex variis rationibus aſſeritur §. IX. hoc loco autem cathedram Moſis & regimen Eccleſiæ Judaicæ eam pingere contendimus §. X. Quo ſenſu ſub pedibus jacens Luna in hac viſione repræſentetur? quod excidium, contemtum, dominium & triumphum de cathedra Moſis deſignare docemus §. XI. XII. XIII. Ultimum denique emblema exponitur, docendo ſtellas eſſe ſymb. doctorum, in ſpecie doctrinæ Apoſtolicæ §. XIV. Cur numerus duodenarius adhibeatur, ex variis typis antiquis eruitur. § XV. Quum*

autem corona XII. ſtellarum heic memoretur, alluſionem vel ad coronas e gemmis pretioſis vel ad coronas radiatas imperatorum detegimus §. XVI. coronam ipſam doctrinæ Evangelicæ figuram gerere, obſervamus §. XVII. ubi ſimul varia coronarum genera myſtice exponuntur. Ac denique breviſſima implementi hujus viſionis repetitione atque epilogo practico Exercitatio *hæc ad finem perducitur.*

I.

VIdimus in præcedente Schemate Gloriam *Regis Meſſiæ*, contemplabimur in hac exercitatione Gloriam *Reginæ Eccleſiæ*, quæ in viſione illa notabili APOC. XII, 1 proponitur. Καὶ σημεῖον μέγα ὤφθη ἐν τῷ οὐρανῷ. Γυνὴ περιβεβλημένη τὸν ἥλιον, καὶ ἡ σελήνη ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτῆς, καὶ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς στέφανος ἀστέρων δώδεκα. *Et apparuit ingens in cœlo ſignum. Mulier induta ſolem, lunam pedibus ſuis premens, & in capite gerens coronam XII. ſtellarum.* Quum enim viſio hæc a paucis fuerit explicata, & emblemata contineat ſenſu prædita largiſſimo, propius illam examinare conſtitui.

Quæritur autem quænam Eccleſia & cujus temporis hoc loco intelligatur, quum apud omnes fere interpretes conſtet, Eccleſiam repræſentari in hac viſione. Sunt qui de Eccleſia V. T., ſunt qui de N. T. Eccleſia explicant, ad priorem claſſem referendus ARETIUS, GROTIUS, COCCEJUS, WITSIUS, ANDALA, DRIESSEN, aliique, poſterius defendit HAMMONDUS, FORBESIUS, & DEUSINGIUS. Varias ſententias exhibet Cel. WOLF *in cur. Phil. ad h. l. quas confer.*

Eccleſiam vero N. T. heic intelligendsm eſſe patet

1. Ex ſcopo totius Apocalypſeos ſacræ, qui Cap. I, 1. XXII, 6. proponitur, atque in eo erat ſitus, ut per viſiones in ea occurrentes oſtenderentur *res brevi futuræ*, adeoque non *præteritæ*, quod tamen ſtatuendum eſſet, ſi de Eccleſia V. T. heic cogitaremus.

2) Ex phraſi prologi hujus viſionis, apparuiſſe enim dicitur hæc viſio in *cœlo*, qua phraſi ad Eccl. N. T. quæ futura erat *regnum cœlorum*, reſpicitur, quum Eccleſia V. T. per *terram* reſpectu ad Palæſtinam exprimi plerumque ſoleat.

3) Quum *Sol* hoc loco nemine negante Chriſtum ejusque gratiam illu-

lum inantem deſignet, atque illo *amicta* i. e. plane illuſtrata, dicatur Eccleſia, minime hoc Eccleſiæ V. T. quæ umbris cærimoniarum involuta alias dicitur, tribui poterit, ſed manifeſtum eſt τεκμήριον Eccleſiæ novi fœderis Mal. IV, 2.

4) Ut taceam reliqua attributa quoque in Eccleſiam V. T. non quadrare, quando enim illa *fugit in deſertum*? quando *inſignis* illa cum *dracone* pugna accidit in Eccleſia antiqua? &c.

Eccleſiam ergo N. T. & quidem qualis initio collecta ex Judæis & gentibus, Apoſtolicæque doctrinæ tenax erat, intelligimus, quæ quum terram gentium occupatura erat, quam Draco poſſidebat, ab illo perſecutionibus obruebatur.

II. Prologus hujus viſionis exprimitur verbis: *καὶ σημεῖον μέγα ὤφθη ἐν τῷ οὐρανῷ.* Per Σημεῖον in ſacris deſignatur tum *prodigium* & *portentum* atque miraculum, vide Matth. XII, 38. 39. XVI, 1. Marc. VIII, 11. 12. quare a LXX. pro מופת ponitur 2 Chron. XXXII, 24. Exod. VII, 9. Exod XI, 9. 10. *tum* res memoratu digniſſima, 1 Cor. XIV, 22. Apoc. XV, 1. Luc. XXI, 25. tum *ſignum* & *imago*, imo typus & figura rei, Matth. XII, 38. ad quem locum confer, quæ de σημείῳ commentatur Cel. HEISEN *in Muſ. Brem. f. IV. Vol. I. p. 560. ſq.* præcipue *ſignum rei futuræ*, uti ex Matth. XXIV, 3. &c. atque ex Apollodoro probat Cl. SCHWARZ. *in Comm. critic. Ling. Gr. ad h. v.* adde quæ SUICER. *in Lexic.* de hac voce adducit Patrum teſtimonia. *Signum* ergo hoc loco deſignat 1) *rem admiratione* & memoratu *digniſſimam*, quatenus in hac viſione myſterium ſalutis, inſtauratio Oeconomiæ novæ, converſio gentium, in quibus Chriſtus myſticus procreandus erat, delineatur, quæ omnia notatu digna & admirationis plena exiſtunt. Innuit 2) *imaginem* & *figuram* rei inſignis & quidem *futuræ*, quoniam inſtans poſt excidium Reipublicæ Judaicæ regnum Meſſiæ inter gentes erigendum egregie hac viſione depingitur.

Magnum erat ſignum, non reſpectu formæ apparentis hujus mulieris, ſed reſpectu habito argumenti, quod ſub hac figura latebat; quippe pandebat hæc viſio novum gloriæ ac gratiæ divinæ theatrum in terra gentium conſpicuum, manifeſtans gloriam, quam Eccleſia anxie a tot prophetis promiſſam anhelabat, qua ſuper fata & ſtatum Eccleſiæ antiquæ longe eſſet evchenda.

 Ap-

Apparebat autem in *cœlo*. Quomodocunque etiam σῆγμα ponas & phraſin in *cœlo* referas ſive ad *ſignum* ſive ad *mulierem*, ſenſus idem redundabit, licet juxta codicum autoritatem prius præferendum ſit. Cœleſtem itaque atque a Deo ipſo immediate manifeſtatam hanc eſſe viſionem hæc verba ſignificant, in qua ergo myſteria ſalutis revelata ut credamus oportet. Inſuper per emblemata viſionis qualitates Eccleſiæ illius innui; quæ ad regnum cœlorum evecta, ad Zionem cœleſtem pervenit & πολίτευμα in cœlis habet. Heb. XII, 22. Phil. III, 20. quæ eſt Eccleſia Apoſtolica N. T.

III. In viſionis explicatione ipſa triplicem Eccleſiæ N. F. deſcriptionem attendamus, quæ heic conſideratur inſtar *ſponſæ* ſeu *mulieris*, quæ arctiſſime cum Chriſto ſponſo unita (*ſole enim induta erat*) repudiaverat cathedram Moſis (*lunam pedibus premens*) & puriſſimam Evangelii doctrinam amplexa erat. (*coronam XII. ſtellarum gerens.*)

A. Primo loco conſiderabimus ἐνέργειαν denominationis Γυνή. Quæ vox non ſolum *puellam* & *fœminam* quamlibet deſignat, Matth. XIII, 33. Luc. XXII, 57. ſed etiam *ſponſam* & quidem deſponſatam Matth. I, 20. Gal. IV, 4. imo legitimam *conjugem* & uxorem Matth. V, 28. 1 Cor. VII, 34. &c. Et talis eſt Eccleſia, diverſo reſpectu conſiderata. *Puella* eſt atque virgo ob caſtitatem & puritatem Apoc. XIV, 4. 2 Cor. XI, 2. *Sponſa* eſt, quia deſponſata eſt Chriſto Sponſo Cant. VI, 8. Jeſ. LXI, 10. *Uxor* quoque eſt, conjux mariti ſui, qui eſt Dominus. Eph. V, 25. 32. Heic poſteriori ſenſu præcipue capitur hæc vox, tum quia cum Sole, ſponſo, arctiſſime unita cernitur, tum quia *gravida* exiſtit, ſc. a marito ſuo.

Mulier autem appellatur Eccleſia, quæ eſt ſexus ſequioris, *tum* ob *imbecillitatem*, qua Eccleſia laborat, quamdiu in terra & certamine degit. Job. VII, 1. *tum* ob *ſuavitatem* & amœnitatem, qua ſexus hic alterum antecedit, quare חפצי בה appellatur & deliciæ Meſſiæ exiſtunt populus ipſius, *tum* quia *integræ nationes* atque populi ſub emblemate figuraque *muliebri* ab antiquis jam temporibus proponi ſolebant. Sic *Judæa* in nummis depingitur tanquam *mulier ſub palma ſedens*. Damaſcus, Syria, Africa, omneſque regiones apud *Spanhemium*, *Golzium* aliosque in nummis ſub figura quoque muliebri depinguntur. *Tum* denique quia *juncta* eſt *marito*, *deſponſata* ab æterno in conſilio pacis

Hoſ.

Hoſ. II, 19. atque in tempore mediantibus præconibus Evangelii, adſiſtente Spiritu S. in *fœdus recipitur*, atque arctiſſimo vinculo, ne morte quidem diſſolvendo, cum eodem jungitur. Rom. VIII, 38. 2 Tim. II, 19. Sic *amatur* a marito ſuo Eph. V, 25. *victu* cœleſti ſuſtentatur ab eodem. Pſ. XXIII, 1. 2. pallio juſtitiæ & *veſtibus* ſalutis ornatur Jeſ. LXI, 10. cum eodem *habitat* atque familiariter converſatur Joh. XIV, 23. Eph. III, 17. ab ipſo *divitiis* cumulatur atque ſimul *prole* ſancta imprægnatur Pſ. CX, 3. LXXXVII, 5. uti hoc loco gravida exiſtit. Sed & omnia *officia*, quæ a caſta uxore poſtulantur, erga maritum ſuum exercet. Apoc. II, 10. Cant. VIII, 6.

IV. B. Attributa hujus mulieris talia ſunt, ut depingant ſtatum Eccleſiæ N. T. oppoſitum ſtatui Eccleſiæ antiquæ. Illa eſt *amicta ſole juſtitiæ*, hæc erat induta umbris legalibus ac cærimoniis, illa *lunam pedibus calcat* & ſupra illam evecta triumphat, hæc autem ſubjecta erat cathedræ Moſis, quæ illi dominabatur. Hæc *coronam XII. ſtellarum* gerit, illa autem ſub lege captiva in umbris ſedebat.

א. Primum illius attributum, quod arctiſſimum cum Chriſto ſponſo communionis vinculum exprimit, eſt, quod *amicta ſole* dicatur.

α. *SOL*, quum diverſarum rerum emblema exiſtat, a diverſis Interpretibus diverſo ſenſu exponitur. ARETIUS ad tentationes, quibus expoſita eſt Eccleſia, reſpici contendit, quoniam *ſol* hoc ſenſu occurrit Apoc. VII, 16. 17. D'ESPAGNE per *ſolem* Jacobum, per lunam Rahelem & per ſtellas *filios* eorum intelligi autumat ex Gen. XXXVII, 9. 10. HOFMANNUS cum aliis verbum Evangelii, quod eſt medium illuminationis Eccleſiæ, indigitari cenſet. Plerique tamen Chriſtum Jeſum Salvatorem mundi per *Solem* denotari recte aſſerunt.

1. Ducem hac in re habemus Scripturam Sacram, ita 2 Sam. XXIII, 4. appellatur אור בקר ושמש זרח. *Lux matutina & Sol oriens*; & Pſ. XIX, 5. שמש Sol, cui Deus *tentorium* poſuit in hominibus, ſc. credentibus, in quorum cordibus radios ſalutis manifeſtat. Pſ. LXXXIV, 12. *Sol & clypeus* audit, quamvis hoc loco magis ad columnam nubis & ignis alludi videatur, cujus ignis inſtar ſolis & nubes inſtar clypei Iſraeli olim exiſtebat. Jeſ. IX, 1. אור גדול *Lux illa magna* nominatur, quæ eſt ſolis deſcriptio conſueta, uti Joh. VIII, 12. XII, 48. *Lux mundi* cum alluſione ad ſolem nuncupatur. Jeſ. LX, 20. cum *Sole nunquam occidente*, & *Luce*

æterna

æterna comparatur. A nonnullis quoque vaticinium Amos VIII, 9. huc refertur; melius locus Jeſ. XLIX, 6. ubi tanquam אור גוים *Lux gentium* prædicitur; huc in cenſum vocari meretur. Clariſſime Mal. IV, 2. *Sol juſtitiæ* appellatur, quæ phraſis ad nomen *Melchizedek* alludere videtur. Luc. I, 68. *ἀνατολὴ oriens ex alto*, i. e. cœlo, alluſione ad ſolem relata, deſcribitur. Apoc. I, 16. facies ejus *inſtar ſolis* lucere dicitur, adde 1 Joh. I, 5. 7. Jac. I, 17. ut alia loca taceam.

2. In ſcriptis Judæorum eodem titulo gaudet, quem ex diptychis ſacris hauſerunt, ita in *Rabboth. fol. 149.* א"ל לא אלא עד בא השמש עד שיבא משיח שנ' וזרחה לכם יראי שמי שמש צדקה *Dixerunt ei non, niſi dum venerit SOL*, i. e. *dum venerit Meſſias*, *ſicut ſcriptum eſt: Et orietur vobis nomen meum timentibus Sol juſtitiæ.* Plura lege teſtimonia apud Cel. LAMP. *in Bibl. Brem. Tom. II. p. 841. ſq.* & *in Orat. de inſignibus Acad. Traject. p. 10. in not.* Adde RASCHI ad Jeſ. XXIV, 15. ubi de hoc loco ad vocem באורים ſcribit: יונתן תרגם במיתי נהורא לצדיקיא על שתי אורות של גאולת בבל ושל אדום: *Jonathan vertit, cum venerit lux juſtis; dicitur hoc de duabus lucibus liberationis ex captivitate Babylonica & Romanorum* i. e. Meſſia, quem liberatorem talem ſibi fingunt.

Rationes hujus denominationis variæ ſunt, quas Cel. D'OUTREIN in *S. Emblem.* & EVERSDYKIUS in *lib. vernac. de gloria Meſſiæ* prolixe recenſent, adde Cl. DEYLING. *obſ. S. P. III. p. 217. ſq.* Mediator enim noſter eſt, qui inſtar SOLIS ex *cælo* ortum trahens, & in *cælo* tentorium ſuum poſuit; qui in ſe puriſſimus omnis *lucis*, qua Eccleſia gaudet, *fons* eſt atque unica ſcaturigo; qui *unicus* eſt inter cœlum & terram mediator; & *perpetuo* Eccleſiam ſuam illuſtrandi ſtudio actuoſus eſt; *ſemper idem* heri hodie & in æternum; *Rex* ſtellarum & reliquorum cœli myſtici luminum; qui omnia *vivificat*, *frugifera* reddit & *accendit* corda fidelium ſacro zeli ardore; omneſque peccati & præjudiciorum *nebulas* fugat. In manifeſtatione lucis ſuæ interdum quoque *Ecclipſin* patitur in Eccleſia, reſpectu diverſi & mutabilis ejus ſtatus in hoc orbe. Et quæ plures addi poſſent analogiæ.

V. In ſpecie autem hoc loco, quando gloria Eccleſiæ N. T. in oppoſitione V. T. repræſentanda erat, ſub hoc Symbolo depingitur Meſſias.

1. Quo-

1. Quoniam *SOL* triplex Mediatoris noſtri munus, quod in Eccleſia N. T. obiturus erat, & cujus fructus exſerturus erat in eadem, optime delineat. Pingit enim ſol Meſſiam

a. Ut *Doctorem* publicum & Prophetam ſummum, quatenus eſt Lux, mundi ſuperficiem illuſtrans. Ita Chriſtus φῶς τȣ͂ κόσμȣ futurus erat, qui orbem credentem illuminaturus erat luce cognitionis divinæ. Joh. I, 4. 9. Joh. VIII, 12. Veluti a profanis quoque ſcriptoribus *Doctores* inſignes cum *Luminibus* comparantur; ita in *Aboth. Cap. 24. R. Nathan* נר עולם *Lux mundi* appellatur. Et huc faciunt verba ISIDORI PE-LUS. *Lib. I. epiſt. 257.* Ἀνατέλλοντος φωτὸς, ὁ ὄρθρος ὑποχωρεῖ, ἡλίȣ ἀνίσκοντος λαμπρῶς, τὰ τῶν ἀστέρων ἀμαυρȣ͂ται χορεύματα. ὅτε αὐθέριος ἡμέρα ἐπιφανῇ, τὰ τῆς ἕω ἀπολήγει σκιάσματα. ὅτε ἡ τȣ͂ εὐαγγελίȣ σοφία ἐξέλαμψεν, ἡ τȣ͂ νόμȣ παιδαγωγία ἐσχόλασεν. *Oriente luce (Sole) diluculum diſcedit. Sole fulgido ſurgente chorus ſiderum obſcuratur. Quum lucidus ille dies effulſit, umbræ auroræ finem conſequuntur. Quum Evangelii ſapientia effulſit, Legis pædagogia deſiit.* Hoc ergo Doctore ſub Oeconomia N. T. tanquam Sole, apparente, omnes umbræ recedebant, & populus ſedens in umbra mortis, Lucis hujus fulgorem agnovit Jeſ. IX, 1. 2. 2 Cor. IV, 6.

b. Ut *Sacerdotem* Summum & Pontificem confeſſionis noſtræ, qui inſtar *Solis juſtitiæ* τὰ אורים in pectore ſuo erat geſturus; vir enim futurus erat ille Sanctus, cujus ſunt τὰ אורים Deut. XXXIII, 8. quæ per præconium Evangelii manifeſtaturus erat in Eccleſia ſua & cordibus electorum 2 Cor. IV, 6. Pſ. XIX, 5. qui arcana Jehovæ, lucis inacceſſæ, nobis erat patefacturus Joh. I, 18. per illuminationem Spiritus S. quem qua Sacerdos conſummatus nobis erat conceſſurus Eph, I, 17. 18. Heb. V, 9.

c. Ut *Regem* ac Dominum Eccleſiæ ſuæ, cujus veſtis lux eſt. Pſ. CIV, 1. & qui majeſtate ac gloria ornatus. Pſ. XXI, 8. Quemadmodum enim Sol *Rex cœli* ac ſiderum exiſtit, ita Meſſias Dominus Eccleſiæ & Rex Regum eſt. Apoc. XIX, 16. *Imperatores* quoque olim ſub Symb. *Solis* pingebantur apud veteres. Sic Gordianus, Hadrianus, Aurelianus toties in nummis ſub *figura ſolis* repræſentantur, cum inſcriptione: ORIENS AUG. ſive SOLI INVICTO, SOLI INVICTO COMITI. &c. vide OISEL. *Tab. XXVIII. n. 7. 9. 11. Tab. XXXIX. n. 1. ſq.* Meſſias eſt Rex lu-

cis, quoniam regnum ejus tanquam lucis regnum, oppoſitum eſt regno tenebrarum, & privilegia illius ſunt hæreditas ſanctorum in luce. Col. I, 12.

2. Optime Solis emblema heic occurrit, quia ſtatus Eccleſiæ V. T. per umbras, tenebras, vallem umbræ &c. depingitur, ergo ex oppoſitione Eccleſiæ N. F. ſtatus cum Luce, miniſterio gloriæ &c. comparatur Eph. V, 9. 1 Joh. I, 7. 2 Cor. III, 6. 7. adeoque Chriſtus ſub figura ſolis commode repræſentari poterat.

3. Arctiſſima denique cum Chriſto communio hac figura delineatur, qua Chriſtum Juſtitiæ ſolem induit Gal. III, 27. quod eſt criterium Eccleſiæ N. F., quum fideles ſub V. T. communionem ejus adhuc votis calidiſſimis anhelarent, & adventum ipſius propioremque apparitionem exſpectarent, tanquam orientis ex alto. Jeſ. XXI, 11. Luc. I, 68. Pſ. CXXX, 5. 6.

VI. β. Graviſſimæ autem Spiritui S. rationes fuere, cur Eccleſiam hanc Sole hoc myſtico *amictam* propoſuit, atque *radios* hujus Solis tanquam *veſtem* Eccleſiæ *lucidam* conſiderat. De *veſtium* emblemate alibi diximus, conferatur Cel. HONERT. *ad Ruimig. Sinnebeeld. voc. ændæn.* GATAKER. *in Adverſ. p. m. 221. ſq.* Conferenda autem phraſis noſtra eſt cum loco *Gal. III, 27.* ubi credentes *Chriſtum induiſſe* dicuntur, de quo loco, uti & *Rom. XIII, 14.* ubi eadem phraſis occurrit, diſſerit Cel. D'OUTREIN in *Bibl. Brem. Tom. IV. p. m. 360. ſq.* ubi & citantur plures, qui de his locis commentati ſunt, nec non Cel. HASÆ. in *ead. Bibl. p. 1007. ſq.* Qui heic conferri merentur.

Noſtrum heic erit opus, ut inquiramus, cur *Chriſtum* qua *Solem* induti pingantur credentes, atque *veſtibus lucidis* ornati appareant. Quæ

a. In genere ſymb. ſunt *majeſtatis divinæ; Deorum* enim veſtes lucidas eſſe credebat antiquitas. In ſcriptis ſacris Deo *veſtis lucida* tribui ſolet. Pſ, CIV, 2. ועטה אור ושלמה *amictus luce inſtar veſtis*, cum alluſione ad columnam ignis, in qua olim apparuit Deus fœderatus, Angelus fœderis, ad quam toties in ſacris alluditur, & quæ ſub V. T. inſtar veſtis ipſius erat. conf. alluſiones Jeſ. LIX, 17. Apoc. X, 1. Gentes quoque Diis ſuis *veſtes lucidas* adſignabant, præcipue ex *nube candida* conflatas, unde illud HORAT. *Od. Lib. I. od. II.*

Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.

De

De Regina cœli, Luna canit HOMER. *in hymn.* de ead.

Εἵματα ἑσσαμένη τηλαυγέα Δῖα Σελήνη.

Veſtes induta procul lucentes Dea Luna.

De Sole ipſo *idem in hymno:*

Τηλαυγὲς, καλὸν δὲ περὶ χροῒ λάμπεται ἔσθος.

Splendida pulcra circa corpus lucet veſtis.

Et de Junone *Iliad. Lib. XIV.*

Λευκὸς δ' ἦν ἠέλιος ὥς.

Candida erat inſtar Solis.

Egregie ergo *majeſtatis divinæ* radii pinguntur, quibus Eccleſia N.T. erat exornanda; imagine divina radiatura erat, adeoque hoc ſenſu divinæ naturæ particeps futura 2 Pet. I, 3. Eph. IV, 24. Col. III, 10. Ita ut aperta facie gloriam Dei aſpicientes, ad eandem *majeſtatis divinæ imaginem transformandi ſint*, *a gloria ad gloriam* 2 Cor. III, 18. Apparente illo Lumine magno, ipſi credentes *Luce induendi* erant. Jeſ. LX, 1. 2.

VII. b. Propius autem has veſtes Eccleſiæ lucidas conſiderantes, obſervamus, illas

1) *Nuptiales* eſſe, Eccleſiamque heic conſiderari inſtar *ſponſæ*, cum Sole juſtitiæ arctiſſime uniendam, quare & *coronam*, quæ Sponſarum olim quoque erat, in capite geſtat. *Nuptiales* quippe veſtes olim erant *ſplendidiſſimæ*, & quidem illis donabatur Sponſa a Sponſo, cujus exemplum in hiſtoria ſacra proſtat Gen. XXIV, 53. & Ezech. XVI, 10-13. Huc refer illud EURIP. *Electr. Act. I.*

- Ἴθι καὶ παρ' ἐμοῦ

Χρῆσαι πολύπηνα φάρεα δῦναι

Χρυσέα τε χάρισαι, προσθήματ' ἀγλαΐας.

Eas & a me pretioſas veſtes utendas accipe,

Aureasque gratis cape, additamenta venuſtatis.

Quare Eccleſiæ toties *veſtes nuptiales* tanquam Sponſæ a Sponſo datæ tribuuntur. vide Pſ. XLV, 10. Cant. IV, 1. Jeſ. LXI, 10. Apoc. XIX, 7. Et Eccleſiæ Jeſ. IV, 4. tanquam *Sponſæ* חפה promittitur, qua voce ad *columnam nubis* & ignis alluditur, quæ veſtis erat Meſſiæ ſplendida. Et quum Sponſus apud Hebræos cum *ſole* comparetur ſecundum Pſ. XIX, 5. uti ex *Pirke Aboth. cap. XVI.* liquet, ubi locus hic

citatur, optime Eccleſia *Sole amicta*, tanquam Sponſa, veſtibus nuptialibus a Sponſo ornata, conſiderari poteſt hoc loco.

2) *Triumphales* quoque eſſe has veſtes lucidas patet, tum quia Eccleſia heic *Lunam pedibus calcans* more triumphantium & *corona* ornata cernitur; tum quia triumphantium veſtes *lucidæ* ſplendidæque olim exiſtebant. Huc alluditur Apoc. VII, 14. ubi turba credentium triumphans, palmas manibus geſtans, & *ſplendidis ornata veſtibus*, quas ſanguine agni ἐλεύκαναν, apparet; adde Apoc. XIX, 14. ubi triumphantium veſtes βύσσινον λευκὸν καὶ καθαρὸν deſcribit Spiritus S. Veſtem triumphalem CORIPP. AFRIC. *Lib. II.* delineat:

Nobilibus gemmis & vivo lucidus auro,
Baltheus effulgens lumbos præcinxit heriles,
Cæſareos humeros ardenti murice texit
Circumfuſa chlamys, rutilo quæ ornata metallo,
Principis exerta vincebat Lumina dextra.

Splendidam ejusmodi veſtem triumphalem in nummis conſpicimus apud OISEL. *Tab. XCII. n. X.* adde LIV. *Lib. XXX.* & conf. BULENG. *de triumph. Cap. XII.* aliosque.

Eccleſia quoque N. T. heic occurrit per virtutem Ducis ſalutis ſuæ conſummati, triumphum agens non de Dracone ſolum infernali, ſed & de cathedra Moſis & Exactoribus illis tremendis, ſub quorum dominio gemebat Eccleſia V. T. Jeſ. IX, 4. X, 27. liberata a jugo δυσβαστάκτῳ, quod ſuſtinere non valebat. Act. XV, 10.

VIII. c. Specialiſſime varias Eccleſiæ *qualitates, virtutes* atque attributa per *veſtes* has *lucidas* depicta cernimus.

1. Lux eſt *ſapientiæ* & cognitionis emblema, quæ vel ex mediis gratiæ & verbo Evangelii, vel ex illuminatione Spiritus S. oritur. Conf. ex ſacris loca plurima. Pſ. XXXVI, 10. XLIII, 3. CXIX, 105. Jeſ. XLII, 6. 16. Zach. XIV, 6. Matth. IV, 16. V, 14. Luc. XI, 33-35. Joh. III, 19. XI, 10. 2 Cor. IV, 4. 6. Apoc. XXI, 11. 24. &c. Apud profanos quoque ſcriptores lucem ſapientiæ emblema eſſe docuit Cel. LAMP. *ad Joh. I. Tom. I. p. 307.* ubi locis citatis adde STAT. *Theb. IV. v. 542.*

Obruit ora Deus, totamque in pectora lucem
Detulit.

Et

Et JAMBLICH. *in ſymb. Pythag.* inquit: *ὁ κατὰ Φρόνησιν νȣ̃ς τῷ Φωτὶ ἔοικε τῆς ψυχῆς. Mens prædita ſapientia eſt inſtar lucis animæ.*

Veſtes ergo *Lucis* emblema ſunt animæ illuminatæ, quæ ſapientiam cœleſtem, ex ſole juſtitiæ profluentem, arctiſſime ſecum unitam ſervat; illaque contra omnes tenebras & tentationes principis caliginis munitur, imo radiis lucis cœleſtis per meditationes cœleſtes undique quaſi cingitur. Eph. V, 9. I, 17. 18.

2. Lux *juſtitiæ*, *ſanctitatis*, atque *bonorum operum* figura exiſtit, quod ex collatione locorum Prov. IV, 18. Pſ. XXXVII, 6. Jeſ. II, 5. V, 20. L, 11. LVIII, 10. Matth. V, 16. Luc. XII, 35. 2 Cor. VI, 14. Phil. II, 15. Eph. V, 8. 9. cuique patebit. Præcipue huc pertinet locus Rom. XIII, 12. *ἐνδυσώμεθα ὅπλα τȣ̃ Φωτὸς*, *induamus arma lucis*, i. e. veſtes lucis; convenit enim vox *ὅπλα* cum hebr. כלי, quod *arma* & *veſtes* notat. Huc refer quæ GREGOR. *in not. & obſerv. S. cap. XXII.* adnotat, ubi Sacerdos ad converſos dicit: אפריו לבושיכון וחורו איך תלגא ונהרו זיויכון כדמות מלאכא *Mutate veſtes veſtras & eſtote albi ut nix, & lux veſtra fulgeat, ut lux Angelorum.* adde loca a Cel. LAMP. l. c. adducta. Quare & Judæi in *Bereſchit Rabb. ſect. 3.* verba Geneſeos de creatione lucis myſtice exponentes ſcribunt. ויקרא אלהים לאור יום אלו מעשיהן של צדיקים *Et vocavit Deus lucem diem, hæc ſunt opera juſtorum.*

Veſtes ergo *lucidæ juſtitiæ* Chriſti, quam induit Eccleſia, ſymbolum ſunt Jeſ. LXI, 10. qua lux in Domino exiſtunt, & lucem ſanctitatis manifeſtant per opera ſancta in toto vitæ curriculo Eph. V, 8. 9. ambulantes in luce Jehovæ Jeſ. II, 5. Hac juſtitia Chriſti exornati decus exiſtunt electi in oculis Dei & ſanctorum Angelorum, qui ſanctitate delectantur, tanquam angeli lucis; hac muniuntur contra quasvis carnis ac mundi ſolicitationes atque tentationes. Rom. XIII, 12.

3. *Vitæ*, *ſalutis*, *gratiæ* ac *gloriæ* figura *Lux* eſſe ſolet, *gratiæ* quidem Pſ. IV, 7. Pſ. XCVII, 11. Amos. V, 20. 1 Pet. II, 9. *Salutis* porro 2 Sam. XXII, 29. Pſ. XXVII, 1. Eſth. VIII, 19. Jeſ. LX, 19. Mich. VII, 8. *vitæ* Job. XVIII, 18. XXXIII, 30. Joh. VIII, 12. Et denique *gloriæ* Matth. XVII, 2. Jeſ. LX, 2. *Salutis* ac *felicitatis* quoque apud profanos ſcriptores picturam exhibet, quod docuere Cel. ELSNER. *in Matth. IV.* aliique quos

citat Cel. LAMP. *in Joh. l. c.* Ita HORAT. *Lib. IV. od. V.*

Lucem redde tuæ, Dux bone, patriæ
Inſtar veris enim vultus ubi tuus
Affulſit, populo gratior it dies,
Et Soles melius nitent.

Vita porro ſub eadem figura proponitur; unde *Lux Virgilio* & *Φάος Homero* atque *Euripidi* toties *vitam* notat, conf. Cel. LAMP. *ad Joh. l. c. T. I. p. 310. not.* & quos citat. *Gloriæ* denique *æternæ* emblema eſſe, patet ex illo *R. Akibæ in Midraſch Kohel.* מתוק אור העולם אשרין שיזכה לראות האור ההוא. *Dulcis eſt lux ſeculi futuri, beatus eſt, qui dignus habebitur, ut lucem iſtam videat.* Tunc quoque בגדי ישע *veſtibus ſalutis* induendos, & paulatim *ſplendori ſeculi futuri aſſueſcere* debere juſtos, docent Judæi apud Cl. WINDET. *de vit. funct. ſtat. Sect. VII.* conf. etiam de *veſtibus lucidis* juſtorum in ſeculo futuro R. MENASSE *in tract. de reſurrect. mortuorum.*

His induta apparet Eccleſia N. T. utpote ſub Oeconomia nova *gratiæ* divinæ ſpecimina longe clariora deprehendens, cui per Chriſtum, Solem illum orientem, *gratia* ac *veritas* contigit Joh. I, 17. ut gratiam pro gratia ex ipſius plenitudine capere queat *comm. 16.* propiorem nacta ad fontem gratiæ aditum. Heb. IV, 16. Hæc *vitæ* illius veræ, quæ eſt Chriſtus ipſe, particeps facta eſt per fidem Joh. VI, 33. 51. 1 Joh. I, 2. 3. Huic *ſalus* vera ac felicitas *æterna* per eundem eſt acquiſita & applicatur reapſe Pſ. XXVII, 1. Heb. V, 9. 1 Tim. I, 15. Pſ. XVII, 15. Atque ita idem in hoc emblemate depingitur, quod Paulus explicat *1 Cor. I, 30.* dicens: quod fideles ſint *ex Deo in Chriſto*, qui factus ſit ipſis *Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio* ac *Redemtio.*

IX. ב. Alterum, quod in viſione hac proponitur, & ſortem Eccleſiæ N. T. extollit, attributum eſt: Ἡ Σελήνη ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτῆς. *Lunam pedibus premens.*

α. Quid per LUNAM hoc loco intelligatur, diſceptatur inter eruditos, prout diverſa cujusvis hypotheſis variat. Quidam phraſin ὑποκάτω τῶν ποδῶν explicant de *fulcro*, cui Eccleſia innitatur, hique per *Lunam vel* cum GROTIO doctrinam legis & prophetarum; *vel* cum HOFMANNO coetus Eccleſiaſticos; *vel* cum CLUVERO diſcentes doctrinam

nam ſalutis, intelligunt. Nonnulli autem illam phraſin de victoria & dominio Eccleſiæ in Lunam myſticam capientes, illam *vel* de rebus hujus mundi vaniſſimis & fugitivis cum plerisque Interpretibus; *vel* de cærimoniis legalibus & cultu Levitico, qui ad Lunæ viciſſitudines relationem habebat; *vel* de idololatria gentili, quæ circa Lunam etiam obſervabatur; *vel* denique cum Cl. MOYNE de *Imperio Romano*, cujus emblema Lunam fuiſſe, in *diſſ. de Jehova Juſtitia p.215. ſq.* contendit, explicare ſolent.

Quod ad priorem claſſem ſententiarum attinet, quia illa nititur hypotheſi aſſumtæ, quod phraſis, *ſub pedibus*, fulcrum quoddam Eccleſiæ notet, quæ minus conveniens eſt huic viſioni, ut infra docebimus, illa ſponte corruit.

Pia eſt atque non contemnenda hypotheſis eorum, qui per *Lunam* res hujus mundi vanas intelligunt, & Eccleſiæ N. T. tribui quoque poteſt, ſed & de Eccleſia V. T. & omnis temporis aſſeri poterit. Propius ad ſcopum viſionis tendit ſententia illa, quæ *Cultum Leviticum* per Lunam deſignari autumat, ſi modo probari poſſet, Lunam hoc ſenſu in ſacris occurrere, & nexus inter Solem, Lunam & ſtellas myſticas oſtendi poſſet. Cl. MOYNE cogitationes de *Imperio Romano* non approbare ex eo fundamento poſſumus, quia nondum probatum eſt *Lunam*, quam cum ſole & ſtellis nexum harmonicum etiam in ſenſu emblematico habere oportet, magiſtratus politicos deſignare, nec ex ſcriptis ſacris demonſtrari poterit.

Obſervandum ergo exiſtimamus, *Cœlum* quum in dialecto Scripturæ hieroglyphica, *Eccleſiæ* deſignet *Regimen*, *terraque* Eccleſiæ *membra*, uti ex Deut. XXXII, 1. Jeſ. XLV, 8. LXV, 17. LXVI, 22. Apoc. XXI, 1. &c. conſtat manifeſto, ſequitur *Solem*, *Lunam*, *&* *ſtellas* diverſos Eccleſiæ moderatores indicare. *SOL* ergo Lumen cœli primarium, ſupremum Eccleſiæ Rectorem, Chriſtum deſignat, ut ſupra ex Mal. IV, 2. Pſ. LXXXIV, 12. &c. vidimus. *LUNA*, quæ inter aſtra cenſenda, & variis mutationibus obnoxia eſt, eundem cum reliquis ſtellis terræ uſum præſtat, ſed tamen noctu quaſi vicem ſolis, a qua Lumen radiis copioſis reflexum accipit, gerit, depinget *Subrectores Eccleſiæ* non omnes & ſingulos, ſed tales, qui præ aliis *auctoritate*, quam ex inſtitutione ac illuminatione Solis juſtitiæ conſequuntur, emicant velut inter ſtellas Luna minores;

nores; ſc. tales qui Præſides atque Inſpectores reliquorum doctorum, qui per *ſtellas* pinguntur Dan. XII, 3. Apoc. I, 20. exiſtant. Recte ergo Cel. HONERT. *in Inſtit. Emblem. p. 185. Concilium Antiſtitum* & *Synodos* coactas ab Eccleſia per *Lunam* intelligit. In *cœlo* ergo Eccleſiæ antiquæ *Sol* erat Angelus fœderis, Deus ipſe; *Luna* magnum illud *Sanhedrin* ſeu concilium *Seniorum* atque Phariſæorum, quod *cathedra Moſis* appellatur in ſcriptis ſacris, qui ſupremi in terra Judices & Rectores doctrinæ & morum Eccleſiæ erant. *Stellæ* autem reliqui Sacerdotes & doctores Judæorum per omnes eorum regiones diſperſi, qui a Synedrio magno dependebant.

X. Ex hoc fundamento in loco noſtro per *Lunam*, quæ a *Sole* & *ſtellis* diverſa concipitur, intelligi cenſemus *cathedram Moſis* ſeu Synedrium magnum, ejusque in Eccleſiam veterem auctoritatem. Rationes, quibus inducimur, hæ ſunt. 1) Quoniam Eccleſiæ N. T. *doctrinam Apoſtolicam* ſuſcipienti, optime triumphus de cathedra Moſis convenit & toties libertas ab illius dominio, tanquam criterium Eccleſiæ N. F. conſideratur. conf. Act. XV, 10. Gal. I, 6. 28-31. Col. II, 20. Gal. V, 1. 2) Nexus emblematum ſolis, Lunæ & ſtellarum, ut ex ſuperioribus liquet, hanc non ſolum approbat ſententiam, ſed & requirit atque poſtulat. 3) Luna inſuper in ſacris emblematice Synedrium ſeu cathedram Moſis haud ſemel deſignat; quid enim Jeſ. XXIV, 23. per *Lunam* pudore ſuffundendam, tempore regni Meſſiæ in Zione ſtabiliendi, aliud quam cathedra Moſis autoritate ſua excidenda deſignatur? Quid Joel II, 31. per *Lunam in ſanguinem* convertendam, quam Synedrii magni pœna cruenta, quam ob ſcelera graviſſima aliquando per Romanos juſto Dei judicio ſubituri erant, innuitur? teſte Apoſtolo Act. II, 20. 4) Accedit, quod cathedra Moſis figuram quoque Lunæ repræſentaverit, quum enim Synedrii conſeſſus eſſet in domo judicii, hemicycli figuram ſeu *Lunæ dimidiatæ* imaginem exhibebat. Teſtis eſt ABARB. *in paraſch.* שופטים *fol. 365.* והיו יושבים כמו חצי גורן בעגול *Sedebant in dimidia area ſemicirculariter;* idem ſcribit BECHAI, MAIMONID. aliique, vid. SCHICK. ad משפט המלך *Cap. I. Theor. II. p. 10.* SAUBERT. *Palæſtr. Th. Phil. p. 288.* ubi & figuram ipſius ſemilunarem exhibet. SELDEN. *de Synedriis* & quamplurimos alios. 5) Cum *Luna* denique copioſæ inter-

tercedunt cathedræ Moſis analogiæ, quas tetigiſſe ſufficiet. Synedrium quippe inſtar *Lunæ* erat corpus quoddam Seniorum & doctorum *in unum coactum*, & revera *opacum* in ſe, ſed auctoritatem a lege Moſis & inſtitutione divina, tanquam a *ſole ſuo* mutuatam vendicabat. Quod variis inſtar Lunæ *viciſſitudinibus* fuit obnoxium; alio enim tempore majorem autoritatis lucem, alio minorem manifeſtavit: Præcipue autem non niſi ſub nocte Oeconomiæ antiquæ autoritatis lucem exſeruit: *oriente* enim *Sole* juſtitiæ, pudore ſuffuſa & fulgore ſuo *exuta* eſt hæc Luna Jeſ. XXIV, 23. Jeſ. XXI, 11. 12. Rom. XIII, 12.

XI. β. Quum vero Eccleſia Sole juſtitiæ amicta appareret, neceſſario LUNA *pedibus erat premenda*, hinc Luna ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτῆς cernitur. Supra modo monuimus, nonnullos Interpretes *Grotium* ſecutos, phraſin hanc ita concipere, ut Luna inſtar *fulcri*, cui Eccleſia innitatur, conſideretur. Verum quum ex ſuperioribus conſtet, per *Lunam* intelligi ea, quæ ab Eccleſia N. T. ſuperanda & contemnenda erant, phraſis hæc de contemtu, abnegatione & dominio ſuper re quadam exponenda eſt. Sic occurrit adhuc in duplici N. T. loco, ſc. *Marc. VI, 11. Heb. II, 8.* in quo utroque hoc ſenſu adhibetur. Marc. VI, 11. de *pulvere*, qui pedibus premitur, adeoque res ſordida & contemtu digna exiſtit. Heb. II, 8. ubi Chriſto omnia ὑποκάτω τῶν ποδῶν ſubjecta dicuntur, qui proinde conſideratur, tanquam victor de iis triumphans.

Quum ergo *Luna* i. e. *cathedra Moſis*, fulcrum illud cultus Levitici & umbratilis, *ſub pedibus* Eccleſiæ cernitur, innuitur,

1) Cathedram Moſis inſtaurata Eccleſia N. T. eſſe *exſcindendam* atque cum cultu Levitico abolendam. *Pedibus* enim aliquid calcare, *rei excidium* deſignat. Sic *urbs pedibus calcanda* dicitur, i. e. devaſtanda atque diruenda Jeſ. XXVI, 6. conf. Dan. VII, 7. 19. Matth. VII, 6. Act. V, 10. Sic de bellua occiſa canit OVIDIUS *Metam. VIII. v. 425.*

Ipſe pede impoſito caput exitiabile preſſit.

Exſcindenda quoque erat hæc cathedra, quæ improbis ſcatebat doctoribus. Huc refer Mal. IV, 3. ubi poſt ortum juſtitiæ Solis, teſtatur Jehova, credentes *conculcaturos* eſſe *improbos*, ita ut ſint *pulvis ſub plantis pedum ipſorum*; quod idem in hac viſione innuitur. Præcipue hoc factum eſt, cum templum exſcinderetur atque ſanctuarium vaſtaretur

Rrr Dan.

Dan. IX, 26. 27. Mich. III, 12. Matth. XXIV, 15. Sic *tres* illi *paſtores*, (tres hujus cathedræ ſectæ) *exciſi ſunt uno die* Zach. XI, 8. Ezech. XXXIV. tot. ſic *cecidere* hi Dii, ut unus principum, & mortui ſunt inſtar hominum. Pſ. LXXXII, 6. 7. adde Mal. II, 12.

2) Illam eſſe *humiliandam* atque autoritatem ejus *contemtui* eſſe exponendam. Quo ſenſu phraſis *pedibus calcari* & *pedibus ſubjici* occurrit Jeſ. LX, 14. Pſ. XLI, 10. Jeſ. XXVIII, 3. ubi *corona faſtus* Ephraimi *pedibus conculcanda* pronuntiatur. Ezech. XXXIV, 18. 19. ubi indurati Judæi paſcua pinguia mediorum gratiæ *pedibus conculcaturi* proponuntur i. e. contemturi & neglecturi. adde Heb. X, 29. Jac. II, 3. Apud profanos ſcriptores eadem ſæpe phraſis occurrit. Sic apud OVID. *Triſt. Lib. I. el. VIII. v. 15.*

Illud amicitiæ ſanctum & venerabile nomen
Re tibi pro vili, ſub pedibusque jacet.

Et *Heroid. Ep. XII. v. 185.*

Nec moror ante tuos procubuiſſe pedes,
Si tibi ſum vilis, communes reſpice natos.

Idem judicium manebat cathedram Moſis & in ea ſedentes; autoritas ipſorum erat proculcanda ipſique contemtui exponendi. Pſ. LXXII, 6. 7. Quare Jer. XXIII, 40. Jehova ipſis minatur: *Imponam vobis opprobrium perenne, ignominiamque haud unquam delendam, quæ oblivioni non tradetur.* Veluti toties quoque a Salvatore publico ludibrio expoſiti coram populo, & detectis ipſorum ſceleribus, autoritate exuti ſunt. Matth. XV, 14. XXIII, tot.

XII. 3) *Dominium* hujus cathedræ, quod in Eccleſiam veterem exercebat, penitus eſſe excutiendum ab Eccleſia N. F. *Pedem* enim alicui *imponere*, *dominii* emblema eſt in Sacris. Sic quando poteſtas Angeli fœderis in Judæos ac gentes proponitur, conſideratur *imponens pedem dextrum mari, ſiniſtrum terræ* Apoc. X, 2. Hoc ſenſu *omnia pedibus* dominii ipſius ſubjecta dicuntur 1 Cor. XV, 25. coll. Matth. XXVIII, 18. & Pſ. VIII, 7. Sic Pſ. XLVII, 3. 4. Jehova Rex magnus ſuper terram, nationes in *locum pedum populi* ſui ponere dicitur. Quemadmodum ſubditi olim ad pedes Regum proſternere ſeſe ſolebant, hoc eſt *pulverem pedum lingere*, phraſi emblematica Jeſ. XLIX, 23. Apud profanos autores

res eodem ſenſu gaudet hæc phraſis, quare CORIPP. *L. I. v. 60.* canit:

Regnaque ſub veſtris venient fortiſſima plantis.

Dominium amoris exprimit OVID. *Rem. am. v. 530.*

Et tua ſævus amor ſub pede colla premit.

Et PROPERT. *Lib. I. el. 1.*

Et caput impoſitis preſſit amor pedibus.

Dominium ergo cathedræ Moſis abolendum erat in N. T. quum *jugum* illud δυσβάστακτον a collo credentium excutiendum, Act. XV, 10. Matth. XXIII, 4. onus hoc ab humeris devolvendum, & jugum pinguedine (i. e. libertate Spiritus S.) diſſolvendum eſſet Jeſ. X, 27. *Baculus* dominii hujus exactoris ſeveri confringendus erat, nato illo filio, cujus erat in humeris dominium. Jeſ. IX, 4. 6. 7. adeoque ſubacta hac cathedra, plenam libertatem uſurpatura erat Eccleſia Gal. V, 1.

XIII. 4) *Triumphum* de cathedra Moſis acturam eſſe Eccleſiam N. T. hæc locutio indicat. *Triumphantes* enim Duces ſuperatos hoſtes pedibus conculcare ſolebant. Sic Duces Iſraelis jubente Joſua imponebant pedes collis Regum ſuperatorum. Joſ. X, 24. Huc reſpicit Vates 2 Sam. XXII, 29. de hoſtibus canens יפלו תחת רגלי *cadent ſub pedibus meis.* adde Pſ. XVIII, 39. Et Thren. III, 34. ubi Deus dicitur לדכא תחת רגליו כל אסירי ארץ *conterere ſub pedibus omnes terræ vinctos.* Eodem ſenſu Deus *Satanam ſub pedibus contriturus* eſt. Rom. XVI, 20. conf. etiam loca Jud. V, 27. Pſ. LVIII, 11. Pſ. CX, 1. Heb. I, 13. Act. II, 35. Triumphantes olim collo hoſtium pedem impoſuiſſe ex profanis ſcriptis prolixe oſtendit BARTH. ad CLAUDIAN. p. 763. nec non ad STAT. *Theb. Tom. II. p. 636. ſq.* Quibus locis adductis adde VIRGIL. *Æneid. Lib. X. v. 736.*

Tum ſuper abjectum poſito pede nixus & haſta:
Pars belli haud temnenda, viri, jacet altus Orodes.

Et *Lib. XII. v. 355.*

Semianimi lapſoque ſupervenit: & pede collo
Impreſſo, dextræ mucronem extorquet.

Nec non OVID. *Lib. III. Triſt. el. XII. v. 47.*

Teque rebellatrix tandem Germania, magni
Triſte caput pedibus ſuppoſuiſſe Ducis.

Et

Et *Lib. III. Amor. el. II. v. 5.*

Vicimus, & domitum pedibus calcamus amorem.

Talis victoria & triumphus tribuitur Eccleſiæ de cathedra Moſis *Col. II, 15.* ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτούς. Qui locus docente BRAUNIO atque DEYLINGIO recte ad Synedrii principes & populi Judaici magnates referendus, ut totus contextus docet. Hos Chriſtus tanquam dominium in Eccleſiam exercentes, exuit ſua auctoritate & privilegiis, *traduxit* palam, ignominiæque expoſuit, imo *triumphum* de iis egit, per mortem ſuam totam cultus Levitici molem diruens. Sic hoc nato Schiloh, *Legislator* recedere debebat Gen. XLIX, 10. adeoque per ipſum Eccleſia triumphans, pedibus hanc myſticam Lunam conculcat ſuperatam, domitam, autoritate omni ſpoliatam.

5) Obſervemus denique oppoſitionem ſingularem inter Eccleſiam V. T. & N. Illa olim *ad pedes* hujus *cathedræ* ſedebat, hauriens doctrinam legis ab illius doctoribus. Mal. II, 7. (Diſcentium enim erat ad pedes Doctorum ſedere, conf. Deut. XXXIII, 3. Luc. VIII, 35. X, 3. Act. XXII, 3.) Verum jam ordine inverſo *Luna* hæc myſtica ad pedes Eccleſiæ jacebat, quoniam Eccleſia N. T. pædagogis ejusmodi non indigebat. Gal. IV, 1-7. a Deo enim per Spiritum omnes ejus filii edocendi erant. Jeſ. LIV, 13. Joh. VI, 45. Jeſ. XXXI. 33.

XIV. 3. Abrogata ergo cathedra viſibili, norma doctrinæ longe alia, quæ non jugum aliquod collis credentium δυσβάστακτον imponeret, ſed *coronæ* inſignis loco futura & cum *libertate* N. T. conveniret, Eccleſiæ erat concedenda, hoc innuit phraſis: καὶ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς στέφανος ἀστέρων δώδεκα. *Et in capite gerens CORONAM XII. STELLARUM.*

α. *STELLÆ*, ardentia illa cœli lumina, ſenſu hieroglyphico *doctores* in genere, ad *cœlum* myſticum i. e. Eccleſiæ regimen pertinentes, deſignant, ut ex ſuperiori §. VIII. conſtat. In ſcriptis ſacris *ſtellæ* perſonarum illuſtrium in genere exiſtunt emblema, veluti Patriarcharum Gen. XXXVII, 9. principum Dan. VIII, 10. imo Meſſiæ ipſius Num. XXIV, 17. Apoc. XXII, 16. In ſpecie autem *doctores*, viam veritatis aliis commonſtrantes, hac figura deſignantur, veluti ex Apoc. I, 20. Dan. XII, 3.

Jeſ.

Jeſ.XIII, 10. XIV, 3. Apoc. VIII, 10. 11. IX, 1. Quod emblema apud profanos quoque auctores eſt frequentiſſimum. MAIMON. *Mor. Neboch. p. II. cap.XXIX.* de ſtellis ait, quod ſignificent האושים אשר היו ככוכבים בעמידה וברוממות מעלה, *Viros, qui ſtatus & dignitatis ſuæ ratione ſtellis ſimiles exiſtunt.* De Bar Cochab apud ABULFAR. *hiſt. Dynaſt. p. 121.* dicitur: انه نزل من السما كالكوكب فيخلصهم من عبودية الروم *quod de cœlo miſſus eſſet inſtar ſtellæ ad liberandos Judæos e ſervitute Romana.* conf. Cl. VRIEM. *de Schil. p. 121.* Et *Chetſamæus in Hamaſa Amra* duos filios illuſtres deplorans canit:

شهابان منا اوقدا ثم اخمدا

Duo aſtra ex nobis accenſa, mox exſtincta.

HOMER. *Iliad XXII.* Achillem deſcribit:

Παμφαίνονθ᾽ ὥς ἀστέρ᾽ ἐπεσσόμενον πεδίοιο.

Undique fulgentem inſtar ſtellæ, irruentem per campum.

Plura & alia loca dabunt BARTH. ad CLAUDIAN. *p. m. 522.* & quos citat TH. HAS. *in Bibl. Brem. T. VIII. p. 724. ſq.*

Stellæ proinde hoc loco deſignant Eccleſiæ doctores, & quidem XII. illos inſignes, qui prima Eccleſiæ ætate exſtitere, ſc. Apoſtolos, conſideratos inſtar *ſtellarum*, *doctrinæ purioris* lucem undique ſpargentium. Analogiarum inter *ſtellas* & *Apoſtolos* largiſſimam ſegetem demetere hic liceret, ſi hujus loci eſſet. Apoſtoli enim inſtar ſiderum in novo Eccleſiæ *cælo* conſtituti, per mediam & indurati Judaismi & caliginis Ethnicæ *noctem*, *lucem* tum doctrinæ puriſſimæ, quæ perfectiones divinas in plena luce collocabat, tum ſanctitatis ac amoris divini, longe lateque ſpargebant. Jeſ. IX, 1. 2. 2 Cor. IV, 6. a *Deo* ipſo *creati* atque conſtituti inſtar luminum, terræ myſticæ *influxum* ſuum communicantium, 2 Cor. III, 5. 6. *Ignea* amoris ac zeli divinæ gloriæ virtute præditi, tanquam animantia ardentia Jeſ. VI, 1-3. In oculis hominum hujus ævi ſæpe *parvi* æſtimantur, revera tamen in oculis Dei magni habiti. Luc. X, 16. Matth. X, 40-42.

XV. β. Nec abſque gravi ratione *Duodecim* ſtellæ heic nominantur, reſpectu habito ad XII. Apoſtolos, qui κατ᾽ ἐξοχὴν οἱ δώδεκα appellari ſolent Matth. XXVI, 14. 20. 47. Placuit Salvatori ex ſapientiæ bene-

neplacito XII. eligere præcones purioris doctrinæ, idque non absque ratione gravi, quare quum numerus hic per Judæ apoſtaſiam imminutus eſſet, per Matthiæ electionem ſuppleri debebat. Varios enim numeri hujus typos ſub œconomia antiqua deprehendimus. Delineatos ipſos videmus in *XII. filiis Jacobi*, qui *12. filii unius Viri*, *12. fratres unius Patris* cum emphaſi appellantur Gen. XXXV, 23. XLII, 13. 32. Nec non in *12. principibus* 12. tribuum Iſraelis. Gen. XLIX, 28. Num. I, 44. Quum enim *12. tribus* figura eſſent Eccleſiæ genuinæ, etiam *XII. earum principes* commode XII. Apoſtolos præfigurabant, qui Duces populi Dei futuri. conf. Matth. XIX, 28. Porro in *XII. Fontibus Elim* Exod. XV, 27. quoniam Apoſtoli doctrinam gratiæ puriſſimam, tanquam latices limpidiſſimos, animabus ſitibundis ad recreationem exhibituri erant, præcipue per deſerta hujus mundi ambulantibus. Apoc VII, 16. 17. Similiter in *XII. Columnis* altaris ſeu ſtatuis aræ a Moſe erectæ Exod. XXIV, 4. nec non *XII. lapidibus altaris* Eliæ. 1 Reg. XVIII, 31. utpote qui teſtes futuri erant altaris veri in Eccleſia N. T. erigendi, in quo ſacrificium unicum æternum eſſet immolandum. Heb. X, 14. 1 Cor. II, 2. 2 Cor. V, 19. 20. *In XII. gemmis* in pectorali ſummi Pontificis, quæ *τὰ* אורים & תמים exhibebant. Exod. XXVIII, 21. XXXIX, 14. quoniam doctrina Apoſtolorum inſtar gemmarum pura, lucens, fulgida, tum veram cordi illuminationem, tum perfectam Mediatoris noſtri juſtitiam propoſitura erat. 2 Cor. IV, 6. 2 Cor. V, 20. *In XII. panibus propoſitionum*, qui merita Salvatoris noſtri per miniſterium XII. Apoſtolorum credentibus concedenda, deſignabant. Item per *XII. ſacrificia* & oblationes in *XII. patinis argenteis* principum Iſraelis Num. VII, 84. 87. præfigurabatur, utpote quæ ſacrificium Ducis ſalutis noſtræ conſummati per doctrinam Apoſtolicam, ejusque præconium (quod cum patinis comparari poteſt, quia proponit & exhibet juſtitiam ſalutis) exhibendum ob oculos ponebant. Porro in *XII. Exploratoribus* terræ Canaanis a Moſe emiſſis Deut. I, 23. qui dulces ejus fruges populo Dei exhibebant, quemadmodum Apoſtoli bona Canaanis ſpiritualis explorata ſervantes in pectore, alios de eorum pretio convincere ſtudebant. Inſuper in *XII. viris* a Joſua ſelectis, qui *lapides XII.* e Jordane delatos, in ſignum & memoriam miraculi transitus per aquas Jordanis, erigere debebant. Joſ. III, 2. 5. 9. A-

po-

poſtoli enim per præconium mirabilium Dei, in Eccleſiæ N. T. principiis demonſtratorum, ubique τεκμήϱια viva horum miraculorum in terra ſancta relicturi erant Zach. IX, 16. Præterea in *XII. bovibus*, qui *mare æneum* ſuſtinebant, & ex quorum ore *aqua* profluebat. 1 Reg. VII,25. 44. ad depingendum illos N. T. doctores XII. qui mare meritorum Salvatoris noſtri ſuſtinere, fulcire atque in Eccleſia conſervare ſtuderent, ex quorum ore *aqua* doctrinæ ſalutaris, tanquam medium purificationis, deſtillatura erat. 1 Cor. II, 2. 4. 8. 9. 1 Cor. IV, 1. Denique in *XII. Leonibus*, qui *thronum* Salomonis cingebant 1 Reg. X, 20. qui XII. illos Evangelii heroes pingebant, qui imperii Salomonis myſtici, i. e. Meſſiæ, teſtes, adminiſtratores atque ſatellites futuri Cant. III,7. 2 Cor. X, 5. gloriamque ejus heroico animo defenſuri erant. 2 Cor. IV,7. Quare etiam in N. T. numerum *duodenarium* deprehendimus cum alluſione ad XII. Apoſtolos, conf. *Exerc. ſup.* in Matth. XIX,28. Huc refer *XII. portas* novæ Hieroſolymæ, Apoc. XXI, 12. per doctrinam enim Apoſtolicam aditus in veram Eccleſiam hujus & futuri ſeculi patet. Nec non *XII. fundamenta* hujus urbis, quæ in doctrina apoſtolica fundata eſt Apoc. XXI, 14.

XVI. γ. Duodecim hæ ſtellæ *CORONÆ* inſtar cingere Eccleſiæ caput dicuntur in loco noſtro. Procul dubio alludit Spiritus S. vel ad *coronas radiatas* aureas *Imperatorum* & *Deorum*, quæ ſenis aut bis ſenis conſtabant radiis, vel ad coronas pretioſas e *XII. gemmis* conflatas, quæ ob lucem cum ſtellis comparantur. Utriusque generis coronarum in antiquis monumentis mentio occurrit.

Poſterioris generis coronam eleganti figura in Honorii nummo occurrentem exprimit Cel. HAVERC. in *diſſ. de Alex. M. numiſm. p. 114. n. LII.* cum inſcr. HONORIO AUGUSTO: Plures apud *Spanhemium*, *Oiſelium* & *Vaillant.* occurrunt. *Gemmæ* vero apud veteres inſtar *flammarum*, *ſtellarum*, *luminumque* conſiderabantur. Ita CLAUDIAN.

Quis miſcuit ignes, ſidonii rubrique maris.

Et VIRGIL.

\- - *ſtellatus jaſpide fulvo*
Enſis erat.

MARTIAL. *Lib. XII. Epigr.*

Gem-

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum.

Et BENJ. TUDELENS. *in Itin.* de corona gemmis ornata Imperatoris ſcribit, quod *luminibus noctu non opus ſit, quia omnes per gemmarum radiantium ſplendorem cernere queant.*

Prioris generis *coronas radiatas* paſſim exhibet OISEL. *in num. Imp.* præcipue *Tab. XXXVIII.* cum inſcr. ORIENS AUG. Eratque ſignum majeſtatis non regiæ ſolum ſed & *divinæ*, quam Imperatores affectabant. Hinc de Rege Latino VIRGIL. *Lib. XII. Æneid.*

- - cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,
Solis avi ſpecimen.

Conf. PASCHAL. *de coron. Lib. IX. cap. XIII.* *Æternitatem* quippe & *divinitatem* his figuris deſignabat antiqua ſuperſtitio, vide du CANGE in *Conſtant. de Imp. Byzantinis.* Unde apud BEGERUM Imperator cum corona radiata cernitur, addita epigraphe: AUGUSTO DEO. Plura in hanc rem adfert J. BEHM. *in diſſ. de Nimb. Sanctor. p. 14. ſq. adde* BARTH. *ad Stat. Theb. Tom. II. p. 16.*

Imo *coronas ſtellatas* imperatores in ſignum divinitatis ſibi tribuerunt, unde SIL. ITAL. *Lib. XIII.*

- - ille Deum gens
Stelligerum attollens apicem Trojanus Iulo
Cæſar avo.

Quoniam Jupiter *coronam VII. ſtellarum* gerens deſcribitur a *Lycophrone* & in nummis paſſim cernitur.

XVII. Jam vero ſi ſenſum hujus coronæ myſticum conſideremus, eleganter doctrina Apoſtolica, tum cum *corona*, tum cum *corona ſtellata* comparari poterit. *Coronam* doctrinæ ſymb. eſſe, Judæi agnoſcunt, quando legem toties cum corona conferunt, conf. quæ hanc in *rem* loca adduximus in MUS. BREM. *Vol. II. p. 222. ſq.* addimus locum ex *Elle Schemoth Rabb. ſect. 34.* כתר תורה מעולה יותר מכולן זכה אדם לתורה כאלו זכה לכולן *Corona legis omnium eſt excellentiſſima, qui lege dignus eſt, dignus eſt omnibus.* Gentes quoque *coronas ſapientiæ* & *eloquentiæ* celebraſſe, loco ſupra citato docuimus.

Quando autem emblema *coronæ* penitius inſpicimus, illam figuram

gerere

gerere triplicis dignitatis credentium, ſc. *propheticæ*, *ſacerdotalis* & *regiæ*, nec non *majeſtatis*, *libertatis*, *lætitiæ* ac *famæ* deprehendemus, id quod ex profanis & ſacris diptychis prolixe excuſſimus in MUS. BREM. *l. c. ad loc. Apoc. III, 11.* quare heic non repetimus. In ſpecie notandum, *coronam ſponſæ* in nuptiis tribui apud Hebræos, quæ formam עיר של זהב *urbis aureæ* habuerit, de qua vide, quæ ex *Gemar.* diſſerit Cel. WAGENSEIL. *in Sot. p. 965.* & SELDEN. *de uxor. hebr. Lib. II. cap. XV. p. m. 192. ſq.* Nec non apud Romanos atque Græcos, unde CLAUD. *de nupt. Hon.*

Tu feſtas Hymenæe faces, tu gratia flores
Elige, tu geminas concordia necte coronas.

Atque EURIP. *Phœn. Act. III.*

- οὐκ ἐπὶ καλλιχόροις ϛεφάνοισι
Νεάνιδος ὥραις βόϛρυχον ἀμμετάσας
- *non inter decentes coronas*
Maturæ in nuptiis puellæ comam religans.

Conf. PASCHAL. l. c. J. B. DRAGHEIM *diſſ. de priſc. Rom. nuptiis p. 23.* aliosque.

Eccleſia ergo heic *corona* ornata tanquam ſponſa & matrona Sponſi cœleſtis conſideratur Jeſ. LXI, 10. quæ nuptias agni celebratura erat, & *doctrinæ* apoſtolicæ decus in capite gerebat, quæ eleganter cum emblemate *coronæ* confertur. *Hæc* enim credentes & veræ Eccleſiæ membra conſtituit *prophetas*, qui nomen Dei, quod per hanc doctrinam ipſis revelatum eſt, profitentur coram mundo, & virtutes divinas in hoc orbe celebrant Matth. X, 32. 1 Pet. II, 9. Jeſ. XLIII, 21. *Hæc* illis dignitatem confert *ſacerdotalem*, utpote per illam nomen Dei frontibus ipſorum inſcribitur Apoc. VII, 4. 15. & apti redduntur ad Deo miniſtrandum absque metu per omnes vitæ dies Luc. I, 75-78. Hæc regia ipſis eſt corona, dum vi hujus veritatis funes vanitatis & laqueos tentationum disrumpunt 2 Tim. II, 26. hoſtibus pedem infigunt. Rom. XVI, 20. VI, 22. atque ita dominantur inſtar regum in terra Apoc. XX, 6. *Hæc majeſtatem* ipſis conciliat in medio perverſæ hujus ſeculi progeniei, hac lucent inſtar luminum in orbe obſcuro. 1 Pet. II, 12. hac tuentur nomen Dei contra quosvis hoſtium veritatis inſultus, qui majeſtatem ipſorum agno-

 ſcen-

ſcentes, ſuccumbere & adorare coguntur Apoc. III, 8. 9. *Hæc* plenam ipſis largitur *libertatem*; per veritatem enim in libertatem vendicantur Joh. VIII, 32. 36. quam per veritatis ſtudium etiam tuentur Gal. V, 1. & quæ Eccleſiæ N. T. a jugo legis & cathedræ Moſis, quam pedibus calcabat, dominio liberatæ, ſummo jure competit. Gal. IV, 26. *Hæc* veram in corde *lætitiam* excitat, quia per Salvatorem lugentibus in Zione loco ſacci & cineris ornatum atque veſtes decoras, imo oleum lætitiæ eſſe concedendum annuntiat Jeſ. LXI, 3. 10. atque per exhibitionem λύτϱȣ perfectiſſimi Mediatoris plenam conſcientiæ pacem aperit Rom. V, 1. 1 Joh. II, 1. 2. I, 7. Heb. X, 14. 22-26. *Hæc* denique credentium N. T. unica *laudis* atque *celebrationis* materia exiſtit. Hac famam ſibi in hoc & futuro ſeculo immortalem & nunquam intermorituram excitant. 2 Cor. I, 14. Phil. II, 16. 1 Theſſ. II, 19.

In ſpecie autem *coronam ſtellatam* ſeu *radiatam* gerit, quæ tum *divinitatis* tum *æternitatis* emblema exiſtit, ut ſupra docuimus. Per doctrinæ enim Apoſtolicæ virtutem ad *divinam* quaſi *dignitatem* elevantur 2 Pet. I, 3. ad imaginem Dei immortalis renovantur Col. III, 10. exiſtentes *æternitatis* beatæ & gloriæ futuri candidati Matth. XIII, 43. Col. I, 12. 13. Joh. XVII, 19. 22. 23. 24. Apoc. XXII, 14. 2 Tim. IV, 7. 8.

XVIII. Implementum hujus viſionis in Eccleſia Apoſtolica ut prolixius ob oculos ponamus, non erit neceſſe, quum ex emblematum applicatione paſſim demonſtrata, abunde pateat, Eccleſiam N. T. primam illam eſſe, quæ *lunam* pedibus calcabat amicta *ſole* juſtitiæ & *coronam* doctrinæ Apoſtolicæ in capite gerens. Imo Apoſtolus in Epiſt. ad Galatas totus in eo occupatur, ut hujus ſymbolicæ viſionis veritatem adſtruat.

O beatam Eccleſiæ primæ faciem! o admirandum illius decus! o ſponſam cœleſti ornatu decoram, quæ tanto digna quoque fuit Sponſo. O utinam adhucdum læta illa Eccleſiæ facies noſtris quoque temporibus adpareret! Aſt quis non exclamaret triſti hoc ſeculo? *Miſereare Jehovah, deficiunt ſancti & veraces ex hominum filiis receſſerunt.* Pſ. XII, 1. Væ! Væ! *aurum obſcuratum eſt, aurum præſtantiſſimum mutatum eſt in peſſimum. Puriores olim Naſiræi erant nive candida, nitidiores lacte, rubentes præ carbunculo, politi inſtar Sapphiri. Aſt eheu jam nigredine obſcu-*

obſcurior eſt forma eorum, concreta cum oſſibus eſt cutis eorum. Thren. IV, 1. 7. 8.

Certe ſi oculis illuminatis externam in plerisque locis Eccleſiam conſideremus, nonne *corona XII. ſtellarum* pedibus calcatur, *Luna* in capite apparet, & *tenebris* undique amicta cernitur.

Ubi eſt *lux illa*, quæ ab Eccleſia *ſole amicta* repercuſſa radiaret? Licet pauca ſæpe adhuc reperiantur Eccleſiæ externæ membra, quæ *cognitionis* Evangelicæ veritatis ſtudio polleant (quum viciſſim longe plurima eorum multitudo plusquam cimmeriis obruta tenebris, & ſomno carnalis torporis ſopita jaceat) *ſanctitatis* tamen ſtudium ſumme neceſſarium negligitur. Quum plerique confeſſores vera gratiæ luce, quam a Juſtitiæ ſole, per veram fidem haurire deberent, deſtituantur, non niſi ignes fatui, falſam pietatis ſpeciem mentiuntur. Squalor ille impurus cupiditatum carnalium & voluptatum hujus ſeculi, qui a plerisque ſeſe prodit publice, omnem juſtitiæ lucem reſpuit, quare non niſi abominatio & *κατάρα* in oculis ſupremi Numinis exiſtunt. Nonne inter Eccleſiæ externæ membra reperiuntur, qui in pluribus atque longe abominabilioribus vitiis ſeſe volutant, quam inter gentes induratas ſæpe deprehenderes?

Luna rerum mundanarum *pedibus* merito proculcanda, in capite potius apparet. Quot miſeri mortales ad cœleſtia creatum ſpiritum in pectore gerentes, non niſi terreſtria quærunt, cœleſtia negligentes;

Heu quibus æterni ſupereſt haud vana cupido
Numinis, & celſi mens ſtudioſa poli.
Quæ vacuæ ſecum terræ vehit orbita, celſo
Cuncta animo ſpernens ſub pede calcat ovans.

Quis, cœleſtibus adſuetus meditationibus, orbis incolas terrigenas non cum ſtupore animadvertet noctu diuque talparum inſtar occœcatarum, terreſtribus inhiare bonis, quæ tamen fugitivæ inſtar umbræ ocyus tranſeunt, nec ullum menti immortali commodum aut ſolatium addere valent.

Quam pauci ſuperſunt, qui *XII. ſtellarum* coronam in capite gerunt. Eccleſia prima hoc diademate ornata apparebat & puriſſima veritatis Evangelicæ confeſſione conſpicua erat; ſed ohe corona hæc plerisque confeſſoribus ſubrepta eſt Apoc. III, 11. qui indigne Evangelio viventes, pretio-

ſum hunc theſaurum neglexerunt, vel perverſa in ſceleribus hujus ævi volutatione conſpurcarunt.

O utinam quisquis de miſero hoc Eccleſiæ noſtri ævi ſtatu convictus eſt, ſeria reſipiſcentia ductus, primævæ Eccleſiæ faciem exoptatiſſimam imitari inciperet! Evigila, quæ tenebris obſita lates, o Zion, diſcute palpebris ſomnum ſecuritatis & ignorantiæ, ecce Lux tua oritur, exhibe cor tuum, ut Chriſtus illud illuſtret radiis gratiæ ſuæ fulgidiſſimis, atque ita ex ſtatu tenebrarum ad miram ipſius lucem traduci queas. 1 Pet. II, 9. Sperne, fuge, pedibusque preme cuncta, quæ viciſſitudinibus in hoc orbe perpetuis *Lunæ* inſtar obnoxia exiſtunt; cœleſtia quære bona, quorum te poſſeſſio beatum in hoc & futuro ſeculo conſtituet. Doctrina veritatis auro tibi contra carior ſit, torques ſit aureus colli tui & corona capitis, de hac gloriare, in hac exulta, hanc tuere ad ultimum vitæ halitum. Sic cum Hieroſolyma cœleſti, æterna Jehovæ luce frueris, procul a Luna & mundo ſublunari in palatio gloriæ lætaberis triumphans, & corona vitæ immarceſſibili ornatus in ſecula vives.

EXERCITATIO DE MULIERE IN EPHA SEDENTE.

ZACH. V, 5-11.

ARGUMENTUM.

Variæ circa ſenſum hujus viſionis propheticum ſententiæ recenſentur §. *I. Noſtra hypotheſis, qua ortum ac poſt reformationem tutam ſedis Antichriſtianæ confirmationem heic delineari, contendimus, proponitur ac probatur* §. *II. Quid* Epha *literaliter* §. *III. quid myſtice deſignet, exponitur* §. *IV. Quid* exitus *hujus* Ephæ *& verba addita:* זה עינם *innuant,*

innuant, docetur §. *V. Nova ſymbola tum* maſſæ plumbeæ *elevatæ, i.e. errorum ac vitiorum graviſſimorum in Eccleſia ortorum* §. *VI. & VII. atque VIII. tum* Mulieris *illius, in* medio Ephæ ſedentis, *qua doctores antichriſtiani autoritatem infallibilem ſibi arrogantes & mercaturam ſpiritualem exercentes depinguntur, prolixe explicantur* §. *IX. & X. Pergimus ad ea, quæ circa mulierem & plumbum acciderunt, docentes, quomodo* mulier in Epham præcipitata, *& quas ob rationes* improbitas *appelletur* §. *XI. XII. Et qua ratione* plumbum in os Ephæ conjectum *dicatur ab angelo* §. *XIII. Pandimus dein alteram ſcenam, oſtendentes per* II. mulieres *doctores Proteſtantium intelligi* §. *XIV. & quas ob cauſas illis* alæ *in genere* §. *XV. in ſpecie autem* τῶν ciconiarum, *quæ principum piorum figura exiſtunt, tribuantur* §. *XVI. examinando propius ſenſum myſticum* alarum ciconiæ §. *XVII. & quare* ventus *ſub alis fuiſſe dicatur* §. *XVIII. Addimus inſuper, quid* elevatio *hujus Ephæ a mulieribus* inter cœli terræ ſpatium *medium innuat.* §. *XIX. Quid* terra Sinear *deſignet.* §. *XX. Et quomodo Ephæ huic* domus *in illa ædificata, atque illa tanquam idolum in eadem collocata quieverit.* §. *XXI. Subjungimus denique* implementum *hujus viſionis propheticæ ex monumentis hiſtoriæ Eccleſiaſticis erutum* §. *XXII. XXIII. XXIV. XXV. atque epilogo morali hanc telam pertexímus* §. *XXVI.*

I.

SIngularis illa eſt viſio, quæ *de Epha & muliere in eadem ſedente, ac per duas mulieres in terram Sinear delata* exhibetur Vati Zach. V, v. 5-11. Pauci ſunt, qui genuinum illius ſenſum expiſcari annifi ſunt, licet a variis paſſim obiter indicatum. In genere notandum quosdam Interpretes ad Judæorum corruptum ſtatum, alios ad Antichriſtum, alios ad utrosque hanc viſionem referre. Plerique *Judæorum Magiſtri* ad populi Iſraelis in captivitatem Babyloniæ abductionem illam reſpicere contendunt, ſecuti Paraphraſten, quibus pollicem premunt *Vatablus, Corn. a Lapide* variique inſuper *Patres* apud eundem. *Lutherus, Himmelius* & *Calovius* falſos doctores in genere judiciis divinis coërcendos intelligunt. Cel. HULSIUS *in Vall. Prophet. p. m. 156.* faſtum Judaici regi-

 minis

minis Eccleſiaſtici in Antichriſtianiſmum delatum hoc loco innui exiſtimat. Conſentientem in hac re nactus eſt Cl. LAMPIUM *in Bibl. Brem. Cl. I. f. II. p. 160. in not.* Verum quum in præcedenti viſione Comm. 4. manifeſta templi Hieroſolymitani deſtructi atque exciſi mentio occurrat, ſequitur in præcedenti viſione, cujus noſtra eſt continuatio, uti ex Comm. 5. colligitur, non denuo per *plumbum* orificio Ephæ immiſſum, excidium Hieroſolymæ intelligendum eſſe. Ut taceam in hac hypotheſi *mulierem* in Epha ſedentem, cum duabus mulieribus confundi, quæ tamen neceſſario diſtinguenda eſt. *Alii* veluti Cl. BIERMANNUS & HOEKIUS ad Antichriſtianiſmum melius referendum judicant in *Comm. ad h. l.* ſed in applicatione emblematum iterum differunt, uti ex ſequenti illorum excuſſione patebit. Cel. EZARD. *in tract. Berachoth* de *academiis Judæorum* in Babylonia excitatis poſt excidium Hieroſolymæ, explicat hanc viſionem, ſed merito refutatus a *Cel. Lamp. l. c.* licet eandem hypotheſin Cl. ZELTNER. *in diſſert.* de *Virgine erudit. Jud. per transennam docente Altdorf. 1722.* tueri ſtudeat.

II. Nos in hac viſione Antichriſti ortum, ejusque poſt ſeparationem Proteſtantium, tutam ac quietam dominii ſui poſſeſſionem delineari contendimus.

(1.) Quoniam prior viſio peccata Eccleſiæ Judaicæ corruptæ, ejusque excidium per deſtructionem Hieroſolymæ & templi depingit, uti omnibus ad oculum patet, & hæc viſio eandem ſequitur, Ephaque ex templo exciſo prodire concipitur: Comm. 5. ſequitur, deſcribi ſtatum Eccleſiæ corruptum per acceſſionem gentium & ortum Antichriſti.

(2.) Ex parallelia viſionis hujus cum Epiſtola ad Pergamum & Thyatiram Apoc. II. Illic occurrunt *doctrinam Balaam* amplexi, ubi *thronus Satanæ* eſt, quod idem in viſione noſtra per *Epham* & *ſedentem* in ea *Impietatem* deſignatur. Illic *mulier Jeſabel*, *prophetiſſam* ſe fingens, ſervosque Dei ſcortari docens exhibetur, heic *mulier* impia in medio *Ephæ* ſedens, tanquam judex doctrinæ & meretrix illa magna, voluptates & bona hujus mundi promittens amantibus ipſam, deſcribitur. Illic *mulier in lectum* ægritudinis *projicitur*, quum in lecto *ſcortata* eſſet. Heic mulier in Epham, in qua ſederat, præcipitatur, & injecta *maſſa plumbi* quaſi ſepelitur.

(3.) *Col-*

(3) *Collocatio* ejusdem Ephæ, quæ antea *prodierat*, in ſede ſua in terra Sinear i. e. Babylone myſtica, innuit, quod *ortus* Antichriſti per *exitum* Ephæ, & *confirmatio* ac *ſeparatio* ejus a vera Eccleſia per *collocationem* ejus in baſi ſua, elegantiſſime ſub hac viſione delineetur.

(4.) Ut taceam hanc hypotheſin & emphaſi emblematum eorumque nexui, imo omnibus phraſibus in hac viſione occurrentibus optime ſatisfacere, ut ex propiore ipſius explicatione & implemento ad oculum patebit.

III. Duplex hujus viſionis Scena diſtinguitur; *prior* ſiſtit ſtatum Eccleſiæ corruptum per Antichriſti ortum, ejusque fata. Comm. 5. 6. 7. 8. *poſterior* ſeceſſum Eccleſiæ Apoſtolicæ & confirmationem Antichriſti in ſede ſua Comm. 9. 10. 11.

A. Quod ad ſcenam priorem attinet

א. Ortus Antichriſti depingitur Comm. 5. 6.

ב. Progreſſus & judicium indurationis ejus. Comm. 7. 8.

א. α. Comm. 5. quando legimus *Angelum*, qui viſiones has Vati manifeſtabat, *exiiſſe*, atque juſſiſſe, ut denuo *oculos tolleret* ad videndum quid exiret, docemur heic poſt aliquod intervallum, exciſo ſc. templo atque Hieroſolyma, novam Eccleſiæ corruptæ per Antichriſtum faciem apparituram, & quidem ſimilem priori per faſtum ſuperſtitionis atque traditionis Judaicæ corruptioni; quum poſt deſtructam Moſis cathedram, nova quaſi cathedra eſſet erigenda, quæ per Epham deſignatur, quare illa ex templo exciſo poſt aliud intervallum (per *exitum* angeli deſignatum) prodire hoc loco concipitur.

β. Viſio ipſa Comm. 6. ſiſtit *EPHAM prodeuntem*, quam deinceps Angelus explicat: *Hic eſt oculus eorum in univerſa terra.*

a. EPHA. איפה Erat aridorum menſura apud Judæos frequentiſſima, ejusdem capacitatis cum τῷ בת, quæ liquidorum fuit menſura, teſte Spiritu S. Ezech. XLV, 11. Continebat autem Epha tres ſeas ſive ſata, decimam partem τȣ̃ עמר, vide *Chald. Paraphr. ad h. l.* & Judæos in *Erub.* quare LXX. τρία μέτρα vertere ſolent. Ova autem CCCCXXXII. capere dicitur apud Judæos, qui per ova menſuras computare ſolent, vel XVIII. Cabos, qui efficiunt apud Græcos μετρητὴν, de qua vide Cel. LAMP. *in Comm. Joh. Tom. I. p. 508. in not.* ſive quatuor & dimidium modios Romanorum. Ex ſcriptis autem ſacris conſtat, hanc communem ac maxime uſitatam apud

pud Judæos fuiſſe menſuram & cæterarum omnium rationes continentem. Quare quum menſura aridorum in genere nominanda eſt in ſacris, איפהךן occurrit. Sic Lev. XIX, 36. Deut. XXV, 24. Prov. XX, 10. Amos VIII, 5. Mich. VI, 10. pro menſura frumentorum in genere ponitur.

IV. Quæritur autem, quum emblemata hujus viſionis myſtica ſint, quid hoc loco per איפהךן intelligatur. Differunt Interpretes, pro ſua quisque hypotheſi exponentes. C. a LAPIDE cum variis *Patribus* & GROTIO *menſuram peccatorum* a Judæis exaggeratam; VATABLUS, WASERUS aliique *pœnam* talionis, Judæis ob falſam Epham retributam, Cl. EZARDUS cum variis Judæis *ex cod. Sanhedrin*, Academias Judæorum in Babylonia excitatas, quem ſequitur ZELTNERUS *in diſſ. cit.* & Cel. VENEMA *in diſſert. Sacr. p. 175.* LUTHERUS, quem ſequitur *Calovius* & *Himmelius* aliique, falſos doctores Judæorum; Cel. LAMP. l. c. *cathedram* Moſis corruptam, ſecutus hac in re HULSIUM l. ſupra cit. Cel. MARCK. tum examen peccatorum gentis Judaicæ ad ἀκμὴν delatorum, tum retributionem juſtam, tum denique *bonum multiplex* Judæis conceſſum; Cl. HOEKE in Comm. h. l. externum Eccleſiæ N. T. ſtatum, bonis externis affluentem, Cel. denique BIERMANNUS & TEELMANN ad h. l. cum Cel. COCCEJO *abundantiam* bonorum externorum, quibus Eccleſia erat accumulanda, intelligunt.

Verum ut & noſtram de hoc ſymbolo ſententiam dicamus, EPHAM *autoritatem* illam *infallibilem in diſpenſanda doctrinæ veritate* intelligendam exiſtimamus, quæ cum *mercatura ſpirituali* conjuncta erat in Antichriſtianiſmo.

a) Quum enim farina, triticum, frumentum &c. figuram in ſacris & profanis diptychis exhibeant *doctrinæ*, conf. Jer. XXIII, 18. Pſ. LXXXI, 17. Matth. XIII, 33. Gal. V, 9. Matth. XVI, 6. 12 id quod ex profanis quoque ſcriptoribus demonſtravimus *in diſſert. noſtr. Juvenil. de miracul. Eliſæ. D. II. p. 37. ſq.* ſequitur, ordinariam illorum menſuram, ſecundum quam diſtribui ſolent, in genere poteſtatem illam ob oculos ponere infallibilem, qua hanc doctrinam diſpenſare quis ſtudet.

b) Præcipue quum *Epha* in ſacris plerumque occurrat tanquam *communis* omnium aridorum præcipue farinæ & frugum menſura, ſecundum quam vendere atque emere, imo farinam pro cibo diſtribuere ſoliti fuerint

rint veteres, quare Lev. XIX, 36. *Epha juſtitiæ* pro juſta menſura ponitur, coll. Deut. XXV, 14. Et Amos VIII, 5. Judæi avari diminuere Epham, i. e. menſuram frumenti, dicuntur; adde Mich. VI, 10. *panis* quoque diſtribuendus ſecundum Ephæ rationes in ſacris deſcribitur, vide 1 Sam. XVII, 17. Jud. VI, 19. Ut ita elegantiſſime per hoc emblema poteſtas illa τῶν οἰκονόμων in Eccleſia Dei externa, in diſpenſandis mediis gratiæ & doctrinæ veritatis deſignetur, per quam *mercaturam* illam ſpiritualem exercere dicuntur in ſacris. conf. Apoc. XVIII, 11-13.

c. Quum autem Epha heic procul dubio certa & determinata occurrat, autoritas quoque heic *certa* & *infallibilis* intelligi apte poteſt, quam mulier illa, impietatis mater, ſibi vendicatura erat, hinc Antichriſtus *obſignator menſuræ* dicitur Ezech. XXVIII, 12.

d. Ita etiam omnia hujus Ephæ attributa ſponte explicare poterimus, uti ex ſequentibus ad oculum patebit, & hanc Epham eodem ſemper ſenſu conſiderabimus, nec opus erit, ut paſſim phraſibus de eadem heic adhibitis vim inferamus.

e.) Quod denique confirmatur ex parallelia loci Apoc. VI, 6. 7. ubi eadem autoritas Antichriſti ſub *figura balancis*, ſecundum quam triticum & hordeum diſtribuendum erat, proponitur.

Ratio autem, cur plerique Interpretes ſat graves *Epham* hoc loco de *abundantia bonorum temporalium* intellexerint, procul dubio hæc eſt, quoniam *illam plenam frumenti* conceperint, quum potius ex mulieris in eadem ſedentis & dein in eandem præcipitatæ deſcriptione aperte conſtet, eam heic prophetæ apparere tanquam *vacuam;* adeoque eleganter ex hypotheſi noſtra *poteſtas* diſpenſandi deſignatur, quæ tanquam Epha vacua vel repleri vel repleta evacuari, i. e. vel exerceri vel negligi poteſt.

V. b. Inſpiciamus porro quid Angelus Dei de hac Epha vati communicet.

1. Deſcribit illam tanquam היוצאת *exeuntem* atque *prodeuntem* in publicum. Plerique Interpretes concipiunt hanc Epham prodeuntem ex *Hieroſolyma* ſeu *templo*, ſc. exciſo & deſtructo, de quo in præcedenti viſione agebatur. Nec contemnenda eſt hæc hypotheſis, quia cum priori viſione hæc ſequens connectitur. Adeoque *Epha* myſtica proditura erat ex templo Judæorum exciſo, ſc. abrogata cathedra infallibili Moſis in Eccleſia N. T. utpote quæ pedibus inſtar Lunæ conculcanda

 Apoc.

Apoc. XII, 1. nova in Eccleſia N. T. per acceſſum gentium multiplicata, paulatim autoritas ac judicium de veritate doctrinæ erigendum erat per Antichriſtum, & quidem in rebus Eccleſiaſticis a miniſtris Eccleſiæ exercendum, quod per exitum e templo ſignificari poſſet.

Verum & phraſis hæc communem illum admittit ſenſum, quo publicam rei cujusdam manifeſtationem deſignat, atque hac ratione manifeſtatio atque exercitium publicum ejusmodi auctoritatis publicæ in Eccleſia externa ſignificaretur.

2. Addit inſuper Angelus explicationem quandam hujus Ephæ prodeuntis, dicens: זאת עינם בכל ארץ. *Hic eſt oculus eorum in tota terra.* LXX. Interpretes loco עינם legiſſe videntur עונם, quando vertunt ἀδικία αὐτῶν. *Kimchi*, *Vatablus*, *Druſius* cum aliis *oculum Dei* vel providum vel ultorem intelligunt, verum non attenderunt ad affix. ם, quod pluralitatem perſonarum innuit, eosque reſpicit, qui in hac viſione proponuntur, adeoque non de Deo intelligi poterit. Multi *Grotium* ſecuti per *faciem* & *formam* vocem עין explicant, veluti Lev. XIII, 25. Num. XI, 7. Ezech. I, 16. adhiberi ſoleat. Melius *Coccejus* ſenſum expreſſit vertens: *hæc eſt* θεωρία *contemplatio hominum in tota terra.* Adeoque quantum nos ex nexu ſermonis angelici colligimus, voluit Angelus momentum hujus viſionis de Epha indicare, quemadmodum ante jam Vati, ut oculos tolleret, præceperat, atque idem eſt ac ſi diceret: Hæc eſt Epha illa, in quam oculos figunt ſc. animi, homines totius terræ i. e. Eccleſiæ viſibilis. Adeoque recte hoc loco antitheſin obſervant nonnulli Interpretes inter externa & genuina Eccleſiæ membra. Veræ Eccleſiæ N. T. oculi in Lapidem illum, coram Joſua poſitum reſpiciunt Zach. III, 9. tanquam petram ſalutis, cujus molimina ſunt infallibilia, columnam unicam omnis veritatis Joh. I, 17. aſt Eccleſia externa per Antichriſtum corrupta, reſpicit Epham, tanquam columnam veritatis infallibilem.

VI. Pergamus ב. ad progreſſum & judicium Antichriſti, ejusque auctoritatis, Com. 7. 8. deſcripta. Ubi

α. Nova ſymbola prophetæ ob oculos poſita, quæ erant *plumbum* elatum & *mulier*. Comm. 7

β. Ea,

β. Ea, quæ circa mulierem & plumbum hoc accidiſſe memorat vates Comm. 8.

propius conſiderabimus.

α. a. Primo loco conſpicit *Maſſam plumbi in altum ſublatam.* והנה ככר עופרת נשאת. Voce ככר, quæ alias *talentum* Exod. XXXVIII, 25. ſignificat, hoc loco *maſſam* aliquam gravem, planitiem ſed orbicularem habentem, quoniam & orbem & planitiem terræ deſignat, conf. Gen. XIII, 12. XIX, 17. Deut. XXXIV, 3. 2 Sam. XVIII, 24. adeoque commode hoc loco intelligas *maſſam plumbi planam*, quæ ſecundum peripheriam Ephæ *orbicularis* erat, ſimulque *gravitate* ſua talentum quaſi ſuperabat. Comm. ſeq. אבן *lapis* eapropter vocatur. Quæ quum in terra hactenus jacuiſſet, in altum elevata, conſpicua reddebatur, id quod per vocem נשאת indicatur.

Quæritur autem quid ſenſu myſtico per hanc *maſſam plumbi* delineetur. *Chaldæus* & *Vatablus* captivitatis Babylonicæ judicium pro hypotheſi ſua, *C. a Lapide* cum variis Patribus, *Lutherus*, *Markius*, *Wolfburgius in obſ.* aliique in genere grave quoddam Dei judicium & decretum immobile pœnæ, intelligendum eſſe per plumbum exiſtimant. *Coccejus*, *Gurtlerus*, *Biermannus*, & *Hæke* populos in hac figura quærunt, graves, impuros & barbaros, qui Antichriſtum debellaturi eſſent, Cel. *Lampe l. c.* excidium Hieroſolymitanum, Cl. MAJUS denique *teſtes veritatis*, *qui mulieri os occluſere*, depingi cenſent.

VII. Verum quando emblema *plumbi* & *ponderis* (ככר) penitius inſpicimus, illud in ſacris & profanis ſcriptis deprehendemus figuram eſſe

(a.) *Graviſſimorum* Dei *judiciorum*, quæ in genere in ſcriptis ſacris inſtar *oneris* & *ponderis* graviſſimi conſiderantur, quod ex collatione locorum Hiob XXXIII, 7. Jeſ. XXX, 27. Pſ. XXXII, 4. LXVI, 11. LXVIII, 20. LXXXI, 7. Gal. VI, 2. manifeſto patebit. Huc refer phraſin illam in prophetis, præcipue Jeſ. XVII. XIX. XXI. &c. toties uſurpatam: Hoc eſt משא־ *onus* Jehovæ, per quod denuntiata judicia divina intelliguntur. Nec non locum Apoc. XVI, 21. ubi inter judicia divina in Antichriſtum effundenda etiam *grando ταλαντιαία* (convenienter τῷ ככר) memoratur. Quemadmodum apud profanos quoque ſcriptores eadem ſigni-

 ficatio

ficatio obtinet. Sic STAT. *IV. Theb. v. 320.* & paſſim alibi *Pondera Martis* memorat, per quæ pericula & bellicas devaſtationes intelligit, ut explicat *Barthius* l. c. Sic EURIPID. *in Oreſt. v. 2.*

Ὀυδὲ πάθος, ὀυδὲ ξυμφορὰ θεήλατος,
Ἧς οὐκ ἂν ἄροιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.
Neque calamitas nec pœna divinitus inflicta,
Cujus pondus non ſuſtineat genus humanum.

Et in *Iphigen. v. 1306.*

Πάρειμι, καινῶν φόρτον ἀγγέλλων κακῶν.
Adſim, nuntians novorum pondus malorum.

imo *plumbum* hoc ſenſu adhibetur à PLAUT. *in Pœnul. Verum ita ſunt omnes noſtri divites, ſi quid benefacias, levior pluma eſt gratia, ſi quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt.*

(b.) In ſpecie autem *judicii* indurationis in graviſſimis *erroribus* atque *vitiis* ſceleribusque figuram eſſe *pondus* & quidem *plumbeum*, conjicimus. Sic *præjudicia* & *ſuperſtitio* Judæorum occœcatorum eorumque ſcelera cum ære corrupto & *plumbo impuro* comparantur Jer. VI, 29. 30. Ezech. XXII, 18. 19. Sic ſtultitiam hominum inſulſorum cum plumbo confert Siracides C. XXII, 17. Imo inter merces Tyri myſticæ etiam *plumbum* (i. e. falſa præjudicia de veritate, ad ſecuritatem carnalem ducentia) recenſetur Ezech. XXVII, 12. conf. Cel. LAMP. *in Pſ. XLV. p. 467.* de hoc loco differentem. Uti olim traditiones Judæorum cum gravi *onere* collatas videmus in locis Jeſ. X, 27. Matth. XXIII, 4. Luc. XI, 46. Quum enim vera doctrina & veritas cum auro atque argento depurato toties in ſacris conferatur, facile liquet viliſſimum, obſcurum, impurum, molle atque gravis oneris metallum, quale eſt plumbum, mendacia, errores, præjudicia ac vitia veritati contraria optime deſignare poſſe. Fundamenta hujus ſymboli in profanis quoque diptychis deprehendimus. Sic *verba gravia* ac *ſuperba* in genere *pondera verborum* audiunt apud ARISTOPH. *in Ran. Act. IV. ſcen. I.*

Ἀλλ' ὡς παρέλαβον τὴν τέχνην παρὰ σοῦ, τὸ πρῶτον μὲν εὐθὺς
Ὀιδοῦσαν ὑπὸ κομπασμάτων, καὶ ῥημάτων ἐπαχθῶν.

Ut

Ut primum hanc artem a Te accepi, jam tum inflatam ac tumentem
Vocum ampullis & pondere verborum nimis gravatam.

VALER. FLACC. *Argon. Lib. I.*

- *ſictis dat vocem & pondera dictis.*

Similiter *lapis* & *plumbum* hoc ſenſu occurrunt. Sic R. ISAAC ARAMA *in Aked. Jizchak. fol.* קסט ſcribit: וכהיות הפלישתי הערל משליך אבני זדון וסכלות אשר בהם קלף מערכות אלוהים חיים *Quando Philiſtæus ille præputiatus conjecit lapides faſtus & ſtultitiæ, quibus contumelia afficiebat caſtra Numinis vivi.* Similiter plumbi adhibet emblema CICERO *in Tuſculanis: Niſi ſane*, ait, *in Phyſicis plumbei ſumus.* Et in *Epiſt. ad Attic. plumbeum gladium* pro inani & inutili ſermone ponit: Et apud *Plautum* homo *plumbeus* eſt ſtupidus & obtuſus.

VIII. Ex his jam ſponte liquet emblema *maſſæ plumbeæ* deſignare in ſpecie judicium illud graviſſimum occœcationis, quod Paulus deſcribit verbis, quæ explicationem myſterii hujus maſſæ plumbeæ exhibent. 2 Theſſ. II, 9-12. ſcribens adventum i. e. ortum Antichriſti fore ex *vi efficaci Satanæ* cum omni potentia, ſignis & *prodigiis fallacibus*, cum *ſeductione injuſtitiæ.* Quare Deus ipſis miſerit *efficaciam erroris*, ut credant *mendacio*, & *acquieſcant in injuſtitia.* Efficacia enim *errorum* & *injuſtitiæ* ac vitiorum, qua Antichriſtus a Deo juſto judicio indurandus erat, eleganter cum *plumbo* comparatur: *tum* quia plumbi inſtar errores erant *obſcuræ* atque *occœcatæ* mentis fructus, qui operationes Principis tenebrarum prodebant, quas per efficacem potentiam in Antichriſtianiſmo exſerturus erat; *tum* quia inſtar *plumbi impuri* erant errores, ſanctiſſimas Dei atque Filii perfectiones obnubilantes, quare *doctrina dæmonum* impurorum appellantur ab Apoſtolo. 1 Tim. IV, 1. *tum* quia inſtar plumbi *viliſſimi* erant, vani & fictitii, eos coram Deo & angelis contemtui exponentes, formam pietatis habentes ſed virtutem abnegantes 2 Tim. III, 2. 5. 7. 1 Tim. IV, 2. *tum* quod inſtar plumbi *molliſſimi* errores eſſent, ad quævis vitia, concupiſcentias carnis & luxum anſam ſuppeditantes, quare luxuriam præ Deo amantes deſcribuntur 2 Tim. III, 4. Et Antichriſtianiſmus eapropter ni[illegible]us impurarum concupiſcentiarum vocatur Apoc. XVIII, 2. *tum* quia inſtar plumbi *graviſſimi* futuri erant, fundamen-

ta juſtificationis ex gratia, adeoque & ſalutis peccatorum concutientes, atque animam in ſecuritatem carnalem præcipitantes, imo ad perniciem deprimentes. 2 Theſſ. II, 12. *tum* denique quia *igne* excandeſcentiæ divinæ ac perniciei æternæ hi errores exurendi erant tanquam hæreſes exitiales, quæ celerem cient perniciem. 2 Pet. II, 1. 2. quas in abyſſo ignis atque ſulphuris luent earum aſſeclæ Apoc. XX, 10.

In ſpecie *maſſa* ſeu *tabula* plumbi hoc loco memoratur, quoniam leges, fabulas & dicta ſua *Veteres tabulis plumbeis* inſcribere ſolebant, uti patet ex illo Job. XIX, 28. & locis *Talmudicis* variis, conf. BUXTORF. *Lex. p. 19.* quod & PAUSANIAS docet *Bœot. Lib. IX.* ſcribens ſibi ad fontem *μόλιβδον plumbeam Tabulam* oſtenſam eſſe, in qua poëmata antiqua ſcripta legerit. Hæc maſſa *elevata* conſpiciebatur, ſc. per occultam Dei providentiam, ut innuatur id quod Apoſtolus 2 Theſſ. II. cit. teſtatur, ſc. *Deum* miſſurum efficaciam erroris juſto ſuo judicio, in illos, qui veritati parere reſpuerant. *Elevatio* in ſpecie publicam horum errorum profeſſionem ac ſcelerum coram oculis mundi manifeſtationem innuere poterit, ita ut hic beſtiæ character ubique in Eccleſia conſpicuus appareret.

IX. Simulac autem errores hi graviſſimi ac doctrina impura in Eccleſia conſpicua ſeſe manifeſtabat, actutum quoque *Mulier* illa meretrix dignoſci poterat, quare

b. Vates *cum ea* cernit *mulierem unam, quæ ſedit in medio illius Ephæ.*

1. In genere heic apparet *Mulier una.* *Corn. a Lapide Synagogam* Judaicam, *Vatablus* congregationem X. tribuum unanimiter deficientem, *Markius* gentem Judaicam tempore Chriſti ſecure ſceleribus inhærentem, intelligunt. Plurimi tamen Interpretes ad *Antichriſtum* referunt, quibus calculum noſtrum adjicimus, intelligentes non tam *Cœtum* ipſum Antichriſti, quam *antiſtites* cœtum regentes, quia *mulier* in medio Ephæ, inſtar *throni* conſideratæ, *ſedens* apparet, quod Symb. exiſtit regiminis, ut deinceps docebimus. Et quando antiſtites cum muliere & matre conferuntur, membra Eccleſiæ tanquam liberi et proles conſiderantur. conf. Ezech. XVI, 44. Pſ. XLV, 13. *Antichriſtum* autem hoc loco per *mulierem* deſignari patet:

a.) Quoniam in Apocalypſi, quæ eſt clavis propheticarum viſionum, ſub

ſub hoc ſymbolo manifeſto proponitur. Sic Apoc. II, 20. *mulier Jeſabel* appellatur, quæ ſervos Dei ſeducit, ut cum ipſa ſcortentur. Sic Apoc. XVII, 1-6. vocatur *meretrix illa magna*, cum qua ſcortati ſunt principes terræ, *mulier inſidens beſtiæ coccineæ*, plena nominibus blaſphemiæ, reſpectu habito antiſtitum, qui ſubditorum conſcientiæ frena injiciunt, & eos tanquam beſtiam ſtupidam tractant; *Mulier* amicta purpura & cocco, divitiis & faſtui hujus ſeculi inhians; *mulier ebria* ſanguine ſanctorum, nominis divini confeſſorum: *Babylon magna*, *mater ſcortationum*, quoniam ſc. teſte HERODOT. *Lib. I.* Babylonii legem illam impuram ſanciebant, qua omnes mulieres ſemel per vitam ad Veneris Mylittæ templum corpora ſua proſtituere tenebantur, atque ita urbs plena ſcortationum erat, quo hoc in loco digitum intendit Spiritus S., horrenda ſcelera & ſcortationes ſpirituales Antichriſti depingens. Huc refer etiam Prov. VI. VII. IX. ubi itidem per *meretricem* illam mulierem Antichriſtianiſmus depingitur, ut alia loca taceam.

b.) Quævis ſocietas a Legislatore, Capite ſeu Duce ſuo dependens, in ſcriptis ſacris & profanis ſub ſymb. ſexus ſequioris delineatur. Sic populus Romanus *filia Dei peregrini* Mal. II, 11. Eccleſia Judaica *mulier*, quæ maritum habet. Jeſ. LIV, 1. Respublicæ gentium, *filiæ tranquillæ*, audiunt. Jeſ. XXXII, 9. Emblema hoc ex profanis illuſtravit Cel. LAMP. *in Pſ. XLV. p. 332. ſq.* adeoque Eccleſia Antichriſti ejusque in ſpecie antiſtites a Pontifice Romano, tanquam Capite viſibili dependentes, ipſique plene ſubjecti, tanquam *mulier* in ſacris conſiderantur.

c. Præcipue autem conſideratnr tanquam *mulier improba*, *adultera*, *meretrix*, uti ex locis citatis apparet, ad denotandam turpiſſimam ejus idololatriam, qua a vero Capite & Sponſo Eccleſiæ, Chriſto, declinat, & amorem cultumque ſuum debitum ceu dotem alieno concedit. conf. Jer. L. LI. Dan. XI, 38. Apoc. IX, 20. XIII, 4. 14. XVIII, 2. Apoc. II, 20. 22. In ſpecie *falſi doctores* Antichriſti ſub hoc emblemate occurrunt, hi ſunt *mulieres*, quibus genuini veritatis confeſſores non inquinati ſunt Apoc. XIV, 4. quoniam anſam ſcortationis myſticæ ſeu idololatriæ exhibent, & membra Eccleſiæ ſeducunt inſtar proſtibulorum.

Una autem אחת, non abſque ratione gravi additur a Spiritu S. *partim* ut diſtinguatur hæc mulier a *binis* illis mulieribus deinceps memoratis,

ratis, qui Epham inter cœli terræque ſpatium ſuſpenſam tenebant, per quas Eccleſiæ Proteſtantium antiſtites intelligi, infra docebimus: *Partim* ut *harmoniam* ſingularem antiſtitum Antichriſtianiſmi delineet Spiritus S, qui conjunctis viribus idololatriam propagare, atque autoritatem ſuam confirmare in Eccleſia contenderent, ab *unico* capite viſibili omnes lubentiſſime dependentes.

X. 2. Hanc mulierem Vates conſpicit *Sedentem in medio Ephæ*. *Epham* diximus in ſuperioribus deſignare *autoritatem illam infallibilem*, quam Antichriſtus in diſpenſanda doctrinæ veritate, circa quam *mercaturam ſpiritualem* exercere non erubeſcit, ſibi arrogaturus erat. Quando autem *mulier* antiſtitum Antichriſtianiſmi in *medio* hujus Ephæ *Sedere* conſpicitur, hæc Epha conſideratur inſtar *throni*, cui inſidet mulier.

Sedet ergo in Epha mulier hæc myſtica vario ſenſu.

a) tanquam in *throno regio*, quæ dominium exercet; Regum enim eſt ſedere conf. Exod. XI, 5. Deut. XVII, 18. 1 Reg. I, 13. 2 Par. VI, 16. Eſth. I, 2. Jer. XXXVI, 12. Sic de Rege Latino VIRGIL. *Æneid Lib. XI. v. 236.*

Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet *in mediis, & maximus ævo*
Et primus ſceptris, haud læta fronte, Latinus.

Et de muliere Antichriſtiana idem teſtatur Spiritus S. Apoc. XVIII, 7. ubi in corde ſuo dicit; *Sedeo Regina, nec ſum vidua, nec luctum videbo.* Dominium enim conſcientiæ ſibi arrogant antiſtites in Babylone myſtica, illud exercentes in animas incredulas. 2 Tim. III, 6. 2 Pet. II, 14. 15. *doctrinæ Balaam* i. e. *dominii in populum*, tenaces.

b) Sedet tanquam *Prophetiſſa* in cathedra docentium, quare Jeſabel, ſe *prophetiſſam* fingens, appellatur Apoc. II, 20. Doctorum enim & Prophetarum quoque olim erat ſedere, vide ex ſacris 2 Reg. VI, 32. Ezech. VIII, 1. Matth. V, 1. Luc. II, 46. V, 3. Matth. XXIII, 2. Quod & apud Judæos obtinuiſſe, ex *Pirke Aboth Hammondus*, & teſtimoniis aliis Judæorum Cel. DEYLING. *Obſerv. Sacr. V. III. p. 283. ſq.* docet, adde VITRING. WAGENSEILIUM aliosque quos citat. Sedet ergo hæc mulier inſtar *prophetiſſæ*, quæ falſis *prodigiis* & *miraculis* mundum decipere, atque illis Epham autoritatis ſuæ tueri ſtudet. Quare Apoſtolus Anti-

chri-

chriſti adventum prædicit futurum ex vi *efficaci Satanæ cum varia virtute, prodigiis ac ſignis mendacibus.* 2 Theſſ. II, 9.

c.) Sedet tanquam *Sacerdos* in ſede ſancta; Pontifices enim & ſacerdotes ſæpe quoque in templis ſedebant. Ita *Eli Sacerdos ſedebat in ſolio ad poſtem templi.* 1 Sam. I, 9. Sic apud VIRGIL. *Lib. VIII. v. 719.* de pontifice:

Ante aras terram cæſi ſtravere juvenci;
Ipſe ſedens niveo candentis limine Phœbi,
Dona recognoſcit populorum.

Mulier quoque hæc Epham autoritatis ſuæ tanquam *ſedem ſacram* & infallibilem conſiderat, quam vi violant aut lædunt, mortis rei declarantur; omnes enim qui hanc beſtiæ imaginem non adorant ac venerantur, interficiuntur. Apoc. XIII, 15. Flamma ferroque furit in veros confeſſores, qui imaginem ipſius ſpernunt.

d.) Sedet tanquam *Judex* in hac Epha, quum judicum ſententiam dicentium eſſet, in ſolio ſedere. conf. ex ſacris Exod. XVIII, 13. Jud. V, 10. Pſ. XXIX, 10. CXXII, 5. Jeſ. XXVIII, 6. Huc refer loca in ſuper. Exercitationibus cit. & adde VIRGIL. *Lib. XI. Æneid. v. 460.*

Cogite concilium & pacem laudate ſedentes.

Et OVID. *Epiſt. ex Pont. L. III. ep. V. v. 23.*

Utque fui ſolitus, ſediſſem forſitan unus
De centum viris in tua verba Judex.

Judicium enim hæc mulier infallibili autoritate de rebus credendis pronuntiandum ſibi tribuit; *ſedens in templo Dei*, ſe *Deum fingens* 2 Theſſ. II, 4. coll. Ezech. XXVIII, 2. 3. Jeſ. XIV, 13. 14. (cui ſoli judicium infallibile competit. Rom. III, 4.) Quare deſcribitur ut *obſignator menſuræ*, *plenusque ſapientiæ* ſc. fictitiæ, & *τὰ* ותמים אורים ſibi vendicans Ezech. XXVIII, 12. 13. quæ tamen illius Viri ſancti Iſraelis exiſtunt. Deut. XXXIII, 8.

e.) Sedet quoque in hac Epha, illam tenaciter ſervans, uſumque illius frequenter urgens. *Sedere* enim *habitum* & *conſuetudinem* rei peragendæ innuit. Sic Pſ. L, 20. *ſedens loqueris contra fratrem.* adde Pſ. I, 1. XXVI, 4. 5. Jeſ. V, 11. Hoc ſenſu apud OVID. de amore cordi tenaciter adhærente occurrit, *de rem. Am. v. 108.*

Et vetus in capto pectore ſedit amor.

De ſententia certa ac immutabili CLAUDIAN. *Lib. I. de raptu*:

Certa requirenti tandem ſententia ſedit.

Clariſſime GRAT. FALISC. *Cyneg. v. 217.*

Hic trepidas artes & vix novitate ſedentes
Vidit, qua propior patuit via.

Sic antiſtites Antichriſtianiſmi *autoritatis ſuæ* valde tenaces exiſtunt, eam quovis molimine ſuſtinere, adaugere atque promovere ſtudent, atque illi ſeſe opponentes brachio ſeculari perſequuntur. Apoc. XIII, 14. 15. 16. Apoc. II, 13. Apoc. XVII, 6. XVIII, 24. XIX, 2.

f.) Sedet quoque publice tanquam *proſtibulum* & *meretrix* in hac Epha; Proſtibula enim publice ad vias ſedere conſueverant. Conf. Gen. XXXVIII, 21. Prov. IX, 14. Jer. III, 2. Huc reſpicit OVID. *Lib. II. Epiſt. ex Pont. Ep. III. v. 20.*

Illud amicitiæ quondam venerabile Numen
Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.

Idem de *meretrice* Antichriſtiana legimus Prov. IX, 14. 17. *Sedet ad oſtium domus ſuæ in ſolio, in locis excelſis urbis; dicens: Aquæ furtivæ ſuaves ſunt & cibus occultus recreans.* Vinum enim excandeſcentiæ ſcortationis ſuæ propinat omnibus gentibus. Apoc. XVIII, 3. atque ita ſeducit ſervos Dei, ut ſcortentur cum ea & idololatriæ ipſius ſemina imbibant. Apoc. II, 20. 21.

g.) Sedet denique hactenus *ſecura, tranquilla* ac cum *pace*, antequam projiceretur in Epham. *Sedere* enim hoc ſenſu in ſacris frequentiſſime adhibetur; conf. ex reliquis Deut VI, 7. Judic. III, 20, Ruth. II, 14. Pſ. XCI, 1. Cant. II, 3. Jeſ. XXX, 7. Ezech. XXIII, 11 Mich. IV, 4. Nec non apud profanos, veluti Cl. RUTIL. *itin. Lib. I. v. 238.*

Tranquilla puppes in ſtatione ſedent.

Et VIRGIL. *Georg. Lib. III. v. 455.*

Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, & meliora Deos ſedet omnia poſcens.

In Epha quoque ſua tranquille ſedet hæc mulier, nihil mali metuens, dicens in corde ſuo, *non ero vidua, nec luctum videbo unquam.* Apoc. XVIII, 7. inſtar Ninives illius myſticæ, quæ *ſecure habitabat.* Zeph. II, 51.

deliciis

deliciis & voluptatibus quotidie inebriata, & in ſecuritate degens inſtar Babylonis illius Jeſ. XLVII, 8. 9.

XI. *β.* Videamus porro, quæ circa hanc mulierem & plumbi maſſam accidiſſe memorat Vates. Comm. 8. ſc. *projiciebat* Angelus *mulierem in Epham*, dicens, *hæc eſt improbitas ipſa*, & Ephæ *orificium* tabula illa *plumbi occluſit.*

a. Quæ circa mulierem acciderunt, duplici ratione exprimit Vates, tum factum Angeli, tum verba pronuntiata referens.

1. Factum exponunt verba: וישלך אותה אלתוך האיפה *Et præcipitem eam* (ſc. mulierem) *dedit in Epham illam.* Non placet ſententia eorum, qui heic Ephæ ſignificationem aliam adducunt, quaſi mulier hæc in Epham projecta, *metam* dominii conſecuta eſſet, adeoque omnis ipſi poteſtas fuerit ademta, cum tamen Epha hæc deinceps in baſi ſua fuerit poſita, adeoque autoritas Antichriſti confirmata. Quum enim *Epha* ſymb. exiſtat autoritatis Antichriſti & mercaturæ ipſius ſpiritualis, & *præcipitatio* השליך ſymb. iræ ac judicii divini exiſtat, uti diſcimus ex Pſ. CII, 11. Dan. VIII, 11. Jer. XXXVIII, 6. Job. XXVII, 2. Intelligimus potius tale Dei judicium, quo mulier hæc Antichriſti per propriæ autoritatis ſuæ nimium extenſæ abuſum fuerit proſtituta, atque juſto Dei judicio per eam ſe ludibrio expoſuerit, ita ut cum ſtupidus hujus autoritatis abuſus invaleſceret, a variis character hujus beſtiæ fuerit agnitus. conf. 2 Tim. III, 9. *amentia ipſorum omnibus evidens erit.*

XII. 2. Tunc quoque verba Angeli: *Hæc eſt* רשעה *Improbitas*, vera eſſe agnoſcere incepit Eccleſia genuina ſuperſtes. Vox רשעה a רשע appellata (quæ vox & *impium* ac *rebellem*, & *inquietum* atque *turbatorem* deſignat. conf. Jeſ. LVII, 20. 21.) deſignat *ἀσέβειαν*, *ἀδικίαν*, *ἀνομίαν* &c. atque optime mulieri Antichriſtianæ tribuitur. Non enim per hanc vocem cum *Druſio* pœnam propter impietatem, ſed *mulierem maxime impiam* deſignari contendimus. Jure heic conferri meretur locus parallelus Apoc. XVII, 5. ubi eadem mulier conſpicitur *in fronte gerens nomen*: *Μυστήριον. Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, ἡ μήτηρ τῶν πορνῶν καὶ βδελυγμάτων τῆς γῆς.* Adeoque vox רשעה quaſi titulus erat atque inſcriptio hujus mulieris in Epha jacentis, talemque in Epham projecta ſeſe publice manifeſtabat. *Improbitas!* non improba, majoris emphaſis

ſis gratia; uti Chriſtus *via*, *veritas*, *vita*, *λόγος*, & *reſurrectio* appellatur, quod *ἐξοχὴν* adauget. הרשעה ergo appellatur, quia non niſi improbitates & *ἀδικίας* continuo exercet.

a.) רשעה eſt h. e. *impietas ἀσέβεια*, quoniam ſub ſpecie cultus atque adorationis ſummi Numinis externa omnem veri cultus divini in ſpiritu & veritate rationem evertit. 2 Tim. III, 5. Traditiones humanæ majori cum ſolicitudine obſervantur, quam verba Dei vivi Dan. XI, 38. quare *characterem beſtiæ* gerere dicuntur Antichriſti aſſeclæ in oppoſitione ſervorum Dei, qui nomen Dei in fronte gerunt. Apoc. XIII, 16. XIV, 1. Quare & mater *ſcortationum*, i. e. auctor idololatriæ, cultui divino contrariæ appellatur Apoc. XVII. cit. quæ ſcortari docet omnes terræ Reges, & ſeducere tentat ſervos Dei ad ſcortationem ſpiritualem Apoc. II, 10. 21.

b.) רשעה dicitur i. e. *ἀδικία*, quoniam dominium injuſtitiæ exercet, & *homo peccati* & *filius perditionis* appellatur, cujus adventus eſt cum omni *ſeductione injuſtitiæ* in iis qui pereunt, qui *acquieſcunt in injuſtitia* 2 Theſſ. II, 3. 10. 12. Juſtitiæ Salvatoris noſtri per merita, ex operibus ſpecioſis ſtabilita, injuriam infert, illamque abnegat. Gloriam Dei vivi in lapides, figuras atque imagines pictas permutat, Deoque Spiritui æterno injuriam hac ratione adfert. Dominium quoque injuſtitiæ in animas ac conſcientias hominum exſerit, quum Deo ſoli animarum imperium competat. conf. Apoc. XIII, 5. 15-17.

c.) רשעה denique i. e. *ταραχὸς* appellatur, quoniam maris inſtar turbidi, ventis faſtus atque ſuperbiæ, imo omnium affectuum inflata hæc mulier 2 Pet. II, 12. 17. in propria juſtitia ſalutis ſuæ fundamina ponit, quæ arenæ inſtar diffluunt, adeoque & conſcientiæ inquietæ fluctibus agitatur. Præterea fluctus perſecutionum noctu diuque meditatur, atque excitat in genuinos nominis divini confeſſores. Pſ. XLVI, 3. 4. atque inſtar æquoris tumidi atque furibundi non niſi lutum & ſordes evomit Jeſ. LVII, 20.

XIII. b. Pergit vates in deſcriptione eorum, quæ circa *maſſam plumbi* accidiſſe viderat; ſc. illa ſimiliter per Angelum, ut ſimplicitas orationis innuit, *conjiciebatur in os ipſius*. Non approbamus hypotheſin

eorum,

eorum, qui hanc maſſam cum *Vatablo ori mulieris* impoſitam concipiunt; multo minus eorum, qui cum Patribus nonnullis plumbum hoc quaſi liquefactum ori mulieris infuſum conſiderant; ſimplicitas enim contextus docet, hanc *tabulam plumbi* (quæ heic אבן ob *gravitatem* dicitur, quoniam antiqui loco ponderum *Lapidibus* utebantur, adeoque convenit cum τῷ ככר ante memorato) in פיה ſuperficiem ſeu *orificium ejus* ſc. Ephæ, in quam mulierem præcipitatam dixerat Angelus, impoſitam, adeoque mulierem hanc in Epha ſepultam & hac maſſa plumbea tectam fuiſſe. Ut ergo aliorum ſupra memoratas hypotheſes taceam, paucis dicam, quid ſibi hæc circumſtantia velit. Diximus ſupra *tabulam* hanc plumbeam, tum judicia Dei in genere, tum in ſpecie judicium *indurationis in erroribus & vitiis graviſſimis* deſignare. Ergo *projectio* hujus plumbi in *orificium* Ephæ, plenariam Antichriſtianiſmi in autoritate imaginaria atque mercatura ſpirituali confirmationem & indurationem per juſtum Dei judicium dicit, ita ut in erroribus ſuis quaſi *ſopitus* ac *ſepultus* fuerit. Proinde non coërcitam ejus heic poteſtatem innui, manifeſto ex ſymboli propiori conſideratione & nexu cum ſeqq. liquet.

XIV. B. His ita declaratis *altera ſcena* viſionis propheticæ panditur, quæ ex hypotheſi noſtra Seceſſum Eccleſiæ Proteſtantium atque Antichriſti in ſede ſua confirmationem nobis ob oculos ſiſtit. Comm. 9. 10. 11. In qua diſtinguimus

א. Seceſſum Eccleſiæ genuinæ, Comm. 9.

ב. Confirmationem Antichriſti in ſede ſua Comm. 10. 11.

א. Conſiderantes ſeceſſum genuinæ Eccleſiæ, obſervabimus

α. Deſcriptionem illius *per Duas mulieres, habentes ventum in alis ſuis, quæ alarum ciconiæ formam habebant.*

β. Opus ingens: *Efferebant Epham inter cœlum & terram.*

α. a. In genere genuina Eccleſia ejusque antiſtites depinguntur per *Duas mulieres.* Ex ſuperioribus conſtat, has duas mulieres pro cujusvis variante hypotheſi diverſa ratione exponi ab Interpretibus. *Chaldæus* populos leves, *Vatablus* Judam & Benjamin, *Grotius* gentes duas, alteram X. alteram II. tribuum, *Lutherus* miniſterium heterodoxum legis & Evangelii. *C. a Lapide* Salmanaſſarem & Nebucadnezarem; *Marckius* exercitum Romanorum, *Coccejus* cum pluribus ſequacibus regnum diviſum *politi-*

cum & *Eccleſiaſticum*, *Hœke duos Imperatores* Pontificis Romani autoritatem confirmantes, intelligunt. Adeoque plerique Interpretes, qui ſenſum heic propheticum de Antichriſto admittunt, heic a ſymboli *mulieris* priori ſignificatione recedunt, novamque adferunt, & per phraſin *elevationis Ephæ inter cœlum & terram*, confirmationem autoritatis Antichriſti intelligunt, quum potius, ut ex ſequenti horum verborum explanatione patebit, contrarium innuatur.

Quum autem in ſuperioribus demonſtraverimus, *Mulierem*, in oppoſitione filiarum aut liberorum, deſignare in theologia hieroglyphica *antiſtites* ſeu *regimen Eccleſiaſticum* a certo capite, ceu marito, dependentem; & pro diverſa ratione, prout eſt mulier adultera aut legitima conjux, pſeudo-doctores aut genuinos antiſtites ſignificare. Heic in eadem ſignificatione ut maneamus & ſymboli ratio atque ejusdem viſionis analogia ſuadet. Ita tamen, ut obſervemus, quemadmodum ex prioris mulieris deſcriptione patebat, eam concipi *impiam* & *adulteram*, pſeudo-doctores deſignantem; ex hac potius apparere, has *mulieres binas* tanquam pias & legitimas eſſe conſiderandas, (quod vel alæ חסידה avis piæ & a pietate nomen habentis innuunt) adeoque doctores pios, ac genuinos Dei ſervos deſignare. Intelligimus ergo *Doctores Eccleſiæ Proteſtantium*, quorum Duces ZWINGLIUS atque LUTHERUS exſtitere, quemadmodum in priori Cap. IV, 14. per *duas oleas* deſignari commode poterant. Eccleſia enim genuina ex Babylone myſtica ſeceſſum tentans, in partes duas ſciſſa eſt, quarum utraque genuinum Eccleſiæ Caput, Chriſtum, agnovit, & caput viſibile Eccleſiæ idololatricæ abnegavit. *Genuini* autem doctores non ſolum cum *virginibus* comparantur Prov. IX, 2. 3. virginibus tympaniſtriis Pſ. LXVIII, 26. virginibus ſponſum amantibus Cant. I, 3. muſto Evangelii facundis redditis Zach. IX, 17. ſed & cum *mulieribus* genuinis ſc. & legitimis, quæ conſiderantur Chriſto marito ſuo cum *dolore filios parere* per præconium Evangelii Cant. VIII, 5. Gal. IV, 19. ipſi tanquam *Capiti* ſuo ſubjiciuntur per veram obedientiam & voluntatis ipſius executionem, ejusque *œconomiam* obſervantes. 1 Cor. IV, 1. *caſtiſſimo* erga ipſum *amore* flagrant, abnegato mundi & concupiſcentiarum amore. 1 Tim. IV, 12. a Marito ſuo ac Domino non *veſtibus* ſolum juſtitiæ ac ſalutis, ſed & neceſſario *donorum* Spiritus

S. *or-*

S. *ornatu* induuntur Apoc. XVI, 15. *gloriamque* Capiti ſui omnibus viribus non venerari tantum, verum etiam aliis commendare & laudibus extollere ſtudent. 2 Cor. IV, 5. 7. 2 Cor. II, 15.

XV. b. Deſcribit autem propius has mulieres Vates tanquam *ventum ſub alis, quæ ciconiæ alis ſimiles, habentes.*

1. *Alæ* tribuuntur mulieribus binis, & quidem quales ſolent eſſe *ciconiæ.*

ALÆ ſymbolum in *in ſuperiori Exercitatione de Gloria Meſſiæ*, ubi alas τῶν *Seraphim* examinavimus, ſatis excuſſimus §. XII. ſq. ubi docuimus *alas* eſſe emblema *tum* rapiditatis ac progreſſus celerrimi, *tum* meditationum ſublimium, *tum* protectorum atque tutelæ inſignis. In genere ergo eodem ſenſu his *binis mulieribus* alæ tribui queunt, quo Seraphim illis præditi l. c. dicuntur. In ſpecie autem hoc loco *alæ mulierum* deſignant *protectores* Eccleſiæ; quum *ala* tutelam depingat, uti phraſis נכנס תחת כנפי השכינה *colligi ſub alis Schechinæ* i. e. ſub tutela divina, docet, & EURIPID. *Heraclid. v. 11.* emblema adhibet

- κακείνȣ τεκν᾽ ἔχων ὑπὸ πτέροις
Σώζω.
Illius liberos ſub alis meis tueor.

Tales ergo protectores, Reges, Duces atque principes intelliguntur, quos Deus excitavit, ut autoritate ſua ac potentia Doctores illos in ſacro zelo, quo contra Antichriſtianam idololatriam incenſi flagrabant, confirmarent, fulcirent ac defenderent; ut tempeſtates perſecutionum, a ſede Antichriſtiana in genuinos confeſſores excitatas, averterent, illosque ſub tutelam ſuam reciperent.

XVI. Alas autem ſimiles fuiſſe τοῖς τῆς חסידה teſtatur Propheta; חסידה non ſtruthio camelum, non accipitrem, non milvum album, nec upupam, ſed *Ciconiam* denotare, pluribus evicit Cel. BOCHART. *Hieroz. P. II. Lib. II. cap. XXVIII. & XXIX.* Confer etiam de hac voce *Druſium* ad h. l. differentem. Eleganter hoc loco avis ſeligitur, quæ a *pietate* nomen habet, ſimulque eſt *avis migratoria*, ad deſignandos *pios* genuinorum confeſſorum veritatis protectores, qui ſimul e Babylone myſtica ſeceſſere. Paucis emphaſin hujus emblematis eruemus.

Ciconia *pietatis avis* חסידה, a pietate erga *pullos* exercente, dicta

ĉta pingit Reges, ſingulari cura ac pietate præditos erga *ſubditos*: Quare Ægyptii teſte SUIDA *ἐν τοῖς σκήπτροις ἀνωτέρω πελαργὸν τυπȣ͂σι in ſummitate ſceptrorum* Regum ſuorum *ciconiam pingere* ſolebant, ut ſignificarent exercitium pietatis Regum erga ſubditos. Quare & nummus Antonii apud *Vaillant. Tom. II. p. m. 16.* cernitur, in quo figura muliebris ſtolata ſtans, dextra lampadem accenſam, læva cornu copiæ, cui inſiſtunt ciconiæ duæ cum epigr. PIETAS COS. & apud *Beger.* ac *Golzium* nummi cum Ciconia & inſcriptione PIETAS AUGUSTA, apparent. Ejusmodi ergo Principes etiam hoc loco intelliguntur, qui ciconiæ attributa exprimunt.

1. *Ciconia* ſingulari erga *pullos* ſuos pietate eſt prædita, ſimulque erga *parentes*, quos alis tegit, vivificat, cibo potuque ſuſtentat largiſſimo. Imo ſæpe domo incenſa, cui nidum impoſuerat, pullos implumes roſtro e mediis flammis eripuiſſe legitur; apud HADR. JUN. *in Batavia.* ÆLIAN. *in hiſt. animalium* de ciconia *φιλοςόργῳ* refert, quod pullos cibo oris ſui nutriat, & *τὴν ἑαυτȣ͂ χτιζὴν (τροφὴν) ἀνεμέσας ἐκείνȣς τρέφει. heſterno cibo evomito eos alat.* De pietate erga ſenes, quos deplumes alis tegunt, fovent & tamdiu ſuſtentant, donec iterum evolare queant, vide Cel. BOCHART. *Hier. P. II. Lib. II. cap. 29.* varia differentem. adde *Solinum* & *Alciatum in embl. cum Comm. Minois, p. 155.* unde vox *ἀντιπελάργωσις pietatis retributio*, a ciconiis deſumta, de qua conf. SUICER. *Theſ. ad h. v.* Tales ergo Deus quoque principes excitaturus erat, qui nutricii ac nutrices Eccleſiæ futuri erant. Jeſ. XLIX, 23. qui pietatis Patrum ac majorum ſuorum memores, pullos ſuos i. e. confeſſores veritatis implumes, ab Antichriſto oppreſſos & libertate conſcientiæ exutos in tutelam ſuam reciperent, atque *cibo* ſalutari doĉtrinæ veritatis, qua ipſi conviĉti deleĉtabantur, large ſuſtentaturi erant. Quemadmodum olim Obadia 150. viros in ſpelunca pane & aqua ſuſtentaſſe legitur tempore perſecutionis a Jeſabele in populum, & ſervos Dei excitatæ 1 Reg. XVIII, 13.

2. Ciconia *tempora* curate obſervans, prætereunte *hyeme*, *verno* tempore, cujus eſt nuntia, redit, quare & *prudentiæ* & *vigiliæ* olim ſymbolum exſtitit. Locus huc pertinet inſignis Jer. VIII, 7. etiam חסידה *novit tempora ſua*, de quo vid. BOCH. l. c. p. 330. & VITR. *Theol. Symb. p. 169.*

p.169. Unde CASSIODOR. *L. II. var. Ep. 14. Ciconia redeuntis anni jugiter annuntiatrix, ejiciens triſtitiam hyemis, lætitiam verni temporis introducens, magnum pietatis tradit exemplum.* Quare apud Ægyptios *vigiliæ* atque cuſtodiæ figura erant teſte PIERIO *hierogl. p. 171.* quoniam in nido erecto pede ſtantes omnia obſervant. Pingit ergo denuo ejusmodi Principes, quos Deus ſingulari prudentia ac vigilia pro populo ſuo erat inſtructurus, qui tempora dignoſcere, & lætiſſimi *veris* Eccleſiæ, præterita perſecutionum bruma; nuntii futuri. Cant. II, 11-13.

3. Ciconia rediens verno tempore *nidum* ſuum in *altiſſimis turribus* ac tectis exſtructum, occupat denuo, *repurgat* ab impuritatibus hyemis, novis ſarmentis collectis contra *tempeſtates munit*, atque *crepitante roſtro* atque expanſis alis nidum ſuum acerrime *tuetur*. Ad altitudinem nidi ipſius reſpicit Pſaltes CIV, 17. חסידה ברושים ביתה, *Ciconiæ domus* i. e. nidus *ſunt abietes*. Quare etiam *Alkazuinus* apud *Bochartum* l. c. ولا يتخذ الوكرا الا في موضع عالي كمنارة وشجرة *Neque nidum ſibi ſumit* (ciconia) *niſi in loco celſo, puta in pharo aut in arbore.* KIMCHIUS quoque ad Jer. VIII. eam vel in turribus, ſi loca fuerint habitata, vel in arboribus, ſi fuerint deſerta, nidum ponere teſtatur. *Eundem* autem illas nidum accurate cognoſcere & exacto tempore hyemis denuo occupare ſcribit ÆLIAN. *hiſt. anim. Lib. III. cap. XXIII.* Ad *crepitum* roſtrorum ciconiæ reſpicit OVID. *Lib. VI. Metam. v. 96.*

- *ſumtis quin candida pennis*
Ipſa ſibi plaudat crepitante ciconia roſtro.

Optime hoc pingit qualitates principum ac protectorum Eccleſiæ Proteſtantium, qui inſtar ciconiarum nidum fidei ac fiduciæ non in Epham autoritatis humanæ, ſed in turrim fortiſſimam providentiæ divinæ ſtruebant, atque per Dei auxilium *fidem* genuinam a juſtitiæ propriæ ſordibus purgatam denique inſtaurare ſatagebant, atque novo in dies zelo contra *tempeſtates* perſecutionum Antichriſti munire ſtudebant. Hanc omnibus viribus, & præcipue *confeſſione* heroica, atque aperta, contra errores Pontificiorum *proteſtatione*, tueri atque confirmare ſatagebant, quod in implemento docebimus.

4. Et ut adhuc unam addam ciconiarum qualitatem, inteſtino odio *ſerpentes* & *ranas* quoque perſequuntur, illosque enecant. Huc pertinet illud VIRGIL. *Lib. II. Georg.*

Optima vinetis ſatio eſt, cum vere rubenti
Candida venit avis longis inviſa colubris.

Quare *Plinius* cum aliis docet, in Theſſalia ciconias occidere ſummum nefas fuiſſe, rationem reddente STEPHANO *de urbib.* τὲς γὰρ τῆς χώρας ὄφεις ἀναιρἔσιν, *quippe ſerpentes illius regionis interficiunt ciconiæ.* *Ariſtoteles* quoque apud *Bochartum* teſtatur, in Theſſalia tot generari ſerpentes, ut a ciconiis niſi interimerentur, regio eſſet deſerenda. Idem de *ranis* dicendum, teſte enim *Bellonio* apud eundem, ciconias Ægyptii maxime amant, cum *propter ranas quas illic nimis abunde naſcentes conſumunt*, *tum quia ſerpentes etiam integros deglutiunt.* Adeoque hac ratione figuram ſiſtere Principum Proteſtantium, qui lethali odio regnum tenebrarum ac idololatriæ proſequebantur, illudque in regione ac ditione ſua deſtruere omni niſu ſatagebant; ſimulque autoritatem tot monachorum, qui *ranæ* illæ apocalypticæ exiſtunt Apoc. XVI, 13. quovis ſtudio imminuere atque exſtirpare in imperio ſuo contendebant.

Præcipue vero hoc loco notandum eſt, *ciconias* eſſe *aves migratorias*, quæ antequam migrent, concilium quaſi cogunt, atque electis quaſi ducibus atque anteſignanis ingenti cohorte emigrant, quod pluribus docet Cel. BOCHART. l. c. p. 331. ſq. adeoque pingere Principes, qui e Babylone myſtica exierunt, atque coactis ſæpe conciliis receſſum ſuum confirmarunt.

XVII. Supereſt ut *alas* ciconiæ propius examinemus, quæ in viſione noſtra memorantur. Illas duplici ratione conſiderabimus, tum quoad colorem, tum quoad robur ac amplitudinem earum.

(aa) Color earum eſt *albus* atque *niger*, ſingulari ſe fulgore diſtinguens & ſemper oculos incurrens. Sic Job. XXXIX, 16. *alas ciconiæ* & *ſtruthionis* conferri ob nigri cum albo mixturam in colore pennarum, docet ὁ πάνυ toties memoratus. Quare a Phyſiologis plerisque deſcribitur tanquam avis pennis *albis* & *nigris diſtincta.* Quemadmodum juxta *Suidam* πέλαργος ex πελὸν i. e. μέλαν & ἀργὸν i. e. λευκὸν compoſita vox eſt, & avem *albo-nigram* ſignificat; atque olim *Pelargos* a veſti-

a veſtibus albo-nigris vocatos *Etymologicum M.* docet. *Color* ergo alarum qualitates Protectorum Eccleſiæ pingit; qui ab una parte *nigri* exiſtebant in oculis mulieris Antichriſtianæ ejusque aſſeclarum, inſtar *κατάρας* atris notabantur in conciliis Antichriſti lapillis; aſt candore ſinceritatis, puriſſimæ doctrinæ confeſſionis, atque ſanctæ vitæ ubique ſeſe diſtinguebant a ſectatoribus Ephæ illius Antichriſtianæ, ita ut inſtar *liliorum* inter ſpinas apparerent Cant. II, 2. *nigri* quidem inſtar ſcenitarum Kedar, ſed *amœni* tamen inſtar aulæorum Salomonis Cant. I, 5.

(bb) *Robore* inſuper inſigni atque *amplitudine* præditæ ſunt alæ Ciconiarum. Quare *Damir* Arabs apud *Bochart.* de iis ſcribit: وفي طيرانه كما تفعل جوارح *alas inter volandum celerrime agitant, ac ſi illis verberarent, inſtar avium rapacium.* Et quum ſint aves migratoriæ, quæ in longinquas & diſſitas maxime oras diſcedant volando, ut *Oppianus* & *Plinius* docent, alas indefeſſi roboris ut habeant, oportet Deſignatur ergo per alas ciconiæ robur inſigne atque amplitudo poteſtatis, qua inſtruendi erant protectores ſecedentis e Babylone myſtica Eccleſiæ, cujus virtute iter quaſi hoc ſuum abſolvere atque perficere poterant.

XVIII. 2. Notabilis autem in deſcriptione harum alarum additur circumſtantia, quod *Ventum* ſub alis habuerint. Quoad literam phraſis hæc nihil aliud deſignabit, quam alas has vento ſuffultas ac propulſas motu rapidiſſimo ac indefeſſo fuiſſe agitatas, quod requirebatur, quum medium exiſterent, cujus ope Epham cum muliere ac maſſa plumbi graviſſima inter cœli terræque ſpatium deferebant ac ſuſpenſam tenebant. Quare *ventus* uti & *alæ* ſymb. celeritatis erant, ut docet illud VIRGILII *Lib. V. Æn. v. 519.*

- *ventis & fulminis ocior alis.*

Et *Æneid. Lib. X. v. 247.*

- - *fugit illa per undas*
Ocior & jaculo & ventos æquante ſagitta.

Nec non HOMER. *Lib. VI. Odyſſ.*

Ἡ δ' ἀνέμου ὡς πνοιὴ ἐπύσσετο δέμνια κούρης.
Illa vero inſtar venti flatus accelerabat ad cubilia puellæ.

Myſtice *ventus* in ſacris *Spiritum S.* communi notione deſignat Ezech. XXXVII, 9. Joh. III, 8. Act. II, 4. quemadmodum Ezech. X, 17. in *rotis* Cheru-

Cherubim *ventus vivus* fuiſſe dicitur, quoniam Spiritu S. agebantur primi Evangelii heroës; eadem ratione qua heic *ventus* in *alis* mulierum exſtitit. Innuit ergo hæc phraſis, Protectores Eccleſiæ ſingulari Spiritus S. menſura inſtructos, opus hoc ingens cum zelo ardentiſſimo ac ſucceſſu felici & celerrimo conſummaturos, ita ut omnes difficultates carnis, omnia impedimenta externa, & machinas hoſtium veritatis contrarias animo heroico, ſuffulti robore Spiritus S., ſuperaturi, & feliciter Reformationem Eccleſiæ & ſeceſſum ab Antichriſtianiſmo ad ἀκμὴν perducturi ſint. Apoc. XIV, 1-12.

XIX. β. Opus illud ingens, quod mulieres alarum vento ſuffultarum ope peragebant, deſcribit Vates verbis ſeqq. ותשנה את האיפה בין הארץ ובין השמים. *Tollebant Epham illam inter terræ cœlique ſpatium.* Plerique interpretes phraſin hanc de *exaltatione* hujus Ephæ atque Antichriſti explicant; ſed bene obſervandum hoc loco eſſe exiſtimamus, quando prophetæ exaltationem rei aut perſonæ imo Antichriſti delineare volunt, eos phraſin ſublationis in *altum*, in *cœlos* usque, ad *ſtellas*, ſupra *nubes* &c. uſurpare conf. Jeſ. XIV, 12. 14. Hab. II, 9. Obad. v. 4. Jer. LI, 53. Matth. XI, 23. Verum hoc loco ſublatio εἰς μεσȣράνημα, in ſpatium cœli ſc. ſtelliferi ac terræ intermedium, memoratur, quod optime exprimit *Theodoretus*: διὰ μέσȣ τȣ͂ ἀέρος ἐφέροντο. per *medium aëris* deportabant. Et phraſis *inter cœlum & terram* in ſcriptis ſacris non de exaltatione, ſed *ſuſpenſione* in aëre adhibetur. Sic 2 Sam. XVIII, 9. de ſuſpenſo in arbore Abſalomo & in aëre agitato, 1 Par. XXII, 16. de Angelo percuſſore ſuper Hieroſolyma in aëre ſe movente, Ezech. VIII, 3. de Propheta a Spiritu per aërem delato, occurrit. Concipimus ergo haſce mulieres alis ſuis, vento ſuffultis, in altum ſeſe attollentes, ſimulque manibus ſuis *Epham* cum incluſa muliere & injecto plumbo ſecum deportantes, illamque in ſuſpenſo tenentes in aëre.

Ex his jam ſponte liquet hoc loco non de confirmatione & exaltatione Antichriſti agi, quæ comm. ſeq. prius delineatur, ſed intelligi *bellum*, quod duæ mulieres, i.e. primi Reformatores, adjuti brachio principum a Deo excitatorum, *autoritati* mulieris antichriſtianæ ejusque *mercaturæ* in rebus fidei ſpirituali, in qua illa quaſi ſepulta & per errorum graviſſimorum *plumbum* confirmata erat, indixerunt. Hi etenim

nim *autoritatem* Clericorum, & vitiis & erroribus graviſſimis immerſorum, in dubium vocare & *ſuſpenſam* tenere inceperunt, imo in aëre coram oculis totius terræ, publico quaſi ſpectaculo exhibuerunt, docentes ac demonſtrantes ore ac ſcriptis mulierem hanc, vitiis, concupiſcentiis ac erroribus gravatam, vanam ſibi arrogare auctoritatem. Et quemadmodum dubio procul hanc Epham cum muliere mox huc mox illuc *agitabant* in aëre binæ mulieres, ſic varia molimina ac media, quibus autoritatem Antichriſti impugnaverunt doctores genuini, hac ratione ob oculos ſiſtit Spiritus S. Et quoniam *mulier* Ephæ incluſa & plumbo tecta obniti non poterat, quin a binis his mulieribus ſuſpenſa teneretur; Sic etiam vitiis ac erroribus graviſſimis obruti Clerici, ſpiritu ſapientiæ ac zeli præditis doctoribus genuinæ Eccleſiæ reſiſtere non valebant.

XX. ב. Proſtituta ergo hac ratione autoritate Antichriſti, manifeſtatis graviſſimis ejus vitiis ac erroribus coram toto orbe per genuinos veritatis Apoſtolicæ confeſſores, in ſtatione ſua poſt varios conflictus tandem confirmata eſt Epha hæc myſtica, quod depingitur Comm. 10.11. ubi quærenti Vati, *quorſum* a mulieribus binis in aëre ſuſpenſa & agitata *Epha, tandem deferenda eſſet*, ut tuto locari poſſet, reſpondet Angelus: *ut domus ipſi exſtruatur in terra Sinear, atque in baſi ſua confirmetur ac requieſcat.*

α. Terra שנער *Sinear* non alia eſt quam Babylonia, & quidem illa regio, in qua urbs Babel & turris illa Babylonica exſtructa fuit olim, quemadmodum ex collatione locorum Gen. X, 10. XI, 2. Jeſ. XI, 11. Dan. I, 2. manifeſto liquet; optime ergo LXX. γῆν Βαβυλῶνος vertunt. Eam autem שנער ab *excuſſione* dictam, nonnulli cenſent, quoniam per primam linguarum, poſt exſtructionem turris Babelicæ, confuſionem, quæ in hac regione contigit, incolæ excuſſi & per totum terrarum orbem diſperſi ſunt. Qui plura de *terra Sinear* & Babylonia ſcire cupit, adeat Cel. BOCH. *Geogr. Lib. I. cap. VI. VII. &c.* GROT. ad *tract. de verit. Relig. Chriſt. in Not. Bibl. Crit. T. IX. p. m. 4597.* Cl. OUTHOF. *Comm. in Jon. p. 35. ſq.* Cel. DEYLING. *obſ. S. p. III. p. 494. ſq.* *Sinear* ergo ſeu *Babylonia* in ſcriptis ſacris commune ſedis Antichriſtianæ ſymbolum exiſtit, quæ eapropter *Babylon illa magna* appellatur Apoc. XIV, 8. XVI, 19. XVII, 5. XVIII, 2. 10. quam ipſam eſſe Romam F. TURRET. *in diſſ. de neceſſ.*

ſeceſſ. ab Eccleſ.Rom. p.145. Nec non HEIDEGGER. *in hiſt. Patr. T.I. p.657.* & *in ſing. hiſtor. Papat.* demonſtrarunt. Et ſi hujus loci eſſet, ingentem analogiarum inter utramque catalogum contexere liceret. *Roma* ergo eſt terra illa *Sinear excuſſionis* & *Babel* myſtica, quoniam ibi omnes genuinæ doctrinæ Apoſtolicæ confeſſores *exulant*, proſcribuntur, anathemate percutiuntur, & non niſi doctrina variis hominum figmentis mixta atque *confuſa* introducta eſt, ita ut quemadmodum incolæ veteris Babelis externum שׁם ſibi erigere ſtudebant, itidem *nomen* externum in myſtica Sinear erigitur. Apoc. XIII, 16. 17.

XXI. β. In hac ergo terra Ephæ huic myſticæ *domus* exſtruenda dicitur, in qua *ſede certa locanda* & *quiete fruitura* erat. Non convenit allegoria, a pleriſque interpretibus in explicanda hac phraſi ex 2 Sam. VII, 11. adhibita, qua per domum *familia* deſignatur; cum potius per hanc domum *templum* ſeu domum ſacram intelligendam eſſe præcedentia ſuadeant, quemadmodum Comm. 4. vates per *domum* templum Hieroſolymitanum intellexerat. *Domum* enim in ſacris *templum* deſignare, innumera docent teſtimonia. Præcipue quoque *ædes ſacras* idolorum ſub hac phraſi depingi notamus. Sic Jeſ. XXXVII, 38. occurrit בית נסרך *domus Niſroch.* i. e. idoli Aſſyriaci. *Nah. I, 14. e domo Deorum tuorum exſcindam ſculptile.* Amos II, 8. בית אלוהים *domus Deorum* ſc. falſorum memoratur, ut alia loca taceam. Apud profanos ſcriptores quoque ſæpius eadem vox adhibetur. Uti apud OVID. *faſt. V. 36.*

- - gigantes
Edidit, auſuros in Jovis ire domum.

Et *Lib. VI. v. 810.*

O decus, o ſacra femina digna domo.

Apud *Gruterum* variæ inſcriptiones *domum* memorant Deorum, unicam notaſſe ſufficiet, quæ p. XVII. n. 10. legitur:

I. O. M.
IN. - HONOREM
DOMUS DIVINÆ. &c.

Græci quoq; δομὲς *templa* appellare amant, ſic HOMER. *hymn. in Mercur.*

Οἷα Θεῶν μακάρων ἱεροὶ δόμοι ἐντὸς ἔχεσιν.
Qualiter Deorum beatorum domus ſacræ intus habent.

Huic

Huic *Ephæ* proinde, quæ inſtar *idoli* conſideratur, atque ab aſſeclis beſtiæ adoranda erat, *domus ſacra* exſtruenda erat in Babylone myſtica, in qua coleretur atque adoraretur. Eadem ratione uti in Babylone olim literali magnificum *Beli templum*, cum æreis portis, figura quadrata, duorum undecunque ſtadiorum amplitudine, cum variis ſtatuis, ſellis, carcheſiis & crateribus ex ſolido auro, quarum pretium vix æſtimari potuit, exſtructum fuiſſe BOCHART. *in Can. L. IV. c. XIII.* docet, et ex Dan. I, 1. confirmatur.

In hac autem domo in *baſi ſua ſtabilienda quieſcere* debebat hæc *Epha* cum *muliere* & *plumbo.* Confirmatur hac phraſi, *Epham* hanc *idoli* inſtar conſiderari, quum idola apud gentes certa ſede locari in æde ſacra atque *in baſi* quadam ſtabiliri ſolerent, ut ita a frequentantibus templa, adorari poſſent. Docent hoc antiqua marmora, in quibus effigies Deorum Dearumque in *baſi* collocatæ apparent; quales apud *Gruterum* & præcipue Car. Cæſ. MALVASIAM *in Marmor. Felſineis* plurimæ apparent. Docent id *Inſcriptiones* variæ antiquæ, veluti apud GRUTER. *p. LXXXIII. n. 8.*

ISIDI. AUG. SIGNUM
CUM BASI VICTORIN. EX
VOTO POSUIT.

Et *pag. XXXIX. n. 4.*

M. AURELIUS PACORUS. M. COCCEIUS STRATOCLES ÆDITU. VENERIS. HORTORUM. SALLUSTIANORUM BASEM CUM PAVIMENTO MARMORATO DEANÆ. D.D.

Sic *Herculi, Jovi Maximo, Laribus* &c. apud eundem. pag. X. n. 2. XLVIII. n. 1. &c. ſtatuæ cum BASI & HYPOBASI marmorea tribuuntur. Docent hoc *nummi* antiqui, in quibus effigiem Deorum atque idolorum ſuorum antiqua ſuperſtitio baſi impoſuit, conf. OISEL. *Tab. XXXV.* ubi Jovis ſtatua in templo baſi impoſita n. 6. Et Tab. XLI. n. 4. Termini Dei ſtatua cum baſi; Tab. XL. n. 6. Mars ultor in templo. Tab. XLVI. n. 2. 3. Veſta in templo cum baſi ſua apparet. Quod & imperatoribus in Deorum numerum relatis contigit, ut patet ex *nummo* Titi apud OISEL. *Tab. CIV. n. 12.* cum inſcriptione: ÆTERNITATI FLAVIORUM. Ad baſin Deorum reſpicit OVID. *Ep. ex Pont. Lib. III. ep. II. v. 51.*

Fama

Fama refert illic ſignum cœleſte fuiſſe,
Quoque minus dubites, ſtat baſis orba Dea.

Sic *baſin ſimulachri*, βάθρον ἀγάλματος βωμȣ̃ σχῆμα παρεχόμενον, *aræ formam* habentem memorat PAUSAN. *Lacon. Lib. III. p. m. 108.*

Phraſis addita והניחה *ut quieſcat* non ſolum opponitur ſuſpenſioni hujus Ephæ in aëre, & tutam ac certam ejus ſedem innuit; ſed etiam ab *idolis* deſumta eſt, quæ dicuntur *quieſcere*, ubi religioſe coluntur. Quemadmodum templum Hieroſolymitanum olim *locus quietis* Domini appellabatur Pſ. CXXXII, 8. 14. Jeſ. LXVI, 1. Ezech. XLIII, 7. Sic Damaſcus מנוחה חדרך *requies Chadrach*, i. e. Atergatis, Deæ Syriæ Zach. IX, 1. dicitur, quoniam ibi religioſe colebatur. Et in primis quoque phraſis hæc de iis, qui *poſt mortem* in *Deorum numerum* relati colebantur, adhibetur, ut pluribus docuit Cel. ALPHEN. *Fil. in diſſ. de Terra Chadrach. Traj. 1723. p. 92. ſq.*

Et hac ratione docet Angelus *Epham* autoritatis infallibilis ac mercaturæ ſpiritualis in ſede ſua ſc. *Roma*, tanquam Antichriſtianismi domo, *idoli* loco, poſt ſeceſſum veræ doctrinæ confeſſorum, eſſe adorandam, cœcoque ab aſſeclis Antichriſti zelo colendam. Apoc. XIII, 12. 15. idque poſteaquam *mulier* in Epha hac quaſi *ſepulta* atque graviſſimo indurationis judicio ſopita eſſet.

XXII. En ergo breviſſimam hujus viſionis explicatæ ideam, ſupereſt, ut paucis implementum hujus vaticinii demonſtremus.

Primo occurrit Vati *Epha*, & quidem conſpicit eam *prodire* ſc. in publicum, atque ut *oculus* totius terræ i. e. Eccleſiæ variis temporibus & ſeculis in illam defixus hæreret. Quum duplicem Epha Eccleſiæ ſignificet corruptæ faciem ſc. *autoritatem infallibilem* atque *mercaturam ſpiritualem*, utriusque criterii Antichriſtiani exempla exhibent hiſtoriæ.

Autoritatem ſibi Pontifices *infallibilem* in diſpenſanda doctrinæ veritate arrogaſſe omnibus ſeculis in aprico eſt. Secul. enim VII. inchoante latens hæc Epha prodibat in Bonifacio III. a Phoca Imperatore primatu donato, qui ſtatuebat *Sedem Romanam Eccleſiæ univerſalis eſſe caput & Romanum Epiſcopum eſſe Univerſalem ſeu Oecumenicum omnium Eccleſiarum Epiſcopum.* vide GUTHBERLET. *Chronol. p. 302.* BINIUM *notis ad Bonif. III. vitam*, *Platinam*, *Baronium* & alios.

Et

Et AGATHO anno 678. Pontifex pronuntiavit: *Omnes ſanctiones Apoſtolicæ ſedis eſſe accipiendas tanquam ipſius divina voce Petri firmatas, quin ſedem Apoſtolicam (Romanam) nunquam a via veritatis deflectere*, ſed *illibatam manſiſſe, nec errare potuiſſe.* Sic *Secul. IX. Nicolai I.* ſuperba effata notant ſcriptores: *Sedem Apoſtolicam omnes judicare, a nemini ipſam judicari; ſententiam ejus retractare, permiſſum nemini, probandum, quod ipſa probet, reprobandum quod reprobet. Clemens II.* anno 1046. papa factus defendebat: *Pro Romanæ Eccleſiæ arbitrio januam cœli aperiri & claudi. Paſchalis II.* Sec. XI. exeunte eandem autoritatem ſibi arrogavit, de quo *Gotofrid. Viterbienſ.* apud BARON. *A. MCXI.*

Spiritus & corpus mihi ſunt ſubjecta potenter,
Corpore terrena teneo, cœleſtia mente
Unde tenendo polum, ſolvo ligoque ſolum,
Æthera pandere, cælica tangere papa videtur.

Ut alia ſecula taceam ſequentia, in quibus ejusdem Antichriſtiani faſtus exempla proſtant. Horrenda hujus autoritatis ſpecimina exhibet WOLF. *Memorabil. T. I. Cent. XV. p. 866. ſq.*

Mercaturam quoque ſpiritualem ipſos exercuiſſe, publica docent monumenta. Ut non exponam exempla *avaritiæ* Clericorum, quæ ingenti catalogo recenſet GURTLER. *in hiſt. Templar.* §. *92.* & cujus exempla ſtupenda in ſingulis ſeculis & Pontifices & Cleri Romani reliquerunt, præcipue cum Sec. IX. jam *indulgentiarum* mentio injiciatur teſte Cl. *Lamp. hiſt. Eccl. p. 199.* Obſervabimus Martini V. inſatiabilem auri cupiditatem, & *Æneæ Sylvii ſ. Pii II.* Sec. XV. auri ſacram famem, quare huic Epitaphium conditum:

Impius hic ſitus eſt, crudelis, raptor iniquus,
Æneas, Italiæ, quem genuere Senæ.

Præcipue Alexand. VI. nota eſt execranda Simonia, de qua vulgatum illud proſtat:

Vendit Alexander claves, altaria, Chriſtum,
Emerat ille prius, vendere jure poteſt.

Sec. XVI. Jul. II. Simoniæ quoque exempla exhibuit abominabilia.

XXIII. Secundo loco conſideremus elevato plumbo & *errorum* & *vi-*

vitiorum horrendorum Cleri Romani *mulierem* in *medio Ephæ ſedentem*, atque paulo poſt in *Epham præcipitatam*, & *plumbo* tectam.

Elevatio plumbi errorum ac vitiorum deſignare poteſt *ortum*, & manifeſta prima horum errorum ſpecimina, quæ Sec. X. deprehendimus, de quo *autor faſcic. Temp. Ætat. 6. p. 68.* exclamat: *Heu! heu! Domine Deus, quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? Qualia contigiſſe etiam circa hæc tempora in ſede apoſtolica legimus ſcandala horrenda &c.* Notanda heic imprimis ſunt BARONII verba *ad Ann. DCCCC. n. 1. En novum inchoatur Seculum, quod ſui aſperitate ac boni ſterilitate ferreum, malique exundantis deformitate PLUMBEUM, atque inopia ſcriptorum appellari obſcurum conſuevit.* Quare hoc ſeculum plerumque *infelix, monſtroſum, peſſimum, nefandum &c.* dici ſolet. vide SPANHEM. *hiſt. Eccl. p.m. 1428.* In Synodo Rhemenſi anno DCCCCXCII. exclamaſſe Gerbertus legitur: *O lugenda Roma, quæ noſtris temporibus monſtroſas tenebras futuro ſeculo famoſas oſtendiſti.* Hoc enim ſeculo *ignorantia* invaluit, loco ſcripturæ, *traditiones* & *Legendæ* aureæ introductæ ſunt, *monaſteria* multiplicata, variæ *ſuperſtitiones, aquæ luſtralis, campanarum baptiſmi, canonizationis* ſanctorum &c. ortæ ſunt, quæ craſſiſſimos Eccleſiæ errores detegebant.

Tunc ſimul *vitia* & *ſcelera* graviſſima in Eccleſia ingraveſcebant, atque *mulier* illa, *IMPROBITAS* dicta, apparebat, cum non ſolum plurimi Pontifices vel per *bella cruenta*, uti Clemens II. Damas I. & II. vel per *Simoniam* turpiſſimam, Formoſ. I. Joh. XVII. & Greg. VI. inſtar, vel per *veneficia*, ut Joh. XIX. vel per *ſcorta* publica ut Joh. XI. & XIII. ſedem Romanam occuparent; ſed & *Clerici* teſte AVENTINO *Lib. IV. vino, otio, Veneri & Cereri dediti, ſacras & profanas literas juxta contemnerent; Virgines ſacratæ paſſim inceſtu pollueventur. Adulterio nihil communius eſſet. Arrogantia, ſuperbia, luxus, libido, avaritia, communia ſacerdotum mala invaleſcerent.* Adeo ut teſte *Mantuano*, omnia, excepta *pietate*, Romæ licita eſſent & permiſſa

Quum autem errores ſeculis ſequentibus æque ac vitia ingraveſcerent (quemadmodum ex *Spanhemio* & *Wolf.* l. c. abunde liquet) & quodvis ſeculum erroribus ac *vitiis* quoad *Clericos* feraciſſimum eſſet, patet *mulierem* hanc in Epha per longum temporis ſpatium *ſediſſe*, diuque

abu-

abuſam fuiſſe autoritate illa arrogata) ita ut omni tempore, teſte *Aventino*, emere, vendere ſacra, pietas haberetur, & *vitia* accumularentur, non obſtantibus tot monitoriis tum a Principibus, tum a Conciliis, contra Clericos renovatis. Tandem vero Sec. XV. Mulier *præcipitata* fuit in *Epham*, atque in eadem *impoſito plumbo* errorum ac vitiorum ſepulta eſt, i. e. *corruptio* Eccleſiæ per Antichriſtianiſmum ad ἀκμὴν *pervenit*, ita ut impune omnia *vitia* dominarentur, & *mercatura* ſpiritualis ubique invaleſceret. Quare eleganter SPANHEM. *ad hiſt. Sec. XV. p. m. 1837. Intoleranda hoc Seculo piis omnibus fuit quin & prudentibus Paparum ac Romanæ curiæ creſcens in dies tyrannis, impietas, Simonia, libido dominandi bellandique, anguſto quaſi in limine mundi, ſed & ad omne ſcelus projecta* improbitas, *nullo deinceps pudori loco.* Innumeri ſunt abominationum in medio Papatu teſtes. Præcipue ſi Sixti IV. Innoc. VIII. Alexandr. VI. horrendæ libidinis exemplaria conſideremus. Imo Leo X. dum cathedram Petri occupavit, ad Cardin. *Bembum* dixiſſe fertur: *Quantum non lucri attulit nobis illa fabula de Chriſto.* Ingraveſcebat tunc *mercatura*, qua cœlum venale Deusque exiſtebat, præcipue ſub *Alexandr. VI.* de quo ſupra diximus, ſub *Jul. II* & *Leon. X.* ſub cujus Pontificatu *Joh. Tezelius* Dominicanus, *Commiſſarius Apoſtolicus* dictus, mercaturam hanc coram oculis totius mundi horrendis exemplis exercuit, quorum ſpecimina ſtupenda apud SPANHEM. l. c. MAIMBURG. *hiſt. Luth. Lib. I. anno MDXXXVII.* LUTHER. *Oper. Germ. Altenb. T. I. p. 18.* leges. Omnia eleganti carmine exprimit *Mantuan.* apud WOLF. *T. II. p. 923.*

- - venalia nobis
Templa, Sacerdotes, altaria, ſacra, coronæ,
Ignes, thura, preces, cœlum eſt venale, Deusque.
Hi quoque qui nomen de religione ſuperbum
Uſurpant, quanquam ſanctis a Patribus ortos
Se jactent, ovium molli ſub vellere fraudes
Mente Lycaonias ſervant, & crimine ſordent.
Quod ſpecimen virtutis habet, ſcelus omne colorat,
Inviſi ſuperis fœdaque libidine olentes.

XXIV. Quum ergo Roma nidus eſſet proditionum, in quo totius orbis venenum latebat, rabulis & ebrietatibus ſopita, *meretrix execrabi-*

lis, *hæreſium & errorum aſylum*, carcer in quo *omne bonum* exſtinguebatur & quodvis *ſcelus* alebatur, ut loquitur *Petrarcha in ep. XVI.* Deus excitavit *duas Mulieres*, quibus *alæ ciconiarum*, *vento* Spiritus S. agitatæ erant, quæ *Epham* cum *muliere* in eadem ſepulta, in aëre *ſuſpenſam* tenere cœperunt. Excitati enim ſunt HULDRICUS ZWINGLIUS & MARTINUS LUTHERUS, ille in Helvetia, hic in Saxonia, qui publice autoritatem Papæ ad ἀκμὴν deductam & mercaturam indulgentiarum invaleſcentem adoriri ore & ſcriptis auſi ſunt. His Ducibus, quorum uterque quam plurimos ſequaces & ſucceſſores habuit, adeoque *duos exercitus* quaſi efficiebant, ſeu *duorum cornuum aciem* Cant. VI, 13. multi communi cauſa, potentia Dei ſuffulti, in diverſis regionibus eandem veritatem contra Antichriſti corruptelas defenderunt. ZWINGLIUS enim anno MDXVI. ſententiam de juſtificatione corruptam, & indulgentias publice aggredi cœpit Glaronæ; & Einſidlæ cum Matthæo Cardinali de traditionibus & ritibus vanis Eccleſiæ diſputavit, atque anno MDXVIII. Tiguri *Bernh. Sanſonio* indulgentias vendenti fortiſſime ſe oppoſuit & deinceps alia Eccleſiæ Romanæ falſa dogmata impugnavit. Sic ſucceſſivo tempore *Joh. Oecolampadio*, *Simone Grynæo*, *Hallero*, *Caroloſtadio*, *Capitone*, *Joh. Calvino &c.* veſtigia ipſius legentibus, ſub *faventis Magiſtratus* auxiliis, Reformatio feliciter promota eſt, diſputantibus in variis *coactis Synodis* veræ doctrinæ confeſſoribus heroico animo cum Romanæ Eccleſiæ aſſeclis. Ab altera parte M. LUTHERUS quoque 1517. theſes CXV. contra mercaturam turpiſſimam Antichriſti divulgavit. Eodem anno Heidelbergæ in conventu generali Auguſtinianorum, juſtitiam operum & liberum arbitrium impugnavit. Hic dein, adjuvantibus ejusdem fidei heroibus ſequentibus, *Phil. Melanchtone*, *Amsdorfio*, *Urbano Regio*, *Oſiandro &c.* ſuffultus autoritate Principum, præcique *Friderici*, *Electoris Saxoniæ*, tanquam veræ ciconiæ, reformationem ſingulari zelo promovit. Recte in hanc rem ſcribit Cel. LAMP. *hiſt. Eccl. Lib. II. cap. 12.* "Maximos interea progreſſus in Germania univerſa lux Evan„gelica fecit, *præcipuis Germaniæ Principibus* (en alas ciconiarum) *Lu„therum tuentibus*, *& doctrinæ ejus faventibus.* Præcipue Epha hæc *ſuſpenſa tenebatur* in *aëre publice*, quum in *Comitiis Spiræ* habitis 1529. *Johannes Elector* Saxon. *Georgius* Brandenb. *Erneſtus & Franciſcus*

Lune-

Luneburg. *Haſſus & Anhaltini* cum plurimis *civitatibus* publice ſeſe opponerent falſæ Reformationi a *Clem. VII.* oblatæ & eapropter *PROTESTANTIUM* nomen ſortiti ſunt.

XXV. Hac ratione quum lux Evangelica per omnes Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Sueciæ, Belgii, Poloniæ, Bohemiæ &c. regiones temporibus ſequentibus penetraret, Epha hæc *delata* eſt in *terram Sinear* i. e. *Romam*, quæ tanquam Sedes Eccleſiæ agnita ab Antichriſti aſſeclis, & zelo cœco *Epha* autoritatis ac mercaturæ tanquam *idolum* adoratum eſt, atque adhuc adoratur. Dum ſc. in *Concilio Tridentino* MDXLV. a Paullo III. inchoato & MDLX. a Pio IV. continuato, omnibus hæreticis anathema eſt dictum, atque adeo *ſeceſſio Proteſtantium* ab Eccleſia, & *idoli* autoritatis cœcæ Antichriſtianæ confirmatio eſt conſummata. *Papa* enim *Pius IV.* in bulla ſua expreſſis verbis pronuntiat; "Papam inhibere omnibus cujuscunque conditionis tam Eccleſiaſticis quam Laicis, ne „ſuper hoc concilio, commentarios, gloſſas, annotationes aut ſcholia „faciant. &c. verum omnem deciſionem a ſola ſede Apoſtolica dependere debere„. conf. P. SARP. *hiſt. Conc. Trid. L. VIII. p. 737.* Atque per fulmina hujus Concilii, Papalis autoritas, poſt irreparabilem Eccleſiæ Proteſtantium ab ea ſeceſſum, magno cum incremento ſtabilita, atque multa millia confeſſorum, antea per ortum lucis Evangelicæ nutantium, in erroribus Antichriſtianis confirmata ſunt. Quæ omnia fuſius exſequitur *P. Sarpius l. c.* Sic *Epha* in baſi ſua *ſtabilita*, ſic tuto *quieſcere* poterat in terra Sinear ac ſede Romana.

XXVI. O beatam Eccleſiæ faciem! quæ per optatiſſimam a cœtu Antichriſtiano ſeparationem, puriorem doctrinæ veritatem in lucem protraxit & e Babelis idololatricæ tyrannide liberata exultat! Jure meritoque majores noſtri celebrandi ſunt, qui animam pro veritate poſuere, & non obſtantibus perſecutionibus cruentis tamen veritatis coronam ſervarunt. Quis non obſtupeſceret atque abominaretur horrenda hujus meretricis magnæ vitia, atque ſtuporem in rebus fidei? Quis non omnibus viribus illam fugeret peſtis inſtar & anguis? quum nemo, qui de vitiis & ſcortatione ipſius participat, pœnas quoque illam manentes effugere poterit; quare Deus veris confeſſoribus acclamat; *Exite e Babele, exite, ſeparate vos, ſecedite, qui ſancta Jehovæ vaſa portatis.*

Sed o utinam eadem adhuc eſſet Eccleſiæ Proteſtantium facies, quæ olim poſt ſeceſſum e Babele myſtica exſtitit! Verum & heic exclamemus oportet. *Aurum noſtrum obfuſcatum, argentum ſplendore vacuum, Naziræi, lacte olim candidiores, nigredine obducti ſunt.* Pura quidem veritatis ſupereſt apud pleroſque confeſſio, ſed ubi eſt *amor* ille veritatis? ubi zelus ardentiſſimus pro ipſius conſervatione? Ubi *vita* illi conveniens? Quum pauci tantum in Sardibus noſtri ævi ſuperſint, qui veſtes ſuas non inquinarunt; pauci qui *mulieribus non ſunt contaminati* Apoc. III, 4. XIV, 4. Pudeat tot *mulieres* myſticas Eccleſiæ i. e. doctores, qui caſtiſſimam doctrinam annuntiant, & impia ſcelera & vitia meretricis magnæ ſæpe imitantur; contra quæ non ore ſolum ſed & vita decenti teſtari ac certare deberent. Quam pauci ſuperſunt, qui *duarum mulierum* inſtar *Epham* Antichriſtianam abominantur, impugnant & in *aëre ſuſpenſam* tenent, quum faſtus & luxus ſæpe etiam pleriſque doctoribus hypocritis arrideat, adeoque cœci duces cœcorum exiſtant. Quam pauci inter *Magnates* hujus ſeculi ſuperſunt, qui *ciconiarum* inſtar *alis* ſuis, *vento* Spiritus S. excitatis & ſuffultis, veros & genuinos veritatis confeſſores tuentur, atque autoritate ſua adjuvant ad regnum tenebrarum ſupprimendum & regnum lucis promovendum?

Plumbum ignorantiæ, ſtupiditatis, indurationis & ſcelerum quorumvis ſæpe etiam externa Eccleſiæ Proteſtantium membra premit, adeo ut multa in ſecuritate carnali ſopita jaceant. Sed quemadmodum ſanctiſſimum Numen plagas ſuas in meretrice magna multiplicavit, illamque in lectum ægritudinis præcipitavit olim & porro præcipitabit; ſic etiam aream externæ Eccleſiæ ſuæ purgabit per tentationes & afflictiones graviſſimas, & quidem tempore illo, quo minime cogitabunt.

Ecce Dominus veniet inſtar furis nocturni, vigila ergo, o Zion, & tuere ac *ſerva veſtes tuas puras*, ne *nudum* te deprehendat Jehova ultor! Apoc. XVI, 15. ſerva, quæ habes, ne quis *tibi auferat coronam tuam* Apoc. III, 11.

Quando *oculus* totius terræ Antichriſtianæ defixus eſt in *Epham* hanc impiam atque falſam, oculus tuus in *lapidem* illum & petram ſalutis, coram Joſua Pontifice poſitum, defixus hæreat Zach. III, 9. abnegata

gata omni juſtitia carnis & operum, abnegatis bonis atque deliciis hujus ævi, in omniſufficientia Jehovæ gaudium ac delicias quære. Aſſeclæ Antichriſti Caput viſibile adorent, Epham hanc exoſculentur, ab illa ſalutem vanam exſpectent, nullum tu præter unicum Immanuelem Caput agnoſce, huic reverentiam exhibe, hoc adora, in hoc fiduciam ſalutis unico pone. Fuge, vita, odio habe *mulierem improbitatis*, adulationes, dulciſſimas ejus incantationes, atque externæ felicitatis in communione ſua capiendæ promiſſa, ſperne, temne, conculca animo cœleſtia anhelante. Quum illa *plumbo* errorum indurationisque tecta jaceat, ipſius exemplo ſapere diſcas, *alis* deſideriorum cœleſtia quæras, atque in luce ſolis juſtitiæ deliciari ſtudeas.

Diſtinguas te ſancta vita ac confeſſione a muliere improba, luceat lux tua in perverſa illius progenie, ut radiis illius in tenebris ambulantes convincantur, atque ita via paretur multis *plumbo* errorum improbitatis adhuc obrutis, ut in veritatis lucem protrahantur, atque *Epham hanc impiam* odio habeant. Deus itaque aliquando Eccleſiam ſuam denuo a tyrannide *mulieris improbæ* liberabit, quando Babylon myſtica iterata vice corruet, atque mulier hæc ſpiritu oris Jehovæ abolebitur. Beatus ille, qui felicia hæc vivet tempora!

INDEX I.

LOCORUM SCRIPTURAE S. IN HOC VOL. III. EXPLICATORUM.

GENES.

Gen. I. 14. 15 pag. 311
IV. 4 306
XV. 17 306
XVIII. 22 460
XX. 16 467
XXI. 41 238
XXIV. 32 214
35 285
XXXI. 27 345
XXXVII. 25 220
XLI. 42 34. 40
XLIX. 6 265
11 395
15 248

EXOD.

Exod. X. 19 370
XV. 26 115
XIX. 16 307
XXI. 28. 29 268
XXVIII. 33 193

LEVIT.

Levit. XI. 2. 3 267
4 210. 215
21 362
XXIII. 40 186

NUM.

Num. XXII. 4 278

DEVT.

Devt. XVI. 9 380
XXII. 10 281
25 257
XXIII. 18 69
25 380
XXV. 4 264. 282
XXXII. 13 406
XXXIII. 2 291
8 489
17 265. 273
24 406

JOS.

Joſ. VII. 16 387

JUDIC.

Judic. I. 19 387
III. 31 277
IV. 3. 13 387
V. 11 226
VI. 5 365
VII. 12 221

Judic. VII. 16 pag. 257. 322
25 82
VIII. 21 30
IX. 27 408

I. SAMUEL.

I. Sam. VII. 9. 10 307
IX. 7 240
X. 5 345
XIII. 21 277
XIV. 25. 26 48
XVI. 16. 17 340
XVIII. 19 342

II. SAMUEL.

II. Sam. V. 5 345
XXIII. 4 487
XXIV. 22 276

I. REGUM.

I. Reg. IX. 3 314
X. 11. 12 334
XVIII. 38. 39 306
XX. 23. 28 54
XXI. 19 71

II. REGUM.

II. Reg. XV. 25 356
XX. 2 150
13 19

CHRONIC.

I. Chron. XVI. 21 336
II. Chron. XX. 20 347
XXVII. 4 62

NEHEM.

Neh. XIII. 15 395

ESTH.

Esth. I. 4 pag. 451
VIII. 15 28

JOB.

Job. VI. 5 271. 279
XIX. 28 518
XXIV. 11 397. 406
XXVIII. 26 304
XXIX. 6 406
XXXII. 18. 19 228. 239
XXXIII. 30 314
XXXVII. 3 312
XXXVIII. 35 304
37 226

PSALM.

Psalm I. 3 174
II. 9 248
XVIII. 10 397
11 465
14. 15 300. 304
XIX. 5 487
XXII. 13 273
XXIX. 3-9 303
5 58
XXXI. 13 248
XXXII. 8 314
XXXIII. 7 226
XLV. 4 451
9 452
XLVII. 9 439
L. 1. 2 307
LVI. 9 241
LVII. 5 322
LVIII. 11 397
LIX. 15. 16 78. 81
LXVIII. 18 387
24 83
31 266. 133. 143

Pſalm. LXIX. 39 pag. 267
LXXIII. 6 26
LXXIV. 14 133
LXXVII. 19 312. 297
LXXXIII. 15. 16 58
LXXXIV. 12 487
XCVII. 4 312
CIV. 1. 2 451. 490
4. 316
10 49
12 53
CXIX. 83 227. 233
CXXXI. 2 349
CXXXVII. 1. 2 344
CXLIX. 3 345

PROV.

Prov. III. 10 391
XIII. 9 314
XIV. 4 274
XVIII. 10 15
XXIV. 20 314

ECCLES.

Eccleſ. II. 7 61
XII. 11 278

CANTIC.

Cant. II. 3 47
III. 6 479
11 103
CANT. IV. 4 1. ſq.
CANT. IV. 9 25. ſq.
10 172
VII. 4 6
VIII. 6 316

JESAI.

Jeſa. II. 4 380
15 4
III. 8 314
Jeſa. III. 16 pag. 196
20 30
23 103
IV. 4 491
V. 2 391. 398. 406
12 347
JES. VI. 1-4 445. ſq.
VII. 2 56
IX. 1 487
14. 364
XVI. 10 396. 403
XIX. 8 158. 159
XXI. 7 221
13 60
XXII. 8 61
24 227. 233. 236
28 248
XXIII. 16 347
XXIV. 23 496
XXVIII. 16 4
27 283
XXIX. 6 302
XXX. 6 213
14 228
24 266
25 4
32 346
XXXII. 19 45
20 266
XXXIII. 18 4
XXXIX. 2 19
XLI. 15 283
19 168
XLVI. 19 255
23 355
LI. 4 294
LIV. 17 257
LV. 13 168
JES. LVI. 10. 11 68. ſq.
LX. 6 220
LXI. 10 255. 452
JES. LXII. 3 95. ſq.
LXIII. 1. 2. 3 391. 395. 401. 405
LXVI. 15 322
20 258

Jeſ. LXVI. 25 220

JEREM.

Jerem. II. 24 61
IV. 29 60
JER. VIII. 22 113. ſq.
XIII. 12 227
XIV. 3 250
XV. 13 83
XVI. 6 152
XXII. 7 60
XXV. 34 249
XXXI. 12 403
XL. 10 251
XLVI. 23 365
XLVIII. 11. 12 239
38 248
L. 11 278. 282
27 266
LI. 27 363

THREN.

Thren. I. 15 391
IV. 2 227. 228

EZECH.

Ezech. I. 7 267
13. 14 292. 298. 313
26. 27 212
VII. 7 403
XII. 3 255
13 151
XVI. 8 452
17 255
XXIII. 15 104. 107
XXVII. 10. 11 21
XXVIII. 12 515
XXIX. 3. 4 133. 145
XXXII. 3 145
XXXIV. 25 48
EZECH. XLVII. 10 150. ſq.

DANIEL.

Dan. III. 5. 7 349
21 102
V. 7. 29 34. 40
IX. 27 362. 466
X. 6 297. 313. 316

HOS.

Hoſ. X. 11 282
XIV. 6 172

JOEL.

Joel. I. 6 360. 363
II. 4 359
24 405
25 356. 366. 367
31 496
III. 13 391
18 375. 401

AMOS.

Amos IV. 2 151. 159
9 360. 367
VI. 12 281
IX. 13 401

MICH.

Mich. IV. 3 380
8 2
12 265
13 282
VI. 15 405

NAH.

Nah. II. 4. 5 292. 322

Nah. II. 9 pag. 255
III. 15-17 355. 365

HAB.

Habac. I. 14. 15 151. 158. 159
16. 17 164

ZACHAR.

ZACH. I. 8 166 ſq.
III. 5 105
9 314
IV. 2 315
ZACH. V. 6-11 508 ſq.
IX. 1 536
12 4
24 294. 298
XIV. 10 399
ZACH. XIV. 20 189. ſq. 258

MALACH.

Mal. IV. 2 283

MATH.

Math. III. 4 48. 218
IV. 19 152
VI. 22 313
29 451
VIII. 11. 12 320
XV. 26 72
MATH. XIX. 24 207. ſq.
MATH. XIX. 28 409. ſq.
XXI 33 391. 398
XXIII. 24 209
XXIV. 27 298
XXV. 1 321
4 251
XXVIII. 3 297

MARC.

Marc. XI. 13 pag. 135
XIV. 72 468

LUC.

Luc. II. 46 416
V. 4. 5 155. 157. 158
LUC. V. 38 225. ſq.
XII. 35 321
49 322
XVI. 21 91

JOH.

Joh. II. 6 250
V. 35 315
XXI. 3 156. 157. 158

ACTOR.

Act. II. 1. 2 307
IX. 3 307
5 266. 277
ACTOR. IX. 15 245. ſq.

ROM.

Rom. IX. 22. 23 248
XIII. 12 493

I. COR.

I. COR. IX. 9 263. ſq.
XI. 10 467
XIII. 1 191

II. COR.

II. Cor. III. 9 266
IV. 7 247. 257
VI. 14 281

GAL.

Gal. v. 7 pag. 325

COL.

Col. II. 15 500
III. 14 26

I. THESS.

I. Theſſ. IV. 4 247

I. TIM.

I. Tim. V. 18 264

II. TIM.

II. Tim. II. 20. 21 248
IV. 7 325

JAC.

Jac. I. 17 313

II. PET.

II. Pet. II. 22 84

APOC.

Apoc. II. 18 316
Apoc. II. 27 pag. 248
III. 18 126
IV. 5 294
V. 6 314
APOC. V. 8 332. ſq.
VI. 6. 7 513
VII. 14 492
VIII. 4 479
5 294
10 311
APOC. IX. 3 353. ſq.
7. 8 359. 360
9 361. 362. 363
3-10 363
17 479
X. 1 490
XI. 4 315
19 294
APOC. XII. 1 483. ſq.
XIV. 1. 2 346
APOC. XIV. 14 373. ſq.
APOC. XIV. 19. 20 389. ſq.
XV. 2 346
8 479
XVI. 21 515
XIX. 13 401
14 492
XXI. 11. 315
XXII. 1 440

INDEX II.

VOC. HEBR. ET GRAECARUM.

HEBR.

אבירים pag. 273
איפה 511
אלמוגים 334
אמות 477
בוחן 4
בליל 279
על הגתית 391
דביר 450

דרבן

דרבן	pag. 277	ענק	pag. 25
הדסה	169	עשן	478
היכל	450	צבאות	474
חסידה	527	צלצלים	191
חרם	158	צניף	97
כבוד	476	קול	477
ככר	515	רשעה	523
כלי	247	שבט	422
כסא	448	שולים	450
כרמל	46	שרפים	455
לבב	25	תלפיות	3. 13
מופת	485		
מטה	422	**GRÆC.**	
מלמד	277		
ממעל	459	Γυνη	486
מצלות	190	καμηλος	208. 216
נבחז	92	κρινω	423
ניע	477	μετρητης	511
עזב נפש	74	παλιγγενεσια	425. 429
נשא	448	σημειον	485
סרוחים	104. 107	σκευος	247
עין	514	σωτηρ	123
עמד	459	φυλη	422

INDEX III.

EMBLEMATUM AC RERUM MEMORABILIUM.

A.

Aes vim purgatricem & luſtrandi habebat apud veteres pag. 376
Agricultura per boves exerceri ſolebat 282
ALÆ Symb. celerrimæ rapiditatis 463
– Symb. rei abſconditæ & myſterii 464
Alæ Diis olim tribuebantur, quare 464
– Symb. majeſtatis divinæ 465
– Symb. potentiæ ac poteſtatis 465
– tutelam & protectionem pingunt 527
– Symb. exercitus hoſtilis 362
– Schechinæ tribuuntur 465
– Seraphim quæ, quid ſignific. 463 &c.

Alæ veſtium quæ, quid pingant pag. 452. 453
Altaris vaſa typi Doctorum Evang. 258
Ambulacra veterum in ſylvis 63
— etiam in myrtetis in ſpecie 178
Amor per faces pingitur 316
Antichriſti mercatura ſpiritualis 537
— ejus ſcelera & vitia horrenda 538
Annulo obſignabant veteres utres 234
— in naſo cameli geſtabant 214
Apes colligebant ære tinnulo 200
Apis ſub forma bovis cultus 286
Apollini cithara tribuitur 350
Apoſtoli, quare numero duodenario gaudent 420. 501
Apoſtolis dignitas Regum, Judicum, Doctorum imo majeſtas tribuitur 418. 419
— numerus eorum XII. per varios typos olim depictus 502
Arbores ſteriles in ſylvis, cujus figura ſint 47
Arces regum in turribus, Symb. 17
Arundo piſcatorum, quæ, quid ſignificet 159. 160
Aſyla in turribus olim erant 15
— item in ſylvis exiſtebant 60
Aves Symb. animarum 54
— nidulari in ſylvis ſolent 53
Aurum utribus includere ſolebant 240

B.

Balnea myrtis exornata 185
Barritus camelorum qualis 213
Bath quæ menſura apud Hebr. 511
Boanerges, quid, unde 294
BOS agriculturæ Symbolum 264
— abundantiæ bonorum emblema 265
— per boves coloniæ deſignabantur ib.
— Symb. principum & Doctorum N.T. 266
Bos, 12 boves maris ænei typi pag. 267
— cum primitivis oblati boves ibid.
— inter animalia pura referendi ibid.
— cornibus inſtructi ſunt 268
— oculi eorum grandes & torvi 269
qui Symb. pulchritudinis ibid.
— pelle dura præditi 270
— mugitu inſignes ſunt, cujus cauſæ indagantur 271
— Dux gregis taurus habetur 273
— robore inſignes & labore 273. 274
— jugo ſubjici ſolebant 276
— ſtimulo incitabantur 277
— gramine paſcuntur 278
— hoſtes eorum ſunt, lupus, leo & muſcæ 279
— uſus eorum varii in agricultura 281
— in trituratione adhibiti 282
— in plauſtris & oneribus vehendis 284
— in iis divitiæ veterum ſitæ 285
— uſus in ſacrificiis eorum multiplex 287
— etiam pro idolis culti 286
Bullæ in torquibus veterum 30

C.

Calcare torcular ſolebant veteres 395. 397
CAMELUS. nomina ejus varia 208
— Symb. hominis divitis 208
— ſignum Arabiæ in nummis 209
— Symb. Doctorum Eccleſiæ ibid.
— emblema peccatorum graviorum ib.
— eſt animal impurum, fœtidum ibid.
— eſt beſtia ſtupida & laſciva 210. 211
— imo ſuperba & vindictæ dedita 211
— deformis eſt & gibboſus camelus 212
— barritum edit ingratum 213

CAME-

CAMELUS frænum, capiſtrum & annulum in ore geſtat pag. 214
– – ruminat, ſed ſciſſas non habet ungulas 215
– – ſe ipſum incurvat ad onera ſuſcipienda 216
– – aquas turbat bibens 217
– – cibus ejus fœnum & frutices ibid.
– – ornamenta camelorum apud Arabes lunulæ erant 218
– – pilorum uſus multiplex ibid.
– – lac eorum in uſu 219
– – in mercibus vehendis adhibiti ibid.
– – in equitatu etiam celeres 220
– – in bello quoque ſuum uſum habebant 221
Candelabrum typus Eccleſiæ 311
CANES Symb. hominum contemtorum & indignorum 68
– – homines ſceleſtos, maledicos & invidos pingunt 69. 70. 80
– – Symb. hoſtium infenſiſſimorum 70
– – meretricis impudicæ figura 71
– – dæmones & Furias ſignificant ibid.
– – emblema gentium & pſeudodoctorum exiſtunt 71. 72
– – ſunt animalia impura & impudentia 73
– – ignavi ſunt & ſomnolenti 74
– – maxime libidini dediti 76
– – ſagaces & callidi ſunt 77
– – guloſi & voraces exiſtunt 78
CANES mordaces & furore acti 79
– – latratus canum notabilis 80
– – heris ſuis adulari ſolent 81
– – lambere ſolent aquas 82
– – carne & ſanguine delectantur 83
– – ad vomitum redire ſolent 84
– – noctu vagari plerumque atque ululare ſolent 84. 85
– – catenis adſtringi & baculis debellari ſolebant 85
– – in rabiem ſæpe præcipitantur 86
– – Uſus canum in cuſtodia domus 88
– – nec non in cuſtodia gregis ibid.
– – in venatione adhibebantur 89
– – menſis inſervire ſolebant 91
– – pro idolo colebantur 92
– – iis inſidiatur crocodilus 141
Cantus in ſylvis olim obtinebat 62
Catena aurea vid. Torques.
– – duplex Ephodi quid typice 26
– – judicum apud Aegyptios 27
– – iis adſtringebantur canes 85
Cauda Symb. pſeudodoctorum 364
Celeritatis Symb. fulgur 298
– – ejusdem figura alæ 463
Chirurgi, qui olim dicti 127
Cicada vide Locuſta
Ciconia Symb. piorum Principum 528
– – ejus qualitates variæ 528 ſq.
– – alæ ejus ſymb. protectorum 530 ſq.
CIDARIS Symb. dignitatis, decoris & amoris apud veteres 97
– – a Regibus geſtari ſolebat 98

CIDARIS a Sacerdotibus Hebræis geſtata pag. 99
— — tribuitur etiam Legatis, Vatibus & Magis veterum 100
— — uti & Ducibus, militibus & victoribus 101
— — porro Sponſis & virginibus 103
— — & denique Diis atque Deabus 104
— — Materia & color ejus diverſa 105
— — faſciis circa caput ligabatur 107
— — unguento imbui ſolebat 108
— — gemmis & margaritis exornata 109
— — inſcriptionibus inſigniebatur ibid.
— — capiti imponi ſolebat 110
— — vel etiam manu tenebatur ibid.
CITHARA nomina hebr. & græc. 333
— — deſcriptio hujus inſtrumenti ibid.
— — ad decantandas heroum laudes adhibita olim 334
— — materia ejus ex ligno, thyino, buxeo vel eburneo 334
— — forma ejus apud veteres diverſa 335
— — variis fidibus inſtructa erat 336
— — harmonia ejus ſingularis 337
— — plectro aureo percuti ſolebat 338
— — variis figuris exornata 340
— — ſonus ejus acutus & ſuavis homines & beſtias demulcet ibid.
CITHARA imo Deos ipſos recreare cenſebatur 341
Citharìſtæ, citharœdi qui dicti 342
— — ad aquas citharas pulſare ſolebant 343
— — vel ex arbore ſuſpendebant 344
— — Uſus Citharæ in choreis 345
— — in prœliis & triumphis pulſata 346
— — in conviviis & nupt. adhibebatur 347
— — in Sacris Judæorum & gentium frequens ejus uſus 348
— — in Deorum & Dearum manibus cernitur, præcipue Apollinis manu 350
Clamare dicuntur Seraphim 472
Clypeis tintinnabula appenſa 199
— — in turribus ſuſpendebantur 20
Color viridis Symb. ſpei 173
Collum cum turri comparatur 67
— — torque ornari ſolebat 31
Columna nubis cum veſte comparatur 450
Conſecratio, in ea faces adhibitæ 328
Convivia, in iis myrtorum uſus 179
— — noctu celebrata olim 319
— — faces in iis adhibitæ ibid.
— — citharæ in iis pulſatæ 347
Cornua boum Symb. dignitatis regiæ 268
Corona Sponſis olim data 505
— — ex myrto principum, poëtarum & ſupplicantium 186
— — Diis myrtea tribuitur 185
— — in feſtis myrtea adhibebatur 186
— — radiata & ſtellata, qualis, cujus Symbolum ſit 502

Coro-

Corona radiata variis perſonis tribuitur pag. 502
CROCODILUS Symb. Solis erat 134
– – emblema juſtitiæ vindicatricis, hominumque callidorum exiſtit 134
– – Symb. Ægypti & Antichriſti 135
– – Rex aquatilium habebatur ibid.
– – ex ovis procreatur 136
– – eſt animal ἀμφίβιον 137
– – oculis igneis eſt præditus 138
– – ungues cruentos poſſidet ibid.
– – rictu & dente rapace armatur 139
– – cauda pollet robuſtisſima 140
– – cutis ejus eſt ſquamata 141
– – hominibus & beſtiis inſidiatur 141
– – in arundine Nili latere ſolet 143
– – cruda carne delectatur 144
– – a piſcatoribus hamis capitur ibid.
– – in ſpectaculis adhiberi ſolebat 146
– – pro idolo cultus ab Aegyptiis ibid.
Currus falcati veterum quales 386
– – – Symb. angelorum 387
Cuſtodes tintinnabula gerebant 197
– – in cuſtodia canes adhibiti 88
Cymba piſcatoria olim utebantur piſcaturi 160

D.

Dæmones vocantur canes 71
Deſerta in ſylvis Symb. 46
Deus vocatur Medicus 115
Dii torquibus ornari ſolebant 38
– – cithara delectabantur 350. 341
– – cidari ornabantur 104
– – ſylvarum & montium qui 54
Doctores N. T. vocantur Medici 116
– – cum utribus comparantur 228
– – cum cithariſtis 342
– – cum vaſibus variis 248
– – cum equis 191
– – cum bovibus arantibus 266
– – cum piſcatoribus 152
– – cum fontibus 50
Donaria ſacra etiam ex torque conſtabant 42
Dromedarii qui olim dicti 220
Duodenarius numerus ſacer 420. 502
– – cur Apoſtolis datus 420. 502

E.

Engeddi, quæ regio olim 150
Enſes falcati, quales olim 386
– – – Symb. verbi Dei 387
– – comparantur cum fulgure 293
Epha qualis menſura apud Hebr. 511
– – Symb. variarum rerum, præcipue autoritatis in diſpenſanda doctrina 512
Equis inſidebant Imperatores 167
– – Symb. regum & doctorum 191
– – tintinnabulis ornari olim ſolebant, cur? 203, ſq.
Expiationis Symb. faces 327

F.

FACES pro quovis lumine pag. 311
– – ſoli tribuebantur olim ibid.
– – pro ſtellis occurrunt 312
– – pro fulmine quoque ibid.
– – Symb. Spiritus S. 313
– – oculi faces appellantur ibid.
– – Symb. vitæ exiſtunt 314
– – Symb. Evangelii 315
– – Symb. iræ & furoris 316
– – Symb. amoris vehementis ib.
– – noctu prælatæ viatoribus 317
– – in clasſibus ducendis adhib. 317
– – inſigne majeſtatis & imperii 318
– – uſus earum in conviviis 319
– – etiam in nuptiis veterum 320
– – in prœliis & bello quoque 322
– – facibus ſigna dabantur 323
– – in ludis & certaminibus 324
– – in triumphis & victoria ibid.
– – in funeribus & exequiis 325
– – in ſepulchris tædæ ardentes cernebantur olim 325
– – Diis etiam tribuuntur 326
– – in cultu Deorum frequenter adhibitæ 327
– – Symb. ſacerdotii exiſtunt 327
– – in conſecrationibus, luſtrationibus & expiationibus 328
– – in feſtis ſolennibus, tum apud Judæos tum Gentes uſurpatæ 329
Faciem tegere &c. vide Velare.
FALX, Symb. ſermonis acuti 374
– – Symb. mortis & judiciorum divinorum 375
FALX, Materia falcium ex ferro vel ære olim erat pag. 375
– – forma earum deſcribitur 376
– – cur curvæ erant 377
– – acuebantur maxime ibid.
– – tempore meſſis acui ſolebant 378
– – manubrio inſtructæ erant 379
– – uſus earum in meſſe 380
– – in vindemia & racematione 381
– – gramina & herbas iis reſecabant 383
– – iis arbores incidebant 384
– – inter arma lethalia recenſebantur 385
– – boves iis jugulabant 385
– – falcati enſes & currus quid 386
– – – cujus Symb.? 387
Ferarum antra, cujus figura? 51
Ferreæ turres veterum 7
Feſta & choreas in ſylvis olim celebrabant 61
– – in iis faces adhibitæ 329
Fides cithara quot habuerit? 336
– – ex inteſtinis pecudum factæ ibid.
– – harmonia earum ſingularis 337
Filius hominis cur Chriſtus dicatur 434
– – cur Daniel & Ezechiel 437
Fimbriæ Meſſiæ cujus Symb. 450
– – – templum implere dicuntur, quo ſenſu 453. 454
Fœdera fulmine confirmata 306
Folia Symb. confeſſionis 175

Folli-

Follibus inflabant utres pag. 232
Fontes & flumina in ſylvis 50
– – Symb. doctorum ibid.
Frænum in ore geſtant cameli 214
FULGUR Symb. præſentiæ divinæ 292
– – Symb. poteſtatis ac providentiæ Deorum ibid.
– – figura heroum ac belli ducum 292
– – cum illo arma, enſes, & ſagittæ comparantur 293
– – Symb belli & graviſſimorum judiciorum 58. 294
– – Symb. eloquentiæ ſingularis 294
– – origo ejus ex cœli nubibus 295
– – materia eſt ignis ſubtilis 296
– – illo tanguntur turres 19
– – ſplendor ejus ſingularis 297
– – celerrimæ eſt rapiditatis 298
– – miri ejus ſunt effectus 299
– – ſylvæ illo comburuntur 58
– – ſtridore horrendo terram quatit 300
– – procellas excitat & mare concutit 302
– – arbores, domos, naves incendit 303
– – in Deorum manu ponitur 304
– – ſanctum habebatur, uti & loca illo tacta 305
– – fœdera illo confirmari credebant veteres 306
– – vel boni vel mali ominis erat 307
– – Symb. iræ vel gratiæ divinæ ibid.
FULGUR emblema ſalutis erat pag. 308
Fumaria veterum qualia 236
Fumus in fumo ſuſpendebantur utres 233
– – fumus ſymb. iræ divinæ 478
– – Symb. precum calidiſſimarum 479
– – Symb. martyrii ibid.
– – Symb. judicii occæcationis 479
In funeribus faces adhibitæ 325

G.

Gemmæ olim in torquibus micab. 28
Gentes vocabantur canes 71
– – comparantur cum ſylva 45
Gethſemane unde dicta 399. 405
Gilead, quæ regio, myſtica quæ? 114
Gloria Dei, quid? quomodo terram implere dicatut 476

H.

Hamus piſcatorum qualis 159
– – Symb. verbi Evangelii 160
Herbarum in medicina uſus 124
Heroes cum fulgure compar. 292
– – cum equis generoſis 191
Homo indignus, ſceleſtus, canis vocatur 68. 70
Hoſtes infenſi canes appellantur 70
Hydriæ, quales olim, Symb. doctorum 250
Hymnos ad torcularia canere ſolebant 403

I.

Ignis Regibus prælatus olim pag. 318
— — Symb. majeſtatis 458
— — Symb. acuminis intellectus ibid.
— — Symb. amoris & zeli 459
Imperii inſigne faces olim 318
Impietas dicitur Antichriſtus 524
Impudentiæ Symb. canis eſt 73
Incantationes pellere tintinnabula credebant veteres 202
Iræ divinæ ſignum fulgur 307
— — — atque faces 316
Iſraelis XII. tribus, quales 422
Judices torque ornati 36
Judicia divina cum fulgure comparantur 294
Jupiter fulmen tenere credebatur 304

L.

Labrum æneum typicum 258
Lac includebant utribus veteres 239
— — camelorum Arabibus in uſu 219
Lacrymas utribus includebant 241
Lambere aquas canes ſolent 82
Lampadophori Roman. qui 317. 325
Lapides loco ponderum adhibiti 525
Latratus canum cujus ſignum? 80
Latronum ſpeluncæ in ſylvis 51
— — — cujus figura 52
Leo inſidiatur tauris 280
Libertatis ſignum torques 33
Libidinis Symb. canis 76
LOCUSTA Symb. pſeudo-Doctorum 354
— — nobilitatis inſigne 355
— — Symb. hoſtilis exercitus 355
LOCUSTA Symb. Rhetorum & præconum pag. 356
— — e terra naſci dicuntur 357
— — forma & genera earum diverſiſſima ſunt 358
— — caput habet cornutum 359
— — oculos truces & obſcuros habet 360
— — dentibus acutis prædita 360
— — alis ſonoris inſtructa 361
— — pedibus ſaltando ſe movet ib.
— — cutis ejus dura & ſquamata 362
— — in cauda aculeum gerit 363
— — ſtridore & cantu inſignis 364
— — multitudine innumera prodit 365
— — gramina & fruges conſumit, quare Symb. judicii divini 366
— — peſtem excitare creditur 367
— — rore vivit, æſtate tantum durat 368
— — vento in mare præceps ſæpe datur 370
— — cibus volucrium cœli & hominum 370
Lucernæ ſepulchrales veterum 314
Luci ſacri apud veteres quæ loca 63
Lues cum fulgure comparatur 294
Lumen Symb. Chriſti & doctorum 489
Luna Symb. variarum rerum 494
— — Symb. conciliorum 405
Lunulæ in torquibus veterum 30
— — in collis camelorum apud Arabes 218
Lupus bobus inſidiatur 280
Lutum materia utrium olim 228
LUX Symb. ſapient. & cognitionis 492
— — Symb. juſtitiæ & ſanctitatis ac bonorum operum 493

LUX figura vitæ, ſalutis & gloriæ 493

M.

Mannæ urna typ. doctorum 260. 261
Mare mortuum Symb. Antichriſti 151
Margaritæ olim in torquibus 29
MEDICUS; ita appellati viri prudentes 115
– – Deus ipſe & Doctores N. T. ita dicti 116
– – ortus medicorum inquiritur 117
– – ſunt perſonæ publicæ ibid.
– – arte & ſcientia præditi ſunt 118
– – experientia edocti 119
– – indefeſſi ſtudio & labore 120
– – fidelitas in medico requiritur 121
– – præſcribit media ſalutaria ibid.
– – obſervat ſymptomata variantia 122
– – vitam hominis tueri tenetur 123
– – olim dicebatur σωτὴρ ibid.
– – reſina, oleo & herbis olim præcipue utebantur medici 124
– – conſulendi ſunt 125
– – ocularii quales olim 126
– – chirurgi qui dicti 127
– – maxime neceſſarii in republ. 128
– – magno olim honore afficiebantur 129
Mel ſylveſtre quid, Symb. eloquentiæ humanæ 48
Menſa, ad illam canes exſpectare ſolent 91
Mercatura ſpiritualis Antichriſti 537
Meretrices vocantur canes 71
Meſſis ſymb. eſt judicii divini 381
Milites præſidiarii in turribus 13
– – torquibus ornati & donati 35. 40
Montium & ſylvarum Dii qui 54
Mugitus boum variæ cauſæ 272
Mulier Symb. Eccleſiæ veræ 486
– – Symb. Antichriſti 519
– – Symb. Doctorum Eccleſiæ 526
Muſcæ bobus inſidiantur 280
MYRTUS, nomina ejus hebr. gr. 168
– – Symb. juſtorum, in ſpecie Iſraelis 168
– – duplex eſt hortenſis & ſylveſtris ib.
– – arbor pulchritudine decora 169
– – humilis ad modum & fragilis 170
– – odoris eſt gratiſſimi & amœni 171
– – hyeme & æſtate viret conſtanter 172
– – color ejus maxime viridis 172
– – Symb. perennis conſtantiæ 173
– – ſolem amat, frigus odit 173
– – litora & aquas amare ſolet 174
– – folia ac rami ejus quales 175
– – ſagittas ex ejus ligno faciebant ib.
– – fructus ejus ſpecioſi ſunt 176
– – in hortis Regum alebatur 177
Myrteta integra in Oriente 178
– – in quibus ambulacra amœna ibid.
Myrti uſus in menſis & conviviis 179
– – in ſertis & coronis principum, vatum, poetarum & ſupplicantium adhibita 180. 181
– – in nuptiis & triumphis uſurpata 181. 182
– – funera & ſepulchra ea exornata 183
– – uſus ejus in medicina frequens 184
– – ad balnea & thermas plantata 185
– – Diis ſacra & grata habebatur ibid.

N.

Nobilitatis inſigne torques 33

Nobilitatis nota tintinnabulum fuit pag. 196
– – apud Athenienſes cicada illius nota erat 355
Nubes comparantur cum utribus 226
– – ex iis fulgur oritur 295
Nuptiæ cum facibus celebratæ 320

O.

Oculi boum Symb. pulchritudinis 269
– – vocantur faces 313
Ocularii Medici qui dicti 126
– – tales doctores N. T. 126
Olei uſus in medicina varius 124
– – includebatur olim utribus 239
– – vaſa ſub V. T. typica 260. 261
Onera portare cameli ſolebant 226
Opera boum quæ dicebantur 275
Oſſa radere famelicis & canibus tribuitur 83

P

Palatium Symb. Eccleſiæ N. T. 454
Pallium Meſſiæ vid. Veſtes.
– – Symb. juſtitiæ Chriſti 452
Panis includebatur utribus 240
Paſcua ovium in ſylvis olim 48
Paſtores gregum tintinnabula gerebant 197
Pellis bovinæ uſus in calceis 270
– – ex illa ſcuta & galeas conficiebant veteres 271
– – iis incubabant milites 270
Pes Symb. dominii & poteſtatis 396
– – pedibus calcare quid not. 396
– – nudus pes cujus rei ſymb. 398
– – Symb. actionum omnium 470
– – pro parte pudenda pedes 470
– pedes tegunt Seraphim quo ſenſu? 470
Pes, ſub pedibus aliquid habere quid ſignificet pag. 497
– – ſub pedibus eſſe Symb. excisionis & contemtus 498
– – triumphantes victos pedibus conculcabant 499
– – ad pedes ſedere diſcentes ſolebant 500
Pice oblinere utres ſolebant 234
Pili camelorum in uſu veterum 218
PISCATORES Symb. hoſtium callidor. 151
– – ſunt homines pauperes & contemti 152
– – laborioſi & tempeſtatibus expoſiti 153
– – certis tempor. retia pandunt 154
– – noctu inſomnes degunt 155
– – callide retia pandere ſciunt 158
– – arundine & hamo utebantur 159
– – levi cymba utebantur 160
– – etiam urinatores erant 161
– – ordo piſcator. olim ſingularis 162
– – vota Diis facere, iisque retia ſuſpendere ſolebant 163
Plectrum cithar. aureum, eburneum 328
– – Symb. Spiritus Sancti ib.
Plumbi maſſa Symb. judiciorum divinorum 515
– – Symb. indurationis 517
Pondus Symb. judiciorum Dei 516
– – verborum quid 517
Poſtes liminum S. doctorum 477
– – templor. leges affixas gereb. 477
Potentiæ divinæ Symb. fulgur. 292
Præſentiæ Dei Symb. fulgur 292
Primitivorum vaſa typica 260
Principes tribuum Iſraelis typi Apoſtolorum 413

Princi-

Principum coronæ e myrto pag. 180
Proceſſiones, in illis citharæ adhibebantur 345
Providentiæ Deorum Symb. fulgur 292
Pſeudo-doctores pinguntur per camelum 72
Pulchritudinis Symb. myrtus 169
- - ejusd. Symb. oculi bovini 269

R.

Rabioſi canes, qui, cujus Symb. 86
Reges torquibus ornati olim 34
- - cidarim in capite gerebant 98
Reſinæ in medicina uſus 124
Retibus utuntur piſcatores 158
- - rete Symb. Evangelii 159
- - ſuſpendere ea Diis ſolebant 163
Ruminare dicuntur cameli 215

S.

Sabbathum, in ejus celebratione faces adhibitæ 329
Sacerdotes torque olim ornati 36
- - cidarim geſtabant in capite 98
- - tintinnabula gerebant in ſacris 201
- - Summus Sacerdos tunicam tintinnabulis ornatam gerebat typice 192
- - Sacerdotii Symb. faces erant 327
Salutis Symb. & ſignum fulgur 308
Sanctus, Sanctus, Sanctus dicitur יהוה 474
- - cur ter repetatur, rationes 475
- - ſanctum habebatur fulmen 305
Sanguinem utribus includebant 239
- - ſanguis uvarum quid 401
Securibus arbores cædebant 59
- - ſecuris Symb. judiciorum 60
Sedere in throno Chriſtus dicitur 440
- - in Epha dicitur mulier vario ſenſu 520
- - Regum eſt ſedere 520
- - doctorum & Sacerdotum eſt 521
- - pro habitu & conſuetudine 521
- - meretrices ad vias ſedebant 522
Sedere pro quieſcere ſecure 522
Sepulchra myrtis ornata 184
- - facibus illuſtrata 325
Sequi dicuntur Apoſtoli Chriſtum 411
Seraphim, unde dicti, an iidem cum Teraphim? 455
- - angelos ſignificare negatur 456
- - ſignificat Apoſtolos, quod prob. 457
Servi torque ornati 39
Signum, σημεῖον quid notet 485
Sinear terra quæ, ſignificat Antichriſtianiſmum 533
Sol Symb. variarum rerum, præcipue Chriſti 489. 487
- - ſoli faces tribuuntur 311
- - pingit imperatores in nummis veterum 489
Speculatoriæ turres quales 16
Sponſæ torquibus ornatæ 37
- myrtis ornatæ 181
Stare Symb. τȣ miniſtrare 459
- - pro venerari & colere 460
- - ſignificat conſtantiam 461
- - Symb. παῤῥησίας 461
- - Symb. ſpontaneitatis & vigilantiæ 462
Stellæ vocantur faces 312
- - Symb. Doctorum 500
Stimulo boves incitati 277
Stridor fulminis horrendus 300
Supplicum coronæ myrteæ 181

ad Supplicia ducti tintinnabula gerebant 198
SYLVA Symb. populorum 45
— — Symb. gentium & hoſtium 46
— — ſunt loca deſerta 46
— — arboribus ſterilibus referta 47
— — in illa paſcua ovium 48
— — mel in ea ſylveſtre reperitur ibid.
— — fontes & flumina in ſylvis 49
— — lapides, ſaxa, valles in iis 50
— — antra ferarum & ſpeluncæ latronum 51. 52
— — aves nidulantur in ea 53
— — Deos tutelares habuit 54
— — umbram ingentem fundit 55
— — ventis concuti ſolet 56
— — fulmine ſæpe percutitur 57
— — ſecuribus exſcindi ſolet 58
— — aſylum erat fugientibus 60
— — in iis feſta & choreas agebant 61. 62
— — ambulacra in iis 63
— — luci ſacri ſæpe erant 63

T.

Tabulis plumbeis leges inſcriptæ 518
Tædæ vide Faces
Tela ex myrto facta 175
— — cum fulgure comparantur 243
Ternarius numerus ſacer 475
Theſauri in turribus adſervati 18
Thronus Symb. regiæ dignitatis 413
— — judices in throno ſedebant 414
— — doctores in iis ſedebant 416
— — Diis tribuitur & Deabus 417
— — gloriæ Chriſto tribuitur 438. 440. 448
— — ſedere in throno Chriſtus dicitur 449
Thuris vaſa quæ 249. typica erant 261
Tiara vide Cidaris
TINTINNABULUM, nomen מצלות expl. 190
— — Symb. hominis facundi 191
— — Symb. confeſſionis & præconii 192
— — in tunica S. Pontificis typ. 192
— — materia tintinnabulorum ex auro vel ære 193
— — varia forma eorum 193
— — malleo inſtructa ſunt 194
— — inſcriptio eorum 195
— — uſus illorum varius, a nobilibus geſtata olim 196
— — a gregum paſtoribus portata 197
— — cuſtodes ædium ea habebant 197
— — in cubiculis uſurpati ad dormientes excitandum 198
— — clypeis appenſa olim 199
— — in apibus colligendis uſurpata 200
— — uſus ſacri, a ſacerdotibus geſta 201
— — in incantationibus abigendis 202
— — in equis exornandis adhibita 203
TORCULAR Symb. judiciorum divinorum 391
— — Symb. abundantiæ bonorum 391. 406
— — in vinea quid myſtice 391
— — partes ejus recenſentur 394
— — pedibus conculcabatur 395
— — a plebejis calcabatur 397
— — nudis pedibus agitabatur 397
— — in montibus exſtructum 398
— — extra urbes erat 399
— — ſpumare muſto ſolet 400
— — in υπολῃνια diffluebat 401
— — ad torcularia bibere ſolebant 402
— — ad ea hymnos cantabant exultantes 403

TORCULAR. in iis olivæ exprimi ſolebant 405
— — ex ſaxis & petris conſtabant 406
TORQUES Symb. luxus & faſtus 26
— — Symb. amoris, it. ſapientiæ & veritatis 27
— — ex auro & gemmis compoſitus 28. 29
— — forma apud veteres varia 29
— — bullæ torquibus appenſæ 30
— — primarium ornamentum 32
— — nobilitatis inſigne & libertatis 33
— — Symb. regiæ dignitatis 34
— — a militibus & ducibus geſtatus 35
— — judices illo ornari ſolebant 36
— — virgines, ſponſæ & ſacerdotes gerebant 37
— — a Diis & Deabus geſtatus 38
— — a ſervis & mancipiis portatus 39
— — erant dona pretioſiſſima 40
— — in prœlio dati victoribus 40
— — inter donaria ſacra torques 42
Trituratio bobus peragebatur 282
Triumphus, in illo faces adhibitæ & citharæ 324. 346
Triumphantium corona myrtea 182
TURRIS Davidis quæ 1
— — Symb. Dei & Chriſti 4
— — Symb. heroum & doctorum 4
— — Symb. rei fortiſſimæ 6
— — Symb. capitis & colli 6
Turres olim ſaxeæ, ferreæque 7
— — in montibus exſtructæ 8
— — altitudine inſignes 10
— — urbium decus & ornamentum 11
— — robur urbium exiſtunt 12
— — in iis milites præſidiarii 13
— — aſyla erant & tutum præſidium 15
— — ſpeculatoriæ veterum quæ 16
Turres, in iis arces regiæ & ſedes imperii pag. 17
— — in iis theſauri regii adſervati 18
— — fulmine ſæpe tactæ 19
— clypei in iis ſuſpenſæ, cur 20. 21

V.

Valles in ſylvis, myſticæ 50
VAS emblema verbi divini 247
— — Symb. corporis humani 247
— — figura hominum in genere & Doctorum in ſpecie 249
— — ex luto, ligno, auro & argento conflata vaſa 249
— — aqua repleta, hydriæ dictæ 250
— — vino, oleo, balſamo repleta 251
— — aurum & argentum in iis adſervabant 252
— — ſculpturis & figuris inſignita 253
— — purgare & abluere ſolicite ſolebant 254
— — ſignificat veſtes & ornamenta 255
— — domeſtica vaſa varia 256
Vaſa cibo & potui deſtinata 256
— — belli quæ apud veteres 257
— — ſacra ſanctuarii typica 258
— — altaris veteris typus 258
— — vaſa thuris, libaminis & cinerum vaccæ typ. 259
— — vaſa primitivorum, & olei 260
— — mannæ vas typic. 260
Vates corona myrtea ornati 180
Velare faciem Symb. pudicitiæ 466
— — — Symb. ſubjectionis 467
— — — Symb. venerationis 468
— — — Symb. animi ſoliciti de reatu 469
— — Moſis facies cur velata 469
Ventus Symb. iræ divinæ 57

Ventus Symb. celeritatis pag. 531
— — Symb. Spiritus S. 531
Veſtes lucidæ Symb. majeſtatis divinæ 490
— — nuptiales triumphantium quæ 491
— — vocantur כלי vaſa 255
— — Symb. gloriæ Meſſiæ 451. 453
— — Symb. juſtitiæ Mediatoris 452
— — fimbriæ veſtium Meſſiæ quid ſignificent 453
Victoribus dati torques 40
Vinum novum & vetus cujus rei Symb. 226
— — includebatur utribus 239
Virgines torque ornatæ olim 37
Vitis Sodomæ Symb. Antichriſti 539
Vitia & ſcelera Antichriſti recenſ. 539
Ululare canes noctu ſolent 85
Umbræ ſylvarum, quid myſtice 56
Ungulæ camelorum quales 215
Vomitus, ad illum redit canis 84
Volare Symb. promtitudinis 471
— — ſignificat deſideria cœleſtia 472
— — de Seraphim dicitur 471
Urbium decus ſunt turres 11
Urinatores Symb. doctorum 461
UTRES veterum quales 226
— — pro nubibus & mari 226
— — Symb. corporis & cordis humani 227
— — Symb. Doctorum & hominum in genere 228
UTRES ex corio caprino conſtabant, vel ex luto figulino pag. 228
— — forma eorum & capacitas 229
— — claudi & aperiri poterant 230
— — veteres & novi in uſu 231
— — follibus inflari ſolebant 232
— — ſuſpendi in aere & fumo ſoleb. 233
— — ungere, pice oblinere, annulis obſignare eos mos erat 234. ſq.
— — in cellis & fumariis adſervabantur 236
— — ex illis bibebant veteres 236
— — in bellis illorum uſus ad fluvios transnatandum 237
— — aquam, lac, oleum, ſanguinem in iis adſervabant 238
— — vinum, aurum & argentum iis includebant 239. 240
— — carnes, panem & farinam in iis recondebant 240
— — lacrymas in iis adſervabant 241
— — in libaminibus ſacris adhibiti 242
Uvæ maturæ Symb. pſeudo-Doctorum 382
— — Symb. hoſtium Eccleſiæ 392
— — tempore Meſſis prelo ſubjecto ib.
— — reſecabant falce & colligebant in torcular 393
— — aſſe & vecte premebantur 394
— — pedibus exprimi ſolebant 395

ls